Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/collectiodeclara0002johf

COLLECTIO DECLARATIONUM

SACRÆ CONGREGATIONIS

CARDINALIUM

SACRI CONCILII TRIDENTINI INTERPRETUM

ATREBATI. — EX TYPIS ROUSSEAU-LEROY.

COLLECTIO

DECLARATIONUM

SACRÆ CONGREGATIONIS

CARDINALIUM

SACRI CONCILII TRIDENTINI INTERPRETUM

QUÆ CONSENTANEE AD TRIDENTINORUM PATRUM DECRETA,
ALIASQUE CANONICI JURIS SANCTIONES SECULO XVIII, IN CAUSIS PROPOSITIS PRODIERUNT

HUIC ACCEDUNT

CONSTITUTIONES APOSTOLICÆ PRÆSERTIM NOVISSIMÆ
AD CONCILII TRIDENTINI DECRETA SPECTANTES, DECRETA GENERALIA
CETERARUM CONGREGATIONUM, NECNON SELECTÆ VETERES DECLARATIONES, MENTES, MODI
ET INSTRUCTIONES SACRÆ CONGREGATIONIS CONCILII INEDITÆ

OPUS

AD MAJOREM FACILITATEM ALPHABETICO
ORDINE PER MATERIAS, ET TRACTATUS DISPOSITUM
ACCURATEQUE COLLECTUM, AC IN TRES PARTES DE DECLARATIONIBUS
DE TITULIS CAUSARUM, DEQUE CONCLUSIONIBUS
DIVISUM OPERA, ET STUDIO

JOH. FORTUNATI DE COMITIBUS ZAMBONI

ROMANI JURISCONSULTI

TOMUS II

ALMA COLLEGE
262.21
LIBRARY
215
Alma, California

ATREBATI

APUD ROUSSEAU-LEROY, BIBLIOPOLAM

VIA VULGO DICTA SAINT-MAURICE, 26

MDCCCLXI

9492

COLLECTIO DECLARATIONUM

SACRÆ CONGREGATIONIS CARDINALIUM

SACRI CONCILII TRIDENTINI INTERPRETUM

QUÆ CONSENTANEE AD TRIDENTINORUM PATRUM DECRETA, ALIASQUE CANONICI JURIS SANCTIONES, SÆCULO XVIII, IN CAUSIS PROPOSITIS PRODIERUNT.

DAMNUM, ET INTERESSE QUOAD REFECTIONEM.

1. Quum S. C., inconsulto Metropolitano, ad quem sacerdos Vincentius Stagnarius cujusdam rixæ reus appellaverat, Episcopum Brugnatenensem eum in vincula dare non potuisse decrevisset, eumdem Episcopum ad omnium damnorum compensationem, et interesse damnavit: *Januen.*, *Jurisdict.*, 18 *nov.* 1702, *dub* 2.

2. Etiamsi sacerdos Antonius Gatti ad curiam metropolitanam appellaverit, tamen fuit ab Episcopo Comensi ob irregularitatis prætensum spretum in carcerem conjectus. S. C. vero hujusmodi detrusionem haud valide factam censuit, decrevitque Episcopum ad expensas, interesse, et damna præfata occasione passa teneri: *Comen.*, *Irregularit.*, *et gravam.*, 9 *sept.* 1702, *dub.*2, confirmata 1 *martii* 1704.

3. Archiepiscopus terram Vasti visitans presbyteros ecclesiæ S. Petri obedientiam ei præstare in ecclesia S. Mariæ Majoris detrectantes excommunicavit, et in carcerem eos detrusit. His recurrentibus eumdem Præsulem ad damna, interesse, expensasque a dictis presbyteris toleratas illa occasione non teneri definivit: *Theatina*, 9 *aug.* 1704, *dub.* 4.

4. Quum loca montium assignata a Gabriele Prati in favorem basilicæ S. Mariæ trans-Tyberim pro oneribus, quibus ab ipso fuit gravata, diminutionem conspicuam passa fuissent, hæredes pro elapsis damnis, et interesse a dicta basilica expostulatis supplere ex decreto S. C. non tenentur: *Romana, Supplet., et reduct. oner. Missarum*, 11 *maii* 1709, *dub* 2.

5. Quum S. C. exequutionem pœnæ per curiam episcopalem Insulæ contra presbyterum Felicem de Soda factam validam quippe esse, sed pœnam indulgendam declarasset; exhibita hæc fuere dubia: An promotor fiscalis curiæ episcopalis Insulæ teneatur restituere vacchas, et juvencos in numero sex, vel in quo numero?

6. An sacerdos Felix de Soda teneatur solvere expensas prætensas per promotorem fiscalem in summa ducat. 15, gran. 95, vel ad quam summam? et quatenus affirmative.

7. An dictus promotor fiscalis prætensas expensas cum fructibus perceptis a supradictis juvencis rependere teneatur? S. C. rescripsit: *Ad eminentiss. præfectum in omnibus : Insulana, Prætens. gravam.*, 28 *novem.* 1711, *dub.* 1, 2 et 3.

8. Primum remotionem vicarii capitularis archidiaconi Dominici Perez de Attocha a capitulo, et canonicis cathedralis peractam S. C. invalidam esse putavit; modo expensas, ac damna juxta liquidationem faciendam ei exsolvenda esse statuit: *Pampilonen.*, 13 *april.* 1715, *dub.* 2.

9. Jam antea S. C. decreverat mandata relaxata contra capitulum, et canonicos ecclesiæ cathedralis pro eleemosyna Missarum conventualium celebratarum per vicarium perpetuum, et consumata contra canonicum Laurentium de Rubeis validas non esse, inde mandavit, ut quoad redintegrationem damna

et interesse confici debeant ad mentem: *Burgen., S. Domnini, Missæ convent.*, 16 *maii* 1716, *dub.* 2.

10. Capitulum collegiatæ ecclesiæ S. Mariæ civitatis Tudelæ canonico Junguito thesaurario proviso apostolico cuncta damna, et interesse ex molestiarum, et litium, quas in eum capitulum excitavit, causa amissum refundere debet; satis enim contra eumdem de ipsius capituli excessibus constabat: *Nullius, Tudelæ*, 22 *nov.* 1727, *dub.* 3. Deinde ead. S. C. rem ad Card. Bellugam remisit, ut partes ad concordiam inducat, et renuentibus eam ex officio faciat: 13 *martii* 1728.

11. Joannes Antonius Franchettus ecclesiæ parochialis S. Bartholomæi Urbini præpositus, qui prævia facultate a S. C. tributa duo prædiola ecclesiæ prædictæ spectantia pretio scut. 83, vendidit, quæ prædia inde S. C. alio anteriori emptori pretio scut. 75, adjudicavit, ad expensas, damna, et interesse proprio, vel dictæ ecclesiæ nomine non tenetur: *Urbinaten.*, 8 *maii* 1734, *dub.* 2, confirmata 24 *julii ejusd. anni.*

12. Pomponii Jordani hæredes propugnabant patres Minores S. Francisci urbis Maratheæ ad resarcienda damna, sumptusque sibi illatos ob plures recursus, quos ipsi occasione litis super legato pio ab eodem Pomponio relicto ad judices laicos habuerunt, teneri. Sed S. C. rem commisit Card. Præfecto juxta mentem: *Cassanen.*, 28 *april.* 1736, *dub.* 9, confirmata 1 *sept. ejusd. anni.*

13. Postquam S. C. definierat, bona capituli cathedralis ecclesiæ esse communi nomine administranda, ut in communi massa redigerentur fructus omnes, qui ante erant separatim, et unicuique ex capitularibus quadraginta assignati, dubitatum inde fuit, an et ad quæ damna tenerentur, qui deteriora bona fecerunt? S. C. detulit omne arbitrium Ordinario, qui procederet prout de jure: *Bisinianen.*, 2 *junii* 1742, *dub.* 4.

14. Episcopum Policastrensem ad reparationem damnorum, quæ sacerdotes cleri S. Jacobi oppidi Laureæ inferioris passi sunt, qui a dicto Episcopo a Missarum celebratione ex causa prætensæ suppositæ ignorantiæ sacr. rituum nulliter suspensi fuerant, teneri decernitur; et eorum liquidatio ad dominum secretarium remissa est: *Policastren., Procurat.*, 28 *sept.* 1743, *dub.* 5.

15. Oppidum Forigii visitare volens Episcopus quindecim ex illo clero nominatos ad civitatem causa personalis visitationis accivit, et pœnam relu-

[1] Mandavit nempe S. C., ut possit Episcopus præfatos sacerdotes uti singulos ad examen vocare super scientia, id tamen agere per enunciatum edictum sibi non licuerit, imo eadem potestate discrete, et prudenter uti debeat, ita ut non de omnibus indiscriminatim, sed de iis tantum sacerdotibus, de quorum inscitia, sive probabile adsit dubium, sive diffamatio experimentum facere valeat, *Regist. lit.*, lib. 30, die 29 maii 1745.

ctantibus suspensionis a Missarum celebratione indixit. Reclamarunt sacerdotes, et inter cetera ut Episcopus damnorum jacturam, propter hanc censuram sibi illatam sarciret, postularunt, sed responsum tulerunt, ut prævia absolutione a censuris ad cautelam scribatur Episcopo juxta instructionem [1]: *Islana, Nullit. edicti, et suspens.*, 29 *maii* 1745, *dub.* 3.

16. Sacerdos Victorinus Villari testimonialibus ab Episcopo habitis silentio prætermissa lite archipresbyteratum ecclesiæ montis Milonis obtinuit, et ab Episcopo in possessionem, spreta sacerdotis Bellezza, qui jam ab Apostolica Sede collationem impetraverat, et inde ab examinatoribus rejectus fuerat, contestata denunciatione, missus est. Adjudicata parochia dicto Bellezza a S. C. requisita inde fuit super expensis, et damnis: hæc respondit ab Episcopo esse compensanda: *Minerbien., Archipresbyteratus*, 10 *decembris* 1746. Deinde adjudicatione parochiæ confirmata quoad damna, et expensas, ut iterum proponeretur causa audito Episcopo, dixit *die* 14 *januar.* 1747.

17. Quum fuisset quæsitum, an abbas, sive monasterium S. Mariæ Castionis teneretur solvere Petro Parentio pretium instaurationum in prædiis sterilibus, fluvialique arena intectis hucusque factarum, et respective reficere omnes expensas damna, et interesse quatenus nullus contractus monasterii culpa ob non impetratum apostolicum beneplacitum reputatur, nec sanationi locus esse possit; responsum prodiit ad mentem [2]: *Burgi S. Domnini, Emphyteusis*, 14 *jan.* 1747, *dub.* 3. Iterum producta causa dixit, ut novus eligeretur peritus, coadjuvatis probationibus super valore prædii de tempore contractus: 30 *martii* 1748.

18. Ad damna resarcienda non teneri Franciscum Nuccium, vel Robertum Sassatelli ejus donatarium ob distractionem annui census in sorte scut. 600, et annui reditus scut. 44. obol. 50, spectantis ad beneficium, sive capellaniam in ecclesia oppidi Verniculis cum subrogatione prædiorum valoris scut. 100, peractam cum Ordinarii consensu, et a S. C. reprobatam, declaratum fuit: *Ariminen., Benef., seu capell. super reintegrat.*, 18 *novem.* 1747, *dub.* 3.

19. Quum Episcopus Nebbiensis gravissima suspensionis pœna affecisset, aliaque pecuniaria mulctasset archidiaconum Antonium Gentili ecclesiæ cathedralis, qui propria jura tuebatur, quique febri, et adversa valetudine detentus, præcepto imposito

[2] Quæ fuit, quod eligatur peritus juxta instructionem.

statim ad residentiam redeundi obtemperare non potuit. S. C. quoad damna, et interesse illi debita ab Episcopo, rem secretario commendavit : *Nebbien.*, 17 *novem.* 1753, *dub.* 4.

20. Joseph Santolini provisus de ecclesia castri Cerreti preces obtulit S. C., ut Joseph Bonacci suus antecessor, qui ad aliam ecclesiam translatus fuerat, ad pecunias ultra modum acceptas ad instaurandam domum parochialem nimis angustam, et pene dirutam, restituendas damnaretur; eo quod majorem, quam necesse erat, pecuniarum quantitatem profuderit, ac bona ecclesiæ debitis frugiferis gravaverit, quin eam perfecerit; S. C. rescripsit non teneri : *Firmana*, 12 *martii* 1763, *dub.* 2.

21. Damna parocho Arcis Porenæ illata, eo quod communitas, et homines ejusdem loci colere noluerint bona ad ecclesiam parochialem, ejusque rectorem spectantia, ab eadem communitate, et hominibus minime reponi debent : *Spoletana, Congruæ*, 28 *novem.* 1765, *dub.* 3.

22. Rescissis a S. C. sponsalibus inter Ludovicum Alaleonam, et Joannem Baptistam Corvi initis ob detectam notabilem viri paupertatem, quæsitum fuit, an sint damna, et expensæ restituendæ? expensas tantum intuitu matrimonii factas juxta liquidationem faciendam a Card. præfecto, reparandas esse judicavit : *Maceraten., seu Asculana, Spons.*, 28 *aug.* 1773, *dub.* 4.

23. Sacerdos Læti parochus ecclesiæ S. Annæ castri Frontalis expulsus ob inhonestam prætensam vitam a parochia, postulavit redintegrationem, et damnorum compensationem. At S. C. concessa redintegratione parochiæ, quoad compensationem damnorum, censuit esse restituendos omnes fructus parochiæ œconomatus tempore elapsos, dempta congrua pro œconomo, aliisque necessariis expensis; in reliquis dedit negativam responsionem : *Sancti Severini*, 4 *april.* 1778, *dub.* 2.

24. Quum S. C. irritam fecisset unionem confectam ab Archiepiscopo Firmano ecclesiæ S. Augustini ab Innocentio X, Pont. Max., suppressæ una cum conventu, et omnibus illius fructibus, et oneribus, remotis capellanis, ad ecclesiam parochialem S. Angeli, quam unionem parochus postulavit Modo eadem S. C. instante communitate, quæ contra unionem protestata est, mandavit, ut Archiepiscopus uteretur jure suo contra parochum pro resarciendis damnis, quæ in ecclesia facta fuere : *Firmana, Unionis*, 16 *martii* 1782, confirmata 23 *nov. ejusd. anni.*

25. Damnum, et jacturam, in quam alter ex sodalibus confraternitatis sub titulo Sanctissimi Sacramenti canonice erectæ in oppido Bondeni incidit propter suam in carcerem inclusionem, reparandam non esse S. C. putavit. Archiepiscopus enim ille ex societate rite expulerat : *Ferrarien., Confraternit.*, 14 *sept.* 1782, *dub.* 8.

26. Vincentius Cataldius plurium gaudebat beneficiorum patronatu. Horum vacarunt quatuor, quorum pluries nominationis prorogationem impetravit, obtinuitque a S. C., ut interim summas redituum beneficii perceptas in sac. Monte Pietatis deponeret. Vincentius cunctos fructus retraxit, sed nil servandum tradidit. Elapso dein prorogationis tempore Aloysius Ciucci a Sede Apostolica impetravit beneficium S. Marci, collabentemque ruralem reperiit domum; et putat Cataldum, qui fructus percepit, ad hujusce domum reparandam teneri, quod etiam S. C. sua sententia existimavit : *Asculana*, 6 *maii* 1786, *dub.* 2.

27. Procurator fiscalis curiæ abbatialis S. Mariæ in Sitria vulgo *della Barbara*, poposcit damni, quod ob contradictionem marchionis Aloysii Herculani novi emphyteutæ bonorum mensæ abbatialis, quibus instrumenti stipulatione retardata oblata fuit sexta, pertulit, et judicialium, ac extrajudicialium expensarum litis juxta elicitam contestatam denunciationem, compensationem; sed frustra poposcit : *Senogallien., Emphyt.*, 15 *sept.* 1792, *dub.* 3.

Reliqua : Vide *Parochus*, § IX.

DATARIA APOSTOLICA [3].

1. Quum decrevisset S. C. haud esse necessarias denunciationes omissas in matrimonio inter Joan. Petrum Ferrarium, et Annam Mariam Piam majori contracto in loco originis; dubium inde pro-

[3] Dataria apostolica est tribunal gratiæ, quæ a voce barbara *datare*, vocatur, quod idem est, ac datam, seu datum temporis litteris publicis, sive privatis, legibus, diplomatibus, instrumentis adjungere, prout antiquitus, et nostris temporibus more esse receptum legimus : et quia præses hujus collegii manu propria *datum*, seu tempus, quo gratia conceditur, addere solet, eidem nomen *Datariæ* impositum fuit. De origine hujus tribunalis non ita constat; verosimilior est opinio, ut illud derivet ab illo tempore, quo Pontifices innumera beneficia reservabant, vel per gratias expectativas conferebant, cum enim Pontifices similia non in Consistorio, sed in sua aula, et

positum est, num clandestinum esset matrimonium? ut audiretur Dataria fuit responsum : *Vercellen.*, 6 *maii* 1719, *dub.* 2.

2. Inito consilio de dubio, an jus conferendi parochialem seu præposituram S. Joannis de monte Georgio, cujus ultima provisio facta fuit a Sede Apostolica, spectaret ad Card. abbatem commendatarium Farfensem? responsum fuit : *Dilata*, et jussum, ut coadjuvarentur probationes, et proponeretur causa citatis ministris Datariæ, et Archiepiscopo : *Farfen., seu Firmana, Parochialis*, 26 *aug.* 1719, *dub.* 1.

3. Ad ecclesiæ collegiatæ S. Mariæ ad Gradus civitatis Coloniæ reditus imminutos augendos, cultumque divinum restituendum, supprimi dignitatem præposituræ, ejusque bona capitulo applicari excogitatum fuit ; ideo re in S. C. delata, rescripsit hæc ad secretarium cum ministris Datariæ : *Colonien.*, 26 *januar.* 1726.

4. Quum Episcopus in antiqua religiosa domo utriusque sexus prope Leodium sita ob prioris negligentiam deputasset presbyterum secularem vicarii nomine ; inde vicariam extinxisset, ac priori curam dedisset ; Jacobus Simo de Masson ex vacatione in mense reservato, et ex devolutionis jure a Dataria vicariam præfatam impetravit. Sed nulla accepta definitione S. C. voluit ministros Datariæ audiri : *Leodien., Confirmat. statut.*, 19 *aug.* 1730.

5. Occasione erectionis collegiatæ in ecclesia S. Laurentii terræ Sarteani, et reservationis primæ dignitatis ad Sedem Apostolicam clamarunt descendentes ex filiabus hæredum Antonii Gabrielli, qui bona erectione collegiatæ, et dote assignaverat, ob juspatronatus ipsis in testamento relictum, quod sub reservationibus Cancellariæ regularum haud comprehendi posse asserunt ; idcirco S. C. antequam quæstio definiatur, audiendos Datariæ officiales, censuit : *Clusina, Erectionis collegiatæ*, 24 *aug.* 1734.

6. Incolæ villæ S. Mariæ Camerani 300 a parochiali ecclesia S. Andreæ de Podio per flumen Rubiconem dividuntur. Alio hinc a villa ad parochiam, a parochiali ad villam non patet accessus, quam quinto per dissitum pontem emenso lapide ; hac de re supplicatur pro novæ parochiæ erectione in ecclesia prædictæ villæ B. M. Virgini dicata. Sed rector beneficii ibi existentis renuit ob timorem illud amittendi. Et S. C. consulta, audiendos esse Datariæ ministros censuit : *Ariminen.*, *Erectionis parochiæ*, 8 *aug.* 1789, *dub.* 1.

conclavi per supplices libellos, vel supplicationes manu propria signatas expedire consueverint : haud infrequenter ob occurrentiam negotiorum multiplicitatem contigit, ut Pontifex sui immemor idem beneficium pluribus concederet : ut observat Card. de Luca in *Relat. Curiæ Rom.*, disc. IX, num. 14. Ut ergo hisce incommodis contraveniret, placuit fiduciarium assumere ministrum, qui vices ageret secretarii, quatenus constaret, quænam in ordine ad consequendum effectum sint gratiæ anteriores, vel posteriores, et hæc est ratio, cum hic officialis nomen datarii reportaverit.

Tribunal istud, si ex suo objecto, seu negotiis, quorum expeditio ad aliud pertinet, emetiamur, est amplissimum. Nam huc pertinent collationes beneficiorum reservatorum, vel affectorum tam in vim regularum Cancellariæ, quam aliarum apostolicarum Constitutionum, si illorum reditus non excedant 80 ducatos : reservationes pensionum super iisdem beneficiis ; dispensationes matrimoniales, super irregularitatibus, natalibus, ætate ; beneplacita apostolica super alienatione bonorum ecclesiasticorum : ecclesiarum uniones, coadjutoriæ, erectiones in ecclesiam cathedralem, vel collegiatam ; suppressiones, dismembrationes, erectiones novorum canonicatuum, beneficiorum, dispensationes in votis, et juramentis, confirmationes sententiarum, dilationes termini legalis, exempl. gr. in electionibus, et collationibus beneficiorum : paucis omnia illa negotia, in quibus Pontifex gratiam concedere vult, in hoc tribunali gratiæ sunt expediendæ.

Collegium istud tres personæ principales constituunt, ***datarius***, seu prodatarius si sit Cardinalis, ***subdatarius***, et ***prælatus vacantiæ per obitum***. Hisce assistunt plures officiales subalterni : ***administrator componendarum, præfectus officii Datarum, duo revisores omnium supplicationum beneficialium, revisor omnium supplicationum matrimonialium, subdatarius Datarum, officialis de Missis, substitutus præfecti officii Datarum, et notarius.*** Vide *Elem. jur. canon.* Eusebii Amont in Append., ubi munia clare explicantur : necnon Van-Espen in *Jur. Eccl. univ* lib. 1, tit. XXIII, num. 6 seqq.

Nimis longum foret, si stylum hujus Curiæ accurate describere vellemus ; videndi sunt ergo auctores, qui hac de re ex professo scribunt ; videri potest Castellus ***Usages et pratique de la Cour de Rome***, pag. 27, et alias. Id unum addendum esse existimavi, quod non omnia supradicta negotia in examine hujus Congregationis expediuntur, sed aliquoties juxta gravitatem, et naturam negotiorum ad S. C. Concilii, vel Episcoporum pro voto remittuntur, vide Corradum, Rebuffum aliosque.

Benedictus XIV, Pont. Max., Const. *Gravissimum*, 26 novem. 1745 (*Bull. ejusd. Pont.* tom. I, pag. 264), divisionem materiarum decernit, et gratiarum apostolicarum, quæ per Datariam apostolicam, quoque per secretariam brevium secretorum sunt expediendæ. Clemens X, Const. *Admonet nos*, 11 jan. 1671 (*Bull. Rom.* tom. VII, pag. 79), antea erexerat archivum Datariæ. Et Urbanus VII, Const. *In supremo*, 1 junii 1635 (*Bull. Rom.*, tom. VI, part. 2, pag. 27), jam statuerat, quod assertiones scriptorum non faciant fidem, nisi proferantur originalia.

DECANATUS, DIGNITAS ECCLESIASTICA QUOAD ELECTIONEM.

1. S. C. respondit Episcopo, ac censuit, quoad differentias, ac dissidia occasione vacationis præbendæ, cui adhærebat decanatus, facta, dandas esse nuntio Venetiarum litteras S. C. nomine, ut huic negotio assistat, et Episcopo præsto esse non prætermittat : *Bellunen.*, 27 *april.* 1630, *dub.* 1.

2. Episcopus non potuit unire beneficia dignitati decanatus cum impositione oneris legendi sacram Scripturam, vel concionandi : *Liparen.*, 10 *maii* 1631, *dub.* 1.

3. Vacante mense non reservato in ecclesia cathedrali dignitate decanatus Urbanus canonicus pœnitentiarius ceteris antiquior, vetustate ratione putata a tempore primi canonicatus obtenti et fretus constitutione capitulari jus passivæ electionis præfatæ dignitatis prætendit ; e contra Carolus Sempronius simplex canonicus sese opposuit, et seniorem esse canonicum credit, eo sub fundamento, quod canonicus pœnitentiarius, ratione qualitatis pœnitentiariæ annexæ ejus canonicatui neutiquam sit eligibilis. Capitulum prædictæ ecclesiæ, cui activa electio competit, utriusque concurrentium gravamen vitare cupiens, dubium S. C. proposuit, quæ tamen esse canonicum pœnitentiarium Urbanum eligendum definivit : *Urbinaten.*, *Electionis*, 11 *sept.* 1706.

4. In collegiatam S. Thomæ Apostoli regia capella erecta dignitatem decanatus Joseph Manuel ex comitibus de Atalaia obtinuit. Diploma apostolicum erectionis præcipit, ut infra annum promoti ascendere ad doctoratum sacræ Theologiæ in aliqua publica universitate debeant ; idem Joseph dumtaxat baccalaurei in universitate Colimbriensi insignitus est ; dubio hinc orto, an doctoratus hic suffragari illi possit ? S. C. non suffragari respondit, sed consulendum Sanctissimum pro gratia relaxationis decreti : *Ulissiponen.*, *Gradus*, 30 *martii* 1715.

5. Controversia movetur, an decanatus ecclesiæ majoris Montis Alti, quæ est prima, et principalis dignitas in collegiata, reservata sit collationi, et dispositioni apostolicæ, ceteræ autem tres dignitates conferendæ sint prævio examine, et absque concursu ? nulla definitio prodiit, sed dictum est ad secretarium ad mentem : *Consentina, Declarat.*, 17 *januar.* 1761, *dub.* 3.

6. In constitutionibus capitularibus ecclesiæ cathedralis habetur, quod posita decanatus vacatione antiquior canonicus eligendus a capitulo sit. Hac vacatione sequuta contentio fuit inter canonicum Franciscum Mariam Rosa, et canonicum Joannem Carolum Valbonetti circa prælationem ; et quamvis canonicus Valbonetti *antiquioritatem* in dictis constitutionibus præscriptam intelligendum esse de canonico de massa, non autem de præbenda contendat, tamen S. C. in favorem canonici Rosa faciendam electionem esse firmavit : *Urbinaten.*, *Decanatus*, 21 *novem.* 1778, confirmata 6 *martii* 1779.

DECANUS.

1. Anno 1634 transactum fuit inter decanum ecclesiæ cathedralis, et ejusdem capitulum, quod decanus pro tempore nequiret participare de mortuariis, emolumentis, legatis, donationibus, et aliis acquisitis, vel in posterum acquirendis a capitulo ; et quod frui non posset loco, et voce in capitulo, et ita observatum fuit usque ad annum 1688, quo reclamante hodierno decano S. C. interrogata fuit super transactionis validitate, et validam non fuisse et obligatoriam successorum in dignitate decanatus S. C. judicavit : *Vigilien.*, *Decanatus*, 31 *januar.* 1688, confirmata 10 *april.*, 20 *junii ejusd. anni*, et 14 *maii* 1689.

2. Ac decano pro tempore, dummodo in sacris sit constituto, competere jus vocis activæ, et passivæ in capitulo decernit : *Ibid.*, *dubio* 2, confirmata *ibid.*

3. Et ad dubium, an eidem decano competat partitio in obventionibus, legatis, eleemosynis, mortuariis, et dotibus anniversariorum, quæ obvenerunt capitulo post erectam decanatus dignitatem, et in posterum obvenient ? rescripsit ut Episcopus auditis partibus informet, et præcipue an ceteræ dignitates ejusdem ecclesiæ participent de obventionibus, et aliis emolumentis capituli, de quibus in dubio : *Ibid.*, *dub.* 3.

4. Atque eo quod decani antecessores clerici non exercuerunt ea, in quibus ceteræ dignitates jure præcedentiæ versantur, ut sunt illæ functiones, quæ dignitatibus, uti dignitatibus, incumbunt, impediri nequit hodiernus decanus, si et posteaquam in sacerdotali ordine fuerit constitutus, ne talia exerceat: *Ibid.*, *dub.* 4.

5. Ac dubio, an stante declaratione facta ab exequutore erectionis per hæc verba: *Quod si capitulum voluerit participare de distributionibus clerici decani*; *decanus e contra participet de distributionibus aliorum canonicorum*; hodiernus decanus, ejusque successores ecclesiæ servitio ceteroquin intervenientes participes esse debeant distributionum canonicorum non intervenientium? dedit responsum S. C., ut Episcopus itidem informet, an, et quomodo capitulum hac in re voluntatem suam declaraverit? *Ibid.*, *dub.* 5.

6. Quum duos collegiatæ ecclesiæ S. Georgii urbis Coloniæ canonicos indicta pœna correxisset decanus, reclamarunt canonici facultatem hanc, jusque privative mulctandi, et corrigendi suos canonicos decano competere denegantes. Morem antiquissimum in nonnullis ecclesiæ statutis, quod decano extrajudicialiter delicta corrigere, levesque infligere pœnas competere, decanus ipse probare nitebatur. Proposita hinc definienda controversia, S. C. voluit, ut coadjuverentur probationes, juxta secretarii instructionem: *Colonien. Juris mulctandi*, 11 *januar.* 1738, *dub.* 1.

7. Decano dignitati ecclesiæ cathedralis instar aliarum dignitatum communicatio in obventionibus, legatis, emolumentis, mortuariis, et dotibus anniversariorum, quæ acquisivit capitulum post erectionem dictæ dignitatis, et in posterum acquirent, competit; quanquam contraria sit concordia anno 1634, a decano cum capitulo inita: *Vigilien., Decanatus*, 23 *julii* 1729, *dub.* 1, confirmata 19 *aug.* 1739.

8. Et pro eodem decano reductioni oneris præsentiæ quotidianæ in choro, et Missæ quotidianæ ex instrumento fundationis injunctæ locus est, sed arbitrio Episcopi, quando constet coram eodem de diminutione redituum: *Ibid.*, *dub.* 2.

9. Decanus prædictus una cum canonicis per vices ad Missas conventuales, a quibus ceteræ dignitates eximuntur, non tenetur: *Ibid.*, *dub.* 3.

10. Post hasce declarationes Antonius Schinosius decanus tribunal AC. adiit pro earum exequutione, sed tribunal hoc lata sententia de obventionibus, atque emolumentis a capitulo lite pendente perceptis, noluit cognoscere; ad S. C. rediit quæstio, et decano a die captæ possessionis obventionum, legatorum, aliorumque, quæ dictæ declarationes comprehendunt, partitionem deberi constituit S. Congr.: *Ead.*, 29 *august.* 1744, *dub.* 1.

11. Necnon juxta præcitatas declarationes eidem decano tam Missarum adventitiarum, quam anniversariorum certam fundi assignationem non habentium, et quæ annuatim per hæredes solvuntur, partionem deberi statuitur: *Ibid.*, *dub.* 2.

12. Ac eumdem decanum participare debuisse, et debere de punctaturis de censibus extra portionem, de reditibus canonicatuum vacantium usque dum provideatur, et etiam de aliis emolumentis, quæ labente anno per procuratorem capituli, sive in cera, sive in pecunia capitularibus distribui solent: *Ibid.*, *dub.* 3.

13. Convenit disceptare, an ad decanum, dignitatem ecclesiæ collegiatæ ac parochialis S. Laurentii oppidi Drepani spectet jus dirigendi una cum capitulo, ac dignitate cantoratus, ac gubernandi functiones ecclesiasticas, exceptis parochialibus in ecclesia collegiata peragendas, seu ad eosdem cantorem et decanum privative?

14. An ad eumdem decanum una cum cantore spectet jus administrandi omnia, et quæcumque bona tam dotalia parochialis, quam cetera quovis titulo, et nomine ad ecclesiam spectantia, et respective exercendi jura spiritualia, nimirum concedendi facultatem regularibus, sive sodalitiis supplicationes habendi intra limites parochiæ et similia; seu ad integrum capitulum?

15. An jus distribuendi omnes fructus suis respective præbendatis octo canonicatuum, quos Petrus Messina fundavit, ad decanum una cum cantore seu ad integrum capitulum?

16. An similiter ad easdem dignitates spectet jus distribuendi decem presbyteris, et quatuor clericis emolumenta ipsis debita super eisdem bonis Petri Messina, seu ad idem capitulum?

17. An privative facienda sit solutio a dignitatibus præfatis distributionum in favore presbyterorum, ac clericorum choristarum ex arca horarum canonicarum; seu liceat capitulo hisce solutionibus præsidere?

18. An citati decem presbyteri, et quatuor clerici choristæ præfatis dignitatibus tantum subjicere, seu integro capitulo?

19. An cura habitualis spectet, et resideat penes illas dignitates, seu penes capitulum? et quatenus negative ad primam partem.

20. An in casu remotionis, suspensionis, aut alterius impedimenti liceat dignitatibus, seu capitulo substitutos pro exercenda actuali cura animarum eligere?

21. An dignitates subire onera suis respective præbendis injuncta teneantur? et quatenus affirmative.

22. An dignitates ratione præbendarum paro-

chialium ad eadem onera prout ante erectionem erant adstrictæ, post erectionem teneantur?

23. An ad decanum, et cantorem privative, vel ad integrum capitulum spectet jus condendi statuta, deputandi, amovendique omnes officiales, et ministros, necnon assignandi, et præstandi stipendia? Hæc dubia S. C. commendavit arbitrio Card. præfecti cum facultatibus S. C. etiam concordandi: *Mazarien., Jur. capitul.*, 12 *aug.* 1741, *dub.* 1, 2, 6, 8, 12, 13, 14, 15, 19, 20 et 21. At quum dub. 14 et 15 aperta haud fuissent, S. C. enodavit rescribens ad dub. 14, negative ad primam partem, affirmative ad secundam, et ad dub. 15, electionem spectare ad capitulum : 12 *januar.* 1743, *dub.* 1 et 2.

24. In dubium venit, an decanus capituli ruralis Villingani teneretur quolibet anno sacrum Chrisma, et Oleum sanctum tradere tam capellano commendæ Villingensis ordinis Hierosolymitani intra circuitum muris septum sitæ, quam capellano, seu vicario curato alterius ecclesiæ parochialis in Gruningensi eidem adnexæ, absque ulla solutione prætensarum taxarum, seu consolationum? responsum fuit, affirmativum quoad Oleum sanctum tantum tradendum capellano commendæ, et quoad Oleum et Chrisma tradendo vicario curato Gruningensi ; quo vero ad prætensas consolationes, utantur jure suo coram Ordinario : *Constantien., Jur. paroch., et exemptionis*, 18 *decem.* 1762, *dub.* 4.

DECANUS CANONICUS. Vide *Canonicus*, § II.

DECIMÆ.

1. Declaravit S. C. bona, et prædia, de quibus agitur, decimarum solutioni obnoxia ad regularium monasterium transire cum suo onere, ac proinde regulares teneri illas solvere parochialium ecclesiarum rectoribus, quemadmodum tenebantur laici priusquam bona ipsa in monasterii proprietatem transtulerint : *Ariminen.*, 22 *aug.* 1637.

2. Censuit S. C. bona et prædia decimarum solutioni obnoxia ad regularium monasteria transire cum onere suo, ac propterea regulares teneri illas solvere, quemadmodum tenebantur laici, priusquam bona ipsa in monasterii utilitatem transtulerint, dictisque regularibus non suffragari, sed speciale privilegium requiri posterius sac. Concilio Trid., et cum individua derogatione cap.[4] *Nuper, de Decimis : Civitatis ducalis*, 19 *martii* 1639.

3. Dubio, an oblati teneantur solvere decimas ecclesiæ matrici? affirmativum datum est responsum : *Cassanen., Jur. paroch.*, 9 *julii* 1672, *dub.* 6.

4. Putavit S. C. eos, qui decimas subtrahunt, et in rem suam vertunt, aut impediunt, quominus ecclesiis, vel personis, quibus legitime debentur, integre persolvantur, non esse ipso jure excommunicatos, sed excommunicandos, quemadmodum statuitur Concilii decreto cap. 12 [5], sess. 25, *de Reform.*, eorumque absolutionem non esse Sedi Apostolicæ reservatam, sed plena restitutione sequuta, spectare ad Ordinarium, qui excommunicationis sententiam tulerit; ac proinde synodalem constitutionem hac in parte nequaquam esse observandam. Decretum vero cap. 2, sess. 22,

[4] Cujus duæ sunt partes. Primo ponitur statutum Cisterciense ; secundo confirmatio , et provisio Papæ. Nam Innocentius III, in Concil. Lateranensi IV, cit. cap. sancivit, ut cuncti regulares decimas solverent ex prædiis deinceps acquisitis, ex quibus antea decimæ solvebantur, quanquam ea ipsorum regularium labore, et sumptibus fructuosa sint. Hodie igitur regulares omnes soluti sunt lege tribuendarum decimarum tum personalium, tum realium, quæ dari deberent ex fructibus hortorum suorum, nutrimentis animalium, atque ex novalibus, quæ fiunt ex terra prorsus inculta, quam ipso proprio labore, sumptuque colunt ; non item ex fundis decumanis, qui ad eos cum tali onere delati sunt, nisi etiam pro his peculiare privilegium obtinuerint, uti declaravit S. C. Concilii, et etiam Alexander IV, in cap. 2, § *Ceterum de decim.* in-6o. Innoc. X, Const. *Nuper pro parte* 53. *Bull.* tom. 6, part. 3, pag. 79. Vide Gaudentium a Janua *de Visit. cujuscumq. Prælat.*, tom. 1, cap. 5, dub. 13, sect. 6.

[5] In qua habetur : « Qui vero eas (decimas nempe) aut subtrahunt, aut impediunt, excommunicentur, nec ab hoc crimine, nisi plena restitutione sequuta, absolvantur. » Solutio decimarum omnes generatim obstringit, quia etiam excommunicationis pœna constituta est adversus eos, qui decimas subtrahunt, aut impediunt ex prædicto cap. Multi autem eo onere soluti sunt vel privilegio Summi Pontificis, vel præscriptione annorum 40 cum titulo : sine titulo vero præscriptione temporis, quod ultra hominum memoriam est : vel pactis conventis, et voluntaria remissione, quæ cum perpetua est, Summi Pontificis auctoritatem postulat. Clerici decimas pendunt ex bonis, quæ hæreditate, legato, donatione, aut simili contractu acquisiverunt, non item ex bonis, quæ habent titulo spirituali, puta beneficii ; regulares autem ex prædiis, quæ pridem suberant oneri decimarum, antequam ad eos pervenirent ; quanquam ea ipsorum regularium labore , et sumptibus fructuosa sint ex cap. 34 *de Decim.*

ad hunc casum non pertinere censuit[6] : *Ariminen.*, 8 *junii* 1679.

5. Tres parochiæ tribus diversis pagis territorii oppidi Podii Mirteti ob locorum ruinam in unam redactæ fuerunt, et curam animarum exercet archipresbyter ecclesiæ B. M. de Assumpta dicti oppidi, qui intendit decimas exigere omnes sacramentales ; sed oppositores invenit, et dubiis propositis, an competat assertis canonicis dictæ ecclesiæ continuatio perceptionis decimarum territorii dicti Podii non obstante juris assistentia in favorem Archiepiscopi? affirmativum datum est responsum pro manutentione assertorum canonicorum in quasi possessione percipiendi decimas : *Farfen., Decimar.,et deputat. capell.*, 1 *sept.* 1691, *dub.* 1.

6. Et earumdem decimarum perceptio licita est quoad decimas novalium dicti territorii ad limites possessionis eorumdem : *Ibid., dub.* 2.

7. Mannus Baldinus, et alii de terra Bassani prætendunt minime teneri, et cogi posse ad frumenti præstationem in favorem parochi S. Josephi, quia licet colant bona intra limites dictæ parochiæ existentia, et quidem cum uno boum jugo, attamen in ea non habitant, nec sacramenta suscipiunt, et S. C. teneri illos, ac cogendos esse respondit : *Hartana, Decimarum*, 25 *sept.* 1694.

8. Decimæ debentur parocho S. Mariæ Capitis a conservatorio Sanctissimæ Conceptionis sub instituto S. Claræ Casalis Pentæ terræ S. Severini, quum a parochi juribus exemptum haud declaratum fuisset, *Salernitana Jur. paroch* , 19 *aug.* 1702, *dub.* 8.

9. Collegium Germanicum, et Hungaricum urbis, ac patres regulares ordinis S. Augustini decimas archipresbytero, et capitulo collegiatæ ecclesiæ Corinalti, quæ ab antiquo a laicis solvebantur, priusquam bona in ipsius collegii, ac dictorum patrum regularium proprietatem fuissent translata, pendere tenentur : *Senogallien., Decimar.*, 30 *aug.* 1704, *dub.* 1.

10. Necnon tenentur etiam pro præteritis et juxta consuetudinem loci : *Ibid., dub.* 2. [7].

11. Communitas loci Bastiæ cum parocho ecclesiæ Sancti-Angeli ejusdem loci super decimarum solutione concordiam iniit ; et nonnullis a Catastro dismembratis, et aggregatis communitati Assisii bonis dubium propositum fuit, an decimæ debeantur parocho a conventu S. Francisci ejusdem civitatis pro bonis ab eisdem PP. possessis intra parochiæ limites, et territorio Assisiensi, sive alio extra territorium Bastiæ? S. C. respondit : *Dilata, et coadjuventur probationes* : *Assisien., Decim.*, 5 *julii* 1710.

12. Episcopus in sacr. visitatione fructuum parochialis ecclesiæ S. Petri Romeggii tenuitatem agnoscens, nullasque per colonos illius parochiæ solvere decumas animadvertens, parochiæ incolas præstationi decimarum subjici instar aliarum parochiarum sancivit. Huic decreto possidentes illius parochiæ refragantur ; et S. C. dicti decreti validitatem tuetur : *Perusina, Decimarum*, 16 *maii* 1715, *dub.* 1.

13. Ac decimas a die denunciationis Episcopi deberi voluit : *Ibid., dub.* 2.

14. Archiepiscopus Turritanus disceptationem in sua curia agitatam inter Episcopum Ampuriensem, et PP. Minores conventuales castri Aragonensis super solutione decimarum ad Sanctam Sedem remisit. Hinc Episcopus contendit patres exemptionem non habere ex privilegio S. Pii V, Pont. Max., quod ad terminos juris, et Conc. Trid. redactum fuit ; et etiamsi hoc haberent, frui non possent, quum quatuor in monasterio commorantur regulares, qui nec chorum, nec regularem disciplinam servant. S. C. decumanæ functioni obstringi, ita ut manutentio danda sit in quasi possessione decimas ex grege ovium tantum percipiendi, et in reliquis utantur jure suo, declaravit : *Ampurien., Decimarum*, 21 *aug.* 1717.

15. Decumana pars tantum frumenti in diœcesi Pisaurensi præstatur. Medietas parocho, in cujus parœcia domicilium habetur, et altera parocho, intra cujus limites bona sita sunt, solvitur. Quumque regulares, et pia loca medietatem hujusmodi decimarum prædialem esse, alter sacramentalem contenderent, S. C. 9 sept. 1679, regulares, et loca pia pro medietate teneri existimavit ; et id causa iterum ad examen producta confirmavit in *Pisauren., Decimarum*, 15 *januar.* 1718.

16. Rectori ecclesiæ collegiatæ, et parochialis S. Matthæi Sarni non debentur tres ex quinque partibus decimarum prædialium, sicuti ab antiquissimo tempore rectores habebant ; sed eidem medietas earumdem, veluti postmodum consuetudo obtinuit, debetur : *Sarnen., Jur. paroch.*, 15 *ja-*

[6] *De Reform.*, in quo infligitur excommunicatio Papæ reservata in occupantes bona cujuscumque ecclesiæ, aut loci pii. Hoc decretum ampliatum est a *Bulla Cœnæ*, can. 17, extendente hanc pœnam etiam in usurpantes jurisdictiones, fructus, reditus, vel proventus ad Papam, Sedem Apostolicam, et quascumque ecclesiasticas personas ratione ecclesiarum, monasteriorum, et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum pertinentes.

[7] « Quidquid enim sit de specialibus privilegiis societatis Jesu, et ejus collegiis, visum fuit non applicari collegio Germanico pro alumnis dictæ nationis instituto, et non pro patribus dictæ societatis, licet sub eorum cura gubernetur. » Card. Petra *Comment. ad Const. VI. Honorii III*, num. 95, pag. 260, tom. 2.

nuar. 1718, *dub.* 1, confirmata 23 *januar.* 1725.

17. Quum quæstio in S. C. facta fuisset, an illi, qui a præposito ecclesiæ parochialis S. Georgii terræ Urbisaliæ sacramenta recipiunt, pro fructibus recollectis in prædiis plebaniæ S. Laurentii ejusdem terræ subjectis, decimas plebano solvere teneantur? responsum prodiit: *Dilata, et examinentur hinc inde formaliter testes*: *Maceraten., Jur, paroch.*, 17 *junii* 1719, *dub.* 12.

18. Conquerente parocho S. Josephi, quod parochiæ incolæ detrectarent, solutionem decimæ annualis tinotiæ unius grani tempore recollectionis a quolibet jugum boum habente, aliarumque de jure debitarum, et quæ sunt consueta juxta diœcesis morem, quod ab Episcopo Gozzadino in parochiæ erectione constitutum fuerat; S. C. 13 *febr.* 1683. et 19 *aug.* 1654, respondit ut renuentes compellerentur. Reluctante inde Bernardino Mercurio dictam decimam præstare, quod in territorio Bassani extra parochiam S. Josephi habitaret, S. C. inspecta consuetudine regionis, ac probationibus, quod decima prædialis esset, 25 *sept.* 1694 [8], putavit, ut habitatores nonnulli de terra Bassani, quamvis extra parochiam S. Josephi habitantes, licet in ea bona haberent, et illa colerent cum uno boum jugo, tenerentur ad frumenti præstationem. Communitas Bassani reclamavit, et rescriptum audivit: Dilata, et extrahantur partitæ parte citata, et examinentur testes formaliter, ac scribatur Episcopo juxta instructionem[9]: *Hortana, Decim.*, 10 *april.* 1723. Tandem decimas deberi bonorum possessoribus licet extra parochiam degentibus, non obstantibus documentis ex adverso allatis, S. C. definivit: 13 *sept.* 1738.

19. Dubio proposito, an decimæ et primitiæ locorum de Baguin, et Pegonegro restituendæ sint per Joannem de Tavora de Noromba, vicarium ecclesiæ parochialis S. Christophori de Riotinto monasterio sanctimonialium de Ave Maria civitatis Portus, quæ eumdem Joannem ad curam dictæ ecclesiæ nominaverant? S. C. rescripsit deberi a die motæ litis, demptis annuis scut. 150 in favorem dicti vicarii: *Portucallen.*, 3 *maii* 1725.

20 Decimas cupparum trium frumenti pendere presbyteris ecclesiæ matricis, et parochialis S. Mariæ collis terræ Peschi Constantii quælibet familia communitatis ejusdem terræ debet ex decreto S. C. in *Nullius, seu Montis Cassini*, 25 *januar.* 1726, *dub.* 7, confimata 11 *sept.* 1728.

21. Et quoad personas tales familias constituentes, an dici possint miserabiles personæ, et quæ hujusmodi dicendæ S. C. arbitrio Episcopi reliquit: *Ibid.*, confirmata *ibid.*

22. Episcopi Pampilonensis, et Barbastrensis, eorumque capitula, necnon clerus secularis Pampilonensis preces exhibuerunt pro privilegiorum collegiis societatis Jesu, ceterisque conventibus, et monasteriis regularium præfatarum diœcesum super exemptione a solutione decimarum concessarum ad tramites juris impetranda reductione; hinc regularium referunt divitias parochiarum, clerique paupertatem, S. C. autem ad dubium, an huic reductioni esset locus? respondit *ad Card. præfectum, et Bullugam pro concordia*: *Pampilonen.*, 5 *junii* 1728. Propositæ concordiæ partibus minime acquiescentibus, revisa causa fuit, et pro reductione juxta modum [10] exiit rescriptum: 21 *aug. ejusd. anni.*

23. Clerus secularis Pampilonensis, et Barbastrensis certabat primitias etiam ab omnibus religiosis familiis in subsidium ecclesiarum parochialium, præstandas esse, qui ad sacras supellectiles, et fabricam illarum reparandam sunt assignatæ; urgebatque, quod privilegia regularibus concessa haud obstare, quum nulla in iis facta esset primitiarum exemptio. Dubio itaque, an primitiæ a dictis regularibus juxta episcopatus consuetudinem debeantur? responsum est datum affirmativum: *Pampilonen., seu Barbastren., Primitiæ*, 5 *maii* 1731. Deinde causa denuo producta S. C. respondit, quoad collegium Pampilonense: Dilata, et in reliquis omnibus in decisis, et Episcopi invigilent quotannis versioni primitiarum in causam, cui sunt destinatæ: 18 *aug. ejusd. anni*; confirmata quoad collegium societatis Jesu: 22 *sept. ejusd. anni.*

24. Monasteria ordinis Cisterciensium in diœcesi Pampilonensi, et Barbastrensi in favorem cleri secularis regni Navarræ instar regularium habentium

[8] Vide num. 7, § præsenti.

[9] Resolutionem distulit S. C. ad dignoscendum, an decimæ sint sacramentales, vel prædiales; testes igitur hinc inde allatos formaliter examinari, partitasque producendas, itidem formaliter, et citata parte extrahi mandet, ac omnem navet operam, ut in claris ponatur observantia proxime fundationi parochiæ, omniaque in universum colligat, quæ colligere poterit, ut veritas facti innotescat: *Regist. lit.*, lib. 26, die 10 april. 1723.

[10] Modus est, ut regulares non habentes in privilegiis expressam derogationem cap. *Nuper*, teneantur solvere integras decimas, exceptis bonis, et rebus præscriptis in cap. *Ex parte, decimo de decimis*; quo vero ad Regulares habentes expressam derogationem dicti cap. *Nuper*, pro omnibus bonis de præsenti possessis teneri ad solutionem unius pro 25, pro bonis vero acquirendis in futurum quocumque titulo, teneri ad integram decimam, salvis tamen compositionibus, et exceptis in omnibus patribus Dominicanis. *Ead. caus.*, 21 *Aug.* 1728.

expressam derogationem cap. [11] *Nuper, de Decimis* astringi præstationi decimarum debent : *Pampilonen., et Barbastren., Decimarum*, 14 *martii* 1733. Rursum producta quæstione monasteria prædicta primitias, et decimas ex bonis concessis in emphyteusim, locationem, et ad coloniam solvere debere judicavit : 5 *julii* 1734.

25. Decimas Episcopo penes ecclesiam cathedralem S. Angeli Lombardorum residenti, a capitulo cathedralis ecclesiæ Bisacciensis, quæ dictæ ecclesiæ S. Angeli ab anno 1513 extat unita, non in quarta parte, ut ipsum capitulum autumat, sed pro medietate deberi S. C. declaravit : *Bisacciarum*, 15 *martii* 1738, *dub.* 8.

26. Habetur consultatio, num monachi Cisterciensis abbatiæ Claræ vallis in Piceno pro bonis, quæ in territorio montis S. Viti acquisierunt ejusdem oppidi collegiatæ, et parochialis ecclesiæ capitulo solvere, et a quo tempore tenerentur ? S. C. rescripsit : *Dilata, et ad mentem : Senogallien., Decimarum*, 19 *april.* 1738, *dub.* 1 et 2.

27. Decimas tam prædiales, quam personales Episcopo, et parocho incolæ, et habitatores S. Agathæ, seu civitatis ad mare, SS. Leuci, et Ramitelli abbatiæ canonicorum Lateranensium insulæ Tremitanæ ad formam transactionis pendere tenentur : *Larinen.*, 19 *decem.* 1739, *dub.* 2.

28. Decimas respondentes animarum villæ de Torcas curæ, ad hoc ut pro congrua parochi manutentione illæ adhibeantur, haud rectori novæ parochiæ in eadem villa erectæ, esse concedendas statuitur : *Segobricen., Dismembrat.*, 30 *januar.* 1740, *dub.* 3. Inde Episcopo pro informatione, et voto super novis precibus, audito capitulo controversia remittitur : 22 *junii* 1748.

29. Decimas prædiales ex bonis Podchaiscke, et Duotrczischa moniales S. Claræ tertii ordinis S. Francisci civitatis Leopolis præposito ecclesiæ parochialis Vitziniani conferre tenentur, nec monialibus illis exemptionem a dictis decimis competere fuit inde firmatum : *Leopolien., Decimarum*, 7 *april.* 1742, confirmata 24 *novem. ejusd. anni.*

30. Antonius del Rio dives pecoris, ne lanæ, et casei decimæ solutioni succumberet, transegit cum capitulo collegiatæ, et parochialis ecclesiæ S. Petri civitatis Soriæ. Conventa pacta probavit arbiter, confirmavitque Sum. Pont., Leo X ; sed deficientibus masculis, una superstes fuit filia nupta Petro Salzedo Gomare comiti, qui in alia parochia S. Nicolai dictæ civitatis ædes habebat ; hinc parochus integram petiit decimarum præstationem, et diuturna lis acta fuit, quæ nisi parochi obitu siluit. Hanc vero instauravit novus rector, et comes petiit ut S. C. sententiam illam ab arbitrio latam, et a Leone X, Sum. Pont., confirmatam ecclesiæ S. Nicolai attribueret, atque ampliaret ; S. C. autem hujusmodi concessionem recusavit : *Oxomen., Indulti* 3 *januar.* 1745, confirmata 3 *april. ejusd. anni.*

31. Bona incolarum oppidi Massæ, quæ per concordiam inter universitatem ejusdem oppidi, et archipresbyterum parochialis ecclesiæ S. Felicis initam, certo decimarum oneri affecta remanserunt, ad alienas manus cum onere suo non transire ; ita ut moderni possessores prædiorum, qui solvunt decimas pro bonis antea possessis, non teneantur pro bonis postea quæsitis ad novam decimarum præstationem pro quantitate solvi solita ab antiquis illorum respectivis possessoribus decrevit S. C. : *Tudertina, Decimarum*, 15 *julii* 1747, *dub.* 1, confirmata 26 *april.* 1749.

32. Clericos prædicti oppidi minime eximendos esse a decimarum præstatione pro bonis eisdem post concordiam in patrimonium sacrum assignatis judicatum est, et quoad bona quocumque titulo quæsita a patribus tertii ordinis, aliisque locis piis dictæ terræ videatur particulariter : *Ibid.*, *dub.* 2, confirmata *ibid.*

33. Inde quoad patres tertii ordinis, aliaque loca pia pro bonis quocumque titulo quæsitis non teneri decrevit : 2 *aug.* 1749, *dub.* 1, confirmata 26 *feb.* 1752.

34. Habitantes oppidi ejusdem Massæ, qui de tempore concordiæ nulla bona possidebant, debere decimas ad taxam concordiæ solvere pro bonis postea quæsitis, etiamsi acquisitio non esset, nisi de rata parte tantum bonorum, altera remanente penes antiquum possessorem adhuc decimas præstantem in eadem quantitate, fuit resolutum : 15 *julii* 1747, *dub.* 3, confirmata cit. *die* 26 *april.* 1749.

35. Laicos singulares, ecclesiasticos, etiam regulares, et loca pia dictæ terræ solutioni in parochi favorem decimarum obligari, quæ alias non fuerunt solutæ juxta resoluta in præcedentibus pro nunc a die motæ litis consilium S. C. cepit : *Ibid.*, *dub.* 4, confirmata *ibid.*

36. Demum S. C. declaravit exteros bona possidentes in territorio Massæ præstare eidem parocho decimas a die captæ possessionis parochiæ ad formam concordiæ teneri : *Ead.* 23 *aug.* 1749, *dub.* 2.

37. Petens parochus S. Angeli Roleani exemptionem ab onere annuæ scut. 42, ex causa decimarum solvendi plebanæ ecclesiæ Lurii, quæ in collegiatam erigitur, a S. C. rejicitur : *Marianen., Erect. colleg.*, 13 *febr.* 1751, *dub.* 2.

38. Rector parochialis ecclesiæ S. Joannis Evangelistæ Andreas Raymundius redituum suæ ec-

[11] Vide not 4.

clesiæ agnoscens tenuitatem, et parochiæ incolarum recusationem decimas in integra quantitate præstandi, ob veterum parochorum benignitatem primum ad Episcopum, deinde ad S. C. confugit. Ille taxam confecit, hæc juxta taxam Episcopi functioni decumanæ refragantes parochiæ incolas devincendos esse censuit : *Privernen.*, *Decimarum*, 20 *nov.* 1751, *dub.* 1 et 2.

39. Veterem consuetudinem simul et unitim cum capitulo ecclesiæ cathedralis colligendi et æqualiter dividendi decumas Episcopus Albintimiliensis amplius servare non vult, qui præter dimidiam partem alias 50 libros annuatim sibi tradere prætendit; orta hinc contentione S. C. decrevit procuratorem mensæ episcopalis conjunctim cum procuratore capituli decimas cogere in ipsa civitate Albintimilii, et in octo locis, oppidanisque territorii, et pro medietate dividere juxta præfatam consuetudinem non teneri, sed eidem procuratori mensæ episcopalis medietatem harum decimarum a præfatis octo locis sejunctim a procuratore capituli exigere licere ; addens S. C. ad secretarium juxta mentem : *Albintimilien.*, *Unionis decimar.*, 26 *febr.* 1752, confirmata 20 *maii ejusd. anni.*

40. Controversia facta est inter Episcopum Larinensem, et clerum Collistorti, atque Episcopum Vulturariensem, et clerum oppidi Celentiæ de decimis excipiendis e latifundio *Difesa Valle* prope oppidum Collistorti, et inter duo flumina duarum aliarum diœcesum posito. Ad dubium, an, et ad quem, seu quos, decimæ ex fructibus ex præfata possessione colligendis spectarent? responsum exiit: Dilata, et coadjuventur probationes juxta instructionem [12] : *Larinen.*, *seu Vulturanien.*, *Decimar.*, 21 *julii* 1753, *dub.* 1. Topographia a perito exhibita, S. eadem C. definivit, decimas illas ad Episcopum Larinensem, et ad clerum Collistorti spectare : 10 *maii* 1755, confirmata 20 *decem. ejusd. anni.*

41. Eisdem decimas per Episcopum Vulturariensem, et clerum secularem oppidi Celentiæ perceptas a die motæ litis restituendas esse inde S. C. sententia fuit : *Ibid.*, confirmata *ibid.*

42. Decimæ novalium Petro Mœslin parocho ecclesiæ Merzhausen non debentur : *Constantien.*, *Permutat. parochiæ*, 20 *novem.* 1757, *dub.* 2.

43. Decimas novales villarum, quas ædificavit palatinus Cracoviensis, Episcopus non parochiæ Zborovecensi, in qua eædem villæ sitæ sunt, sed præposito alterius parochiæ oppidi Pacanow nonnullis conditionibus adjectis donavit. His non servatis episcopalis curia sententiam tulit, qua declaravit, decimas percipiendas ex dictis villis servandas esse eidem præposito ratione sacrorum, et officii B. M. Virginis, aliorumque piorum operum in ecclesia Pacanowiensi in posterum implendorum ; decimas vero novalium agrorum, capellam, et reliqua omnia, quæ ad curam animarum pertinent, parocho adjudicavit. Dubio super hac sententia exhibito, S. C. eam esse infirmandam censuit, et ad mentem [13] : *Cracovien.*, *Pior. oper. in adimpl.*, 21 *julii* 1759, *dub.* 1, confirmata 12 *januar.* 1760.

44. Decimas, et obventiones, quæ solvuntur ab hominibus Locarni, cujus ecclesia in parochialem erecta, et a veteri S. Petri parochia dismembrata fuit, novo parocho ecclesiæ S. Dionysii attribuendas minime esse S. C. et ad Episcopum exequutionem [14] remisit : *Novarien.*, *Divis.*, *seu dismembrat.*, 20 *sept.*

45. Decimas ob natam controversiam novæ ædificationis ecclesiæ parochialis villæ de Seelbach sequestri fidei commissas restituendas esse a regimine Badensi, in cujus dominio nunc villa prædicta extat, capitulo ecclesiæ cathedralis mandat S. C. Ad prædictam enim instaurationem jam eadem S. C. decreverat primum fabricæ reditus, secundo populum, tertio patronum teneri : *Spiren.*, *Reædificat. ecclesiæ*, 30 *maii* 1761, *dub.* 2, confirmata 17 *sept.* 1768, 18 *nov.* 1769 et 28 *april.* 1770, ubi additur ad Card. præfectum juxta mentem.

46. Postulata a S. C. definitione dubii, an sit locus reductioni mensuræ pro exactione decimæ archipresbytero oppidi S. Victoris præstandæ, quam mensuram parochiæ incolæ ampliorem consueta

[12] Instructio fuit, ut committereretur Episcopo viciniori duputatio periti, de consensu partium eligendi, sin minus ex officio, qui, citatis partibus, recognosceret, describeretque loca, quæ controversantur, eorumque limitibus designatis, et præsertim, an eadem sint, quæ nuncupantur Defensæ vallis, cum illis, quæ divi Petri in valle vocantur, elevata planta judiciali factæ recognitionis, et descriptionis : *Ead. caus.*, 26 *April.* 1755.

[13] Mens est, ut scribatur Episcopo Cracoviensi, ut auctoritate sua ordinaria obnixe incumbat pro implemento operum piorum, et certioretur S. C., *Ead. caus.*, 24 julii 1759, *dub.* 1.

[14] Episcopo eminentissimi patres (qui ad annuendum dismembrationi moti sunt inspecto onere per homines Locarni suscepto pro manutentione parochi) injungendum esse mandarunt, ut in exequution edecreti prædicti mandet fieri per homines Locarni obligationem validam de solvendo parocho deputando integram congruam, utque eidem reserventur tantum emolumenta stolæ, et quoad decimas Episcopus curet per Locarnenses parocho Paronis solvi aliquam summam respondentem valori decimarum, quæ dicto parocho tradendæ essent a dictis Locarnensibus, earumdemque summam loco decimarum subrogando : *Regist. lit.*, lib. 32, die 20 sept. 1760.

esse contendunt? rescripsit servari decretum Episcopi [15]. *Cæsenaten.*, 9 *febr.* 1765, *dub.* 4.

47. Oblatæ sive convictrices Sacræ Familiæ civitatis Setiæ a decimis, aliisque contributionibus propter scholam de puellis in pietate imbuendis, sese immunes esse autumantes, decimas capitulo cathedralis ecclesiæ ad tramitem transactionis die 2 aug. 1718 habitæ exsolvendi onus habent : *Setina*, 18 *maii* 1765, *dub.* 5.

48. Obiit Opitius Mazza ruri, quo octo ante annos se receperat, et quod in finibus parochiæ S. Juliani Trivii antiqui situm est. Parochus ecclesiæ cathedralis, in cujus parochia natus ille, et antiquam familiæ domum habebat decimas sacramentales accepit. Parochus S. Juliani a S. C. efflagitat restitutionem illarum, quæ ratione domicilii juxta synodalem legem sibi debentur. At non esse restituendas decimas solutas præcipitur : *Pisauren.*, 8 *junii* 1765, *dub.* 1.

49. Invaluit consuetudo in ecclesia cathedrali, ut decimarum distributio non fieret anno earum collectionis, sed altero ; et licet quis ex capitularibus interim obierit, tamen hæredes in auctoris jure succedunt : elapso altero anno, et divisione non sequuta ob aliquam causam, tunc hæredes jus percipiendi amittunt, et inter capitulares existentes divisio peragitur. Propter excitatam quæstionem super nonnullis novalibus decimis suspensa ab anno 1758 earum exactio, ac divisio fuit ; modo lite absoluta alia de distributione exsurgit dubitatio, quæ delata ad S. Congr., hæc servandam esse præfatam consuetudinem jussit : *Gadicen.*, 12 *decemb.* 1767, *dub.* 1.

50. Deinde imperavit eamdem consuetudinem quoad decimas novales ab anno 1758 suspensas, et postea exactas tuendam esse : *Eadem*, 30 *julii* 1768.

51. Quoad decimas inter monasterium Salemitanum ordinis Cisterciensis, et capitulum Constantiense, penes quod jus decimarum præsertim quoad bona, et agros intra parochiæ Seefeldensis fines positos translatum fuit anno 1581 conventum, illarum decimarum deinde abbatem Salemitanum duas partes sibi adscribi ex suo feudo Nusdorff intra limites parochiæ Seefeldensis sito, tertiam tantum capitulo tradi. Easdem decimas prædicto capitulo ex novalibus agrorum in Nusdorff, et Burnaw parochiæ Seefeldensis deberi ad formam transactionis anni 1581 decernit S. C. : *Constantien.*, *Decimarum*, 16 *decem.* 1769, confirmata 15 *sept.* 1770.

52. Sebastianus Carolus, et Jocobus fratres villæ Marranellæ, et ecclesiæ castri Bastiæ parochialis incolæ prædium emphyteuticum intra fines parochiæ S. Donati acquisiverunt, ubi moram trahunt ; ideo parochus Bastiæ contendebat, eosdem ad præceptum paschale in sua ecclesia implendum teneri, et ad sibi integram decimarum, quas pro medietate præstabant, quantitatem solvendam. Dubio proposito, an et qua quantitate debeantur decimæ ? responsum fuit, ut iterum dubium proponatur, citato etiam parocho S. Donati, et addito dubio super qualitate decimæ : *Nucerina*, *Præcepti paschalis, et solut. decimar.*, 14 *maii* 1774, *dub.* 2.

53. Parocho ecclesiæ S. Jacobi terræ Lignarii jus exigendi decimas super bonis existentibus in suo territorio exceptis bonis primæ erectonis competit : *Sarsiten.*, *Onerum*, 20 *aug.* 1774, *dub.* 3.

54. Etsi habitatores, et coloni territorii oppidi S. Elpidii ad mare addicti ecclesiæ SS. Angelorum, cui præest capellanus curatus, eidem capellano suppeditandi frumentum onere premantur, uti S. C. decrevit, tamen quoque matrici ecclesiæ decimas pendere tenentur : *Firmana*, 7 *sept.* 1776, *dub.* 3.

55. Capitulo collegiatæ, et parochialis ecclesiæ Stauffensis competit jus exigendi decimas in natura, sive in specie, quomodo ei assignatæ fuerunt in dote occasione erectionis in collegiatam, nec obstat contractus locationum, et signanter anni 1739, in quo præter alia pacta conventum fuit de pecuniaria solutione decimarum, a quo contractu capitulum prævia monitione facta ob non servatas conditiones recessit : *Constantien.*, *Decimarum*, 28 *julii* 1781, *dub.* 1.

56. Hinc parochiæ incolæ redintegrare capitulum de eisdem decimis in natura, sive in specie, a die motæ litis pro summa liquidanda tenentur : *Ibid.*, *dub.* 2.

57. Quum Episcopus Reatinus sacram visitationem agens decrevisset spectare ad archipresbyterum castri Franchi jurisdictionem per totum territorium ei adjunctum ab ipsa civitate Reatis juxta descriptionem a peritis factam, assignando parochis SS. Eusanii, Leopardi, et Donati domos rurales existentes prope dictam civitatem in descriptione non comprehensas ; præfatus archipresbyter petiit inde ejusdem decreti confirmationem a S. C., eamque annuentibus parochis supradictis obtinuit.

[15] Episcopus decrevit, 1 sept. 1762, inter cetera « mensuram vulgo *Bernarda*, qua dictus dominus archipresbyter utitur, pro acquiescientia dumtaxat populi dictæ parœciæ Campionari, et quatenus opus sit reduci ad tenuem synodalem libr. 22, frumenti per appaltatorem publicum metati cum præsentia mei cancellarii infrascripti, illamque signari sigillo hujus, etc., etc. » *Ead. caus.*, 19 *januar.* 1765, § 3.

Sed hanc confinium divisionem acriter impugnantes fratres Stola, qui adjunctum prædium in territorio castri Franchi possident, renuentesque proinde decimas persolvere, responsum a S. C. accipiunt, firmum manere Episcopi decretum debere, decimasque a die decreti ipsius ab incolentibus domos fratrum Stola existentes in parochia castri Franchi solvendas: *Reatina, Dismemb., et juris decimandi,* 31 *maii* 1783, *dub.* 2, confirmata 10 *januar.* 1784.

58. Parochiæ titulo ecclesiæ S. Leonardi suppresso illius parochus in cœtum canonicorum ecclesiæ cathedralis cooptatus est. Carolus Petruccius canonicatum dicti parochi successor, quum vidisset plures a suppressa parochia defecisse familias, et alibi habitantes decimarum sibi præstationem abnuere, censentes propriis parochis deberi veluti personales, seu sacramentales S. C. adiit, ut ad decimarum in sui favorem solutionem illi teneantur, etsi alio familiæ migrarint, sive in posterum migrassent. Et emanavit a S. C. decretum decimas præstandas esse ad normam informationis Episcopi anni 1675 : *Pisauren., Decimarum,* 9 *julii* 1785.

59. Decimæ solvendæ pro bonis sitis in districtu parœciæ Trivii antiqui, spectantibus ad incolas, regulares, locaque pia civitatis Pisauri, debentur prædiales quidem parocho oppidano, sacramentales vero parochis urbanis ejusdem civitatis. Illas autem deberi statuitur ex frumento, et lino pro medietate, dimidium nempe unius ex vinginti, seu (ut incolæ aiunt) unum pro quolibet ex quadraginta, et areis ad formam resolutionum 1679, 1718 et 1785 [16]: *Pisauren., Decimarum,* 24 *martii* 1792, *dub.* 1.

60. Et ex hac ratione deberi decernitur etiam a conductoribus, et emphyteusis, si eadem bona per exteros proprietarios locata sint, vel in emphyteusim concessa incolis Pisaurensibus juxta consuetudinem: *Ibid., dub.* 2.

61. Necnon alia ab iis, qui retinent domum tantum apertam in urbe Pisauri, nec ibi continuo, aut in majori anni parte habitant juxta resolutionem anni 1785 [17]: *Ibid., dub.* 3.

62. Hujusmodi autem decimas nullatenus deberi juxta consuetudinem dijudicatur pro terris redactis ad usum prati, et pascuorum, in quibus satio frumenti, et vini prætermissa sit: *Ibid., dub.* 4.

63. Ac denegata tandem parocho Trivii antiqui restitutione decimarum per parochos urbanos bona fide exactarum, illas tantum eidem consignandas esse, quæ hactenus traditæ non sunt a die motæ litis statutum est: *Ibid., dub.* 5.

DECIMÆ QUOAD QUARTAM. Vide *Episcopus,* §xx.
DECRETA. Vide *Synodus,* § II.

DECRETUM, RESCRIPTUM.

1. Quum Concilium Tridentinum cap. 1, sess. 24 [18] haberet hæc verba: *Decernit itaque ut hujusmodi decretum in unaquaque parochia suum robur post triginta dies habere incipiat a die prima publicationis in eadem parochia factæ, numerandos.* Quæritur, an decretum hoc ita intelligatur, ut non obliget illos, apud quos ita publicatum non est: respondit non obligare: *Dubium, anni* 1574, *dub.* 6.

2. Episcopus occasione visitationis pastoralis accommodare debet cum decretis S. Congr. Concilii, quæ quum essent manu Card. præfecti, et secretarii signata, et signo munita, licet typis non impressa, omnino servanda sunt ex consultu S. C. in *Neapolitana,* 7 *febr.* 1632, *dub.* 1.

3. Decretum de celebratione Missarum [20] capitula cathedralis, et collegiatarum ecclesiarum, nec-

[16] Vide num. 4, 15, 58, § præsenti.

[17] Vide num. 58, § præsenti.

[18] *De Reform. matrim.*

[19] Qua de re ita Fagnanus, qui multis annis ejusdem S. Congregationis a secretis fuit, in principio suorum operum monet lectorem, et protestatur, quod responsa S. Congregationis, quæ sparsim affert, minime haberi velit pro authenticis, quando Card. præfecti, et secretarii subscriptione, signoque careat; eo quod similium declarationum plures alteratas, diminutas, et forte omnino confictas esse, pervenerit ad notitiam S. Congr. Hujus tamen decreti vigore non obstante declarationibus istiusmodi subscriptione non munitis, sed solum a privatis probatis relatis auctoribus, dum eæ sensum a proprietate verborum non recedentem, nec ratione, aut communibus juris regulis non repugnantem reddunt, non ægre deferunt, et ab iis sine gravi ratione recedendum non esse judicat, eo quod romana, aliæque curiæ ecclesiasticæ contra illas pronunciare non soleant, credantque eas ipsas ex ipsis originalibus, aliove principio authentico promptas esse. *Comm. in cap. Quoniam, de Constitut.*, num. 39, lib. 1, pag. 137.

[20] Decretum Concilii Trid. sess. 22, cap. unic. *de Observ., et vitand. in celeb. Miss.*, quo Concilium mandat Episcopis, ut cujusvis generis mercedem, conditiones, pacta, et quidquid pro Missis novis celebrandis, datur, necnon importunas, atque illiberales eleemosynarum exactiones potius, quam postulationes, aliaque hujusmodi

non communitates tenentur observare tam pro acceptione onerum perpetuorum Missarum, tam in investimentis faciendis illarum pecuniarum, non obstante quacumque consuetudine etiam immemorabili in contrarium: *Vicen., Visitat. sacr. Liminum*, 15 *april.* 1690, *dub.* 3.

4. Rescriptum a S. C. die 19 febr. 1791, obtentum per sacerdotem Philippum Adami patronum cujusdam beneficii simplicis in ecclesia parochiali S. Georgii Portus Firmi fundati pro facultate concedendi ejus bona in emphyteusim ad tertiam generationem, non esse exequendum respondit S. C. ob silentio prætermissam S. C. Episcop. et regul. repulsam super eodem negotio, juxta notissimum Innocentii XII decretum [21]; et liberum esse rectori beneficii utendi jure suo in eadem S. C. Episcop. et regular. prævenia : *Firmana, Emphyteusis*, 21 *julii* 1792.

5. Non obstante rigidissima consanguinearum contemplatione, atque extranearum exclusione in distributione dotium ordinata ab Alphonso Putignani; habiles suis rescriptis quatuor puellas extraneas fecit Sum. Pontifex in Domino nupturas. Sed rescripta impugnantes nonnulli sodales S. Mariæ Orationis, et Mortis urbis habentes jus nominandi; S. C. non esse locum executioni rescriptorum decidit, licet Card. protector oratricibus faveret: *Romana, Subsid. dotal.*, 17 *junii* 1797, confirmata 19 *aug. ejusd. anni.*

Defectus ætatis. Vide *Dispensatio*, § III; *Matrimonium*, § VIII.

Defectus animi. Vide *Irregularitas*, § I.

Defectus corporis. Vide *Irregularitas*, § II.

Defunctorum cadavera. Vide *Cadaver, Sepultura.*

Defunctorum voluntas. Vide *Dispositio testamentaria, Legatum pium, Missa, Moniales*, § II; *Spolium ecclesiasticum, Subsidium dotale.*

Delatio. V. *Hæreditas, etc. Sacramentum Eucharistiæ*, § III.

Delegata jurisdictio. Vide *Episcopus*, § XXV.

Delegatus. Vide *Matrimonium*, XIX.

Deletio. V. *Legatum pium*, § VI; *Missa*, § XIII; *Subsidium dotale*, § VIII.

Deliberatio. V. *Contractus*, § VII.

Deliberationes capitulares. V. *Capitulum ecclesiasticum*, § XI.

Demolitio. Vide *Ecclesia in genere*, § II; *Oratorium*, § IV.

Denunciationes matrimoniales. Vide *Matrimonium*, § VI.

DEPOSITARIUS.

1. Respondit S. C. ab Episcopo unum tantum depositarium in diœcesi constituendum, pœnas vero, et multas distribuendas pro illius arbitrio habita tamen ratione loci, ubi solvantur, si concurrat æqualis necessitas: *Lavellen.*, 14 *junii* 1642.

2. Depositarius sodalitii Sanctissimi Sacramenti ecclesiæ parochialis oppidi S. Victoris onus non habet cautionem pro sua administratione præstandi. Difficillimum enim est depositarium invenire, qui sine mercede ulla caveat, nec periculum imminet, quum soli patresfamilias bona possidentes in sortem mittantur: *Cæsenaten.*, 9 *febr.* 1775, *dub.* 10.

3. Depositarium ecclesiæ cathedralis singulis annis, ac etiam intra, et extra annum, accedente in hoc posteriori casu legitima causa, Episcopo rationem reddere teneri firmatur, quoad reditus fabricæ; quo vero ad reditus capituli Episcopum suo jure ad formam Concil. Trid. [22] uti statuitur: *Asculana*, 12 *julii* 1788, *dub.* 10, confirmata 7 *febr.* 1789.

4. Eumdemque depositarium conservare, et in acta referre cuncta mandata solutionum, et syngraphas, postquam rationes cum canonicis revisoribus consolidavit, onere non premi deciditur; obstrictum est tamen capitulum documenta servare in redditione rationum exhibita : *Ibid.*, *dub.* confirmata, *ibid.*

quæ a simoniæ labe, vel certe a turpi quæstu non longe absunt, omnino prohibeant; ad tollendum quemcumque turpem quæstum accesserunt declarationes S. C. Concilii auctoritate Urbani VIII, illi tributa, relatæ in Const. ejusd. Pont. *Cum sæpe*, 21 junii 1525 (*Bull. Rom.* tom. 3, part. 3, pag. 335), et ab Innocentio XII confirmatæ, et innovatæ, itidem una cum additione aliarum resolutionum ad hanc materiam spectantium insertarum Const. *Nuper*, 23 decem. 1606, ejusd. Pont. (*Bull. Rom.*, tom. 9, pag. 464).

[21] Quod incipit *Ut occurratur*, 4 junii 1692, relato a Guerra *Epitome Bull.*, tom. 1, pag. 398, et in nostra *Introductione*, §. VII.

[22] Sess. 22, cap. 9, *de Reform.* Vide not. 96, tom. 1, pag. 80.

DEPOSITUM.

1. Detrectantem rectorem ecclesiæ parochialis S. Mariæ montis Morelli mandatum Episcopi visitantis explendi quoad renovationem impluviæ, ac lampadis sanctissimi Sacramenti Episcopus suspendit, ac ad pœnam scut. 25, statuto termino peremptorio condemnavit. Dictus rector ad S. C. confugit, ac penes cancellarium summam pœnalem deposuit non amovendam nisi ad nutum ejusdem S. C., quæ docta de implemento decreti visitatoris depositum esse restituendum decidit: *Recineten., Visitat., et censurar.*, 12 *april.* 1770, *dub.* 3.

2. Quum Archiepiscopus capellaniam ordinatam ab Horatio Zeppi, qui nullum verbum fecit in testamento, et codicillis de laicali qualitate, in beneficium ecclesiasticum erexisset; hanc erectionem S. C. approbavit. Sed idem Archiepiscopus putans facultatem in genere testatorem ei tribuisse, in eadem erectione depositum, fructuum capellaniæ pro dotandis puellis consanguineis, quoties de familia Zeppi masculus non extaret, qui capellaniam exoptet, mandavit, quod nulli est detrimentum. Re posita in disquisitione, non esse locum deposito prædicto S.C. resolvit: *Urbinaten.*, 28 *maii* 1796, *dub.* 3.

DEPUTATIO. V. *Administrator*, § II; *Capellanus curatus*, § II; *Œconomus curatus*, § II; *Vicarius capitularis*, § I; *Vicarius curatus*, § II.

DEPUTATUS. Vide *Monasterium*, § II; *Seminarium*, § III.

DEROGATIO. Vide *Fideicommissum*.

DEVOLUTIVA APPELLATIO. Vide *Appellatio*, § I.

DIACONATUS ORDO. Vide *Sacramentum ordinis*.

DICTIONES. Vide *Clausulæ*.

DIERUM FESTORUM OBSERVANTIA. V. *Festorum dierum observantia*.

DIES. Vide *Missa*, § IX.

DIGNIOR CANONICUS. Vide *Canonicus*, § II.

DIGNITATES ECCLESIASTICÆ.

§ I.

Dignitates ecclesiasticæ in genere quoad electionem, provisionem, et collationem

1. Sub nomine parochialium ecclesiarum quoad decretum Concilii cap. 18 [23], sess. 24, *de Reform.* non comprehenduntur dignitates curam animarum habentes, quando vacare aliqua dignitas contingit, cui parochialis unita accessorie est, non hæc subjicit dispositioni præfatæ Concilii de examine per concursum: *Avenionen.*, 23 *octob.* 1586, *dub.* 7.

2. S. C. declaravit ad obtinendam in ecclesia cathedrali, vel collegiata dignitatem non curatam, annorum 22 completam ætatem requiri: *Nullius*, 4 *sept.* 1591.

3. Censuit S. C. decretum Concilii Tridentini cap. 12 sess. 24 [24] §. *Ad ceteras autem dignitates* comprehendere etiam dignitates in collegiatis: *Brundusina* 13 *januar.* 1594.

4. Circa electionem, et provisionem dignitatum ecclesiæ cathedralis nihil est decernendum inaudito capitulo: *Arianen.*, 28 *april.* 1635, *dub.* 2.

5. Parochialis ecclesia S. Mariæ de Fracta terræ Castelli, et alter parochialis ecclesia S. Joannis Baptistæ terræ Carifii præsumentes se declarari collegiatas, et illarum parochi, archipresbyter, abbas nuncupari institerunt; primus enim dignitatem archipresbyteri, alter abbatis obtineri appetebat, sed neutrum consequi valuerunt: *Trivicana, Collegialitatis*, 1 *sept.* 1731, *dub.* 2.

6. Nec primum presbyterum utrius ecclesiæ, qui primicerius appellatur, dignitatem habere, neque simplex officium, S. C. existimavit: *Ibid.*, *dub.* 2.

7. S. C. sententia fuit, ut ecclesiasticarum dignitatum ineptus sit absque dispensatione apostolica Sebastianus Passanha de Torres, qui ad sui defensionem absque tamen moderamine inculpatæ tutelæ homicidium perpetraverat, dum in clericali statu reperiebatur, et prævia dispensatione ab Episco-

[23] Ubi statuitur omnes parochiales ecclesias per concursum, et prævio examine conferri debere.

[24] « Ad cæteras autem dignitates, vel personatus, quibus animarum cura nulla subest, clerici alioquin idonei et 22 annis non minores adsciscantur. »

po obtenta ad sacros ordines fuerat promotus: *Elboren., Irregularit.*, 16 *martii* 1737, *dub.* 1.

§ II.

Dignitates ecclesiasticæ in genere quoad fructus, ac distributiones quotidianas.

1. Declaravit S. C. distributiones quotidianas, quæ ex decreto Concilii, sess.21 cap. 3, [25] tertiam partem reditum efficiunt, inter ipsas dignitates ita proportione servata dividendas esse, ut quæ plus contulerunt, plus etiam ad ratam partem deserviendo lucrentur, portionesque non deservientium deservientibus accrescere : *Cortonen.*, *anni* 1581.

2. Quoad dignitates nullas distributiones habentes censuit S. C. posse tertiam partem ex fructibus dignitatum dividere in quotidianas distributiones ex dicto decreto Concilii [26] sess. 22, cap. 3, quas obtinentes dignitates amittent singulis diebus, quibus non servierint; et si ab ecclesiæ servitio ultra præstitutum tempus abfuerint, animadvertitur in eos pro primo, et secundo, et tertio anno prout fuit sancitum cap. 12 : *Ibid., dub.* 6.

3. Detractionem tertiæ partis ex fructibus dignitatum faciendæ cap. 3, sess. 21. [27], et convertendam in distributiones quotidianas fieri debere non ex una, et altera tantum pinguiori præbenda, sed ex omnibus dignitatibus, præbendisque ecclesiæ statutum est : *Bosanen.*, 15 *april.* 1592, *dub.* 2.

4. Eamdem autem assignationem distributionum quotidianarum ex tertia parte fructuum dignitatum fieri debere, detractis pensione, et aliis legitimis oneribus, quamdiu illa duraverint, deliberatur: *Ibid., dub.* 3.

5. Unamquemque percipere debere tantum de distributionibus, quantum de sua præbenda fuit detractum, et eum, cui plus ablatum est de præbenda pinguiori plus de distributionibus percipere debere, cui autem nihil ablatum est, nihil esse dandum, definitur : *Ibid., dub.* 4.

6. Aliquæ reperiuntur in ecclesia cathedrali dignitates, quæ habent fructus distinctos a mensa capitulari ; ideo pars eorumdem assignata fuit in distributiones quotidianas juxta dispositionem Tridentinam, sess. 22 cap. 3, *de Reform.* [28], ac inde quæsitum, an hujusmodi distributiones, quæ amittuntur ab iis, qui competens servitium non præstiterint necessario fabricæ ecclesiæ quatenus indigeat; an vero sit in facultate Episcopi, stante etiam indigentia dictæ ecclesiæ illas alteri pio loco pro ejus arbitrio applicare? et rescriptum est has distributiones esse primo applicandas fabricæ cathedralis, quatenus indigeat, tunc demum esse in facultate Episcopi illas alteri pio loco suo arbitrio applicare : *Caurien., Distribut.*, 6 *nov.* 1621.

7. Distributiones quotidianæ amissæ a dignitatibus ecclesiæ cathedralis, quæ fuerunt superadditæ antiquis canonicis, et Episcopus quotam non intervenientium erogari in fabricam ecclesiæ, quatenus egeat, vel alteri pio loco non pro intervenientibus decreverat, arbitrio Episcopi cedunt: *Cephaluden., Distribut.*, 20 *martii* 1694, *dub.* 1.

8. Nec ipsis intervenientibus dignitatibus accrescere debent : *Ibid., dub.* 2.

9. Neque Episcopus easdem distributiones immiscere potest cum aliis distributionibus canonicorum, ita ut amissæ semper, et quandocumque cedant inservientibus ex toto capitulo: *Ibid., dub.* 3.

10. Gregorius XIII, Sum. Pont., assignavit dignitatibus una cum canonicis ecclesiæ cathedralis tanquam inopis quasdam portiones fructuum, quæ dividi consueverant inter parochos, et sacerdotes beneficiatos absque præfixione numeri parochiis inservientes, sed in parochiis juxta tempus, et horas ab Archiepiscopo designandas servitium præstare deberent ; idcirco Archiepiscopus in actu visitationis horas descripsit. Canonici conquesti sunt, et S. C. decretum Archiepiscopi validum esse sententiam dixit: *Lancianen., Jurium parochialium*, 13 *nov.* 1694.

11. Reclamantibus dignitatibus cathedralis ecclesiæ a constitutionibus capitularibus ab Episcopo pro bono regimine illius ecclesiæ firmatis, S. C. consilium cepit ex fructibus, et proventibus præbendarum, dignitatum, personatuum, et officiorum in cathedrali prædicta existentium non esse deducendam tertiam partem, nec illam fabricæ ecclesiæ applicandam ad formam sac. Conc. Trid., sess. 22 cap. 3 [29], non obstante, quod prædictæ dignitates subjaceant amissioni aliarum distributionum intervenientibus accrescentium. Id fuit declaratum contra unam ex præfatis constitutionibus : *Cetacen., Constitut. capitul.*, 10 *maii* 1703, *dub.* 1.

12. Insuper putavit S. C. punctaturas infra tertiam partem ab Episcopo constitutas neque per modum pœnæ posse sustineri : *Ibid., dub.* 3.

13. Dignitates ecclesiæ metropolitanæ, tempore vacationis a servitio chori permisso, distributiones

[25] Vide not. 165, tom. 1, verb. *Applicatio*, § 1.
[26] Vide not. 221, tom. 1, verb. *Archipresbyter*, § 4.
[27] Vide not. 101, tom. 2, verb. *Canonici*, § 3.
[28] Vide not. 221, tom. 1, verb. *Archipresbyter*, § 4.
[29] Vide not. 221, ut supra.

quotidianas minime lucrantur [30], nisi juxta modum: *Firmana., Distribut.*, 3 *martii* 1714, *dub.* 4.

14. Dignitates ecclesiæ S. Salvoris in cathedralem erectæ, qui non ascendunt ad sacros ordines, ut per seipsos officia agerent sacerdotalia, amittunt fructus canonicatus a die decreti Episcopi ad formam Concilii, et dictos fructus esse applicandos fabricæ ecclesiæ censuit S. C. in *Oriolen*, 7 *febr.* 1756, *dub.* 4, confirmata 28 *april. ejusd. anni.*

15. Quatuor dignitates capituli Cephaludensis antea regulares, factæ sunt modo seculares, decretumque fuit, ut detraheretur tertia redituum pars, ac in quotidianas distributiones converteretur, de quibus Episcopus indixit, *eas distributiones in casu fallentiæ pro suo arbitrio, et successorum in posterum erogandas in fabricam ecclesiæ, quatenus egeat, seu minus alteri pio loco.* Reclamarunt dignitates, et S. C. *die* 6 *martii* 1794, declaravit prædictas distributiones quotidianas amissas causa absentiæ Episcopis arbitrio cedere, non autem ipsis intervenientibus dignitatibus accrescere debere. Modo an sit standum, vel recedendum a decisis? quæritur, et S. C. protelavit definitionem, ut exhibeatur erectio dignitatum, firmo remanente sequestro pro rata parte fallentiarum tantum: *Cephaluden., Distribut.*, 5 *julii* 1749. Deinde censuit recedendum a decisis, et distributiones amissas a non intervenientibus inter præsentes dividendas: 28 *april.* 1770.

§ III.

Dignitates ecclesiasticæ in genere quoad jura, potestatem, et stallum in choro.

1. Dignitates, et canonici ecclesiæ cathedralis supplicant declarari, an dignitates dictæ ecclesiæ, quæ ab antiquo tempore imo immemorabili per canonicum substitutum inserviunt, cogi posse ad inserviendum per seipsos in eorum hebdomadis? respondit S. C. cogi posse ad inserviendum per seipsos in eorum hebdomadis non obstante consuetudine etiam immemorabili: *Andrien.*, 8 *maii* 1649, *dub.* 1.

2. Ad dubium, an quoties aliqua ex dignitatibus ecclesiæ collegiatæ S. Barbaræ decumbat, et moriatur in aliena parochia, aliæ dignitates omnibus insignibus pontificalibus indutæ, perducere possint defunctum ad propriam ecclesiam pariter mitra, et impluvia insignitum, absque ulla solutione quartæ funeris? negative rescribitur: *Mantuana, Jurisdictionis*, 16 *martii* 1680, *dub.* 5.

3. Quum aliqua beneficia existentia in ecclesia divi Thomæ ad præsens detenta per clericos regulares ministrantes infirmis, et in altera divi Antonii administrata per societatem Sanctissimæ Trinitatis, fuisset unita prædictæ collegiatæ S. Barbaræ, ac præsumisset in festivitatibus eorumdem sanctorum abbas instar supplicationis, ac cum omnibus episcopalibus insignibus a præfata collegiata exeundo accedere ad supradictas ecclesias, quodque magis est, per longum, et affectatum circulum usque ad faciem palatii episcopalis eo modo, et forma pertransire, posteaque in eisdem ecclesiis celebrare in pontificalibus, benedictionemque solemnem super populum impertiri; idem abbate præsente prætendit, ac de facto exercet aliqua ex præfatis dignitatibus nullo ad id quæsito consensu, ac licentia Episcopi; respondit S. C. negative, ut ad proximum: *Ibid., dub.* 6.

4. Proposito dubio, an dignitas cathedralis, cui est adnexa animarum cura, possit exercere vicarii generalis munus? S. C. respondit negative: *Dub.* 3 *febr.* 1685.

5. Adductum est in dubium, an adversus dignitates ecclesiæ cathedralis in casu contumaciæ in exequendis Episcopi edictis sit procedendum etiam per inquisitionem? S. C. respondit [31] ad mentem: *Salernitana, Edictorum*, 27 *sept.* 1732, *dub.* 3.

6. Pluribus inter archidiaconum, et canonicum pœnitentiarium cathedralis ecclesiæ controversiis exortis, auditum fuit S.C. oraculum, quæ inter cetera mandavit, ut quoad locum, quem in choro dignitates munus celebrantis tam in matutino, quam in ceteris horis canonicis explentes, occupare debeant, servaretur *Cæremoniale romanum* [32] apposita

[30] Modus est, ut si fructus respectivæ præbendæ cujuscumque tertiam partem distributionum singulis canonicis respective tangentibus attingant, nullomodo distributiones deberi; si vero attingant duæ ex tribus partibus fructuum præbendæ respective, ac distributionum inde cumulatarum deberi amissa tertia, quæ inservientibus accrescat: *Ead. causa*, 3 *martii* 1714.

[31] Ut Episcopus prius semel, atque iterum moneat dignitates, et canonicos, si id non sufficiat, procedat ex officio, et per inquisitionem: ita tamen ut processus fiat sine emolumentis curiæ archiepiscopalis, et omnes punctaturas reddat uniformes dispositioni sacri Concilii: *Regist. lit.* lib. 28, *die* 27 *sept.* 1732.

[32] Lib. 2, cap. 6, pag. 106, postquam enarratur modus quo in cathedralibus, et collegiatis ecclesiis, absente Episcopo canonicus, seu alius dignior presbyter ecclesiæ, Missam celebraturus progredi versus chorum debeat, § 4 legitur: « Surgente canonico, aut presbytero prædicto, cum suis clericis, omnes pariter surgunt. Qui, facta hinc inde canonicis reverentia, ascendit ad chorum in primo stallo, seu sede ex ea parte, ubi ea hebdomada chorus assignatur, sistit se, et prope ipsum stat unus magister cæremoniarum. Sub ipso in plano chori erunt duo cantores, qui simul venerant; alii omnes ad sua loca ascendunt. »

tabella chorus : *Tarentina, Præeminent.*, 1 *aug.* 1750, *dub.* 6.

7. Et insuper jussit easdem dignitates sedentes ex parte archidiaconi valere ingredi ex suis respective stallis transeundo ante stationem archidiaconi, quatenus ex ea parte proximior pateat egressus, et ingressus ad easdem stationes canonicorum, et dignitatum : *Ibid.*, *dub.* 9.

8. Dignitates ecclesiæ collegiatæ, et receptitiæ terræ Galatonæ in loco, et suburbiis residentes inservire possunt per substitutum ejusdem ordinis, saltem per decem dies infra annum, sed cum solitis clausulis, prout in *Ferentina*, *anni* 1685 [33] : *Neritonen.*, *Plurium*, 12 *julii* 1760, *dub.* 3.

9. Consulta S. C., an primæ dignitatis capituli ecclesiæ cathedralis, vel parocho S. Terentii, intra cujus parochiæ limites existit palatium episcopale, competat jus administrandi sacramenta sanctissimæ Eucharistiæ, et extremæ unctionis Episcopo ægrotanti ? rescribitur [34], ut servetur *Cæremoniale : Faventina, Præeminent., et funerum*, 7 *junii* 1760, *dub.* 8.

§ IV.

Dignitates ecclesiasticæ in genere quoad Missam solemnem, conventualem, et pro populo.

1. Dignitates collegiatæ olim, et parochialis ecclesiæ modo cathedralis in solemnibus festivitatibus Missam conventualem pro benefactoribus ad formam decreti Episcopi applicare sunt astringendæ : *Burgi*, *S. Domnini*, *Missæ convent.*, 16 *maii* 1716, *dub.* 2.

2. Iisdem dignitatibus eleemosynam unius julii pro qualibet Missa conventuali præter emolumenta præbendarum per modum distributionis debitum esse statuitur : *Ibid.*, *dub.* 3.

3. Necnon præfatis dignitatibus eam eleemosynam ex reditibus capituli ad formam decreti citati Episcopi solvendam fas esse judicatur : *Ibid.*, *dub.* 4.

4. Dignitates ecclesiæ cathedralis legitime non implicatæ tenentur per se celebrare solemnes Missas in majoribus anni festivitatibus non celebrante Archiepiscopo ; non autem hoc facere per substitutum valent : *Ulyssionen.*, *Orientalis*, 5 *decem.* 1722, *dub.* 1.

5. Sane si dignitas illa, quæ celebrare debebat, legitime distenta sit, Missæ solemnes dummodo constet de illo impedimento ad formam statuti, exequi per proximam dignitatem debent : et omnibus dignitatibus recto impedimento occupatis, solemni more a canonicis successive ab antiquiore incipiendo sacrificandum est : *Ibid.*, *dub.* 2.

6 Dignitates vero canonicatum quoque, vel aliud beneficium, seu officium inferius possidentes legitimo amoto impedimento sacra peragere per seipsos in eodem ordine, et hebdomada et in reliquis diebus festis, in quibus canonici dimidiæ, et quartæ præbendæ sacrificare in suis respectivis hebdomadis obligantur, tenentur : *Ibid.*, *dub.* 3.

7. Quum inde quæsitum esset, an dignitatibus solemniter celebrantibus in quibuscumque anni diebus, alii canonici integræ præbendæ juste non impediti inservire in munere diaconi, et subdiaconi per seipsos, vel per alios teneantur ? rescripsit S. C. : Dilata, et exquiratur particulariter super confirmatione statutorum : *Ibid.*, *dub.* 4.

8. Dignitates collegiatæ ecclesiæ Sanctissimæ Trinitatis terræ Sinalongæ, quibus incumbit animarum cura, teneri ad eamdem applicationem dictis diebus festivis, quibus debent applicare pro populo, non autem posse simul pro populo, et benefactoribus applicare S. C. existimavit : *Pientina*, *Remiss. oner.*, 17 *feb.* 1731, *dub.* 2.

9. Dignitati ecclesiæ collegiatæ, ac receptitiæ terræ Galatonæ celebranti Missam solemnem in diebus festis primæ, et secundæ classis juxta solitum, portionarii assistendi in munere diaconi, et subdiaconi onus habent : *Neritonen.*, *Plurium*, 12 *julii* 1760, *dub.* 4.

10. Et ad portionarium hebdomadarium non spectat celebrare Missam solemnem, exponere sanctissimum Sacramentum, et præcinendo divina officia in octava sanctissimi Corporis Christi, et in aliis diebus solemnioribus primæ, et secundæ classis, sed ad dignitatem, vel ad canonicum antiquiorem ejusdem hebdomadæ : *Ibid.*, *dub.* 11.

§ V.

Dignitates ecclesiasticæ in genere quoad onera.

1. Disceptato dubio, an possidentes dignitates in ecclesia cathedrali Episcopo pontificalia obeunti omnes assistere teneantur, vel major pars suppeditat, et posito, quod non, an recusantes assessio-

[33] Vide tom. 1, verb. *Canonici*, § 2.

[34] Lib. 2, cap. 38, § 3 et 4, pag. 211, ex quo desumitur a prima dignitate ministrandum sacramentum Episcopo decumbenti esse, et omnes doctores conveniunt, non posse suffragari contrariam consuetudinem inspecta *Cæremonialis* clausula, quæ irritat consuetudines contrarias, uti etiam decrevit S. C. Rituum in *causa Gerunden.*, 11 *febr.* 1702, ubi quamquam allegaretur contraria consuetudo, servari in omnibus *Cæremoniale* mandavit.

nem præstandi mulctari possint? S. C. respondit omnes teneri, salvis tamen singulorum legitimis vacationibus: *Tudertina, anni* 1573, *dub.* 1.

2. Et ad alterum dubium, an eadem multa cogi possint ipsi, ut personali actu partes suas tam in Missarum, quam in aliorum munerum celebratione expleant, ac adigendi sint, ut ne extra diœcesim hujusmodi tempore recedant? rescribitur, posse cogi salvis tamen ut supra singulorum legitimis vacationibus: *Ibid.*, *dub.* 2.

3. Censuit S. C. decretum Concilii cap. 13, vers. *Ad hæc in posterum*, sess. 24 [35], *de Reform.*, locum habere etiam in dignitate ecclesiæ collegiatæ, cui animarum cura incumbit, ita ut si reditus summam duc. 100 secundum verum valorem illarum partium non excedat, pensione gravari non debeat: *Aquilana*, 19 *junii* 1649.

4. Dignitates ecclesiæ cathedralis compelli valent sub pœna quinque carolenorum pro qualibet vice, ut intersint congregationibus de casibus conscientiæ: *Salernitana, Edictorum*, 27 *sept.* 1732, *dub.* 1.

5. Item dignitates prædictæ adigi possunt ad incedendum in habitu talari usque ad occasum solis, minime vero quando rusticantur: *Ibid.*, *dub.* 2.

6. Inde sententiam exquiritur, an adversus dignitates easdem in casu contumaciæ sit procedendum etiam per inquisitionem? respondit S. C. ad mentem, (vid. not. 31): *Ibid.*, *dub.* 3.

7. Deinceps decrevit S. C. illas dignitates in omnibus diebus festis tantum exire e sacrario binas una cum canonicis, quando ad chorum accedunt, debere: *Ibid.*, *dub.* 5.

8. Inde prolatum fuit, an eædem omnes dignitates Archiepiscopo solemniter celebrante esse paratæ in sacrario per mediam horam ante ejusdem accessum debeant? S. C. rescripsit, dispositas, et paratas esse debere ante accessum Archiepiscopi: *Ibid.*, *dub.* 8.

9. Dignitates ecclesiæ S. Salvatoris erectæ in cathedralem tenentur assistere Episcopo pontificaliter celebranti: *Oriolen.*, 7 *febr.* 1756, *dub.* 2, confirmata 28 *aug. dicti anni.*

10. Ac similem assessionem exhibere debent tempore, quo eodem Episcopo pontificalia agente, ipse sermonem habet ad populum, non autem valent ad libitum a choro discedere: *Ibid.*, *dub.* 3, confirmata *ibid.*

§ VI.

Dignitates ecclesiasticæ in genere quoad servitium chori, vacationes, et sacros ordines.

1. Quæsito, an obtinentes dignitatem cum canonicatu, seu portione in ecclesia eadem teneantur per seipsos utriusque beneficii onera subire; ita ut non satisfaciant Concilio, deserviendo personaliter in dignitate, et per substitutum in canonicatu, seu portione, non obstante consuetudine? S. C. censuit teneri, nec aliter Concilio satisfacere, quam si personaliter utrique beneficio deserviat; nisi si servitia simul ita concurrant, ut ab una persona eodem tempore præstari nequaquam possint. Porro facultatem substituendi in servitio canonicatus quempiam alium canonicum pro eo tempore, quo servitio non sit obstrictus, minime illi esse denegandam: *Abulen.*, 27 *julii* 1585.

2. Dignitates, et canonici ecclesiæ cathedralis supplicant declarari, an dignitates dictæ ecclesiæ, quæ ab antiquo tempore, imo immemorabili, inserviunt per canonicum substitutum, cogi posse ad inserviendum per seipsos in eorum hebdomadis? respondit S. C. cogi posse ad inserviendum per seipsos in eorum hebdomadis, non obstante consuetudine etiam immemorabili: *Andrien.*, 8 *maii* 1649, *dub.* 1.

3. Dignitates demum ex legitimo impedimento debilitatis vocis excusari alta voce psallere, sed nihilominus teneri personaliter divinis interesse decidit: *Ibid.*, *dub.* 8.

4. Dignitates ecclesiæ cathedralis ab antiquo nunquam punctis notantur, indeque evenit quosdam etiam in majoribus solemnitatibus servitium ecclesiæ, ac par esset, negligere non sine aliorum murmure; petitur, an dicta consuetudo sit tolerabilis,

[35] Ibi « Ad hæc in posterum omnes hæ cathedrales ecclesiæ, quarum reditus summam ducatorum mille, et parochiales, quæ summam ducatorum centum secundum verum annuum valorem non excedunt, nullis pensionibus, aut reservationibus fructuum graventur. » Hoc decretum ampliatum est a Bened. XIII, Const. *Quanta*, idib. sept. 1704 (refert Giraldi *Exposit. jur. pont.*, tom. III, pag. 1014, quæ Const. in *Bull Rom.*, et in *Epitom.* Guerra haud reperitur) prohibente juxta edictum Inn. XII, 11 nov. 1692, per organum Datariæ publicatum, quod in omnibus confirmat, ne locorum Ordinarii, aut quiqumque alii parochialium collatores, etiam jurispatronatus laicalis, ullo modo dictas ecclesias pensionibus aggravent, neque earumdem resignationes, aut permutationes admittant cum pensione in favorem cujuscumque, et sub quocumque titulo, etiam alimentorum præstationis, et multo minus sine causa, beneficio pleno de possessorum consensu, ex quacumque causa, vel titulo; reservata Papæ facultate easdem pensiones imponendi in favorem dumtaxat, et commodum fabricæ, et ornamentorum ipsarum parochialium.

vel omnes punctis notandæ sint ad mentem sacri Concilii et decretorum S. Congr. ? Dignitates etiam esse punctis notandas, nisi intra duos menses in S. C. aliquid relevans adduxerint rescripsit S. C. : *Acherutina et Matheraten.*, *Visit. sacr. Liminum*, 3 *martii* 1668.

5. Declaravit S. C. dignitates ecclesiæ cathedralis in omnibus diebus festis tantum exire e sacrario binas una cum canonicis, quando ad chorum accedunt, debere : *Salernitana, Edictorum*, 27 *sept.* 1732, *dub.* 5.

6. Et pœna indicta eisdem dignitatibus accedentibus ad chorum post invitatorium quoad punctaturam valida est ; non autem alia sunt mulctandi pœna, si tardius accedant : *Ibid.*, *dub.* 6.

7. Ad dubium autem, an pœna carolenorum trium adversus dignitates supradictas voce remissa sacrificantes tempore Missæ solemnis, valida sit ; seu eisdem dignitatibus Missas illas peragere liceat? respondit S. C. dari decreta *in Oriolen., et Ortonen* [36] : *Ibid.*, *dub.* 9.

8. At pœna trium carolenorum pro quolibet die adversus dignitates absque legitimo impedimento absentes a choro diebus Quadragesimæ, et festivis diebus non sustinetur, subrogata tamen pœna in duplici punctatura : *Ibid.*, *dub.* 10.

9. Similiter prohibitionem exeundi a choro, nisi absoluto divino officio, præterquam ex causa urgenti, sub pœna unius, non duplicis punctaturæ, ratam esse S. C. mandat : *Ibid.*, *dub.* 11.

10. Dignitates ecclesiæ S. Salvatoris erectæ in cathedralem ecclesiam sacros ordines assumendi juxta decretum ab Episcopo promulgatum die 6 decem. 1749, cui decreto minime paruerunt, devinctæ sunt : *Oriolen.*, 7 *febr.* 1756, *dub.* 1, confirmata 23 *aug. dicti anni*.

11. Causa quæstionis, capitulares ecclesiæ collegiatæ, et receptitiæ terræ Galatonæ dubium attulerunt, an sit augendum servitium, ita ut dignitates teneantur inservire in divinis officiis alternatim per hebdomadam, et non amplius per tertiariam, uti mos invaluit, et portionarii continuo, et quotidie, non autem per hebdomadam? S. C. respondit, *negative juxta modum, nempe ad formam constitutionum synodalium an.* 1680, *cap.*3 : *Neritonen.*, *Plurium*, 12 *julii* 1760, *dub.* 2.

12. Ac ad portionarium hebdomadarium non spectat celebrare Missam solemnem, exponere sanctissimum Sacramentum, et præcinendo divina officia in octava sanctissimi Corporis Christi, et in aliis solemnioribus diebus primæ, et secundæ, classis ; sed ad dignitatem, vel ad canonicum antiquiorem ejusdem hebdomadæ : *Ibid. dub.* 11.

13. Dignitates ecclesiæ cathedralis assiduum servitium sustinent, et in annuis vacationibus trium mensium, quibus fruuntur, amittunt distributiones, exceptis diebus 20 ; postulant hinc, ut 55 vacationis dies elargiantur, quin distributionum, et fructuum jacturam faciant ; et S. C. rescripsit : Dilata, et scribatur Episcopo pro meliori informatione, et referat de numero canonicorum, et de reditu canonicatuum : *Oscen.*, *Servitii chori*, 18 *maii* 1776.

Dignitates ecclesiæ in specie. Vide *Abbas*, *Archidiaconatus*, *Archipresbyteratus*, *Cantoratus*, *Decanatus*, *Episcopalis dignitas*, *Præpositura*, *Primiceratus*, *Prioratus*, *Scholastria*.

Dimissio. V. *Administrator*, § vi ; *Beneficia ecclesiastica*, § x ; *Bona ecclesiastica*, § ii ; *Capellania*, § vii.

Dimissoriales litteræ. Vide *Abbas*, § v ; *Episcopus* § v ; *Sacramentum ordinis*, §§ ii et iii.

Diœcesana synodus. Vide *Synodus*.

Diœcesis nullius. Vide *Abbas*, *Abbatia*.

Dismembratio. Vide *Beneficia ecclesiastica*, § iv ; *Bona ecclesiastica*, § iii ; *Canonicatus*, § ii ; *Capellania*, § ii ; *Ecclesia parochialis*, § iv.

Disparitas cultus. Vide *Matrimonium*, § xii.

Dispensandi potestas. Vide *Episcopus*, § xvii.

DISPENSATIO.

§ I.

Dispensatio seu indultum absentandi a choro.

1. Censuit S. C. licere canonico causa studiorum abesse, et interim percipere fructus præbendæ amissis tamen distributionibus quotidianis, quæ inservientibus accrescunt, dum tamen non ultra quinquennium absit, et nunc cum studia aggreditur, 25 annos non attingat : *Segnien.*, 23 *april.* 1592.

2. Innocentius XII, Pont. Max., notitiam habuit chorum basilicarum, et collegiatarum ecclesiarum urbis propter indulta concedi solita nonnullis cano-

[36] Vide not. 2 et 14, tom. 1, verb. *Capitulum ecclesiasticum*, § 10.

nicis, et beneficiatis ad paucitatem inservientium redigi. Qua de causa congregationem particularem deputavit, ut indultis examinatis servitio ecclesiarum prospiciat. Hæc congregatio hæc edidit decreta quæ Sum, Pontifex confirmavit, videlicet hujusmodi indulta quoad nuntios apostolicos, necnon intimos, et eidem Sanctissimo actu inservientes, familiares, ac subdatarium, et Cameræ apostolicæ commissarium non esse immutanda : *Urbis, Indult.*, 2 *maii* 1693, *dub.* 1.

3. Quoad gubernatores, et vice-legatos provinciarum civitatum, et locorum status ecclesiæ, qui durante absentia, nunquam possunt ecclesiis interesse, necnon procuratorem generalem montium, et familiares S. R. E. Card. firmo tamen, quoad eorumdem Card. caudatarios remanente decreto moderatorio S. C. Concilii Trid. *die* 19 *aug.* 1690 edito, esse revocanda, et expedire, quod in posterum non concedantur : *Ibid.*, *dub.* 2.

4. Indultum inservienti secretariæ Congregationis Card. consultationibus negotiorum ditionis temporalis ejusdem S. R. E. præpositorum concessum reformandum esse, et in posterum circumscribendum ad illos dies et horas dumtaxat, quibus ratione hujusmodi servitii actu aliter præstandi impeditus fuerit, ejus conscientia desuper strictissime onerata: *Ibid.*, *dub.* 3.

5. Indulta causa studii pro lucrandis fructibus dumtaxat, nec aliter pro lucrandis distributionibus quotidianis esse concedenda, quam pro ecclesiis, quarum reditus consistunt in solis distributionibus quotidianis, vel in distributionibus una cum fructibus tenuis præbendæ, dempta tertia parte, quæ inservientibus accrescat; nec pariter concedenda ultra triennium; neque majoribus viginti quinque annis, quinimo hujusmodi ætate 25 annorum expleta, eadem indulta, licet idem triennium adhuc completum non fuerit, expirare : *Ibid.*, *dub.* 4.

6. Omnes denique habentes indulta pro singulis diebus et horis adhuc esse punctis notandos toties quoties ecclesiæ seu choro non interfuerint, sed in qualibet hebdomada hujusmodi puncta posse, et debere deleri, seu tolli, pro illis tantum diebus, et horis, quibus indultarii allegaverint peculiaria impedimenta ratione eorumdem munerum eorum conscientia hac super re strictissime onerata, et circa hujusmodi impedimentum judicio proprii vicarii cujuslibet ecclesiæ. In ecclesiis vero, ubi non adest hujusmodi vicarius judicio dignioris canonici est deferendum : *Ibid.*, *dub.* 5.

7. Exhibitus fuit casus canonici coadjutoris, qui indultum petebat causa studiorum, offerente etiam coadjuto seipsum interea divinis officiis interfuturum. Sed S. Congr. postulatum indultum negandum censuit, rescripsitque oratorem jure suo uti posse : *Praten.*, *Indulti*, 2 *martii* 1697.

8. Refragantibus statutis capitularibus ecclesiæ receptitiæ parochialis S. Antonii castri Pici, ac Episcopi decreto, ut fructus absentium accrescat intervenientibus ; Antonius Carnevale præbendarius dictæ ecclesiæ, et alumnus seminarii Pontis Curvi indultum causa studiorum de more concedi solitum absentandi, et participandi obtinuit, et licet nonnullis obstantibus quoad partitionem, S. C. tamen mandavit indultum esse exequendum : *Aquinaten.*, *Participat.*, 14 *junii* 1704.

9. Joannes Stuben provisus a Pontifice de canonicatu collegiatæ ecclesiæ SS. Cassii, et Florentii oppidi Bonhen, quum esset septuagenario major, et mala affectus valetudine ex quadam asthmatis specie, supplicavit pro indulto, ut licet adversante statuto dictæ collegiatæ, a choro saltem matutinis horis possit abesse, etiam in anno *captiosæ*, ut vocant, residentiæ ab eodem statuto impositæ, et S. C. assensa est ad sex menses pro horis matutinis : *Colonien.*, *Indulti*, 28 *novem.* 1716.

10. Eugenius IV, Sum. Pont., rectori, magistris, doctoribus, discipulisque celebris academiæ Vallisoletanæ indulsit, ut reditus quorumcumque beneficiorum, exceptis distributionibus quotidianis etiam absentes percipere valerent. Franciscus Fernandez de Val archidiaconus ecclesiæ cathedralis Palentinæ in prædicta academia sacræ Theologiæ lectiones habendi facultatem obtinuit. Capitulum Palentinum hoc in fraudem residentiæ factum existimans, quia nec cathedra, nec stipendium assignatum illi fuit, negavit archidiacono minime sua jura deducenti indultum præfatum non suffragari in casu, de quo agitur, declaravit : *Palentina*, *Indulti*, 5 *april.* 1732. At quum Franciscus indultum non loqui de stipendio, nec de cathedra, sed de sola publice docendi facultate, ostendisset, S. C. consilium mutavit, et indultum suffragari præterquam tempore vacationum patefecit : 6 *dec.* 1732.

11. Clericus Franciscus Antonius Ciura coadjutor Dominici Lo Jucco metropolitanæ ecclesiæ canonici, quum Neapolis litterarum studiis vacaret, facultatem petiit sibi impertiri, ut ob eam causam a Tarentina ecclesia abesse possit absque ullo, vel suo, vel canonici coadjuti detrimento; capitulum licet non repugnet ad effectum assequendi tantum reditus massæ communis, non vero distributiones, S. C. tamen hujusmodi preces rejecit, addens ad mentem : *Tarentina*, *Indulti*, 28 *martii* 1733.

12. Eleonora, et Francisca sorores de Manderscheidt Blankenkeim, qui canonicatus in collegiata ecclesia utriusque sexus ad S. Ursulam intra Coloniam obtinent, ob consuetam invalitudinem, necnon ob ingravescentem ætatem exposuerunt non posse quadrimestri servitio incumbere, nec itidem adc ho

rum superiorem ascendere; idcirco absentandi a choro superiore, et eo tempore quo ægram ducunt valetudinem, a choro inferiori indultum postularunt; responsum fuit pro gratia [37] juxta modum : *Colonien., Indulti, 5 junii* 1734.

13. Quum Ubaldus Antonius Guiduccius canonicus cathedralis ecclesiæ ob morbum asthmaticum horis vesperarum, et completorii a choro abesse incœpisset, dubitatum fuit, an legi punctaturarum obnoxius esset; S. C. censuit ei indulgendam esse exemptionem a choro durante infirmitate; constabat enim de legitimo impedimento non accedendi ad illam ecclesiam horis vespertinis : *Eugubina, Servitii chori*, 23 *aug.* 1738.

14. Franciscus Garcia de Sancto, Martino, et Emmanuel Anio Pelegrin in ecclesia cathedrali canonici coadjutores frui quum vellent eadem facultate, ut quotannis abesse possint diebus quinquaginta, qua omnes illius ecclesiæ dignitates, et canonici ex beneficio a Clemente VII, Sum. Pont., concesso fruuntur, preces S. C. obtulerunt, quæ benigne eis annuit : *Civitaten., Indulti*, 20 *martii* 1745.

15. Franciscus Carolus Aquilanæ ecclesiæ archidiaconus adversa valetudine laborans, pluribusque vitiis affecta postulationem fecit, ut a choro abesse posset. Testantur medici vacandi a choro necessitatem. Proposito dubio, num illi sit concedendum indultum? S. C. causam protelavit, dixitque ad mentem, quæ fuit, ut scriberetur Episcopo juxta instructionem : *Aquilana, Indulti*, 20 *martii* 1745, *dub.* 1. Deinde indultum a S. C., onerata tamen conscientia oratoris durantibus infirmitatibus arbitrio Episcopi, concessum fuit : 26 *junii ejusd. anni.*

16. Gravi capitis, oculorum, et pectoris infirmitate laborans canonicus Jacobus Baldovinettius coadjutor canonici Medices in metropolitana ecclesia dispensationem ad quinquennium a choro per spatium trium mensium hiemalium, quolibet anno, præter vacationes a Concilio Tridentino concessas a Sede Apostolica obtinuit. Sese contradictorem huic præstitit capitulum ipsum, cujus princeps canonicus, exequutione remorata ea num fieri possit? postulat. Verba Archiepiscopo S. Congr. direxit pro confectione processus super ejusdem infirmitate, et qualitatibus : *Florentina, Exequut. brevis*, 30 *april.* 1745.

17. Canonicus ecclesiæ cathedralis Theodorus Grech ætatis annorum 14, petita facultate vacandi studiis in publico seminario clericorum illius diœcesis, et successive in aliqua approbata universitate reportavit indultum absentandi a choro causa studiorum per septennium, amissis distributionibus quotidianis. Inde egressus e seminario ad locum Burmulæ profectus est, ob id quæsitum fuit, an suffragetur indultum, seu ille fuerit subjectus punctaturis a die, quo exivit e seminario instar aliorum canonicorum absentium? S. C. rescripsit : Dilata, et ad mentem : *Milevitana, Indulti*, 28 *sept.* 1743, *dub.* 1. Rediit causa, et Episcopo canonicum memoratum Burmulæ operam studiis philosophiæ optime navare referente S. C. indultum suffragari nec esse eumdem punctis notandum decidit: 27 *junii* 1744, *dub. ibid.*

18. Gregorio Antonellio capellano S. Mariæ Lauretanæ erectæ in collegiata SS. Quintini, et Petri de Saxa civitatis Aquilæ cui incumbit onus deserviendi choro, facultas inserviendi per substitutum fuit denegata. Huic, licet morbo cardialgiæ laboret, vacandi a choro matutinis horis non est indulgenda facultas : *Aquilana*, 20 *martii* 1756, *dub.* 2, confirmata 29 *maii ejusd. anni.*

19. Sacerdos Joannes Cadonicius vir clarus, et auctor *Vindiciæ Augustinianæ ab imputatione regni millenarii*, necnon canonicus cathedralis ecclesiæ, quum ob pedum dolorem, surarumque contractionem ecclesiæ, et altari servitium continuare non valeret, a capitulo obtinuit, ut a servitio desisteret, et quotidianas perciperet distributiones. Verum quum hic e morbo aliquantum convaluit, capitulum eum monuit, ut in posterum choro interesset. Respondit ille morbum gravius factum esse, et nec membra in choro flectere, nec ad cathedralem a domo sua uno milliario dissitam progredi valere, petiit indultum pro exemptione a servitio chori, et assecutus est, durante infirmitate, et sua onerata conscientia : *Cremonen., Indulti*, 2 *aug.* 1760, *dub.* 1.

20. Sacerdos Mainardus beneficiatus ecclesiæ cathedralis, quum dudum convulsivis nervorum doloribus vexari cœpisset, postulavit, ut dispensaretur quotidie ab onere interveniendi choro hora matutina; quoad reliquas horas tunc solum, quando actu angitur graviori convulsionum morbo, facta nihilominus ei facultate quotidianas percipiendi distributiones. Ab indulto alienum animum habebat capitulum, illud sustinebat Episcopus, qui inopis oratoris conscientiam onerari posse putabat; et S. C. juxta Episcopi votum petitioni concessit : *Piscien., Indulti*, 6 *decem.* 1760.

[37] Modus fuit, ut oratrices ipsæ diebus, quibus per corporis valetudinem officio divino interesse possunt, suam residentiam facere valeant assistendo in choro inferiori, et ibidem tempore divini officii assistere debeant in habitu canonicali. Lib. 84, *Decret.* pag. 284.

21. Beneficiatis, seu præbendariis ecclesiæ parochialis villæ de Reus, qui numero triginta septem una cum priore, quotidiano ecclesiæ servitio mancipatis donatum fuit indultum absentandi pro quatuor capitularibus per vices, et pro duobus tantum mensibus cum solitis autem clausulis: *Tarracon.*, 18 *febr.* 1764. Denuo proposita causa, rescriptum prodiit: Moderandas non esse clausulas appositas in rescripto, sed esse augendum numerum capitularium, qui abesse possunt, ad sex capitulares tantum: 23 *martii* 1765, *dub.* 1.

22. Canonicus Innocentius Bonamicius ecclesiæ Pratensis theologus morbo non absque vitæ discrimine vexatus, senioque confectus, necnon servitio assiduo chori per triginta annos laudabiliter functus, repugnante capitulo suo, indultum arbitrio Episcopi a choro vacandi durantibus infirmitatibus, onerata sua conscientia, reportavit: *Praten.*, *Indulti vacandi a choro*, 23 *junii* 1764.

23. Subdiaconus Franciscus Zucchius annorum 15, primiceriatus dignitatem ecclesiæ cathedralis assequutus est. Indultum exemptionis a choro, ut in studium incumberet, ad triennium obtinuit, et postea ad biennium, quod deinde ad annum, ac demum ad alium annum fuit prorogatum. Alteram nunc efflagitat indulti prorogationem, eique adversatur tum Episcopus, tum capitulum, atque demum etiam S. Congr. obstitit: *Urbanien.*, *Exempt.*, 21 *nov.* 1772.

24. Canonico Antonio Roberti cathedralis ecclesiæ petenti inspecta illius infirmitate absentiam a choro per triennium S. C. tribuit ad annum: *S. Agathæ Gothorum*, *Exempt.*, 13 *febr.* 1773.

25. Michael Angelus Crocicchia, cui resignatus fuit canonicatus ecclesiæ collegiatæ terræ Campaneani de jurepatronatus suæ familiæ, in ætate circiter annorum decem, Romæ degenti, absque Sedis Apostolicæ indulto a choro abfuit cum capituli dedecore, et canonicorum incommodo; et modo postulavit prorogationem indulti vacandi a choro, ut curriculum studiorum absolvat. Verum postquam orator fuerat ad punctaturas a die captæ possessionis condemnatus, eidem oratori petita in posterum exemptio quoque fuit denegata: *Nepesina*, 20 *januar.* 1776, *dub.* 2.

26. Clerico Antonio Severolio archidiacono cathedralis ecclesiæ concessum a Summo Pontifice indultum absentandi ratione studiorum, illudque ab eodem Summo Pontifice confirmatum etiam, opponente capitulo, ac constitutionibus capitularibus adversantibus, sustineri debere S. C. decrevit: *Faventina*, *Distribut.*, 13 *julii* 1776, *dub.* 1.

27. Defendens Maria Trevi canonicus ecclesiæ collegiatæ S. Gaudentii quum in hypocondriacam ex corporis habitu incidisset affectionem, eaque sit graviter vexatus, supplicavit pro indulto, quo ab horis matutinis, a servitio chori, a capitularibus comitiis, ita abesse possit, ut non solum omnes suæ præbendæ fructus, sed etiam quotidianas, aliasque extraordinarias distributiones percipiat. Favet Episcopus, et S. C. annuit [38] juxta votum Episcopi cum solitis clausulis: *Novarien.*, *Indulti*, 12 *jan.* 1777.

28. Præpositus collegiatæ ecclesiæ S. Juliani oppidi Gaudiani, impetrata ab Episcopo venia ad sex menses Romam, accessit litis in sacra Rota agendæ ratione. Romæ manens a S. C. petiit absentandi veniam, et fructus ac distributiones tamquam si præsens esset, percipiendi facultatem, et obtinuit ad aliquos menses, exequutione Episcopo commissa, et postea ad alios quatuor menses prorogata facultas prædicta fuit. At capitulum indulta penitus ignorans fructus, distributionesque partitum est; ob id, invito capitulo, ille egit, et ulteriorem indulti prorogationem poposcit. Capitulum tunc obloquutum est, et indulta subreptitie obtenta fuisse contendit, et disputato dubio, an indulta illa sustinerentur? et S. C. rescripsit, ut scriberetur Episcopo juxta mentem [39]: *Novarien.*, *Distribut. et fruct.*, 5 *julii* 1777, *dub.* 1.

29. Canonicus Calixtus Ranfius ecclesiæ collegiatæ terræ Tophiæ, obtento indulto vacandi a choro per biennium causa studiorum amissis distributionibus quotidianis, fuit ad aliud biennium prorogatum ad formam præcedentis. Degebat enim adhuc in seminario S. Salvatoris Majoris causa studiorum: *Nullius*, *Farfen. Punctat.*, 5 *aug.* 1780, *dub.* 2.

30. Nicolaus Cepollarius, et Nicolaus Vico præbendati ecclesiæ collegiatæ S. Donati, quæ unita fuit alteri collegiatæ SS. Petri et Pauli, indultum

[38] Novariensis enim Antistes in votis habebat, ut quum satis perspecta sit oratoris integritas, concedi illi posset indultum pro dispensatione ad annum, durante infirmitate et illius onerata conscientia, ita ut integro frueretur distributionum compendio, sed excepto lucro proveniente ex anniversariis, aliisque functionibus extraordinariis, in quibus ex testatorum voluntate præsentibus tantum stipendium præstari debeat: *Ead. causa*, 23 *nov.* 1776, § 4.

[39] Mens est, ut Episcopus referat, an ab ipso editum fuerit decretum, illudque penes acta curiæ episcopalis extet, quo jussa fuerit exequutio indulti concessi a S. C. in favorem rev. Perolii, quo eidem facultas concedebatur vacandi a choro, ut a servitio ecclesiæ per quatuor menses ex causa litis agendæ in urbe ad tuenda jura suæ præposituræ, cum perceptione omnium fructuum, distributionum aliorumque emolumentorum, quæ ab intervenientibus percipiuntur. *Regist. lit.* lib. 33, *die* 5 *julii* 1777.

studiorum causa impetrarunt. Hi indultarii erant præbendati ecclesiæ S. Donati, et secundum taxam ejusdem ecclesiæ, quæ aliarum minor erat, tertiam distributionum partem dimiserunt. Capitulum autem cœpit contendere dimetiendas esse distributiones juxta majorem alteram ecclesiæ SS. Petri et Pauli, taxam ad formam præfatæ unionis bullæ, et proposito dubio, quomodonam essent amittendæ distributiones? non fuit ulla data definitio; sed voluit S. C. ut scriberetur Archiepiscopo juxta instructionem: *Firmana*, 19 *maii* 1787.

31. Canonici collegiatæ ecclesiæ oppidi *di Biandrate* singulis hebdomadis tres canunt Missas, terque officium divinum recitant, exceptis mensibus julii, augusti, et septembris, in quibus officium diebus tantum agunt festis. Hi exorant S. C. pro indulto a choro vacandi tribus illis nocuis mensibus sub obligatione adimplendi onera reliquo anni tempore. S. C. assensa est eis juxta Card. Episcopi votum [40]: *Vercellen.*, *Servitii chori*, 19 *junii* 1790.

32. Horatius Valeriani canonicus ecclesiæ collegiatæ oppidi S. Victoriæ, electus in vicarium generalem ab Episcopo Fanensi, supplicat pro facultate vacandi a choro durante munere vicariatus, dimissa in favorem ejusdem collegiatæ tertia fructuum parte, et S. C. indultum absentandi donavit ad alium annum tantum absque spe ulterioris prorogationis: *Firmana et Fanen.*, *Abessendi*, 26 *novem.* 1796.

33. Quum ad unum ex duobus beneficiis residentialibus, seu legatis a Petro Stecconi fundatis in collegiata ecclesia S. Bartholomæi Busseti nominatus fuisset clericus Dominicus Stecconi, qui a S. C. capax factus est ad illud assequendum ob defectum nativitatis, et educationis in prædicto oppido, quum in villa S. Andreæ sub parochia Busseti natus esset; exorat pro indulto absentandi a choro, et supplendi per alium servitium ecclesiæ, donec ad subdiaconatum ascenderet, ut vacare interim studiis posset; et id adeptus est, arbitrio Episcopi, dummodo non excedat ætatem annorum 25: *Burgi*, *S. Domnini*, *Legati*, 19 *aug.* 1797, *dub.* 3.

§ II.

Dispensatio, seu indultum absentandi a residentia.

1. Nicolaus Bellosili canonicus Offidæ licentiam petit absentandi perpenso servitio, quod præstat in secretaria status Sanctissimi D. N., et pro indulto percipiendi fructus, et distributiones; S. C. indulsit ex causa permissa per sex menses, et interim omnes fructus, et distributiones ejusdem sui canonicatus percipere valeat æque, ac si personaliter interesset: *Anconitana*, 2 *aug.* 1670.

2. Vincentius Benignus canonicus sacrosanctæ basilicæ supplicat pro indulto vacandi a residentia causa infirmitatis, et S. C. ad sex menses arbitrio, et conscientia Card. archipresbyteri concessit: *Romana*, 19 *april.* 1692.

3. Mucius Simoncellus dignitatis prioratus cathedralis ecclesiæ possessor post residentiam annorum decem ob plura munera exercita, vicarii nempe generalis sanctissimæ Inquisitionis, commissarii generalis trium decimarum, et delegati Sedis Apostolicæ, ab æmulis e civitate sub motivo, quod adhæreret Gallis, expulsus fuit; ideo indultum a residentia, ac fructus, distributionesque percipiendi obtinuit. Hoc prorogatum indultum modo expirat, perpetuumque idem fieri postulat, eadem causa exilii permanente, licet dissensiones inter Gallos et Hispanos sedatæ sint; S. C. tamen ejusdem preces haud audivit: *Nullius*, *Orbetelli*, *Resident.*, 24 *april.* 1700.

4. Controversia inter capitulum cathedralis ecclesiæ Varmiensis, et Episcopum facta, capitulum canonicum Bassanum procuratorem constituit, qui indultum a residentia consecutus est. Hoc indultum ob litem octo dubia complectentem adhuc non definitam a S. C. per annum renovatum fuit: *Varmien.*, *Indulti*, 4 *sept.* 1700. Deinde indultum præfatum ad alios sex menses fuit protractum: 18 *febr.* 1702, *dub.* 2, confirmatum cum additione absque spe prorogationis: 1 *april. ejusd. anni.*

5. Ob patratum homicidium a Joanne Michaele Cottono in Joannem Josephum Sanctolinium ecclesiæ cathedralis canonicum, Joannes Brandus Cottonus germanus frater dicti Joannis Michaelis, et canonicus theologalis ejusdem ecclesiæ summas suscepit inimicitias cum omnibus consanguineis dicti canonici numero 50, hinc coactus fuit suam residentiam deserere, et profugus latitare. Indultum proinde absentandi obtinuit, et eo absoluto, aliud causa redeundi absque alia spe ad tres menses impetravit: *Alerien.*, *Indulti*, 17 *dec.* 1701.

6. Felix Rodulphus alumnus collegii Capranicensis urbis, et canonicus divæ Mariæ terræ Cassiæ indultum per alium annum ex causa studii vacandi

[40] Indulgeri posse censet Episcopus petitioni oratorum, ea tamen lege, ut Missæ, et officia, quæ mensibus petitis amitterentur, reliquis anni mensibus integro suppleantur ad majorem Dei cultum, ejusque ecclesiæ decorem, et ad hujusmodi munerum implementum; necnon a capitulo provideatur pro Missa diebus festis, cum in canonicorum absentia non desint vice-parochus, capellanus, atque regulares, quorum in eorum oppido adest conventus, qui animarum ibi degentium curæ, et saluti optime consulant: *Ead. causa*, 5 *junii* 1790, § 1.

a residentia obtinuit. Hoc indultum commissum fuit pro exequutione arbitrio, et conscientiæ Episcopi, qui inspecto canonicorum præsentium exiguo numero exequutionem suspendit. Felice reclamante, S. C. pro exequutione gratiæ absque spe ulterioris prorogationis, et ut Ordinarius cogat alios absentes prout de jure ad residendum, respondit: *Spoletana, Indulti*, 19 *julii* 1704.

7. Joannes Baptista Boccardus primicerius ecclesiæ metropolitanæ indultum se removendi a residentia per annum proximum tantum consecutus est cum facultate percipiendi duas ex tribus partes distributionum; at indulto exhibito capitulum has renuit præstare a die 10 julii usque ad sept. proximum, quia annus choralis spectata consuetudine incipit a die prima sept. S. C. autem hac super re requisita rescripsit, indultum esse attendendum a die concessionis: *Firmana, Indulti*, 7 *maii* 1707.

8. Joseph Maria Cevatarius, sacerdos oratorii S. Philippi Nerii, capellaniam cum onere in fundatione adjecto residendi in loco Conzani, et in domo ipsiusmet fundatricis Paula Sturiæ, ac personalis celebrationis Missarum adeptus est. Inde ad triennium proximum tantum habuit dispensationem celebrandi per substitutum sub die 22 decem. 1691. Postea elapso triennio in celebratione per substitutum continuavit; at instante promotore fiscali curiæ episcopalis tam super residentia, quam personali celebratione, S. C. non esse locum dispensationi decrevit: *Casalen., Residentiæ*, 24 *sept.* 1707, *dub.* 2.

9. Obtinuit Simeon Dominicus Ponam canonicus ecclesiæ cathedralis a S. C. indultum absentandi ex causa litis, quam habebat cum vicario apostolico Reatino, et hoc indultum fuit prorogatum. Simile etiam habuit canonicus Paulus de Matthæis ob eamdem causam. At capitulo opponente, et exhibente Constitutione Nicolai V, Pont. Max., in qua non deberi distributiones intervenientibus, demandatur. S. C. rem diluit decretans præfata indulta servanda esse: *Reatina, Indultorum*, 17 *decem.* 1707.

10. S. M. Innocentius XII, ad ecclesiam episcopalem Namurcensem evexit Ferdinandum Maximilianum de Berlo canonicum præbendatum, ac archidiaconum Campiniæ nuncupat. Cathedralis ecclesiæ Leodiensis, eique omnia retinendi ad decennium indulsit, et inde ad aliud prorogavit. Verum capitulum Leodiense Episcopum ad residendum saltem per trimestrem, si lucrari vellet fructus canonicatus, ac archidiaconatus hortatum est. Leodium liberum non esse sibi adire ob vigentes bellorum strepitus Episcopus respondit, et inde recursum habuit ad S. C. pro indulto tenuitatem redituum mensæ episcopalis Namurcensis afferens, et S. C. rescripsit pro gratia ad biennium, durante impedimento accedendi ad ecclesiam [41] juxta modum: *Leodien., seu Namurcen., Residentiæ*, 5 *sept.* 1711. Deinde biennium currere a die recursus in S. C., nempe 20 sept. 1710, declaravit: postea ad aliud biennium perseverante obstaculo ei indulsit, confirmat. 17 *maii* 1713.

11. Carolus Fernandinus S. R. J. comes Lodronius adeptus fuit canonicalem præbendam, ac dignitatem præposituralem in ecclesia cathedrali Tridentina simulque parochialem ecclesiam villæ Lagarinæ de ejusdem prænobilis familiæ jurepatronatus, jam obtento indulto super incompatibilitate; modo supplicat pro dispensatione ab onere residendi in dicta parochiali, cui decenter suus vicarius inservit. S. C. esse concedendam gratiam abscedendi a parochiali per sex menses quolibet anno, dummodo resideat in cathedrali, rescripsit: *Tridentina, Dispensat.*, 11 *martii* 1713.

12. Ad restituendam academiam seu universitatem Beacensem sub auspiciis ven. magistri Joannis de Avila erectam, causa redituum diminutionis, postulatum est a S. C. indultum, ut rector, lectores, doctores, magistri, licentiati, baccalaureati, et audientes in dicta academia pro tempore docentes, et respective addiscentes licite percipere possint omnes fructus suorum beneficiorum ecclesiasticorum cum cura, et sine cura, in quibuslibet ecclesiis; etiamsi canonicatus, præbendæ, dignitates, perinde ac si inservirent, ac residerent personaliter; at S. C. hujusmodi indultum denegavit: *Giennen., seu Beacen., Indulti*, 1 *decem.* 1714.

13. Sacerdos Amantius de Augier obtento canonicatu in ecclesia cathedrali inspectis tum servitio, quod Card. della Tremoille impendebat, tum ingruentibus bellorum calamitatibus, ex quibus tutus non erat ad residendum accessus, a S. C. petiit a residentia indultum, obtinuitque, ac per annos sex eo pluries prorogato gavisus est. Modo instante capitulo, indultum prædictum, et ejus prorogationes suffragari canonico Amantio ad faciendos fructus suos decrevit: *Avenionen., Indultorum*, 9 *febr.* 1715, *dub.* 1.

14. Ac ultimum quidem indultum sustineri præcipitur, sed mandatur etiam, ut orator post finem postremi indulti omnino ad residentiam redeat: *Ib., dub.* 2.

15. Instante Felice Perez parocho ecclesiæ oppidi de Tamarit alioquin optime merito pro indulto a

[41] Videlicet, amissa tertia parte fructuum, ita tamen, ut curæ esset Episcopi removendi impedimentum, quo præpediebatur abire Leodium, ac visitationem archidiaconatus expleret: *Ead. causa*, 15 *maii* 1713.

residentia ob aeris intemperiem, relicto vicario ad curam animarum exercendam responsum fuit pro gratia ad triennium, inspectis facti circumstantiis, et additum ad mentem fuit[48] : *Tarraconen., Residentiæ*, 24 *martii* 1736, *dub.* 2.

16. Concedendum non esse indultum a residentia Annæ Salomæ comitissæ de Manderscheidt Falakenstem, quæ canonicatum una cum decanatu in collegiata ecclesia utriusque sexus B. M V. oppidi Thorensis, atque abbatissatum in alia simili collegiata S. Ursulæ intra Coloniam, ubi moratur, posita obtinet, censet S. C. prout capitulo in votis erat : etiamsi ex trium medicorum testimonio prolatam esse suam infirmitatem oculorum ipsa Anna affirmet : *Leodien., seu Colonien., Fructuum*, 1 *sept.* 1736, *dub.* 2.

17. Jacobus Toppi archipresbyter montis Percili, quum diuturnam, justamque litem in tribunali sacræ Rotæ contra populum, parœciæ incolis sustinuisse, excitatis in eum plurimis inimicitiis nocturno tempore aufugere compulsus fuit ; hac de causa non semel indultum a residentia vacandi a S. C. retulit. At modo instantia ejusdem iterum producta pro indulti prorogatione, eam ad sex menses, et ad Card. præfectum juxta mentem obtinuit : *Tiburtina, Indulti*, 7 *sept.* 1737.

18. Indultum de non residendo minime pro nunc esse donandum Januario Olivierio parocho ecclesiæ in Casali Cellularum positæ S. C. censuit. Hic enim prius causa infirmitatis indultum assequutus erat, ac postea licet valetudini bonæ restitutus ad eam ecclesiam reverti negligebat : *Suessana, Resid. et censur.*, 15 *martii* 1738, *dub.* 3.

19. Hermanus Wernerus de Bossart præpositus collegiatæ ecclesiæ S. Andreæ, et canonicus collegiatæ ecclesiæ S. Gereonis civitatis Coloniæ, indultum a serenissimo Archiepiscopo, cui famulabatur, abscedendi a choro in ecclesia S. Andreæ, et quascumque distributiones quotidianas percipiendi retulit. At quum a sacra cæsarea, et catholica majestate residentis ministerium in circulo Westphalico obtinuisset, tanquam Ecclesiæ universalis bono vacans, a Pontifice indultum pariter imploravit residentiæ canonicalis in præfata ecclesia, et fructus et emolumenta, ac si continuo in choro præsens esset : et consecutus est ad triennium, si tamdiu ille duraverit in munere, omissis tamen distributionibus quotidianis : *Colonien., Indulti*, 1 *aug.* 1739.

20. Andreas Luceti coadjutor cum futura successione Dominici Andreæ Cameti parochi ecclesiæ S. Stephani villæ Pontis Sigestri non indiget dispensationis a residentia locali gratia, quia in bulla coadjutoriæ haud residendi decretum adest : *Brugnaten., Coadjutoriæ*, 17 *januar.* 1756, *dub.* 1.

21. Quum Paulus Nannius decanus ecclesiæ cathedralis ratione senectutis ac malæ valetudinis indultum absentandi ex causa infirmitatis ad quatuor menses hiemales tantum arbitrio Episcopi obtinuisset, modo juxta ejusdem Episcopi votum, prævio recessu a decisis ad annum conceditur, durante infirmitate, et onerata conscientia oratoris : *Hyeracen., Dispensat.*, 27 *martii* 1762.

22 Parochus Evangelisti indultum absentandi a sua parœcia in loco Provertii sita per triennium impetravit. Exposuerat enim nullam adesse domum parochialem, nec conductitiam, ac parochia illa in vicinia civitatis Urbaniæ, ubi moram ducere ille cupit, versatur. Inde spopondit domum parochialem construere. Hæc minime comprobata esse populus reclamans autumavit. Nam ille vicarii generalis munus in dicta urbe exercet ; ideo interrogata S. C. censuit esse locum moderationi indulti triennalis eidem parocho super dispensatione a residentia concessi, et ad secretarium pro præfixione termini : *Urbanien.*, 14 *januar.* 1764.

23. Antonius Prieto e loco Caronio Compostellanæ diœcesis nominatus ad capellaniam ordinatam ab Ursula Padrignas in ecclesia Lucensi, quæ habet onus residendi, quum in patria matrem infirmam habere, sororemque teneræ ætatis omni humano auxilio, ac fortunæ bonis egentes exposuisset, a S. C. indultum se absentandi durante vita matris tantum, impletis tamen per alium omnibus oneribus, obtinuit : *Lucen.*, 1 *martii* 1766, *dub.* 2.

24. Hieronymus Catalinus Camers capellaniam erectam in ecclesia sanctissimæ Conceptionis Ploraci quæ onere residendi in eodem loco Ploraci, celebrandi, necnon sacramentales audiendi confessiones per seipsum excepto casu infirmitatis, vel legitimæ causæ gravata est, acquisivit Hic ob aeris gravitatem, quum nonnullis internis morbis laboraret, indultum abscedendi postulavit, reportavitque ad triennium, si tamdiu necessaria infirmitatis causa perdurasset, et onerata oratoris conscientia, et cum onere supplendi per sacerdotem secularem etiam ad excipiendas saramentales confessiones : *Camerinen.*, 21 *junii* 1766.

25. Carolus Lavini, qui nominatus a patronis ad capellaniam fundatam ab Alexandro Antonio Gentilonio sub lege, quod nominatus curam animarum non habeat, nec ullum beneficium residentiale cum eadem capellania incompatibile possideat, in-

[48] Videlicet, ut Episcopus deputet vicarium idoneum, qui in loco de Tammarit resideat sumptibus parochi : *Regist. lit.*, lib. 28, *die* 24 *martii* 1736.

dultum se removendi, et implendi onera per alium petens, exoptansque munus prædicationis, vel vicarii generalis obire. S. C. illum non audivit, etiamsi de capellania mere laicali ab ordinaria jurisdictione exempta agebatur : *Auximana, Indulti*, 9 *julii* 1768.

26. Quum poneretur quæstio, an in favorem sacerdotis Laurentii Geraldini ad sacros ordines titulo capellaniæ a Bartholomæo Jannuzzio erectæ promoti, et a castro Pinnæ abesse coacti, eo quod sit adscriptus inter presbyteros congregationis Missionis, sit locus dispensationi a residentia a fundatoribus mandata ? S. C. rescripsit, ut Episcopo scriberetur juxta instructionem [43] : *Amerina, Reduct., et dispensat.*, 7 *aug.* 1773, *dub.* 2.

27. Michael Angelus Crocicchia, cui resignatus fuit canonicatus ecclesiæ collegiatæ terræ Campaneani de jurepatronatus suæ familiæ in ætate annorum circiter decem, Romæ degenti, absque Sedis Apostolicæ indulto a choro cum capituli dedecore, ac canonicorum incommodo vacavit ; modo prorogari absentiæ indultum, quod obtinuisse supponit, ac nunquam exhibuit, usque dum studiorum metam attingat a S. C. imploravit. Verum postquam orator fuerat ad punctaturas a die captæ possessionis condemnatus, eidem S. C. indultum a residentia quoque negavit : *Nepesina*, *die* 29 *januar.* 1776, *dub.* 2.

28. Quum defendens Maria Trevi canonicus ecclesiæ collegiatæ S. Gaudentii, qui hypocondrica ex corporis habitu affectione tenetur, a qua vehementer cruciatur, dispensari a residentia exorasset S. C. et omnes tamen suæ præbendæ percipere fructus, necnon quotidianas distributiones etiam extraordinarias ; annuit S. C. favente Episcopo, sed juxta ejus votum [44] cum solitis clausulis : *Novarien*, *Indulti*, 11 *januar.* 1777.

29. Canonicus Franciscus Angeluccius theologus ecclesiæ cathedralis, munus vicarii generalis exercere cupiens, frustra a S. C. petiit indultum vacandi a residentia, sed tamen residentiam deseruit, et munus in curia Æsina sustinuit. Inde in S. C. Rituum sistit, et per eam Sum. Pont., Clem. XIII, exponens ipsum in judicem processus causæ venerabilis servi Dei, fratris Angeli Antonii Sandreani delegatum esse, indultum exoptatum reportavit. At urgente capitulo ob vitium obreptionis, et subreptionis dicti indulti S. C. illud validum esse decidit : *Maceraten.*, 14 *martii* 1778, *dub.* 1.

30. Comes Lucius Antonius Olgiati canonicus ecclesiæ cathedralis dispensatur ab onere residendi in loco Scalengiarum, ac per seipsum celebrandi, quo onere gravatur ratione capellaniæ de jurepatronatus suæ familiæ ; hæc enim capellania ab illo uti patroni filio possidebatur : *Taurinen.*, 29 *april.* 1780, *dub.* 2.

31. Degens Calixtus Ranfius canonicus ecclesiæ collegiatæ terræ Tophiæ in seminario S. Salvatoris Majoris causa studiorum, indultum a residentia per biennium reportavit, amissis distributionibus quotidianis, et inde ad aliud biennium ad formam præcedentis fuit prorogatum : *Nullius, Farfen.*, *Punctatur.*, 5 *aug.* 1780, *dub.* 2.

32. Possessor beneficii S. Joannis Baptistæ, et Aloysii fundati in ecclesia loci de Albizate plebis Galeratæ, cui onus residentiæ ex lege fundationis incumbit ratione Missarum celebrationis personalis, in malam incidit valetudinem tum corporis, tum ejus potentiæ visivæ ; postulat proinde dispensationem a residentia, et ad annum ratione infirmitatis eam adeptus est : *Mediolanen.*, *Beneficii*, 18 *aug.* 1781, *dub.* 2.

33. Clericus Franciscus Richinius ad unum ex canonicatibus, quos fundarunt fratres Baudi in ecclesia collegiata Foro-Pompilii cum onere choro interveniendi diebus festivis, nominatus fuit, et quum moraretur causa studiorum in Auximano seminario, indultum a residentia, ac reditus assignatos a testatore in favorem intervenientium percipiendi efflagitavit. Sed S. C. minime eum audivit : *Nullius*, *S. Rufilli*, 9 *april.* 1785, *dub.* 2.

34. Indultum triennale a residentia subrogando alium in cantu tantum conceditur a S. C. Cajetano Pereira dignitatis cantoratus ecclesiæ collegiatæ oppidi de Barcellos possessori, considerata tenuitate redituum, ac ejus vocis exilitate : *Bracharen.*, 21 *junii* 1788, *dub.* 2.

35. Canonici collegiatæ ecclesiæ oppidi *di Biandrate* qui Missas singulis hebdomadis tres canunt, terque officium divinum recitant, exceptis mensibus julii, augusti, et sept., in quibus officium diebus tantum festis agunt, ob aeris insalubritatem indultum vacandi a residentia tribus illis nocuis mensibus sub obligatione onera reliquo anni tempore implendi exorant, et S. C. juxta votum Card. Episcopi [45] annuit : *Vercellen.*, *Servitii chori*, 19 *junii* 1790.

[43] Nempe, ut Episcopus jura tam originaria fundationum capellaniæ, quam subsequuti augmenti redituum, atque onerum transmittat, et consequutive referat, utrum fundi taxative, sive potius demonstrative assignati compeniantur, et quatenus revera constet fundos demonstrative constitutos fuisse, an adsint hæredes, adversus quos supplementi jura experiri possint, vel eorum suppetant bona, quæ ad præmissum effectum impeti valeant. *Regist. lit.* lib. 35, *die* 7 *aug.* 1773.

[44] Vide not. 38.

[45] Vide not. 40.

36. Jussu Francisci Malacalza capellania erecta fuit cum onere hebdomadali Missarum 4, residendi in sua domo, in eaque recipiendi patres ordinum S. Francisci de Assisio, et S. Francisci de Paula. Modo possessor institutionis labentem domum, et neglectam prædiorum culturam invenit; ob id supplicavit pro temporaria Missarum suspensione, et dispensatione a residentia, et hospitio, ut domus, et prædia reparentur. Annuit S. C. in omnibus ad biennium unica Missa quolibet mense celebrata : *Lunen. Sarzanen.*, 19 *januar.* 1793.

37. Quum ad unum ex duobus residentialibus beneficiis seu legatis a Petro Stecconi in ecclesia collegiata S. Bartholomæi Busseti fundatis, nominatus fuisset clericus Dominicus Stecconi, qui a S. C. ad illud assequendum fuit capax factus causa defectus nativitatis, et educationis in prædicto oppido, cum in villa S. Andreæ sub parochia Busseti natus sit; exorat pro indulto a residentia, et supplendi eam, et servitium chori per alium, donec ad subdiaconatum ascendat, ut interim studiis vacare possit, et id a S. C. obtinuit arbitrio Episcopi, dummodo non excedat ætatem an. 25 : *Burgi S. Domnini, Legati*, 19 *aug.* 1797, *dub.* 3.

38. Quum sacerdos Paschalis Paglialarmi e villa Falciani canonicus ecclesiæ cathedralis facile prioribus provectæ ætatis annis irritantem tolerasset residentiæ aerem; inde pati cœpit nervorum distensionem in capite, ex quibus semel fuit morbo apopletico correptus; hac de causa Episcopus de consilio medicorum, et pœnitentiarii cathedralis exemptionem concessit a residentia, cum lege interveniendi choro semel in hebdomada, et solemnioribus festivitatibus. Post multos annos dubitans de eo decreto, et 60 agens annum postulat a S. C. exemptionem, et obtinet juxta votum Episcopi [46] ad triennium : *Casertana, Indulti abessendi*, 16 *decem.* 1797.

§ III.

Dispensatio super defectu ætatis.

1. Ad beneficium simplex clericale institutum a Silvestro de Mainardis in ecclesia parochiali S. Prosperi Cremonæ Joseph Antonius Gaspar tamquam ex propinquioribus de agnatione dicti testatoris fuit præsentatus. Et quum huic obstitisset, qui ex propinquioribus de cognatione agnatis substituta ab eodem testatore est; ideo dispensationem ætatis a S. C. petivit, sed eam minime assequutus est: *Cremonen., Capellaniæ*, 8 *julii* 1702, confirmata 9 *sept. ejusd. anni.*

2. Joseph Baverius clericus Senogalliensis, an. 16, ad beneficium, seu capellaniam de jurepatronatus in ecclesia cathedrali erectam fuit præsentatus. In ejusdem beneficii fundatione, ut actu sacerdos possessor sit, requiritur; ideo Joseph dispensationem ætatis imploravit, quam S. C., tum ob familiam valde nobilem, et unam de patronorum linea, tum ob rei familiaris angustiam concessit, ac inde confirmavit concessionem in *Lauretana, Dispensat.*, 6 *junii, ac* 5 *sept.* 1705.

3. Dominicus Alexander Sordolinus simplex clericus ann. 19, ad capellaniam de jurepatronatus nobilis familiæ ab Altemps erectam in ecclesia S. Mariæ trans-Tyberim præsentatus, ab ætate fuit dispensatus. Nam fundatio ejusdem ordinem presbyteratus petebat : *Rom. Dispensat.*, 12 *dec.* 1705.

4. Quum Jacobus Antonius Rocca ceteris qualitatibus a testatore Marco Antonio Rocca, qui proventum pro alendis duobus juvenibus ad studia colenda in urbe assignavit, requisitis polleret, solumque ætatis defectu careret dispensationem a S. C. postulavit, et obtinuit. Joannes enim Baptista Benegosius per lineam fœmininam descendens admitti oratoris vice quæsiverat : *Romana, seu Januen., Legati*, 9 *januar.* 1706.

5. Aloysius Caccia annorum ætatis 3 filium clericum Josephum ad capellaniam seu beneficium de jurepatronatus seu familiæ sub spe obtinendæ gratiæ dispensationis super ætatis defectu præsentavit. S. C. autem dispensationem denegavit, quum sese opposuisset Dominicus Caccia, qui filium Deodatum ætatis annorum 15, et nulla ætatis dispensatione indigentem, et pari cum Josepho gradu existentem præsentasset : *Novarien., Dispensat.*, 15 *aug.* 1707.

6. Ad quemdam canonicatum, quum inveniri sacerdos annorum 60, uti testator demandaverat, non potuisset, fuit nominatus a patrona Angela Pilla filia dicti testatoris Sampson Asinellius ætatis an. 7, in quarto affinitatis gradu cum testatoris filio conjuncto, in cujus favorem postulatam ætatis dispensationem S. C. donavit : *Placentina, Dispensat.*, 16 *martii* 1709.

7. Quum ab omnibus patronis unanimiter Joannes Renerius annorum 15, necnon a majori eorum parte in secundo loco Jacobus Renerius annorum 20 remotior dicto Joanne ad capellaniam sacerdotalem a Raphaele Renorio institutam in ecclesia cathedrali in favorem suæ agnationis fuisset præsen-

[46] Qui putat, ut orator « debeat identidem ad cathedralem ecclesiam accedere, ut videat, num forte ita processu temporis suum minuatur malum, ut postea sive diu, sive brevi aliquo anni tempore ecclesiæ valeat inservire; qua de re sua ipsi conscientia consulenda permittatur : *Ead. causa*, 16 *decem.* 1797, § 4.

tatus, uterque ætatis dispensationem imploravit. Jacobus vero post præsentationem promotus fuit ad subdiaconatum, et S. C. in ejusdem favorem dispensationem indulsit: *Collen.*, *Capellaniæ*, 12 *dec.* 1716, confirmata 24 *april.* 1717.

8. Ad beneficium de jurepatronatus laicali a Martino de Benedictis in ecclesia S. Caroli fundatum, quod a S. C. sacerdotale fuerat declaratum, Salvator Antonius de Benedictis de fundatoris linea annorum 20, a patronis fuit præsentatus, conditione obtinendæ ætatis dispensationis adjecta, qua non assequuta sacerdotem Dominicum Matium de Lillis præsentarunt; propterea Salvator petiit dispensationem, et impetravit: *Imolen.*, *Beneficii*, 23 *maii* 1722, *dub.* 2.

9. Petrus Paulus de Puccettis, qui a stirpe per fundatorem patrimonii sacri, Puccettum nempe de Puccettis, vocata, est oriundus, dispensationem ætatis, quam fundator ad dictum patrimonium sacrum assequendum requirit, efflagitavit; S. C. eam largita est: *Cingulana*, *Patrimonii sacri*, 10 *maii* 1832.

10. Carolus de Nobilibus, qui unicus ex fœminina linea testatricis descendens, et octavum agens annum ad beneficium a Laura Zaccone pro sua familia fundatum, fuit præsentatus; dispensationem hinc quæsivit ætatis; et gratiam quippe per litteras apostolicas expediendam, dempta conditione amovibilitatis est consecutus: *Catacen.*, *Dispensationis*, 25 *januar.* 1738.

11. Dispensationem ætatis impertivit S. C. clerico Francisco Antonio Leither nonum circiter annum agenti, qui est unicus ex familia Leither, ex qua erant fratres Franciscus, et Joannes Georgius fundatores simplicis beneficii in parochiali ecclesia S. Andreæ loci Clausensis, quippe ad idem beneficium fuit præsentatus: *Brixinen.*, *Dispensat.*, 15 *martii* 1738.

12. Ad vacantem unam capellaniam ex his, quas fundavit in ecclesia collegiata Collis Veteris Marcus Antonius Cerbellius cum onere personalis celebrationis, nominatus fuit Dominicus Cornacchionius, rejectis sacerdote Antonio Bucciotto, et tribus clericis. Sed quum Dominicus in ætate 20 annorum esset constitutus, dispensationem exquisivit a S. C. quæ haud esse locum dictæ concessioni declaravit: *Sabinen.*, *Dispensat.*, 16 *maii* 1739.

13. Lopsis in institutione beneficii qualitatem sacerdotalem elegit primo nominato excepto. Eo defunto, Franciscus Lopsis beneficii patronus ad consulendum summæ rerum egestati, quum nullus actu sacerdos testatoris familia existeret ad idem beneficium, clericum Emmanuelem Lopsis alterum ejus filium ann. 18, sub spe dispensationis super defectu ætatis præsentavit, et casu quo impetrare dispensationem non valeret, extraneum idoneum substituit. Id curare omisit Emmanuel, et dispensationem intra consuetum quadrimestris terminum non quæsivit; sed impetrare cupit hodie, et contradictorem invenit presbyterum Joannem. Causa proposita supplicationem Emmanuelis esse signandam S. C. existimavit: *Barchinonen.*, *Dispensat.*, 30 *januar.* 1740.

14. Petrinus Ronchus patronus cujusdam simplicis beneficii, quod ex lege fundationis qualitatem sacri ordinis adnexam habet, nominavit Joannem Baptistam Soda suum ex filia nepotem in statu laicali constitutum, præsentavitque sub spe futuræ dispensationis obtinendæ. Hanc nominationem postmodum revocavit Petrinus, ac novam fecit in favorem sacerdotis Francisci Juvenalis Soda, qui præsentanti quamdam summam exsolvere promisisse dicitur. Tonsura initiatus Joannes Baptista gratiam a Summo Pontifice pro præsentato obtinuit, necnon ætatis dispensationem. Refragatus huic est posterior nominatus, sed jam signatam Joannis Baptistæ supplicationem relaxandam esse S. C. rescriptum dedit: *Fossan.*, *Beneficii*, 15 *april.*

15. Fundato in oratorio S. Augustini, et Monicæ villæ Fusciandori ecclesiastico simplici beneficio a sacerdote Eleonoro Simonetti, patroni nominarunt patrem Angelum ordinis Carmelitarum, et Dominicum Simonetti laicum sub spe habilitationis; qua de causa Dominicus a Peregrino Simonetti descendens a Summo Pontifice obtinuit, ut sibi, postquam clericali esset tonsura initiatus, et ex nullitate, et devolutionis jure, beneficium conferretur. Interim quadrimus puer Hippolytus Simonetti a Peregrino profectus dispensationem ætatis, eo quod nullus clericus, seu presbyter æque, vel magis qualificatus existeret, postulavit. Obstitit huic Dominicus jus sibi ex dispensatione clericatus defectus quæsitum esse dicens. Verum S. C. Hippolyti supplicationem relaxandam esse definivit: *Lucana*, *Beneficii*, *seu capellaniæ*, 17 *maii* 1749.

16. Defuncto canonico Josepho Broglia, qui utramque capellaniam ab Armenio seniore Broglia ecclesia SS. Trinitatis oppidi Ophidæ institutam possidebat, frater Nicolaus, quum nullus ex familia sua primo loco vocata esset, qui eligi posset, nisi Armenius filius, puer triennis, eum nominavit ea lege, ut veniam ætatis impetraret. Nam testator propinquiorem consanguineum habilem, id est tonsuratum secundum S. R. E. ritum eligi mandaverat. Clericus Franciscus Antonius Constantius secundo loco vocatus refragatur, sed tamen Armenius voti sui plene compos factus est, qui ad effectum utraque capellania gaudendi dispensationem ætatis rogavit: *Asculana*, *Capellan.*, *super dispensat.*, 22 *aug.* 1750.

17. Ad beneficium sacerdotale fundatum ab Anna, et Laura sororibus Danieli in ecclesia parochiali terræ Braciliani, hæredes patroni præsentarunt Tarquinium Melonium unicum eo tempore clericum de descendentia Danieli, qui etiam gratiam apostolicam impetravit. E contra Agnello Danieli tamquam qualificato ad formam fundationis Episcopus adjudicavit. Sed contracto ab Agnello matrimonio præsentatus fuit Dominicus Danieli, puer octennis, a quo causa veniam ætatis obtinendæ oblatæ sunt preces. Restitit huic Tarquinius, qui jus sibi quæsitum esse asserebat, et se de familia Danieli vocata descendere probabat. Puer vero neque hæredes fuisse Annæ, et Lauræ fundatricium illos, qui Tarquinium nominarunt, neque in possessione esse præsentandi confirmabat. Proposito hinc dubio definitum est, esse dispensationem concedendam: *Salernitana, Dispensat.*, 19 *decem.* 1750.

18. Henricus de Galen pater, et Franciscus Wuilhelmus de Galen filius ambo fundarunt in ecclesiis cathedralibus Monasteriensi, et Osnabrugensi canonicatus. Passivum patronatum horum canonicatuum clericis sui generis *romano-catholicis, et septennibus* reliquerunt. Canonicatus vacarunt, et Ferdinandus Liber Baro de Galen filius, ac nepos fundatorum, canonicatuum patronus Clementem Augustum suum filium quinquennem præsentare cupiens, dispensationem postulat ætatis requisitæ. Contradictor adest Lotharius Franciscus Wilhelmus de Galen de linea tertio loco substituta, qui duos alios habet canonicatus. Urget Clemens rem esse de filio patroni, deque linea recta, et prædilecta, et obtinuit dispensationem: *Monasterien., et Osnabrugen., Canonicatus*, 7 *april.* 1753, confirmata 21 *julii ejusd. anni.*

19. Andreas Rosa tria simplicia beneficia in ecclesia parochiali Pomponisci fundavit. Horum prælationem dedit presbyteris de domo Dovara, de domo Septimii Brunelli, de domo Coppi, deque demum Fellini domo. Uno ex his vacante beneficio electus fuit clericus Joseph Carolus Brunellius ætatis 11, quique ætatis veniam implorabat. Contra illum venit clericus Jacobus Antonius Magattius. Hac re a patronis comperta, alium casu, quo valida non fuisset nominatio præcedens, cumulative nominarunt clericum Hermenegildum Fellinium ætatis 13. Liti vale dixit Magatti, perstitit tamen Fellinius. Proponitur modo causa, et Brunellio esse dispensationem concedendam, relaxandamque supplicationem, definitur: *Cremonen., Dispensat.*, 4 *martii* 1758, confirmata 15 *april. ejusd. anni.*

20. Ad beneficium institutum a Petro de Notariis, præsentari fundator clericum, aut in sacris constitutum de domo, et progenie de Notariis optavit, hinc in erectione dicitur beneficium patronale, et sacerdotale esse. Ad hoc fuit præsentatus clericus Alexander Bertonius, a fœmina nominis de Notariis descendens, sub spe dispensationis ætatis obtinendæ; et hanc petiit a S. C.; sed idem habuit contradictorem Joannem Baptistam Pedanam sacerdotem subsidiarie præsentatum, qui vicit æmulum, supplicationem signandam esse referens: *Parmen., Dispensat.*, 7 *junii* 1760, confirmata 2 *aug. ejusd. anni.*

21. Baro Hieronymus Massa patronus beneficii abbatiæ a Joanne et Carolo Massa in favorem descendentium fundati, ea lege, ut plures concurrentes quunt essent, major ætate, vel primus clericus præferri debeat, filium Bartholomæum annorum 3 cum dimidio, sub spe dispensationis obtinendæ præsentavit. Comparuit quoque Didacus ex altera familia Petri Massa propatrui fundatorum, et tanquam passive vocatus ad eamdem abbatiam institui petiit. Quæsito igitur, an relaxanda esset supplicatio, et respective concedenda dispensatio? responsum est: Dilata, et exhibeatur indultum apostolicum: *Neritonen., Abbatiæ*, 19 *april.* 1760. Gravi quadraginta ducatorum aureorum pro archivista Datariæ impensa territus Didacus, vale dixit liti. Præfatus infans pro supplicatione, et ætatis dispensatione institit, et obtinuit: 22 *novem. ejusd. anni.*

22. Clericus Joannes Maria Vezzosi, puer decennis, canonicatus a Josepho de Gabriellis in collegiata ecclesia S. Nicolai Balneo regii fundati nominationem nactus est, dummodo a Summo Pontifice habilis, capaxque reddatur. Dum is ætatis dispensationem impetrare satagebat, Episcopus clericali tonsura initiavit Nicolaum Monachia, qui nominatus quoque fuit ad eumdem canonicatum annis natus 26., quique litteris in prima adolescentia incubuit, jamque a pluribus annis artem sutoris exercebat. Capitulum dispensationi Vezzosi refragatur, qui ceterum sive ad tempus vacationis, sive ad tempus sequutæ præsentationis respiciatur, potiorem se esse autumat. Hujus supplicationem relaxandam esse S. C. deliberavit: *Balneoregien., Dispensat.*, 21 *junii* 1760.

23. Fundavit in ecclesia parochiali oppidi de Miravalles capellaniam Maria Magdalena de Algorri in favorem suæ cognationis, quamvis quilibet ex illa primam non habuerit tonsuram. Ad hanc capellaniam filius suus Raymundus Larrea quadriennis nominatus fuit, et in præsentationis instrumento declaratus fuit, in fundatione nempe cautum fuisse, ut descendentes fundatricis præsentari etiam in tenera ætate possent; idcirco supplicavit pro filii sui dispensatione super defectu ætatis, et pro capellaniæ collatione, postquam ille septimum ætatis suæ annum compleverit; et meruit exaudiri: *Calagurita-na, Dispensat.*, 8 *aug.* 1761.

24. Vacante beneficio, seu capellania auctoritate ordinaria in ecclesia parochiali S. Victoris Thaii erecta a Stephano Panizza, patronus, ac testatoris nepos Josephum Thomam suum filium, natum annorum quatuor, sub spe dispensationem ætatis impetrandi præsentavit. Hic dum hujusmodi dispensationem rogabat, sese opposuit Joseph Balthasar licet absque clericali tonsura, et annorum 12. Sibi deberi beneficium uti passive a testatore vocato contendens, et hic pariter gratiam dispensationis super defectu ætatis postulavit; S. C. autem primo concessit dispensationem ætatis, alteri denegavit: *Tridentina, Capellaniæ*, 29 *aug.* 1761, *dub.* 1 et 2.

25. Beneficium in ecclesia parochiali S. Bernardi a Julio Severoli institutum fuit, qui prælationem ad hoc assequendum tribuit clericis suæ familiæ de Cariariis, deinde familiæ de Severolis. Valerius Marradius gentis Cariariæ hæres, et patronus Ludovicum Severolium, puerum sexennem, præsentavit sub spe obtinendæ dispensationis. Sub conditione vero quatenus Ludovicus dispensari nequiret, nominavit archidiaconum Alexandrum Severolium. Hinc secundus a primo lacessitus fuit, et disputato dubio, quænam esset relaxanda supplicatio? S. C. illam Ludovici sexennis esse relaxandam definivit: *Faventina, Beneficii*, 3 *julii* 1762.

26. Ad assequendum canonicatum de jurepatronatus ecclesiæ cathedrali unitum, cui a patronis clericus Hieronymus Victorius, annorum 19, legitime fuit nominatus, dispensatio ætatis requiritur; etiamsi ante prædictam unionem eadem dispensatio haud posceretur. Ita S. C. sententia fuit *in Balneoregien.*, 14 *januar.* 1764, *dub.* 1.

27. Hinc clericus Hieronymus Victorius prædictus dispensationem ætatis postulavit, quam S.C. ei indulsit. Erat enim de sanguine patronorum, et de moribus, ac studiis ejusdem optimum Episcopus perhibebat testimonium: *Ibid.*, *dub.* 2.

28 Dispensationem super defectu ætatis desideravit Ubertus Sismondius, ut unum ex canonicatibus dispositionis Gabrielis Trianguli in ecclesia collegiata S. Christinæ, ea lege erectis, ut infra annum canonici nominati sacerdotes consecrarentur, ita assequi posset, ut a capitulo patrono præferri deberet; et quum esset ipse ex primo loco vocatis, expetitam reportavit dispensationem: *Eugubina*, *Dispensat.*, 18 *febr.* 1764.

29. Alexander Antonius Gentilonius erigi congregationem octo sacerdotum certis assignatis oneribus Missarum jussit. Ejusdem soror usufructuaria, cui testator tribuit jus, facultatemque agendi, ac nominandi, nonnullas determinavit leges, inter quas, ut nominandus annorum 21 esset, et ut capellaniæ essent laicales a quacumque ecclesiastica jurisdictione immunes. Nominatus ad secundam capellaniam fuit Antonius Maria Accorretti, qui quum prescriptam non haberet ætatem, de ea veniam petiit, et obtinuit: *Auximana, Dispensat.*, 21 *junii* 1766.

30. Ad consequendam laicalem capellaniam quam Dominicus Bonazolius instituit, vigore fundationis, ætas annorum 14 saltem, et grammaticæ rudimenta requiruntur. Laurentius Bonazolius puer jam novem annorum, qui linguæ latinæ primis est rudimentis imbutus, dispensationem ætatis pro assequenda prædicta capellania a proavi fratre Dominico pro suis præcipue fundata quoties adsint idonei, qui ad sacerdotium promoventur, petiit; et non fuit sui factus voti compos: *Pisauren.*, *Dispensat.*, 21 *junii* 1766.

31. Clericus Joseph Brunius de familia prædilecta, et antelata duodecim agens annos, reservato beneplacito apostolico super ætatis dispensatione, nominatus fuit ad canonicatum ab Anna Felici Evangelisti pro descendentibus a duabus lineis, dummodo sit servitii choralis, erectum et supplicavit ætatis dispensationem. Interim sacerdos Franciscus Angelellius per medium fœmininum a prima vocata, et dilecta linea descendens, tamquam habilis, et a testatrice unice vocatus, apostolicas impetravit litteras. Urget hinc iterum dispensationem Joseph, et nequaquam valuit eam impetrare: *Senogallien.*, *Canonicatus*, 14 *maii* 1768.

32. Supplicatio ad impetrandam dispensationem super ætate relaxanda est clerico Cæsari Sparacciari, qui a vero patrono ad beneficium seu canonicatum fuit præsentatus; neglecta præsentatione a prætenso patrono expleta in favorem sacerdotis Philippi Sanni, qui provisionem apostolicam cum derogatione medietatis vocum postulaverat: *Tolentina, Canonicatus*, 20 *januar.* 1770.

33. Haud indulgetur dispensatio a S. C. clerico Joanni Baptistæ Panzani, licet de familia expresse vocata ad adipiscendam capellaniam institutam a Benedicto Sampieri, qui nominari sacerdotali charactere insignitum præceperat: *Ariminen.*, *Capellaniæ*, 12 *martii* 1774, *dub.* 2.

34. Capellaniam de jurepatronatus laicali sacerdos Franciscus Ughi fundavit. Ad hanc assequendam præferri magis idoneum jussit. Paulus Ughi in ætate annorum decem tantum constitutus, ad eam nominatus, expetit dispensationem ætatis a S. C. dum cum altero sacerdote æque vocato contendit, et S. C. haud esse ei dispensationem concedendam rescripsit: *Perusina, Capellaniæ*, 30 *julii* 1774. Deinde S. C. recessit a decisis, et dispensationem impertivit: 8 *julii* 1775. Sed rediit in primo loco decisis, addendo, et partes utantur jure suo coram Ordinario: 2 *martii* 1776.

35. Quatuor instituti fuerunt canonicatus in ecclesia collegiata Castilionis ab equite Angeluccio de

Angeluccis. Contentio deinde excitata inter patronos conciliata fuit per transactionem, qua cautum fuit, ut patronatus tam activa, quam passiva jura perpetuo manerent in familiis Hieronymi, et equitis Camilli Velluti cum reciproca inter easdem familias successione, fœminis per modum regulæ exclusis, et lege, quod si nullus ex familia idoneus inveniretur alius tunc subingrederetur. Ex prælatis præbendis Margarita Mucciarelli vidua Hieronymi Velluti nullum idoneum in familia Velluti reperiri existimans sacerdotem nominavit Andream Lucchini. Verum Joannes Baptista veluti e linea illius familiæ nominavit Camillum filium suum, sub conditione clericatus, et obtinendæ dispensationis super defectu ætatis. Camilli pater urget hodie pro dispensatione ætatis, et obtinere non valuit : *Aretina*, *Dispensationis*, 18 *martii* 1775.

36. Cleopatra Tartaglia laicalem instituit capellaniam de jurepatronatus suæ familiæ cum onere personalis Missarum celebrationis. Clericus Lactantius de Nobilibus ætatis annorum 12, nepos Celiæ Tartagliæ neptis, et universalis testatricis donatariæ dispensationem ætatis ad eam assequendam exoravit, et obtinuit, adimpletis oneribus usque dum ad legitimam ætatem pervenerit : *Cornetana*, 17 *junii* 1775.

37. Ad beneficia mansionarias nuncupata erecta in ecclesia cathedrali Lavinia Manzoni fundatrix vocavit consanguineos, et descendentes de familia Manzoni; idcirco Angelus, et Lavinia frater, et soror Manzoni patroni, sub spe obtinendæ apostolicæ dispensationis super ætate ad præsens beneficium, nominarunt Franciscum Nicolaum Manzoni Angeli filium, et Laviniæ nepotem septennem, nondumque clericali tonsura insignitum. In contradictorem statim habuit subdiaconus Joseph Amboni, nepos Magdalenæ Manzoni, cujus descendentiam secundo loco testator vocaverat, se unicum ad beneficium assequendum esse qualificatum autumans. Uterque supplicant. Sed S. C. supplicationem Francisci Nicolai signavit, eique competere dispensationem usque dum ad legitimam ætatem pervenerit, adimpletis oneribus, resolvit : *Auximana*, *Dispensat.*, 19 *julii* 1777, confirmata 30 *maii* 1778.

38. Pia mulier Cassandra Jansito de Martino Beneventana binas erigens capellanias seu beneficia cum Missæ quotidianæ onere, prælationem familiæ Bernardi fratris in futuris nominationibus tribuit; propterea Bernardus, mortuo primo nominato capellano, ad illam vocavit filium suum sexennium, sub spe obtinendæ dispensationis ætatis cum facultate per alium onus implendi. Dispensationem implorat puer, et usquequo ad legitimam ætatem pervenerit pro suscipiendo sacerdotio adimpletis oneribus gratiam assequutus est : *Beneventana*, *Dispensationis*, 28 *aug.* 1779.

39. Capellaniam instituit Ludovicus Taberna, tunc Episcopus Laudensis, jusque nominandi contulit in hæredem Cæsarem nepotem; oneraque personalis celebrationis, residentiæ adjecit capellano. Laurentius Taberna patronus præsentavit Balthazarem Volpi in ætate viginti duorum annorum constitutum, et nondum clericali tonsura initiatum. Supplicavit hic sibi dispensari super defectu ætatis ut ad ejus titulum possit ad ecclesiasticum statum promoveri. S. Congr. dispensationem impertita est juxta votum Archiepiscopi Papiensis [47] : *Papien.*, *Dispensat.*, 16 *sept.* 1780.

40. Vacante beneficio a Blasio de Monaris in collegiata S. Blasii civitatis Centi fundato, et presbyteris a testatore contemplatis non extantibus, Bartholomæus de Monaris petiit facultatem nominandi unicum, quem habet filium in undecimo ætatis anno constitutum, et obtinuit dispensationem usque dum filius ad legitimam pervenerit ætatem, impletis interim per alium oneribus : *Bononien.*, *Dispensat.*, 25 *januar.* 1783, *dub.* 1.

41. Nominatio capellaniæ seu officiaturæ manualis exemptæ ab Ordinarii potestate, et fundatæ a Dominico Ciuchi in favorem clerici Aloysii Brecialdi ad ejus vitam expleta fuit. Verum animadvertens tum patronus, tum clericus nominatus, vetitam esse a fundatore perpetuationem, convenerunt, quod nominatio nulla foret, quando alter ex filiis patronis ad legitimam ætatem perveniret, vel si ætatis dispensationem impetrasset; hac de re patronum præfatum clericum removit, proprium filium annorum duorum et quinque mensium, nominavit. Porrecta proinde supplicatione pro dispensatione assequenda obstitit clericus Brecialdius; at S. C, dispensationem indulsit, expletis oneribus; *Urbevetana*, 11 *decem.* 1784.

42. Post obitum Josephi Grappelli vacabat ca-

[47] Qui ait : « Hinc censerem posse prædictum Balthazarem Volpi ex benignitate apostolica de dicta perpetua capellania provideri, et super defectu ejus ætatis cum decreto, quod ante assequutionem prædictæ perpetuæ capellaniæ dictus Volpi prima clericali tonsura sit initiatus, et cum decreto, quod idem Volpi se successive quamprimum ad minores, necnon ad subdiaconatus infra annum, atque cum ad ætatem legitimam pervenerit, ad diaconatus, et presbyteratus sacros ordines se promoveri facere omnino teneatur; ac demum de idoneo substituto sacerdote provideat, qui interim omnia onera eidem capellaniæ perpetuæ adnexa debite et congrue sustineat, et fideliter adimpleat. » *Ead. causa*, 16 *sept.* 1780, § 6

pellania instituta a Sylvio de Sanctis in ecclesia rurali S. Magni, civitatis Frusinonis, cujus juspatronatus spectat ad familiam Grappelli; Joannes Baptista Grappellius, qui habet jus eligendi capellanum, deesse in ejus familia passive vocata sacerdotem, vel clericum, qui eam consequi possit, exposuit; hac de causa tribuendi sibi jus Nicolaum filium quinquennium nominandi vel saltem suspendi usque quo ad legitimam ætatem pervenerit satisfactis oneribus, efflagitavit. S. C. pro dispensatione impletis oneribus annuit, addiditque ad mentem [48]: *Verulana*, 15 *januar.* 1785, *dub.* 1.

43. Capellaniam in ecclesia S. Theresiæ fundavit Dominicus Sediari, ejusque patronatum activum Joan. Baptistæ, et Francisco Sediari fratris et filiis, eorumque descendentibus reliquit. His vero nominatione capacibus deficientibus, voluit unum ex familia Buratti ad capellaniam nominari. Floridus Sediari patronus nullum in sua familia in sacris, vel in legitima ætate constitutum reperiens filium duodenarium nominavit, obtinendæ dispensationis conditione. Contradictor insurrexit Joannes Burratti prior, se postea vocatum prædicans. Causam S. C. definiendam proposuit pater, et patronus, et consulendum esse Sanctissimum pro ea dispensatione, retulit responsum: *Civitatis, Castelli, 4 febr.* 1786.

44. Ad capellaniam residentialem in ecclesia cathedrali institutam patroni laicum Petrum Schiavinium annorum 14, sub conditione assumendi clericatum, nominarunt. Capellaniam hanc sacerdotalem postea S. C. declaravit. Attamen dispensationem ætatis prævia Sanctissimi consultatione, donec ad legitimam ætatem pervenerit, clericus ille reportavit: *Asten.*, 20 *sept.* 1788, *dub.* 2.

45. Quum clericus Joseph Bracci ad capellaniam sacerdotalem de jurepatronatus institutam a sacerdote Petro Bracci nominatus fuisset, dispensatio ætatis ab eodem, qui modo attingit 19 annum cum dimidio, fuit postulata. Hanc S. C. impertivit; nam ille de agnatis, quos testator prædilexit, est, nec ejusdem familiæ ullus sacerdos est competitor: *Senogallien.*, *Capellaniæ*, 17 *april.* 1790, *dub.* 2.

46. Dispensatio ætatis denegatur puerulo annorum septem Philippo Vincentio Sansilvestri nominato ad canonicatum ecclesiæ cathedralis a comite Philippo Caracci patrono ejus avo, quum ex lege fundationis habilis esse deberet nominatus ad interveniendum quotidie capitulo, ecclesiæ, et choro: *Nullius Guastallæ*, *Canonicatus*, 31 *maii*, 1794.

47. Quum clericus Joseph Fontana ætatis 11 unus de domo fundatricis Catharinæ Fontana idoneus ad obtinendam capellaniam ab ea in ecclesia parochiali SS. Jacobi, et Quirici Lapedonæ cum onere celebrandi per seipsum fundatam, impetrasset apostolicam dispensationem ætatis et obtinuisset; modo agens an. 21, neque idoneus adhuc esset ad subdiaconatum postulavit prorogationem triennium, et Archiepiscopo favente, arbitrio ejusdem reportavit. Licet illam impugnaret sacerdos Cyriacus Brandimarte nominatus, quasi præfatus Fontana jamdiu possessam capellaniam ob non susceptum sacerdotium amisisset: *Firmana*, *Capellaniæ*, 17 *junii* 1797, *dub.* 1.

§ IV.

Dispensatio seu indultum assequendi, et retinendi beneficium seu capellaniam.

1. Capellaniam erexit Margarita Paulina mere laicalem, ut ad eam sacerdos, vel proximus ad sacerdotium nominaretur. Nominationem nepos testatricis ætate annorum 19 habuit, et hac de causa quæsitum fuit, an ad obtinendam capellaniam, seu legatum, de quo agitur, requiratur sacerdotium, actu, vel proximitas sacerdotio? et quatenus affirmative.

2. An cum oratore dispensandum? respondit S. C. esse dispensationem concedendam: *Civitatis plebis*, *Capellaniæ*, 25 *januar.* 1631, *dub.* 1 et 2.

3. Dominicus filius Josephi de Berardis qui Suplitium necarat, unum ex sacerdotibus constituentibus capitulum ecclesiæ receptitiæ S. Mariæ Novæ terræ Giojæ, in qua ipsemet Joseph tria jura patronatus super tribus capellaniis ibidem erectis habebat, prævio S. C. suffragio ad unam ex dictis capellaniis ab Innocentio XII, Pont. Max., iterum habilis factus est: *Marsicana*, 16 *julii* 1695.

4. Ad triennalem relegationis pœnam ad Centumcellas damnatus Joannes Felix Pellonus fuit, et deinde in libertatem restitutus obtinuit dispensationem ut ad sacros Ordines promoveretur. Fuit ad titulum beneficii ordinatus, sed pro hujus consecutione Apostolicam non impetravit dispensationem, beneficiumque per circiter sex annos retinuit, celebravitque. In irregularitatem se incurrisse autumans petiit dispensari ad effectum assequendi beneficium. Huic S. C. responsum dedit *non indigere dispensatione*, nisi ad beneficia, ac eam esse concedendam: *Nepesina*, *Irregularit.*, 23 *julii* 1707, *dub.* 2.

[48] Et mens est, ut patronus incumbat bonorum restaurationi: *Ead. causa*, 15 *januar.* 1785.

5. Propter homicidium patratum a Josepho de Berardis, qui licet absolutus ab excommunicatione fuit a sacra Pœnitentiaria, privati tamen ipse æque ac hæredes remanserunt tribus juribus patronatus, quæ possidet familia in ecclesia S. Mariæ Novæ terræ Giojæ, necnon inhabiles ad beneficia ecclesiastica assequenda. Ægidius, et fratres minores filii Nicolai junioris nati ex Josepho occisore supplicant pro gratia dispensationis, seu rehabilitationis tum activæ, tum passivæ ad jurapatronatus in favorem ipsorum, et successorum, præsertim quum modo una ex capellaniis vacaret, et allegante eorum paupertate S. C. annuit quoad obtinendam capellaniam vacantem tantum: *Marsicana, Dispensat.*, 9 *junii.* 1708.

6. Alexandro Gallo clerico annorum 20, de beneficio ab Emmanuele de Ghidis canonico ecclesiæ cathedralis fundato, proviso sub narrativa, quod personalem residentiam haud requireret, mox idem advertit in nuper reperto fundationis instrumento antiquitate consumpto onus qualitatis sacerdotalis, ac ætatem annorum forsan 35; ideo supplex exorat pro dispensatione, et gratia, qui dicitur *perinde valere*, inspecta ejusdem bona fide, et observantia suffragante. Annuit S. C. ejus postulationibus adimpletis oneribus, et dummodo adveniente tempore promoveri se faciat ad sacros ordines: *Parmen.*, *Dispensat.*, 13 *april.* 1710.

7. Ad beneficium de jurepatronatus fundatam a Hieronymo Cantarellio in ecclesia S. Prosperi civitatis Regii nominatus fuit comes Gaspar Vigaranus, unus ex contemplatis familiis, et in urbe degens. Hic exoptat dispensari a susceptione sacerdotii infra annum, a celebratione personali, ac residentiæ onere, necnon inhabitandi testatoris domum. Nam has testator qualitates requisivit. Sed S. C. abnuens servari testatoris voluntatem mandavit: *Regien.*, *Dispensat.*, 24 *maii* 1710.

8. Ad capellaniam a Francisco de Baccis fundatam clericus Joan. Gregorius de Blancis duobus ordinibus minoribus insignitus et in ætate annorum 22 fuit nominatus sub conditione, ut intra legitima tempora ordinem sacrum in fundatione requisitum susciperet. Hic dispensationem a qualitate sacerdotali descendentibus idoneis nullis existentibus postulavit, et sese opponente Joan. Baptista de Felicis sacerdote præsentato ad eamdem capellaniam ab hærede propinquiori, non esse locum petitæ gratiæ S. C. declaravit: *Lunen. Sarzanen.*, *Dispensat.*, 10 *januar.* 1711.

9. Quum ad canonicatum in ecclesia collegiata S. Joannis loci Capranicæ a Maria Farrochi sacerdotalem actualiter fundatum, nominatus fuisset clericus Joseph Scapellius annorum 24, descendens ex contemplata familia; hic S. C. adiit, quæ gratiam super defunctum sacerdotalis qualitatis dummodo infra annum promoveatur, impertita est: *Sutrina, Canonicatus*, 28 *nov.* 1711.

10. Nominato clerico Dominico Titulano ad capellaniam ordinatam ab Euphrasia de Anselmis, quam S. C. esse actu sacerdotalem putavit, S. C. dispensationem impertivit, dummodo infra annum promoveatur ad sacerdotium: ipse enim erat de prædilecta a fundatrice familia: *Nepesina, Capellaniæ*, 27 *maii* 1713, *dub.* 2.

11. Patronus beneficii a Silvestro Bonetti instituti Joannem Petrum Ferrerium sacerdotem Taurinensem fratrem germanum præsentavit. Hic ex honesta, ac nobili familia progenitus, ac ob recens bellum ad extremam inopiam redactus destitutus est qualitate a testatore ordinata, ut nempe præsentandus loci Publiciarum sit originarius; ideo derogationem voluntatis exoptat, et assequutus est gratiam in forma commissaria: *Taurinen., Commut. voluntat.*, 3 *aug.* 1715.

12. Beneficium seculare et parochiale pagi in Bergstein a serenissimo electore Palatino collatum Francisco Wernero Hansen Cisterciensi, ut cœnobio reditibus satis non instructo succurreretur, ab ipso retineri non posse, nec retinendi locum esse dispensationi decidit *per summ. prec.* Hæc resolutio modo confirmatur. Regularia enim beneficia regularibus, secularia secularibus, nec hæc in commendam regularibus sunt conferenda: *Colonien.*, *Dispensat.*, 9 *febr.* 1732.

13. Franciscus de Mencos y Ayanz studiis operam navavit optime, at quum cæcus evasisset, dispensari ab irregularitate non potuit. Petiit tamen ad beneficia simplicia cum commutatione divini Officii in officium B. M. V. habilitari, et ne hoc quidem assequutus est: *Pampilonen.*, *Dispensat.*, 28 *martii* 1733, *dub.* 2.

14. Petrus Nava Ramos, et Joannes Franciscus ejus filius, necnon Maria Martin amita capellaniam perpetuam in ecclesia cathedrali fundarunt, quæ deferendam primo loco Joanni voluit, deinde juspatronatus capitulo, ut eligere idoneum ad publice edocendam grammaticam prope ecclesiam cathedralem cum prælatione in favorem consanguineorum, reliquit. Petrus ad secundas nuptias transiit, ac binos suscepit filios, quibus tribuere jus capellaniam obtinendi cupit, spondens dotem augere. Capitulum non assentitur, ne diutius bonum publicum scholæ grammaticæ suspendatur. Sed S. C. Petri preces excepit, quoad filios tantum oratoris, facto tamen prius legitime, et cum approbatione Ordinarii perpetuo augmento per ipsum oratorem oblato dotis beneficii in valore æquali antiquæ doti: *Civitaten.*, *Capellaniæ*, 20 *martii* 1734.

15. Beneficium sub titulo abbatiæ a Cosmana

Navarra fundatum, ita ut passive vocati illud obtinent, etiamsi in infantili ætate constituti essent, quamvis in erectione facta ab Episcopo apposita fuit conditio præsentandi, qui explevisset septennium, et clericali tonsura insignitum instituendi, indultum illud retinendi tamen fuerat a S. C. titulo seculari infanti de Constantio de linea fœminina passive vocato, quod indultum relaxandum esse modo decrevit; etsi alter masculus in linea etiam fœminina ex filio majori, seu primogenito speretur, qui, si actu esset, præferri ex mente fundatricis deberet: *Milevitana, Indulti*, 10 *sept.* 1735. Deinde rescriptum prodiit suspensa relaxatione supplicationis, votum Rotæ super vocatione exquiratur [49]: 28 *jan.* 1736.

16. Clericum Sebastianum Passanha de Torres, qui ad sui defensionem absque tamen inculpatæ tutelæ moderamine homicidium perpetraverat, incapacem beneficiorum esse, quamvis ad sacros Ordines prævia dispensatione ab Episcopo obtenta promotus fuerat, S. C. jam antea resolverat. Huic tamen dispensationem esse concedendam, stante temporis lapsu a patrato delicto, et laudabili vitæ instituto hodie respondere S. eadem C. non dubitavit: *Elboren., Irregularit.*, 16 *martii* 1737, *dub.* 2.

17. Haud censuit S. C. largiendam dispensationem in favorem fratris Dominici Antonii Lupi ordinis Minorum conventualium retinendi duas capellanias de jurepatronatus, quas erigi mandavit Hieronymus Mariotti in favorem propinquiorum; etiamsi frater Dominicus esset propinquior testatoris cognatus: *Recineten., Capellaniæ*, 22 *junii* 1743, *dub.* 2.

18. Quum frater Hyacinthus Mancerius professus in ordine Minorum ad beneficium vulgo nuncupatum *di S. Dominico di Genifra*, cujus patronatus est apud familiam ipsam Manceriam, conditione adjecta referendi Apostolicam dispensationem, fuisset præsentatus; eamdem a S. C. postulavit, et obtinuit: *Bicteten., Beneficii.*, 18 *dec.* 1745, *dub.* 2.

19. Beneficium testamento erigi jubens Franciscus Bennati voluit, ut de suis propinquioribus eligeretur sacerdos, sin inter suos non adesset, alter ab hæredibus eligi mandavit, expressitque, ut sacerdos ad beneficium electus binas in hebdomada. Missas pro sui suorumque propinquiorum defunctorum anima celebraret. Beneficium hoc, ad quod presbyteri semper electi non fuerunt, non habitu tantum, sed actu sacerdotale S. C. pronunciavit. Sed quum Dominicus Bennatus patronus Angelum filium præsentasset, qui a sacerdotali longe abest ætate, petiit hic, ut sibi dispensatio concedatur, et S. C. ei donavit: *Imolen., Benef.*, 23 *sept.* 1758, *dub.* 2.

20. Quum jam antea S. C. declarasset, quod patres Scholarum piarum beneficium seculare erectum in ecclesia parochiali S. Sebastiani terræ Massæ de ipsorum jurepatronatus, retinere minime posse; quamvis fundator ad illud in testamento præsentaverat; modo ead. S. C. non esse consulendum Sanctissimum pro dispensatione obtinendi ad effectum, ut iidem patres beneficii onera, celebrationem nempe Missarum per seipsos explere possent, re-

[49] Quod postulatum non fuit; sed omne de vocatione judicium pendebat ex interpretatione instrumenti fundationis, cujus super jurepatronatu passivo hæc sunt verba: « E perche si puol dare il caso in avvenire, che vachera il detto juspatronato Abbazia nuncupato in tempo, che attualmente non vi sia un maschio descendente per linea del detto Sigr. Fiderico suo nipote, o in mancanza della linea masculina un maschio di linea feminina del detto Sig. Federico, muche si puole sperare, per tanto essa Sig. fondatrice vuole, che hoc interim cioe dal giorno, che succedera la detta vacanza quocumque modo, e per insino a tanto, che nascera un maschio descedente da linea mascolina del detto Sig. Federico; o in mancanza di detta linea mascolina da linea feminina, ita che sempre, quando vie, o si spera un maschio descendente da linea mascolina, sia, e s'intenda preferito, ed esclusi s'intendano li maschi descendenti da linea feminina; quale maschio dovra presentarsi al detto juspatronato Abbazia nuncupato dalli patroni, come sopra, che il detto juspatronato nuncupato si possa dare ad un sacerdote ben visto alli patroni ad nominationem, et præsentationem delli detti patroni pro tempore in commendam..... E quello, che si disse perli maschi del Sig. Federico, s'intenda anco per li maschi della Sig. Faustina. » Dubitari nequit de passiva vocatione pueri de Constantio, nec fundatrix casum expressit, quo beneficium in administrationem daretur, ad excludendos masculos de tempore vacationis existentes in linea fœminina Frederici, quando spes superesset alicujus proximioris masculi in linea pariter fœminina nasciturí. Nam si de illo intellexisset, etiam in hoc casu, specialiter expressisset, sicut fecit in primo: *Rot.* decis. 262, num. 3, part. 17, et decis 67, num. 16, part. 18, tom. 1. recent. Argumento discretivæ, nam, ubi voluit, expressit, ubi noluit, consulto omisit: Mantic. *de Conject.* ult. vol. lib. 11, tit. 14, num. 10, ait. In ecclesiasticis beneficiis, quamvis de jurepatronatus laicorum et quæ ex lego fundationis certo generi personarum, et cum certo ordine debeantur, utpote administrationem adnexam habentibus, ac etiam in ecclesia, seu capella diuturnam vacationem pati cogatur, non datur suspensio, sed necessaria est capacitas, seu habilitas de tempore facti casus, ac alias fit locus remotiori, vel extraneo, si in genere vocatorum alter proximior non adesset, nec in beneficiis ecclesiasticis datur illa suspensio, quæ datur in fideicommissis: Card. de Luca *de Fideicom.*, disc. 8, num. 5, ut *de Jurepatr.*, disc. 45, num. 8, et disc. 82, num. 5.

solvit: *Marsorum, Capellan.*, 18 *febr.* 1664, *dub.* 2.

21. Tria ecclesiastica beneficia una cum alio vacaturo in administrationem poposcit retinere clericus Joseph Stoppanus in statu conjugali, et quamvis fundator esset oratoris avus, de ejus egestate constaret, et ageretur de patronatu activo laicali, et passivo non sacerdotali, nec residentiali denegata fuit petita dispensatio pro qua consulere Sanctissimum oportebat: *Comen.*, 18 *aug.* 1764.

22. Patronus beneficii erecti in ecclesia SS. Faustini, et Jovitæ loci Castelletti ignorans qualitatem ejusdem sacerdotalem nominavit filium suum Vincentium Vincimala quadriennem sub spe obtinendi Apostolicam ætatis dispensationem, et habuit. Sed qualitate sacerdotali comperta supplicat dispensationem concedi super defectu prædictæ qualitatis proavi ductus exemplo. Favet petitioni Episcopus, et rescriptum prodiit, consulendum esse Sanctissimum pro dispensatione præfata usque dum ad legitimam ætatem pervenerit, impletis oneribus: *Cremonen.*, *Dispensat.*, 20 *januar.* 1776.

23. Dispensationem a Summo Pontifice Benedicto XIV habuerunt in exemplum tamen non trahendum de retinenda capellanias amovibiles fundatas ab Antonio Rota in ecclesia collegiata terræ Ophidæ, canonicus Luccius Recchius, et sacerdotes Venantius Telli, et Elpidius Biccolinus, etiamsi essent exteri presbyteri, et alter canonicus contra voluntatem expressam testatoris, qui oppidanos vocaverat; ideo quæsitum fuit, an sustineantur dictæ dispensationes oppidanis contradicentibus, et allegantibus esse silentio prætermissas fundationis qualitates, S. C. sustineri illas censuit: *Asculana*, 15 *maii* 1779, *dub.* 1.

24. Thomas Petrus Dias a rege Lusitaniæ meruit præsentari, ita tamen, ut beneficium assequi deberet postquam a suo Episcopo Angolensi sacerdotio fuisset initiatus; verum Episcopus eum ad sacerdotium elevare renuit, quinimo in exilium illum ad insulam Fernandi pulsit. Post varios casus impetratis a provisore Angolensis Episcopi necessariis requisitis, postulavit, ut sacris Ulyssipone initiaretur. Sed Episcopus dimissorias concedere noluit, et diœcesanæ obstabant constitutiones, quæ septem annorum ad contrahendum domicilium spatium præscribunt; qua de causa a Sede Apostolica dispensationem exquisivit. Sed S. C. respondit, ut orator recurreret ad hodiernum Episcopum Angolensem, eique commendaretur tam a C. Patriarcha quam a C. nuntio nomine S. C.: *Angolen.*, 4 *febr.* 1786.

25. Trium beneficiorum patronus Joseph Luciani, quum Gasparem filium suum bimum præsentasset, concurrente etiam presentatione R. P. D. thesaurarii patroni quoad medietatem vocis unius ex tribus beneficiis cum reservatione dispensationis Apostolicæ obtinendæ, inspecta paupertate, expensas pro bullarum expeditione non sustinens, administrationem redituum dictorum beneficiorum postulavit, et impetravit, ut considerata paupertate illius committeretur Episcopo deputatio administratoris ecclesiastici trium beneficiorum, qui expletis oneribus residuum oratori consignaret, usque dum nominatus ad legitimam ætatem pervenerit: *Asculana, Dispensat.*, 20 *maii* 1786.

26. Clerico Augustino Boschi annorum 43 patrono pauperi, et rectori simplicis beneficii S. Petri *a Fabrica*, quum canonicas horas recitare non valeret ob inscitiam ex mentis tarditate derivantem, ac nulla spes adesset, ut aliquando ab ignorantiæ tenebris educeretur, retinendi dictum beneficium in administrationem dispensatio fuit denegata: *Collen.*, 30 *aug.* 1788, *dub.* 1.

27. Capellania sacerdotalis, quæ in ecclesia S. Sebastiani societatis *de Battuti Bianchi* fundavit sacerdos Joan. Magnoli, cum onere quotidiani sacri, conceditur in favorem pueruli Josephi Antonii Brunaccini annorum quatuor prælative vocati, ac pauperis juxta modum [50], exclusis sacerdotibus Amadæi, et Bagattoni; pendente illius instantia nominatis: *Foroliv.*, *Capellan*, 25 *junii* 1791, *dub.* 2.

28. Capellania laicalis a Francisco Antonio Borghi instituta, ad quam vocatur linea masculina Borghia, et in hujus defectum linea masculina Rocchi Constantini cum substitutione sodalitii sanctissimæ Trinitatis terræ Offidæ, conceditur in administrationem Theresiæ filiæ ultimi masculi familiæ Borghiæ ad ejus vitam: *Asculana, Capellan.*, 24 *mart.* 1792.

29. Capellaniæ laicalis fundatæ a Valerio Augustino Salvatori in ecclesia cathedrali, dispensatio retinendi in statu conjugali denegatur Francisco Catrani passive vocato in concursu cacerdotis Petri ejus fratris: *Civitatis Castelli, Capellaniæ*, 23 *nov.* 1794, *dub.* 1.

30. Capellaniam fundatam a David Dominici in ecclesia S. Mariæ Majoris oppidi Hispelli, et quam Antistes erexit in titulum simplicis beneficii ecclesiastici collativi, seu perpetuæ capellaniæ retinere exoptat clericus Joan. Calcagna in statu conjugali, patronis consentientibus, et S. C. exorat, quæ ei non fecit potestatem: *Fulginaten.*, *Capellaniæ*, 14 *sept.* 1796, *dub.* 1.

31. Franciscus Ercolani instituit capellaniam

[50] Nempe suspensa nominatione, et deputato ecclesiastico administratore, qui adimpletis oneribus, superextantes reditus solvat Josepho in ejus conservationem, donec suscepto clericatu ad majorem pervenerit ætatem: *Ead. causa*, 25 *junii* 1791, *dub.* 2.

collativam in ecclesia S. Silvestri terræ S. Constantii, et in erectione fuit beneficium appellata. Inde dote aucta beneficii, et reservatum fuit juspatronatus idoneis ad sacerdotium vocatis, et Veronica Vecchi, cui hæreditas delata fuit, activum reliqui juspatronatus Francisco Corradini, qui ad beneficium nominavit ejus filium Petrum, qui licet ad conjugalem statum transisset, retinuit tamen prædium beneficii, adimpletis per alium oneribus. Monitus ab Episcopo orat pro facultate continuandi in possessione prædii per ipsum melius effecti. Favet ei Episcopus, sed S. C. non esse locum retentioni beneficii in statu conjugali; sed suspensioni nominationis, deputato ecclesiastico administratore, qui, impletis oneribus, superextantes reditus oratori consignet, donec aliquis ex passive vocatis idoneus superveniat: *Fanen., Benef.*, 15 *julii* 1797, *dub* 1.

32. Clericus Bondi nominatus ad sacerdotalem capellaniam Zani eam obtinuit cum conditione, *dummodo Trebonianum se conferat, ibique resideat; statim ac ad legitimam pervenerit ætatem ad sacerdotium ascendat, et facultatem excipiendi sacramentales confessiones obtineat.* Ad ætatem perventus an. 23, supplicat pro prorogatione termini ad sacros suscipiendos ordines, donec opportuna expleret studia, quibus ob adversam valetudinem incumbere non potuerat; et S. C. annuit arbitrio Episcopi: *Sutrina, Capellaniæ*, 15 *julii* 1797.

33. Ad unum ex duobus beneficiis residentialibus, seu legatis fundatis a Petro Stecconi in ecclesia collegiata S. Bartholomæi Busseti nominatus fuit clericus Dominicus Stecconi natus in villa S. Andreæ sub parochia Busseti. Hic ob defectum nativitatis, ac educationis in oppido Busseti a fundatore demandatæ supplicat, ut capax factus sit causa obtinendi legatum, seu beneficium licet repugnante fundatoris dispositione, et S. C. eam indulsit; agebatur enim de paupere fundatoris consanguineo: *Burgi, S. Domnini, Legati*, 19 *aug.* 1797, *dub.* 1.

DISPENSATIO AB EXERCITIO ORDINUM. Vide *Absolutio*, § X.

§ V.

Dispensatio ab illegitimitate natalium.

1. Joannes Demetrius Giacomonius ex illegitimo natus matrimonio, et ignarus de sua origine obtinuit fidem legitimitatis a parocho, qui falsam exaravit; at ab amico de suo natale monitus a sacra Pœnitentiaria dispensatus est, et sicut de re occulta agebatur, ordines suscepit. Nuper parochia S. Luciæ loci Bogognoni provisus ad forum contensiosum fama illegitimitatis delata ab illo parocho, qui de fidei falsitate deposuit, ab ordinum sacrorum exercitio suspensus fuit; proinde petiit dispensari, et S. C. dispensationem ad cautelam impertivit, jussitque ut Ordinarius prout de jure procederet contra parochum: *Adjacen., Dispensat.*, 26 *jan.* 1709.

2. Clericus Marinus Brizzius Arbensis ex soluto et soluta genitus obtinuit a nuntio apostolico dispensationem in forma commissaria directa suo Episcopo, qui ad sacros ordines promovit; sed subinde dubitans, an nuntius hujusmodi facultatem dare potuisset, ad S. C. recurrit, et hæc de legitima dispensatione constare decrevit: *Venetiarum, seu Arben., Dispensat.*, 27 *april.* 1709.

3. Constante matrimonio inter Margaritam Mattioli, et Dominicum Mattioli natus est Felix Antonius, et in baptismatum libro filius Margaritæ prædictæ ex patre incerto descriptus fuit, licet Dominicus illum per filium semper habuerit, ac talis Tuderti ab omnibus fuerit reputatus. Consulta S. C., hæc mandat esse corrigendam descriptionem in libris baptismatum, nec indigere oratorem dispensatione, si ad clericalem militiam ascendere cupiat. Parochus enim nationem viri nesciebat, qui tempore nativitatis a civitate, ac diœcesi aberat: *Tudertina, Legitimitatis*, 16 *januar.* 1717.

§ VI.

Dispensatio ab incompatibilitate, seu pluralitate beneficiorum.

1. Super duobus beneficiis dissimilibus sub eodem tecto, quando quodlibet per se non sit sufficiens ad congruam provisi conservationem Episcopum posse dispensare a S. C. firmatur: *Nepesina*, 11 *januar.* 1594.

2. Censuit S. C. non prohibere Episcopum instituere ad beneficium obtinentem duo alia simplicia, sed ipsum institutum postea non posse illud una cum duobus aliis prius obtentis, utcumque ad conservationem insufficientibus, retinere, absque nova provisione, vel dispensatione Sedis Apostolicæ: *Cajetana*, 27 *julii* 1606.

3. Declaravit S. C. facultatem dispensandi super duobus beneficiis dissimilibus sub eodem tecto, quam habet Episcopus ex dispositione juris communis non esse sublatam a S. Concilio Tridentino cap. 17, sess. 24, *de Reform.* [51], dummodo quodlibet

[51] Statuente, ut unum tantum singulis conferatur, etiamsi agatur de S. R. E. Cardinalibus, et dumtaxat permittente, quod si unum ad honestam vitæ conservationem non sufficiat, conferri eidem possit aliud simplex, dummodo utrumque personalem residentiam non requirat. Vid. Bened. XIV, *Inst. Eccle. XCI*, num. 6, tom. 11, pag. 603, qui men-

per se non sit sufficiens ad conservationem provisi: *Alexandrina*, 17 *junii* 1630.

4. Postulante canonico Villano facultatem retinendi una cum canonicatu parochialem ecclesiam, respondit S. C. dispensationem retentionis ecclesiæ parochialis cum canonicatu non esse concedendam, sed posse Sanctissimum adire pro gratia: *Pistorien.*, 14 *april.* 1646.

5. Quum sacerdos Laurentius Ugolinus possidens beneficium simplex reditus scut. 4, 50, circiter cum onere Missarum 18, obtinuisset capellaniam reditus scut. 15, cum onere Missarum duarum hebdomadalium; Episcopus nequit instituere, quod orator nequeat duo beneficia uniformia sub eodem tecto absque dispensatione retinere; idcirco exorat orator S. C., ut id declaret, et non indigere illum dispensatione putavit: *Assisien.*, 14 *januar.* 1697.

6. Ascanius Auregius provisus fuit in ecclesia parochiali loci Bellasii de beneficio simplici perpetuo, in cujus fundatione cautum est, ut possessor, si aliud obtineat beneficium reditus sufficientis vitæ alendæ, illud renunciare teneatur. Ascanius postea canonicatum ecclesiæ collegiatæ S. Joannis Baptistæ de Morbinio in Valletellina adeptus est, hinc dispensationem ab incompatibilitate petiit, quum fructus canonicatus detractis oneribus vix attingeret ducatos auri de camera, et orator esset de eadem familia fundatoris beneficii. At instantibus patronis S. C. dispensationem denegavit, addendo, et partes utantur jure suo coram Ordinario: *Comen.*, *Indulti*, 26 *febr.* 1707.

7. Cupiens Christophorus Ernestus de Guttemberg monachus professus abbatiæ Fuldensis ordinis S. Benedicti præposituram Collensem, cui incumbit animarum cura, una cum abbatia monasterii S. Michaelis Bambergæ simul retinere; S. C., cui adiit pro dispensatione quatenus opus sit, dispensationem abnuit eodem tempore, quo resolvit ea indigere: *Bambergen.*, *seu Nullius Fulden.*, *Incompat.*, 13 *febr.* 1715, *dub.* 2.

8. Vicariam perpetuam in ecclesia cathedrali erectam S. C. incompatibilem esse cum canonicatu ejusdem ecclesiæ judicavit. Utraque præbenda provisus Franciscus Farina postulavit, utrum sit locus indulto apostolico utramque possidendi? quod S. C. inficiata est: *Casertana*, *Indulti*, 8 *aug.* 1716, *dub.* 2.

9. Faustus Passerius canonicatum cum præbenda in collegiata ecclesia S. Ginesii possidens, præsentatus fuit ad simplex beneficium de jurepatronatus familiæ de Passeris in eadem ecclesia erectum. De hoc beneficio detractis oneribus tantum scuta duo, et ob. 30 remanent; et quum illud esset sub eodem tecto, Episcopus anceps de apostolica dispensatione illum instituere noluit. S. C. tamen ad illius preces rescripsit[51], ut recurrat ad Episcopum: *Camerinen.*, *Dispensat.*, 14 *nov.* 1716.

10. Sacerdos Joannes Baptista Mastrochiricus, parochus cathedralis ecclesiæ, a Sede Apostolica obtinuit provideri de canonicatu ejusdem ecclesiæ cum decreto vacationis parochiæ. Exoravit proinde S. C. pro dispensatione spectata parochiæ redituum tenuitate, quod ducat. nempe 24 auri de camera, ac canonicatus, qui sex ducatos non computatis distributionibus reddit. S. C. *inter sum. precum* rejecit instantiam, et causa iterum proposita, eadem S. C. a sententia nunquam deflexit: *Polinianen.*, *Dispensationis*, 19 *junii* 1717.

11. Sacerdos Antonius Cantonius nominari vicit a communitate locorum Bioggii, et Gaggi ditionis Helveticæ ad officium vicecurati amovibilis in ecclesia S. Mauritii, ac subinde de canonicatu in ecclesia collegiata S. Joannis Baptistæ de Agno provisus fuit, utrumque retinendi postulavit causa tenuitatis redituum, et S. C. hujusmodi facultatem arbitrio, et conscientiæ Ordinarii commisit. Ordinarius indultum exercendi vicecuram ad annum concessit. Quum postmodum supplex libellus nomine communitatis exhibitus fuisset, quod ille duplex munus explere nequit; S. C. susceptum consilium deposuit, et non posse Cantonium insimul retinere canonicatum, vicecuram sancivit. Et licet illa in-

tem ejusdem Concilii hisce explanat verbis: « Attamen si sacræ Congr. Concilii parendum est, uti oportet, quæ idem Concilium sola interpretatur, contrarium omnino statuendum est iis omnibus, quæ paulo ante exposuimus. Concilium *quidem aliud simplex beneficium* clerico permittit, si primum jam collatum ad vitæ sustentationem nequaquam sufficiat, ut superius dictum est, quo loco Concilium numero singulari utitur. Item de alio beneficio simplici, sed sufficienti agit Concilium, de secundo tamen beneficio haud sufficienti ne verbum quidem facit. Quam ob rem sac. Congregatio Concilii interpres declarare potuit, si secundum beneficium minime sufficiat, conferri haud posse alia beneficia, licet ad clericum sustentandum satis esse nequeant. Insuper notissimum *in jure* habetur, nomina *præsentationis*, *collationis*, et *institutionis* non semel permisceri. Itaque cum eodem loco Concilium nomen *collationis* adhibuerit, ideo sac. Congregatio interpretari, ac decernere potuit nomine *collationis*, *præsentationis*, et *institutionis*, rem eamdem intelligi, ac constitui. Qua de re, si nequit Episcopus sua auctoritate tertium simplex beneficium in illum conferre, qui duobus aliis; licet non sufficientibus præditus est, ob eamdem causam non conceditur laicis tertium simplex beneficium *jurispatronatus* impertire clerico, qui alia duo beneficia jam obtinet, sive pro illius vita sustinenda sufficiant, sive non sufficiant: ideoque necessaria utriusque Apostolicæ Sedis auctoritas judicatur. » De hoc etiam agitur Ferrari *Bibliot.* verb. *Beneficium*, § 6, num. 58, seqq. tom. 1, pag. 225. Vide not. 38, tom. 1, verb. *Beneficia ecclesiastica*, § 6.

[51] Vide not. 41, tom. 1, verb. *Beneficia eccles.*, § 6.

stantia a quibusdam non a communitate promota fuerat, tamen S. C. postremum decretum confirmavit: *Comen.*, 8 *julii* 1724.

12. Dispensationem ad effectum retinendi beneficium S. Catharinæ in parochiali ecclesia oppidi de Ridinghausen in dicta ecclesia cum onere personali Missarum erectum, una cum ecclesia parochiali spatio sex milliarium distante ab illa S. Catharinæ sacerdoti Joanni Frederico Weber, jam incompatibilitate eorumdem declarata, S. Congr. denegavit; etiamsi ipse Joannes patronatu prædicti beneficii suam familiam gaudere, et exiles esse reditus exposuerit: *Colonien., Beneficii*, 6 *februar.* 1734, *dub.* 2.

13. Rodericus a Moura Telles canonicus metropolitanæ ecclesiæ postulavit, ut quum esset a synodalibus examinatoribus pro ecclesia parochiali, et abbatiali S. Petri de Maximinos in suburbiis Bracharæ civitatis sita, approbatus, secum dispensaretur, ut una cum canonicatu præfatam retinere posset parochiam. Clerici ejusdem diœcesis, nec doctrinæ excellentiam in Roderico esse, nec ab uno, eodemque viro utrique ecclesiæ ministrari posse fatentur. Proposita inde quæstione, negativam responsionem Rodericus tulit: *Bracaren., Dispensat.*, 17 *april.* 1734.

14. Nicolaus Tarrana utriusque signaturæ referendarius post obtentam parochialem ecclesiam S. Antonii Magni in urbe Panormi fuit ad canonicatum cathedralis, injusto expulso detentore, redintegratus. Ob id imploravit, ut sibi canonicatum illum cum parochia possidere liceret, at S. C. eum non audivit, etiamsi certior ea facta fuerit de vicinitate cathedralis, et parochiæ, cujus causa commode orator functiones chori, et parochiales explere poterat: *Panormitana, Indulti*, 13 *april.* 1737.

15. Antonius Bertrandus de Halloy perpetuus coadjutor Philippi Patrui canonici collegiatæ ecclesiæ S. Dionysii Leodii, ad vicariam parochialis ecclesiæ S. Aldegundis præsentatus ab ejusdem ecclesiæ capitulo fuit. Dispensationem hinc, qua sibi liceat vicariam hanc assequi, eamque tum perdurante, tum cessante coadjutoris munere cum memorato canonicatu retinere postulavit. Pluries rejectus, preces integravit, et tandem gratiam inspectis peculiaribus circumstantiis, consensu coadjuti accedente, consequutus est. Nam commode utrique ecclesiæ inservire poterat: *Leodien., Indulti*, 4 *julii* 1739.

16. Canonicus ecclesiæ cathedralis Hieronymus Ammone pro consecutione beneficii, rectoriarum, et capellaniarum, quæ sunt de jurepatronatus suæ familiæ, non indiget Apostolica dispensatione. Nam capellaniæ sunt mere laicales, canonicatus cathedralis prædictæ exiguos reditus habet: *Surrentina, Beneficiorum*, 28 *april.* 1759, *dub.* 1, confirmata 30 *junii ejusd. anni.*

17. Beneficium in ecclesia rurali castri Plumbinaria erectum collatum fuit Sebastiano Bertarellio, qui archipresbyteratum quoque S. Stephani terræ vallis Montanæ tenet. Utrumque habendi a S. C. potestas ei supplicanti data est, ita tamen ut per alium onera beneficii, de quo fundatio non extat, implerentur; nam hactenus fuerat de ejusdem beneficii personali onere dubitatum: *Signina, Beneficii*, 3 *aug.* 1771, *dub.* 3,

18. Beneficium residentiale erectum in ecclesia parochiali oppidi Castignani cum onere celebrandi per seipsum, et personaliter choro inserviendi, retinendi dispensatio fuit bis denegata Frederico Pignotti proviso de præbenda thesaurariæ ecclesiæ cathedralis almæ Domus Lauretanæ; etiamsi tamquam passive vocatus qualitatibus a beneficii fundatore impositis polleret: *Montis Alti, Dispensat.*, 14 *sept.* 1782.

19. Constantinus Salvi possidens in ecclesia collegiata S. Joannis Baptistæ terræ Campaneani canonicatum nomitatus est a patronis, quum esset de vocata familia, ad beneficium in eadem ecclesia fundatum, qui onus canonicorum uniforme, celebrationis nempe Missarum trium hebdomadalium, et chori servitii diebus festi mobilibus habet, qua de causa capitulum non assentitur. Ille vero dispensationem efflagitat, et S. C. indulsit arbitrio Episcopi dummodo chori servitium detrimentum non patiatur: *Nepesina*, 8 *julii* 1786.

20. Haud concedendam censuit S. C. dispensationem ab incompatibilitate canonico Antonio Assortati, qui facultatem possidendi canonicatum ecclesiæ collegiatæ S. Blasii terræ Milonis, simul cum rectoratu Immaculatæ Conceptionis ipsius terræ exoptabat. Nam fundator rectoratus posse retinere cum nullis de capellaniis, ex quibus in canonicatibus erectis inde ecclesia prædicta in collegiatam coaluit, prohibuerat: *Maceraten.*, *Dispensat.*, 19 *maii* 1787, confirmata 12 *julii* 1783, *dub.* 1.

21. Beneficia duo simplicia in parochiali ecclesia Thaii vallis Annaniæ erecta de patronatu familiæ Panizza onere adjecto Missarum, ita ut Feria III concurrat celebrandi ratione utriusque beneficii obligatio, possidens sacerdos Joseph Panizza concordiam iniit cum Udalrico Barbacovi, qui subsidiariam passivi patronatus vocationem habet, et rogavit deinde dispensationem a pluralitate beneficiorum sub eodem tecto existentium, et S. C. ei rescripsit esse consulendum Sanctissimum pro dispensatione: *Tridentina*, 29 *nov.* 1788, *dub.* 1.

22. Canonicatum possidens sacerdos Maria Scottius in ecclesia parochiali oppidi Cerioli, assumptus

fuit in amovibilem rectorem parochiæ contermini oppidi Capsinæ Grossæ. Ex fundatione canonicatus ei onus incumbit Missarum celebrationis personale excepto casu infirmitatis, vel alterius legitimi impedimenti, necnon parochialibus functionibus, ac aliis festivitatibus interesse. Indultum igitur efflagitavit canonicatum cum rectoratu retinendi, et onera primi per alium explendi, seu pro dispensatione ad duo residentialia ; verum id impetrare haudquaquam valuit : *Alexandrina*, *Canonicatus*, 29 *aug.* 1789.

23. Ferdinandus Chiabrera ecclesiæ cathedralis præpositus, quum esset possessor capellaniæ fundationis sacerdotis Dominici de Ochis cum onere Missarum, et servitii chori in eadem cathedrali erectæ, idcirco indiget dispensatione ad duo residentialia sub eodem tecto beneficia, quam S. C. in favorem oratoris tantum impertivit : *Aquen.*, *Reduct. oner.*, 19 *febr.* 1791.

24. Obtinuit sacerdos Cæsar Palestri residentialem capellaniam fundationis Dominici Carnago in oppido Bremidæ reditus scut. 95, 75., at ob aerem infectum indultum temporale absentandi reportavit, necnon accepit per resignationem Alexandrinæ collegiatæ SS. Petri, et Dalmatii residentialem archipresbyteratum reditus 13 ducat., nulla facta mentione de capellania ; ideo supplicat utrumque retinendi, et adimplendi per alium onera capellaniæ. S. C. indulsit dispensationem, et convalidationem collationis archipresbyteratus juxta votum Archiepiscopi qui ei favet, per alium tamen oneribus capellaniæ expletis : *Papien.*, 19 *febr.* 1791, *dub.* 2.

25. Sacerdos Joannes Santoboni, qui beneficium ecclesiasticum cum onere adjuvandi archipresbyterum oppidi Mojani reditus scut. 29, 30, una cum capellania ecclesiastica cum onere Missarum 65, in rurali ejusdem oppidi ecclesia S. Sebastiani reditus scut. 29, 06, non indiget dispensatione ad utrumque possidendum : *Sabinen.*, 26 *novem.* 1791.

§ VII.

Dispensatio ab irregularitate orta ex defectu animi.

1. Episcopus negavit dimissorias ad presbyteratum Petro Jacobo Caprioli diacono, qui cum quodam clerico homicidio fuerat accusatus ; inde vero absolutus cum clausula, nisi nova superveniant indicia. Nihilominus viget publica adhuc fama, quod ille revera deliquerit, nec argumenta sufficientia de ejus vita, et moribus præbuit ; ob id postulatur, an ipse indigeat dispensatione super nota infamiæ ? et indigere responsum est : *Vigilien.*, *Dimissorialium*, 23 *sept.* 1673, *dub.* 1.

2. Et quoad dubium, an ei sit concedenda ? dispensatio concessa fuit : *Ibid.*, *dub.* 2.

3. Frater Mansuetus de Panormo clericus ordinis Minorum de Observantia reformata S. Francisci ejusdem provinciæ exponens sac. Pœnitentiariæ, se per aliquod tempus a dæmone insessum jam a biennio integro liberatum fuisse, supplicavit secum dispensari super irregularitate exinde contracta ad effectum suscipiendi ordines sacros. At sac. Pœnitentiaria audito procuratore generali, qui ita retulit : *L'esposto dell'oratore e vero, come appare da una fede authentica sottoscritta da religiosi degni di fede, e confermata da quel suo superiore provinciale ; onde si potra aggraziare ecc.*, instantiam remisit ad S. C., quæ ad dubium, an petita dispensatio oratori sit concedenda ? et *pro nunc negative* respondit : *Panormitana*, *Dispensat.*, 10 *april.* 1683.

4. Parochus cujusdem loci interfuerat matrimonio contracto inter vilis conditionis mulierem, et baronem, qui, licet nullum penitus jus in et super ecclesia parochiali haberet, attamen jurisdictionis exercitium inter plures condominos per vices diviso, nonnullis anni mensibus in dicto loco fruebatur, at dicti baronis filius ex alia uxore tunc præmortua susceptus parochum præfatum occidit. Hujus homicidæ hactenus viventis filius ante patratum delictum natus ad sacros ordines promoveri desiderat ; quocirca preces obtulit, an cum eo sit dispensandum, ut ordinari valeat ? et oratorem non indigere dispensatione a S. C. rescribitur : *Dubium*, *Dispensat.*, 2 *aug.* 1687, *dub* 2.

5. Quum Marcus Antonius Lazzarellus minoribus tantum ordinibus initiatus ad nonnulla gubernacula ditionis pontificiæ sedisset, quin se immiscuerit, ut ait, in causa sanguinis ; inde provisus de canonicatu in ecclesia cathedrali Episcopus ei conferre ordinem subdiaconatus abnuit ; et S. C. cui adiit clericus, *die* 3 *martii* 1703, *inter summ. prec*, esse dispensandum ad cautelam censuit. Deinde dispensatione non indigere declaravit : *Sancti Severini*, *Irregular.*, 2 *junii* 1703.

6. Clericus Petrus de Larriantegni in aula Matritensi evectus ad munus regii auditoratus requirentis causarum criminalium cognitionem obtinuit ab Innocentio XII, Pont. Max., breve *Præservativum* ab irregularitate ad triennium, dummodo a ferenda sententia in causa sanguinis se abstineat. Verum assumptus postea fuit in eadem curia ad munus d'*Alcaldo*, ut dicunt, qui fert suffragium in causa sanguinis, et secretarius ex pluralitate decretum extendit, et illi non subscribunt. Ideo quæsitum est, an vigore prædicti brevis Innoc. XII, tuta conscientia, et absque incurrenda irregularitatem possit orator modo supra enunciato consulere, et suffragium inire in causis sanguinis ? et quatenus indigeat, an sit concedenda ei dispensatio ? S. C. pro

meliori informatione, et ad mentem respondit: *Toletana*, 4 *febr.* 1702, *dub.* 2.

7. Quum Nicolaus de Benedictis detexisset, quod sacerdos Leonardus Antonius Riccus honori cujusdam puellæ annorum 15, cognatæ suæ, insidiabatur, eam per fenestram nocturno tempore extra domum adducens, raptum prohibere curavit; sed igneam ballistam explosit idem Leonardus, quo ictu aliquot Nicolai capillos cremavit, ob id Nicolaus ad vitæ, honorisque defensionem pluribus ictibus ensis illum interfecit. Modo abhinc viginti annis habuit filium, quem post homicidium edidit, et qui ecclesiæ militiæ adscribi cupit, exoravitque, ut dispensatur, et S.C. dispensatione non indigere resolvit: *Tranen.*, 8 *maii* 1706.

8. Fr. Sylvester de Tursio Cappuccinus professus, et in ordine diaconali constitutus exposuit se ad subdiaconatus ordinem ante legitimam ætatem, nondum Confirmationis sacramento suscepto, inauguratum fuisse; ideo a quacumque censura absolvi, ac dispensari exorat. Procurator generalis hac super re requisitus docuit, quod Episcopus confirmans, parentes, aliique testes jam defuncti veritatem perhibere nequeunt: S. C. autem prævia absolutione a suspensione, dispensationem ab irregularitate ad cautelam impertita est: *Ordinis Cappuccinorum, seu Anglonen.*, *Dispensat.*, 15 *decem.* 1710.

9. Cupiens Hieronymus Antonius Bonacina clericus Mediolanensis constitutus in ætate annorum 23, sacris initiari ordinibus postulat dispensationem ab irregularitate, eo quod fuerit olim energumenus, et licet per biennium nullam passus fuerit a dæmone vexationem, dispensationem tamen *pro nunc* S. C. inficiatur: *Mediolanen.*, 2 *decem.* 1724, *dub.* 2.

10. Joannes Baptista Sanita patricius Sulmonensis ostendens se iracundia succensum, stricto ense leve vulnus inflixisse presbytero Petro Philippo, suo germano fratri, qui in quadam contentione ejus uxorem alapa percusserat, et post triginta septem dierum spatium ex medicorum incuria obiit, apostolicam dispensationem postulavit, ut ipsius filii, tam nati, quam nascituri ad sacros ordines promoveri, et beneficia de jurepatronatus suæ familiæ obtinere valerent. S. C. consulta in casibus particularibus recurrendum esse respondit: *Sulmonen.*, *Dispensat.*, 15 *januar.* 1735.

11. Nicolaus Alphonsus, alter ex filiis memorati Joannis Baptistæ, in ætate octo ferme annorum constitutus, prima initiari tonsura, ac beneficium suæ familiæ patronatus habere avens, petiit, num pro suscipiendis ordinibus, et pro assequendis beneficiis, dispensatione indigeret; non indigere S. Congr. existimavit: *Ead.*, 30 *julii ejusd. anni*, *dub.* 1.

12. Ejectus uti incorrigibilis ab ordine Minorum S. Francisci de Paula sacerdos Pellegrini, natus Podenzanæ, an sit consulendum Sanctissimum postulatin S. Congr. pro dispensatione ab irregularitate, quæ ex infamia illa facti ob ejectionem oritur, quæ morum emendatione, quam sperat Episcopus, purgatur, verum S. C. dispensationem petitam denegat: *Lunen.*, *Sarzanen.*, *Dispensat.*, 31 *julii* 1751, confirmata 8 *julii* 1752.

13. Canonicus Bernardus Evangelista obtinuerat a S. C. indultum apostolicum exercendi artem medicam in civitate S. Germani per annum tantum, si tamdiu penuria medicorum perduraverit. Quum tamen elapso anno exercitium medicinæ non destitisset, S. C. dispensandum esse ad cautelam existimavit: *Nullius, Montis Cassini*, 19 *decem.* 1761, *dub.* 2.

14. Clericus Carolus Dominicus Jutz Svittensis in Helvetiis, qui per multos annos in senatu suæ patriæ jus dixit, exorat, ut, concessa dispensatione ab irregularitate, tribuatur sibi venia, qua ad sacros ordines promoveatur, relicta Rosa Magdalena uxore, quæ emisso perpetuæ continentiæ voto in aliquam sanctimonialium domum usque ad supremum suæ vitæ diem se recipere parata est. S. C. responsum edidit: Consulendum esse Sanctissimum pro dispensatione ab irregularitate, et pro facultate in casu, de quo agitur, ascendendi ad sacros ordines, emisso per Rosam voto perpetuæ continentiæ, necnon permanentiæ usque ad obitum viri in aliqua religiosa domo sub approbatione Card. Archiepiscopi: *Constantien.*, 31 *maii* 1766.

15. Innocentius Zappia religiosam professionem emisit in ordine S. Basilii Magni, nullaque permissa disquisitione utrum Confirmationis sacramento munitus esset, bona fide primam tonsuram, minores ordines a proprio abbate regulari suscepit. Sed quum ad an. 20 ætatem pervenerit, cognovit se eo sacramento carere; animi expectatione pendet, an legitime sacris ordinibus initiatus sit? ideo S. C., ut absolutionem, et dispensationem ab irregularitate, quatenus in ipsam inciderit, et rehabilitationem ad alios Ordines sibi indulgeret, rogavit; S. C. rescripsit, prævia confirmatione, in reliquis ad secret. ad mentem [53]: *Ordinis S. Basilii Magni*, 6 *maii* 1775.

16. Gregorium donatum in civitate Rhodigii ex parentibus judæis natum, ac Venetiis sacro lavacro regenerationis ablutum, post conversionem optimum vitæ specimen ostendentem, deque morum suavitate, virtutum meritis, constanti in catholica religione perseverantia, et futuro ecclesiæ servitio

[53] Vide not. 79, tom. 1, verb. *Absolutio*, § 10.

indubium testimonium præbentem, ab irregularitate esse dispensandum, et ad sacros ordines arbitrio Episcopi esse promovendum, S. C. putavit : *Adrien.,Irregularit.*, 31 *maii* 1783, *dub.* 2.

17. Parochus Franciscus Vasoli, licet avarus non fuerit in eleemosynis distribuèndis, tamen ex superextantibus parœciæ reditibus, aliisque proventibus, etiam patrimonialibus illicitam negotiationem exercuit. Modo exorat dispensationem ab irregularitate, in quam incurrit, ob administrationem proprii ordinis sub censuris ecclesiasticis; et S. C., quæ etiam ei restitutionem lucri illiciti imposuit, dispensationem postulatam impertivit: *Capuana*, 20 *febr.* 1796, *dub.* 3.

§ VIII.

Dispensatio ab irregularitate orta ex defectu corporis.

1. Baccalaureus Ferdinandus Lorente Mexicanus in quatuor minoribus ordinibus constitutus, quum staturam palmorum quinque, ac duorum tertiorum alterius palmi mensuræ quatuor palmos Romanos longæ non excederet,efflagitat pro dispensatione, ut valeat ad sacros ordines ascendere, et S. C. omne arbitrium quoad hanc instantiam Archiepiscopo concessit: *Mexicana*, 12 *julii* 1721.

2. Nobilis quædam persona recepta tanquam novitia in monasterio monialium, tirocinium incepit, et magno pietatis fervore prosequuta est. Imminente anni termino se esse hermaphroditam sentiit, ac suo juramento firmavit fœmineum sexum notabiliter prævalere. At summopere professionem religiosam emittere exoptans, quæsivit ad eam admitti, et admitti non posse S. C. decrevit. Modo dispensationem ab irregularitate rogat, quam ead. S. C. denegavit : *Dubium professionis*, 6 *decem.* 1721.

3. Sacerdos Bernardinus Lopes ex quadam læsione in brachio dextero flexibilitatem amisit, ob quam rite nequit efficere crucis signum, neque in Missæ celebratione sanctissimam Hostiam, et sanguinem sumere, nisi brachii, et manus sinistræ ope, licet ceteras sacrificii cæremonias recte impleat; idcirco a S. C. quæsivit dispensari, et novi Archiepiscopi arbitrio postulationem S. C. commendavit: *Consentina*, 13 *julii* 1725, *dub.* 2.

4. Sacerdos Joannes Niccolius parochus S. Romuli in Villamagna, quum visus debilitatem pateretur, consuetam anno 1720 a S. C. veniam celebrandi diebus festis, et duplicibus Missam votivam B. M. V., et ferialibus Missam defunctorum obtinuit cum solitis clausulis, inter quas data fuit facultas Ordinario gratiam denegandi, quatenus ipse omnino oculorum lumina amisisset, ætate modo ingravescente excæcatus est. Expetit proinde ad ultimam inopiam redactus indulti prorogationem. Archiepiscopus facto experimento nullum adesse periculum irreverentiæ, et esse optimum, diligentemque parochum asserit. S. C. annuit pro gratia cum auxilio alterius sacerdotis : *Florentina*, 23 *aug.* 1727.

5. Franciscus de Mencosy Ayanz claris ortus parentibus,quum adolescens litterarum studiis sese tradidisset, ex eorum fortasse intemperantia cæcitatem penitus fere contraxit. At studia non intermisit, ac non mediocres fecit progressus tum in sacra, tum in profana historia. Doctrinæ christianæ eruditionem, ac mysticarum rerum cognitionem assequutus est; denique concinne cymbalisare didicit. Ab irregularitate dispensari cupit. Eum laudat Episcopus, ac exaudiri dignum putat. At S. C. dispensationem ad primam tonsuram suscipiendam haud impertiri voluit: *Pampilonen.*, *Dispensat.*, 28 *martii* 1733, *dub.* 1.

6. Pluries ab Archiepiscopo Firmano postulavit Antonius Petrinius, ut sacræ adscriberetur militiæ; sed rejectus semper fuit, non quod probitate, studiisque careret, sed quod canonis ejus oculus visiva facultate expers erat; Romam ille venit cum spe dispensationem a S. C. impetraturus, cujus preces S. C. superiori Missionis pro voto, et experimento commendavit. Relatum est, illum absque indecentia posse canonem legere; dispensandum hinc ab irregularitate censuit S. C. prævia tamen expeditione brevis: *Firmana, Dispensat.*, 31 *julii* 1751.

7. Sacerdos Carmelus de Rienzo apopletico morbo correptus, talem in sinistro brachio passus fuit læsionem, ut ejus ministerio in sacro peragendo ad sustinendum scilicet calicem, dum attollitur, et ad sacratissimam Hostiam frangendam uti nequeat; ob id sicut miserrimam degit vitam dispensationem implorat, ut Missam celebrare valeat. Verum S. C. gratiam ei concedere renuit : *Abellinen., Irregularit.*, 28 *julii* 1770, confirmata, 4 *maii* 1771.

8. Joseph Franck parochus villæ Rohr, qui in manu sinistra inflammationem passus, illius digitos chirurgi inscitia amisit, et tanquam irregularis a sacrificio debuit abstinere; dispensationem idcirco rogavit, et facultatem celebrandi ope digitorum argenteorum, qui affabre erant elaborati, sine ulla prorsus deformitate, et discrimine, uti testatur officialis Augustanus. Exposuit ulterius parochiam esse tenuem, quæ capellani onus sustinere nequit. Attamen S. C. dispensationi locum nequidquam esse censuit : *Augustana, Irregularit.*, 19 *decem.* 1772.

7. Ex improviso decidentis mallei ictu sacerdos Joannes Baptista Jovant ita læsus in dextera manu fuit, ut partem pollicis, ac indicis, mediique digiti extremitatem amiserit, qua de causa a Missæ sacrificio, ac vicarii curati munere amotus est. Quum

tamen ope digiti medii, et articulo pollicis posset sine deformitate, periculoque sacram Hostiam adstringere, ac frangere, atque calicem contrectare dispensationem a S. C. quærit, ut Missam celebrare, et parochi munus peragere possit. Hujus preces admissæ fuerunt arbitrio, et conscientiæ Ordinarii facto verbo cum Sanctissimo: *Treviren., Irregularit.*, 26 *febr.* 1774.

10. Clericus Petrus Sertorius repentina nitrati pulveris accensione adeo graviter in dextera manu læsus fuit, ut liberum ejusdem in parte inferiori usum perdiderit, tantum illæsos habens indicem, pollicem, et illius superiorem partem; hac de causa non valet post Hostiæ consecrationem patenam tractare, nisi vel manu læsiva, vel pollice, et indice dexteræ, qui post consecrationem se jungi nequeunt, uteretur. Confugit ad S. C. pro impetranda dispensatione, præsertim, quod populus eum elegit ad ecclesiam vice-parochialem loci Vetiæ in plebe Lugani. Sed non obtinuit: *Comen., Irregularit.*, 6 *maii* 1775, confirmata 13 *julii* 1776.

11. Læsus a violento morbo convulsionum in læva corporis parte, Simon Serranus in undecimo ætatis anno constitutus paulisper claudicabat, duosque manus sinistræ digitos medium, et annularem inflexibiles habebat. Clericali militiæ dein ab Episcopo adscriptus, ac etiam ad capellaniam laicalem suæ familiæ nominatus petiit a S. C. dispensationem, ut ad sacros ordines, et ad presbyteratum promoveri queat; et rescribitur: Consulendum Sanctissimum pro dispensatione ad cautelam: *Malacitana*, 17 *junii* 1775.

12. Denegat S. C. dispensationem ab irregularitate Philippo Maggiorani parocho S. Martini in valle Astæ, qui dum venationi non clamorosæ operam dabat, in ballistæ igneæ extra modum impletæ explosione suam lævam ita læsit, ut deinde mortis vitandæ causa brachii partem amputare necesse fuerit: *Burgi, S. Sepulchri*, 18 *junii* 1785. Denuo sacerdos preces exhibuit, et etiam Episcopus, parochiæ incolæ rogarunt, et S. C. rescripsit: Ad secretarium cum Sanctissimo juxta mentem [54]: 7 *julii* 1787.

14. Clericus Joan. Baptista Bertoluzzi læsus in brachio dextero ex perniciosis pustulis, nuncupatis *Vajola* in ætate puerili, ut ad sacerdotium ascendat, postulat dispensationem. Episcopus omne abesse periculum, et populi offensionem, sacerdotibus ecclesiam Burgetti indigere, familiam ejus plurimis Missarum oneribus esse gravatam, et præ angustia rei familiaris ea implere non posse affirmat. Sed S. C. dispensationem ab irregularitate denegavit. Nam attractum brachium dexterum inutile ad faciendum sacrum fere habebat: *Albinganen., Irregularit.*, 11 *febr.* 1797.

15. Sacerdos Franciscus Pujol et Carner apoplexia correptus a sexennio omnem amisit lævi brachii, manusque usum; ideo exoravit pro facultate sacrum faciendi, cum auxilio alterius sacerdotis, seu dispensatione ab irregularitate. Sed licet Episcopus ei faveret, quia omnia ad sacrificium necessaria sufficienter explere valet, et sine adstantium admiratione in oratorio privato. S. C. dispensationem petitam denegavit: *Vicen., Irregularit.*, 19 *aug.* 1797.

16. Ita clericus Franciscus Antonius Lamberti a sinistris claudicat, testimonio ejus parochi sine baculo deambulare nequit; ob id dispensationem ab irregularitate postulat, ut ad majores ascenderet Ordines. Episcopus testatur quod in experimento periculum, populique offensionem parit deformitas; nec adest ecclesiæ necessitas neque utilitas. S. C. petitioni dissensit: *Albinganen., Irregularitat.*, 20 *januar.* 1798.

§ IX.

Dispensatio ab irregularitate ex crimine orta.

1. Censuit S. C. sublata macula infamiæ concedendam esse absolutionem ab irregularitate, in quam incurrit, si Sanctissimus dominus noster annuerit; ita tamen, ut assignet dotem annuorum ducatorum centum ecclesiæ parochiali ejusdem loci: *Plocen.*, 17 *martii* 1646.

2. Presbyter Joseph Cataneus, qui ad triremes damnatus, et transmissus ob armorum delationem absque eo quod remigaverit, exoravit ut habilis evadat ad suscipiendos ordines, et S. C., si Sanctitati Suæ placuisset, resolvit, ut quando constet, quod non remigasset, gratis et absolvatur, et per litteras apostolicas ad exercitium suorum ordinum rehabilitandus, ac restituendus sit: *Comen., Dispensationis*, 14 *martii* 1671.

3. Exponit Hyacinthus Theti, qualiter præcedentibus solitis publicationibus, et nullo opponente promotus fuit ad subdiaconatum, nunc vero pro reliquis ordinibus recipiendis occasione denunciationum revelatum fuit, ut idem Hyacinthus interfecerit Franciscam Pizzoniam. Constat vero de ejusdem bona vita, et fama, et dubio, an orator indigeat dispensatione? negativum datum est responsum quoad forum externum, et quoad forum internum oratorem consulere debere suæ conscientiæ: *Mileten., Irregularit.*, 10 *novem.* 1674.

4. Capitulum ecclesiæ Zagabriensis pro catho-

[54] Gratiam largitus est Summus Pontifex, dummodo privatim cœlestem Hostiam immolet.

licæ fidei, et patriæ contra Turcas defensione juxta morem milites misit, hisque archidiaconus præfuit, qui vexillarium turcam necavit, dum se ab exercitu Croatio opprimi credebat, inde irregularis declaratus fuit, et modo dispensationem obtinuit: *Zagabrien., Dispensat. super irregularit.*, 17 *novem.* 1685, *dub.* 2.

4. Joann. Dominicus Benuccius parochus ecclesiæ S. Eugeniæ supplicavit redintegrari ad facultatem celebrandi Missam, a qua fuit suspensus, eo quod duas Missas eodem die pluries celebravit; ideo ob infamiam effectus irregularis petiit ille dispensationem; et S. C. censuit esse cum oratore dispensandum intra tempus ab Archiepiscopo benevisum: *Senen., Irregularit.*, 16 *novem.* 1686, *dub.* 2.

6. Clerici, qui post absolutionem a vicario capitulari a suspensione obtentam exercuerunt ordines illicite susceptos, inciderunt in irregularitatem, modo dispensantur ad cautelam ab ista irregularitate: *Neapolitana, Ordinat.*, 15 *decem.* 1685 *dub.* 2. Deinde esse dispensandos censuit: 27 *april.* 1686.

7. Sacerdos quidam sese Batavis vendidit pro maritimo servitio, inde vero egestate pressus arma sumpsit, et in Indiis militiam exercuit; quæsivit postea, quatenus sit irregularis, ut dispensetur, et esse eum dispensandum S. C. sancivit: *Salisburgen., Irregularit.*, 14 *maii* 1689, *dub.* 2.

8. Quum visitationi oratorii in prædio *della Bagnarola* sese opposuisset monachus Benedictus Victorius Cellerarius, Episcopus in eum censuras relaxavit, qua de causa orator impetrata absolutione ab interdicto, obtinet modo dispensationem ab irregularitate per quatuor menses cum reincidentia a S. C., quæ præcepit, ut Episcopus se abstineat a censuris: *Cæsenaten., Jurisdict.*, 13 *sept.* 1690, *dub.* 4.

9. Quidam sacerdos propter homicidium fuit inquisitus, sed sustinendo in constitutis torturam damnatus tantum fuit ad exilium, inde certum non habetur, an sit infamia notatus, et irregularis dici possit, et dispensationem mereatur? S. C. dubium aperuit, non esse dispensandum respondens. Infamiam enim, et indicia per torturam in negativa sufficienter purgavit: *Asculana, Irregularit.*, 8 *julii* 1690, *dub.* 2.

10. Presbyter Leonardus Lombardus supplicat pro dispensatione super irregularitate ab ipso contracta ob internecionem Joan. Baptistæ Marraccini primarii extorris, in quem ad vitam suam tuendam manus intulit; S. C. annuit pro gratia, ita tamen, ut in loco commissi delicti, et per 20 milliaria circiter Missam non celebret: *Triventina, Irregular.*, 11 *decem.* 1694 [55].

11. Quum de mandato curiæ episcopalis lictores ad terram Cannariæ missi fuissent, ut in vincula sacerdotem Petrum Desiderium ducerent, iste de hoc mandato certior factus, circa secundam noctis horam exiit de domo; ballista ignea venatoria armatus, injungens cuidam villico, qui secum morabatur, ne e domo discederet. Pervenit ad plateam, et vidit dictum villicum, qui eum continuo sequebatur, sibique obvios ibidem etiam habuisse lictores. Orator ne custodiæ traderetur, ballistam igneam explosit adversus eos, absque tamen alicujus detrimento; unus tamen ex illis e converso ictu catapultæ infelicem villicum interfecit: S. C. censuit tribuendam presbytero dispensationem super irregularitate ad cautelam esse: *Assisien., Irregularit.*, 9 *febr.* 1697.

12. Joannes Baptista Ascherius damnatus in contumaciam ad triremes per quadriennium, varia intulit damna territorio, magno cum incolarum terrore; magistratus ejus loci sollicitus de illius prensione, usus est opera, et machinatione sacerdotis Alberti Gastaldi illius necessarii, qui quodam emendicato prætextu, eum ad aliud oppidum traduxit, sed cum ambo pervenissent ad quemdam pontem, signo studiose dato per Albertum accurrerunt satellites ibidem latitantes. Joannes Baptista, ut illorum manus evaderet, se præcipitem dedit in vicinum flumen, in quo nemine opem ferente infeliciter periit. S. C. rescripsit dispensandum esse sacerdotem super irregularitate ad cautelam: *Albinganen., Irregularit.*, 23 *martii* 1697.

13. Clericus Joseph Fuentes de Lebrixa ad sacros Ordines ab Episcopo Samensi, cujus obsequiis addictus erat, sine litteris commendatitiis, et ad titulum insufficientis beneficii promotus fuit; idcirco Archiepiscopus Hispalensis illum ipso jure suspensum, et per exercitium ordinum irregularem esse putavit; et S. C. cui adiit dictus Joseph, censuit, quoad absolutionem eum recurrere debere ad dictum Archiepiscopum: *Hispalen., Irregularitat.*, 6 *febr.* 1700.

14. Quum Nicolaus Altinius preces, ut ab irregularitate contracta ex homicido in rixa patrato jam abhinc annis 22, et ultra dispensetur, instaurasset; Episcopi testimonium eum in patria restitutum pie semper, honesteque vixisse, et spem esse Deo in altari omni pietate, et capacitate ministraturum præbere, exhibet. S. C. tamen gratiam denegavit: *Cæsenaten., Irregularitatis., die* 29 *april.* 1702.

15. Henricus Bossaert in sacro diaconatus or-

[55] Hunc sacerdotem defendit advocatus Dominicus Ursaya, ut patet ex sua *Discept. Eccl. XXII*, t. 2, part. 2, *per tot.*

dine constitutus, et canonicatus ecclesiæ cathedralis, alias seculari militiæ nomen dedit, ac pro servitio regis catholici, se immiscendo in variis expeditionibus, arma tulit. In his ob metum irregularitatis ballistam igneam in aerem explosisse, ne aliquem occideret, eumque moraliter certum esse neminem necasse, seu mutilasse testatur. Modo ad presbyteratus ordinem promoveri cupiens a S. C. quæsivit, an indigeat dispensatione, et sit ei concedenda ? responsumque accepit affirmativum ad utrumque : *Ipren., Irregularit.*, 13 *januar.* 1703, *dub.* 1 et 2.

16. Multæ et magnæ contentiones fuerunt inter sacerdotem Jacobum, et alios fratres de Fermentinis, necnon Michaelem Pellatum juvenem malæ qualitatis causa inhonesti amoris erga Margaritam de Fermentinis illorum sororem. Die 20 julii 1688, Jacobus rediens e villa Marminanti cernens dictum Pellatum sibi occurrentem ira correptus ferream fistulam venatoriam, quam præ manibus habebat, contra eumdem explosit, qui ex hujusmodi ictu vulneratus post paucas horas occubuit. Jacobus idem obtenta venia a consanguineis, fisco concordato, pœnaque soluta dispensationem petiit a S. C., quam ei concessit : *Parmen., Irregularit.*, 27 *januar.* 1703.

17. Jam antea S. C. Joseph Martino Nieto denegaverat diebus 17 decem. 1701, 13 maii et 21 april. 1702, dispensationem ab irregularitate, in quam incurrit ob concomitantiam in homicidio voluntario a quodam Martino Socio patrato. Modo idem orator preces repetit, et S. C. rescripsit pro meliori informatione : *Salamantina, Irregularit.*, 18 *aug.* 1703, *dub.* 2. Deinde eamdem inficiatur : 26 *januar.* 1704. Denique eam indulsit arbitrio Episcopi imposita aliqua pœnitentia : 19 *april. ejusd. anni.*

18. Ludimagistri exercens munus in terra Corropolis diaconus Nicolaus de Ruggeriis corrigendo discipulum Josephum Riccium ferulam in eum projecit, at dum puer ictum evasit, alius discipulus vulnus leve in capite excepit, qui ex mala plagæ curatione ex hac vita post 25 dies migravit. Confecto processu pœnam per biennium exilii diaconus explevit, et exinde postulavit dispensationem pro ascensu ad presbyteratum ; at preces ratæ non fuerunt. Modo eum iterum rogante non tantum censuit S. C. dispensatione indigere, sed eam indulsit arbitrio, et conscientia Ordinarii imposita aliqua pœnitentia, et ne in loco commissi delicti, nec prope quam per viginti milliaria circum circa Missam celebret : *Nullius, Corropoli, Irregularit.*, 5 *april.* 1704, *dub.* 1 et 2.

19. Nonnulli pueri cum essent rixati inter se in civitate Velitrarum, Franciscus Xaverius de Montibus annorum 12, ac prima tonsura insignitus contentionem habuit cum Petro Paulo Trulla, qui Franciscum contumeliis, ac lapidum ictibus afficiens, coegit eumdem pro sui defensione, ut ipse jurejurando testetur, primo impetu in eum irruere ad timorem incutiendum. At insimul pugnando ex vulnere accepto Trulla succubuit post aliquot dies. Transactis sex annis requisita S. C. dispensationem ab irregularitate ei indulsit : *Veliterna, Irregularit.*, 28 *junii* 1704.

20. Quum Martinus de Calaorra una cum Blasio Præsiado, ejus servo, denudatis ensibus, irruere cœpisset contra sacerdotem Emmanuelem Pasquier, eo quod eum cum sua concubina rem habuisse putabat, elata Emmanuel voce exclamans jussit considere, et contra persequentes, gressumque sistere recusantes ballista ignea explosa dictum Blasium alias sibi non infensum, nec tunc cognitum occidit. Bis S.C. oratori petenti ab irregularitate dispensationem denegavit, modo negationis decretum confirmavit : *Tirasonen., Irregularit.*, 14 *martii* 1705.

21. Etiamsi ad advertendam rixarum, et dissentionum causam, fratrumque concordiam servandam Joannes de Raignæ subdiaconus omni conatu curavisset, tamen in fratrem germanum mortem minantem catapultam apprehendit, sperans ut frater præ timore a minis, et ab injuriis desisteret ; at impellente casu ex se ictum explosit, ex quo frater percussus paulo post occubuit. Absolutus regio diplomate ab involuntario crimine, ab irregularitate quoque modo contracta supplices manus tendit ad S. C., quæ preces rejecit. Iterum licet rumore cessato, ac populi offensione, et adsit probitas exemplaris, doctrinaque oratoris, S. C. in eadem sententia stetit : *Aginnen., Irregularit.*, 14 *martii* 1705.

22. Preces adhibuit pro dispensatione obtinenda clericus Joannes Muscat, qui, quum ad domum Francisci Zummit proprii avunculi se contulisset cum fratribus minoribus, parvam ballistam igneam fortuito repertam apprehendit, et non advertens eo tempore, quo mancipium avunculi janua pulsata introgrediebatur domum, illa ballista ignea in eum displosa fuit, ex quo interiit. Ei S. C. dispensationem indulsit : *Milevitana, Dispensat.*, 17 *novem.* 1708.

23. Clerico Paulo Capograsso dispensationem postulante ab irregularitate contracta ex homicidio in primo iræ calore patrato in Franciscum Antonium Alphanium, ut assequatur beneficia de jurepatronatus suæ familiæ. S. C. autem ægre eum excepit, ac dispensationem inficiatur, licet nobilis familiæ sit, ac annorum 25, homicidium patrasset, damnatusque per annos 5 ad exsulandum : *Salernitana, Dispensat.*, 1 *decem.* 1708.

24. Sacerdos Felix Antonius Mutius parochus loci Moriconis petiit dispensationem ab irregularitate, in quam prætenditur incurrisse ex homicidio patrato a Josepho Mutio dicti oratoris germano fratre, ipso oratore absente, in Gregorium Pennellam. Orator enim paulo ante contenderat cum fratribus dicti Gregorii, a quibus in manu vulneratus remansit. S. C. esse dispensandum illum ad cautelam arbitrata est: *Aprutina, Irregularit.*, 15 *decem.* 1708, *dub.* 1 et 2.

25. Anno 1691, criminali judicio clericus Horatius Saracenius, instante puella Dominica Grotola ob prætensum stuprum cum ipsa patratum excommunicatus fuit, deinde tamquam innocens a crimine accusato absolutus suscepit sacros ordines necnon canonicatum in ecclesia cathedrali est assequutus. Consulta S. C. an censuræ sustineantur, et an constet de irregularitate, et quatenus affirmative an sit absolvendus, ac dispensandus? respondit, esse absolvendum, dispensandumque ad cautelam: *Juvenacen., Censurar. et irregularit.*, 23 *febr.* 1709, *dub.* 3.

26. Clericus Dominicus Pellizzola, ut ordines minores, sacrosque suscipere possit, dispensationem ab irregularitate forsan contracta efflagitavit. Nam secularis, et armatus cum aliis sociis ballistam igneam exploserat contra milites exteros territorium Mantuanum invadentes, et inde remanserat a latere dextro, et socii ulterius ad defensionem tormenta hinc inde explodentes processerant. S. C. dispensationem ad cautelam concedi posse putavit: *Mantuana, Irregularit.*, 14 *maii* 1709, *dub.* 1 et 2.

27. Clericus Franciscus Caluccius sacros ordines recipere cupiens, deprecatus est S. C. utrum in irregularitatem incurrerit? Nam in anno 13 ætatis suæ ludebat una cum Eutitio Ciavattio, eumque vulneravit scapello librario in dextero latere, qui per spatium 10 dierum curatus e domo discessit; at post alios decem dies febri maligna correptus obiit. Licet gubernator Suriani contra eumdem Franciscum processerit, tamen ob testimonia medici, et chirurgi fuit absolutus. S. C. esse dispensandum ad cautelam sancivit: *Hortana, Irregularit.*, 15 *junii* 1709, *dub.* 2.

28. Quum Joseph Baldus loci Bellantis retulisset ab Episcopo litteras patentes tantum ad obtinendam primam tonsuram, pro qua fuit examinatus, in ordinatione postea asserens se ad alios minores ordines vocatum, se immiscuit cum aliis ordinandis, et materiam primi, et secundi ordinis tetigit; ideo supplicavit, an stante supradicta ordinatione idem clericus ullum canonicum impedimentum contraxerit, a quo ab Episcopo possit dispensari; et an a S. C. sit indulgenda relaxatio? S. C. benigne commisit Episcopo Aprutino, ut imposita oratori aliqua salutari pœnitentia cum eo pro suo arbitrio, et conscientia gratis dispenset: *Aprutina, Ordinum*, 11 *januar.* 1710, *dub.* 1 et 2.

29. Sacerdos Fabius Agostius loci Castrimaris in irregularitatem incidit, eo quod duplicem stipem recipiendi causa duas Missas per binas vices eadem die celebravit. Dispensationem postulavit a S. C., quæ rescripsit, ut supplicet post expletam pœnam: *Placentina, Irregularit.*, 11 *januar.* 1710 *dub.* 2. Inde peractis exercitiis spiritualibus per alios viginti dies, indulsit dispensationem: 14 *martii* 1711.

30. Patrato homicidio anno 1694, in diaconum Lupi de Almeyda Castelbranco, accusatus fuit subdiaconus Gaspar Pinheiro, excommunicatus, ac irregularis fuit declaratus. Dictus Gaspar explevit per quinquennium pœnam relegationis, inde S. C. appellavit pro dispensatione ab irregularitate non quidem ob homicidium, quod nunquam asseverat eum commisisse, sed ob infamiam contractam, sed negativum accepit responsum: *Bracharen., Irregularit.*, 12 *april.* 1710, confirmata 25 *januar.* 1711, 16 *julii* 1712, 4 *febr.* 1713, et 4 *aug.* 1714. Denique S. C. gratiam dispensationis ei impertita est: 13 *april.* 1715.

31. Præpositus Alberiæ Dominicus Bozzinius, ad quem ejusdem loci temporalis pertinet jurisdictio, verbis necem minantibus præceperat, ut in quosdam sui armati procederent latrones. Præpositi nepos sacerdos, qui socius armatis erat, latronum lethaliter feriit principem. S. C. quæsita præpositum declaravit irregularem, et modo dispensationem minime eidem indulgendam existimavit: *Derthonen., Prætensæ irregularit.*, 2 *maii* 1711, *dub.* 2, confirmata 3 *octob. ejusd. anni*. Sed causa denuo proposita protelata responsio fuit, et voluit, ut supplicaret fisco concordato: 17 *junii* 1713.

32. Clericus Joan. Josephus Faraglia penes curiam episcopalem exposuit, quod Joannes Jacobus germanus in eum manus injecit, neglectisque censuris, in quas incurrit, celebravit. Vicarius generalis cum testibus juratis, qui rixæ interfuerunt, excommunicatum denunciavit, sed dictus sacerdos adiit S. C. abnegans factum, quia nunquam fratrem manibus pertigisset, de quo quinque testes testimonium perhibent, qui tantum alternas injurias audierunt. Propositis hinc dubiis: An censuræ sustineantur? et quatenus affirmative, an sit locus absolutioni, et dispensationi ad cautelam: *Civitatis Ducalis, Censurar, et irregularit.*, 12 *decem.* 1711, *dub.* 3.

33. Sacerdos Andreas Ravizzottus musicas gratulationes cum sociis noctu agens, et a nonnullis ludificatus, et sibilis prosequutus est. Ipse cum aliis est insequutus irrisores, illos objurgans, ut ab in-

juriis sese abstinerent, et rixas inde evitaturus abscessit. Verum Antonius Portius Rovizzotus comes alterum ictu brevioris ballistæ igneæ interemit. Postulavit proinde dispensationem ab irregularitate, si ea indigeat; et S. C. eam impertivit ad cautelam: *Novarien.*, *Prætensæ irregularit.*, 16 *julii* 1712, *dub.* 2.

34. Quum S. C. decrevisset constare de irregularitate, in quam incurrit sacerdos Petrinus Luzana præpositus Altavillæ, qui anno 1691, reus factus fuit internecionis clerici Perpetui Josephi Pacerii, eadem S. C. haud esse locum dispensationi definiit: *Asten.*, *Irregularit.*, 3 *martii* 1714, *dub.* 2.

35. Joseph Lyons frater laicus professus in congregatione Doctrinæ christianæ in Gallia habitum dimisit, congregationemque deseruit, nullaque obtenta præpositi generalis, sive provincialis venia ad Ordines omnes sacros ab Episcopo Glandevensi promotus fuit, ac celebravit. Postea rediit morigerus ad eamdem congregationem, imploravitque dispensationem ab irregularitate, quam S. C. ad cautelam concessit: *Glandeven, seu Parisien.*, *Dispensat.*, 7 *julii* 1714.

36. Joseph Reynaud frater laicus secularis congregationis Doctrinæ christianæ in Gallia suam congregationem dereliquit, et callide litteris dimissorialibus sui Episcopi obtentis, illicite fuit ordinatus. Hinc S. C. postquam ejus mandatis paruit, ut rediret ad suam regularem Congregationem prævia absolutione a suspensione dispensavit ab irregularitate arbitrio Episcopi, prævio diligenti examine super scientia, et intelligentia, et ei, ut vitam claustralem sub obedientia regulari servet, præcepit: *Carpenctorat.*, *Voti persever.*, *et Ordin*, 5 *sept.* 1716.

37. Locum esse S. C. putavit dispensationi peractis tamen exercitiis spiritualibus, in favorem sacerdotis Viti Maianca, ob irregularitatem, in quam incurrit, eo quia puellam absente parocho ob imminens vitæ periculum absque debitis cæremoniis, et iterum de parochi venia cum cæremoniis baptizavit: *Murana*, *Irregularit.*, 14 *novem.* 1716, *dub.* 2.

38. Bartholomæus rector parochialis ecclesiæ loci de Bure inhibitus ab Ordinario fuit, ne cum quadam muliere, sub pœna suspensionis a divinis ipso facto incurrendæ, conversaretur. Sed rector illam frequentavit, et sacrificium peregit, irregularis propterea factus, et inde adimpleta pœnitentia ab Episcopo inflicta, dispensationem petiit ab irregularitate. Hanc S. C. impositis præceptis, necnon pœnitentiis salutaribus arbitrio Episcopi concessit: *Leodien.*, *Dispensat.*, 3 *sept.* 1718.

39. Occiso fure nocturno a sacerdote Petro Jacobo Rampinio, qui fur sese abdiderat in horreo domus advocati Vasini, quam idem sacerdos incolebat, quique lumen celatum ab ancilla prædicti Vasini extinxerat, dispensatio a S. C. petitur. At quanquam de promoto, de homicidio sequuto præter intentionem, sed ad tuitionem agatur, tamen S. C. dispensationem denegavit: *Casalen.*, *Irregularit.*, 24 *sept.* 1718.

40. Sacerdos Joannes Baptista Rosinus percussionibus provocatus a Josepho Sancio clerico conjugato suo nepote, eumdem in platea loci Julianelli capillis apprehensum humi stravit, manuque cæcidit. Sacerdos licet clericum prædictum in habitu, et tonsura non incedere comprobaret, tamen dubitans an in irregularitatem inciderit, se convertit ad S. C., et dispensationem ad cautelam obtinuit: *Civitatis Castellanæ*, *Irregularit.*, 3 *dec.* 1718, *dub.* 2.

41. Clemens Joseph Pollet de Chintre in armatam militiam antea cooptatus, appetens militiæ clericali adscribi dispensationem ab irregularitate consecutus est cum clausula, *nemine interfecto, aut mutilato*. Verum quum in mentem postea illi venisset quod quum esset dux in quadam arce alteri officiali mandaverat, ut insequeretur quosdam, qui ad furandum illuc venerant; et hi capti, et in carcerem detrusi a regiis judicibus fuerint ultimo damnati supplicio; dubitavit, num obtenta dispensatio illa sibi prodesse posset? Oraculum exquisivit S. C., quæ respondit, ut ea sibi suffragari non possit: *Bisuntina*, 22 *april.* 1719.

42. Joannes Baptista Palazzescus canonicus ecclesiæ cathedralis irregularis declaratus, eo quod canonicum Pompilium Giannesium explosa ballista ignea vulneraverat in femore, et ex hoc obierat vulnere, petiit dispensari. Ex publica voce, fama, et fuga ab ipso arrepta, necnon a sententia Episcopi, curiæ metropolitanæ, quæ in quinquennale exilium quinquennalem relegationem in conventu commutaverat, non causalis ille reus videtur; idcirco non potuit dispensationem a S. C. obtinere: *Cajacen.*, *Irregularit.*, *et censurar.*, 23 *maii* 1722, *dub.* 2.

43. Sacerdote Alphonso Sanchez Garido domi cujusdam mulieris conjugatæ contra paternum sui Ordinarii monitum commorante, factum est, ut vir dictæ mulieris domum suam ex improviso repetens eum illuc invenerit, strictoque pugione in ipsum irruens uxorem impedientem, ne sacerdotem occideret, vel mutilaret, per accidens vulneravit; sauciata paulo post vitam cum morte commutavit. Dictus sacerdos dispensationem ab irregularitate exquisivit; et hanc S. C. ad cautelam impertivit: *Nullius*, *Provinciæ Compostell.*, 2 *oct.* 1723, *dub.* 2.

44. Episcopalis curia Hippolytum Macchiolum rectorem ecclesiæ parochialis loci Uvadæ in suspensionem, probata causa, a divinis, et in irregularitatem, quia Missam celebraverat, incurrisse pronunciavit. Rector injustam fuisse adstruit suspensionem,

eo quod non fuerat personaliter citatus, et non rite causa comprobata, ideo non potuisse incurrere irregularitatem concludit. Proposito dubio, responsum prodiit : Dilata, et expectetur novus Episcopus, concessa interim relaxatione suspensionis, et dispensatione ab irregularitate ad cautelam usque ad exitum causæ : *Aquen.*, 4 *decem.* 1723, *dub.* 2.

45. Thomas Arcellius nobili genere procreatus, homicidium viginti et tribus abhinc annis perpetravit, et dispensationem quoties imploravit, toties fuit rejectus. Preces integrat hodie. Cædem ita fecit. Cuidam matronæ inservire suscepit ; zelotypia ejus arsit vir. Quum mulier ruri moraretur, eam visitavit orator. Ignea quum esset armatus ballista, et domum ingressus inexpectatum vidisset maritum, subito terrore correptus illum vulneravit. Occubuit inde ex plaga infelix vir et aufugit occisor, qui delicti pene deleta memoria, et pœnitentia non indubiæ, publicæque ædificationis multis speciminibus palam exhibitis dispensationem poscit. Voto hujus S. C. indulsit rescribens, prævio recessu a decisis, pro dispensatione pro nunc ad reliquos minores ordines : *Placentina*, 30 *sept.* 1724.

46. Jurgia gignuntur ex qualitate panis pauperibus distribuendi a sacerdotibus participantibus ecclesiæ terræ Novarum. Summa impendet contentio intra presbyterum Paulum Positanum, ad quem hujusmodi ministerium pertinet, et sacerdotem Thomam Positanum, qui prolatis adversus Paulum verbis injuriosis alapa etiam eum percussit ; minatusque fuit, se eum illa die interficere velle. Supravenit Thomæ frater, et nonnullis contumeliæ verbis interjectis Paulum occidit ; hinc prædictus Thomas dispensationem efflagitavit, quam minime concedendam esse S. C. decernit : *Caputaquen.*, 24 *martii* 1725, *dub.* 2.

47. Postulans sacerdos Franciscus Carnevalis dispensationem ab irregularitate, eo quod is sermonem habens de rebus domesticis cum sacerdote Theodoro Carnevali suo ex fratre nepote, ob nonnullas inter eos factas contentiones calce percussus ab eodem fuit, videnque manum statim ad catapultam Theodorum ipsum admovere, timens ne illam adversus se exploderet, aliam ferream fistulam contorquet, illique in sinistro oculo vulnus inflixit. A S. C. dispensationem ad cautelam reportavit : *Aquinaten.*, 12 *januar.* 1726, *dub.* 2.

48. Excommunicatus canonicus Franciscus Maria Sigue fuit, eo quod tanta violentia in sacerdotem Sacajonium irruerit, ut humi palam prosterneret, et causa fuit, ut iste sanguinem ex ore expuerit. Ille vero sacrificium peregit, qua de causa in irregularitatem incidisse fuit pronunciatus. Modo ad Urbem dictus canonicus accessit, rogans, an sit standum, vel recedendum a decisis ? S. C. confirmans decretum eum incurrisse in irregularitate, tradidit vicario capitulari facultatem absolvendi, ac dispensandi spectata remissione partis, et ad mentem : *Turritana*, 30 *martii* 1726.

49. Quidam sacerdos de nefando scelere accusatus, a curia Card. Urbis vicarii ad triremes per septennium damnatus fuit, et licet transmissus nunquam tamen remigavit, quia toto condemnationis tempore hospitalis S. Barbaræ servitio addictus fuit. Expleto pœnæ spatio facultatem Missam celebrandi optans, operam S. C. poscit, sed irrito conatu : *Lavellana*, *seu Romana*, 6 *julii* 1726.

50. Occasione visitationis ecclesiæ parochialis terræ Centulæ jure delegato peractæ Episcopus repugantem parochum Dominicum Gabrielem accedendi ad examen ab officio suspendit. In irregularitatem hic incurrit, quod inde partes sui muneris obivit. Actum est in S. C., an sit locus absolutioni, et dispensationi ? rescripsit, pro gratia Episcopo in forma commissaria, quando constet tamen sibi de omnimoda obedientia, et peractis exercitiis spiritualibus per quindecim dies in loco ab eodem Episcopo designando : *Caputaquen.*, 2 *april.* 1729, *dub.* 3.

51. Adiit S. C. pro dispensatione impetranda ab irregularitate clericus Antonius de Cagiga, qui post contentionem cum fratre Michaele habitam, arrepto per Michaelem baculo, eoque in jocosa rixa dirupto, ense patrui in coxa percussit, atque hic syncope correptus ab hac vita migravit ; et prodiit rescriptum : Dilata, et scribatur Episcopo pro informatione, et voto juxta instructionem [56], licet medicus et chirurgus formaliter deposuerint mortem Michaelis non ex tenui vulnere a fratre ei inflicto, sed ex superveniente syncope a morbo stomachi, quo sæpe Michael angebatur, producta contigisse : *Cualtimalana*, *Irregularit.*, 14 *mai* 1729, *dub.* 2. Inde præfata Episcopus confirmavit in voto, et S.C. dispensationem ei indulsit : 22 *martii* 1732.

52. Sacerdos Joannes Maria Lenti, qui fratrem germanum de medio tollit, eo quod hic violenter illi manus intulerit, et percusserit pecuniæ subripiendæ causa, petiit, ut S. C. declararet, an esset irregularis, et quatenus irregularitatem contraxerit, dispensationem hac super re impertiret ? sed hæc pro responsione dispensationem ad cautelam concessit : *Papien.*, 18 *maii* 1727, *dub.* 2.

[56] Datæ idcirco fuerunt litteræ, quibus jubebatur, ut Episcopus significaret primum, quænam ibi valuisset fama, aut communis opinio de conditione criminis ; deinde, an in sacerdotum penuria versaretur diœcesis ; postremo, quinam essent Antonii mores, et ratio vivendi : ***Ead. causa*, 22 *martii* 1732, § 4.**

53. Dispensationem donavit S. C. ad cautelam ab irregularitate Antonio Nicolao Ligio ex Augustiniana familia, qui postquam examen pro clericali tonsura, et quatuor minoribus ordinibus suscipiendis subierat, in generali ordinatione fuit tonsura initiatus, deinde quum minister nominatim evocasset singulos, qui ad ostiariatum erant promovendi, Antonius se inter eos appellari non audiens, errasse ministrum credidit, et ostiariatus ordinem suscepit. Postea Episcopo interrogato, eo fuisse animo respondit, ut nonnisi primam tonsuram illi conferret: *Perusina, Ordinat.*, 19 *julii* 1732, *dub.* 3.

54. Ut matrimonium cum rapta fœmina contrahendum declinaret Simon Petrus de Mattos ad sacros Ordines promoveri cogitavit. At quum ab Ordinario litteras dimissoriales impetraturum raptus causa non speraret, has falso confecit, exhibuitque Episcopo Tudensi, qui illum ad acolytatum, subdiaconatum, et diaconatum evexit. In patriam reversus, ab Ordinario fuit in carcerem detrusus, ac deinde pecuniariæ, exsiliique pœna mulctatus ad sexennium. Romam ille pervenit, et supplicavit sibi tribui dispensationem, ut ad ordinem presbyteralem promoveri possit. Et hæc concessa fuit a S. C. in forma commissaria. Instaurato iterum examine confirmatur decretum: *Conimbricen., Dispensat.*, 13 *junii* 1733.

55. Quum clericus Antonius Marchianus, exhibita schedula ab ejus patre fungente judicis munere scripta, incitasset satellites ad Demetrium Pisarram in vincula conjiciendum, atque hic explosa catapulta quemdam satellitum comitem interfecisset, nulla memorati clerici hac in re opera interposita; quod testes comprobant; quæritur in S. C., an sit eidem clerico dispensatio concedenda? et ad hoc dubium S. C. respondit: Pro dispensatione ad cautelams: *Rossanen., Irregularit.*, 26 *martii* 1734, *dub.* 2.

56. Spectata demissione effecta dispensandos existimavit S. C ab irregularitate ad cautelam sacerdotes illos terræ Castrinovi, qui visitationi reali et personali Archiepiscopi Lancianensis in dicta terra peragenti restiterunt; nam non poterant ob excommunicationem intentatam, quin incurrissent in irregularitatem, celebrare: *Lancianen., Visit.*, 15 *jan.* 1735, *dub.* 2.

57. Sacerdos Joannes Wolfrangus Baumharter inhoneste vivens, et ad seipsum animum non revocans, imo suspensionem a divinis ab Ordinario sibi illatam spernans jugiter celebrando, in irregularitatem S. C. auctoritate lapsus est. Ab hac modo dispensari precatus est, et responsum tulit, ut antea de obsequio doceret, et postea supplicaret: *Augustana*, 12 *febr.* 1735, *dub.* 3.

58. Sebastianus Passanha de Torres occidit alterum ex duobus aggressoribus, qui eum usque ad propriæ domus vestibulum minaci vultu insequuti fuerant. Causa inspecta, exilio, et pecuniaria pœna fuit multatus, quod non servaverat moderamen inculpatæ tutelæ. Hic fisco, et parti læsæ præstita satisfactione patefaciens rixæ causam non præbuisse, et homicidii memoriam tempore, moribusque delevisse, dispensationem cupit ab irregularitate, ut ad beneficia, et dignitates promoveri possit; et S. Congr. quoad ordines tantum dispensationem concessit: *Elboren., Irregularit.*, 16 *martii* 1737, *dub.* 2.

59. Joseph Lana parochus ecclesiæ S. Germani pagi *del Pizzone*, et sacerdos Franciscus Pane excommunicati ab Archiepiscopo Capuano fuerunt, eo quod jurisdictionem suam, de qua aderat controversia, violasse putaverit. Iidem excommunicationis censura non obstante celebrarunt, et Sacramenta administrarunt. Nulla fuit inde excommunicatio declarata, sed fuit dubitatum, num ii in irregularitatem inciderint? et dispensationem ad cautelam obtinuerunt: *Capuana, seu Calven., Jurisdict.*, 7 *sept.* 1737, *dub.* 4.

60. S.C. declaravit concedendam haud esse dispensationem sacerdoti Cajetano Pasettio, qui videns Josephum fratrem valde in iracundiam concitatum ob quamdam controversiam super quorumdam bonorum mobilium divisione factam, non quidem data opera, sed casu, uti ipse semper asseruit, cultro ita vulneravit, ut paucas post horas Sacramentis munitus ex hac vita migraverit: *Vicentina, Irregularit.*, 19 *april.* 1738, *dub.* 2.

61. Cum Francisco Blanco sociatus Casimirus Garzia Gil iter habebat, quando socius nocturno tempore Rocchum Bustellum ex villa de Grovas morte affecit. Archiepiscopus Casimirum non fuisse æque aggressorem, neque homicidam, sed tantum socium homicidæ testatus est. Dubio proposito, an, quatenus inciderit in irregularitatem, sit ei dispensandum? S. C. censuit esse dispensandum ad cautelam: *Compostellana, Irregularit.*, 14 *junii* 1738, *dub.* 1. Compertum inde fuit non fuisse socium simplicem, sed auxiliatorem, et S. C. judicium rescindit, et decernit breve dispensationis non esse exequendum: 4 *maii* 1743.

62. Presbyter Joseph Correa Leytao accitus a quodam Joanne Teyxeira, ut Emmanuelem Pereyra, qui plures in dictum Joannem minas jactaverat, eumdem Emmanuelem ab aliis comitatum fuste, quam manu gerebat, velle percutere terrorem incussit, et dein Francisci alterius ex sociis Emmanuelis ob nonnulla verba ab eo in se prolata fuste pulsavit, quod ut primum vidit Antonius de Oliveyra prædicti Francisci frater, ad eumdem tuendum accurrit, indeque factum est, ut una simul rixantibus, et colluctantibus Francisco Rodriquez, Antonio de Oli-

veyra, et sæpedicto presbytero Josepho Correa, ab hoc tandem tres ictus in pectus, et alter in ventrem præfati Antonii adeo graves inflicti sunt, ut ob ea vulnera triduo Antonius obierit. Dispensationem ab irregularitate postulavit dictus sacerdos; et hanc S. C. denegavit, licet polliceatur se post impetratam dispensationem in aliqua claustrali religione fore professurum: *Lamacen., Irregularit.* 13 *sept.* 1738.

63. Duplex querela altera de homicidio ictu ballistæ igneæ patrato, altera de alio similis ballistæ ictu pallium cujusdam hominis perforante ad episcopalem curiam adversus presbyterum Franciscum Pavese delata fuit. Causa acta fuit, et sacerdos a vicario generali obtinuit, ut e carceribus educatur, et ne molestetur pro causa prædicta, sed dispensationem super irregularitate, quam idem forsan incurrit, ad cautelam pro foro externo, provideat: propterea requisita S. C. respondit: Dilata, et transmittantur acta confecta contra oratorem in curia episcopali, necnon scribatur Episcopo pro meliori informatione juxta instructionem [37]: *Bisacciarum, Irregularit.*, 2 *maii* 1739, *dub.* 2. Transmisso processu ab Episcopo dispensatio denegatur; nam illum fuisse homicidii participem ex eo elicitur: 10 *junii* 1741, *dub.* 2, confirmata 22 *sept.* 1742. Denique sacerdos præfatus a decreto Episcopi appellavit ad tribunal AC., quod probata negativa coarctata loco, et tempore uti non culpabilem repertum declaravit; ideo S. C. recessit a decisis, et non indigere dispensatione, inspecta sententia AC., censuit: 18 *april.* 1744.

64. Sacerdos Joannes de Cæsaris e monte Falisco Viterbium solemni festo die Rosæ visiturus, ut is affirmat, ad ecclesiam B. Mariæ *della Quercia* se contulit, et velociter equitans in publica platea *della Rocca* dictæ civitatis non modico populi numero referta, nulla edita voce, qua circumstantes sibi caverent, ita præceps cum irruisset in quemdam hominem, ut is facile in terram prostratus, et ab equipedibus vulneratus, in hospitali cura plagarum nondum expleta, febri correptus paucos post dies occubuit. Testantibus medicis atque chirurgis alia ex causa mortem illi obvenisse, S. C. dispensationem abirregularitate impertivit ad cautelam: *Montis Falisci, Irregularit.*, 6 *junii* 1739, *dub.* 2.

65. Postquam Jacobus Antonius Mecchius, qui in ætate novem annorum, et sex circiter mensium constitutus emit jussu matris venenum ad patri propinandum, qui tamen aliam ob causam occubuit, primam tonsuram, quatuor ordines minores, una cum subdiaconatu, et diaconatu receperat, et ab Episcopo fuerat absolutus, petiit a S. C. dispensationem ab irregularitate, quatenus ab eo contracta fuerit, et S. C. censuit esse eam concedendam ad cautelam: *Alexanen., Irregularit.*, 17 *dec.* 1740, *dub.* 2.

66. Dispensatio ad cautelam impertitur a S. C. sacerdoti Dominico Mirri, qui forte cernens Joannem Baptistam Gavonium e vinea sua quosdam uvæ racemos subripuisse, summo percitus furore dictum Joannem percussit, manibusque ita impulit, ut idem viribus parum valens in vicinam foveam præceps decesserit, et inde viginti dierum spatio obierit; bini tamen chirurgi ab episcopali curia deputati ex febrium, dolorumque vi, atque humorum contumacia mortem ei obvenisse testificati sunt: *Imolen., Irregularit.*, 28 *januar.* 1741.

67. Capitulum ecclesiæ collegiatæ civitatis Fogiæ preces in S. C. porrexit, ut ipsius ecclesiæ canonici absolvantur ad cautelam in quibuscumque censuris, in quas forsan incurrerint ob neglectam ærarii comminis redintegrationem summæ ducatorum 1,600, quæ impensa fuit in ædium complurium e terræ motu concussarum ad illius ecclesiæ præbendas spectantium, refectionem. S. C. prævia absolutione a censuris dispensationem indulsit ab irregularitate, imposita aliqua saltem pœnitentia arbitrio Episcopi, dummodo quolibet anno ducat. 200 pro redintegratione ærarii communis deponant: *Trojana*, 21 *april.* 1742.

68. In die sacrarum ordinationum Joseph Cajetanus Ghinettus archiepiscopalis ministri negligentia non inter eos, qui duobus primis ordinibus ostiariatus, ac lectoratus, initiandi erant, sed inter eos, quibus alii duo exorcistatus, ac acolytatus conferendi erant, accitus fuit, eosque proinde assumpsit. Cognito inverso ordine, et per saltum ordinato, dubium propositum fuit: An idem sit dispensandus ad ordines ostiariatus, et lectoratus, ac egeat absolutione, et quomodo concedenda? S. C. rescripsit: Esse absolvendum, et respective dispensandum ad cautelam tum ad ordines omissos, tum ad alios minores ordines arbitrio Archiepiscopi: *Florentina, Ordinum*, 5 *decem.* 1741.

69. Hieronymus Sintronich clericus accusatus fuit crimine fascinationis, potionumque eroticarum. Hinc primum ad capitalem pœnam condemnatus, postea mors cum exsilio commutata fuit. Exsilium vero ille fregit ad lares redeundo, qua de causa ad

[37] Ut instructam redderet super veritate, quæ recentius ab eodem oratore exposita fuerunt de Carmine Freda, qui veluti reus enunciati homicidii asserebatur in pœnam reclusionis quinquennalis in quodam præsidio a laicali Luceriæ curiæ condemnatus, utque præterea curaret investigare, unum ex actis ejusdem curiæ laicalis hauriatur, oratorem fuisse aliqua ratione dicti homicidii participem: *Ead. causa*, 10 *junii* 1741, § 2.

triremes per septennium damnatus est. Sed hanc pœnam pecunia redemit. Modo animus illius pendet se irregularitatem incurrisse, et dispensationem postulat. S. C illam ad cautelam impertivit: *Spalaten., Irregularit.*, 28 *aug.* 1745.

70. Concedendam esse dispensationem decernit S. C. Thomæ Andreassi diacono, qui parvo bellico tormento venationis gratia armatus, dum operis rusticis suorum prædiorum vigil adstabat, videns pastores in vicinum fratris fundum vitibus, olivarumque arboribus consitum oves immisisse, ab iis, ut frater damni obtineret refectionem, pignus sibi dari petiit, at illi renuentes, immo baculo, securique armati in dictum diaconum invadentes, repetitis versæ securis ictibus eum contuderunt, et uno ex ipsis tormenti vectem movente, ictus explosus fuit; ob quem alter pastor decessit. Aliter tamen asserunt evenisse duo pastores, nempe diaconum prius fugisse, dein sentientem alium ex iis capiti suo infesta securi imminere, ictum explosisse, eumdemque occidisse: *Casanen., Irregularit.*, 14 *dec.* 1748, *dub.* 2.

71. Quum Anna Maria Sarmiento in fundatione ejusdem capellaniæ perpetuæ convenisset cum Emmanuele de Villaba, cujus filios vocavit post primum nominatum, ut ipsa fructus integros perciperet, de simonia super hac conventione fuit dubitatum, et S. C. capellano postulanti una cum absolutione dispensationem indulsit ad cautelam: *Vallisoletana, Capellaniæ*, 26 *april.* 1749, *dub.* 2.

72. In irregularitatem incidit sacerdos Joseph Calvi canonicus senior collegiatæ ecclesiæ Uneliæ vir septuagenario major, eo quod præcepto curiæ episcopalis non obtemperans, quod indictum ei fuerat, ne sub pœna suspensionis ipso facto incurrendæ cum quadam fœmina amplius versaretur, cum ea alloquutus fuit, sacrumque egit; ideo dispensationem exoptavit, et eam S. Cong. arbitrio Episcopi commisit: *Albinganen., Irregularit.*, 7 *april.* 1753.

73. Ex illata lethali plaga parvi tormenti bellici Cæcilia Papa periit. Vulneris auctorem sacerdotem Josephum Bartolinium esse minime fuit dubitatum; declaratusque proinde ab Episcopo reus, et irregularis. Hic prius aufugit, dein confugit ad S. C., et petiit dispensationem, quin ab Episcopi sententia appellaverit, sed petitio rejicitur: *Caputaquen., Dispensat.*, 10 *maii* 1755, *dub.* 2.

74. Esse consulendum Sanctisimum pro dispensatione decernit S. C. in favorem subdiaconi Antonii Cacciapuoti, qui quum in Marcello cum Lanione jurgasset, atque hic ira excandescens arrepta Macelli securi, vultu micaci eum insectatus fuisset, idem Antonius ut illius impetum retardaret, obversa ballista ignea, quam ferebat, fistulæ summitate ipsum Lanionem ita cecidit, ut post horæ quadrantem occubuit; asserentibus medicis, et chirurgis illam percussionem non potuisse afferre mortem, sed potius mortis occasionem fuisse: *Aversana, Irregularit.*, 2 *aug.* 1755.

75. Sacerdos Emmanuel Dantas commotus in Ludovicen Fernandez Chaminheiri ob ejus irreverentiam, quia in cujusdam nobilis viri domo, in quia is erat præfectus, exequutionem fecerat, servis ejus Ludovicum cædere jussit; et ipse, dum ab illis vapulabat, eumdem tenuit, ne fugeret. Percussus post dies octo ex fustium contusione confecit. Emmanuel, postquam centum sacra defuncti animæ applicaverit, certamque pecuniæ vim, et hæredibus defuncti, et fisco persolverit, et post sexdecim elapsos annos dispensationem postulavit ab irregularitate causa prædicti homicidii contracta, et meruit obtinere: *Bracaren., Irregularit.*, 3 *april.* 1756.

76. Quum in irregularitatem incidisset sacerdos Joannes Baptista Carbonius, eo quod hominem licet natura ferocem, a quo se occidi metuebat, ex industria, potius quam ex animo interfecisset; postulatam dispensationem S. C. denegavit: *Derthonen., Irregularit.*, 8 *maii* 1756. *dub.* 2, confirmat. 19 *april.* 1760, *et* 14 *jan.* 1764.

77. Dispositio ad cautelam conceditur a S. C. Lucæ Antonio Fabri canonico, et vicario curato collegiatæ ecclesiæ SS. Petronii, et Prosperi, terræ Lugi, qui infantem jam aquis lustralibus initiatam iterum sacro lavacro profudit. A promotore enim fiscale collatum prius fuisse ab obstetrice baptisma infanti recens natæ, et scientiam vicarii argumentis, ac rationibus stabilitum non fuerat: *Imolen., Irregularit.*, 11 *dec.* 1756.

78. In ergastulum ob homicidium damnatis clerico Francisco, et subdiacono Laurentio fratribus Maccioni, clerico quidam occisore, subdiacono vero uti conscio, atque adjutore criminis, post biennium venia a consanguineis impetrata, et homicidio non ex consilio, sed ex rixa patratum fuisse probato, absoluti a pœna fuere. Subdiaconus inde dispensationem ab irregularitate reportavit. Modo clericus Franciscus eamdem dispensationem efflagitat, sed incassum: *Ferenata, Irregularitatis*, 22 *januar.* 1757.

79. Dispensatio impertitur ab irregularitate clerico Michaeli Angelo Marinio, qui ad fratris jam vulnerati defensionem duos brevis tormenti ictus noctu exploserat, ex quorum altero mortem agresti cuidam homini illatam fuisse dubitabatur, qui mane occisione profligatus inventus fuit: *Fulginaten., Irregularit.*, 4 *martii* 1758, *dub.* 2.

80. Acuta febri correptus Antonius Saccoja Armiger Baronis castri Perusii intra decendium decessit, in vulgus palam factum est veneno fuisse in-

teremptum,, et idem Saccoja ante suum obitum suspicionem in subdiaconum Xaverium Palumbo sibi esse pronunciavit. Damnatus hinc fuit Xavet vius, ut tribus annis exsul esset. Annis jam 19 trans actis, postulavit dispensari, quatenus opus esset, ab irregularitate. Examinata proinde hujus causa, donata est illi gratia dispensationis ad cautelam: *Bojanen.*, 23 *sept.* 1758.

81. Clericus Vincentius de Susso timens, ne simoniaca labe esset infecta sua nominatio ad beneficium integræ portionis in ecclesia parochiali villæ de la Puebla de Argauzon a beneficiatis facta, quæsivit supplex dispensationem ab irregularitate. Evincebatur enim ex testibus beneficiatum Zumarraga suum suffragium dedisse Vincentio, quod dicti suffragii causa Vincentii pater mutuum cum Zumarraga patre fecerat: S. C. dispensationem ab irregularitate ad cautelam indulsit: *Calaguratina*, *Absolut. et dispensat.*, 8 *maii* 1760.

82. Sacerdos Joannes Baptista Herbellet rector parochialis ecclesiæ de Tehil in Gallia lethalem plagam oculo Jacobi Barre sui parochiæ incolæ imposuit, qui quatuor post dies in vulnus abivit. Ex testibus coram laico judice examinatis probatur, quod idem Joannnes Baptista ægre ferens vulnus mane inflictum patri suo a quodam Jacobi famulo, injuriasque ab eo, ejusque familia jampridem illatas, quum domum sero rediisset, dictum Jacobum sibi occurrentem conviciis insectatus est, et incensa rixa, non ex industria, sed præter intentionem illum lethaliter percussit. S. C. censuit locum esse dispensationi post dimissam vel permutatam parochiam cum alio beneficio non curato, et dummodo non celebret in loco commissi delicti: *Virdunen.*, *Dispensat. ab irregularit.*, 2 *aug.* 1760.

83. Petenti sacerdoti Januario Pacella an, et quomodo sit locus dispensationi ab irregularitate? eo quod ille se conferens cum ministris curæ ad prædium Octavii Passanante sui debitoris, ut inquireret vaccas cum aliis commixtas, super quibus mandatum exequi deberent, ad vitæ suæ defensionem Petrum debitoris filium interfecit; rescribitur pro gratia dispensationis: *Murana, Irregularit.*, 12 *martii* 1763, *dub.* 2.

84. Emmanuel Cajetanus Perez Luarez dolose ordines minores, et subdiaconatum cum suscepisset, a vicario capitulari, sede vacante, absolutus fuit ad cautelam a quacumque censura, in quam ratione delicti incurrisset. Vigore hujus absolutionis ministravit in susceptis ordinibus, sed Episcopus Mindoniensis ad reliquos ordines illum promovere sine absolutione, et dispensatione Sedis Apostolicæ renuit: S. C. de hac re sancivit esse dispensationem ad cautelam concedendam: *Mindonien.*, *seu Oveten.*, *Ordinationis*, 25 *junii*. 1763, *dub.* 2.

85. Dominicus Serranus præsentatus ad beneficium simplex erectum in ecclesia parochiali oppidi Castellar dispensationem ab irregularitate, in quam ob nonnulla patrata crimina incurrit, quæsivit a S. C., ac impetravit. Nam indicia præbuerat ille non equivoca vitæ emendationis, ob quam maculam omnem abstersit: *Terulen.*, *Beneficii*, 24 *sept.* 1763, *dub.* 1.

86. Joannes Andreas, et Franciscus Antonius fratres Masci græco ritu baptizati in Italo-Græcorum oppido S. Georgii vigore litterarum dimissoralium sui, Ordinarii fuerunt ritu latino ad primam clericalem tonsuram, et successive ad quatuor minores ordines promoti a latino Episcopo Bisinianensi sine ulla Sedis Apostolicæ venia; inde pluries in susceptis ordinibus ministrarunt. Disputatum fuit, an absolvendi a suspensione, et inde an dispensandi sint ab irregularitate? S. C. rescripsit: Dilata, et scribatur Archiepiscopo juxta mentem [58]: *Rosonen.*, *4 junii* 1763 *dub.* 1. Deinde non indigere decernit: 14 *januar.* 1764.

87. Sacerdos Gaspar Giannella manibus, pedibusque Antonium Fallam percussit, qui postquam tota die ullo absque dolore, et incommodo per urbem volitaverat, domum remeavit, et in quadam corporis parte dolore cruciari conquestus est, biduo occubuit. Exoptante dicto sacerdote dispensationem, eam S. Cong. inficiatur: *Taurinen.*, *Irregularit.*, 14 *apr.* 1764, *dub.* 2.

88. Sacerdos Franciscus Comincinius noctu ab altero sacerdote Bartolomæo Olivieri post quædam jocosa verba alapa pulsatus, et armatus exhinde venatorio igneo instrumento animo ipsum deferendi, eumdem ultro venientem cultro parato ita vulneravit, ut decem post horas oppetierit. Rogitat proinde dispensationem ab irregularitate præsertim quum ejus mater senio jam confecta ad alendum inopem vagantem filium ad ultimam egestatem redacta esset. At S. C. gratiam postulatam concedere renuit: *Brixien.*, *Irregularit.*, 19 *jan.* 1765.

89. Dispensationem ab irregularitate indulsit S. C. diacono Michaeli Angelo Fasano, quum de homicidio non ex industria, neque ex proposito, ageretur. Ille enim vicem gerens absentis prætoris loci Magentæ sine Apostolica auctoritate duos accersivit e proximo Carpineto satellites, atque iis addito suo curiæ apparitore armator, præscripsit, ut aliquos juvenes vagantes per oppidum, qui noctu rixabantur, caperent, ac in carcerem mitterent, et occasio tulit, ut alter eorum leviter vulneratus fuit, alter obivit: *Terracinen.*, 10 *maii* 1766, *dub.* 2.

[58] Vide not. 78, tom. 1, verb. *Absolutio*, § 10.

90. Reportata ab Ignatio Radostio professionis suæ regularis nullitatis sententia, minime patrimonium sacrum a religione, uti promissum ei fuerat, obtinere valuit. Iterum ille vitam non integram traducebat, ob id Episcopus imperavit, ut Agrigentum accederet, atque imperium eo recusante vinctus subveheretur. Ast ille cum esset maxime inops itineris expensas subire non potuit, ideoque vicarius Foranus Clusæ illum per satellites domi suæ sistere mandavit; quod simul ut primum Ignatius audivit, ira correptus ad conventum religionis properavit igneo tormento munitus, et priorem, in quem incidit, quem que suorum malorum causam esse putabat, interfecit. Modo petitam ad eo dispensationem ab irregularitate S. C. concedere noluit: *Agrigentina, Dispensat.*, 30 *jan.* 1768.

91. Interiisse Petrum Bullum ex ictibus baculi in sinistrum humerum, et calcibus in ventrem ei triduo ante illatis a sacerdote Matthæo Jacobetti, eo quod illum reperierit in propria vinea uvas auferentem, mulier quædem Isabella Canullo dictitavit. Secto, inquisitoque cadavere a quinque in arte medica et chirurgica peritis, relatum est nullam adesse causam, cur Petri interitus percussioni, vel contusioni, aliisve hujusmodi causis tribueretur. Præfatus sacerdos dispensationem ab irregularitate a S. C. imploravit, sed non obtinuit: *Tranen., Irregularitatis,* 26 *martii* 1768. Deinde recedens a decisis eam impertivit: 16 *dec.* 1769.

92. Franciscus Grazias rector parochialis ecclesiæ de Angairac, dum ballista ignea feram bestiam martem ei damnum inferre solitam, ut occideret, intentus erat, monitus fuit de injuriis, et violentiis, quibus Franciscus Pons nepos propriam matrem aggrediebatur; ille occurrit, nepotem insultantem cœpit objurgare verbis; sed is ira accensus in patruum irruit. Patruus in sui defensionem ballistam illam igneam explosit, et nepos saucius postridie obiit. Quum a rege christianissimo fuisset ab inquisitione absolutus, nunc postulat dispensationem ab irregularitate et obtinet: *Aginnen.*, *Irregular.*, 30 *jul.* 1768.

93. Quum sacerdos Raphaël Paradiso cum quadam puella Antonia Joderico conversatus esset, eaque abortum fecisset, ipse sacerdos hujusce delicti auctor creditum fuit; quod nonnullæ fœminæ comprobarunt. Quæsita ab hoc dispensatio ab irregularitate fuit, sed hanc S. C. oratori non dedit: *Beneventana Irregularit.*, 18 *novem.* 1769, *dub.* 2.

94. Joseph Redeius parochus ecclesiæ Szihalmensis impatiens moræ, qua auriga currum instruebat, gravi arrepto baculo, aurigam bis in capite, ac etiam in latere dextro cecidit. Auriga deinde instructo curru, dominum perduxit ad diversorium Sosreviense. Sequentibus duobus diebus solita sua officia, sed aliquantulum remissius obivit; mox in lectum se recepit, ac parochum mortis suæ auctorem ad extremum usque renuncians, post paucos dies e vivis excessit. Declaratus irregularis, privatusque parochiali beneficio fuit parochus, et spatio novem annorum pœnam in conventu detrusus fuit. Hic dispensationem postulans eam impetravit: *Agrigen., Irregularit.*, 31 *martii* 1770.

95. Diaconus Joannes Baptista Fracchia causa quorumdam bonorum divisionis patruum furentem, malaque minitantem districto gladio conspexit, timens matris, sororisque cædem, arreptis duabus ballistis igneis, ad domum accessit. Hunc ut vidit patruus gladii ictum vibravit, et tunc diaconus in eum unam ballistam explosit. Hic tamen a patruo septem vulnera accepit, ob quæ graviter ægrotavit. Patruus vero lethali vulnere oppressus data venia nepoti postridie occubuit, dispensationem ab irregularitate prædictus diaconus efflagitavit, sed non obtinuit: *Taurinen., Irregularit.*, 13 *dec.* 1770. Deinde esse concedendam S. C. declaravit: 4 *april.* 1772.

96. Quum facta fuisset rixa inter sacerdotem Michaelem Jannellium, et Angelum Moscatum famulum, qui Petronillam uxorem Francisci fratris Michaelis comitabatur, eadem Petronilla media inter rixantes stetit, et sacerdotem obsecravit, ut ab incepta objurgatione desisteret. Interim Angelus igneum instrumentum explosit in sacerdotem, et Petronilla vulnerata fuit, quæ paulo post cecidit. Testes deposuerunt vel de auditu, vel ex publica voce, et fama sacerdotem Michaelem, postquam eadem mulier sauciata remanserat, explosisse in Angelum ictum catapultæ. Curia archiepiscopalis in sacerdotem processit, et inde ex hactenus deductis absolvit: S. C. requisita an sit locus dispensationi ab irregularitate? negativum præbuit responsum: *Salernitana, Irregularit.*, 4 *maii* 1771.

97. Damno in suo horto illato, sacerdos Vincentius Morellius cœpit objurgare quamdam mulierem, quæ dolens de injuria in culpa non esse fecit eum certiorem, et non cessavit a maledictis. Ille furore succensus securi, quam præ manibus habebat, dictam mulierem, quæ gravis utero erat, fugientem insecutus fuit, in eamque deprehensam ictum vibrare fuit minatus, atque mulier ipsa sequenti die abortum fecit. Hæc tamen fassa postea fuit non eam causam abortioni præbuisse. Dispensatio ab irregularitate petita fuit, S.C. respondit: Dilata, et scribatur Episcopo juxta instructionem[59]: *Sancti Marci, Irregularit.*, 8 *junii* 1771, *dub.* 2. Inde gratiam dene-

[59] In instructione autem juxta mentem S. C. exarata, quæsitum ab Episcopo fuit, qua de causa processus informativus in curia episcopali cœptus, suspensus, interceptusque remanserit, quin sacerdos defensiones paraverit,

gavit : 28 *sept.* 1771 ; tandem dispensatione impertivit : 28 *aug.* 1773.

98. Interfecto infanti ex actu illicito suscepto ab infami fœmina famulatui sacerdotis Lucæ Baidoni addita, et crimine sermone jactato, timens idem sacerdos curiæ ecclesiasticæ molestias sollicitus adiit oppidi baronem, eique patefecit mulierem delinquentem, atque locum, in quem ea confugerat, ideo fœmina illa summo supplicio mactata fuit. Dictus sacerdos bona fide celebravit, sed monitus a sacrificio sese abstinuit ; et dispensationem poposcit, et S. C. censuit esse locum dispensationi ad cautelam : *Senogallien.*, *Irregularit.*, 15 *febr.* 1772, *dub.* 2.

99. Sacerdos Bernardus Fernandez delle Fuente, qui duabus vicibus Missæ celebrationem in alterius presbyteri, ut is asserit, defectum iteravit. Huic S. C. dispensationem ab irregularitate ad cautelam arbitrio Ordinarii impertivit : *Toletana, Irregularit.*, 15 *febr.* 1772, *dub.* 2.

100. Sacerdotem Franciscum Mariani Porta viceparochum in oppido Rondelli, Josephum Bondinium prædiorum ad parochialem ecclesiam pertinentium cultorem indiligentem, cultro percutientem, et moderamen inculpatæ tutelæ non probantem, carceris pœnam ab Ordinario per menses sexdecim passum, dispensationem ab irregularitate juris ex patrato homicidio contracta petentem S. C. repellit : *Alben.*, *Irregularit.*, 19 *sept.* 1772, confirmata, 26 *febr.* 1774.

101. Sacerdos Petrus Philippus Perfetti in quemdam Simonem Paulum ignea ballista armatum, qui eum odio prosequebatur, incidit, fuga periculum declinare non valuit, ut vicarius generalis testimonium dicit, et cum armis instructus, ballistam igneam explosit, et ita dicto Simoni vulnus impressit, ut sequenti die e vita migravit. Expetita proinde dispensatione S. C. eam denegavit : *Marianen.*, *Irregularit.*, 7 *aug.* 1773. Deinde favente ei Episcopo S. C. gratiam dispensationis impertivit : 1 *martii* 1777.

102. Quum Idelphonsus Valentinus Fernandez adhuc non clericus ad quoddam beneficium nominatus simoniace dimisisset in favorem cujusdam sacerdotis, facta obligatione, ut primum clericus evasisset, ad beneficium regrederetur, prout accidit ; propterea S. Cong. ad preces dispensationis ab irregularitate rescripsit, ut dimittat, et restituat fructus perceptos, postea supplicet : *Caurien.*, *Censurar.*, 31 *julii* 1774.

103. In puteo aqua referto infans mortua inventa fuit. Rumor fuit Mariam Zachea utero gravem ex prava consuetudine cum diacono Joanne Dominico Durante infantem peperisse, eamque ab eisdem in puteum dejectam fuisse ; idcirco mulier in carcerem detrusa fuit. Diaconus aufugit, et in eum sententia a vicario generali emanavit. Denique diaconus a suis vitiosis moribus descivit, et bonis imbutus supplex adiit S. C., ut possit ad presbyteratum promoveri ; et dispensationem ad cautelam reportavit : *Hydruntina, Irregularit.*, 30 *julii* 1774.

104. Cum Vincentius Rampinius sacerdos venationem extra urbem S. Joannis in Carico exerceret, facta altercatione Jacobo Nardillo ita plagas injecit, ut post sexdecim dies miserere defecit. Inquisitus statim fuit, sed testium convenientia non fuit, sacerdos autem postquam spontaneæ carceris pœnam, aliaque incommoda, dispendiaque, et spiritualem per triennium relegationem, necnon parti, et fisco præstita satisfactione subierat, dispensationem ab irregularitate humiliter efflagitavit. Sed Sanctissimum minime pro dispensatione consulendum S. Cong. putavit : *Aquinaten.*, *Irregularit.*, 8 *april.* 1775.

105. Consulitur Sanctissimum pro dispensatione arbitrio Archiepiscopi ab irregularitate, in quam incidit clericus Joseph Morandus, qui annorum 18 lacessitus verbis a quodam adolescentulo eum alapa, et calce diverberavit, et fugientem insequutus est, atque dum calcem in eumdem vibrare volebat, clericus statim se advertit, calcisque ictus anteriorem corporis ejus partem cecidit, et post sex menses animam efflavit : *Senen.*, *Dispensat.*, 30 *martii* 1776.

106. Joannes Baptista Mazzapiotius canonicus collegiatæ ecclesiæ Casciæ, et monialium dicti oppidi confessarius cuidam fabro Murario præcepit, ut columbum a se interfectum e turris foramine educeret. Faber Murarius, dum id exequebatur, cecidit, et post triduum decessit ; idcirco a S. C. dispensationem ab irregularitate imploravit, defuncti parentibus annuentibus, et eam ad cautelam assequutus est : *Spoletana*, 22 *junii* 1776, *dub.* 2.

107. Quædam fœmina Evangelista, quæ pro linteolum reparando domum sacerdotis Josephi Muscat petierat, verberibus crudeliter ab eo fuit percussa, et quum postea in inferius domi atrium cecidisset, non multum post temporis periit. Postulata proinde ab eodem sacerdote dispensatione ab irregularitate, S. C. ivit inficias : *Milevitana*, *Dispensat.*, 10 *jan.* 1778.

108. Occasione cujus litis sacerdos Nicolaus

nec super qualitate criminis, et pœna sententia prolata fuerit, sed sola trium Theologorum voto exquisita, causa in eadem episcopali cura fuerit absoluta ; illudque etiam requisitum extitit, an orator veræ resipiscentiæ, et constantis emendationis signa exhibuerit : *Ead. caus.*, 31 *aug.* 1771, § 2.

Giannuzzius adversus sacerdotem Vincentium Cacciatorem quasdam exhibuit partitas ex antiquis codicibus Baptismatis,et matrimoniorum extractas,quæ falsæ deprehensæ fuerunt; ideo criminalis querela contra Nicolaum a curia episcopali emanavit, vi cujus suspensionis pœna in eum inflicta fuit. Interim sacrificium Missæ censuram ignorans peregit; proindeque petiit absolvi, et dispensari. A suspensione absolutione obtenta, inde ab irregularitate a S. C. fuit dispensatus : *Ugentina, Dispensat. ab irregularit.*, 14 *martii* 1778.

109. Excitata contentione inter Nicolaum Bevilacquam operarium et notarium Constantinum Quici levirum sacerdotis Joannis de Alexandro primicerii ecclesiæ cathedralis, idem notarius prædictum Nicolaum lignea virga graviter verberavit, et super accendens primicerius aliis arreptæ palæ ictibus ipsum Nicolaum percussit, evenitque, ut in actu percussionis Nicolao corpus suum curvanti luculento vulnere concisum fuerit, et ad breve morte non sua functus est. Inde contra primicerium processu confecto ille irregularis fuit declaratus; confugit ergo ad S. C. pro dispensatione obtinenda, et rescriptum tulit : Dilata, et scribatur Card. Archiepiscopo Beneventano juxta mentem : *Termularum, Dispensat. ab irregularit.*, 18 *sept.* 1779. Deinde dispensationem reportavit: 29 *april.* 1780.

110. Clericus Silvester Russus in rixæ actu, et ad sui defensionem villicum Nicolaum Cipullam interfecit, concordatisque parte et fisco, petiit a S. C. dispensationem ab irregularitate, si in eam forte incidisset, ut ad presbyteratus ordinem ascendere possit ob beneficia, quibus de jurepatronatus suæ familiæ gaudet. Sed spes eum frustrata est, quia S. C. petitionem rejecit : *Messanen., Irregularit.*, 15 *januar.* 1780.

111. Presbyter Marcellus Verdone archiepiscopalis curiæ notarius occasione vacationis vicariæ perpetuæ casalis S. Nazarii accipere propositorum casuum resolutionem contra mandatum Archiepiscopi sub pœna suspensionis latum permisit; inde celebravit. Quæsivit proinde a S. C. ut ab irregularitate dispensatio concedatur; et hæc concessa fuit : *Beneventana, Dispensat. ab irregularit.*, 16 *sept.* 1780.

112. Rector seminarii episcopalis Nicolaus Marzianus ad vineam accessit, et secum duxit Franciscum Zingarellum adolescentem annorum 16, qui in eodem seminario degebat, ut nomen militiæ ecclesiasticæ daret, præcepitque illi, ut sibi igneam ballistam traderet. Juvenis simul ac primum in manus sumpsit, improviso illa explosit, læsitque in humero dextero rectorem, qui post octo dies ex vulnere obiit curia laicalis adversus illum processit, etiamsi rector expressisset se nunquam dubitasse, *che detto figliuolo avesse commesso verun dolo, o colpa anche levissima.* Hinc Franciscus dispensationem imploratam a S. C. ad cautelam, ut ad ordines promoveretur, obtinuit : *Adrien., Dispensat. ab irregularit.*, 20 *jan*, 1781.

113. Ex querelis delatis ad curiam Firmanam confecto processu, et examinato Francisco Monti parocho ecclesiæ S Mariæ ad mare in Castro Turris Palmarum, deprehensum est, quod dictus parochus licet de collato per medicum Baptismo infanti ob imminens periculum bis ab obstetrice apertis verbis monitus fuisset, voluit nihilominus sacramentum iterum sub conditione conferre; hac de causa eo postulante S. C. locum esse dispensationi existimavit: *Firmana, Dispensat. ab irregularit.*, 28 *april.* 1781.

114. Quum sacerdos Antonius de Grandis a furioso fratre comprehensus timuisset, ne ab eo interficeretur, uti refert Episcopus, illius humerum ictu gladioli sauciavit, ex quo vulnere, vel ex chirurgi imperitia post aliquod temporis spatium idem frater occubuit. Efflagitans autem dictus sacerdos dispensationem a S. Congr. negativum accepit responsum *Senogallien., Dispensat. ab irregularit.*, 16 *junii* 1781. Inde eam impertita est : 18 *junii* 1785.

115. In domo sacerdotis Alexandri de Angelis, quando summa inter consanguineos ejus impendebat contentio, prædictus sacerdos e cubiculo, in quod se commiserat, ardens infesto arrepto gladio egrediens in obscurum litigantium agmen se conjecit, et Antonium Diotallevium, quem ex animo, et intimo sensu diligebat, ita vulneravit, ut binas post horas ipse interierit. Sacerdos hinc aufugit, constructoque interim processu, soluta ab eo pœna fuit absolutus. Sed S. C. cui adiit supplex, dispensationem ab irregularitate noluit indulgere : *Nepesina, Dispensat. ab irregularit.*, 3 *aug.* 1782. Deinde rediit causa, et prodiit rescriptum : *Expectet;* 29 *nov.* 1783. Demum rursus exquisito S. C. judicio, *in decisis* rescribitur : 24 *julii* 1784.

116. Capellanus Dominicus Balmer, cui vetitus fuit sub pœna supensionis licet extrajudicialiter indicta, et renovata, ne e civitate Savonæ discederet, nisi prius onera Missarum expleret, et de implemento rationem redderet, abivit, Missam celebravit, excepitque confessiones sacramentales. Inde supplex obtinuit a S. C. dispensationem ab irregularitate arbitrio Episcopi, dummodo compleret prius onera Missarum, quas omiserat : *Savonen.*, 14 *sept.* 1782, *dub.* 2.

117. Petenti clerico Cyriaco Mattei dispensationem ab irregularitate, eo quia contendens cum Francisco Sartorelli in eum ferream fistulam contorsit, ex eoque ictu oculum Franciscus amisit,

rescribitur a S. C.: *Expectet, et ad mentem* [60]: *Nullius, S. Laurentii in Campo, Dispensat. ab irregularit.*, 19 *julii* 1783. Inde etiamsi abbas commendatarius dictum clericum fisco, et parti præstita satisfactione, et clericalem postea semper præsetulisse modestiam affirmet, S. C. nihilominus respondit iterum eidem dispensationem exposcenti: *Expectet*: 8 *maii* 1784.

118. Delatum quum fuisset ecclesiasticæ curiæ sacerdotem Franciscum Apa ementitis dimissorialibus sui Ordinarii litteris absque legitima constitutione patrimonii sacros ordines a Cajacensi Episcopo ante tempus a sacro Concilio statutum suscepisse, mancipatus is carceribus fuit, inde liberatus ad urbem confugit, et supplex dispensationem implorat, sed S. C. preces rejecit, et addidit ad mentem [61]: *S. Severinæ, Irregularit.*, 24 *januar.* 1784, *dub.* 2. Postmodum quando constet de sufficienti patrimonio juxta taxam Urbis coram Card. Urbis vicario, concedere ex gratia speciali petitam dispensationem S. C. placitum fuit: 8 *maii ejusd. anni.*

119. Clericus Jacobus Antonius Tacciolius seculari habitu indutus e domo cujusdam Ladorini egrediens, nulla præcedente rixa fuit prima nocte aggressus, et in capite et in humeris ita percussus, ut humi procumbere coactus sit, sed inde sumpto gladiolo aggressorem mortifere in ventre feriit, qua de causa post triduum ille e vivis excessit. Episcopus facti seriem confirmans, referebat, occisi patruum loci parochum de præfati clerici optima vita, bonisque moribus testari. Hinc clericus obtenta a defuncti parentibus venia dispensationem ab irregularitate efflagitavit: S. C. huic respondit: *Expectet*: *Mutinen., Dispensat.*, 7 *febr.* 1784.

120. Excommunicatio latæ sententiæ indicta jam ante fuerat omnibus parochis, aliisque sacerdotibus, qui absque prævia solemni publicatione matrimoniis benedicere præsumpserint, quando sacerdos Franciscus Antonius Pala vice-parochus in villa Marubii nocte vocatus, ut ad quamdam domum accederet, ubi pervenit, et ignorans, quod in cubiculo clausi erant vir cum muliere, qui matrimonium contrahere exoptabant; clare significavit se non posse absque testibus præsentiam præbere; quibus intervenientibus sponsi mutuum consensum panderunt, et vice-parochus inde celebravit, sed monitus, ut se abstineret, supplex postulavit dispensationem, et S. C. eam donavit: *Arboren.*, *Dispensat.*, 13 *martii* 1784.

121. Quum Antonius Tranquillinius in nono ætatis anno constitutus una cum aliis pueris ad quemdam montem pervenisset, omnesque ludentes sese invicem lapidibus puerorum more percutere cœpissent, accidit, ut ex lapidis ictu puer sexennis post paucos dies e vita migraret, et plerique ex sociis culpam in prædictum Antonium deonerarunt. Hic nulla obtenta Apostolica dispensatione clericali tonsura, et primis duobus minoribus ordinibus fuit insignitus. Sed postea dubitans de irregularitate adiit S. C., quæ ad cautelam dispensationem impertivit: *Tridentina, Irregularit.*, 27 *martii* 1784, *dub.* 2.

122. Dispensationem denegat S. C. sacerdoti Alexandro Peola, qui objurgando de negligentia famulum dissidiis causam præbuit, et timens, ne ab hoc fervidæ indolis, ac ballista ignea armato occideretur, ipse prius catapultam, qua ad venationem utebatur, in famulum explosit, eoque vulnere famulus nocte subsequenti occubuit; quamvis dictus sacerdos satisfactionem fisco, hæredibusque defuncti præstiterit, ut ipse confirmat Archiepiscopus, atque exemplaris vitæ specimen præbuerit: *Papien., Dispensat.*, 24 *julii* 1784.

125. Clericus Julius Emmanuel de Valle-Labo de Torre postquam seculari se adscripserat militiæ, atque in bello cum Idololatris dimicaverat, iterum clericali habitu indutus, ementitis sui Ordinarii litteris dimissorialibus, absque titulo patrimonii, omissaque subdiaconatus, et diaconatus ordinatione presbyteratum suscepit, et pluries Missam celebravit. Inde inquisitus ab ecclesiastica curia crimina confessus est, et post pœnam relegationis, multamque solutam supplex petiit dispensationem ab irregularitate, et negativum tulit responsum: *Visen.*, *Dispensat. ab irregularit.*, 27 *novem.* 1784. Rediit orator nunquam Sacrum celebrasse affirmans, et S. C. rescripsit: *Expectet*: 18 *aug.* 1787. Denique eadem S. C. recessit a decisis, et dispensationem una cum absolutione impertivit, addendo ad mentem: 9 *aug.* 1788.

124. Dissensione, ac dissidio facto inter sacerdotem Joannem Myry Lebres, et Aloysiam Villaseras ita res excessit, ut sacerdos in mulierem furentem, et evaginato cultro in se irruentem armatam in lumbos ictus vibraverit, calcibus in terram projecerit. Exclamavit infelix mulier, quod mors illi imminere timebat, et revera paulo post ipso sacerdote adstante, et sacramentalem præbente absolutionem oculos in mortem clausit. Sacerdos inde peregre ad urbem profectus est, seque omnibus spoliatum bonis victum

[60] Mandatum præterea fuit, ut inquireretur, an vulneratus ex ictu oculum amiserit : *Ead. causa*, 8 *maii* 1784.

[61] Mens fuit, ut scriberetur Archiepiscopo, eique commendaretur. sacerdos orator ad hoc, ut et ipse post longum tempus, peractamque in urbe vitam ecclesiarum servitio addictam, probatosque mores dispensationi assentiretur : *Ead. causa*, 24 *april.* 1784.

emendicare, et post occisionem resipiscentia signa dedisse probare conatur, ac Episcopus testatur, sed absolvi non valuit ab irregularitate: *Majoricen., Dispensat. ab irregular.* 27 *novem.* 1784. Inde S. C. indulsit dispensationem, dummodo celebret extra locum commissi delicti: 19 *aug.* 1786.

125. Ementita baptismatis fide, Joseph Gamero de Corpas, civis Antiquariensis, ante ætatem a jure statutam ordines sacros suscepit, et Missæ sacrificium peregit. At mancipatus fuit is carceribus, et probato crimine ex processu præter pœnam denunciatus est irregularis. Facti pœnitens diluit, et dispensationem enixe desiderat; S. C.: *Expectet*, respondit: *Milevitana, Irregular.*, 13 *januar.* 1785. Inde gratiam impertita est: 21 *januar.* 1786.

126. Sacerdos Sebastianus Coterli, ut fratrem colluctantem cum Petro Coterli patruele a discrimine liberaret, baculum arripuit, ictusque aliquos in brachium patruelis direxit, et in æstu pugnæ, properante jam nocte, ictu uno tam graviter Petrum in capite percussit, ut ille humi procumbere coactus fuerit. Frater vero sacerdotis Petrum humi jacentem pedibus in ventre conculcavit. Petrus inde discessit, sed nocte ipsa acerrimis doloribus correptus obiit. De duobus repertis contusionibus periti concordes non fuerunt in detegendo causam veram, qua e vestigio occubuit. Sacerdos ob id petiit dispensationem ab irregularitate, et audivit a S. C.: *Expectet: Utinen., Irregular.*, 15 *januar.* 1785.

127. Dispensationi locum esse ad cautelam censuit S. C. ad rogatum Joannis Mariæ Pau ecclesiasticæ nomen daturi, eo quod cum a venatione una cum germano fratre rediret, ictus e ballista ignea fortuito erupit, et fratrem ita vulneravit, ut post paucos dies idem extinctus sit: *Galtellinen., Dispensat. ab irregular.*, 12 *martii* 1785.

128. Joannes Franciscus Gonzalez de villa ad capellaniam quamdam fuit a legitimo patrono nominatus. Sed contradictor cum supervenisset, ille suis parentibus assensus est, ut ad removendam litem concordiæ consulerent. Hanc pater oratoris iniit, pecuniam, et quædam bona stabilia adversario donavit. Inde orator ordines suscepit minores, et subdiaconatum, illosque exercuit. At re vulgata petiit absolutionem a censuris, ad omnem eximendam de simonia dubitationem, et obtinuit; modo implorat dispensationem ab irregularitate, et pariter sui voti compos factus est, restitutis fructibus, si quos perceperit: *Aurien.*, 9 *april.* 1785.

129. Postquam pluries suppliciter rogaverat S. C. clericus Romanus de Azqueta pro dispensatione ab irregularitate contracta ob quamdem rixam anni 1776, de qua ait Ordinarius Pampilonensis ex processu resultare *dictum Romanum de Azqueta rixæ, et homicidio interfuisse quidem, sed ipsius auctorem, et præcipuum reum non fuisse, et regio fisco satisfecisse videtur*, S. C. indulsit dispensationem *per breve: Pampilonen.*, 9 *april.* 1785.

130. Absque spe gratiæ dispensationem denegat S. C. sacerdoti Honuphrio Piasechio munus parochi obeunti, licet impositam fuisse pœnam fateatur, qui, quum uxoricidium intra parœciæ septa perpetratum audivisset, assensus est, ut cum uxoris cadavere reus quoque sepeliretur, et iniquo operi adstitit: *Camenecen., Dispensat. ab irregularit,* 30 *julii* 1785.

131. Prodeunti sacerdoti Augustino Frezza ab ecclesia, in qua sacrum expleverat, et cernenti fratrem diffugientem, nuntiatum fuit Julianum cultro districto illum insequi, commotus ille periculo in aggressorem irruit, et eodem cultro ad necem eum percussit. De crimine autem inquisitus, et in carceribus se ultro constitutus delictum fassus est, lubensque accepit sententiam, qua a patria exulavit. Elapso quadriennio postulavit dispensationem ab irregularitate, et prodiit rescriptum: *Expectet; Consentina, Irregularit.*, 30 *julii* 1785. Deinde inspectis peculiaribus Archiepiscopi precibus gratiam indulsit peractis spiritualibus exercitiis per mensem in aliqua domo religiosa arbitrio Archiepiscopi, et dummodo non celebret in loco commissi delicti: 20 *maii* 1786. Denique causa rediit quoad vetitam celebrationem in loco commissi delicti, et rescriptum emanavit; *Prævio recessu a decisis pro gratia arbitrio, et conscientia Archiepiscopi, dummodo celebret in oratorio privato, aut etiam in publica ecclesia, hora tamen a populo minus frequentata*: 17 *april.* 1790.

132. Quum sacerdos Antonius Giva catapulta munitus jocosa quædam adversus Dominicum Mossam verba protulisset, et hic similiter subridens longe absens passibus centum quinquaginta in eminenti loco per ludibrium nates illi ostendisset, provocans: *En scopum, si vis explodere*; dictus sacerdos catapultam explosit, atque plumbea pilea mortale ei vulnus inflixit, ex quo sequenti die ab humanis excessit. S. C. eo postulante, et Episcopo referente de compositione partis, et fisci, constantique emendatione dispensationem ab irregularitate concessit per Breve: *Civitaten.*, 11 *martii* 1786.

133. Ludentibus nonnullis pueris facta est rixa inter clericum Marcum Bolerium annorum 14, et Josephum Guillelmum annorum 13, consertisque manibus, prædictus Joseph scalpello librario clericum, a quo jam prostratus fuerat, contra se venientem in coxa percussit, et ex eo vulnere arteria intercisa ille post paucas horas occubuit. Præfatus Joseph parti præstita satisfactione ad clericalem militiam ascendere exoptat, hinc S. C. auxilium imploravit, ut una cum absolutione sibi impertiatur dis-

pensatio ab irregularitate, et eam obtinuit, quando constet de satisfactione fisci; *Brugnaten.,Irregular.* 6 *maii* 1786.

134. Leniter objurgatus ab archipresbytero Francisco Severino Fredericus Petrocchius ob nonnulla prolata verba ipsum archipresbyterum semel, et iterum cultro sauciavit. Qua de causa archipresbyter illum ictu parvi sclopi ad mortem percussit; inde archipresbyteratu renunciato aufugit, et post emensos quinque annos ab Episcopo consentiente parte veniam obtinuit, pœnamque luit in religiosa domo. Modo dispensationem ab irregularitate cupit, sed a S. C. rejicitur, et *Expectet* rescribitur: *Sabinen., Irregularit.*, 17 *junii* 1786, confirmata, 28 *julii* 1787. Postmodum luculentissimo de probitate vitæ ejusdem oratoris, populique cura Episcopi testimonio relato S. C. gratiam postulatam concessit: 27 *junii* 1789.

135. Acolytus Gabriel Lopez Oroscus, omisso subdiaconatu, et diaconatu, ordinem presbyteralem ab Hispalensi Archiepiscopo quum subripuisset, fictis dimissorialibus sui Ordinarii litteris, ac simulata fide exercitationum spiritualium, necnon ficto sacro patrimonio, ordinem per saltum susceptum exercuit; hinc impositas pœnas a curia Granatensi Gabriel subire debuit. Rogavit inde pro obtinenda dispensatione ab irregularitate, quam S. C. indulsit, imposita arbitrio Episcopi salutari pœnitentia, et adjecta lege commorandi, et celebrandi in ecclesia Villæ Malæ, quamdiu dictæ ecclesiæ necessitas postulaverit, susceptis prius ordinibus omissis: *Granaten., Irregularit.*, 8 *julii* 1786.

136. Quum a Cephaludensi Episcopo, cui suberat ratione originis, et domicilii, nequiret sacris ordinibus insigniri acolytus Rosarius Castiglia, quia claudus paululum erat, testimoniales litteras sui Ordinarii ipse effinxit, et iis mediis dimissorias exorsit a Messanensi Antistite, in cujus diœcesi beneficium obtinuerat, atque ad omnes sacros ordines ascendit. Pœnitentiariam consuluit. Illa, ut res suas cum proprio Episcopo componeret, indixit. Satis Episcopi votis facto, et in ordinibus sic susceptis nunquam ministrasse asserens, petiit dispensari ab irregularitate. Dispensationem S. C. ei ad cautelam concessit: *Cephalæden, Suspens., et Irregularit.*, 21 *april.* 1787.

137. Adeo vehementer sacerdos Philippus Borg rixantem Philippum Hasciac ligno percussit, ut paulo post morte non sua defunctus est. Eum propterea Episcopus e diœcesi relegavit ad sexennium, et damna, ac interesse refundere coegit. At orator solutione scut. 818, cum necati parentibus se composuit, et post annum elapsum a delicto patrato a S. C. dispensationem ab irregularitate rogavit. Et S. C. respondit, ut absoluta pœna preces instauret; pœnam ille explevit, et gratiam tunc obtinuit, dummodo non celebret in loco patrati criminis: *Milevitana, Irregular.*, 19 *januar.* 1788. Conditionem illam inde delere avet orator, et S. C. assensa est, juxta petita arbitrio Episcopi, dummodo celebret hora a populo minus frequentata: 19 *junii* 1790.

138. Clericus Franciscus de Soulier ad repellendam vim, qua in eum commilito irruebat, illum commilitonem transfodit. Abjecta deinde militia, Theologiæ studio operam navavit, et in episcopali seminario receptus fuit. Rogante eo postmodum dispensationem ab irregularitate, S. C. eum repellit: *Lemovicen., Dispensat. ab irregularit.*, 9 *aug.* 1788. Rursum dispensationem flagitans suffragante Episcopo, et comprobante homicidium etiam in causa involontarium fuisse, eamdem obtinuit: 8 *aug.* 1789.

139. In sacerdotem Marcum de Mattia, nuncupatum Pajer, levi de causa, verbis et minis irrupit clericus Angelus Biscontinius, sed hujus iram lenitate comprimere ipse studens obtinuit, ut incœptum iter prosequeretur. Dum vero prima noctis hora rursum placide redibat, clericus ei occurrit, ut in suppositum lacum dejiceret, et quamvis integris viribus resistere præfatus sacerdos niteretur, majori tamen impar vi parvum cultrum, quo in aucupiis utebatur, trepidans eduxit atque aggressori opposuit, qui paululum cedens, ut robustius in illum irrueret, lethale postea vulnus fortuito accepit, ex quo post paucas horas occubuit. Sacerdos, qui mortem rescivit, arrepta fuga, per annum, et ultra a patria exulavit; sed tandem ultro se in carceribus constituit, et fratribus occisi annuentibus absolutus fuit. Dein ab excommunicatione absolutione obtenta, imploravit dispensationem ab irregularitate; sed incassum: *Concordien., Dispensat. ab irregularit.*, 9 *aug.* 1788, confirmata, 27 *junii* 1789. Demum S. C. recedendo a decisis dispensationem indulsit, dummodo non celebret in loco patrati criminis: 15 *januar.* 1791.

140. Suis ruri vacans rebus igneam explosit ballistam sacerdos Januarius de Rosa in alienum custodem bovum, qui prædium depascebat, non ut eum occideret, sed ut tantum in eum terrorem jaceret, sed plumbeis ille globulis vulneratus post unum de viginti diem mortalitatem explevit. In homicidam animadvertit Episcopus Marsicanus, et ad biennium in exteras regiones amandavit. Hac pœna soluta postulat ab irregularitate dispensationem, et instantiam non semel S. C. rejecit. Iterum nil ei valuit supplicatio tertium exhibita, et si de ejus bona vita, moribusque probis testimonia protulerit: *Marsicana, Dispensat. ab irregular.*, 30 *aug.* 1788. Denique peculiaribus inspectis circumstantiis recessit a decisis, et gratiam indulsit: 15 *maii* 1790.

141. Clericus Joannes Franciscus Valriviere armorum imperitus vacans prohibitæ venationi perdicum, dum stabulum ingressus aliquantulum se inflexerit, ut Fabro salutem diceret, repentino ballistæ igneæ ictu, quam manibus gerebat, Faber mortuus cecidit, parti, fiscoque satisfactionem præstitit, optimum de ipso testimonium perhibuit Episcopus, sperans perutilem, imo necessarium ecclesiæ ministrum futurum. Petiit itaque dispensationem, et impetravit a S. C. *Corducen., Dispensat. ab irregularit.*, 16 *maii* 1789.

142. Hyacinthus Maria Bagattius, abbas monasterii Cisterciencium S. Mariæ de Horto Venetiarum, tonsuram, minoresque ordines contulit Josepho Foralosso illius converso, qui religiosum deinde habitum ex apostolico dimisit indulto. Hujus ordinationis S. C. constare de validitate decreverat; sed consulendum esse Sanctissimum sanxit quoque pro dispensatione ab irregularitate, quatenus ministraverit : *Congregationis Cisterciensis*, 28 *novemb.* 1789, *dub.* 2.

143. Per inquisitionem curia laicalis Lucensis damnatus cum aliis fuit ad exilium, processusque expensas Joseph Gonzalez uti reus homicidii; quam tamen sententiam quoad exilium superior judex revocavit, solutisque expensis, plene inquisitus satisfactionem præstitit fisco. Quum vero ecclesiasticum statum suscipere vellet, præsidio S.C. nititur, ut ab irregularitate dispensetur, accedente etiam Episcopi testimonio eum commendante, S. C. votis ejusdem annuit : *Lucen., Dispensat. ab irregularit.*, 19 *decem.* 1789.

144. Sacerdos Terentius Gervasius cum Antonio Garzonetto altercari cœpit, et eo mutua processerunt convicia, ut Antonius lapide sacerdotis tempora cum sanguinis effusione percusserit. Iram hac de re acerbiorem sacerdos concipiens certabat, sed ab interposito detentus Archangelo Sarteschio cum eo colluctatus est, acceptoque in femore pugionis ictu, cum ipsomet Sarteschii ferro, eum in renibus ita vulneravit, ut quinto die ex plaga Sarteschius occubuerit. Curia Episcopalis processum in eum confecit, ediditque hoc decretum, *in casu pro homicidio sacerdotem Gervasi non est molestandum.* Nuper dispensationem implorat, quam S. C. denegavit : *Lunen., Sarzanen., Dispensat. ab irregular.*, 27 *febr.* 1790, confirmata 7 *maii* 1791, precibus repetitis : *Expectet* habuit rescriptum; 12 *maii* 1792 demum dispensationem assequutus est, dummodo in loco commissi criminis non celebret : 16 *maii* 1793.

145. Igniario elato Ficullis nemus venandi causa Thomas Brocchettius anno 1772 ingressus est; et ex inopinato igneæ ballistæ ictu Angelum Francisci morti dimisit. Damnatus in contumaciam fuit per quinquennium ad triremes, quo elapso in libertatem vindicatus est. Inde integram vitam per decennium inter Regulares duxit; post 18, tandem annos dispensationem ab irregularitate efflagitat, ut ad ordines promoveri possit, et S. C. eam indulsit : *Urbevetana, Irregular.*, 20 *martii* 1790.

146. Ad sedandum virum, qui nocturnas inter tenebras 9 decem. 1787 cum sacerdote Nicolao de Stephano ejus fratre de re familiari rixabatur, pugnæ se immiscuit soror Theresia, et sive ab uno, sive ab altero inconsiderate impulsa, graviterque in occipite ad mensulæ cuspidem contusa, post triduum periit. Curia Aquilæ homicidium causale, ac involuntarium declaravit, qui dispensationem ab irregularitate rogans, eam a S. C. retulit : *Aquilana, Irregular.*, 15 *maii* 1790.

147. Lapidibus post cœnam a nonnullis monticolis appetitus, gladium sacerdos Michael Taraglio e proxima sua domo sumpsit, ut contumeliam vindicaret, sive ut redeuntem suum fratrem tueretur. Sed inter densas noctis tenebras Joannem Bonardium ejus amicum, qui secum cœnaverat, incaute transfodit, Missamque deinde ad celandam occisionem celebravit. Re autem cognita damnatus fuit in contumaciam per annos 5, ad carcerem. Requisita dispensatione, rescriptum est, ut supplicet post expletam pœnam carceris. Hodie absolvit ille pœnam, et preces iterum exhibuit, sed frustra : *Nullius, S. Benigni, Irregular.*, 5 *junii* 1790. Denique impertita est S. C. dispensationem, dummodo non celebret in loco commissi delicti : 3 *martii* 1792.

148. Dum mense octobris 1789 a venatione quiescebat Bernardinus Angelinius, igneam ejus ballistam, quam elato deposuerat igniario, impulit sociorum alter Isidorus Sanctarellius, graviterque ex inopinato illius decidentis ictu vulneratus, sequenti die vitam sibi invite exhausit. Ut clericali igitur initiari tonsura valeat, dispensationem ab irregularitate, quatenus in eam inciderit Angelinius postulat, eique favet Episcopus, et S. C. esse locum dispensationi ad cautelam censuit : *Asculana, Irregularit.*, 10 *junii* 1790.

149. Anno 1780 die 2 april., dum virum inter, et Antonium Rusconium sedabat discordias Maria Ramponia in foro parochialis ecclesiæ Vervii in Plebe Matii Vallistellinæ, eam parochus Joannes Antonius Salligarius, qui fuerat in famulatu, in parochiales advocavit ædes; viroque illam flagitante, per diversam januam dimisit. Hujusce dimissionis ignarus a viro fuit Rusconius provocatus, vimque foribus parochialis domus inferre cœpit. Igneam ad eum terrendum e ferreis repagulis ostentavit ballistam parochus, quam semel ab illius manibus ereptam, et jactanter redditam, in anteriori parte Rusconius apprehendit, et dum rursus avellere conaretur, re-

pentino ejus ictu Rusconius periit. Curia Comensis parochum reum declaravit de culpabili homicidio. Episcopus testatur de pœnitentia, ac bonis moribus ejusdem. Non semel S. C. suas preces pro dispensatione ab irregularitate rejecit, modo tamen esse ei concedendam dummodo non celebret in loco patrati criminis decrevit: *Comen., Irregularit.*, 27 *aug.* 1790.

150. Temulentus sacerdos Adamus Bramberger, Stejerdorffi parochus, nedum Sebastianum Stegmajer ejus parochiæ incolam ad ægrotam sacramentis munitam uxorem verberandam incitavit, sed ei quoque virgarum præbuit fasciculum, manibusque infelicem tenuit mulierem, ut commodius ille nefarium facinus patraret. Tertio igitur verberata, post triduum decessit infirma, damnatusque fuit parochus die 4 julii 1787 ad biennii carceris pœnam. Hac expleta exorat dispensationem, S. C. eam denegat, licet ei faveat Episcopus, qui facinus eum patrasse asserit, quia vini potus ita facilius sese præcipitem facinori præbebat, ut biennio ei fuerit interdictum : *Canadien., Dispensat. ab irregularit.*, 27 *novem.* 1790. Deinde inspecta supplicatione Episcopi, prævio recessu a decisis, consulendum Sanctissimum pro gratia, dummodo non celebret, nec animarum curam exerceat in loco patrati criminis, sancitum est : 21 *april.* 1772.

151. Joseph Allegri sacerdotem Andream Bon, cum quo rixam habuit, et in gratiam fuit restitutus, die 8 maii 1783 adortus est ; qua de causa duplici sacerdos saucius plaga, omnique evadendi via præclusus ferro aggressorem confodit, qui paulo post mortuus est. Paucis elapsis mensibus composita parte, et fisco absolutoriam sententiam obtinuit, et per integrum annum in conventu S. Blasii moratus est. Tandem dispensationem ab irregularitate efflagita, et favente Episcopo eam consecutus est, dummodo in loco patrati delicti Sacrum non faciat : *Vicentina, Irregular.*, 15 *januar.* 1791.

152 Juvenis quidam a patre irato jactatus die 7 maii elapsi ingressus est domum sacerdotis Petri Josephi Vancoolwyck, a quo nedum auxilium habuit, sed quoque patrem illius ita sacerdos insectatus est, ut deserto filio ille irruerit in sacerdotem ipsum, qui unico baculi ictu eum in pugna interfecit, data morienti sacramentali absolutione. Post hanc occisionem nil passus est, quod uni, et alteri tantum factum notorium erat, et modo dispensationem ab irregularitate postulat ; S. C. ei inficiata est : *Leodien., Irregular.*, 17 *decem.* 1791.

153. Quum capellanus ecclesiæ S. Michangeli Castri Majoli Marcus Benedetti natura meticulosus absque mortis periculo fugam arripere, et se alias defendere non valeret, facinorosum Sebastianum Tomei scopulo ab humeris dejecto occidit. A curia episcopali, uti repertus non culpabilis, fuit absolutus, partem, et fiscum composuit, sed miseriis pressus ab irregularitate petit dispensationem, et *Expectet*, primum rescripsit S. C. in *Feretrana, Irregular.*, 28 *maii* 1791 ; deinde gratiam impertivit : 15 *decem.* 1792.

154. Dum ad facinorosos arcendos exules excubabat anno 1788 urbanus miles, et clericus Lazarus Gori in villa S. Joannis a Galilæa, jubente duce ejus patruo, igneam illi nocturno tempore in eum sine effectu exploserunt ballistam ; sed clericus cum effectu, et non malo animo, nec ab iracundia ductus lethale intulit vulnus aggressori Sancti Garelli, in quem erat talionis pœnam, ac eo defuncto præmium clericus recusavit. Modo autem, ut ad sacerdotium ascendat, dispensationem ab irregularitate poposcit, et ei S. C. donavit : *Briclinorien., Irregularit.*, 24 *novem.* 1792.

155. Cum die 22 junii 1789 ebrius sacerdos Zeno a Moga venatum delectatus esset, cum altero ex tribus sociis rixari cœpit ; eoque in tutum posito, igneam furens ballistam confregit, et in alios irruens duos innocentes, qui prope sedebant, graviter eos pulsavit, et unus ex his paulo post ex percussionibus interiit. Damnatus hac de re in contumaciam fuit pœna ordinaria ; et adhuc profugus supplicat pro dispensatione ab irregularitate, sed frustra : *Convenarum, Irregular.*, 12 *maii* 1792.

156. Sacerdos Andreas Borg subdiaconatum vi, metuque compulsus, suscepit, et in actu ordinationis aversum ab illo statu suum animum declaravit. Inde S. C. consuluit de ordinis validitate, quæ non solum eam iterandam ordinationem sub conditione putavit, sed necessariam etiam esse ab irregularitate dispensationem, quam impertivit : *Milevitana, Subdiaconatus*, 16 *junii* 1792, *dub.* 2.

157. Quum ad paternum iturus agrum e domo descenderet Aloysius Azzeni, ætatis annorum 16, anno 1785, fortuita igneæ ballistæ, quam humeris gestabat, explosione lethale inflixit vulnus domesticæ ancillæ, ex quo paulo post infelix mulier lucis usuram amisit. Curia laicalis eum a pœna, atque culpa absolvit. Ecclesiasticum modo statutum inhians S. C. exorat, quæ dispensationem ab irregularitate elargita est : *Calaritana, Irregularit.*, 19 *januar.* 1793.

158. Sacerdos Joan. Baptista Piccinelli ad contumelias, ac verbera sorori illata persequenda, anno 1789, exulem Joannem Micheli aggressorem ictu igneæ ballistæ luce orbavit. Facile sententiam absolutoriam anno sequenti a curia locali obtinuit, inde Romam petiit pro dispensatione ab irregularitate assequenda. Ei suffragantur compositio partis, et fisci, atque boni mores, sed non S. C., quæ dispensationem denegavit : *Bergomen., Irregularit.*,

23 *febr.* 1793 ; confirmata, 21 *junii* 1794. Post primam, ac secundam repulsam Episcopo enixe exorante recessit S. C. a decisis, et absolutionem ac dispensationem concessit : 28 *novem.* 1796.

159 S. C. negavit se daturam fuisse dispensationem ab irregularitate Joanni Jacobo Lippi, qui homicidium voluntarium, atque quem admodo inhumanum a septennio commisit. Nam orta contentione inter eumdem, et villicum peregrinum Tonnelli de tenui pecuniæ summa : *Sacerdos* (ait Archiepiscopus) *propriam agressus domum, procul ab omni periculo, inanes conquerentis clamores non audiens aperta fenestra, igneam explosit ballistam* : *Lucana, Irregularit.*, 20 *junii* 1793.

160. Joseph Pepe petens dispensationem ab irregularitate rescriptum *Expectet* retulit. Hic cum Dominico Antonio *di Biase*, præcedentium dierum redintegrata rixa, pugionem mense Augusto 1776, strinxit ad terrorem dumtaxat incutiendum, per eumdem tamen pugionem e suis manibus a fratre avulsum, Dominici postea cædes facta est : *Nullius, Caven., Irregular.*, 24 *novem.* 1792. Inde favente Ordinario, et testante de ejusdem probitate, ac pœnitentia peracta dispensationem indulsit : 7 *sept.* 1793.

161. Quando mense martio 1785, facinorosus, et homicida satellitum dux Joannes Cortrazzo emissurus erat in rixa igneæ ballistæ ictum in Vincentium Feola, ejusque fratrem sacerdotem, repentinam his tulit opem tertius frater Conus sacerdos, qui suis, ac suorum fratrum diffidens viribus mucronem ab illius perditi viri latere avulsit, ejusque proprio ferro vitam violavit. Ob id ab irregularitate dispensationem desiderat, sed non obtinuit : *Caputaquen., Irregular.*, 7 *sept.* 1793. Iterum renovat preces et pro-vicarii generalis exhibet testimonium suæ utilis, laudabilis vitæ ; et S. C. gratiam petitam indulsit : 14 *martii* 1795.

162. Ignorabat clericus Andreas Marenco, ac ballista ignea pulvere tantum, aut plumbeis glandulis præparata esset, et famulus, qui suam peritiam in explosione experiebatur, illum monuit, ut ab experimento cessaret, et ballistam ab ejus manibus eripere tentavit. Vix autem illam tetigit clericus, repente explosus est ictus in famulum, qui post quatriduum exspiravit. Fiscus clericum ab omni culpa immunem agnovit. Curia archiepiscopalis eum dimisit cum præcepto de se repræsentando, hinc dispensationem ab irregularitate efflagitat S. C. primum, ut, aboleto præcepto de se repræsentando recurrat : *Januen., Irregularit.*, 11 *maii* 1793. Et inde dicta S. C. de abolitione præcepti dispensationem impertita est : 14 *decem. ejusd. anni.*

163. Irregularitatis dispensatio differtur sacerdoti Philippo Magliocchini, qui 24 abhinc annis voluntarium commisit homicidium in Dominicum Allegretti, donec spiritualia exercitia per Ordinarium decreta apud missionarios Sanctissimi Redemptoris capitis Sileris, expleverit per mensem in loco commodiori ab eodem Ordinario designando : *Anglonen., seu Tursien., Irregularitat.*, 17 *aug.* 1793. Deinde testante Episcopo de ejusdem exemplari vita, pietateque S. C. dispensationem indulsit : 25 *januar.* 1794.

164. Per insidias occisus fuit anno 1782, in civitate S. Marini clericus Virgilius Lolli, qui criminis auctor innotuisset. Homicidium tamen ex pluribus indiciis patricio illius reipublicæ nonnulli imputabant, alii clericum Josephum Belzoppi familiarem ejus amicum, aut complicem, aut saltem socium suspicabantur. Sed ex defectu probationum fiscus dimisit cum obligatione de se repræsentando, et postea tanquam non repertum culpabilem. Petit hic dispensationem ab irregularitate, et S. C. precibus annuit : *Feretrana, Irregularit.*, 5 *april.* 1794.

165. Rixante clerico Matthæo Rossi cum Joanne Baptista Nani, partem in dissidio assumpserunt respectivi illorum fratres, clericus nempe Barlamus, et Stephanus Rossi ex una ; Antonius Nani ex altera : tradiditque Matthæus igneam ballistulam ejus fratri Barlamo, qui Antonium Nani cum ea peremit. Triennio tantum elapso, obtenta remissione partis, composito fisco, et nono expleto carceris mense dispensationem ab irregularitate efflagitat, et non obtinet : *Faventina, Irregular.*, 22 *novem.* 1794. Et favente Episcopo quo magis bis petivit, tanto majorem ei frustratio dolorem attulit : 19 *dec.* 1795 et 11 *decem.* 1796.

166. Dum diaconus Petrus Sperandeo, spiritualibus peractis exercitiis, promovendus erat ad presbyteratum, surdam anum alta inutilique voce monitam confregit, interemitque cisio, cujus concitatos equos continere non potuit. Inde obtenta dispensatione a quodam presbytero, qui facultatem habere jactabat, suscepit ordinem sacerdotalem, at anxio est animo de irregularitate, precaturque pro dispensatione, et rehabilitatione, quum de causali homicidio ageretur, et S. C. petioni concessit : *Nolana, Irregular.*, 24 *januar.* 1795.

167. Irregularitas contracta a sacerdote Petro Borelli per occisionem patratum in rixa post primum rescriptum *Lectum*, vigesimo tandem anno a crimine commisso elapso ob constantem illius emendationem, et propter sacerdotum defectum illius parœciæ, remittitur : *Mutinen., Irregular*, 28 *febr.* 1795.

168. Abnuit S. C. dispensationem ab irregularitate impertire acolytho Carolo Cobucci, qui proximam a quatriennio dedit causam homicidio in rixa

patrato, et per biennium clericalem habitum dimisit: *Policasten., Irregular.*, 28 *feb.* 1795.

169. Dispensatio ab irregularitate conceditur ad cautelam canonicis *extra capitularibus* vocis ecclesiæ collegiatæ S. Michaelis Archangeli Caprarolæ, qui cum essent punctaturis immunes juxta capituli antiquas constitutiones, et veterem consuetudinem impugnabant dimissionem tertiæ fructuum partis pro distributionum massa constituenda, pro qua re Episcopus eos suspendit: *Civitatis, Castellaniæ*, 16 *maii* 1795, *dub.* 4.

170. Acolythus Petrus Gisolfi occasione licitæ venationis gestans in humeris igneam ballistam elato ignario ex inopinato ictu, quem illa explosit, interemit suum amicum clericum Dominicum de Amato. Ex processu inculpabilis repertus ille fuit, et supplicat pro gratia dispensationis, et obtinuit; *Salernitana, Irregular.*, 22 *aug.* 1795.

171. Quum parochus Franciscus Vasoli, licet avarus non fuisset in eleemosynis distribuendis, tamen ex superextantibus parochiæ reditibus, aliisque proventibus, etiam patrimonialibus, illicitam negotiationem exercuit. Modo exorat dispensationem ab irregularitate, in quam incurrit, ob administrationem proprii ordinis sub censuris ecclesiasticis; et S. C., quæ etiam ei restitutionem lucri illiciti imposuit, dispensationem postulatam impertivit: *Apuana.* 20 *febr.* 1796, *dub.* 3.

172. Sacerdos Innocentius Olcisius, dum revertebatur patriam Pannesium ex finitimo loco Uscio, ubi sua soror nuptias contraxerat, aliqua jam contentione absoluta, cœpit impellere sororem, igneamque tandem in eam reluctantem a tergo explosit ballistam, cujus ictu post paucos dies puella decessit. Pœnam luit postmodum carceris, et pecuniariam damnationem. Jam 15 elapsi sunt anni, rectam vitæ methodum agit. S. C. vero dispensationem denegavit cum clausula *absque spe*: *Januen., Irregularit.*, 23 *april.* 1796.

173. Postquam subdiaconus Chella calumniatus est sacerdotem Antonium Pleita ob tentatam in ipsum igneæ ballistulæ explosionem, pendente inquisitione, ascendit ad diaconatum. Sacerdos absolutus fuit ex capite innocentiæ, et calumniator damnatus ad expensas, et damna, et actio calumniæ incepta est; sed res fuit composita, et diaconus petita absolutione a censuris, petitam dipensationem ab irregularitate, et rehabilitationem ad ordines, et favente ei Episcopo omnia reportavit a S. C.: *Lunen., Sarzanen.*, 9 *julii* 1796.

174. Sacerdos Franciscus Antonius Mazzadi parochus olim Strepeti damnatus præ ceteris fuit a Placentina curia, tamquam reus rixosi homicidii in Caupona patrati, ad quinquenne exilium a loco commissi criminis, seu vicariatu Complani. Hac pœna nondum expleta supplicat pro dispensatione ab irregularitate, sed non obtinet, licet Episcopus faveret, fisco, partique satisfactionem præstiterit: *Placentina, Irregularit.*, 30 *julii* 1796; confirmat. 9 *sept.* 1797.

175. In gravi rixa colluctare cœperunt sacerdos Raymundus Nitoglia, et Marcus Antonius Ricupera, et extinctis luminibus, Marcus a sacerdote offenditur districto gladio, et interfectus est. Sacerdos homicida conjectus in vincula, damnatus fuit ad decennium ad domum pœnitentiæ, a qua aufugit, et parte composita absolutus fuit a pœna. Modo exorat dispensationem ab irregularitate, et *Expectet* prodiit rescriptum: *Marsorum, seu Romana., Irregular.*, 27 *aug.* 1796.

176. Opinatur Episcopus causale patrasse homicidium sacerdos Laurentius Klaile annorum 48 qui, quum in aliquos suum hortulum diripientes inter tenebras noctis ictum igneæ ballistæ explosisset ad merum terrorem, non directum, ad certam statutam personam quamdam studentem interfecerat. Attamen carcerem sustinuit, ac post sex menses ex gratia libertate damnatus fuit. Hic invocat S. C. pro dispensatione ab irregularitate, et consecutus est, dummodo in loco patrati delicti Sacris non operetur: *Constantien., Irregular.*, 26 *novem.* 1796.

177. Acolythus Vincentius Redago, dum ad suæ domus fenestram deficiens aptabat ignarium, inopinata ballistæ igneæ explosione vulneravit ancillulam medici Perrone, ejusque filiolam annorum quatuor, quorum altera nonnullos post dies convaluit, altera animam exhalavit. Pœnam triennii exsilii explevit. Episcopus testimonium de bonis ejus moribus, ecclesiæque necessitate perhibet. Et petitam a S. C. dispensationem orator reportavit: *Lucerina, Irregularitatis* 21 *januar.* 1797.

178. Camerinum se contulit causa artis suæ exercendæ cum uxore sua Thomas Gentilucci Fabrianensis, et defuncta uxore, secundam Camertem duxit, ex qua Joseph suscepit. Hic petiit ab Episcopo Camerinensi primam tonsuram, quam renuit conferre. Adiit propterea cum patre Fabriani ad Episcopum, a quo jurata de animo nunquam in civitate Camerinensi domicilium constituendi declaratione emissa, obtinuit tonsuram, et inde ostiariatum absque testimonialibus Episcopi Camerinensis. Ætate prosedens reliquos desiderat ordines, sed quum illicita fuisset ordinatio judicata, S. C. impertivit dispensationem ab irregularitate: *Fabrianen., et Camerinen., Ordinat.*, 19 *aug.* 1797, *dub.* 2.

179. Sacerdos Joan. Stephanus Monni vice-parochus Gastelli in Sardinia altercatus fuit cum suo curato in qua lite partes ita consanguinei susceperunt, ut duo viri occubuerunt. Orator in tempore primum occidendi concilium revocavit, non item se-

cundum, ex quo necatus fuit Antonius Pisanus ; hinc evenit irregularis, et miseriis pressus, cum omnia in causa amisisset, precatur pro dispensatione nono jam mense labente a clamorosa lite, sed S. C. non audivit : *Gastelli-Noren., Irregular.*, 20 *januar.* 1798.

Reliqua. Vide *Episcopus*, § XVII.

§ X.

Dispensatio matrimonialis ab impedimentis [62].

1. In hypothesi matrimonii contracti inter conjunctos extra primum gradum, prævia dispensatione super remotiori, et non obtentis litteris declaratoriis super propinquiori S.C. significavit validum fuisse matrimonium, et satis esse postea obtinere declarationem super gradu propinquiori juxta Const. Pii V, Pont. Max., hac de re editam [63] : *Mediolanen.*, 11 *maii* 1607, *dub.* 1.

2. Et vicarium ex delegatione apostolica dictam dispensationem potuisse concedere resolvitur : *Ibid.*, *dub.* 2.

3. Respondit S. C. decretum Concilii, cap. 5, sess. 24, *de Reform. matrim.* [64], qua parte prohibet dispensare in gradu 2, nisi inter magnos principes, et ob publicam causam, non comprehendere impedimentum publicæ honestatis, quod oritur ex matrimonio rato, et non consummato : *Cajetana*, 12 *januar.* 1619.

4. Indulsit S. C. dispensationem ab impedimento publicæ honestatis Annibali Lampato, et Fulvia de Juliis, quum certum esset matrimonium a prædefuncto viro non fuisse consummatum : *Caven.*, 17 *novem.* 1629.

5. Ad tramites Bullæ S. Pii V, Pont. Max. [65], S. C. censuit pro validitate dispensationis primum gradum esse exprimendum. Nam dubio proposito, an inter ipso adsit impedimentum dumtaxat tertii affinitatis gradus, vel etiam primi, ita ut super tertio tantum, vel potius super tertio, et primo petenda esse dispensatio? responsum est, petendam esse dispensationem facta mentione primi gradus : *Dubium affinitatis*, 19 *sept.* 1682.

6. Contraxit nulliter, ut asserit, matrimonium Aloysius Fernandez de Fuen-Mayor cum Mencia de Castro in aliena parochia, et absque proprii parochi licentia ; et licet sequuta sit cohabitatio, tamen testatur ipse non consummatum fuisse. Obiit Nencia ; idem cognovit carnaliter Magdalenam Isabellam ex Menciæ sorore neptem, floresque suscepit. Quum autem statuisse matrimonium cum illa inire, supplicat pro dispensatione super impedimento primi, et secundi gradus justitiæ publicæ honestatis proveniente ex dicto matrimonio rato, et non consummato

[62] In impedimentis, quæ ecclesiastici juris sunt, Summus Pontifex ex justis, gravibusque causis veniam tribuit. Ita fidei catholicæ utilitas, timor apostasiæ, bonum publicum, studium avertendi mali, angustia loci, inopia mulieris indotatæ justam præbent causam propter quam dispensatio concedatur. Sunt et aliæ similiter graves causæ, quarum judicium pertinet ad Summum Pontificem, a quo venia tribuitur. Dataria solet in diem dispensationes publicas concedere super consanguinitate, et affinitate, et spirituali cognatione, et publica honestate, et crimine adulterii, modo nulla fuerit in necem conjugis machinatio. Ceteræ dispensationes super aliis publicis dirimentibus, impedimentis raro, atque ex causis gravissimis per secretariam brevium conceduntur. Ex Cancellariæ regula 49 in litteris dispensationum super aliquo gradu consanguinitatis vel affinitatis ea adjicitur clausula, seu conditio, ***si mulier rapta non fuerit.*** Si raptor scienter nuptias cum rapta contraxerit, ac veniam postulet, tunc alia adjicitur ***ex quaterno*** conditio, ***ut separentur ratione delicti, quoad usque arbitrio commissarii, seu executoris apostolici congruam egerint pœnitentiam.*** Confer Rigantium ad eamdem regulam 49. *Cancel.*, et Cagliardum *Justit. jur. canon.* lib. 2. tit. 11, § 5, num. 93. et seqq. Bened. XIV, Pont. Max., Const. *Ad Apostolicæ*, 25 febr. 1742 (*Bull. ejusd.* tom. 1, pag. 57) decernit dispensationem matrimonialium causas veraciter exponendas, et ab exequutoribus omnino verificandas esse.

[63] Die 20. aug, 1566 incipient *Sanctissimus*, (*Bull. Rom.*, tom. 4 part. 2. pag. 310) qua revocatur Constitutio Pii IV., et innovatur altera Const. Gregor. XI. et Clem. VI. super exprimendis gradibus propinquioribus in dispensationibus matrimonialibus, impetratis in diversis gradibus, et § 1. sancitur dispensationem matrimonialem obtentam super gradu remotiori, silentio prætermisso proximiori, esse validam, modo hic primum gradum nullatenus attingat ; obtentis tamen super propinquiori litteris declaratoriis præscriptis a laudato Pont. Gregor. et Clém. Hoc idem declaratur a Bened. XIV. in suo decreto 27 sept. 1755 rel. in Const. *Etsi Matrimonialis*, 30 sept. ejusd anni (*Bull. ejusd.* tom. 4. pag. 150).

[64] Ubi legitur : « In contrahendis matrimoniis vel nulla omnino detur dispensatio, vel raro, idque ex causa, et gratis concedatur. In secundo gradu nunquam dispensetur, nisi inter magnos principes, et ob publicam causam. » Gallemart in hunc loc. num. 8. ad verba ***In secundo gradu nunquam dispensetur*** pag. 211. ait : « S. Pius V declaravit hoc intelligi de gradibus affinitatis, et consanguinitatis. Congregatio tamen idem censuit in sponsalibus, prout decretum fuit in Congregatione, caput tertium supra loqui de sponsalibus de futuro juxta Bullam Pii V, incipient. ***Ad Romanum***, 28. novem 1566 (*Bull. Rom.* tom. 4. part. 2. pag. 311). Sextum vero loqui de matrimonio contracto, et consummato, quia verba contextus id ita esse ostendunt. De matrimonio vero rato tantum, nihil habetur in hoc Concil. Trident., sed illud, prout est de jure, est majus quoddam impedimentum, quam sint sponsalia, et idcirco remittendum juris dispositioni, et prudentiæ Sanctissimi Domini nostri, qui pro rerum, et causarum varietate providebit singulis casibus. »

[65] Quæ incipit *Sanctissimus*, 20 aug. 1566 (*Bull. Rom.* tom. 4 part. 2. pag. 310). Vide Marschat *Instit. canonic.* lib. 4. in tractatu *de Dispensat. Matrim.* § 3, pag. 428 una cum addit Geraldi *ibid.*, post verb. ***Terrorem relatis.*** Vide not. 63.

cum dicta Mencia. At S. C. instantiam rejecit: *Hispalen., Dispensat.*, 18 *junii* 1701. Deinde precibus reiteratis, ut instet coram Ordinario pro declaratione nullitatis matrimonii, et postea supplicet pro dispensatione, S.C. rescripsit: 18 *febr.* 1702.

7. Christophorus de Arrojo in secundo consanguinitatis gradu conjunctus cum Joanna Atteaga, cupiens matrimonium cum illa prævia dispensatione contrahere, dubitat, an inter ipsos adsit impedimentum cognationis spiritualis, eo quia in fide sui baptismatis adnotatum reperitur ipsius commatrem fuisse prædictam Joannam, quæ hoc non commeminisse testatur. Ob id ad dubium, an dispensatione indigeant oratores super impedimento cognationis spiritualis? S. C. rescripsit, ut extrahantur formaliter partitæ utriusque baptismatis: *Hispalen., Dispensat.*, 11 *martii* 1702.

8. Joseph Nicolaus Caputo matrimonium de nocte coram parocho, et testibus contraxit omissis denunciationibus cum Beatrice Longo. Sed statim ambo a curia episcopali ob impedimentum in tertio gradu excommunicati declarati fuerunt, idcirco dictus Joseph obtinere dispensationem super hoc impedimento curavit. Sed S. C. ut examinentur testes formaliter per Episcopum viciniorem rescripsit: *Consentina, Dispensat.*, 27 *maii* 1702.

9. Nicolaus Busso post matrimonium legitime initum, ac consummatum cum Angela de Michele, aliud contraxit cum Victoria Balduina muliere honesta, penitus ignorante præcedens legitimum connubium, et cum ea filios habuit. Verum durante septennio condamnationis viri ob polygamiam ad triremes prima mulier obivit. Nicolaus modo exoptat cum Victoria dispensari, et obtinet a S. C. renovato consensu in faciem Ecclesiæ, necnon facta separatione pro tempore, beneviso Ordinario, imposita aliqua salutari pœnitentia: *Sancti Severi*, 19 *julii* 1704.

10. Ob impotentiam naturalem, et perpetuam Jacobi Philippi de Gonera loci Puechenstam nullum fuit pronunciatum a curia Brixinensi matrimonium initum ab eo cum Maria de Valaxa. Hæc proinde cum Silvestro Pezzei in tertio gradu consanguinitatis prædicti Jacobi sponsalia contraxit, ac successive copulam habuit. Ambo exorant dispensationem super impedimento publicæ honestatis in tertio gradu proveniente ex matrimonio rato cum dicto Jacobo; at S. C. non esse locum, ac inhibendum, ne ad alia vota transeat, respondit: *Brixinen., Dispensat.*, 10 *januar.* 1705.

11. Obtenta dispensatione super tertio consanguinitatis gradu a Philippo Magalotto loci Nazzani, et Angela Prætiosa Rotellini, vicarius exequi eam, quod silentio prætermissa cohabitatio fuit, quæ inter præ nominatos sponsos intercesserat, abnuit. Sponsi cohabitationem fuisse honestum, et absque populi offensione asserebant, et S. C. Apostolicam dispensationem esse exequendam præcepit: *Nullius, Pontiani*, 17 *april.* 1706.

12. Cum sola causæ expressione, quod Agnes Zingarella nequiret invenire virum paris conditionis ob angustiam loci oppidi Vallatæ assequuta illa est dispensationem copulandi cum Dominico Zamarra in tertio, et quarto consanguinitatis gradu sibi conjuncto. Quum vicarius exequutionem litterarum apostolicarum illius dispensationis differet, sponsi S. C. adierunt, quæ locum esse exequutioni dictarum litterarum mandavit: *Bisacciarum, Dispensat., matrim.*, 19 *junii*. 1706.

13. Nullis præviis denunciationibus, ac licentia curiæ archiepiscopalis Alexander Muscatus, et Hieronyma Maurella in secundo, et tertio consanguinitatis gradu sibi conjuncti summo mane coram parocho inopinate verbis mutuum consensum præseferentibus matrimonium contraxerunt. Inde breve dispensationis præventive obtentum, ubi assertum erat matrimonium clandestine contraxisse, ac carnali copula consummasse, exhibuerunt, quo juxta petitionem Summus Pontifex illos absolvebat ab incestu, verificatis paupertate, remotione populi offensione, aliisque assertis. Ast S. C consulta constare de nullitate matrimonii decidit [66]: *Salernitana, Matrimonii*, 3 *martii* 1707, *dub.* 2, confirmat. 17 *novem. ejusd. anni.*

14. Inito matrimonio inter Paschasium Quæsadam ætatis annorum 23, et Rosam Fort puellam annorum 15, post cohabitationem duorum mensium commisceri simul carnaliter non valuerunt ob arctitudinem mulieris, quæ impatiens doloris ad lares maternos confugit. Hinc facto triennali experimento a curia Oriolensi ordinato, et facta inspectione perpetuum arctitudinis impedimentum, et absolutum apparuit. Vicarius proinde irritum matrimonium præfatum declaravit. Quesadam ad secundas nuptias convolavit cum Maria Antonia Perez annorum 20, cum qua filios habuit. E contra Rosa grandior effecta sub spe dispensationis contraxit sponsalia cum Antonio Ximenez, cum quo carnaliter commixta est. Denuo autem facta fuit ejusdem inspectio, et reperta viri apta, et separatio, quoad thorum, et mensam, cum Antonio fuit denunciata pro primo viro restituenda. Sed Quæsadam, et Maria exorant S. C. pro dispensatione perseverandi in matrimonio contracto, et Ximenes, et Rosa pro

[66] Advocatus Dominicus Ursaya pro hac causa contendit in favorem mulieris, cujus jura in medium protulit ***Discept. Eccl. XVII***, tom. 1, part. 2, per tot.

dispensatione ad invicem contrahendum, et votorum summam assequuti sunt renovato consensu ad formam concilii inter Quesadam, et Mariam Antoniam: *Oriolen.*, *Dispensat.*, 16 *maii* 1711.

15. Cupiens matrimonium inire Franciscus Luis, et Antonia Theresia Murris obtinuerunt dispensationem Apostolicam super duplici quarto consanguinitatis, vel affinitatis gradu, silentio prætermisso tamen stupri delicto peracto, ac ante exequutionem carnaliter sese immiscuerunt, pluriesque genuerunt. Inde vir lethali morbo procumbere cœpit, et contraxit matrimonium, et eo morbo obiit. Mulier dubitans de validitate ejusdem, et illegitimitate prolis supplicat pro revalidatione, ac legitimatione, et S. C. supplicationem revalidationis, dispensationis, et matrimonii, et declarationis legitimitatis prolis non esse signandam censuit: *Ulyssiponen.*, *Revalidat.*, *sive Dispensat.*, *ac Legitimat.*, 28 *april.* 1714.

16. Hyacinthus Porpora, ut commodius inhonestam consuetudinem haberet cum Cecilia Nicolai uxore, simulavit amorem cum Elisabeth filia, et cum ea contraxit, consummavitque matrimonium, sive metu a Nicolao incusso, sive pravo animi motu. Defuncto Nicolao, Hyacinthus institit pro nullitate matrimonii cum Elisabeth contracti, et obtinuit sententiam cum clausula: *Quatenus matrimonium prædictum dispensatione Apostolica reconvalidare noluerint.* Hinc dissolutum fuit, et Elisabeth nupsit Nicolao Francisco Grimaldo, et Hyacinthus Ceciliaque, non matrimonii dignitate, sed sceleris societate conjuncti, filiam procrearunt, atque fugientes iram fratrum Ceciliæ, et ecclesiasticæ curiæ pœnas, exorarunt dispensationem a primo publicæ honestatis, et affinitatis gradu; sed negativum responsum tulerunt addendo S. C. ad secretarium juxta mentem [67]: *Neapolitana*, *Dispensat.*, 28 *martii* 1716 [68].

17. Obtinuit Georgius Giura, et Clara Musacchio oppidi Maschiti dispensationem, Ordinario Melphiensi, sede Venusina vacante, uti viciniori directa, super quarto gradu consanguinitatis pro contrahendo matrimonio, quod rite fuit celebratum. Inde vicarius capitularis prætendit nullum fuisse, quod absque ejus licentia initum est, et quod exequutio dispensationis ad Episcopum Lavellensem viciniorem spectaret; re in S. C. deducta validitas illius fuit firmata: *Venusina*, *Matrimonii*, 3 *octob.* 1716, *dub.* 1.

18. Joseph Jaquinto annorum 13, in tertio consanguinitatis gradu conjunctus cum Constantia Farina coram parocho, et testibus, per dolum in propria domo adductis dispensationibus super gradu prohibito, ac ætatis defectus minime obtentis, denunciationibus prætermissis vigore mandati procuræ mulieris, de quo Episcopus scatere falsitate, ac nullitate testatur, præsumpsit in matrimonio dictam habere; quod autem S. C. nullum judicavit. Modo efflagitat Petrus Lombardus signari supplicationem pro dispensatione super gradu tertio consanguinitatis, ut cum dicta Constantia matrimonium contraheret; et S. C. ralaxari dispensationem statuit: *Casertana*, *Matrimonii*, 27 *febr.* 1717, *dub.* 2.

19. Franciscus Gymnasius sponsalia contraxit cum Isabella Bentivola ejus ex consobrina sorore nepte, et quum postulasset pro dispensatione, sese opposuit Dominicus Gymnasius, ejus pater, tum ob violentias, ac seductiones, tum ob sponsalia inita absque dote non solum, verum cum renunciatione cujuscumque successionis in favorem sponsæ, ac constitutione dotis in favorem ejusdem scut. 3,000, lucrique dotalis. E contra Franciscus ait suo officio satisfecisse implorando consensum, necnon adesse causas dispensationis nempe paupertatem nobilis puellæ, publicationem sponsalium. S. C. autem distulit decretum, et ad mentem [69] dixit: *Romana*, *Dispensat.*, 13 *martii* 1717. Postmodum dispensationem postulatam indulsit: 15 *maii ejusd. anni.*

20. Quum Christophorus Taricone, et Joanna Bore ex oppido Corrati matrimonium contrahere vellent, in dubium venit, an sint consanguinei in quarto gradu, de quo adest rumor et fama, quod dilui non posset; nam mater Joannæ exposita fuit, ejusdemque parentes ignorantur. S. C. proinde de hac re interrogata oratores indigere dispensatione ad cautelam decidit: *Tranen.*, *Impedimenti*, 2 *octob.* 1717.

21. Post dispensationem relatam super quarto consanguinitatis gradu matrimonium contractum fuit inter Joannem Sapica, et Constantiam Radziwillia, inde compertum fuit non quarto tantum, sed tertio, et quarto mixto consanguinitatis gradu junctos fuisse. Initum tamen fuit ex regula, quod gra-

[67] « Et mens est, ut incumbat collocationi mulieris, filiarum, et filii in conservatoriis communicato consilio cum eleemosynario. Ursaya *Discept. Eccl. XII*, tom. IV, part. 1, num. 32.

[68] Advocatus Dominicus Ursaya in hujusmodi causa a S. C. Concilii dispensationem in favorem oratorum imploravit; et rationes, quibus eos patrocinatus est, habemus. *Discept. Eccl. XIII*, tom. 4, part. 1, *per tot.*

[69] Vicario generali Urbevetano commisit S. C., ut explorata voluntate, ea qua pollet sedulitate, S. C. certioret de assensu, vel dissensu in hujusmodi matrimonio contrahendo; *Regist. lit.*, lib. 25, die 24 *april.* 1717.

dus remotior sit attendendus ex Constitutione S. Pii V, Pont Max. [70]. Actum proinde fuit de matrimonii nullitate, et ad mentem [71] S. C. rescripsit: *Luceorien., Nullit. matrim., 7 sept.* 1720, *dub.* 1. Deinde validum judicavit, ut Episcopus mandet, quod conjuges continuent in separatione, donec litteras declaratorias obtinuissent: 28 *martii* 1722 [72].

22. Didacus Foglierus Aloysiam de Vera in matrimonium duxit prævia dispensatione Apostolica super secundo, et quarto consanguinitatis gradu. Expositum fuit tamen Summo Pontifici Aloysiam esse indotatam, nec actionem ullam pro dote consequenda habere, quodque Didacus eam intendebat ex integro dotare, utrumque falsum inito matrimonio compertum est. Consulta S. C. pro validitate rescripsit: *Neapolitana, Matrimonii, 4 julii* 1722.

23. Dispensationem assequuta est super tertio, et quarto a communi stipite propinquitatis gradu Rosa Benini, quæ ut alium virum suæ conditionis invenire posset, dotem haud habebat. Nupsit proinde Josepho del Guasta. Dissidiis vero inter conjuges factis, actum est de nullitate, quia dispensatio ex falsa causa fuerat concessa. Episcopus de veritate causæ prædictæ testimonium perhibet, et S. C. quæsita non esse nullum dictum connubium constituit: *Praten., Matrimonii, 4 julii* 1722.

24. Jacobus Garza laicus Cenetæ, et in civitate Venetiarum commorans, carnaliter cognovit Mariam Mioli, incussisque sibi vi metuque ab ejus fratre germano, matrimonium in faciem Ecclesiæ cum eadem contraxit. Mortua Maria quæstionem excitavit de ejusdem matrimonii nullitate ob vim metumque contracti, et nondum absoluta controversia, carnaliter cognovit Paulinam, sororem Mariæ prædictæ, cum qua utpote innupta, ac diffamata, inire matrimonium exoptat; hinc pro dispensatione supplicat, cum absolutione a censuris, ac pœnis, in quas incurrit, et licet de miserabilibus oratoribus agatur, S. C. dispensationem inficiatur: *Cenetem.*, 24 *apr.* 1723.

25. Dispensationis breve super impedimento affinitatis ex copula illicita habita cum sponsæ matre obtinuit a sacr. Pœnitentiaria Amicus de Federico, ut Beatricem de Luce in matrimonio haberet. Verum quum impedimentum esset publicum, exequi non potuit. Aliud itaque per Datariæ organum expeditum fuit, quod pariter exequutioni demandari non valuit. Nam notitia habita fuit duorum aliorum impedimentorum criminis, et adulterii cum Beatrice patrati, cum promissione de matrimonio contrahendo, et propinati veneni Catharinæ suæ prædefunctæ uxori. Interim tamen Amicus et Beatrix coram parocho, et testibus, matrimonium inierunt, filiosque tres procrearunt. Confecto processu crimina haud probata sunt, et S. C. procedi posse ad exequutionem brevis Datariæ super impedimento affinitatis, obtenta dispensatione per secretarium a Sanctissimo super falsa imputatione aliorum impedimentorum: *Reatina, 13 julii* 1725, *dub.* 1.

26. Quæsitum est, an Summus Pontifex dispensare posset, ut Abraham hebræus permaneret in matrimonio in infidelitate contracto cum Blancha, quum ambo ad fidem catholicam conversi fuissent, et dictus Abraam antequam ad fidem converteretur aliam mulierem, nomine Riccam, habuerit, quæ facta fuit catholica? S. C. protendit responsionem, ut scribant Theologi, et Canonistæ, et perquirantur exempla [73], et ad mentem [74]: *Florentina, 27 julii* 1726, *dub.* 4. Archiepiscopus nihil obtinere valuit, ut Abraham ad Riccam rediret ad declinandam controversiæ resolutionem, hinc causa iterum producta, voluit S. C. ut scribatur juxta instructionem: 29 *martii* 1727.

27. Inde postulatum, an consilium præstandum esset Sanctissimo Domino nostro, pro concessione dictæ dispensationis? eadem responsio prodiit: *Ibid. dub.* 5.

[70] Vide not. 63.

[71] Mens fuit, ut perquireretur commentaria Datariæ, ut videretur, an subsisteret opinio de nullitate matrimonii sic contracti juxta praxim tam antiquam, quam modernam dicti tribunalis: *Ead. causa*, 28 *martii* 1722.

[72] In favorem mulieris hanc patrocinatus est causam advocatus Dominicus Usaya, ut patet ex sua *Discep. Eccl. XIX*, tom. 4, part. 2, per. tot.

[73] Primum secretarius rem validis rationibus illustravit suæ orationis, quæ extra in *Thesaur. Resolut. die* 17 *julii* 1726 in fin. Deinde Theologi, et Canonistæ scripserunt eorumque allegationes exhibentur *sub, die* 29 *martii* 1727, ex quibus colligitur, quod illi tum quoad dubium, an Ricca cogi possit ad cohabitandum cum Abraham ad fidem converso? tum quoad potestatem Summi Pontificis dispensandi in matrimonium in infidelitate contractum, et consummatum, et ejusdem potestatis usum, in varias abierunt sententias. Sed Benedictus XIV, Pont. Max., qui tum secretarii munere fungebatur in hac causa scribens quoad prædictum dubium, an possit Pontifex dispensare in matrimonio in infidelitate consummato, postquam conjuges ad fidem conversi sunt? concludit: « Non adsunt, quod sciam, exempla consimilis dispensationis, et quidquid sit de pontificia auctoritate, quam sartam, tectam in omnibus esse debere sentio; ejus exercitium absque dubio esset in casu periculosum. » *In eod Thesau.* 26 *julii* 1726, in fin.

[74] « Mens fuit, ut scriberetur Archiepiscopo Florentino, an possibile esset, ut citra præjudicium conversionis ad fidem catholicam Abraham separaretur a Blancha, et ad Riccam rediret, item an Ricca esset in statu virum ducendi, aut emittendi professionem religiosam in aliqua religione: *Ead. causa*, 29 *martii* 1727, § 2.

28. Joanni Baptistæ Stephano exoptanti in uxorem habere Claram Celebrini sese Episcopus opposuit, quia infamia inustus vir erat, ob cohabitationem ejus cum Claræ genitrice, cum qua copulam habuisse ferebatur. Ab hoc impedimento ita impacto dispensationem illi reportarunt, addita conditione, quatenus Episcopus super hoc crimine probationem legitimam non habuisset. Verum Episcopus exequutioni dispensationem hanc demandare renuit, eo quod nulla facta fuisset mentio decreti S. C., quo prohibebatur inter eos matrimonii celebratio; ob id, re in S. C. delata, dispensationem esse exequendam servata forma litterarum apostolicarum S. C. deliberavit: *Verulana, Matrimonii*, 2 *april.* 1729, *dub.* 2.

29. In matrimonium duxit Antonius Joannes Franciscam Dias, prævia pontificia dispensatione super impedimento primi gradus affinitatis jam ante contractæ ob illicitam consuetudinem cum sorore Franciscæ habita. In litteris apostolicis onus adjectum de more fuit: *Injuncto eisdem oratoribus sub gravissimis pœnis, ne in civitate, oppido, seu loco, in qua seu quo prædictæ oratricis sororem pro tempore commorari contingerit, habitent, et si mandato hujusmodi non paruerint, præsentes litteræ eis quoad forum conscientiæ nullatenus suffragentur.* Post matrimonium in eodem loco pluribus annis conjuges domicilium habuerunt; hinc curia episcopalis matrimonium invalidum judicavit, et pœnas illis inflixit. Sed in S. C. re agitata, validitas matrimonii fuit declarata: *Conenbricen., Matrimonii*, 3 *april.* 1734, *dub.* 1.

30. Joseph Antonius Facini, dimissis ex licentia magni prioris Ordinis militaris S. Georgii Parmæ clericali habitu, et cruce dicti Ordinis facultatem postulavit matrimonium celebrandi cum Alba Maria Nunciati. Noluit Episcopus ejusdem petitioni annuere, putans nimirum obicem præstare posse matrimonio ineundo prædictum juramentum, seu castitatis votum sub formula Ordinis ab illo elicitum, nisi hæc super re fuerit Apostolica dispensatio impetrata. Hæc proinde postulatur, sed non indigere eadem S. C. arbitrata est: *Parmen., Matrimonii*, 3 *sept.* 1740, *dub.* 1.

31. Dominicus Antonius Menicacci in proprium filium adoptavit Valentinum ex archi-hospitali S. Spiritu in Saxia urbis susceptum. Eo defuncto idem Angelam Bassanelli, Valentini uxorem, ducere in matrimonium cupit. Id ut filiis ab illo relictis, et Angelæ etiam, quæ ejus assidua conversatione suum nomen maculavit, consuleret, dispensationem petivit, et assequutus eam est: *Hortana, Dispensat.*, 25 *sept.* 1734, *dub.* 2.

32. Thomas Andreotti, et Catharina Cerri dispensationem a duplici impedimento consanguinitatis, et spiritualis cognationis obtinuerunt, ut matrimonium contrahere possent, additis in apostolicis litteris sequentibus formulis, *de præmissis diligenter te informes, et si preces veritate niti reperies.* Vicarius generalis examinatis testibus, ac narratorum veritate comperta pro dispensatione decretum definitivum tulit. Promotor fiscalis extrajudicialibus depositionibus suffultus veritatem de expositis impugnavit. Verum quum testes præfati, et pluribus exceptionibus, obnoxii, et nec contrarii essent iis, quæ in litteris dispensationis enunciata fuerant, S. C. litteras apostolicas esse exequendas censuit: *Lucana, Matrimonii*, 22 *junii* 1748.

33. A Georgio Caroscia sponsalia facta fuere cum Carmelia Coticoni, sed vir post triduum spe pinguioris dotis alia pariter contraxit sponsalia cum Anna Felice Scipio. Mutato demum concilio ad fidem Carmeliæ datam rediit, cum qua etiam matrimonium coram parocho celebravit. Seorsim tamen habitarunt, donec a curia episcopali facta ipsis fuisset venia, cujus vi matrimonium unica tantum prævia denunciatione permissum fuisset; at Anna Felix ob sponsalia cum ipsa inita se opposuit, atque interim compertum fuit conjuges præfatos in tertio consanguinitatis gradu conjunctos esse. Conjuges ignorantiam impedimenti asseruerunt. Episcopus idipsum confirmavit. Quum igitur ambo dispensationem postulassent, preces exauditæ fuerunt: *Bojanen., Dispensat. et spons.*, 16 *januar.* 1751, *dub.* 1.

34. Joseph Ximenes uxorem habens, alteram conjugem dixit, cujus nomen Maria Seralta, quæ cognita fraude nullum, initumque matrimonium declaravit. Decepta, vitiataque mulier se præbuit Francisco Moreno, qui cum Josepho Ximenes secundo, et tertio consanguinitatis gradibus conjunctus est, Franciscus et Maria sese copulare cupientes interrogant, num absque Apostolica dispensatione invicem matrimonium contrahere possint? non posse S. C. putavit: *Valentina, Dispensat.*, 16 *apr.* 1752.

35. Catharina Claies post obitum Arnoldi Cœmans, viri sui, compressa fuit a Joanne Arnoldi, germano fratre, ac inde filiam enixa. Ad hanc turpitudinis notam delendam, ac ad prolem legitimandam dispensationem ambo postularunt super impedimento publicæ honestatis, ex quo jurejurando asserebat mulier matrimonium nunquam consummatum fuisse ob viri imbecillitatem. Hinc S. C. rescripsit, ut instent post obtentam sententiam ab Ordinario super matrimonio rato, et non consummato. Sententiam retulerunt oratores, qua judices censuerunt eis credi posse; iterum igitur efflagitant dispensationem. Periculum erat ne oratores in proximo loco secederent. S. C. vero non esse consulendum Sanctissimum pro gratia rescripsit: *Leodien., Dispensat.*, 10 *maii* 1755.

36. Postquam cum Floridauro Albertino in matrimonium Rosa Liberatore collocata fuerat simul ac reversa domum est, in febrim incidit, ut vir eam cognoscere non potuit. Morbo gravescente eadem decessit Floridaurus sponsalia cum Dorothea sororis defunctæ Rosæ iniit, et ob suspicionem vulgi de aliqua consuetudine cum illa non immune a culpa, dispensationem ab impedimento publicæ honestatis postulavit, sed inutiliter : *Pennen., Dispens.*, 29 *maii* 1756.

37. Vigore dispensationis Apostolicæ matrimonio copulati sunt die 16 januar. 1758 Margarita Colleli et Joannes Espinet in secundo, et tertio consanguinitatis gradu invicem conjuncti. Hujus matrimonii nullitatem proposuit pater sponsæ, allegata dispensationis obreptione, et raptu præcedenti ejusdem Margaritæ, quum in litteris apostolicis adesset expressa clausula, *dummodo illa propter hoc rapta non fuerit*. Verum nec raptum probatum fuit, nec obreptionis vitium satis fuit ad inducendum S. C. pro declaratione nullitatis matrimonii ; adeoque validitas ejusdem decreta est : *Gerunden., seu Vicen., Nullit. matrimonii*, 2 *aug.* 1760, *dub.* 1.

38. Joannes Henricus Hirsch post Barbaræ Josephæ Dutz, suæ uxoris, obitum rem habuit cum Anna Maria, Barbaræ sorore, quæ utero gravis effecta est ; cupiens vero legitimis nuptiis damnum illatum reparare super publicæ honestatis impedimento, quod ex connubio inito cum Barbara ortum existimabat, ex quo nunquam cum ipsa matrimonium consummavit adversæ valetudinis causa, prout jurejurando illa affirmabat. Excluso proinde affinitatis impedimento, sobolis legitimitas, redintegratio famæ mulieris in causam deductæ fuerunt, sed non valuerunt, ut dispensationem petitam assequeretur : *Leodien., Dispensat.*, 22 *maii* 1762.

39. Petrus Darrot, jam defuncta Joanna Lenormand, uxore sua, nuptias conciliare exoptaverat cum Clara, ejus sorore. Nunquam matrimonium consummasse cum Joanna jurejurando asseruit, ex quo ipsa carcinomate seu phtisi laborabat, ita ut quamvis prima nocte initi conjugii consummationem tentaverit, claustrumque mulieris penetraverit, nihilominus fœdi tumoris contactu, in ejus pectore, et vehementi illius thussi commotus, recessit absque sexus commixtione. Dispensationem itaque ab impedimento justitiæ publicæ honestatis postulavit, sed frustra ; Claramque compressit, quæ utero gravis effecta, abortionem passa fuit ; hinc iterum preces iteravit, in medium proferens copulam sequutam, populi offensiones inde orituras, periculum animæ, et corporis oratorum, votumque Episcopi favorabile, et S. C. inspectis peculiaribus circumstantiis consulendum esse Sanctissimum pro dispensatione super impedimento publicæ honestatis, et etiam affinitatis : *Gadicen., Dispens.*, 12 *junii* 1762, confirmata 25 *sept. ejusd. anni*.

40. Jacob Gerspachen vigore Apostolicæ dispensationis connubio cum Maria Wecherin in secundo gradu consanguinea inito, brevi fato cessit. Maria Joannis Michaelis, defuncti viri fratris, in conturbernio, et familiaritate ita perseveravit, ut prolem susceperit. Ad removendum, et futuram infamiam, et sceleris pœnas, et prolis illegitimitatem, ac propriæ conscientiæ consulendum nunc ambo supplicant, ut dispensationis tam secundi gradus consanguinitatis, quam publicæ honestatis ortæ ex primo conjugio Mariæ, quod ratum tantum, et non consummatum affirmant, gratia concedatur ; et S. C. minime eos auscultavit : *Constantien., Dispensat*, 23 *april.* 1768.

41. Connubia conjuncta inter Mariam Annam Charrier, et Joannem Petrum Laussac, ob viri pthisim consummari non potuerunt. Viro morte functo pravam consuetudinem habuit Maria Anna cum Carolo, viri defuncti germano fratre ; ita ut gemini criminis orti sunt filii. Ad evitandas populi offensiones dispensationem ab impedimento publicæ honestatis postularunt ambo. Ex mulieris jurata declaratione, ex octo testium depositione, ex impotentia defuncti ratione morbi pthisis consummationem oratores excludere conati sunt. Populi offensiones, illegitimitas prolis, periculum fugæ utriusque oratoris dispensationem concedendam suadebat. At S. C. denegandam esse censuit : *Vicien., Dispens.*, 29 *julii* 1769.

42. Josephus Joannes Serio lethali vulnere accepto proximus morti matrimonium iniit cum Anna Catharina del Pomo, cum qua jam sponsalia contraxerat, ac familiariter se gesserat. Paulo post obiit Josephus Sabinus ejus germanus frater, quem pravam consuetudinem cum Anna Catharina, habuisse fama nunciabat, dispensationem ab impedimento publicæ honestatis petivit, ut dedecori ejusdem Annæ consuleret. Graves enim inimicitiæ cum Annæ consanguineis metuebantur, qui mortem eidem Sabino minati sunt, nisi matrimonium contraheretur ; et ob id profugus ille patrios lares reliquit. Populi offensiones, ac perpetua ejusdem infamia, ac juramentum viri super non consummatione allegabantur. Attamen S. C. haud dispensationem concessit : *Acheruntina, Dispensat.*, 16 *junii* 1770, confirmata 8 *junii* 1771.

43. In matrimonium cum Vincentio Maria de Luazez, et Somosa Raphaela de Presno, et Parga collocata, separatim uterque apud suos consanguineos moratus est. Tantum vero tribus vicibus sub eodem tecto uxoris mansit Vincentius, in lecto tamen, et cubiculo dissito habitavit. Vincentio morte functo, inter utramque familiam dissidia quam

maxima, et inimicitiæ orituræ prævidebantur, ex quo familia Luazez conspicuos sumptus repetere conabatur. Attamen omnia componere optat Emmanuel, germanus frater Vincentii vinculo matrimonii, efflagitat proinde dispensationem ab impedimento primi gradus publicæ honestatis. Affinitas quippe contracta fuerat ex defectu consummationis. At instantia negativo responso rejecta fuit : *Mindonen.*, *Dispensat.*, 31 *aug.* 1771.

44. Antonius Adorante, dum mors illi imminebat, celebravit matrimonium cum Francisca Xaveria Pulli. Biduo post discessit. Ex familiaritate Paschalis Adorante defuncti Antonii germani fratris, quum diffamatio nota esset, putavit Paschalis illam in matrimonium ducere. Verum obstante impedimento primi gradus publicæ honestatis, et justitiæ ex matrimonio uti asseritur, rato, et non consummato, petiit præsens in urbe Paschalis dispensationem ; sed non obtinuit : *Uritana*, *Dispensat.*, 7 *junii* 1777.

45. Matrimonium contractum inter Camillam Scassala, et Petrum Ramoin consummatum non fuisse ostendere mulier nitebatur, ut dispensationem obtineret super publicæ honestatis primi gradus impedimento, ad effectum nubendi Francisco Ramoin ejus leviro, a quo compressa fuerat, vivente viro, et prolem inde enixa. Franciscus fassus est se deflorasse Camillam. Consummatio matrimonii excludebatur, ex quo Petrus phtisis morbo laborabat, at illum ad matrimonium inhabilem haud putarunt. Episcopus idem de consummatione dubitavit, ita ut concilium etiam præberet pro dispensatione concedenda super affinitatis gradu, quatenus super alio impedimento concedi vellet. S. C. vero dispensationem non esse indulgendam censuit : *Nicien.*, *Dispensat.*, 17 *junii* 1778, *dub.* 2.

46. Litteræ Apostolicæ expeditæ fuerunt super dispensatione ab impedimento tertii consanguinitatis gradus, ut Dominicus Pasqui, civitatis Castelli, et Rosa Dragoni in dicta diœcesi commorans matrimonium inire possent, eæque erronee directæ fuerunt vicario generali civitatis Castellanæ. Hinc veritatis, quæ in litteris continebatur, vicario generali civitatis Castelli probationem commisit. Dum hæc agebantur, matrimonium contractum est coram mulieris parocho invito, reluctante, atque aufugiente. Ambiguum itaque fuit, de matrimonii validitate, et an exequi deberent litteræ apostolicæ dispensationis? et S. C. negativum in omnibus dedit responsum, addendo ad mentem : *Civitatis Castelli*, *Nullit. matrimonii*, 18 *julii* 1778.

47. Sex elapsis mensibus a contracto matrimonio inter Margaritam Gisbertam de Breidenbach, et Petrum Benedictum Joseph de Baring periit vir, ac vidua cum Philippo Ignatio viri prædefuncti germano fratre familiaritatem ita contraxit, ut habere illam in matrimonio vir statuit. Postularunt ambo dispensationem ab impedimento justitiæ publicæ honestatis, ex quo præcedens matrimonium consummatum non fuit. Jussu S. C. confectus fuit processus super defectu consummationis, patuitque imperfecte tantum consummatum fuisse. Inde vero dispensationem petitam concedere non credidit : *Colonien.*, *Dispensationis*, 5 *junii* 1779.

48 Matrimonium per proccuratorem contraxit Franciscus de Paulla Cardozo cum Anna Elisabeth de Mello. Paucis mensibus in materna domo supervixit sponsa, ac eam semel adiit sponsus, ut de modo, ac tempore migrandi in suam domum conveniret, iterumque ut gravi morbo laborantem inviseret. Post illius obitum adamare cœpit sororem germanam ipsius Mariam Ritam, cum qua conversatus ita est, ut copulæ suspicio percrebuerit. Ut infamatam duceret uxorem puellam, dispensationem postulat super primo publicæ honestatis gradu, ac peractus est processus ; hac de causa S. C. decernit constare de matrimonio rato, et non consummato cum Anna Elisabeth, ita ut esse locum dispensationi in primo publicæ honestatis gradu : *Visen.*, *Dispensat.*, 24 *novem.* 1787.

49. Joannes Joseph Tasset, qui secundum baptismalem codicem naturalis est filius Mariæ Tasset, et Petri Brune, dispensationem postulat ducendi in matrimonium Deodatam Brune legitimam ejusdem Petri filiam, cum qua binos genuit filios. Hujusmodi dispensationis nullum extat exemplum, hinc S. C. non esse locum dispensationi super primo consanguinitatis gradu in linea laterali putavit : *Leodien.*, *Dispensat. matrimon.*, 14 *decem.* 1793.

50. Defuncta Maria Theresia Lixson-Noppius, vir ejus Dionysius Collard privignam Agnetem Noppius in matrimonium habere cupivit, quam in primis nuptiis ex Joan. Baptista Noppius obita uxore susceperat, eamque carnaliter etiam noverat. Re inde palam facta sollicitus fuit parochus Dionysii de dispensatione super impedimento primi gradus affinitatis lineæ rectæ. Docens Episcopus de reali, ac absoluta recurrendi ad Sedem Sanctam impotentia tempore matrimonii, ac de bona oratorum fide. Sed S. C. non esse concedendam dictam dispensationem respondit : *Leodien.*, *Matrimonii*, 28 *maii* 1796, *dub.* 2.

§ XI

Dispensatio matrimonialis in radice a connubio putativo [75].

1. Exposuit Guillelmus Joroslaus Graisfenses de

[75] Bened. XIV in decreto edito super causa matrimoniali 27 sept. 1755 relato in Const. ejusd. Pont. *Etsi matri-*

Pilsemburg baro loci Tman se ante annos 40, circiter matrimonium contraxisse coram sacerdote extraneo non tamen dolo et fraude, sed quia contrahentis territorium proprium parochum non habebat; et ex hoc putativo matrimonio tres suscepit filios. Hinc ne filii prædicti nobiles æstimati, ignobiles fiant, ac paternam hæreditatem amittant dispensationem in radice matrimonii implorat; et S. C.: Dilata, et coadjuventur probationes juxta instructionem [76] rescripsit: *Pragen., Matrimonii* 13 *julii* 1720. Inde fuit petita dispensatio denegata: 16 *januar.* 1723. Obiit Guillelmus, sed paucis ante obitum horis uterum de matrimonio bona fide contracto testatus est coram parocho, et testibus. Dispensatio etiam post mortem unius ex conjugibus efflagitatur, et S. C. recedens a decisis dispensationem in radice matrimonii impertita est: 18 *sept. ejusd. anni.*

2. Abhinc trigenta annos Joannes Carnero de Azevendo sceleris societate conjunctus erat cum Clara Theresia de Almeyda in quarto gradu consanguinea, et tres habuit filios. A collegio archivi duo legitimati fuerunt, absque præjudicio tamen venientium ab intestato, vel fidei commisso. Gravi inde correptus morbo Joannes matrimonii dignitate se conjungere cupiens, dispensationem quæsivit, quam obtinere nequivit. Nihilominus parocho sacramentum Extremæ Unctionis ministrante, matrimonium celebratum fuit; ac filiis naturalibus sibi in testamento hæredibus scriptis decessit. Ut igitur successionis jure fruerentur filii, dispensationem in radice matrimonii precati sunt, sed incassum: *Bracaren., Dispens. matrim.*. 20 *martii* 1747.

§ XII.

Dispensatio a matrimonio rato, et non consummato.

1. Matrimonium contraxit Michael Speth cum Maria Schnendeim, et ex parte viri perfecto, ac integro consensu, et ex parte altera vero sponsæ minus voluntario, et metu reverentiali parentis secundum quid saltem extorto. Matrimonium consummarunt præfati, imo Maria de crimine veneficii convicta, virgis cæsa, et velut infamis in exilium per aliquot annos proscripta fuit. Rogat ipsa ut dispensetur, et S. C. non esse concedendam dispensationem, sed oratorem uti posse jure suo coram Ordinario decrevit: *Argentinen., Matrimonii*, 10 *novem.* 1674.

2. Ut primum demandata fuerat triennalis cohabitatio, gravissimis inter conjuges Eleonoram, et Alexandrum Sensinum subortis dissidiis, utriusque concessu propositum fuit dubium; an petita dispensatio super dissolutione matrimonii sit concedenda; ita ut unusquisque ex conjugibus remaneat in statu libero ad contrahendum? ac rescriptum prodiit negativum: *Romana, Dissolut. matrim.*, 28 *martii* 1699 [77].

3. In matrimonium ducta Maria Josepha Babon a Joanne Antonio de Olaya post cohabitationem plurium mensium, ac judiciali recognitione utriusque, inventum fuit in viro aliquod vitium intrinsecum, et morbosum, ex quo oriebatur impotentia respectiva ad virgines. Petiit mulier dispensationem a matrimonio rato, S. C. tamen eam denegavit: *Cadicen., Dispensat.*, 3 *maii* 1704.

4. Declarata a curia episcopali nullitate matrimonii contracti inter Mariam Franciscam Gintherin, et Lazarum Victorem Weyssenfeger ex capite impotentiæ viri; mulier ad alias nuptias convolavit. Idem Lazarus carnis illecebris vexatus rogat dispensationem ad cautelam super asserto matrimonio rato, et non consummato, cum dicta Maria, et S. C. nulla exposita decisione, pro meliori informatione, et ut transmittantur acta nullitatis matrimonii, et proponatur citata muliere, respondit: *Constantien., Dispensat.*, 8 *julii* 1713.

5. Maria Eva Milgrabin annis 22, orta ex parentibus lutheranis, abjurata hæresi, nupsit cum Joanne Gasparo Keyser homine militaris genii, et ebrietati, ac crapulis dedito necnon moribus pravis corrupto, quem sponsa prima nocte duabus horis transactis cum illo reliquit, et ad parentes confugit, necdum cum eodem matrimonium consummavit, quod ambo juramento firmant. Quum in puella subversionis periculum ob parentes hæreticos timetur,

monialis, 30 sept. ejusd. anni. (*Bull. ejusd.* tom. 4, pag. 150) § 7, ait: « Porro gratia concessa importat dispensationem in radice matrimonii, quæ a Romanis Pontificibus concedi consuevit, urgente magna causa, et quando agitur de impedimento matrimonii, ortum habente, non a jure divino, aut naturali, sed a jure ecclesiastico, et per eam non fit, ut matrimonium nulliter contractum sit, sed effectus de medio tolluntur, qui ob hujusmodi matrimonii nullitatem, ante indultum dispensationem, atque etiam in ipso matrimonii contrahendi actu producti fuerunt. »

[76] In instructione postulabatur, ut testes deponentes, quod filii semper habiti fuerint pro legitimis, et alter ex eis matrimonium contraxerit cum nobili muliere, formaliter examinentur, ut vel per testes formaliter examinandos, vel per alia legitima documenta coadjuvarentur probationes de matrimonio contracto coram sacerdote, quodque demum Guillelmus, et Ludmilla se tanquam veros conjuges tractaverint, et uti tales habiti fuerint: tom. 2, pag. 357, *Thesaur. Resolut.*

[77] Etsi in favorem ejusdem mulieris advocatus Dominicus Ursaya strenue sua jura dixit, quæ edidit: Discep. 3, tom. 2, part. 1, *per tot.*

ac persuadere ea non potest ad cohabitandum cum viro, qui alteri mulieri clandestine se dedit, prolesque suscepit ; hinc supplicatur pro dispensatione, S. C. primum distulit decretum, ut coadjuventur probationes: *Eystetten.*, *Dispensat.*, 5 *sept.* 1716. Deinde iterum coadjuvari probationes juxta instructionem [78] mandat : 27 *febr.* 1717. Denique negativum præbuit responsum : 15 *maii ejusd. anni*.

6. Nullitatem matrimonii contendentibus Josepho Felice Dopste, et Maria Clara Rorboschin conjugibus, ex quo Mariæ Claræ vis, metusque illatus fuerit, postularunt etiam dispensationem super matrimonio rato, et non consummato, quatenus de nullitate non constaret. Eorum instantia super nullitate prædicti rejecta fuit, quoad consummationem vero patuit in eodem thalamo cubasse, ambo tamen non consummasse matrimonium testati sunt. Exponitur, ut gratiam assequantur, ætatis inæqualitas, ac odium capitale uxoris in virum. Verum S. C. dispensationem inficiata est : *Frisengen.*, 7 *maii* 1718.

7. Anna Maria Pallavicina matrimonium contraxit cum Joanne Jacobo Imperiali, cum quo spatio triginta trium mensium cohabitavit. Inde vero se recepit in domum avunculi sui et nullitatem connubii ex capite impotentiæ viri judicialiter exposuit. Ast mutato concilio dispensationem viro contradicente imploravit. Vir extrajudicialiter suam impotentiam fassus fuerat, idem periti retulerunt. In dispensationis causas deducebantur, odia, et dissidia, necessitas Annæ perpetuam virginitatem servandi. S. C. proinde dispensationem impertivit : *Januen.*, *Dispensat.*, 20 *maii* 1719. Causa inde iterum producta, dictum est, ut examinatur uterque conjux cum interrogatoriis, et juramento, examinato prius Joanne Jacobo super circumstantiis expressis ante secundum juramentum, et exprimatur in dicto examine nomen peritorum, quos prima vice consuluit, qui etiam formaliter examinentur, et examinentur testes deponentes de confessionibus extrajudicialibus Joannis Jacobi, et examinentur etiam Petrus Gentili, et Carolus Spinula, et committatur examen Card. Archiepiscopo juxta instructionem præfixo termino trium mensium : 9 *sept. ejusd. anni*. Tandem standum esse in decisis sub die prædicta 20 maii decidit: 27 *januar.* 1720.

8. Joannes Wolfangus Baur advocatus amicorum suasu in matrimonium habuit Annam Mariam Felicitatem quæ post mutuam cohabitationem nullitatem matrimonii proposuit ob impotentiam viri, Judex ulteriorem cohabitationem præscripsit. Ad hanc accommodari non potuit Anna Maria parata potius quæcumque mala ferre, quam ad inertem virum redire. Vir in quadam sessione consistoriali suam impotentiam fassus esse visum fuit, cupiens vero ad sacros ordines ascendere obtinuit, ut Anna Maria votum simplex castitatis in seculo emitteret, quo expleto, vir sacris initiatus est, ac de canonicatu provisus. Mulier vero quum stimulis carnis agitaretur, absolutionem a juramento, seu voto castitatis, dispensationem super matrimonio rato, et non consummato poposcit. Favet Episcopus, et : Dilata, et ad mentem rescripsit: *Eystetten*, 19 *aug.* 1724, *dub.* 2.

9. Postquam in civitate Ulyssiponis Isabella Britti matrimonium cum Paschali Christino absente, et in loco S. Angeli in Vado commorante per procuratorem ab eo constitutum inierit. Italiam petiit una cum fratre viri. Occasione navigationis, quum dux cujusdam anglicæ triremis esset Riccardus quidam Anglus, hic amore Isabellæ correptus est. Post multas tempestates navis ad portum Liburni devenit, ubi dux comitibus relictis Isabellam secum duxit, et Gibilterræ sibi desponsasse anglicano ritu dicitur. Vir Christinus frustra in patriam expectavit uxorem, et frustra egit, ut illam inveniret, ob id dispensationem postulat, et assequutus est eamdem in forma commissaria Archiepiscopo Pisarum juxta instructionem [79] : *Ubanien.*, 12 *jan.* 1726.

10. Matrimonio inito inter Annam Mariam Morillo, et Lucianum Genovese Gaspar, puellæ pater contradixit, opposuitque præcedentem inhibitionem per Ordinarium Agrigentinum parocho factam, ne matrimonio assisteret. De nullitate igitur actum est in S. C., in qua etiam disputatum fuit, an locus esset illius dissolutioni per viam gratiosæ dispensationis, et rescriptum fuit non esse locum : *Agrigentina*, *Matrimonium*, 15 *martii* 1727, *dub.* 2.

11. Retulit Episcopus Chiensis, quod contracto matrimonio juxta sac. Conc. Trident. inter Josephum Odiber, et Angelicam Molin, vir nunquam cum uxore habitaverat, ac inde discesserat, et aliud matrimonium cum Gætanula Aliprandi in urbe Teni

[78] « Quare Ordinario datæ fuerunt litteræ ut juramentum alias a conjugibus oblatum super non consummatione matrimonii, quatenus præstare vellent solemniter reciperet, et S. C. distincte instrueret quanto tempore, quibus sociis, et an sola, et remotis arbitris, uxor cum viro permanserit : » *Ead. caus.* 15 *maii* 1717.

[79] Ut assignato mulieri Isabellæ Britti prævia affixione ad valvas, competenti termino ad comparendum, et sua jura deducenda, dictoque termino elapso, et muliere prædicta, neque per se, neque per procuratorem minime comparente, ac verificatis coram eodem Archiepiscopo verificandis, ac præsertim, quod Paschalis Christinus maritus nunquam ad civitatem Liburni accesserit, quodque prædicta Isabella uxor nunquam accesserit ad locum S. Angeli in Vado, ita ut nunquam cohabitaverint, super enunciato matrimonio dispenset: *Lib. Decret.* 76, *fol.* 6.

iniit, rediit vero ad civitatem Chiensem, et novum matrimonium fassus est, asseruitque se deceptum in primo matrimonio, in quo nullum præstitit unquam consensum. Idque coram parocho, et testibus fide dignis, expressit. Petiit itaque Episcopus, an stante deficientia interni consensus nullum reputari posset primum matrimonium, vel quatenus validum, an concedenda foret dispensatio? et S. C. respondit ad secretarium cum Sanctissimo juxta mentem [80]: *Chien.*, 12 *martii* 1729.

12. Acta in S. C. causa est super dissolutione matrimonii inter comitem Gasparem Casatum, et comitissam Eleonoram Busca initi, posteaquam spatio unius anni simul cohabitaverant; ac pluries proposita, præscriptaque nova corporis viri recognitio fuit; quum ex ipsius impotentia matrimonium consummatum non fuisse Eleonora prætenderet. Periti ex officio deputati de illius impotentia retulerunt, quamvis comitis confidentes non convenirent. Eleonora petivit dispensationem, et S. C. responsionem protendit, et scribi Card. Archiepiscopo juxta instructionem [81] jussit: *Mediolanen.*, *Dissolut. matrim.*, 21 *april.* 1731. Inde indecisis, et ut Card. Archiepiscopus cogat juris remediis respondit: 12 *januar.* 1732. Ac iterum cunctata est responsum, et scribi Card. Archiepiscopo juxta instructionem [82] mandavit; 8. *martii ejusd. anni.* Denique dispensatio concessa est salvis tamen juribus comitissæ quod restitutionem dotis, aliorumque ejus creditorum, et expensarum litis prout de jure: 24 *martii ejusd. anni, dub.* 2.

13. Per decennium simul cohabitarunt conjuges comitissa Maria Joanna de Ulassim, et comes Joannes Joseph de Kaunitz. Inde consenserunt in thori separatione, ac efflagitarunt dispensationem super matrimonio rato, quod nunquam consummatum fuisse asseruerunt. Distulit S. C. responsionem addendo ad mentem [83]: *Pragen, Matrimonii.* 7 *julii* 1731. Inde nec metu reverentiali erga parentes probato, nec consummatione exclusa, nec alia causa deducta præter dissidia, et aversionem inter conjuges postulatio fuit rejecta: 26 *januar.* 1732. Demum accessit septima propinquorum manus uxoris super non consummatione, minime autem viri, utriusque conjugis juramentum, nihilominus S. C. prestitit in decisis: 27 *febr.* 1734.

14. Joannes Petrus Douren, ut negotia serenissimi Electoris Palatini gereret petiit civitatem Crucenacensem, ibique aqud Annam Catharinam Cumens diversatus, ex ea prolem illegitimam suscepit, quæ paulo post obiit. Victus precibus Annæ, quæ Calvini profitebatur errores, eam solemniter, ac ritu catholico in matrimonium dixit, sed nuptiæ non diuturnæ fuerunt, quia vir ab ea divertit, conjungere alia connubia cupiens propriæ ingenuitatis digna dispensationem implorat. Adducit proinde odium inter eos, hæresim calvinistæ Annæ, famam inhonestatis illius, generisque disparitatem. Ast S. C. non esse locum pro dispensatione dixit· *Wormatien, Matrimonii*, 13 *junii* 1733, confirmat. 23 *januar.* 1734.

15. Franciscus Henricus Jauch, centurio legionis Helveticæ, in matrimonio rite habuit Franciscam Collodiam Panormi, inde officii militaris causa absens, uxori suæ alimenta præstitit etiam accedente patris obligatione. Nunquam matrimonium consummasse passim jactatum erat, quamquam probationes non proferentur. Ob familiæ disparitatem, ob consanguineorum dissidia, timoremque paternam hæreditatem amittendi, postulavit ille dispen-

[80] Episcopo, ut prævio judiciali processu per ipsum formaliter, et servatis servandis conficiendo, postquam ex eodem sibi constiterit de libero consensu utriusque conjugis super dissolutione matrimonii, et de illius non consummatione prævio juramento tam a viro, quam a mulicre præstando, et verificato cum authenticis probationibus, quod præfati conjuges post contractum matrimonium insimul nunquam cohabitaverint, neque conversati sint, quodque dictus Odiber a civitate Chien discesserit, et ad Insulam Tinen se contulerit, ibique aliud matrimonium cum Gætanula Aliprandi contraxerit, et consummaverit, tunc imposita eidem Josepho Odiber gravi pœnitentia supradictum matrimonium ratum, et non consummatum pro suo arbitrio dispenset: *Lib. Decret.* 79, *fol.* 102.

[81] Instructio in eo versabatur, ut Card. Archiepiscopus eligere arbitrio suo medicos, chirurgos extra Mediolanensem ditionem commorantes, qui diligenter recognoscerent, ac explorarent, num comes Casatus naturali polleret facultate consummandi matrimonium, adhibitis quoque iis, quæ medicæ artis instituta ad hujusmodi explorationem præscribunt, deinde vero medio juramento judicium suum aperirent: tom. 5, p. 191, § *Itaque. Thesaur. Resolut.*

[82] In instructione exquisita fuit sententia Card. Archiepiscopi circa causas a comite expositas pro dispensatione obtinenda, eique significatum fuit, quod admitteret comitem, si vellet, ad præstandum juramentum de nunquam consummato matrimonio, addita etiam septima propinquorum manu ad normam canonicarum sanctionum: tom. 5, pag. 269, §. *Mediol.*, *Thesaur*, *Resol.*

[83] Mens fuit, ut causas justas, et idoneas exquireret, antequam lis discuteretur, qua propter injunctum fuit Episcopo, ut daret operam ad investigandum an Cæsarea aula partes alicujus ex memoratis conjugibus tueatur, eique favorem adhibeat, præterea num vel Episcopi, vel aliorum interpositis officiis sperari possit redintegratio mutæ concordiæ inter eosdem conjuges, deinde an si dispensatio non concederetur, ullum, aut privatum, aut publicum inconveniens pertimescendum foret, ut potissimum, quoque, an matrimonio non dissoluto, protractaque deinceps thori separatione simultates, odia, dissidia adeo gravia suboritura sint inter dictorum conjugum familias, earumque cognatos, ut inde publica quies in propinquorum videatur reducta discrimen: *Regist. lit.* lib. 28, *die* 7 *julii* 1731.

sationem. Omnia nuntius apostolicus confirmavit. Attamen dispensationem petitam S. C. denegavit: *Tarraconen. seu Pisana, Matrimonii*, 14 *nov.* 1733.

16. Joseph Bosons, et Eulalia Gelambi communi consensu de dissolutione matrimonii inter ipsos initi preces adhibuerunt. Nam quum in muliere ante connubium adjecta fuisset conditio, quod Joseph seorsim ab Avia, et Matertera deinceps commoraretur, et hæc expleta non fuisset, ita ut graves inde inter præfatos conjuges inimicitiæ factæ fuere. S. C. vero dispensationem non admisit: *Barchinonen., Matrimonii*, 23 *april.* 1735, *dub.* 2.

17. Joannes Andreas ab Auria tunc comes Lodani inde princeps Melphii in matrimonium duxit Theresiam ab Auria filiam ducis Thursiæ, cum qua decem circiter annorum spatio cohabitavit. Verum Theresia dispensationem exoravit super matrimonio rato, et non consummato, ex quo metu reverentiali erga patrem matrimonium contraxerat, deindeque etiam viri impotentiam deduxit. S. C. vero nulla data decisione ut confici processum juxta instructionem per judicem subdelegandum a Card. præfecto præcipit, et ut fiat recognitio corporum mulieris Romæ, viri autem in loco designando ab eodem Card. juxta mentem [84] cum præfixione termini duorum mensium dicto viro ad se subjiciendum præfatæ recognitioni computandi a die faciendi decreti, et in reliquis ad eumdem Card. præfectum cum facultatibus necessariis, et opportunis: *Januen., Matrimonii* 19 *maii* 1738. Inde respondit ad mentem: [85]: 22 *aug.* 1739, *dub.* 2. Denique consulendum esse Sanctissimum pro dispensatione putavit: 14 *januar* 1741.

18. Sponsalia facta fuerunt inter Joannem Bartholomæi et Marcellinam de Aguero, et pactum adjectum, ut ambo matrimonio confecto continuo moram traherent in civitate Hispalensi. Joannes matritum cum hero suo perrexit, indeque mandatum procuræ dedit, ut in illa civitate connubium contraheretur, et ita factum fuit; interdicta tamen cohabitatione sub excommunicationis pœna, nisi prius coram parocho, et testibus, matrimonium ratum haberent. Traducta est judicis imperio matritum Marcellina; et matrimonium rati habere noluit ex non implemento adjecti pacti, ad monasterium ingredi voluit. Joannes cuicumque juri sibi competenti renunciavit; propterea Marcellina dispensationem super dicto matrimonio rato, et non consummato petivit, ut cum Emmanuele, a quo stuprum passa est, et sponsalia antea fecerat, matrimonium contraheret. At dispensationem esse denegandam S. C. censuit: *Hispalen., Dispensat.* 14 *martii* 1739, confirmata, 14 *decem.* 1743.

19. Marchio Jacobus Remidii Sarzanensis post copulatum matrimonium cum Francisca Giorgini Lucensi comperiit a senatu Lucensi vetitum fuisse Franciscæ, ne viro extero nuberet; ob id familia Remedii ab Albo nobilium Lucensium obliterata, et contra ipsum criminalis processus instructus est. Judicium itaque contra matrimonium instituit, irritum esse illud ostendit, quia ipse pluries protestatus est, se nolle Franciscam uxorem assumere, si a senatu Lucensi prohibitum foret. Mutato postmodum consilio dispensationem quæsivit. At, renuente Francisca, instantia rejecta est. Deinde etiam accedente mulieris consensu, S. C. stetit in decisis: *Lucana, seu Sarzanen., Dispen.*, 26 *sept.* 1739.

20. Anna Maria della Carrera e Saavedra Francisco Tinocos ejus amore capta, hora secunda noctis, omissis denunciationibus, prævia vicarii generalis licentia, nupsit in civitate Hispalensi inscio ejus patre, qui deinde eam in civitatem Loræ traduxit, absque eo quod conjuges unquam simul cohabitaverint. Ut patri morem gereret, dicta Anna in eadem civitate alias nuptias fecit cum Joachimo de Mancha, et cum ipso cohabitavit. Sed delata notitia ad curiam episcopalem detrusa fuit in monasterium. Inde petita fuit dispensatio a matrimonio rato, et non consummato. Nam probationes allatæ fuerunt de non consummatione, ac populi offensiones sunt pertimescendæ. S. C. vero consulendum esse Sanctissimum pro dispensatione ad effectum, de quo agitur, censuit: *Hispalen., Dispensat.*, 9 *sept.* 1741.

21. Joseph Perez de Guzman querelam nullitatis matrimonii a se uniti cum Anna Ponze de Leon instituit coram Ordinario ob defectum consensus sponsæ, quam dementem fuisse asseverat. Inde vero preces pro obtinenda dispensatione super ma-

[84] Mens fuit, id addendum in eo, quod attinet ad fidem juratam immediate faciendam a peritis electis post recognitum corpus ejusdem Joannis Andreæ, quod nimirum dicti periti statim facta recognitione, antequam alio devertant, nullaque interposita mora, neque ullo inter ipsos habito sermone, eorum quisque suum juratum facere debeat testimonium: *Regist. lit.* lib. 29, *die* 14 *julii* 1738.

[85] Mens fuit, ut pro majori instructione S. C. fiat nova recognitio corporis viri intra totum mensem novembris in civitate status ecclesiastici designanda a Card. præfecto per quatuor peritos secreto eligendos ex officio per Card. præfectum cum assistentia secretarii, et post exaratas peritias, receptumque examen eorumdem peritorum juxta formam servandam Placentiæ absque tamen denunciatione, et interventu defensorum partium. Processiculus inde confectus transmittatur ad S. C., et absque ulla communicatione facienda partibus causa denuo proponatur cum iisdem scripturis tantum ad effectum præmissorum ad Card. præfectum cum facultatibus necessariis; et opportunis: Tom. IX, pag. 98. *Thesaur. resol.*

trimonio rato, et non consummato obtulit. Obstetrices de virginitate Annæ retulerunt. Testes viginti de non consummatione deposuerunt, prout ipse Joseph pariter juravit. Cubicularia quædam testatur se vidisse conjuges jacentes simul coeuntes, et abortum passam fuisse Annam. S. C. non constare de matrimonio rato, et non consummato, ita ut non esset locum dispensationi, credidit: *Corduden.*, *Dispensat.*, 22 *novem.* 1760, *dub.* 1.

22. Paucos post menses a contracto matrimonio inter Antonium Casabianchi, et Catharinam Cipolli, ambo postularunt matrimonii dissolutionem ob perpetuum Catharinæ impedimentum, prout etiam periti retulerunt, edita igitur fuit sententia ab episcopali curia, quæ et confirmata fuit a curia metropolitana. Sed inde elapsis annis facultatem contrahendi matrimonium imploravit Catharina, potens viro effecta mediis illicitis. Antonius enim aliam mulierem in uxorem duxit. Hinc utrique cordi erat dispensationem a matrimonio rato, et non consummato assequi, sed haud voti compotes sunt facti: *Massanen.*, *Matrimonii*, 24 *januar.* 1778, *dub.* 2. Inde concessa fuit dispensatio: 30 *januar.* 1779, confirmata 17 *april ejusd. anni.*

23. Marchio Paulus Franciscus Spinula cum marchionissa Brignole nuptias celebravit, tribus annis, et fere duobus mensibus in cohabitatione consumptis, querelam nullitatis matrimonii Maria proposuit ob viri impotentiam in curia archiepiscopali Januensi. Vicarius generalis recognitionem corporum decrevit. Vir noluit experimento subjacere, et judex pronunciavit pro cohabitatione. Sed Maria ab hac sententia appellavit, supplicavitque pro dispensatione. S. C. quæsivit corporum inspectionem. Virginitas apparuit mulieris, et vir mandatis non obtemperavit, ac dissolutioni, seu dispensationi dissentiebat. Docta S. C. de dissidiis inter familias nobiles, mulieris juventute, ac conjugum abalienatione, dispensationem matrimonii rati, et non consummati indulsit: *Januen.*, *Matrimonii*, 6 *aug.* 1783, *dub.* 2, confirmat. 6 *sept. ejusd. anni.*

24. Denuo dictus marchio alias confessit nuptias cum marchionissa Maria Hieronyma Mari, sed per sexennium inutili pariter conatu cum ea certavit: qua de causa mulier ab eo divertit, et judicium de nullitate matrimonii instruxit, ac dispensationem postulavit. S. C. primum rescripsit: Dilata, et ad secretarium pro explendo examine viri, et præfixione termini unius mensis ad recognitionem corporis ejusdem, qua peracta, fiat nova recognitio corporis mulieris juxta instructionem dandam a secretario, cum omnibus facultatibus necessariis, et opportunis, etiam pro deputatione peritorum: *Ead. causa*, 20 *julii* 1793, *dub.* 2. Deinde rescriptum fuit *provisum in primo* [86]: 25 *januar.* 1794, confirmat. 15 *martii ejusd. anni.*

25. Matrimonio juncto inter Antonium Braccelli, et Angelam Mariam Rosam Badino, conjuges nunquam simul cohabitarunt, ut vir rei domesticæ consuleret. Hic autem paucos post dies, dum sumno quiescebat, putavit se quodam nemore reperiri, ubi canum morsibus dilaniatum mortem jam sibi imminere visus est. Exsurgens a sumno recordatus est se alii puellæ olim dixisse, nunquam velle in matrimonium collocari, assertionemque suam maledicto confirmasse. Inde aversionem in uxorem concepit, dispensationemque efflagitavit, muliere consentiente. Ast S. C. dispensationem nequaquam elargita est: *Januen.*, *Dispensat.*, 15 *januar.* 1785.

26. Eques Raphael Paliaccius inter Sardiniæ optimates præcipuus coram sacerdote parochum assistente matrimonium clandestinum confecit. Monitus tamen, quod prædicto sacerdoti facultas non esset assistendi matrimoniis clandestinis, consensum renovare coram parocho exoptarunt. Paulo post eques a militibus comprehensus in arcem traductus est. Certo non patuit, quod facultas assistendi matrimoniis clandestinis eidem vice-parocho sublata fuerit, quum ceteroquin aliis matrimoniis suam præsentiam præberet, et putaretur parochus. Actum de validitate fuit, et inde quæsita dispensatio a matrimonio rato, quam S. C. indulsit: *Nicien.*, *seu Turritana, Matrimonii*, 11 *martii* 1785, *dub.* 2, confirmata 20 *maii ejusd. anni.*

27. Petita fuit dispensatio super matrimonio rato, et non consummato, inito inter comitem Julium Bussi, et nobilem puellam Gentilem Montogli. Signa impotentiæ certa non erant, nec satis constabat, an vir, vel mulier impotens esset. S. C. protelando responsionem, experimentum triennalis cohabitationis præcepit: *Romana, Matrimonii*, 19 *aug.* 1786. Re maturius perpensa, ac viri impotentia clarius cognita S. C. recessit a decisis, et dispensationem impertivit: 2 *decem. ejusd. anni*, confirmata 20 *januar.* 1787.

28. Per procuratorem matrimonio sibi adjunxit Franciscus de Riano cum Rosa de Zarate, et Oruna. Spopondit Franciscus quamprimum ad uxorem suam accedere. Rosa vero frustra expectans, postulavit a curia ecclesiastica, ut vir ad conjugalia officia cogeretur. Compertum tunc est, eum sibi cum altera muliere copulasse, liberos suscepisse, ac mandatum procuræ congruo tempore revocasse testatum esse. Franciscus in remotissimas Americæ

[86] In quo constare de nullitate matrimonii decisum fuit: *Ibid.*

provincias degebat, ita ut processus rite confici non potuerit; ac preces exhibitæ fuerunt pro dispensatione, quam S. C. perspectis facultatibus a Summo Pontifice tributis concessit : *Santandrien., seu Cubana, Matrimonii,* 26 *april.* 1788, confirmata 30 *aug. ejusd. anni.*

29. Marchionissa Angella Muscat nupsit comiti Francisco Bianchi Anconitano, qui Anconam rediit, absque eo quod matrimonium consummasset. Octo lapsi sunt anni, et neuter patrios lares relinquere voluit. Hinc supplicarunt pro dispensatione. De non consummatione matrimonii probationes plurimæ patent ex duplici processu Milevitano, ac Anconitano. Patent sævitiæ, quas in monasterio mulier matris opera passa est, et aversitas inde inter conjuges exorta. Concedendam ac super re S. C. dispensationem petitam putavit: *Milevitana, Dispensat.,* 7 *febr.* 1789, confirmata 4 *april ejusd. anni.*

30. Statim inito matrimonio inter Angelam Timoni, et Michaelem Ipriano, armenum, navim conscendit vir, et ad longinqua profectus, et post lapsum 20 annorum Chium patriam uxoris rediit. Mulier ob malam contractam valitudinen a maritali conjunctione se abstinuit, et quæsivit facultatem regulam S. Dominici extra claustra profitendi. Dubitatum fuit, an constaret de matrimonio rato, et non consummato? ac, dispensatione petita, negativum mulier tulit responsum : *Chien., Matrimonii,* 15 *decem.* 1792, *dub.* 2. Inde novis, et concludentibus non consummationis probationibus exhibitis, quum constaret de matrimonio rato, et non consummato, S. C, mutavit consilium, et dispensationem largita est : 21 *junii* 1794 confirmata., et additum ad mentem : 16 *aug. ejusd. anni.*

§ XIII.

Dispensatio a professione religiosa.

1. R. D. Joseph Pessoa clericus professus militaris Ordinis Christi Lusitaniæ est, in quo emittuntur vota paupertatis, castitatis, et obedientiæ. Hic licet degere in propriis domibus, et diversimode ab aliis ordinibus regularibus vota elici asserat, tamen ex decreto S. C. dispensatione Apostolica pro assequendo cathedralis Leyriensis canonicatum indiget: *Leyrien., Canonicatus,* 26 *martii* 1707, confirmata 6 *julii* 1709.

2. Joannes Abrahamus clericus armenus Constantinopolis inter cœnobitas armenos monasterii S. Lazari Venetiarum vota nuncupavit; accepto inde de morte patris nuntio, in patriam redeundi consilium cepit, habita, ut affirmat, a superiore monasterii venia; at ut primum advenit, a monasterio fuit rejectus, quod insulto abbate, decesserat. Dispensationem a professione religiosa impetrari studuit in S. C. de Propaganda Fide, sed preces sunt ad S. C. Concilii remissæ, quæ rescripsit bis : Dilata, et ad mentem [87]: *Venetiarum, Votorum,* 7 *april.* 1 *sept.* 1742, *dub.* 1 et 2; demum gratiam petitam ei indulsit : 14 *decem.* 1743.

3. Dispensatio a votis absque debitis solemnitatibus emissis a Joanne Schettel in monasterio Altorffensi ordinis S. Benedicti, annuentibus Episcopo, abbate et monachis, imo rogantibus, enixe eidem Joanni denegatur: *Argentina, Votorum,* 26 *januar.* 1743.

4. Thomas Innicus Caracciolus, filius ducis Martinæ grave, ut ipse asserebat, patris imperium ferre non valens votum statum regularem suscipiendi in monasterio S. Mariæ de vita ordinis Carmelitarum excalceatorum civitatis Neapolis emisit ; octo post menses ab eo monasterio discessit, et diffidens se absque vitæ periculo difficilem vivendi illius monasterii rationem aggredi non posse, a voto prædicto religionis dispensationem poposcit, et a S. C. impetravit: *Neapolitana, Dispensat.,* 17 *junii* 1752.

5. Metum, ex quo desumit P. Æmilianus suæ professionis prolatæ in monasterio Cremifanensi ordinis S. Benedicti simulationem, probare nititur ex severa genitoris disciplina in eum adhibita, atque ex ejus repugnantia a statu prædicto, quam antea, et post professionem declaravit; necnon ex animi continua perturbatione præsertim in actu professionis patefacta; quamobrem dispensationem a vinculo religionis exoptat; at S. C. minime eum petentem attendit: *Passavien., Profess.,* 18 *julii* 1761, *dub.* 2.

§ XIV.

Dispensatio a voto continentiæ.

1. Maximilianus Carolus de Coupigni constitutus in ætate annorum 21, ordinem subdiaconatus vi, metuque a matre violentæ ac duræ indolis illato, suscepit; hinc votum continentiæ servare non valens, ejusdem dispensationem petiit a S. C., quæ ut coadjuventur probationes juxta instructionem [88]

[87] Mens fuit, ut S. C. plenius instructa redderetur, num ordo monasticus sub nomine S. Antonii abbatis etiam nunc vigens apud Armenos, in quo prædictum monasterium S. Lazari Venetiarum originem suam trahit, veræ, propriæque religionis jure potiatur, et an expressam Apostolicæ Sedis approbationem nactus aliquando fuerit. *Ead. causa,* 1 *sept.* 1742, § 1.

[88] Instructio fuit exarata, et transmissa, tam ad nuntium

primum respondit : *Ipren.. Dispensat.*, 5 *aug.* 1719. Deinde eam impertivit : 16 *decem. ejusd. anni*.

2. Dispensationem super voto continentiæ assequi volens Carolus de Cœtlogon, nobilissimus vir, ad subdiaconatus, diaconatusque ordines ascendisse per vim, metumque a patre incussum asseverat. Perhibent testimonia ejus patrem difficilis naturæ filio exhæredationem minatum fuisse, nisi suæ voluntati subservisset, ac spatio sex annorum adversantem filium annuo reditu libr. Turonens. 2,100 orbavisse, bis e domo ejecisse, pluriesque percussisse, et eo redactas fuisse suas fortunas, ut requirere ea, quæ vivendi necessitas postulat, atque exigit, coactus fuerit. S. C. primum dixit, ut coadjuventur probationes juxta instructionem [89] : *Parisien, Dispensat.*, 25 *januar.* 1721. Deinde dispensationem expetitam indulsit : 12 *julii ejusd. anni.*

3. Dispensatio super voto continentiæ fuit impense postulata ab Hermanno Antonio de Velhen canonico cathedralis ecclesiæ Monasteriensis in subdiaconali ordine constituto. Hic docet se per vim, et metum dicto ordine insignitum, metumque fuisse sibi a patre incussum. Profert testimonium juratum de austera patris indole, et quod orator ordinem subdiaconatus receperit ex metu reverentiali ; S. C. autem quæsivit, ut coadjuvarentur probationes juxta instructionem [90] : *Monasterien., 19 decem.* 1722, *dub*, 2, et inde gratiam abnegavit : 15 *januar.* 1724.

4. Joannes Wolfangus Baur in uxorem duxit Annam Mariam Felicitatem, quæ, post mutuam cohabitationem, nullitatem matrimonii ob viri impotentiam proposuit. Inde judex eam mulierem ad ulteriorem cohabitationem adducere non valuit. Vir fassus est suam impotentiam, et ad sacros ordines ascendere obtinuit. Anna vero votum simplex castitatis in seculo emisit. At hæc a carnis stimulis agitata ab illo voto petit dispensationem. Annuere censet Episcopus, timens ne ad hæreticorum partes transeat. S. C. ad preces respondit : Dilata, et ad mentem : *Eystetten.*, 19 *aug.* 1724, *dub.* 1.

5. Postulatam a Josepho Francisco Germain dispensationem super voto continentiæ S. C. inficiatur ; quamvis Episcopus, in cujus diœcesi canonicatum Franciscus obtinet, admonuit plura adesse vim, et metum comprobantia, qui ab ejus genitore incussus fuit, ut sacrum ordinem subdiaconatus reciperet : *Namurcen., Dispensat.*, 16 *decem.* 1724, *dub.* 2. Sed causa denuo producta, ac instructione emissa : 19 *novem.* 1729 [91], apparuit eum vi, me-

Galliarum, quam ad officialem Iprensem, ut coadjuvarentur probationes, tam super prædictis vi, et metu, quam etiam super ætate matris de tempore, quo metum incussit, et super quantitate bonorum paternorum oratoris, ex eo quia in libello dicti Maximiliani exponitur, ut ejus mater, quæ metum incussit, erat vidua, et usufructuaria bonorum, cum etenim metum ad effectum de quo agitur, debeat esse cadens in constantem virum ; talis in præsenti casu esse posset, si Maximilianus orator, vel per longum tempus vivente matre, vel etiam post illius obitum fuisset ad pauperlatem redigendus, quatenus imperio matris de suscipiendo subdiaconatu non paruisset. Super his itaque punctis probationes recipiat Episcopus, et testes qui haberi poterunt, formaliter, et congruis adhibitis interrogatoriis examinari curet, ac processiculum deinde confectum ad S. C. transmittat : *Ead. caus.*, 2 *decem.* 1719, § 2.

[89] In ea dictum fuit, primo, ut qua metus constituebatur in timore incusso exhæredationis, in sublatione assignationis, in comminatis verberibus, et in ejectione e domo paterna, de quibus omnibus testabantur tantummodo testes singulares, eminentia sua curaret, ut super unoquoque capite testes contestes deponerent, et ut alterius sublatio assignationis coadjuvaretur ex documentis, et partitis ædis publicæ.

Secundo, quod ignorabatur præcisum tempus obitus marchionis patris, et quod idcirco necessarium erat, ut illud S. C. notificaretur.

Tertio, quod liquido non constabat, an minæ oratori illatæ præcesserint tantum receptionem subdiaconatus, an vero fuerint repetitæ inter subdiaconatum, et diaconatum, in quo rerum statu opportunum admodum erat pro causæ resolutione, ut minarum tempus statueretur.

Quarto, quod de ablata a patre pecunia filio, et ab ipso recepta, sicuti ignorabatur, an præcesserint omnium sacrorum ordinum susceptionem, vel potius fuerit intermedia inter subdiaconatum, et diaconatum, sic congruum omnino erat, ut tota hæc series facti fideliter exponeretur.

Ultimo tandem insinuatum fuit, ut testium depositiones in scriptis reducerentur, et juramento confirmarentur ; tam loquendo de testibus, quorum meminit Cardinalis in prima epistola, quam de aliis, quos ad primorum confirmationem afferri contingeret. *Ead.causa*, 12 *julii* 1721, § 8, *seqq*.

[90] In qua dictum fuit, primo ut examini formali subjiceret Christophorum Alexandrum Hermanni patrem ; secundo, ut examini pariter formali subjicerentur testes, qui de metu incusso deposuerunt, iidemque interrogarentur super causa scientiæ ; tertio, ut quatenus alii testes haberi possent de visu, et auditu, aut de auditu alieno, vel de publica voce, et fama super asserto metu, iidem etiam formaliter examinarentur, ultimo demum, ut administrator S. C. notificaret statum familiæ oratoris tam de tempore suscepti subdiaconatus, quam de præsenti, an videlicet tempore subdiaconatus alii adessent oratoris fratres, et an ipse nunc solum sit ex sua familia superstes : *Ead. caus.*, 20 *novem.* 1723, § 7.

[91] Instructio directa Episcopo Namurcensi in eo stetit, ut testium depositiones, in ejus relatione enunciatas previo formali examine, ac servatis servandis recipi mandaret, illasque transmittendo referret, de quo tempore dictus orator de canonicatu provisus fuerat, an eidem canonicatui ordo sacer sit annexus, et an a die suscepti ordinis usque ad præsentem diem in dicto subdiaconatus ordine ministraverit. Instructio vero directa Episcopo Leodiensi ea est, ut audito Episcopo Thermoplensi suffraganeo, qui ordinem subdiaconatus contulerat eidem ora-

tuque in constantem virum cadente ad dictum ordinem ascendisse, ac ad maximas removendas populi offensiones quæ, quum idem Franciscus esset canonicus in capitulo utriusque sexus, possent exoriri, dispensationis remedium illi esse concedendum; necnon eum clericalem habitum usque adhuc in ecclesiæ offensionem gestasse; idcirco rescriptum prodiit, prævio recessu a decisis eum non teneri ad votum continentiæ, et ad mentem [92]: 10 *martii* 1731.

6. Ludovicus Antonius d'Escudier postquam militaverat, moram trahere tum in collegio PP. Jesuitarum, tum seminario Nemausensi voluit; inde in clericalibus ordinibus initiatus ordinem subdiaconatus ad patrimonii titulum suscepit, licet postea canonicatum collegiatæ ecclesiæ S. Ægidii, quem Petrus resignaverat, adeptus sit. Elapso ultra quatriennio reclamavit, per vim metumque sacrum illum ordinem accepisse firmans. At quum producti testes absolutam non comprobarent coactionem, hinc a S. C., cui adiit pro dispensatione a continentiæ voto, haud audiri meruit: *Arelaten.*, *Dispensat.*, 17 *febr.* 1731, *dub.* 2.

7. Metus, quem causam præbuisse putat Joannes Petrus Guesnon, ut ad sacrum subdiaconatus ordinem ascendisset, probatur ex quinque testibus, ex quibus constat patrem ejusdem Joannis pluries denunciasse, se nihil subministraturum, nisi subdiaconus evaderet, et revera alimenta denegasse; etiamsi postea ipse pater dicto ordine fuisse filium obstrictum admodum displicere fassus sit. Quapropter dispensatio super voto continentiæ fuit implorata, quam S. C. concedi abnuit: *Constantien.*, *Dispensat.*, 22 *maii* 1734, confirmat. Etsi alii tres testes prædicta confirment, et doceant de averso a militia ecclesiastica animo Joannis oratoris, qui nullo beneficio gaudet, imo vestem laicalem gestat: 18 *maii* 1737.

8. Professione solemniter pronunciata Ludovico Francisco Daudiffet in conventu oppidi Parenæ ordinis S. Francisci de Observantia irrita declarata, idem Ludovicus dispensationem a voto continentiæ petiit; exponit proinde eum usque a tempore professionis, et sacri subdiaconatus susceptionis morbo epileptico laborasse, quo adhuc torquetur, ut in suscepto ordine absque populi offensione ministrare nequit; imo ante legitimam ætatem subdole una eademque die collatum fuisse ei sacramentum Confirmationis, clericalem tonsuram, quatuor ordines minores, ac subdiaconatum nulla præmissa dispensatione; S. C. autem dispensationem postulatam denegat: *Biterren.*, *Dispensat.*, 24 *sept.* 1740.

9. Expetitam super voto continentiæ dispensationem S. C. Francisco Rocco Bieschin bohemo equiti, quamvis vi metuque exhæredationis a matre illato ad subdiaconatus ordinem ascendisse dixerit, ad indulgendam non adducitur: *Pragen.*, *Dispensat.*, 27 *aug.* 1746.

10. Ad assequendam super voto continentiæ dispensationem Georgius Franciscus Dufied suadere S. C. nititur, eum semper fuisse a militia ecclesiastica animo averso, et hanc amplexus est minis, verberibusque, ita ut paternos lares fugere, et proximam domum se recipere, atque in illa, una alteraque die latere coactus fuerit; nam ejus pater unum ex quatuor filiis ex asse hæredem instituere studebat; imo subdiaconatum accepisse animo proponendi, statim ac potestatem habuisset, nullitatis querelam; et licet testibus hæc omnia comprobasset, tamen S. C. ejus preces non audivit: *Bisuntina*, *Dispensat.*, 17 *junii* 1752, confirmata 3 *april.*

11. Franciscus Dominicus Nicolosius subdiaconatus ordinem invitus suscepit, vi metuque a matre, et a consanguineo Ludovici Pappalardo viro potenti, illato; eis enim ab ipsa pueritia fuit subjectus, et ab eis minis verberibusque deterritus, et Cataniam adductus, ubi sacro ordine insigniri compulsus fuit. Non omisit hic suæ contrariæ voluntatis contestatas denunciationes, necnon de vi metuque reclamavit. Modo dispensationem super voto continentiæ postulans, matre annuente, S. C. impertiendam haud censuit: *Catanien.*, *Dispensat.*, 9 *sept.* 1752.

12. Suscepto subdiaconatus ordine a Francisco Vincentio Dumolard narravit id egisse per vim, et metum sibi incussum a Vincentio patre, proindeque mortuo patre dispensationem a voto continentiæ rogitat. Refert patris viri militaris asperitatem, ac indolis severitatem, suam semper recusationem, ac contrariam voluntatem, quam successive ostendit effundens passæ coactionis querelas, nec unquam in ordine ministravit: S. C. autem constare de nullitate voti continentiæ decrevit: *Gratianopolitana*, 3 *julii* 1762.

tori, referret super prætensis violentiis in susceptione dicti ordinis ei illatis, an scilicet super hoc puncto aliquid sciret, aut ad ejus aures pervenerit, tam de eo tempore, quam de præsenti; ac demum, an toto tempore, quo idem orator permansit in diœcesi Leodiensi unquam in suscepto subdiaconatus ordine ministraverit. *Ead. caus.*, 10 *martii* 1731, § 2.

[92] Mens est, ut admittatur orator ad resignationem canonicatus cum reservatione pensionis, neque in favorem certæ personæ, sed per eumdem facienda sit dimissio dicti canonicatus libere in manibus Sanctissimi: Lib. 81, *Decret.*, pag. 102.

13. Dum dispensationem super voto continentiæ Michael Gaspar Glaudorf canonicus collegiatæ ecclesiæ S. Martini Mindensis petit, probare studet eum ob timorem reventialem a parentibus incussum ordinem subdiaconatus suscepisse, et pluries suam reluctantem voluntatem patefecisse ; S. C. autem hujusmodi preces repellit : *Osnabrugen*, *Dispensat.*, 19 *jan.* 1765, confirmata 14 *martii* 1767.

14. Dispensatio super voto continentiæ postulatur a Carolo Gaspare unico superstite masculo ex prænobili familia de Bilandt, ut catholica illius linea propagetur, cujus altera linea ab orthodoxa religione descivit, utque castrum, et dynastia Rheidana in ducatu Juliæ sita penes catholicos de familia servetur, et ne ob lineæ masculinæ catholicæ religionis defectum, ad masculos familiæ ejusdem hæreticos sit reditura, a quibus immensis sumptibus erepta fuit, et exercitii religionis catholicæ tributa fuit facultas. Sed ipsis oratoris sororibus hujusmodi metum levem reputantibus, S. C. haud gratiam concessit : *Colonien.*, *Dispensat.*, 16 *martii* 1767.

15. Dispensationem super voto continentiæ denegat S. C. Joanni Francisco Andre, qui minationibus, ne paternam domum deserere, neque vesci e domo vellet, ad suscipiendum ordinem subdiaconatus fuit coactus, quamvis parentibus, se nullatenus idoneum esse ad statum clericalem, per se, et per alios significasset. Favebat oratori Episcopus, qui semel ordinem susceptum in solemni Missa eum ministrasse docet : *Cameracen.*, *Dispensat.*, 16 *decem.* 1769.

16. Subdiaconus Thaddæus Stanisziwski petiit a S. C., ut sibi concedatur dispensatio super voto continentiæ ; quod ad sacrum ordinem per vim, metumque a patre incussum ascenderat, qui sæpius, constanterque protestatus fuerat, se filium derelicturum nisi subdiaconatus ordinem suscepisset, et revera alimenta illi denegavit, unde orator miseriis, æreque alieno pressus, prædicto ordine initiatus fuit, postquam pater ipse gravem animi sui mœrorem fassus erat, et pœnitentiam exsolverat. S. C. dispensationem indulsit : *Posnanien.*, 11 *maii* 1782, *dub.* 2, confirmata 13 *julii ejusd. anni.*

17. Dum ætate florebat annorum 22, Joannes Petrus Silvestre ex oppido Paulhan subdiaconatus ordinem ab Episcopo montis Pessulani accepit ; sed veluti ad id paternis coactus minis, et sævitiis ad majores ordines, promoveri non illi libuit, sibique victum ex labore manuum, industriaque comparare consuevit. Inde audiit curiam Biterrensem, quæ confecto processu declaravit Petrum Silvestre coactum fuisse ad subdiaconatus ordinem suscipiendum ; hac de causa poposcit decretum super nullitate voti continentiæ, vel dispensationem, et S. C. rescripsit esse consulendum Sanctissimum pro dispensatione : *Biterren.*, *Ordinis subdiaconatus*, 21 *aug.* 1790, *dub.* 2.

18. Quum Joseph Bartholomæus Claudius Monicault tonsuram, minores, sacrumque subdiaconatus ordinem suasionibus, illecebris, minisque parentum, his tamen absentibus, accepisse, ac fuit de metu, et vi protestatus, S. C. consulta, voti obligatione defensa, eidem dispensationem denegavit : *Valentien.*, *Ordinis subdiaconatus*, 31 *maii* 1794, *dub.* 2.

DISPOSITIO.

§ I.

Dispositio testamentaria quoad exequutionem.

1. Jacobus Liussa publicis tabulis convenit cum universitate Villæ S. Petri de Auro, ut redemptis propria pecunia, nonnullis censibus passivis in summa libr. 2000, fructus eidem solverentur, ac ut post ejus mortem cathedræ erectio mandaretur. Fundationem conventus Min. observ. S. Francisci excogitavit inde, et eidem libras prædictas donavit : postmodum vero eas pro dote cathedræ PP. deferendæ assignavit. Ejus hæres Raymundus publico instrumento disposuit ut minister tertiæ regulæ S. Francisci census fructus administraret, et eos in fabricam conventus et ecclesiæ, ac Missarum celebrationem impenderet. Erecto conventu patres solutionem postularunt, Universitas solvere renuit ; quæsitum itaque fuit, quænam dispositio implenda esset, et quomodo ? et S. C. respondit, neutram esse implendam, et Episcopus procedat ad erectionem cathedræ prout de jure : *Vicen.*, *Relicti annui*, 15 *decem.* 1725, confirmat. 17 *aug.* 1726.

2. Suam ultimam titulo codicilli coram notario, et quinque testibus, voluntatem pandit Joan. Baptista Mordinius plebanæ ecclesiæ Castri Illicis archipresbyter. Bonorum usufructuariam suam quamdam fecit famulam. Plurima postea pietatis ergo legata scripsit ; et plurimas pro anima sua Missarum eleemosynas statuit. Voluntatis exequutores, inter quos testatoris frater, tumultuarie ex condicto cum famula inventarium tam codicillantis, quam fa-

mulæ bonorum confecerunt. Publicum exinde stipularunt instrumentum, in quo capellaniam mere laicalem ex tunc, et sequuto obitu ipsorum contrahentium habiturum effectum, erexerunt, juspatronatus utrique reservarunt primo Hieronymo Mastinio, ejusque filiis, et descendentibus, deinde Josepho Mordinio, et tertio in favorem ipsius notarii stipulantis. Sequenti anno stipulum est alterum instrumentum Mastinium inter, et Mordinium, in quo idem Mordinius in augmentum capellaniæ cessit post ejus mortem omnia sua bona ad valorem usque sexcentorum scutorum. Hactenus contra fratris voluntatem, gesti, et cessionis factæ pœnitens Mordinius, postulavit, quomodonam esset dispositio fratris adimplenda? Ad formam codicilli implendam esse S. C. sancivit: *Feretrana*, 18 *sept.* 1779, *dub.* 1.

3. Quæsitum postea est, an sustineretur erectio jurispatronatus facta virtute instrumentorum supra enuntiatorum? Non sustinendam S. C. sanxit, et ad mentem [93]: *Ibid. dub.* 2.

Reliqua. Vide *Episcopus*, § XIV.

§ II.

Dispositio testamentaria quoad validatem, vel nullitatem.

1. E vita discessit ab intestato Alvarus de Luna regius gubernator civitatis Cortonæ, et hac occasione proposita, ac resoluta fuere nonnulla dubia a capitulo ecclesiæ cathedralis super jura funerum excitata; inter quæ exhibitum fuit dubium an sit locus testamento ad pias causas? et respondit S. C. affirmative ad formam litterarum S. C. Episcoporum, et regularium [94], et taxæ Innocentianæ [95]; *Cortronen.*, *Jur. funer.*, 3 *sept.* 1707, *dub.* 8.

2. Dispositio hæreditatis suæ facta a Petro Antonio Adurno in favorem capellæ, seu altaris nuncupati *del Cordone* existentis in ecclesia PP. Reformatorum S. Francisci terræ Tuani pro manutentione utensilium, et celebratione Missarum a patribus, vel substitutis peragenda, non sustinetur: *Marianen.*, *Piar. disposit.*, 6 *julii* 1709, *dub.* 1, confirmat., et additum est quoad fratres [96] 16 *nov.* 1710.

3. Antonius Caraffa episcopus Uxentinus instituto hærede capitulo ei injunxit, ut ex pecuniis hæreditariis portionem in constitutionem turris sacræ erogaret, aliam in augmentum præbendarum, aliam distribueret ecclesiis parochialibus, et addidit nonnulla legata PP. Theatinis Neapolis, ac suis familiaribus elargienda. Hæc omnia vigore prætensi indulti ad testandum usque ad ducata 3,000. Suffecto in episcopatum Petro Lazaro Terrer omnia vindicavit bona a capitulo, et legatariis. Post ejusdem obitum capitulum petiit exequutionem testamenti Caraffæ, et S. C. requisita quoad ejusdem validitatem, non sustineri decrevit, nisi per modum designationis ad formam Bullæ [97], et pro nunc quoad

[93] « Et mens est, ut Episcopus exigat redditionem rationis ab executoribus, separet bona tam mulieris, quam archipresbyteri, et deinde unicuique patrimonio assignet respectiva bona ad effectum exequendi voluntatem ad formam Concilii. » *Ead. causa*, 18 *sept.* 1779, *dub.* 2.

[94] Nempe epistola diei 25 febr. 1677 hisce verbis expressa: « *Questa sagra congregazione non ha mai disaprovata l'antica pia consuetudine, che si trova in alcune diocesi di fare il testamento* ad pias causas, *a quelli, che muojono ab intestato etc.* » Et altera occasione causæ diei 21 martii 1614, Episcopo Caputaquensi scripta, in qua dicitur: « All' awiso, dato a questa S. Congr. in materia dell' oratoria, speditagli da regii, accio non facci *in testamento ad pias causas*, per quelli, che muojono ab intestato, couforme all' immemorabile consuetudine, che si osserva costi, questi Illustr. miei signori tmi hanno ordinato di rispondere, che difenda, e mantengale sue ragioni, e cosi lodevole, e pia consuetudine, e per suo ajuto si da ordine al nunzio di Napoli, che l'assista, che la proteggia, e faccia quell offizi, che saranno necessari per questo effetto etc. » Quas epistolas refert advocatus Dominicus Ursaya *discept. Eccle. XII*, tom. 3, part. 1, num. 78 et 84, quam exaravit occasione, qua partes capituli cathedralis, rationesque sustinuit in S. Congr. Concilii.

[95] Quam confecti Congregatio particularis ab Innocentio XI deputata, et de ejus mandato typis edidit S. C. Concilii die 8 ejusdem mensis, et anni, rel. a Ferrari *Biblioth. Canon.*, verb. *Taxa*, tom. VII, pag. 187. Hæc § 12 ait: In quelle diocesi, nelle quali regna l' antica consuetudine, che il Vescovo, o altro Prelato, ed officiale faccia il testamento per l' anima di quelli, i quale muojono ab intestato di quella somma moderata, nella quale, secondo i decreti della sagra Congregazione puo esercitare tal facolta; non possano esso, e suoi officiali, ministrati, parenti, e famigliari partecipare in modo alenno, sotto qualsi voglia colore, o pretesto, anche di poverta, ma il tutto si debba effettivamente applicare ad usi, ed opere pie, ne per l'adempimento di tal disposizione si possano in modo alcuno impedire, e ritardare la sepoltura, e l'esequie, o funerale al defonto; dovendosi esercitare giuridicamente l'azzioni sopra i beni ereditati, e si debba osservare la lettera circolare della S. Congregazione de Vescovi, sotto li 19 agosto 1678. »

[96] « Addita enim fuit in ista ultima resolutione particula *Quoad fratres* ut videatur, S. C. præservasse jus substitutis, qui valeant prætendere jus successorium, de quo fratres sunt incapaces. Hinc elicitur, quod hujusmodi fratres incapaces sunt, oneris Missarum perpetuarum quia deberent habere stabilia, super quibus tale onus fundari debet, vel annuam præstationem jure actionis debitam, quod neque eis est permissum, « Card. Petra, *Comment ad Const. XIII Martine V.* num. 8, t. IV, p. 254.

[97] Innocentii XII, 28 *januar.* 1694 (*Bull. Rom.*, tom.

constitutionem turris sacræ, et interim scribatur Archiepiscopo Hydruntino, ut assumat administrationem omnium bonorum relictorum tam ab Episcopo Caraffa, quam Terrer, et ulterius informet super statu ecclesiæ cathedralis, et tenuitate præbendarum juxta instructionem : *Urgentina Spolii* 14 *maii* 1716, *dub.* 1, 2 et 3. Deinde testamentum præfatum non sustineri nisi per modum designationis quoad turrim sacram tantum : 15 *maii* 1717, *dub.* 1.

4. Et bona hæreditaria dicti Episcopi Caraffæ omnia eroganda primo loco in reparationem ecclesiæ cathedralis, et constructionem sacrarii, et turris sacræ, provisionemque supellectilium necessariarum, et si quid superest secundo loco ad commodum parochialium S. C. sancivit : *Ibid.*, *dub.* 2.

5. Et quoad bona omnia de spolio Episcopi Terrer provisum in secundo firma tamen remanente administratione, et exequutione penes Archiepiscopum Hydruntinum juxta instructionem [98] rescripsit: *Ibid.*, *dub.* 3.

6. Conjuges Nicolini de universis eorum bonis manualem titulo legati pii fundarunt capellaniam cum onere distributionis ceræ, et annuæ celebrationis Missarum quinque. Administrationem, et usum fructum bonorum sibi, suisque hæredibus reservarunt, vocata linea masculina, eique extincta fœminina substituta, facultate etiam tributa locandi, ac commutandi bona absque ullo beneplacito apostolico. Fundationem hanc Episcopus improbavit, utpote factam ad conservanda bona in agnatione in fraudem fisci, quum in provincia Vulturena fidei commissariæ dispositiones essent omnino interdictæ. E contra facta fuit, ne bona hæreticorum manus perveniant. Ast S. C. rem omnem remisit ad Ordinarium, qui procedat pro suo arbitrio, et prudentia : *Comen.*, 13 *jan.* 1731.

7. Pompeius Sarnellius episcopus Vigilensis in chirographo declaravit, ut de ducatis 1,500, quos Sergio Baldinio primicerio investiendos tradiderat, novum post mortem suam pro recta puerorum educatione seminarium construeretur, et deinde in codicillis eamdem summam vigore legati reliquit nonnullis locis piis, quatenus dictum seminarium non fuisse erectum : modo quum quæreretur, an hæc ultima in codicilis facta dispositio valida sit? invalidam esse S. C. definiit : *Vigilien.*, 14 *april.* 1736, *dub.* 3, confirmata 7 *julii ejusd. anni.*

8. Sed priorem pro dicta seminarii erectione factam dispositionem sustineri debere fuit eadem vice constabilitum : *Ibid.*, *dub.* 1, confirmata *ibid.*

9. Nuncius Baccarius episcopus Bojanensis Cardinalis vicarii in urbe vices-gerens, solioque pontificio assistens cathedralem suam ecclesiam ex bonis in diœcesi existentibus scripsit hæredem onere imposito, ut tot Missæ, unumque anniversarium a canonicis, mansionariisque celebrarentur. Testamentum hoc impugnavit incuria episcopalis, eo quod esset solemnitatibus *in leg. Hac consultissima Cod. de testam.* [99] destitutum, et quod vi Constitutionis Innocentianæ *Inscrutabili* [100] bona illa deberent in beneficium cathedræ erogari, ob id quæsi-

IX, pag. 342) quæ incipit : *Inscrutabili æternæ Sapientiæ*, § 4. « Præfatis tamen Archiepiscopis, et Episcopis, et prælatis, ut congruos usus, applicationes, et erogationes præmissorum, in beneficium, et utilitatem hujusmodi ecclesiarum in quas, seu quas eadem præmissa applicanda, eroganda, seu exponenda esse censuerint, designare valeant, permittimus, indulgemus, et opportunam facultatem desuper concedimus, et impertimur, ac super præmissis omnibus etiam conscientiam præfatorum Archiepiscoporum, et Prælatorum oneramus. »

[98] Ut continuet in administratione bonorum Episcoporum Caraffa, et Terrer, atque ex eorum pretio omni sollicitudine necessariæ cathedralis ecclesiæ restaurationi incumbat, constructionem decentis sacrarii, et successive turris sacræ procuret supellectiles necessarias, si vires suppetant pro cathedrali comparet, , et si quid, his omnibus expletis, supersit, vel in supellectiles inspecta necessitate, vel in reparationem ecclesiarum parochialium eroget. Spolio Episcopi Terrer adscribi non censuit prædium ab eodem emptum in pecuniis habitis et testamento quondam Thomæ Papadiæ, sed peculiari discussioni reservarunt, auditis tamen hæredibus, quibus præfigat terminum competentem ad deducendum jura sua in S. C. secuti neque eidem spolio adscripserunt oves emptas pro uberiori fructuum perceptione ex prædiis mensæ episcopalis, quum tanquam fundi meliorationes, et instrumenta a die emptionis ipsi mensæ donata præsumantur : *Regist. lit.*, lib. 25 *die* 15 *maii* 1717.

[99] Ubi cautum est, cæcos utroque lumine ex accidenti, vel a natura posse suas ultimas voluntates per nuncupationem condere servatis tamen solemnitatibus in hac lege comprehensis. Heineccius autem *Jur. Civil*, lib. II. tit. 10, § 493 seqq., pag. 172 seqq. omnes solemnitates reducit ad internas, vel extraneas. Internas hæredis idonei institutio : externas plures enumerat : 1° ut testamenta fiant uno contextu ; 2° ut septem adsint testes specialiter rogati ; 3° ut testator vel ipse scribat tabulas, vel eisdem subscribat, vel si scribere nesciat octavum testem eum in finem adhibeat pro testatore subscripturum ; 4° ut ea recte subscribant, et tabulis signacula, sive suo, sive alieno annulo, aliove instrumento expresse adponant.

[100] *Æternæ Sapientiæ*, 28 januar. 1694 (*Bull. Rom.* tom. IX, pag. 342), qua eximuntur prælati regni Neapolis a jure cameræ apostolicæ assequendi spolia, et fructus suarum ecclesiarum, in harum tantum utilitatem convertenda. Nam § 3 legitur : « Ad effectum tamen, ei non alias aliter, nec alio modo, ut præmissa omnia, et singula (spolia nuncupata) ad præfatas metropolitanas, aliasque cathedrales, et reliquas, quibus memorati Archiepiscopi, et Episcopi, seu prælati præsederint, illisque non indulgentibus, ad parochiales ecclesias eorum regimini commissas spectare, et ad earumdem favorem, et in beneficium, seu

tum fuit, num de testamenti hujusce nullitate constaret? et utique constare responsum exiit: *Bojanen., Spolii* 10 *martii* 1742, *dub.* 1.

10. Episcopus Montis Pelusii Cæsar Rubues, translatus ad ecclesiam Hieracensem, et deinde ad honorem Episcopi assistentis solio Pontificio evectus, testamentum condidit, qua matrem, fratresque scripsit hæredes; in bonis autem ex reditibus ecclesiasticis quæsitis utramque ecclesiam scripsit hæredem. Capitulum montis Pelusii dispositionem testamentariam de bonis ecclesiasticis rumpere nititur, et sua unamquamque ecclesiam recipere bona debere, contendit, consuluitque proinde S. C., quæ respondit testamentum firmum esse quoad legata in eo relicta vigore indulti, dummodo non excedant summam ducatorum 1000 de camera: in reliquis autem bonis ab una, vel alia ecclesia provenientibus, ab Episcopo adhuc vivente non distractis, nullum esse, sed eadem bona utrique ecclesiæ deberi jure precarii absque ullo onere: *Montis Pelusii, seu Hieracen., Spolii*, 18 *febr.* 1758, *dub.* 1, confirmata 2 *dec. ejusd. anni.*

11. Capellaniam ordinatam a Rosa Agostini in honorem S. Josephi in suo testamento, cui deerat subscriptio testatricis, sive octavi testis ejus loco adhibendi, esse erigendam S. C. mandavit. Aliena enim manu testamentum conscriptum Rosa coram testibus signo crucis obsignavit, aliisque testibus subscriptum notario clausum tradidit: *Anagnina, Erectionis capellaniæ*, 30 *julii* 1768. Postmodum non constare de testatricis voluntate, quum lectum testamentum non fuisse, nec ad ea exaratum, ex quo non excluditur supposititia scriptura, compertum esset; S. C. recessit a decisis, nec esse locum erectioni sancivit: 10 *martii* 1770. Iterum proposita causa, stetit in primo loco decisis: 28 *sept.* 1771, *dub.* 2. Sed statim rediit in secundo loco decisis: 4 *april.* 1772, *dub.* 1.

12. Angelus Antonius Barsetti per publicum instrumentum patrimonium sacrum constituit clerico Joanni Baptistæ Agostinangeli annui reditus scut. 65 cum onere Missæ quotidianæ. In testamento autem post 4 annos conscripto indixit, ut in ecclesia S. Luciæ civitatis Interamnæ sacrum faceret. Idem clericus ægreferens hujusmodi mutationem ostendere conatur illum non potuisse per testamentum auferre jus per contractum mutuum quæsitum. Et S. C. clerici voto favit: *Interamnen., Miss.*, 30 *julii* 1774.

Reliqua. Vide *Spolium ecclesiasticum, Monialles*, § II.

Dispositiones piæ. Vide *Episcopus*, § XIV.

Dissolutio. Vide *Ecclesia parochialis*, § VII; *Matrimonium*, § XV; *Sponsalia*, § I.

Distinctio. Vide *Beneficia ecclesiastica*, § IV; *Ecclesia parochialis*, § III.

Distributio. Vide *Bona ecclesiastica*, § III; *Candelarum distributio eleemosynæ*, § II; *Subsidium dotale*, § VI.

Distributiones quotidianæ. Vide *Abbas*, § VI; *Archidiaconus*, § III; *Archipresbyter*, § IV; *Beneficiati*, § I; *Canonici*, § III; *Capitulum ecclesiasticum*, § IV; *Dignitates ecclesiasticæ*, § II; *Mansionarius*, § I; *Œconomus curatus*, § I; *Presbyteri*, § III; *Vicarius capitularis*, § II.

Divinum officium seu breviarium. Vide *Breviarium.*

Divisio. Vide *Beneficia ecclesiastica*, § IV; *Bona ecclesiastica*, § III; *Candelarum divisio.*

Divortium. Vide *Matrimonium*, § XXVII.

DOCTORATUS, DOCTORES.

1. Decretum a S. C. emanavit, approbatum Pont. Max. Clemente X., qui observari, publicarique mandavit, instante Universitate, studii Ticinensis, in quo habetur, quod gradus doctoratus debeant recipi in publica et approbata Universitate, alias dignitates, vel beneficia aliter collata vacent eo ipso, ac proinde taliter provisi non faciant fructus suos, eaque ex hoc capite impetrari possint: *Papien., Doctoratus*, 22 *julii* 1673.

2. S. C. respondit Sacrum Concilium cap. 16, sess. 24, *de Reform.* [101] loquens de doctoribus, et licentiatis intelligi de doctoribus, et licentiatis in publica Universitate: *Cotronen.*, 9 *maii* 1637.

3. Collegii doctorum visis privilegiis, et aliis juribus exhibitis post maturam discussionem censuit S. C. promotos in dicto collegio non gaudere qualitatibus, et privilegiis, quibus gaudent promoti in publica Universitate, de quibus loquitur Concilium

utilitatem cedere, applicari, converti, seu erogari debeant. » Hanc Const. ampliando confirmavit Bened. XIII; etiamsi hi moriantur extra residentiam Constit. *Romanum decet*, 12 oct. 1726, *Bull. Rom.* tom. XII, pag. 152.

[101] Ubi in deputatione vicarii capitularis, sede vacante, ait « qui saltem in jure canonico sit doctor, vel licentiatus, vel alias, quantum fieri poterit, idoneus. »

ad præscriptum resolutionis S. C. : *Mediolanen.*, 12 *dec.* 1654.

4. Carolus Antonius Scalzi archidiaconus ecclesiæ cathedralis cura animarum, ac jurisdictione carens, declarari exorat; an ipse esse doctor ac licentiatus in jure canonico teneantur? et negativum tulit responsum : *Aquipendii, Archidiaconatus*, 20 *junii* 1671.

5. Episcopus Comensis quærit, an gradus magisterii, seu licentiaturæ, qui conferuntur in collegio Mediolani, suffragentur pro dignitatibus, et beneficiis talem gradum requirentibus juxta decretum emanatum 22 julii 1673? S. C. censuit dandam esse declarationem alias editam 12 *dec.* 1654 [102]: *Mediolanen.*, *Doctoratus*, 15 *sept* 1674.

6. Baccalaureatus in universitate Colimbriensi a Josepho Emmanueli ex comitibus de Atalaia obtentus, eidem non suffragatur ad consequendam ecclesiæ collegiatæ dignitatem decanatus, eo quod ad eam promovendi debent esse doctores sacræ Theologiæ in publica aliqua Universitate approbati : *Ulissiponen.*. *Gradus*, 30 *martii* 1715.

7. Joannes Antonius Pastorius a Sede Apostolica provisus fuit de canonicatu cum præbenda theologali in collegiata ecclesia S. Juliani oppidi Gaudioni adjecta conditione, ut magisterii in theologia gradum in aliqua approbata Universitate susciperet. Hic doctoratum in collegio Mediolani obtinuit, et eum non suffragari S. C. declaravit: *Novarien.*, *Doctoratus*, *aug.* 1716.

8. Collegii fundati a Vincentio de Nolphis superiores esse debent Episcopus, rector congregationis S. Petri, et antiquior inter consiliarios doctor. Controversia hinc ad assequendam superioritatem facta est inter Josephum de Dionysiis, qui erat antiquior quippe doctor, sed doctoratum in publica Universitate non reciperat, et inter Pompeium Zagarellum, qui in publica Universitate doctoratus gradum obtinuerat. Episcopus informans Zagarello favit, et Zagarello prælationem deberi S. C. censuit : at victus Dionysius probans prædecessorem fuisse eodem modo doctorem, et testatorem doctoratum Universitatis non requisivisse, vicit in secundo certamine, in quo prævio recussus a decisis, sibi superioritatem deberi, promeruit : *Fanen.*, 26 *junii* 1723

9 In statutis collegiatæ ecclesiæ terræ Messapiæ a Clemente X, confirmatis sancitum reperitur, ut doctores, vel theologi ceteris licet anterioribus in servitio præferrentur. Hinc presbyter Antonius Randinius veluti privilegio baccalaureatus a fratribus ordinis Prædicatorum civitatis Lyciensis decoratus presbyteris supranumerariis præferendum se esse contendit Proposito ac super re dubio, privilegium illud pro obtinenda prælatione non sufficere statutum fuit : *Brundusina, Participat.*, 2 *dec.* 1741.

10. Archipresbyteratum, quæ curam animarum habet, a Sede Apostolica quum Alexander Capozella in ecclesia cathedrali obtinuisset, injunctum ei fuit, ut infra annum gradum magisterii in theologia, vel doctoratus, aut licentiaturæ in aliqua approbata Universitate studii generalis suscipere omnino teneretur. Ille a collegio protonotariorum apostolicorum doctor in utroque jure fuit renunciatus, quæsivitque in S. C. an gradus illius doctoratus sibi suffragetur, vel sit consulendum Sanctissimum pro gratia, aut saltem habilitandus sit orator ad novum doctoratum obtinendum in publica Universitate ? et responsum tulit suffragari facto verbo cum Sanctissimo : *Aquinaten.*, 19 *novem.* 1746, *dub.* 1. et 2.

DOCTRINA CHRISTIANA [103].

1. Actum fuit in S. C. de testatore, qui mandaverat erigi ecclesiam in proprio fundo, ibique residere sacerdotem debere scientiam callentem bonisque moribus instructum, qui publicam scholam habeat et discipulos grammaticam, humanas litteras doceat, nec non doctrinæ christianæ exercitium singulis dominicis in dicta ecclesia pueris utriusque sexus peragat. Quum parochus, intra cujus fines sita est prælata ecclesia sese opposuisset, ne fidei rudimenta ibidem exponerentur, contendens id muneris ad parochialem privative spectare, proposito dubio : An præmissa testatoris voluntas sit exequen-

[102] Vide præsenti §, num. 3.

[103] Bened. XIV, Const. *Et si minime*, 7 febr. 1742, *Bull. ejusd. Pont*, tom. 1, pag. 49, præcipit, ut etiam in locis ruralibus provideatur per Episcopum, ut docentur doctrina christiana; ac diserte Sum. Pont. tradit, qua ratione, et methodo fidelium indigentiis hac in re consulendum sit, necnon omnibus Italiæ Episcopis litteras encyclicas misit incipien. *Essendoci*, 26 junii 1754 (*Bull. ejusd. Pont.* tom. 4, pag. 92), quibus hortantur, ut veteribus nova superaddant pastoralis sollicitudinis studia, ut Christifideles in rudimentis fidei instituantur, et eruditantur. Et jam hujus operis necessitatem, dum Archiepiscopalem Bononiæ ecclesiam regebat, ostenderat: *Instit. Eccles.* 9, *per tot.* tom. 11; pag. 44.

a? et esse servandam S. C. censuit, quoad modum utem arbitrio Episcopi: *Tudertina, Doctrinæ*, 30 *martii* 1675

2. Sancitum a S. C. comperitur, nullum jus ompetere PP. societatis Jesu tradendi doctrinam hristianam in ecclesiis parochialibus invito parocho, no neque in aliis repugnante titulari, non obstante ontraria consuetudine etiam nonagenaria : *Mechinien., Doctrinæ christianæ*, 8 *martii* 1681.

3. Adductum fuit in dubium, an Archiepiscopus lericos tam minorum ordinum, quam majorum ad fficium ludimagistri exercendum stipendio a communitatibus conductos cogere possit, ut pueros, udesque scholasticos doctrinam christianam edoeant?

4. An idem possit compellere ludimagistros laicos itidem a communitatibus stipendio conductos?

5. An ad idem onus adigere valeat ludimagistros sive clericos, sive laicos a nemine salario conductos?

6. Qua pœna præfatos ludimagistros impellere possit? S C. respondit posse prius hortando, deinde præcipiendo : *Spalaten., Doctrinæ christianæ*, 17 *julii* 1688, *dub.* 1, *usque ad* 4.

7. Vicarius generalis sacerdotibus participantibus servitio ecclesiarum parochialium S. Mariæ, et S. Mercurii in oppido Serræ adscriptis præceptum injunxit, ut pueros fidei rudimenta, doctrinamque christianam diebus festis docerent, in dictis ecclesiis parochialibus per hebdomadas alternatim, adjecta pœna 30 librarum ceræ, ac suspensionis a divinis in casu contraventionis. Quæsitum hinc fuit, utrum hoc edictum sustinendum sit? et Episcopo puerorum necessitati illud accommodum esse probante, S. C. decisionem suspendit, et dixit ad mentem : *Larinen.*, 30 *sept.* 1719.

8. Confratres S. Mariæ de Humilitate urbis Mantuæ contendunt, exercitium catechismi in sua ecclesia faciendum tantum esse pro pueris, non vero pro puellis, idque evincere cupiunt, tum ob angustiam ecclesiæ, tum propter functiones ibi ex instituto peragendas. Curia episcopalis excipit, catechismum ibi peractum fuisse ab anno 1593 usque ad annum 1695, quo tempore fabricæ causa fuit intermissus, et tandem usque ad annum 1726 ibidem continuasse subjungit; et dicit tandem Episcopo pertinere ecclesiam deputare, qua doctrina christiana monstrari debeat. Proposita causa, exercitium catechismi ab ea ecclesia removendum haud esse S. C. definivit: *Mantuana, Catechismi*, 29 *aug.* 1722.

Dubium, an capellanus, seu rector beneficii erecti in oratorio Sanctissimæ Annunciationis villæ Tini intra limites parochialis ecclesiæ S. Laurentii terræ Accumuli teneatur permittere, ut parochus doceat in dicto oratorio doctrinam christianam, vel possit hoc impedire? S. C. arbitrio Episcopi remisit : *Asculana, Jur. et Funct. paroch.*, 29 *aug.* 1733, *dub.* 5.

10. Posteaquam sacerdotes congregationis Missionis urbis Ferrariæ in exequutionem legati Andreæ Bertoni in oratorio publico rurali diebus dominicis fidei mysteria populum docere cœperint; et huic operi nemine contradicente per 40 annos vacaverint; vicarius ecclesiæ parochialis S. Georgii, intra cujus Ecclesiæ limites oratorium illud positum est, ab Archiepiscopo, ne dominicis diebus sed tantum aliis diebus festis de rebus fidei populo verba facerent dicti sacerdotes, obtinuit. Hinc oraculo S. C. postulato, decisum fuit prædictos sacerdotes populum fidei mysteriis imbuere diebus dominicis in illo oratorio licere, et quoad modum arbitrio Archiepiscopi commendatur : *Ferrarien., Doctrinæ christianæ*, 11 *aug.* 1742.

11. Consuetudo, quæ viget in ecclesia cathedrali, intermittendi doctrinam christianam mense octob., et mense decem. usque ad diem 13 januarii, aliisque diebus impeditis, non est servanda. Etiamsi eo tempore homines aucupio, vindemiis, et rusticatione distenti nullus unus ad eam audiendam accedat : *Hortana*, 8 *august.* 1774, *dub.* 5, confirmata 29 *ejusdem mensis, et anni.*

12. Episcopus ob crassam fidelium in fidei rudimentis inscitiam promulgato edicto extraordinario usus est remedio, ne salus animarum periclitaretur, ideo disquiritur in S. C. an sustineatur edictum Episcopi in ea parte, qua sacerdotibus curam Animarum non habentibus imponitur onus docendi doctrinam christianam sub pœna suspensionis? et datum est affirmativum responsum juxta modum explicandum Episcopo.[104] : *Neritonen.*, 3 *dec.* 1757, *dub.* 1; confirmata addendo juxta modum [105] : 18 *febr.* 1758.

13. Ad alterum dubium, an sustineatur pœna interdicti in eodem edicto intentata adversus ecclesias, in quibus formularium doctrinæ christianæ deficere contingerit? negativam S. Congr. præbuit responsionem : *Ibid., dub.* 2, confirmata 2 *ibid.*

Domesticum oratorium. Vide *Oratorium*, § 1.
Domicilii parochus. Vide *Matrimonium*, § XVI.

[104] Modus fuit, ut edictum sustineatur tantum quoad sacerdotes celebrantes in ecclesiis ruralibus, et quoad sacerdotes, qui Missam celebrabunt in aliis ecclesiis ante tamen Missam parochialem. *Ead. causa*, 15 *febr.* 1758.

[105] Et modus est, et validum sit edictum, quoad ecclesias rurales tantum, sublata pœna suspensionis, et Episcopus se gerat ad formam Const. Sanctissimi Domini Nostri. *Ead. causa*, 18 *febr.* 1758.

DOMICILIUM.

1. Ad dubium an ratione habitationis in villa tempore æstivo, quis acquirat sibi domicilium, ita ut fiat subditus ejus Episcopi, in cujus diœcesis fines est ipsa villa? non acquiri S. C. respondit : *Mutinen.*, 26 *jan.* 1658, *dub.* 2.

2. In consultationem venit, an, et qualis habitatio requireret ad hoc ut advenæ, et exteri quicumque in civitate Savonæ animum permanendi habere dicerentur? responsum prodiit, esse servandum laudum anno 1421 : *Savonen.*, *Jur. paroch.*, 12 *novem.* 1712, *dub.* 10.

3. Censuit S. C. advenas famulatum Oppidanis Campobassi de familiis ecclesiarum parochialium præstantes censeri debere de iisdem familiis; ita ut subjacent pro administratione Sacramentorum Ecclesiæ parochiali familiæ, cui inserviunt privative quoad archipresbyterum : *Bojanen.*, *Jur. paroch.*, *et Præemin.*, 24 *maii* 1732, *dub.* 9.

4. Tres adsunt in civitate Tolentini parochiæ non per regiones, sed per domos, et familias divisæ; forenses itaque semel agnoscentes aliquam parochiam, vel mediante implementi præcepti paschalis, vel se describendo in animarum statu, vel se proclamare faciendo occasione matrimonium contrahendi, aut similia, coram aliquo parocho, peragentes, exinde primam parœciam nequeunt variare : *Tolentina*, *Jurium paroch.*, 13 *julii* 1748, *dub.* 3.

3. Adeoque Joannes Pistonius ad parochialem et cathedralem ecclesiam, cui jam fuerat adscriptus, spectare debet : *Ibid.*, *dub.* 4.

6. Venantius Creolanus, ejusque familia subesse ecclesiæ collegiatæ, et parochiali, S. Blasi oppidi montis Milonis, quam licet deceptus a parocho præelegit; nec subesse debet parochiæ S. Andreæ, cui deinde cognita fraude nomen deberat. Etsi quilibet jus habeat per adscriptionem eligendi alterutram, quam malit, ex dictis parœciis : *Maceraten.*, *Jur. paroch.*, 14 *martii* 1778, *dub.* 3.

Reliqua. Vide *Matrimonium*, § XVII; *Sacramentum Ordinis*, § II.

Dominium. Vide *Bona ecclesiastica*, § IV; *Legatum pium*, § VII; *Sepultura*, § I.

Domus. Vide *Ædis*, *Ædes*.

DONATIO.

§ I.

Donatio quoad acceptionem, et exequutionem.

1. Franciscus Garigliota domum, quam Neapoli possidet, donare cupiebat patribus excalceatis S. Petri de Alcantara nationis Italicæ, qui modo titulo conductionis inhabitant. At quoniam aliam ipse domum oneri quotidianæ Missæ subjectam possidebat, optabat etiam ut ipsi patres dictum sibi onus simul sumerent, ut domus hæc sibi libera remaneret. Patribus obstabant constitutiones, hinc S. C. exoravit, pro venia ut donationem una cum onere admittere patres possint, sed non impetravit : *Neapolitana*, 19 *sept.* 1722.

2. Franciscus Guidellius, mortua uxore, et prole destitutus, juxta patris voluntatem donavit capellæ, seu capellaniæ erigendæ in ecclesia S. Christophori de Trevina omnia bona, quæ tempore patris obitus extabant, reservato tamen sibi usufructu, dum spiritum duceret. Inde a S. C. revocandæ donationis facultatem petiit, ne septem quos ex secundo matrimonio suscepit, filii post ejus obitum fame perearent, firma tamen manente dotatione pro annuis scutis octo, quæ capello ejus pater reliquerat. At quamquam accedat Episcopi assensus, substitutique in patronatu pro petita gratiæ concessione, neque adsit in instrumento expressa renunciatio vulgatissimæ l. *Si unquam Cod. de revoc. Donat.* [106] : S. C. exequendam esse donationem ad formam in-

[106] Ubi habetur : « Si unquam libertis patronus filios non habens bona omnia, vel partem aliquam facultatum fuerit donatione largitus, et postea susceperit liberos : totum quicquid largitus fuerat, revertatur in ejusdem donatoris arbitrio, ac ditione mansurum. » *Perezius in Cod.* lib. 8, tit. 56, num. 21, ait : « Quid igitur, si ab eo qui libros non habet, Ecclesiæ facta sit donatio? Non videtur revocanda, illis postea susceptis, quoniam videtur animæ donator consuluisse, cujus salus filiis præferenda est. Saltem non revocabitur in totum donatio, sed ad legitimam usque filiorum, qui postea nascuntur, quia Ecclesia habetur loco filii, et proinde non plus erit revocanda, quam si filio facta esset. Alii contra dicunt Ecclesiam non esse loco filiorum per *Auth. nisi regati C. ad Trebel.*, nisi

strumenti donationis rescripsit : *Civitatis Castelli, Capellaniæ*, 30 *aug.* 1777, *dub.* 1.

§ II.

Donatio quoad revocationem, et rescissionem.

1. Petrus Costa unus ex capellanis, qui choro, supplicationibus, et functionibus ecclesiæ cathedralis intersunt, donavit suo collegio libras mille, onere imposito duarum Missarum quolibet mense, et alterius Missæ solemnis in suo anniversario, necnon admittendi in capellaniam primo vacaturam sacerdotem Michelettum. At capellani nullam apud illos relinquere dubitationem de simoniæ labe cupientes protestati sunt, ut vel obtineretur sanatio contractus, vel donatio rescinderetur ; ideo gratia sanationis petita fuit, sed responsum ad mentem : *Montis, Regalis*, 16 *decem.* 1724.

2. Bonorum omnium donationem inter vivos Cajetano ex Marino fratre nepoti fecit Livia Cionini. Nonnullis inde vocatis, absque prole descendentibus sua bona in tot Missis impendi jussit. Donatario præmortuo donatrix evanuisse donationem putans testamentum condidit, eodem hæredibus injuncto onere, clausulamque ibi inseruit, qua præcedentem cujusque generis dispositionem derogavit Elisabeth hæres, suis extremum diem obitis filiis, nullam habet aliam spem gignendi sobolem ; idcirco conscientiæ vexata stimulis petiit declarari, num memorata donatio sive per donatarii prædecessum, sive per posterius testamentum satis revocata censeri queat ; seu omnia hæreditaria bona in tot Missis erogari debeant? sed declarationi postulatæ locum haud esse S. C. decrevit : *Feretrana*, 24 *jan.* 1739.

§ III.

Donatio quoad validitatem, et nullitatem.

1. Quum Episcopus Scannagatta causa mortis triplicem exaraverit donationem, tum pro erectione canonicatus in ecclesia cathedrali frequentina, tum pro summa ducatorum inter parochiales ecclesias dictæ diœcesis distribuenda, tum denique in favorem parochorum diœcesis Abellinensis. Eamdem impugnantibus capitulis, et canonicis cathedralium utriusque diœcesis in S. C. : An illa sustineatur? rescriptum prodiit : Card. metropolitano juxta mentem [107] *Abellinen. et Frequentina*, 17 *dec.* 1701, *dub.* 1 et 2. Deinde S. C. illam non sustineri decrevit : 18 *aug* 1703, *dub.* 1.

2. Et quoad bona per dictum Episcopum relicta, quomodo eroganda sint? respondit S. C. juxta votum Card. Usini juxta instructionem [108] : *Ibid.*, *dub.* 2.

3. Donatio a Petro Paulo Polydoro, tam pro utensilibus capellæ Sanctissimum Annuntiationis conventus patrum Reformatorum terræ Tuani, quam pro Missis, necnon pro lana, in favorem dictorum patrum facta non sustinetur : *Marianen.*, *Piar. disposit.*, 6 *junii* 1709, *dub.* 2, confirmata 15 *nov.* 1710.

4. Petrus Leoninus hæres fiduciarius ex asse a suis germanis fratribus Francisco, et Tarquinio nuncupatus fuit, ut id, quod ipsi oratenus ordinasset, implesset. Petrus patefecit, fratrum voluntatem fuisse instructionem seminarii pro adolescentibus religiose in ecclesiastica disciplina educandis. Et condito testamento ipse Petrus fratrum hæreditatem ex suo coacervans, idem seminarium hæredem scripsit. Sed mutato concilio satius duxit, ut loco adolescentulorum seminarii, seminarium erigeretur per presbyteros congregationis Missionis urbe existentis regendum, ad hoc ut illi in disciplina ecclesiastica Amerinos erudirent, et sic omnia irrevocabiliter sua bona congregationi præfatæ donavit. At S. C. decrevit, Petrum in instrumento donationis non potuisse dotare patribus missionis Urbis bona provenientia ab hæreditatibus Francisci, et Tarquinii ejus fratrum præmortuorum : *Amerina*, *Præt. erect. seminarii*, 12 *novem.* 1712, *dub.* 1.

5. Eumdemque Petrum Leoninum in donationis instrumento patribus prædictis montis Citatorii bona propria donare potuisse firmavit S. C. *Ead. causa*, 17 *junii* 1713.

6. Episcopus Andreas Arianus describi in tabulis publicis curavit, præsertim argentea, quæ jurejurando ex propriis patrimonialibus pecuniis sibi comparasse affirmavit, declaravitque, ut nonnulla post obitum suæ ecclesiæ beneficio remanerent, reliqua ad hæredes transirent ; postea titulo donationis irrevocabilis inter vivos ecclesiæ cathedrali proprietatem quorumdam concessit, usumque sibi ipsi, ac Epi-

in casibus a jure expressis, inter quos non est iste : et idcirco in totum revocari censent donationem notis postea liberis ex mente donantis, et ratione textus *in can. fin.* 17, *q. ult.* » Vide Ferrar. *Bibliot.* verb. *Contractus donationis*, art. 3, num. 22, seqq

[107] Mens fuit, ut scriberetur pro meliori informatione super indulgentiis cathedralium, et aliarum ecclesiarum parochialium, prævia electione peritorum, et relatione status hæreditatis, et an effectus hæreditarii sint facilis exactionis, demandando ulterius eidem metropolitano, ut votum suum huic S. C. aperiret : *Ead. causa*, 28 *julii* 1703.

[108] Vide not. 167, tom. 1, verb. *Applicatio*, § 1.

scopis successoribus addixit. Qua de causa capitulum in dubium donationem cœpit revocare, statim ac modernus Antistes ecclesiam illam suscepit; S. C. tamen sustineri donationem mandavit: *Andrien., Donationis*, 19 *aug.* 1713.

7. Ob patrimonium sacrum Joanni Sarconio nonnulla bona quoad usumfructum a Julio, aliisque fratribus de Sarconiis donata fuerunt. Facto sacerdote Joanne sub titulo donationis inter vivos ingratitudinis gratia non revocandæ, retrocessit dictum usumfructum, quum primum fuisset provisus de capellania præservato Episcopi assensu, quo adhuc non concesso, lis super nullitate instrumenti non exarati ad formam Concilii ab ipso Joanne mota fuit, inde Episcopo beneplacitum prodiit, et dubio proposito: assensum illum per curiam episcopalem Casertanam præstitum non esse revocandum, sed confirmandum, S. C. declaravit: *Casertana, Patrimonii*, 26 *januar.* 1715.

8. Emmanuel Gomez d'Elvas monasterium sanctissimum Trinitatis extrui mandavit; ac prima hæres, necnon exequutores testamentarii designati pii operis ab Urbano VIII, fel. rec. super hac erectione, et approbatione diploma obtinuerunt. At Isabella de Castro hæredis mediati testatoris tutrix, et curatrix illud constructum monasterium Theresiæ Mariæ a S. Josepho tertiariæ ordinis B. M. V. de monte Carmelo, ut ibi dicti ordinis moniales reciperentur, donavit; et juxta testatoris mentem, ac facultates ab hæredibus transmissas hanc donationem peregisse asseruit; ob id orto dubio donationem hujusmodi adversante Bulla laudati pontificis minime sustineri S.C. decrevit: *Ulyssiponen., Monasterii*, 3 *oct.* 1716.

9. Donatione irrevocabili inter vivos Lucretiæ tradidit Damianus Mastrota sacerdos diætam domus ad quoddam beneficium, seu capellaniam spectantem, eaque moriente ad donationem Michaelem Serranum ejus virum vocavit. Idem Damianus prædicto Michaeli, a quo deputationem ad dictam capellaniam acceperat, totum id, quod ab ipso tanquam a patrono dicti beneficii quolibet anno prætendere poterat pro sacrari juribus, Missarum cum cantu, aliarumque similium rerum largitus est, necnon sese ad subeunda onera Missarum obligavit. Denique duæ adjectæ fuerunt conditiones, quarum altera fuit, ut hæ donationes durare deberent quoad usque Damianus persisteret in possessione beneficii, et altera fuit, ut in casu inobservantiæ persolvere teneretur scut. 50. Has donationes, S. C. requisita de earum validitate improbavit: *Neapolitana, Prætensæ simoniæ*, 26 *aug.* 1719, *dub.* 1.

10. Situ quodam donato ab Edmundo Buisson ordinis sanctissimæ Trinitatis redemptionis captivorum excalceatorum conventus S. Caroli urbis cum magni tribuni militum Columnæ approbatione, a quo eumdem locum ipse Edmundus ad ædificandum acceperat, in eoque ipse capellam, chorum, octo cellas aliasque mansiones extruxerat, ut eremitas eo in loco recipere posset; dubitatio movetur de validitate donationis et S. C. quamquam vicarius generalis Episcopi Tusculani super hujus nullitate sententiam servatis servandis protulisset, donationem sustineri decernit: *Tusculana*, 3 *febr.* 1725, *dub.* 1.

11. Eremus dote congrua bonorum constituta sub ea lege, ne ista in alium usum distraheretur, erecta fuit. Juxta fundationem diu stetit, sed ambo laici in dicto eremo degentes sub obtentu non inveniendi consocios eremum una cum bonis conventui fratrum ordinis Capuccinorum villæ de Barcellos, ut redigatur ad usum hospitii, et valetudinarii religionis ejusdem ordinis, donaverunt. Sed sese opposuit parochus S. Petri finis de Tamal, intra cujus parœciæ limites dictus eremus constitutus erat, ad infirmandam donationem prædictam, et factus est sui voti compos, ratam donationem illam non habens: *Bracaren., Erect. hospicii*, 12 *aug.* 1741, *dub.* 1.

12. Quum Guillelmus Cheisolmus Episcopus Vasionensis donationis titulo concessisset ordini fratrum Minorum conventualium ecclesiam quamdam una cum domo, atque prædiolo illi adjacentibus, ea tamen sub lege, ut senarius ibi constitueretur religiosorum numerus, quorum duo, vel tres audiendis confessionibus, atque alter habendis concionibus vacarent Accedente inde communitatis Vasionensis consensu patres prædicti possessionem nacti sunt. Adducitur in dubium, an valida sit prædicta donatio, eo quod irrequisito capitulo earum domino impleta est, et servata non est lex ab Episcopo in fundatione indicta ut conservati sint in dicto conventu sex religiosi. Sed post centum, et ultra annorum metam, donationem, servatis tamen conditionibus in instrumento donationis appositis firmum esse definitum fuit: *Vasionen., Jur. paroch.*, 17 *febr.* 1742, *dub.* 1.

13. In odium patris Thomas Innicus Caracciolus filius ducis Martinæ omnia sua bona partim monasterio S. Mariæ de Vita ordinis Carmelitarum excalceatorum, in quo regularem professionem eliciendi votum emisit, partim capitulo terræ Martinæ, et partim denique sodalitio S. Mariæ de Monte Carmelo donavit. Idem Thomas inde nullam donationem declarari postulavit. Et S. C. rescripsit utatur jure suo coram suis judicibus: *Neapolitana, Dispensat.*, 17 *junii* 1752.

14. Concessio usus soli, in quo oratoria sanctæ Mariæ de Paradiso, et S. Josephi intra ambitum conventus minorum Conventualium, a quibus con-

cessio promanavit, cum onere quotannis *cereum paschale* iis tradendi, ædificata reperiuntur, in perpetuum facta censetur; ita ut minime sit expulsioni locus : *Ariminen.*, 30 *julii* 1757 *dub.* 2.

15. Pro donatione ruris nuncupati *Francesto* destruenda urget Franciscus Paulus de Alessio, qui eam in favorem fratris confecerat, reservato sibi superstiti illius usufructu, vel annua ducatorum 17 pensione, quippe rus illud ipsius donantis Pauli patrimonii partem constituebat. Ob id profert ipse Paulus donationem factam fuisse absque Ordinarii licentia, ac patrimonium in re stabili permanere semper debere, ideoque non posse illius loco substitui annua ducata 17, atque eamdem donationem spatio fere 25 annorum nunquam exequutioni fuisse demandatam. S. C tamen validitatem donationis reservato integro usufructu agnovit : *Monopolitana, Donationis*, 20 *jan* 1770, *dub.* 1.

Dos seu Dotatio. Vide *Beneficia ecclesiastica*, § III ; *Canonicatus*, § III ; *Capellania*, § III ; *Legatum pium*, § VIII.

Dotale subsidium. Vide *Monasterium*, § V ; *Subsidium dotale.*

Draghetto vulgo. Vide *Contractus*, § IV.

DUBIUM, DUBIA.

1. Quæsito, an administratio Sacamentorum in ecclesia S. Mariæ de populo spectet ad solum parochum ecclesiæ S Joannis in Vico, intra cujus parœciæ limites illa ecclesia sita est? S. C. reformari dubium mandat : *Forolivien.*, *Jur. paroch.*, 18 *novem.* 1648, *dub.* 3.

2. Ecclesia collegiata S. Mariæ ad Mare oppidi majoris polluta primum, deinde reconciliata, pollutionem ipsam præpositus et canonici in dubium revocarunt; hinc sex dubia super validitate ejusdem, expensarum, ac sacramentorum translationis fuerunt proposita; et S. C. prævio provisionali decreto mandavit, ut proponeretur dubium cuinam incumberet onus curæ? *Amalphitana*, *Translat.*, *Sacrament.*, 9 *junii* 1714, *dub.* 1, *usque ad* 6.

3. Occasione quæstionis inter collegiatam ecclesiam de Zafra, et Visitatorem ab Episcopo deputatum proposita fuerunt dubia XXII, et S. C. censuit rescribere ad Card. præfectum pro resecatione dubiorum, et causa proponatur cum iisdem scripturis : *Pacen.*, *Juris visitandi de Zafra*, 13 *martii* 1728.

4. Postulatur a S. C. definitio controversiarum, quæ erant excitatæ inter capitulum, et præpositum ecclesiæ collegiatæ, et parochialis S. Fidelis, et societatem S. Joan. Baptistæ in atrio super exercitio functionum ecclesiasticarum; et S. C. respondit, ut proponatur dubium super matricitate : *Comen.*, *Administ. et jur. paroch.*, 27 *julii* 1737, *dub.* 4, *usque ad* 8.

5. Causa, in qua agitur de providendo curæ animarum Pagi Steinenstatt ex decimis, quæ in loco percipiuntur a magno per Alemaniam priore religionis Hierosolymitanæ proposita fuit sub quatuor sequentibus dubiis :

I. An constet de prætensa matricitate ecclesiæ parochialis in Schliengen?

6. II. An sit locus ædificationi prætensæ ecclesiæ parochialis in pago Steinenstatt, et cujus sumptibus?

7. III. An sit locus prætensæ deputationi parochi, qui residere debeat in pago Steinenstattensi, et a quo eidem sit assignanda congrua una cum habitatione?

8. IV. An dictus parochus dependere debeat a parocho supradictæ ecclesiæ parochialis Schliengensis, et quales actus, ac functiones parochiales exercere valeat? S. C. respondit : Dilata, et proponatur iterum reformatis dubiis : *Constantien.*, *Ædificat. ecclesiæ paroch.*, 8 *maii* 1756, *dub.* 1, *usque ad* 4.

9. Super legatum distributionis dotium in favorem puellarum oppidi Balneriæ a Dominico Guillelmini relictum, quadam in eo prælatione assignata, S. C. requisita; quomodo sit exequendum prædictum legatum? respondit, ut dentur dubia : *Viterbien.*, *Dotium*, 2 *aug* 1760.

10. Quæsitum quum esset, an moderandum sit decretum Episcopi, quo decrevit nova instrumenta lignea in turri sacra aptari; hinc præses provinciæ communitatem hos sumptus obire adegit.

11. Insuper postulatum est, an Episcopus Pisauri ad restitutionem communitati faciendam oblationum, et expensarum ultra modum pro reparatione ecclesiæ cathedralis erogatarum teneretur? responsum est : Dilata, et dentur nova dubia ad mentem : *Pisauren.*, *Reparat. ecclesiæ cath.*, 8 *maii* 1762, *dub.* 1 et 2.

12. Quum hæc tria proposita essent dubia : An sit approbanda deliberatio capitularis super erectione novæ massæ distributionum, seu addendæ

sint punctaturæ pro recitatione officii parvi B. M. Virginis, aliisque functionibus in decreto Card. Episcopi contentis?

13. An de nova massa participare debeant canonici coadjutores? et quatenus negative.

14. An ex summa assignata pro nova massa sint detrahenda scuta 1,000 monetæ Miletensis, illaque applicanda in erectionem decem canonicatuum secundariorum? S. C. protelata resolutione censuit scribi Episcopo juxta instructionem, et dari nova dubia : *Milevitana, Erec. novæ massæ Distrib.*, 25 *sept.* 1762, *dub.* 1, 2 et 3.

15. In civitate Andriæ definitum est cathedralem ecclesiam unicam esse parochialem, et ecclesiam S. Nicolai esse meram coadjutricem in administratione Sacramentorum ; deinde divisionem faciendam esse demandatum fuit, qua constituta lites exarserunt inter utrumque ecclesiarum capitulum, et hac de causa exhibita 25 dubia in S. C. fuerunt; sed S. C. protelavit definitionem, et ut daretur dubium juxta mentem [109] respondit : *Adrien.*, 20 *decem.* 1766.

16. Dubiis in S. C. propositis, an et a quo jus parochiale sit exercendum in funeribus cadaverum defunctorum in ambitu cathedralis unicæ parochialis et tumulandorum in ecclesia S Nicolai coadjutricis, aut in ambitu ejusdem ecclesiæ, et tumulandorum in quavis ecclesia, ambitus cathedralis?

17. An, et cui competat dictum exercitium parochiale, quando cadavera levanda ex ambitu dictæ ecclesiæ S. Nicolai sepelienda sint in aliqua ex ecclesiis filiabus cathedralis? S. C. respondit, et dentur nova dubia juxta mentem [110]: *Andrien.*, 19 *sept.* 1767, *dub.* 3 et 4.

18. Ob nonnullas controversias factas in novos deputatos Brephotrophi et sodales sanctissimi Corporis Christi Asculi causa pontificii rescripti diei 5 aug. 1795, quod novos deputatos ministro amoto constituere præcipiebat; dubia nonnulla fuerunt in S C. proposita, sed haud fuerunt resoluta, et mandatum proponi dubium ; an constet de obreptione, et subreptione rescripti Sanctissimi? *Asculana, Brephotrophii*, 9 *julii* 1796, *dub.* 1, *usque ad.* 11.

ECCLESIA IN GENERE.

§ I.

Ecclesia in genere, quoad materialem ædificationem, et reparationem.

1. Exoptans Borromæus Accursius in parte propriæ domus positæ in oppido montis Milonis ecclesiam ædificare, dotemque assignare, supplicavit pro hac facultate, et S. C. annuit construendi dictam ecclesiam cum assignatione congruæ dotis, salvis juribus parochialibus pro arbitrio, et conscientia Episcopi : *Maceraten.*, 10 *maii* 1687.

2. Episcopus Nolanus visitans Ecclesiam S Sebastiani ruinam minitantem ac supellectilibus omnino destitutam, beneficiatum, et loci Summæ communitatem præmonuit, ut illam instaurarent; et illam reparare renuentibus, solo æquari jussit. Beneficiatus contra, et communitas instant, ut sumptibus Episcopi instauretur ; quum magna non indigeret reparatione, clausaque remansisset ex sola supellectilium deficientia. Causa ad S. C. delata, hæc censuit non teneri Episcopum : *Nolana, Reædificat. ecclesiæ*, 5 *junii* 1700.

3. Mandricardus et Lucretia Jugales de Pellegrinis nobiles Ravennates, quum in pago S. Petri in Trento cupierit prope amplam eorum donum parvam ecclesiam ruralem sine turri et tintinnabulo S. Francisco de Paulæ dicandam ædificare, ne diebus festis ad parochialem ecclesiam ab eo loco distantem accedere cogerentur, opposuit sese parochus, et contra Mandricardi votum S. C. pariter est opinata. Instauratis inde precibus, recessit a decisis, concessitque veniam eam construendi ecclesiam, salvis juribus parochialibus : *Ravennaten, seu Forolivien., Construct. ecclesiæ*, 27 *junii* 1705.

4. Franciscus Vannius octo reliquit loca montium ad hæc, ut B. Virgini Angelorum dicata extra portam S. Andreæ terræ montis Giorgii fabricaretur ecclesia. Testamenti exequutor ecclesiam in electo loco ædificare non credens, eo quod inhæret colli valde ruinoso, veniam ab Episcopo petiit, illam in

[109] Nam suggessit necessitas explicandi totam divisionem materialem parochiæ civitatis Andriæ in eo, quod Sacramentorum respicit administrationem : *Ead. causa*, 24 *jan.* 1767, § 2,

[110] Vide not. ut supra.

alio construere situ. Mutatio hæc displicuit hæredibus Vannii, qui in ecclesia ædificanda Missas celebrare curare tenebantur, et domum, quam possident prope januam S. Andreæ obferunt, ut in ea nova excitaretur ecclesia. Contendentibus hinc exequutore testamentario, et hæredibus Vannii de loco ad constructionem ecclesiæ aptiori, S. C. resolvit, locum esse commutationi voluntatis juxta votum Archiepiscopi reservato jure exequutori testatoris voluntatem implendi in domo ab hæredibus assignata : *Firmana*, *Ædificat. ecclesiæ*, 12 *febr.* 1718.

5. Episcopus Asculanus in sua visitatione instaurari jussit parvam ecclesiam S Francisci de Capradoxo, in qua Scipio de Boncompagnis quodquam simplex retinet beneficium, et affirmat eam esse omnino dirutam, et supellectibus destitutam absque tecto, et a ceteris prædecessoribus Episcopis pro derelicta habitam, permittendo, ut Missæ, quæ in eadem essent celebrandæ, in ecclesia parochiali S. Luciæ celebrarentur. Hinc quæsitum fuit, an foret restauranda, et supellectilibus instruenda et hoc statuto, ad quemnam reparatio spectaret? S. C. voluit Episcopo scribi juxta instructionem [1] : *Asculana Reædificat. ecclesiæ* , 11 *maii* 1720. Episcopo respondente, pro rectore annua scuta sex cum dividio tantum remanere, ecclesiam jam a multo tempore reparatione indigere, seque ex fructibus, quos sub sequestro misit absque ulla alia Scipionis impensa, modum invenire de novo ecclesiam, quæ ad excitandam fidelium devotionem multum prodest construere : idcirco S. C. indixit, ut Episcopus mandaret reparari ecclesiam cum fructibus usque adhuc sequestro depositis : 21 *junii* 1721.

6. Ad judicium S. C. relatum est, an onus reparandi ecclesiam abbatialem S. Thomæ de Aqua Nigra, eamque providendi de supellectilibus sacris spectaret ad hæredes Card. Joan. Baptistæ Spinulæ, olim abbatis præfatæ abbatiæ ; vel potius ad Ricciardellium vicarium ejusdem Ecclesiæ? responsum fuit, ut scriberetur Episcopo juxta instructionem [2] : *Mantuana*, *Reparat. ecclesiæ*, 22 *novem.* 1721. Precibus iterum oblatis, et novo exhibito documento, eadem facta scisitatio fuit, et idem prodiit responsum, ut nempe Episcopo juxta instructionem [3] scriberetur : 24 *maii* 1732.

7. Societas S. Mariæ de Suffragio numero confratrum adaucta, ob loci angustiam in ecclesia S. Ambrosii extra mœnia sita, commorare amplius non valens, quodam sibi comparato intra civitatem hospitio, novam ibi construere ecclesiam postulaverit ; et suo fuit concessum voto : *Privernen.*, *Ædificat. ecclesiæ*, *et Jur. paroch.*, 24 *septemb.* 1735.

8. Reparatio ecclesiæ S. Mariæ de Vivario, sive S. Rocchi urbis Tusculi ad formam decreti sacræ Visitationis a Card. Episcopo factæ spectat ad communitatem, non autem ad capitulum cathedralis ejusdem civitatis. Card. enim Cybus olim Episcopus decreverat, instaurationem ad communitatem illius ecclesiæ spectare ; et ecclesia antiquitus erat cathedralis, ac parochialis simul, in qua remansit capellanus, qui animarum saluti incumbit : *Tusculana*, *Reparat. ecclesiæ*, 11 *januar.* 1738, *dub.* 1, confirmata 1 *martii ejusd. anni.*

9. Latifundium possidens Pius Puccettus in territorio castri Apignani, quod perpetuo incolunt plurimi coloni, et quod a parochiali ecclesia per fluvium ita dividitur, ut hyemali tempore ingruentibus pluviis sit admodum difficile ad eam accedere, publicam cupit ædificare ecclesiam, in qua capellanus sacrum celebret diebus festis, puerosque doceat doctrinam christianam. Audito inde parocho, irritum cessit Puccetti votum : *Auximana*, *Ædificat. ecclesiæ*, 2 *sept.* 1747, confirmata 22 *martii* 1755.

10. Veteri diruta ecclesiam novam ædificari statuit Anconitana ordinis Prædicatorum familia. Adprobata hæc patrum resolutio fuit a sacra cong. boni regiminis, nonnullis ab hac additis conditionibus. Patres impetrabant beneplacitum apostolicum ut in forma juris valida sese obligarent. Opposuerunt sese cives, impugnantes novæ construendæ

[1] Summa instructionis fuit, ut Episcopus referret super reditibus beneficii, super impensa necessaria pro instauratione, necnon doceret S C. quoad tempus, quo incepit necessitas restaurandi ecclesiam : ***Ead. causa***, 21 *junii* 1721, § 2 et seqq.

[2] Nempe, ut instruat super quantitate impensæ, quæ erit necessaria pro reparanda debito modo ecclesia, et pro eam providendo de congruis supellectilibus, necnon circa tempus, quo incepit detrimentum fabricæ, et supellectilium, ac ulterius referat, de quo tempore collata fuit abbatia clar. mem. Card. Spinulæ, et de quo tempore Ricciardellus fuit ad vicariatum admissus : interim vero vicarium prædictum cogat, atque compellat ad ea facienda, quæ necessaria sunt, ne labatur ecclesia, et ut ipsa habeat suppellectilia sacra simpliciter necessaria, sine tamen præjudicio jurium ejusdem vicarii, reservatoque etiam ei jure se revalendi contra quos de jure. ***Regist. lit.*** lib. 26, *die* 22 *novem.* 1721.

[3] Quod firmaretur statu fructuum certorum, et incertorum, qui a vicario percipiuntur servatis servandis exprimendo valorem non solum in moneta Mantuana, sed etiam in Romana, referat de oneribus ac impensis pro illis necessariis, quantitatem fructuum, quos Card. abbas percipit, ac circa observantiam quoad reparationem ecclesiæ, et sacrarium supellectilium tempore præterito. ***Regist.*** lib. 28, *die* 24 *maii* 1732.

ecclesiæ utilitatem. Verum S. C. beneplacitum concedi posse putavit juxta modum [4]: *Anconitana, Beneplaciti*, 27 *martii* 1762, *dub.* 1.

11. Episcopo Balneoregiensi demandata a S. C. fuit exequutio decretorum, quæ ecclesiæ pavimenti instaurationem, et divinum cultum respiciebant: *Balneoregien. et Urbevetana*, 7 *junii* 1777.

12. Ecclesia parochialis villæ Rezoalli sub se continet alias quindecim villas seu pagos, quos inter recensentur finitimi pagi Brignola, et Planum animabus circiter 300 compositi, et ab ecclesia parochiali duobus fere milliariis dissiti. Quum in duobus his pagis nulla ecclesia, nullumque adesset publicum oratorium, in quo vel sacrum celebrare, vel Deo preces effundere valerent, hinc deliberarunt de ecclesia in dicto pago Brignolæ construenda. Contradictorem experti sunt parochum; sed obtenta a domino pagorum assensu, stipulatoque de ea construenda instrumento, manutenendaque, instiuerunt pro facultate præfatam ecclesiam ædificandi, et impetrarunt, salvis juribus parochialibus, et ad mentem [5]: *Derthonen., Erect. ecclesiæ*, 30 *maii* 1778.

13. Patronalis ecclesia B. M. V. in cœlum Assumptæ dicata, et sita in villa de Sæno proximam minatur ruinam. Hinc cum fructibus nonnullorum locorum montium assignatorum pro celebratione Missarum in ea ecclesia celebrandarum provideri postulatur illius necessitati, sed S. C. distulit causam, eamque proponi mandavit, citato patrono: *Camerinen., Restaurat. ecclesiæ*, 6 *martii* 1779. Patrono suam sustinente, et probante paupertatem prodiit affirmativa responsio juxta votum Episcopi [6]: 27 *novem. ejusd. anni.*

14. Quum ecclesia S. Mammantis ruinam minitans solo æquata fuisset, et ex cœmentis ad eam reparandam paratis nova ecclesia S. Mariæ de Platea, quo simulacrum S. Mammantis translatum fuit, fuisset constructa; postulabatur, an et cujus sumptibus præfata S. Mammantis ecclesia sit in pristinum reducenda? Sed absolutum S. C. reddidit responsum negativum: *Brictinorien., Translat. ecclesiæ parochialis*, 14 *decem.* 1782, *dub* 2.

15. Joan. Franciscus Jacobus duo prædia legavit Congregationi S. Mariæ Gaudii, et S. Apolloniæ Bononiæ civitatis. Horum redituum medietas in ecclesiæ ædificio, medietas in celebratione Missarum impendi debebat. Sodales pro oratorii, et sacrarii sodalitii reparatione explenda postularunt, ut summa 257 scutorum, quæ a morte testatoris supererat, eratque sub depositi lege, in reædificationem posset erogari. Sed medietatem tantummodo hujus depositæ summæ obtinuerunt: *Bononien.*, 21 *junii* 1783. Altera inde postularunt depositi medietatem ad perficiendum ædificium, et rescriptum tulerunt, ut scriberetur Card. Episcopo juxta instructionem [7]: 6 *maii* 1786. Denique S. C. annuit juxta votum Archiepiscopi [8]: 28 *maii* 1791.

16. Inter plurima pia legata, quæ reliquit Julius Antonius Silvagni, inter cetera novæ ecclesiæ constructionem mandavit. Sed perfici hæc nequit ob defectum redituum, qui impendi debent etiam in subsidiorum dotalium distributionem; hinc postulatur, an, et quomodo sit consulendum sumptibus necessariis ad perficiendum ecclesiæ ædificium? respondit S. C. affirmative ex reditibus superextantibus ab anno 1791 inclusive; et Episcopus curet omnino rectam administrationem, injuncta ad hunc effectum administratori redditione rationis faciendæ quotannis eidem Episcopo: *Ariminen., Subsid. dotal. et fabricæ ecclesiæ*, 26 *sept.* 1795, *dub.* 2.

17. Extra mœnia Rocchæ Contratæ sita est ecclesia nuncup. *la Madonna del Renale*, et in ea miraculis clara B. M. imago. Ibi simplex benefi-

[4] Modus est, ut exequatur Mappa Marchiosis pro scut. 35 millia cum approbatione P. Vicarii generalis: *Ead. causa*, 27 *martii* 1762

[5] « Et mens est, ut Episcopus quam citissime curet constructionem, et erectionem unius ecclesiæ, seu oratorii publici in situ per eum designando, qui commodior sit omnibus incolis villarum Brignolæ, et Plani, eligatque sacerdotem idoneum, qui in erigenda ecclesia, seu oratorio sacrum celebret in omnibus diebus festi de præcepto hora commoda populo, et prævio triplici sonitu campanæ cum distantia unius quadratis ab uno sonitu ad alium, necnon pueros doceat rudimenta doctrinæ christianæ, et pro constructione dictæ ecclesiæ, seu oratorii, prout etiam pro sacris supellectilibus earumque respectiva manutentione, ac pro congrua eleemosyna arbitrio ejusdem Episcopi sacerdoti subministranda taxam imponat incolis dictarum villarum juxta eorum vires, eorumque respective patrimonium, et qualenus non sufficiat, suppleat ex fructibus an ecclesiam matricem pertinentibus ad formam Concilii Tridentini, sess. 21. cap. 4, *de Reform.* » *Thesaur.* tom. 47, pag. 127.

[6] « Cum ergo satis clara sit dispositio, et voluntas pii institutoris in cedendis, et resignandis dictis locis montium pro ejusdem ecclesiæ manutentione, censeo annuendum esse precibus oratoris. » *Ead. causa*, 30 *januar.* 1779, § 4.

[7] « Ut referret nempe, an in totum, vel in parte sequuta fuisse redintegratio bonorum distructorum; num pro Missarum celebratione medietas remaneret; et an libere demum, vel cum onere redintegrationis concedi posset pecunia: *Ead. caua*, 28 *maii* 1791, § 2.

[8] Qui ait: « Quod sicuti in prædicto rescripto diei 21 junii fuit impertita licentia erogandi medietatem scut. 240 in reædificationem oratorii, et sacrarii nullo imposito onere redintegrationis, ita videtur, quod eadem ratione impertiri possit licentia erogandi in solutionem aliarum expensarum de quibus sermo est in precibus, alteram medietatem scut. 240 absque onere redintegrationis: *Ead. causa*, 28 *maii* 1791, § 2.

cium erectum est; et quum hæc ecclesia esset prope diruta, ad reparandam Marcus Antonius Rossi legavit scut. 50, quæ summa, et beneficii reditus ad reficiendam impares sunt. Theodorus Carletti hoc onus se spondit implere, et ecclesiam novam intra oppidi mœnia ædificare, et manutenere, si ei reservetur juspatronatus, et subministretur dirutæ ecclesiæ cœmenta, imago, et scut. 50, et alia scut. 50, a beneficiato subministranda, et ei vendatur prædium beneficii, solvendo fructus compensativos 5 pro centenario. Beneficiatus favet postulationi, et etiam S. C., quæ esse locum reædificationi ecclesiæ juxta votum Episcopi [9] statuit: *Senogallien., Reædificat ecclesiæ*, 6 *maii* 1797.

18. Vigore piæ dispositionis Card. Petri Pauli de Comitibus institutæ in favorem trium ecclesiarum S. Mariæ de Trivio, S. Mauri, et S. Mariæ *del Rivo*, reparatæ, et iterum ædificatæ dictæ ecclesiæ fuerunt, sed ecclesia S. Mariæ *del Rivo* prope diruta, cujus expresse testator instaurationem non ordinaverat, Episcopo placuit opus suspendere. Putabat enim inutilem illam esse, et superfluam; quum esset in Villicula S. Mauri, in qua exiguus est populus. Re in S. C. delata, declaravit non esse locum illius ecclesiæ reparationi: *Camerinen.*, 18 *novem.* 1797, *dub.* 3.

§ II.

Ecclesia in genere, quoad alienationem, materialem demolitionem, et profanationem.

1. Quum manuteneri ecclesiæ annexæ parochiales non possent, quæritur, an indulgere possit ab Archiepiscopo devastatio, vel profanatio ecclesiæ annexæ minantis ruinam, cunctaque onera transferenda, accedente consensu parœciæ incolarum ejusdem ecclesiæ devastandæ? S. C. censuit servandam esse formam Concilii, cap. 7, sess. 21, *de Reformat.* [10]: *Urbinaten., Visitat. sacr. Liminum*, 10 *martii* 1663, *dub.* 26.

2. Ecclesiam S. Prosperi derelictam, et instauratione indigentem, quam confraternitas quædam emere cupiebat a clericis regularibus minoribus civitatis Bononiæ, vendi, alienarique nefas esse in casu de quo agitur, S. C. putavit [11]: *Bononien.*, 24 *febr.* 1720.

3. Spoleti seminarium exposuit, se in solo Lateranensi duas dirutas possidere ecclesias, S. Catharinæ unam, et alteram eremi S. Antonii una cum nonnullis bonis in castro Vallis sitas; ideoque supplicavit pro opportuna eos ab alienandi venia, et impetravit. Peracta inde est venditio, quam S. C. ratam habuit: *Spoletana, Capellæ*, 9 *sept.* 1730, *dub.* 1. Capitulum postea Lateranense prætendit harum ecclesiarum venditionem fuisse invalide factam, utpote quæ destituta fuit ejusdem capituli assensu; et frustranea non fuit capituli prætensio, quippe quod venditionem illam sustinendam haud esse S. C. declaravit: 17 *novem.* 1731, confirmata 12 *febr.* 1735.

4. Ab ecclesia SS. Laurentii, et Hilarii, ad ecclesiam SS. Philippi, et Jacobi, villæ Colbuccani translatione, et a plebania S. Donati dismembratione familiarum trans flumen Flastram peracta, earumque aggregatione ad novam prædictam Colbuccani parochiam cum omnibus juribus parochialibus facta; quæsitum est, an prædicto ecclesia SS. Laurentii, ea

[9] Qui ait: « Si pius oblator ædificandi onus in se recipiat, sacerdotii dos crescit, si valor æstimii catastralis cum venditionis pretio comparetur: annuus quoque reditus augetur, si cum fructibus compensativis conferatur: quodque majoris momenti est nil conducibilius excogitari potest, quam si pius oblator ad sacræ supellectilis subministrationem, atque perpetuam ædificii manutentionem se obligaverit. Neque per ea, quæ diximus, ulla EE. VV. dubitatio oriatur, quasi quidquam mali obventurum, si nova ecclesia alio ædificetur, quam in veteris ecclesiæ loco. Quippe ab eo parum distat PP. Reformatorum ecclesia, et cœnobium, ubi sacrum facere, et Missas audire facile est: viceversa nova ecclesia ædificanda est in loco, ab aliis ecclesiis distante, propterea que magnam oppidanis utilitatem, commoditatem afferri dicendum est: *Ead. causa*, 18 *martii* 1797, § 4.

[10] Ubi legitur: « Cum illud quoque valde curandum sit, ne ea, quæ sacris ministeriis dedicata sunt, temporum injuria absolescant, et ex hominum memoria excidant; Episcopi, etiam tanquam Apostolicæ Sedis delegati, transferre possint beneficia simplicia, etiam jurispatronatus, ex ecclesiis, quæ vetustate, vel alias collapsæ sint, et ob eorum inopiam nequeant instaurari, vocatis iis, quorum interest, in matrices, aut alias ecclesias locorum eorumdem, seu viciniorum, arbitrio suo, atque in eisdem ecclesiis erigant altaria, vel capellas sub eisdem invocationibus; vel in jam erecta altaria, vel capellas transferant cum omnibus emolumentis, et oneribus, prioribus ecclesiis impositis. » Et in fine præcipitur, « in profanos usus non sordidos, erecta tamen ibi cruce, convertendi. »

[11] « Etenim resolutio præsupponit, ut vera erat, quod licentia seu facultas Summi Pontificis per organum dictæ S. C. fuerat pro concessione ecclesiæ præfatæ ad usum, ita ut restauretur, non ut vendere eam mediante pretio PP. Minores possent, quod regulariter fieri æquitas, et rationes supradictæ, ac exempla non permittunt, sed quia S. C. noluit firmare, ut si adfuisse facultas pontificia vendendi ejus usum, vel ædificium potuerat exequi, ideo respondit, *negative*, scilicet non posse vendi *in casu, de quo agitur*, attenta licentia Papæ limitata ad usus tantum concessionem, non autem venditionem » Card. Petra *Comment. ad Const. V Pauli II*, sect. 2, num. 24, tom. v, pag. 220.

Hilarii cum membris, et pertinentiis, et portione sacræ supellectilis potuerit concedi societati Sanctissimi Sacramenti in oppido Montis Ulmi, in locum prioris angustæ ecclesiæ ad dictam societatem spectantis? S. C. jussit, ut scriberetur Episcopo pro meliori informatione juxta mentem : *Firmana, Translat. paroch.*, 27 *febr.* 1734. *dub.* 3.

5. Monasterio Vallis viridis ob motum terræ diruto, moniales migrarunt ad castrum vetus, novumque ibi monasterium contruxerunt. Ut autem monasterii clausura conficeretur, postularunt parvam, ac depressam ecclesiam monasterio proximam dirui, ecclesiæ diruendæ pretium patronis exsolvere vel aliam in situ ipsis accepto ecclesiam ædificare paratæ. Voti compotes factæ sunt moniales ; sed pro exequutione, remissa res fuit ad Card præfectum ad mentem: *Hieracen., Exempt.*, 6 *decem.* 1760, *dub.* 2.

6. Patres ordinis Prædicatorum unam in urbe Anconæ construere ecclesiam, et veterem prope dilabentem evertere statuerunt. Opposuerunt sese cives Anconitani, viam publicam in situ antiquæ ecclesiæ conventus sternere nimis indecorum esse asserentes, eo quod profanationes hujusmodi a sacris Canonibus vetitæ sint. At S. C. præfatam fieri demolitionem imperavit : *Anconitana, Beneplaciti*, 27 *martii* 1762, *dub.* 4.

7. Parva in agro Somneni adest ecclesia S. Nicolao Barensi dicata, quæ eremitæ custodienda persæpe data est. Ad eam quolibet anno feria secunda Pentecostes supplicatum itur. Capitulum cum parte cleri accedit, sed nullo decenti servato ritu, nulloque ob difficilem viam ordine, ibique tria Sacra celebrat. Assiduis est obnoxia direptionibus, nequidquam toties impensa monasterii S. Mariæ de Cannis, ad quod illa pertinet, reparata, receptaculum sæpenumero pecori, non raro hominibus facinorosis perfugium, asylumque ; ob id supplicarunt moniales, ut profanaretur. Annuit monialium precibus S. C., sed juxta votum annuit Episcopi [12] : *Terracinen.*, 2 *junii* 1764, *dub* 1.

8. In dubium venit, utrum liceret vendere situm antiquæ ecclesiæ, ad hoc ut pretium in constructionem novæ parochialis ecclesiæ prope collegium patrum Doctrinæ Christianæ ædificandæ, et ampliandæ erogaretur? Suspensa primum fuit causæ resolutio, et demandatum : Episcopo scribi juxta instructionem : *Pontis Curvi, Reædificat. et Translat. ecclesiæ paroch* 13 *sept.* 1777, *dub* 3. At ad novam inde truinam ducta causa, affirmativum prodiit responsum cum solitis tamen clausulis : 6 *martii* 1779.

9. Ecclesiæ S. Laurentii fatiscentis, et in incommodo positæ situ demolitio illius beneficiato permittitur, extructo in proxima SS. Annunciatæ ecclesia altari in honorem ejusdem Beati ; quum homines Villæ Casalinorum cœmenta ecclesiæ diruendæ offerrent : *Camerinen., Demolit. ecclesiæ*, 18 *dec.* 1790.

10 Vigore piæ dispositionis Card. Petri Pauli de Comitibus ordinatæ in favorem trium ecclesiarum S. Mariæ de Trivio, S. Mauri, et S. Mariæ *del Rivo*, reparatæ, ac reædificatæ dictæ ecclesiæ fuerunt ; sed ecclesiæ S. Mariæ *del Rivo* prope dirutæ, cujus expresse reparationem testator non demandavit, Episcopus instaurationem suspendit. Censebat enim inutilem, ac superfluam illam esse, quum esset in villicula S. Mauri, in qua exiguus est populus. Sed re in S. C. delata, firmatum est locum esse profanationi, servata forma Concilii Tridentini [13], et erecta capella sub titulo B. M. V. de Rosario in altera ex duabus ecclesiis : *Camerinen.*, 18 *novem.* 1797, *dub.* 3.

11. Erecta præbenda theologali in ecclesia cathedrali cum suppressione conventus parvi PP. Eremitarum S. Augustini nuncupati *della Vo tre* in territorio, et parœcia Vallis Nucis siti, hodiernus Theologus exorat pro demolitione ecclesiæ, ædium illius conventus contractione, et Missarum quinque translationem ad cathedralem, quum hæc ecclesia, et conventus, in quo modo coloni habitant, pessimo statu essent, manutentionis onus non leve, et sacerdotes ad Sacrum peragendum in illa ecclesia difficillime accedunt. Precibus S. C. annuit juxta votum Episcopi [14], apposito Icone divi Augustini in altari ab eodem Episcopo designando in ecclesia cathedrali : *Brictinorien.*, 24 *novem.* 1792, *dub.* 1, confirmata 17 *junii* 1797.

§ III.

Ecclesia in genere quoad concessionem et unionem.

1. Agendum cum ministris ejusdem Card. Legati, quomodo, et qua auctoritate concesserit lega-

[12] Qui ait : Expediens crederem profanatio ejusdem prævia tamen translatione imaginis divi Nicolai ad ecclesiam monasterii, ad quam in posterum clerus facilius, et cum populi ædificatione instar supplicationis accedere, et celebrare missa præfatas valeret ; tanto magis, quia ipse clerus a me auditus nullam opposuit difficultatem ; sed potius suum præstitit consensum: *Ead. causa*, 14 *april.* 1764, § 2.

[13] Sess. 21, cap. 7, *de Reform.* ubi tribuitur Episcopis facultas *ecclesias dirutas in profanos usus, non sordidos, erecta tamen ibi cruce, convertendi.*

[14] Qui favet in omnibus exceptis duabus domibus ruralibus, quæ restaurari debent ad familiæ colonicæ commoditatem: *Ead. causa*, 15 *sept.* 1792, § 3.

tus ecclesiam parochialem de Phara in commendam cum reservatione pensionis : *Vasionen., Visitat. sacr. Liminum.* 25 *aug.* 1637, *dub.* 4.

2. Civitas Beneventana Summo Pontifici supplicavit, ut ecclesiam S. Sophiæ una cum diminutis, paucisque suis reditibus Canonicis secularibus S. Bartholomæi, qui proprio ære propriam ecclesiam terræ motus causa fatiscentem reparare non valent, concedere dignaretur ; Canonicis regularibus Sanctissimi Salvatoris ordinis S. Augustini, qui ad unum, duosve tantum redacti sunt, et onera implere nequeunt, ab ea ecclesia prorsus amotis : sed supplicavit incassum : *Beneventana, Concessionis*, 18 *aug.* 1703.

3 Presbyteri Congregationis Oratorii urbis Mantuæ exposuerunt, quod ecclesiam ita habent angustam, ut in ea exerceri nequeant officia ad proprium institutum pertinentia ; et exposuerunt etiam, quod prope hodiernam ipsorum ecclesiam parochialis adest ecclesia SS. Simonis et Judæ ; et exorarunt propterea hujus proximioris ecclesiæ concessionem. Audita hinc Mantuani defuncti Episcopi informatione S. C. voluit, ut audiretur novus Episcopus juxta instructionem [15] : *Mantuana, Concessionis ecclesiæ*, 17 *junii* 1719, *dub.* 1.

4. S. C. existimavit validum esse breve perpetuæ concessionis ecclesiæ, quæ hodie est hospitalis peregrinorum S. Antonii abbatis terræ Medicinæ, ad hoc ut sodales confraternitatis salutis ab ecclesia villæ Fontanæ translati, functionum ecclesiasticarum exercitium ibi peragere valerent : *Bononien.*, 28 *julii* 1724, *dub.* 2.

5. Card. Paraccianus Firmanus Archiepiscopus ad instantiam parochi, et plebani parochialis ecclesiæ S. Angeli ecclesiam S. Augustini ab Innocentio X, Pont. Max., suppressam una cum conventu, et omnibus illius fructibus, et oneribus univit huic parochiali ecclesiæ, remotis capellanis. Contra hanc unionem protestata est communitas, et num sit servanda? exquirit. Servandam haud esse S. C. mandavit, voluitque ut Archiepiscopus uteretur jure suo contra parochum pro refectione damnorum ecclesiæ illatorum : *Firmana, Unionis*, 16 *martii* 1782, confirmata 23 *novem. ejusd. anni.*

§ IV.

Ecclesia in genere quoad pollutionem.

1. Altercatione inter clericos Lucam Ferinium, et Blasium Venosium in collegiata ecclesia S. Mariæ ad Mare oppidi Majoris exorta, vulneratus est Ferinius, et sanguis ex plaga manavit. Hinc tanquam polluta habita ecclesia fuit. Reconciliata postea ecclesia præpositus, et canonici, pollutionem hanc in dubium revocarunt, eo quod vix cruor apparuerit, nec in terram effluxerit Proposita fuerunt propterea hæc dubia : An constet de pollutione ecclesiæ collegiatæ prædictæ? et quatenus affirmative.

2. An Archiepiscopi vicarius a dicto capitulo exigere valuerit ducatos quinque, et alias expensas? et quatenus negative.

3. An ad illorum teneretur restitutionem ?

4. An translatio SS. Eucharistiæ sacramenti a prætata ecclesia collegiata ad parochialem S. Petri ab Archiepiscopo demandata sustineatur?

5. An sæpefatæ ecclesiæ S. Petri parochus suis fidelibus eadem sacramenta subministrare, infantes illorum baptizare matrimoniis, ac cadaverum tumulationi in eadem collegiata una cum stola sine proprii parochi consensu interesse, valuerit? et quatenus negative.

6. An et in quibus pœnis incidorit, et emolumenta parochialia restituere teneretur? responsum ad singula fuit restituenda esse Sacramenta, et ab Archiepiscopo auctoritate S. C. deputari unum ex canonicis œconomum pro cura animarum cum congruæ a quo de jure solvendæ assignatione, et mandatum insuper fuit, ut proponeretur dubium, cuinam incumbere curæ onus : *Amalphitana, Translat., Sacrament.*, 9 *junii* 1714, *dub.* 1, 2, 3, 4, 5 et 6.

§ V.

Ecclesia in genere, quoad materialem situationem et subjectionem.

1. Oratorium S. Jacobi citra pontem oppidi Borzonaschæ constructum in sua jurisdictione situm esse prætendebat Januensis Archiepiscopus, et in sua pariter situm esse disputabat Episcopus Bobiensis. Hac jurisdictionis quæstione in disceptationem coram S. C. deducta, et una cum topographica tabula perpensa, decidit in jurisdictione Episcopi Bobiensis esse situm. *Januen., seu Bobien., Jurisdict.*, 24 *sept.* 1707, *dub.* 1. Ad maturius examen revocata causa, rescriptum exiit, ut probationes coadjuvarentur juxta instructionem 5 *julii* 1710.

[15] Exquirendum esse censuit ab Episcopo an parochiæ incolæ SS. Simonis, et Judæ, quos audire potuerit, et debebit, conquerantur de translatione parochiæ ad ecclesiam S. Ambrosii; item an facta accessione novorum parochiæ incolarum, et eorum subjectione ecclesiæ, seu parœciæ S. Ambrosii parochus hic bene valeat omnibus sacramenta ministrare, et cetera alia peragere ab suum munus pertinentia, et tandem an PP. Congregationis Oratorii intendant acquirere gratis, vel solo pretio ecclesiarum SS. Simonis, et Judæ domum parochialem, et annexa, et si emere intendant, in cujus manus pretium devenire debeat, et in quam causam erogandum, referat, et sententiam proferat: *Regist. lit.* lib. 25, *die* 8 *julii* 1719.

2. Prope fines, qui Besidiarum, et Consentiæ diœceses dividunt, oppidum reperitur nuncup. *li Marri* habitatoribus plerisque frequens; sed carens ecclesia. Novam hinc habitatores isti sibi construxerunt ecclesiam. Quum de ea benedicenda ageretur, quæstio facta est inter duos Ordinarios oppido finitimos, quinam benedicere novam liceret ecclesiam? S. C. pro Besidiarum Episcopo respondit; illique præfatum oppidum adjudicavit. Nam erat hic in antiqua visitandi possessione, pluresque ibi jurisdictionis actus peregerat: *Consentina, seu Bisinianen., Jurisdict.*, 28 *martii* 1711, confirmata 28 *novem. ejusd. anni.*

3. Quum vicarius generalis diœceseos Muriani quædam visitationis decreta divulgasset, affixissetque ad valvas abbatialis ecclesiæ S. Mariæ de Perno, quæ Melphiensi seu Rappolensi, ac Muriani diœcesibus limitropha reperitur; data est S. C. occasio decidendi, ecclesiam S. Mariæ de Perno non in Muriani, sed in Melphiensi seu Rappolensi diœcesi esse sitam: *Melphien., Jurisdict. et censur.*, 16 *julii* 1712, *dub.* 1. [16].

4. Episcopus Camerinensis se contulit ad ecclesias S. Sergii, S. Mariæ de parvo hospitio, et S. Angeli in cryptis, et visitavit. Auximanus Episcopus hoc fieri ab eo nequivisse prætendit, eo quod ecclesiæ S. Mariæ, et S. Sergii sitæ sunt in sua diœcesi; hac de causa in quanam ex prædictis diœcesibus sitæ illæ sint quæsito, probationes hinc inde juxta instructionem coadjuvari S. C. mandavit: *Auximana, seu Camerinen., Jurisdict.*, 12 *julii* 1721, *dub.* 1. Sed devenerunt postea ambo Episcopi ad concordiam, et S. C. stetit pro ejus approbatione: 5 *decem.* 1722.

5. Antiquam ædiculam, et eremum in districtu urbis Hadriæ S. Mariæ Gratiarum dedicatam, propriis partim bonis, partim ex collecta stipe reædificavit, et adauxit Dominicus Carosinus eremita, qui capitulo ecclesiæ cathedralis commendavit, ut bonos sibique benevisos eligerent eremitas. Eremitas revera diu elegit capitulum. At Episcopus qui hoc antea eligebat ægre tulit hanc capituli juridictionem; idcirco definiri postulatum est, ad quemnam eremus una cum suis adnexis, et ecclesiæ directio, etiam œconomica, et redditionis rationis ab eremitis receptio spectaret? ad Episcopum spectare resolutum fuit: *Hadrien.*, 19 *januar.* 1754, *dub* 1. Sed reproposita causa, recedit S. C a præfata decisione, et statuit, spectare ad capitulum salvo jure Episcopi petendi redditionem rationis ab eodem capitulo: 16 *martii ejusd. anni.*

6. Intra limites parochiæ, quæ est unica in castro Massiniani, adest ruralis ecclesia SS. Felicis et Adaucti splendide erecta. Ecclesiam hanc Massiniani parocho subjectam esse S. C. determinavit; ita ut parochus in ea jura tantum parochialia exercere valeat: *Firmana*, 8 *aug.* 1772, *dub.* 4.

7 Ecclesia ruralis S. Antimi in beneficium simplex erecta posita est in territorio civitatis S. Leonis juxta sacram Episcopi visitationem, sed intra fines parœciæ S. Blasii castri Majoli secundam Petri Camagli assertionem ejusdem ecclesiæ archipresbyteri. Præfatum beneficium unitum fuit seminario, et postea seminarium ad se revocavit possessionem ecclesiæ, et in ea explevit sacras functiones, et domum locavit; sed læsa archipresbyter tum sua tum populi jura autumans, quum omnes functiones in ea ipse exerceret, et claves retineret, est res in S. C. delata, hæc juxta votum Episcopi, ad seminarium dominium ecclesiæ S. Antimi pertinere respondit: *Feretrana*, 9 *julii* 1796, *dub.* 1.

§ VI.

Ecclesia in genere quoad statum, et qualitatem.

1. Sacerdotibus, et clero terræ Picinischi Sum. Pont. Clementi XI supplicantibus, ut ecclesiam parochialem S. Laurentii non collegiatam, sed receptitiam esse declarare dignaretur, eo quod sex illius asserti canonici omnia ecclesiæ bona occupent, nec doceant de collegialitate; S. C., a qua, an esset collegiata? fuerat requisitum, respondit, ut coadjuvarentur probationes: *Sorana, Collegiatæ*, 26 *nov.* 1701, *dub.* 1.

2. Eamdemque vero ecclesiam receptitiam haud esse resolvit: *Ibid., dub.* 2.

3. Patres S. Annæ ordinis servorum B. Mariæ urbis Placentiæ de parochialitate ecclesiæ B. Mariæ Croariæ, quæ illorum conventui unita reperitur, non constare prætendebant, aiebantque; quod cura animarum ab ipsis fuerat titulo charitatis exercita. Attamen de parochialitate constare S. C. rescripsit, deputationemque regularis remisit arbitrio Episcopi. Ex unionis enim Innocentii X, Pont. Max., constitutione evincitur, priorem præfati conventus in manibus Ordinarii dimisisse administrationem, et exercitium curæ animarum parochialis ecclesiæ B. Mariæ, reservata sibi præsentandi facultate, vel deputandi sacerdotem secularem, qui inspecta redituum tenuitate inveniri postea non potuit: *Placentina, Parochialit.*, 15 *decem.* 1703, *dub.* 1.

4. De parochialis et collegiatæ ecclesiæ S. Joan. Baptistæ terræ Angri insignitate ex hactenus de-

[16] Vide not. 69, tom. 1, § VII, verb. *Absolutio.*

ductis non constare S. C. decernit : *Nucerina Paganorum, Funct. paroch., et servit. chor.*, 15 *dec.* 1708. *dub.* 3, confirmata 14 *junii* 1710.

5. Ecclesia S. Petri in Castro Montis S. Petri posita, fratribus minoribus ordinis S. Francisci a priore S. Petri de Ferentillo una cum domibus, claustris et omni parochiali jure donata fuit. Donationem hanc confirmavit Lateranense capitulum, cui unita fuerat abbatia illa. Incertum est, an fratres donatarii curam animarum exercuissent; certum tamen est, quod parochia fuit a capitulo prælaudato seculari presbytero collata, et quod non probatur, parochiam postea fuisse regularem. Patres minores conventuales ad effugiendas cum parocho seculari lites, parochiam regularem declarari putant, petuntque redintegrationem. Sed valuerunt obtinere nihil : *Firmana*, *Redintegrat.*, 2 *julii* 1718.

6. Ecclesiam S. Stephani Pontis Sigestri in qua quum peragendæ essent supplicatio, et exequiæ, archipresbyter cogitur convocare sacerdotes aliarum parochialium, et sæpe sæpius personas seculares, minime esse collegialem S. C. resolvit: *Brugnaten., Collegialitatis*, 14 *april.* 1725.

7. Trivicanus Episcopus presbyteris ecclesiarum S. Mariæ in terra Castelli, et S. Joan. Baptistæ in terra Carifii potestatem dedit canonicalibus quibusdam insignibus uti. Reclamavit capitulum cathedralis, affirmans utramque ecclesiam esse dumtaxat parochialem, et receptitiam, quum a Sede Apostolica nunquam collata fuissent illa insignia tanquam ei reservata, nec titulo canonicorum potiti sint presbyteri illis addicti; et ab Episcopo etiam nunquam illæ ecclesiæ fuerunt nomine collegiatæ nuncupatæ. Hinc quæsitum a S. C. fuit prædictæ ne ecclesiæ essent collegiatæ? et collegiatas haud esse oraculum prodidit : *Trivicana, Collegialitatis*, 1 *sept.* 1731, *dub.* 1.

8. De parochialitate ecclesiarum rectoralium S. Georgii, S. Bartholomæi, et SS. Angeli et Mercuri terræ Campobassi constare fuit a S. C. firmatum. Siquidem oppidum hoc quinque millibus incolis constans, quatuor parochiales habet ecclesias. Harum prima S. Mariæ majoris nuncupata ab archipresbytero, aliæ vero tres a suis distinctis reguntur parochis; et harum qualibet suos habet presbyteros participantes cum onere adjuvandi parochos. Populus autem his parochiis subjectus non per domos materiales, sed per certas determinatas dispertitur familias in dicto oppido dispersas : *Bajanen*, *Jur. paroch. ac præeminent.*, 24 *maii* 1732, *dub.* 1.

9. Quæstione inter Episcopum Larinatem, et abbatem canonicorum regularium Lateranensium Insulæ Tremitanæ constituta, an constaret de existentia antiquæ parochiæ, sive in ecclesia S. Agathæ, sive alibi? et quum jam esset anno 1734, abbatem inter, et Episcopum, concordia inita; S. C. resolutionem distulit rescribendo ad mentem [17]: *Larinen.*, 23 *novem.* 1737, *dub.* 1. Reproposita autem causa, rescriptum est, præfatam servari concordiam [18] juxta modum [19] : 1 *aug.* 1739, confirmata 19 *decem. ejusd. anni.*

10. Antequam novæ ecclesiæ S. Mariæ de Carignano constructio in exequutionem piæ dispositionis Bandinelli Sauli absolveretur, Gregorius XIII, P. M. in insignem erexit collegiatam. Inter cætera concessit, quod abbas et canonici in hac ecclesia jus sepulturæ, omniaque parochialia jura pro omnibus canonicis, presbyteris, clericis, ministris, et patroni descendentibus, et ipsorum familiaribus, sine tamen præjudicio parochiæ, in qua ipsa fundata est ecclesia, habere perpetuo valerent. Canonici ad animarum curam selecti, hæc omnia parochialia jura absque ullius contradictione exercuerunt. Verum quum minister metropolitanæ ecclesiæ portionem aquæ baptismalis, et sacrorum Oleorum novæ ecclesiæ canonicis tradere detrectaret, orta

[17] In eo versata est, ut proponeretur concordia, pro qua ageret Card. Lercari protector Ordinis, summque aperiret sensum S. C. et interim provideretur curæ animarum juxta capitulum octavum concordiæ: *Ead. causa*, 1 *aug.* 1739, § 1.

[18] In concordia potissimum conventum fuit; 1. ut in ecclesia S. Agathæ deberet ab Episcopo in parochialem erigi; 2. ut territorium dictæ parœciæ esse extenderet ad feuda *di S. Leuci, di Ranitelli, et di citta a mare*, ita ut ejusdem ecclesiæ parochus posset ibi eo modo, quo ceteri parochi, animarum curam exercere; 3. ut nominatio personæ, quæ animarum curæ deberet præfici, ad abbatem, ejus autem approbatio, ui institutio cum titulo œconomi ad Episcopum pertineret; 4. ut præfatus œconomus Episcopo subesse deberet in iis, quæ ad animarum curam, et sacramentorum administrationem spectant. 5. Ut idem œconomus teneretur omnia explere, quibus ceteri obligantur parochi, ex præscripto Synodalium Constitutionum; 6. ut Episcopus postquam dicta ecclesia fuisset in parochialem erecta, nequiret in illa jurisdictionem sibi asserere, nisi in concernentibus animarum curam, et 7, demum ut salva, et intacta intelligeretur Episcopi auctoritas, et jurisdictio in dictæ parœciæ territorio : *Ead. causa*, 23 *novem.* 1737, § 3.

[19] Modus est, ut parochus deputandus in ecclesia S. Agathæ appelletur vicarius non autem œconomus, prout denominatur, in cap. 3, dictæ transactionis, ut jus eligendi, et deputandi œconomum interimum in casu cujuslibet vacationis præservetur eminentissimo Episcopo, utque demum deleatur capitulo 6 ejusdem transactionis expressio, quod visitatio dicta ecclesiæ parochialis fieri debeat ab eodem eminentissimo Episcopo jure delegata : *Ead. causa*, 5 *decem.* 1739.

dubitatio est, num ad formam laudati Pontificis bullæ de prædictæ ecclesiæ parochialitate constaret? non constare S. C. resolvit præterquam in iis, quæ a jure s peliendi dependent : *Januen. Jur. paroch.*, 14 *decem.* 1737, *dub.* 1.

11. Et resolutum exinde est parochialia jura eidem ecclesiæ super omnibus tantum competere personis, quæ expresse in bulla nominatæ fuerunt : *Ibid.*, *dub* 2.

12. Decretum proinde a prædicto archidiacono factum sustineri non possee, statutum est : *Ibid.*, *dub.* 3

13. Neque etiam decretum ab archiepiscopali curia pro traditione aquæ baptismalis, et Oleorum sanctorum latum, validum esse decisum est, *Ibid.*, *dub.* 4.

14 De ecclesia S. Stephani loci Sigestri plebanatu constare, S. C. determinavit : *Brugnaten.*, *Plebanatus*, *et præeminent.*, 20 *novem.* 1745, *dub.* 1.

15. Parochialis ecclesia S. Joan. Baptistæ in Octavo pronuntiatur ecclesia plebana, et caput congregationis quam nonnullæ parochiales ecclesiæ illi conterminæ constituunt : *Faventina*, *Præeminent.*, *et jur paroch.*, 14 *maii* 1746, *dub.* 1.

16. Parochiali ecclesiæ B. M. in Cœlum assumptæ villæ de Limiana servitium, ministeriumque præstans rector, et quatuor beneficiarii, qui residentes vocant; hos inter et rectorem de ecclesiæ regimine altercationibus dies consumunt, modo definiendum postulant, cujusnam qualitatis ea esset ecclesia nempe an collegiata, communitativa, aut simplex parochialis? et simplicem esse parochialem S. Cong. statuit : *Urgellen.*, 12 *martii* 1757, *dub.* 1.

17. In disquisitione positum est, num de antiqua majoris ecclesiæ civitatis Montis Alti cathedralitate, ejusque cathedræ suppressione, ac Sedi Consentinæ unione constaret? definitio nulla prodiit, sed dictum fuit, ad secretarium ad mentem : *Consentina*, *Declarationis*, 17 *januar.* 1761, *dub.* 1.

18. Et quum ambiguum deinde esset an in præfata ecclesia post dictam suppressionem, et respective unionem remanserit collegium cum quatuor dignitatibus, easque fuisse, et esse vere, et proprie dignitates cum perpetua animarum cura? nulla pariter edita definitione, responsum est ad secretarium ad mentem : *Ibid.*, *dub.* 2.

19 Quæsitum tertio quum esset, an ecclesia ipsa, inspectis qualitatibus, quibus decoratur, fuerit, et sit insignis, ac perpetuo dicenda, et inscribenda sit tituto collegiatæ insignis? responsum fuit, ut supra : *Ibid.*, *dub.* 4.

20. Commenda Villingensis ordinis Hierosolymitani proprium habet ambitum muris septum, in quo præter ecclesiam S Joan. Baptistæ dicatam, nonnullæ continentur ædes pro commendatarii ejusque familiarium, et ministrorum usu destinatæ. Contendit nunc ejus commendæ præfectus, eamdem veram esse parochialem eo quod capellanus S. Joan. sacramenta ab immemorabili inter illius commendæ septa ministrare consuevisset, ac postulans præterea erectionem, fuit a Constantiensi curia rejectus. Episcopus contra instruebat, quod in peractum fuerat ex vi privilegiorum ordinis, et quod matrimonium, et baptisma administrata semper fuerint in parochiali ecclesia oppidi Villingæ. Hinc veram illam esse parochialem S. C. denegavit, addendo ad mentem [20] : *Constantien.*, *Jur. paroch.*, *et exempt.*, 18 *decem.* 1762, *dub.* 1.

21. Disputatur, an ecclesiæ Venusinæ urbis essent parochiales? S. C. responsum præbuit, ecclesias SS. Cosmæ et Damiani, S. Nicolai, et S. Petri veras esse parochiales, et non cathedralis esse coadjutrices; reliquas vero ecclesias non veras esse parochiales, sed esse cathedralis coadjutrices : etiamsi Episcopus plura ad ostendendum solam cathedralem unicam totius urbis esse parochialem pararet ex eo, quod illam reliquæ parochiæ in matrem agnoscant, in eaque solum augustissimum Eucharistiæ sacramentum asservetur, et rectores vice-parochi nuncupentur : *Venusina*, 30 *julii* 1763, *dub.* 5.

22. In oppido Jennazzani parochialis adest ecclesia S. Pacili, quæ archipresbytero, et quatuor beneficiatis est composita. Card. Ruffus episcopus Prænestinus iis, ut Missam pro benefactoribus in genere applicarent, præcepit. Quæstionem hinc isti posuerunt super enarratæ ecclesiæ collegialitate, aientes bullam deesse erectionis, deesse Apostolicum privilegium, et omnia signa deesse collegialitatis, quum capitulum nunquam efformaverint, nec capitulares actus exequerint, neque massa ulla communis extiterit, nullæ quotidianæ distributiones, nullumque residentiæ onus adfuerint. Putabant itaque ecclesias quasi collegiales, seu speciem quamdam collegialitatis habentes, ad Missam conventualem non esse adstringendas Et revera S C. definire non dubitavit, de præfatæ ecclesiæ collegiatæ non constare; ita ut Missa conventualis pro benefactoribus in genere celebrari non debeat : *Prænestina*, *Missæ convent.*, 19 *april.* 1779.

[20] Mens fuit, ut Card. Episcopus curaret separationem conjugum, de quibus agitur, usque ad renovationem consensus coram eodem parocho Villingæ, vel donec, et quousque eadem causa formaliter proponatur, et decidatur super puncto nullitatis matrimonii : *Regist. lit.*, lib. 30, *die* 18 *decem.* 1762.

23. Parochialis ecclesia S. Michaelis Archangeli oppidi Caprarolæ fuit ab Episcopo Nicola Perusio, Gregorii XIII, Pont. Max., habito oraculo, in collegiatam erecta. Quum hæc suas peculiares haberet constitutiones, haberetque massam communem distributionum, et alias hujuscemodi prærogativas; An de sua collegialitate constaret? est S. C. interrogata, et de sua utique collegialitate liquere resolvit: *Civitatis Castellanæ, Missæ convent.*, 16 *decem.* 1786, *dub.* 1.

ECCLESIA ARCHIPRESBYTERALIS QUOAD ERECTIONEM.

1. Placentinus Episcopus ad rogatum populi loci Planellarum parochialem ejusdem loci ecclesiam exemit ab omnimoda subjectione erga plebanam ecclesiam loci Trivotii, eamque in archipresbyteratum, non tamen insignem, erexit, tributa illius archipresbytero facultate benedicendi fontem baptismalem die sabbati sancti. Virum hujusmodi decretum plebano loci Trivotii impugnante, disceptatum fuit, num hoc Episcopi decretum sustineri deberet? et decisum fuit, sustineri: *Placentina, Plebanatus,* 26 *april.* 1698.

2. Juxta vicarii capitularis relationem S. C. parochialem ecclesiam S. Jacobi de Curte, seu de castello in loco S. Margaritæ sese monitos non fuisse, et relationem vicarii esse valde suspectam ostendentes, obtinuerunt quod exoptabant, nam S. C. a decisis recessit [21]: *Januen., Indulti,* 6 *febr.* 1706.

3. Placuit Episcopo Cassanensi titulum parochi ecclesiæ S. Margaritæ terræ parvi castri inferioris, in illum archipresbyteri commutare. Ratione fortasse ductus fuit, quod terra altera ejusdem nominis superior ecclesiam habeat archipresbyterali titulo decoratam. Contenderunt ambo rectores de eorum ecclesiæ matricitate ac de prærogativis, sed vicit neuter. Postularunt modo, num illa saltem tituli commutatio sustineatur? et sustineri firmatur: *Cassanen. Matricit.* et *Præeminent.*, 3 *april.* 1756, *dub.* 5.

ECCLESIA CATHEDRALIS.

§ 1.

Ecclesia cathedralis quoad materialem ædificationem, et reparationem.

1. Circa reditus pro ornamentis ecclesiæ cathedralis agendum est cum Sanctissimo, qui benigne pro medietate annuit: *Liparen.*, 10 *maii* 1631.

2. Universitas Aliphana cathedralem ecclesiam funditus ob terræ motum eversam in ampliorem, melioremque formam reædificavit. Obtinuit inde ut canonici ad divina officia in cathedrali persolvenda redirent. At canonici, ecclesiam tecto, et fenestras vitreis specularibus muniri oportere ostendentes, proponi curarunt, an et quis ad hanc reparationem teneretur? ad quod dubium S. C. respondit, ut coadjuvarentur probationes super consuetudine, et reditibus mensæ episcopalis, et cleri; et ut interim per modum provisionis sine prejudicio jurium partium repararetur ecclesia sumptibus communibus Episcopi, et universitatis: *Aliphana, Reparat., cathed., ecclesiæ,* 21 *aug.* 1717.

3. Terræ violenti motu concussa, et tam in fornice, quam in muris, cathedrali ecclesia ruinam undique minante, capitulum reparationi faciendæ impar, supplicavit, ut ex quatuor musicalibus vocibus ab Ansuino Cambio testatore relictis, duæ suspenderentur, ut ex illarum reditibus collabens repararetur ecclesia, et ut indulgeretur venia tot census contrahendi, quibus impleri onus posset; quorum usuræ reditibus illis hæreditariis Ansuini Cambii, qui duobus musicis præstantur, solverentur. S. C. suspensioni locum esse concessit, collatis etiam a capitulo reditibus hæreditatis Ansuini Cambii, et præcepit, ut Episcopus incumberet firmationi status ejusdem hæreditatis, eumque transmitteret ad S. C. non retardata interim impositione census: *Camerinen., Reparat. ecclesiæ,* 18 *april.* 1744.

4. Sententia S. C. exquiritur, an Episcopus Pisauri ad restitutionem communitati faciendam oblationum, et expensarum ultra modum pro reparatione ecclesiæ cathedralis erogatarum teneretur? rescriptum exiit, ut darentur nova dubia ad men-

[21] Apud quam Congregationem examinari præcedentiæ ecclesiarum jura debent.

tem ; citatis omnibus interesse habentibus : *Pisauren., Reparat. ecclesiæ cathed.*, 8 *maii* 1762, *dub.* 2.

5. Quum reditus mensæ episcopalis Setinæ ad congruam Episcopi conservationem vix sufficerent, quumque capitulum onus hoc subire refragaretur, adductum in quæstionem, quisnam cathedralem ecclesiam instaurare, organa resarcire, aliaque ad ecclesiæ fabricam pertinentia peragere teneatur? At S. C. voluit firmari statum reddituum mensæ Terracinensis, Privernensis, et Setinæ juxta instructionem [22] : *Terracinen., et Setina*, 14 *decem.* 1771, *dub.* 5.

6. De necessariis reparationibus in ecclesia cathedrali faciendis periti retulerant. Triplici hinc certamine dimicatum est, ut decerneretur ad quemnam illarum onus spectaret? Capitulum sustinebat, ad solum id spectare Episcopum nisi peculiare adsit statutum, aut contraria consuetudo, vel nisi ecclesia peculiares habeat pro fabrica reditus, quibus cathedralis Balneoregii prorsus carebat ; et immo probabat, onus hoc Episcopis semper incubuisse. Hodiernus Episcopus in antecessorem Antistitem Baldassinium onus refundebat, et hujus hæres in illum vicissim. S. autem C. respondit, instaurationes esse ad formam peritiæ necessarias, easque ad Episcopum Baldassinium adtinere, dempto eo, quod exactum fuit ex gratia Sanctissimi juxta liquidationem coram secretario faciendam : *Balneoregien., Ecclesiæ cathedralis*, 17 *aug.* 1776, *dub.* 1 et 2, confirmata 28 *aug.* 1779.

7. Cathedrali ecclesia Arimini a motu terræ concussa, canonici ad sibi habendam facultatem creandi censum scutorum 5,270, supplicarunt, et applicationem reddituum sodalitii Crucesignatorum, et hospitalium S. Archangeli, et Montisfloris urbis postularunt. Pontifex immortalis memoriæ, Pius sextus, censum nec approbavit, nec improbavit ; hujusce tamen applicationes denegavit. Hinc canonici percunctari cœperunt S. C. oraculum super jure, et obligatione reparationis ecclesiæ et super erogatione reddituum mensæ episcopalis, qui inter canonicos ipsos dividi consueverant, quique a nonnullis benefactoribus erant reparationis onere relicti. Et oraculum fuit, reparationem ecclesiæ cathedralis faciendam esse a capitulo ex reditibus mensæ capitulis : *Ariminen. Reparat. cathed.*, 18 *septemb.* 1789, *dub.* 1.

8. Facta contentio est, an, et de quarum instaurationum, ac reparationum in ecclesia cathedrali, quæ confectæ, et quæ sunt faciendæ necessitate constet? resolutum est constare ad formam peritiæ mitioris termini a Card. visitatore deputati [23] : *Balneoregien, Ecclesiæ cathedralis*, 18 *dec.* 1790, *dub.* 1, confirmata 28 *maii* 1791.

9. Et resolutum insuper est, reparationem hanc in decessorem Episcopum Aluffium, sub cujus regimine fatisci cœpit, refundi, secundum tamen peritiam de mandato prædicti Card. visitatoris confectam : *Ibid., dub.* 2, confirmata *ibid.*

Ecclesia cathedralis quoad jus tumulandi. V. *Cadaver*, § II, III ; *Capitulum ecclesiasticum*, § III.

§ II.

Ecclesia cathedralis quoad translationem.

4. Motum proprium Sum. Pont. Benedicti XIII qui cathedram, et collegiatam oppidi S. Leonis, præsidium olim urbini ducis, a S. Pio V, ad urbem Pinnæ-Billorum translatam, ad pristinum et antiquum statum reduxit, subreptionis et obreptionis crimine a communitate Pinnæ accusatum, exequutioni mandandum non esse sancitur : *Feretrana, Cathedralit.*, 13 *januar.* 1731, *dub.* 2, confirmata 23 *julii ejusd. anni.*

2. Satriani urbe incendio assumpta, Clemens VII, Pont. Max., in oppido Campaniæ titulo civitatis aucto cathedralem instituit ecclesiam collegiatam B. M. V. de Pace dicatam, Satrianensi et Campaniensi unitis ecclesiis. Episcopi modo Campaniæ, modo in oppido Caggiani, diutius vero in castello S. Angeli de Fracti residere consueverunt. Episcopus antecessor, annuente Sum. Pont. Clemente IX, potestatem fecit, ut canonici Satrianenses divina officia in majori ecclesia oppidi S. Angeli de Fractis persolverent. Inter clerum populumque S. Angeli exarsit dissidium contendente populo de Fractis, cathedralis ecclesiæ Satrianensis capitulum jam rite fuisse translatum ad eorum majorem ecclesiam S. Angeli ; sed de hac translatione minime liquere dixit S. C. : *Satrianen., Cathedral.*, 17 *novem.* 1731, *dub.* 1.

[22] Nam S. C. haud potuit cogere Episcopum, ut petebat capitulum ad cathedralis ecclesiæ restaurationem, quia e quantitate reddituum mensæ non constabat : *Ead. causa*, 9 *maii* 1772, § 4.

[23] Ad solutionem scilicet scut. 578, 30 : *Ead. causa*, 21 *julii* 1792, § 1.

ECCLESIA COLLEGIATA.

§ I.

Ecclesia collegiata quoad materialem ædificationem et reparationem.

1. S. C. certo sibi persuadens Episcopum charismata meliora in dies æmulaturum, ab ejus eximia pietate, et providentia exigunt, ut collapsæ collegiatæ ecclesiæ S. Jacobi, quam vocant *di Petra Fonte*, instaurationem ab iis, ad quos juris definitione pertinet, esse faciendam sedulo curet, et in ea divinorum officiorum celebrationem ad ejusdem ecclesia canonicis præstandam restituat: *Suessionen.*, 16 *sept.* 1662, *dub.* 23.

2. Plures inter archipresbyterum et canonicos collegiatæ S. Euphemiæ Insulæ, et inter Ussutii et Spurani communitates fuerunt excitatæ controversiæ: quumque inter cætera dubia propositum etiam esset illud an archipresbyter, et canonici teneantur reparare ecclesiam collegiatam? responsum post aliquas dilationes fuit *Dilata et concordetur factum coram Card. præfecto: Comen., Reparat. ecclesiæ collegiatæ*, 10 *junii* 1724.

3. S. C. constituit, quod onus reparandi collegiatam, et parochialem ecclesiam S. Mariæ Pedonis, cujus actualis cura animarum residet penes præpositum, immineat capitulo comprehenso præposito: *Mediolanen.*, 26 *april.* 1732, *dub.* 19.

4. Joannes Pancratius Veeber canonicus collegiatæ ecclesiæ SS. Nicolai, et Emerani Spaltæ hæredem in bonis castrensibus instituit suam ecclesiam collegiatam Spaltæ cum onere affatim expresso reparandi, construendi, et in ampliorem formam restituendi præfatam ecclesiam, et non in ligneis materiis, sed in lapidibus illam restaurari mandavit. Casu autem, quo suum non impleretur votum, pauperem ecclesiam parochialem oppidi, qua baptizatus fuerat, substituit. Ecclesiæ ædificii vetustas instaurationem exposcit; sed ad complendum opus sufficientes minime sunt reditus hæreditatis Veeber, alteriusque hæreditatis Urbani Zehembaur, ejusdem collegiatæ canonici, ad formam dispositionis Veeber relictæ. Hinc exoratum est, ut structura novi ædificii fieret cum fornice ligneo ex gypso, et communicaretur propterea canonici Veeber voluntas. Sed precibus his non est S. C. assensa, determinatæ Veeber voluntati tenaciter inhærendo: *Eystetten. seu Bambergen.*, 4 *april.* 1767.

5. Ad perficiendam collegiatæ et parochialis ecclesiæ SS. Faustini et Jovitæ urbis Viterbii fabricam, die 21 nov. 1761 impetrata a capitulo facultas fuit imponendi censum in sorte scutorum 1000 super fructibus decem capellaniarum, quæ in eadem ecclesia, partim de jurepatronatus, partim de libera Episcopi collatione erectæ sunt. Sed nonnullis renuentibus capellanis, definitum a S. C. est, capellanos dissentientes esse juris remediis obstringendos ad census impositionem pro fabrica super capellaniarum fundis; ita ut prædictum decretum sit exequutioni mandandum: *Viterbien.*, *Census*, 30 *maii* 1767.

6. Collegiata et parochialis ecclesia S. Stephani oppidi Fiani, quod jure feudi spectat ad ducem Alexandrum Boncompagnium Ottobonum illius baronem, reparatione ubique indigebat, ac propterea disputatum fuit, quisnam ad reparationem prædictæ ecclesiæ, et domus archipresbyteralis teneretur? resolutionem S. C. protelavit, scribique voluit Episcopo juxta instructionem, et ad mentem[24]: *Nepesina, Restaurat. ecclesiæ*, 31 *aug.* 1771. Reproducta iterum causa, responsum quoque fuit *Dilata*, et additum, ut reproponeretur causa cum alio dubio super pertinentia patronatus, et ut interim per modum provisionis, et sine præjudicio jurium partium solverentur scuta 300 ab ecclesiasticis, totidem a barone, totidemque a communitate, et directa res insuper fuit ad Card. præfectum pro exequutione, et directione operis, facto verbo cum Sanctissimo 27 *junii* 1772. Ad novum examen reducta tertium causa, et altero proposito dubio, ad quem nempe spectet patronatus ejusdem ecclesiæ; responsum prodiit, quod spectatis peculiaribus circumstantiis, placeat fieri concordiam, et fieri ex officio a Card. præfecto juxta instructionem, facto verbo cum Sanctissimo: 18 *septemb.* 1773, *dub.* 1.

7. Canonici et archipresbyter parochialis ecclesiæ S. Petri Montis Martiani in collegiatam erectæ, S. C. oraculum percunctati sunt, non onus reparan-

[24] Nam demandatum fuit, ut de reditibus tum archipresbyteratus, tum duorum canonicatuum, necnon de aliis quibuscumque fructibus ex eadem ecclesia provenientibus diligenter ab Episcopo inquireretur. Et scriptum injunctumque Episcopo fuit, ut de omnibus beneficiis, tam residentialibus, quam simplicibus, et de capellaniis, legatis piis, habita etiam pensionum, et onerum ratione accurate referret: *Ead. causa*, 30 *maii* 1772.

di, ac manutenendi fabricam et tintinnabula ecclesiæ spectet ad solum archipresbyterum ; seu potius repartiendum sit inter eum, et ceteros capitulares? Hæc definivit, spectare pro tertia parte ad capitulum pro reliquis duabus partibus ad archipresbyterum : *Senogallien.*, 13 *junii* 1789, *dub.* 3.

8. Quum canonici ecclesiæ collegiatæ oppidi Belviderii pro reparatione ecclesiæ bis suspensionem, et ad vicennium postremo duorum canonicatuum Ubertini, et Mei, et facultatem creandi censum scut. 1,000 obtinuissent; modo post ocularem inspectionem visitatoris delegati summa prædicta non sufficere agnoverunt, hinc postulant tertii canonicatus suspensionem nuper vacati, ut contrahere censum possint in summa scut. 2,500, quæ requiruntur ad ecclesiæ fabricam perficiendam ; et S. C. concessit suspensionem juxta votum Card. archipresbyteri basilicæ Lateranensis [25] : *Senogallien.*, *Fabricæ ecclesiæ*, 20 *febr.* 1796, *dub.* 1.

9. Inde ad dubium, an, et quomodo sit locus suspensioni tertii canonicatus, et prorogationi alterius jam concessæ canonicatuum Ubentini et Mei ? respondit affirmative juxta votum Card. archipresbyteri [26] quoad canonicatus Ubertini et Mei : *Ibid.*, *dub.* 2.

§ II.

Ecclesia collegiata quoad erectionem et fundationem.

1. Statuitur Episcopum non posse auctoritate ordinaria ecclesiam parochialem in collegiatam erigere *in Conversana*, 27 *junii* 1626, et *in Fulginaten.*, 26 *febr.* 1639, *dub.* 3 [27].

2. Quum erectionem collegiatæ in ecclesia S. Antonii oppidi S. Philippi Argyræ factam ab Episcopo in actu Visitationis non sustineri S. C. firmaverit [28], inde ad dubium, an sit locus novæ erectioni dictæ Collegiatæ in dicto oppido? S. C. distulit resolutionem, et censuit exhibenda esse jura Card. Caraffæ : *Catanien.*, *Erectionis collegiatæ*, 1 *sept.* 1691, *dub.* 2.

3. Cæsar Vidonus jussit ecclesiam collegiatam cum quatuor canonicis comprehenso archipresbytero in ecclesia parochiali S. Joannis de Cruce cum duobus clericis ; et casu, quo non posset erigi in dicta ecclesia, erigatur in ecclesia S. Ceciliæ Cremonæ; marchio Cæsar junior cupit erigi in ecclesia præpositurali curata SS. Ægidii, et Homoboni dictæ Urbis, et supplex fuit in S. C., quæ eum non audivit : *Cremonen.*, *Erectionis collegiatæ*, 26 *martii* 1695.

4. Sodales Congregationum laicalium Terracinæ existentium cogitarunt ex omnibus eorum bonis ecclesiam S. Joannis cum numero octo canonicorum, injuncto illis onere choro inserviendi, et Missas explendi, in collegiatam erigere, sed ob expensas graves perterriti facultatem erigendi octo beneficia residentialia in dicta ecclesia cum præfato onere loco collegiatæ adjuncta clausula vocatis vocandis postularunt. Qua de causa erectionem Episcopus patravit ; sed refragantibus nonnullis sodalibus, S. C. non sustineri illam declaravit : *Terracinen.*, *Capellaniarum*, 20 *aug.* 1701, *dub.* 1.

5. Antuerpiensis urbis tota a S. C. petiit facultatem ecclesiam S. Jacobi in insignem erigendi collegiatam secularem, præmisso, quod jam adsit tertiæ digitatis cantoratus, et aliorum octo canonicatuum fundatio ; et simul petiit indultum contentiosam jurisdictionem in prima instantia in suos subditos privative in causis civilibus et criminalibus, in delictis nempe sævioribus, eo modo, quo aliæ ejusdem regionis insignes collegiatæ perfruuntur, exercendi. S. C. gratia novæ erectionis in insignem collegiatæ ex integro concessit indultum jurisdictionis privative quoad causas civiles in prima instantia, et quoad criminales pro levibus excessibus in choro in ecclesia, et in functionibus ecclesiasticis commissis, in quibus procedendum sit extrajudicialiter, et privatæ in pœna levi, absente Episcopo, et eo præsente cumulative, et cum illius

[25] Vide tom. 1, verb. *Canonicatus*, § II, not. 49.

[26] Vide *ibid.*, not. 50.

[27] In S. Congr. Rituum facta controversia inter capitulum ecclesiæ cathedralis Rapollensis, et presbyteros ecclesiæ parochialis Arinigri super asserta erectione dictæ ecclesiæ in collegiatam auctoritate ordinaria cum dignitatum, et canonicorum, examinata hæc fuerunt dubia :

1. An erectio parochialis ecclesiæ Arinigri in collegiatam sustineatur ? *et quatenus affirmative.*

2. An pariter sustineatur erectio portionum dictæ ecclesiæ in archipresbyteratum, primiceriatum, thesauriatum, cantoratum, et canonicatus respective ? *et quatenus affirmative.*

3. An, et quæ sacra insignia obtentoribus dictarum dignitatum, et canonicatuum in ecclesiasticis functionibus sint permittenda ? *et quatenus negative in omnibus.*

4. An, et sub qua pœna presbyteris participantibus dictæ ecclesiæ Arinigri prohibendum sit tam nuncupatio ejusdem ecclesiæ cum titulo collegiatæ, quam usurpatio nominis dictarum dignitatum, et canonicatuum, necnon delatio insignium ? S. C. die 4 julii 1767 respondit ad 1, *negative*, ad 2 et 3, *provisum in primo*, ad 4, *arbitrio Ordinarii.*

[28] « Et de quodam motu proprio Clementis VIII prohibentis de cetero Episcopis erigere parochiales in collegiatas, testatur Reiff. in *Prax.* tit. *de Erect. in Colleg. in fine*, vers. *Quidquid autem, et ex eo Tondut. resol. benefic.* part. 2, cap. 2, § 2, num. 10. » Ait de hac causa Card. Petra *Comment. ad Const. VII, Innoc. IV*, sect. 2, num. 2, tom. 3, pag. 40.

prælatione : *Antuerpien., Erect. collegiatæ*, 28 *julii* 1702.

6. Universitas oppidi Herberiæ supplicat, ut prævia suppressione tituli archipresbyteri, et rectoris, animarum cura ecclesia SS. Faustini, et Jovitæ in ecclesiam SS. Dominini et Blasii una cum reditibus transferretur, illamque in insignem erigeretur collegiatam, vicario ibi perpetuo relicto. Expetitur, ut ex fructibus extinctæ ecclesiæ septem fiant æquales portiones, quarum una præter alios reditus, archipresbytero assignetur, et reliquæ sex inter canonicos dividantur partim in præbendam, et partim in distributiones quotidianas, quas etiam archipresbyter non amittat, quando in sacramentorum administratione fuerit occupatus. Tam Ordinarius, quam Card. Barberinus petitionem hanc communitatis moderati pro suo sunt libito. At postulato quomodonam esset instantiæ annuendum? rescriptum est : *Affirmative*, omnibus fructibus in distributionibus conversis, et vicario perpetuo annua scutorum certum assignata summa : *Rhegien., Erectionis collegiatæ*, 15 *sept.* 1703.

7. Pontremuli Oppidani ecclesiam B. M. de populo in insignem collegiatam sub duplici erigi conditione exorarunt; quod nempe canonicatus mere essent clericales, et quod juspatronatus ad lineam fundatorum masculinam et fœmininam reservaretur. Oppidanorum votis annuit S. C., sed annuit juxta modum exprimendum [29] : *Lunen., Sarzanen., Erect. collegiatæ*, 27 *januar.* 1704. Modificatis hisce conditionibus non acquiescentibus oppidanis, suam integrarunt petitionem, et rescriptum tulere *gaudeat impetratis*, 5 *aprilis ejusd. anni*. Iteratis inde precibus, extensa gratia fuit in lineam fœmininam, docto coram Card. præfecto de assignatione fundi annui reditus augmine scutorum 24, pro quolibet canonico : 19 *julii ejusd. anni*. Reclamavit postea capitulum ecclesiæ cathedralis, eo quod parochialem S. Geminiani, quæ pro fundatione primæ dignitatis propositurae cum animarum cura supprimi debet, jus sibi conferendi competat. Proposito hinc dubio, an constaret de jure conferendi et quatenus affirmative, an illud obstaret erectioni collegiatæ? responsum est *ad Rotam* [30] : 7 *februar.* 1705. Sed ex signatura Sanctissimi iterum remissa causa ad S. C. responsum fuit ad utrumque affirmative : 3 *sept.* 1707 [31].

8. Ad evitandam attentatorum purgationem, quæ maximum capellanis ecclesiæ S. Jacobi oppidi Castellar et titulo et dignitate, et habitu conspicuis dedecus irrogat, quum suam ecclesiam in collegiatam erigi obtinuissent reticendo, quod erectio secum ferret voluntatis fundatoris commutationem; satius iisdem visum est pro gratia revalidationis præfatæ erectionis S. C. exorare. Annuit revera hæc, sed annuit juxta modum [32] : *Giennen., Revalidat. erectionis*, 18 *julii* 1705.

9. In oppido a Basilica Petri nuncupato parochialis extat ecclesia S. Michaelis Archangeli, quæ est de jurepatronatus nobilis familiæ a basilica Petri. Hippolytus hujus ecclesiæ compatronus, et archipresbyter postulat, ut alia ad insignis collegiatæ decus, et honorem evehatur. Ecclesiæ vero prærogativæ sunt, quod archipresbyter dignitate effulgeat principali, et sex etiam adsint canonici, et quod hi almutiam et ille cappam cum rocchetto, et baculum gestet. Collegiatæ erectionem S. C. indulsit juxta votum Card. Aquævivæ [33] : *Papien., Erectionis collegiatæ*, 7 *febr.* 1711.

10. Matthia Raolia, et Joan. Baptista Raolius

[29] Nempe pro erectione in collegiatam insignem capitulum constituatur ex octo canonicis, et quatuor mansionariis, et canonici, quando adsunt duo clerici pro assequendo canonicatu debeant esse constituti in sacris ordinibus quoad reservationem jurispatronatus ad lineam masculinam tantum, et deinde canonicatus devolvatur ad capitulum cum qualitate ecclesiastica, excepto canonicatu jurispatronatus Reghini, circa quod servetur dispositio fundatoris ; quoad usum cappæ magnæ nihil, sed concedatur usus almutiæ simplicis, et omnia emolumenta, et fructus convertantur in distributiones quotidianas: *Ead. causa*, 19 *julii* 1704, § 1.

[30] Vide not. seq.

[31] « Ex ea ratione super enunciata, quod posito jure capituli in conferendo dictam ecclesiam (S. Geminiani) æquum non est ei derogare per erectionem dictæ primæ dignitatis, ad quam capitulum non potuerat habere jus electionis, ex hactenus firmatis, et licet adesset remissio supplicis libelli per Sanctissimum, tamen intelligendum est prout de jure cap. *Inter dilectos, de Fide Instrum.* Rota dec. 1842, num. 8, *coram Emerix jun.* » Card. Petra *Comment. ad Const. VII, Innoc. IV*, sect. 1, num. 39, tom. 3, pag. 38.

[32] Decretum traditum fuit in supplicatione a Dataria remissa, cujus copia asservatur in positione : lib. 55, *Decret.* pag. 260.

[33] Qui luculentius, et distinctius recensuit tum fructus, et distributiones, tam primæ dignitati, quam cuilibet ex canonicis attribuendos, tum pariter residentiæ debitum aliquibus ex dictis beneficiis canonicatibus nuncupatis jam olim incumbens, cujus loco adjecta fuerunt certa Missarum onera, quarum celebratio cessabit, postquam effecta erit erectio collegiatæ. Quare adhærendo voto prædefuncti Card. Episcopi, oratoris precibus annuendum existimavit, cum ceteroquin orator ipse de proprio supplere intendat duc. 140 ad efformandum integrum reditum duc. 388, præbendarum, et mensæ capitularis de novo erigendæ. Unum tamen addit, excludendam nimirum qualitatem insignitatis, eo quod canonicorum numerus videatur nimis exiguus, cum ad erectionem collegiatæ insignis decem saltem canonici sint numerandi, quod sane præclaris comprobat Rotæ, et DD. auctoritatibus : *Ead. causa*, 7 *febr.* 1771.

patrueles hæredibus imperarunt, ut in suis ædibus ecclesiam sub invocatione S. Angeli Custodis construi, et in collegiatam pro novem canonicis, et una dignitate rectoria nuncupanda erigi curarent. Joan. Baptista defuncto Matthia superstes declaravit, quod ea collegiata esset in parochiali ecclesia S. Andreæ pluribus cum archipresbytero initis conditionibus, erigenda. S. C. cui super modo erectionis peragendæ delata quæstio est, decrevit, erectionem cupitæ collegiatæ faciendam esse juxta votum Card. Capraræ [34], addita collegiatæ denominatione Angeli Custodis: *Anagnina, Erect. collegiatæ,* 3 *oct.* 1711, *dub.* 1.

11. Marchio Cæsar Vidonus filiis hæredibus institutis mandavit, ut in ecclesia parochiali oppidi S. Joannis de Cruce collegiatæ erectionem de jurepatronatus suæ familiæ, et aliorum substitutorum, nonnullis appositis conditionibus, peragerent. Pia hæc Vidoni voluntas diu jacuit sine effectu, a patronis super fructibus perceptis R. Fabricæ compositionibus obtentis. Joseph Antonius marchionis Cæsaris junioris filius et hæres piam testatoris mentem implere cupit. Episcopus contra asserit erectionem in feudo S. Joannis permittendam nullatenus esse, modo rusticum, licet testatoris tempore fuerit nobile, sed erigendam potius censet in collegiata ecclesia S. Agathæ urbis Cremonæ cum quatuor canonicatibus, et duobus clericatibus. Instante itaque Antonio S. C. definivit quod erectio hæc fieret in loco S. Joannis de Cruce quo vero ad modum et numerum dixit : *Dilata et ad mentem* [35] : *Cremonen., Erect. collegiatæ,* 11 *junii* 1712. Et iterum *dilata* dixit, et *ad mentem,* 1 *april.* 1713. Tandem marchio Joseph Antonius supplicavit, ut fieret modis a se propositis. S. C. oratori gratiam juxta modum [36] impertivit : 8 *julii* 1719. Episcopo inde Cremonensi pecunias a canonicalibus ædibus retrahendas pro incremento numeri canonicorum relicta fabrica implicari autumante, et postulante, resolutio prodiit, nempe ut augendus sit canonicorum numerus ad ratam partem redituum, et onera Missarum inter antiquos, et novos canonicos partienda sint : 7 *decem.* 1720.

12. Homines oppidi Militelli desiderio flagrantes, ut eorum patria collegiatæ ecclesiæ decore cohonestaretur, votique compotes fieri nequire opinantes nisi ex unione binarum parochialium, a qua nonnulli dissentibant, ab Episcopo erectionem obtinent. Sed statim disputato dubio, an sit locus erectioni collegiatæ, seu sit relaxanda supplicatio, qua collatio unius binarum parochiarum postulatur? negativum ad primam partem datum fuit responsum juxta modum petitum; et quoad secundam negativum, et ut fiat concursus coram Episcopo, mandatur : *Syracusana, Collegiatæ,* 8 *julii* 1713, confirmata 13 *apr.* 1715.

13. Petrus de Laurentio terræ Sicli laicalem confraternitatem S. Mariæ Novæ nuncupatæ cum onere distribuendi dotes nominavit hæredem. Confraternitatis officiales exposuerunt, quod oneribus impletis redituum superesse medietatem, et Episcopo supplicarunt, ut portionem hanc applicaret collegiatæ canonicorum, et dignitatum erigendæ sibimetipsis jure præsentandi servato. Annuit Episcopus, et collegiatam reservato beneplacito apostolico erexit. S. autem C. erectionis confirmationem denegavit; sed addidit, quod concedenda sit nova erectio juxta modum, et ad mentem: *Syracusana, Collegiatæ,* 18 *febr.* 1713.

14. Archipresbyterali ecclesia S. Mariæ oppidi Gragnani vacante, communitas S. C. rogavit pro gratia, ut hæc ecclesia in insignem undecim canonicorum cum archipresbytero, erigeretur collegiatam. Sed opponente se populo, et dicente, quod erectio isthæc sit sibi, et præsertim pauperibus præjudicialis eo quod, divisis reditibus inter canonicos, archipresbyter eleemosynas ut solet distribuere nequeat, S. C. gratiam impertiri noluit : *Litteren., Erect. collegiatæ,* 7 *decem.* 1715.

15. Magistratus, clerus, et alii Urbis cives petierunt, ut parochialis et matrix ecclesia S. Gregorii in ampliorem insignis collegiatæ statum immutaretur. Card. Barberinus in suffragio perpendebat, quod æmulatio cum altera parochiali ecclesia S. Joan. Baptistæ poterat duci; et quod deficiebat qualitas ecclesiæ materialis, quæ vi motuque terræ pene

[34] Qui protulit cum his moderationibus, ut canonici teneantur ad quotidianum chori servitium, ut jus patronatus sit ecclesiasticum non laicale ad formam testamenti, non inspecta declaratione Matthiæ post obitum Joan. Baptistæ ; ut sit admittenda canonici curati nominatio, juxta conventiones initas inter dictum Matthiam, et archipresbyterum; ut tertia dumtaxat redituum pars convertatur in massam distributionum ; ut bonorum administratio dirigatur instar cathedralis ; et quoad delationem insignium adhæret voto Episcopi, ac ut in omnibus utendum sit arbitrio hujus S. C. quod voluere testatores : *Ead. causa,* 3 *octob.* 1711, § 5.

[35] Quæ fuit, ut a R. P. auditore Sanctissimi impetretur remissio causæ super assertis compositionibus initis : *Ead. causa,* 1 *april.* 1713.

[36] Et modus est, ut transmitteretur planta ædificii faciendi una cum relatione peritorum in ordine ad expensas et ut etiam transmitteretur nota expensarum factarum pro comparandis cæmentis, et in emptione domus facta a Cæsare juniore de Vidonis, et tandem ut fructus percepti ex reditibus portus Piceleonis post compositiones initas cum rev. fabrica deponerentur, et implicarentur pro incremento numeri canonicorum : *Ead. causa,* 7 *decem.* 1720.

eversa, ac diruta erat. Instantiæ responsum est, ut oratores post iterum ædificatam ecclesiam, eique decorem restitutum supplicarent : *Syracusana, Erect. collegiatæ*, 5 *sept.* 1716. Descriptum inde est *Dilata, et Episcopo pro informatione juxta instructionem* [37] : 17 *nov.* 1717. Gratiam denique concessit erigendi collegiatam juxta petitum canonicorum, et dignitatum numerum ; tribuitque usum rochetti, et mozzettæ, et jussit, ut gratia expediretur a Dataria. In reliquis juxta votum Card. Barberini ; et quoad facultatem condendi statuta voluit, ut adderetur clausula quatenus juri canonico, et S. Concilio Tridentino non adversentur, et ad mentem : 24 *febr.* 1720.

16. S. C. die 26 januarii anni 1704 concessit, ut ecclesia B. M. V. de populo existens in terra Pontremoli diœcesis Lunensis Sarzanensis, et intra limites parochialis ecclesiæ S. Geminiani erigi posset in collegiatam, et quod canonicatum patronatus, canonicatu Reghini excepto, in quo fundatoris dispensationem observari mandavit, esset reservatus ad lineam tantum masculinam eorum, qui bona sua pro illorum erectione conferre promittebant ; et die 19 junii 1704, dictum juspatronatus etiam ad lineam fœminam extendit. His ita statutis, nova commota est a capitulo cathedralis ecclesiæ Lunensis Sarzanensis controversia, ideo discussum fuit, an, et quomodo, dicta decreta super erectione edita sint relaxanda? et resolutio exiit affirmativa, cum omnibus conditionibus in folio capituli expressis, et dummodo institutio autorizabilis, et adprobatio personæ ad canonicatum præsentandæ pertineat ad Episcopum, et sola litterarum collationis expeditio ad capitulum cathedralis spectet, necnon prævia ratihabitione obligationum, quas deputati, et syndici communitatis in favorem ecclesiæ collegiatæ inierunt a generali Concilio Pontremoli legitime coacto facienda : *Lunen., Surzanen., Erect. collegiatæ*, 7 *maii* 1718.

17. Quum Argenti oppidum numeroso esset populo refertum, habeatque amplam collegialem ecclesiam concinne ornatam, tribusque constructam navibus, quumque ibi tredecim præter Archipresbyterum capellani reperirentur qui divina officia quibusdam anni temporibus celebrant ; oppidani exorarunt S. C., ut præfata ecclesia in collegiatam erigeretur. Nulla data, immo protelata, resolutione, jussit [38], ut scriberetur Episcopo juxta instructionem *Sanctæ Aghatæ Gothorum*, 22 *junii* 1720. Ad examen reproducta causa, ut ad Episcopum juxta instructionem [39] scriberetur, iterum injunxit : 31 *maii* 1721.

18. Quatuor Portionarii parochialis ecclesiæ SS. Firmi, et Rustici Caravaggi contendunt, erectionem ecclesiæ parochialis horum cœlicolarum in collegiatam nullatenus sustineri, quod auctoritate ordinaria gesta fuerat. Verum quum præsupponeretur obtentum fuisse beneplacitum Apostolicum ex lapsu temporis ; S. C. præenarratam erectionem sustineri mandavit : *Cremonen., Collegiatæ*, 17 *sept.* 1720.

19. Concilium generale oppidi Casalis Majoris in diœcesi Cremonensi Mediolanensis provinciæ, necnon universus populus totius districtus, et exequutores testamentarii nobilis matronæ Claudiæ Elisabethæ Matraversiæ quæ pro erectione collegiatæ suum legaverat patrimonium, supplicarunt, ut ecclesia parochialis S. Stephani in collegiatam, modo tamen a voluntate Matraversiæ diverso, erigeretur ; insigne esse oppidum, et congruam extare dotem affirmantibus pro Concilio scribentibus. S. C. causæ resolutionem distulit, voluitque, ut examinaretur coram Card. præfecto modus, quo collegiata possit erigi, et coram eodem Card. præfecto interim redderetur ratio ab administratoribus de Matraversiæ hæreditate : *Cremonen., Erect. collegiatæ*, 23 *aug.* 1721. Examinato subinde modo jam extenso, S. C. annuit juxta eumdem expressum in folio annexo a Card. præfecto [40] : 9 *febr.* 1726 *inter sum. precum.* Postmodum quum fuisset efflagitatum, an sit modus supradictus reformandus juxta resolutiones editas ab ead. S. C. quoad erectionem præbendæ theologalis in canonicatum, ejusque nominationem? remittitur responsio ad Card. præfectum : 2 *julii* 1729, *dub.* 5.

20. Ad sedandas circa præeminentias lites inter ecclesiam S. Mariæ Majoris, et ecclesiam S. Petri terræ Vasti exortas, postulatum a S. M. Innocentio XII fuit, ut ecclesia S. Mariæ Majoris in insignem erigeretur collegiatam. Bullam erectionis edidit Sum. Pontifex, et ad bullæ exequutionem processit Theatinus Archiepiscopus. Reclamavit ecclesia S. Petri posthabita ; ideoque subreptione accusavit litteras

[37] Et instructio fuit, ut Episcopus distincte, et plene referret circa statum materialem ecclesiæ post terræmotum reædificatæ, et an ædificium stabile esset, et duraturum, et capacis, decentisque structuræ : *Ead. causa*, 2 *dec.* 1719, § 2.

[38] In qua ipsi expositum fuit, quod S. C. erat in dispositione annuendi erectioni collegiatæ, sed cum duabus dignitatibus tantum, et duodecim canonicatibus, et cum unione quatuor capellaniarum, duarum in ecclesia S. Andreæ, et duarum in ecclesia Sanctissimæ Annuntiationis, quod id notificaret Universitati, et quod habita ejus mente eam S. C. notificaret : *Ead. causa*, 8 *martii* 1721.

[39] Scire cupit S. C., an firmo remanente numero dignitatum possibile sit erigere sedecim canonicatus, et ex aliis quatuor canonicatibus, qui erigi vellent, erigere pro majori ecclesiæ servitio numerum beneficiatorum, seu mansionariorum : *Regist. lit.* lib. 26, *die* 31 *maii* 1712.

[40] Vide not. 55, § 4, verb. *Canonicatus*.

Apostolicas, ac nulliter exequutioni mandatas fuisse contendit. Tradito itaque dubio, utrum esset erectio illa ab Ordinario uti delegato Apostolico facta, sustinenda, seu potius confirmanda, et adprobanda? nulla prodiit definitio, et dictum fuit ad mentem [41]: *Theatina*, 1 *sept.* 1725, *dub.* 1. Proposita denuo definienda causa, remissa fuit res Card. præfecto, ut dignaretur illam perpendere, et votum S. C. aperire: 12 *jan.* 1726. Addita suprafato dubio fuit particula sanationem erectionis respiciens; et impetratum etiam est, ut causa super præeminentiis ad sacrorum Rituum Congregationem delata, ad S. hanc C. advocaretur. Sic tertium prolato dubio, consulendum esse Sanctisimum pro sanatione juxta votum [42]: Card. præfecti, sumendamque providentiam esse juxta ejusdem Card. votum [43]: 15 *martii* 1727, *dub.* 1 et 2. Reproposita causa, et quæsito, an prævia oris aperitione, esset standum, vel recedendum a decisis nuper relatis? responsum est in decisis et ad mentem [44]: 1 *decem.* 1731. Quum clerus ecclesiæ S. Petri toties audiri petiisset, capitulum S. Mariæ Majoris, ut liti finis tandem imponeretur non solum editam decisionem confirmari rogat, sed addi etiam exorat declarationem tum circa supplicationem die S. Marci, atque illam die ultima Rogationum habendam, tum circa alias supplicationes extraordinarias, resolutum hinc demum fuit in decisis cum declarationibus dandis a Card. præfecto: 27 *febr.* 1734.

21. Tres in oppido Baruli adsunt parochiales ecclesiæ. Una collegiata sub titulo S. Mariæ Majoris, altera receptitia, et titularis magni prioris religionis Hierosolymitanæ S. Sepulchri, et tertia in honorem S. Jacobi dicata. Quum inter presbyteros S. Sepulchri, et illos S. Jacobi plura quoad præcedentias in dies orirentur dissidia, memorati S. Sepulcri postularunt ipsorum collegium, seu capitulum canonicum secularium cum omnibus honoribus, et privilegiis instar aliorum collegiorum, et secularium capitularium, sed frustra, priore Hierosolymitano reluctante, petierunt: *Tranen.*, *Erect. collegiatæ*, 2 *junii* 1736.

22. Quum Michael Angelus Pronettius Siviliani præcepisset, nempe sub dote annui reditus librarum 200, vel quatuor canonicatus, vel duas dignitates, et totidem canonicatus de jurepatronatus familiæ suæ priorali regulari ecclesia S. Andreæ, et quum binos alios canonicatus itidem sub reservatione jurispatronatus suæ familiæ ergo nuperrime fundasset Joan. Dominicus Moronus, constituta pro qualibet dote in annuis libris 450; Episcopus Fossanensis Christophorus Barattarius precatus est, ut eadem ecclesia S. Andreæ capellis, altaribus, choris, et organis ornata, sua regulari statu suppresso, in secularem collegiatam insignem sine præjudicio parochialis ecclesiæ S. Petri, erigeretur. Causæ resolutionem primo distulit S. C. [45] et ad mentem subjunxit: *Taurinen.*, *Erect. collegiatæ*, 1 *decem.* 1736. Deinde dixit ad mentem Card. præfecti [46]: 13 *april.* 1737.

[41] Quæ fuit, ut stricte scriberetur super jurepatronatu, et assignamentis: *Ead. causa*, 1 *sept.* 1725.

[42] Ait Card. præfectus: 1. Ad novam collegiatam S. Mariæ spectare priorem pulsationem æris campani die Sabbati sancti. 2. In omnibus supplicationibus anteire debere presbyteros ecclesiæ S. Petri, deinde sequi capitulum collegiatæ S. Mariæ. 3. In omnibus supplicationibus crucem ecclesiæ S. Petri non esse, ut antea servabatur, gestandam simul cum cruce novæ collegiatæ S. Mariæ in eadem linea, sed seorsum. 4. Supplicationum initium ducendum esse ab ecclesia S. Mariæ, quippe quæ præstantior est. 5. Pulsandas esse campanas ecclesiæ S. Petri, quotiescumque occasione supplicationum ad eam accedit capitulum S. Mariæ; et idem fieri debet ab ecclesia S. Mariæ, quando ad eam venit clerus ecclesiæ S. Petri cum regularibus, et sodalitiis, ut ab illa initium fiat supplicationum. 6. In supplicatione, quæ habetur die S. Marci, presbyteros ecclesiæ S. Petri, in qua finem habet supplicatio, non debere ab ea discedere, sed extra fores subsistere, ut honorifice excipiant clerum S. Mariæ, cui intra ecclesiam præstantiorem locum esse tribuendum 7. In ceteris supplicationibus Rogationum, et in alia, quæ peragi solet, anteire debere presbyteros S. Petri, et subsequi capitulum S. Mariæ, excepta supplicatione quæ habetur ultima Rogationum die. 8. In supplicatione sanctissimi Corporis Christi usque ad januam collegiatæ S. Mariæ hastilia esse gestanda ab ejusdem ecclesiæ mansionariis, sive beneficiatis, sacra veste amictis, non tamen a presbyteris ecclesiæ S. Petri per ambitum vero civitatis sustinenda esse a nobilibus laicis. 9. In primo solemni ingressu Archiepiscopi in civitatem Vasti clerum S. Petri peragere debere ad ecclesiam S. Mariæ, in qua excipiendum esse ab Archiepiscopo universum clerum ad obedientiam. 10. Tandem retinendam esse in funeribus priscam consuetudinem; addito solum quod si ad funus aliquod invitati communiter fuerint tam canonici ecclesiæ S. Mariæ, quam presbyteri S. Petri, præcedere omnes debeat una tantum crux, videlicet illam ecclesiæ S. Mariæ. *Ead. caus.* 1 decem. 1731 § 4.

[43] Vide not. antecedentem.

[44] Quæ tamen versata fuit circa rem alienam ab iis, quæ in disputationem venerant *Ead. caus.*, 27 febr. 1734, § 2.

[45] Mens est, ut memorati canonici regulares Lateranenses, ad quos, uti præfertur, dicta ecclesia S. Andreæ adhuc pertinet, excitarentur, ut causæ urgentiores pro obtinenda ejusdem ecclesiæ secularizatione afferantur, et demum orator copiam indulti, quo ecclesia prædicta sibi in commendam traditam fuit, exhiberet: *Ead. causa*, 30 *martii* 1727, § 1.

[46] « Cum vero dictus Card. præfectus Sacræ Congreg. retulerit, totam quæstionem inter patres versari, num præservanda esset in favorem ecclesiæ, et abbatis S. Petri consuetudo ducendi processionem Sanctissimi Corporis Christi e dicta ecclesia cum interventu totius cleri civitatis Saviliani, seu potius sufficeret apponere in supplica-

23. Presbyteri parochialis ecclesiæ S. Petri civitatis Vasti preces fuderunt, ut ad advertendas graves assiduasque molestias, quas habent cum aliis presbyteris propter erectionem alterius ecclesiæ S. Mariæ Majoris in collegiatam insignem eorum quoque ecclesia in collegiatam pariter insignem erigeretur. Sed ut res mature perficeretur S. C. scribi mandavit Archiepiscopo juxta instructionem [47] : *Theatina, Erect. collegiatæ*, 6 *julii* 1737, *dub.* 1. Sed instructione ab Ordinario data, præoptatæ erectioni locum esse juxta modum a Card. præfecto exprimendum rescripsit : 19 *apr.* 1738.

24. Nomine consulum civitatis Sospelli flagitatum est ut populi offensionibus, et malis, quæ ex negligentia canonicorum regularium in obeunda animarum cura, et in chori, ecclesiæque functionibus peragendis manabant, occurreretur, mediante suppressione prioratus congregationis canonicorum regularium S. Ruffi, ejusque erectionis in collegiatam secularem ex priore, ut antea et quinque canonicis cum clericatu compositam ; ea sub lege, ut tres primi canonici priorem in cura adjuvarent. Sed fuit exoratum incassum et dictum ad mentem : *Ventimilien., Erect. collegiatæ*, 13 *sept.* 1738.

25. Fabricius Amatius exoptans post mortem suam erigi collegiatam canonicam, sive congregationem, in qua clerus Sevignani divina officia unitim recitare valeret, hæredi suo præcepit plures fieri census activos, ad erectionem obtinendam. Sed nonnullæ postmodum a dicto clero excitatæ sunt quæstiones circa modum et locum erectionis, quoniam in ecclesia a testatore designata erigi non posse supponebatur. Verum S. C. edixit, ut servaretur dispositio testatoris : *Ariminen., Erect. collegiatæ*, 26 *sept.* 1739, *dub.* 1.

26. Populus montis Milonis, celeber olim Pollentina nomine plebes, Pontificem exoravit, ut parochialis ejus ecclesia in insignem erigeret collegiatam. Parata erant omnia, deficiebant tantummodo ad erectionem opportunam scuta ter millia, quæ tamen ex superextantibus hæreditatis Accursii fructibus erogari poterant. Statuerat Accursius, ut superextantes hæreditatis suæ fructus in distributionem panis pauperibus faciendam impenderentur. Ita nunc excreverat multiplicum ut scuta sex millia, et ultra extent, et ad pauperes alendos, et ad opus perficiendum satis apta. Hinc rogat populus, ut fiat applicatio pro dicta collegiata erigenda. Sed suspensa fuit causæ definitio, et demandatum, ut firmaretur, transmittereturque multiplici status : *Maceraten., Applicat.*, 5 *julii* 1749.

27. Supplicavit clerus et populus Speluncati, ut plebana sui oppidi ecclesia, quæ divo Michaeli Archangelo dicata est, suppressa altera ejusdem oppidi ecclesia parochiali S. Catharinæ, in collegiatam erigeretur, in qua essent duæ dignitates, archipresbyteratus nempe, et præpositura, octo canonicatus, et quatuor beneficia, seu mansionariæ, idque ex bonis annuisque reditibus ecclesiæ plebanæ, et parochialis supprimendæ fieret. S. C. precibus populi annuit, juxta tamen modum a Card. præfecto declarandum [48] : *Marianen., Erect. collegiatæ*, 6 *decem.* 1749.

28. Præfecti terræ Lurii a S. C. rogitant ut suam S. Petri plebanam ecclesiam ob mortem Plebani vacantem in simplicem collegiatam auctoritate Apostolica erigeret. Exoptabant in unica archipresbyteratus dignitate, sex canonicis, æduo, et duobus animarum curæ coadjutoribus, constaret. Dissentit Episcopus, sed oratores requisita exponunt, quod nimirum ecclesia sit splendide extructa, pluribusque capellis aucta et ornata. Oratorum petitioni favit S. C. : *Marianen., Erect. collegiatæ*, 15 *febr.* 1751, *dub.* 1.

29. Communitas terræ Belfortis postulavit, ut ex bonis hæreditariis Fatii Porcelli erigeretur seu reintegraretur collegiata in parochiali S. Eustachii, commutata defuncti voluntate, qui animam suam suorumque reliquit hæredem ; sed S. C. huic postulationi refragata est, et indixit ut Episcopus incumberet ad implementum onerum præscriptorum a testatore singulis annis : *Camerinen., Commutat. volunt., et Erect. collegiatæ*, 23 *sept.* 1758.

Ecclesia collegiata quoad Jus Tumulandi. Vide *Cadaver*, § II et § III ; *Capitulum ecclesiasticum*, § III.

§ III.

Ecclesia collegiata quoad unionem, et translationem.

1. Ad præcidendas lites omnes præeminentiales,

tione clausulas generales præservativas omnium jurium prout de jure, et quatenus de jure, eminentissimi PP. censuerunt, supplicationem, de qua agitur, signandam, et relaxandam esse sub clausulis generalibus præservativis omnium ecclesiæ, et abbati S. Petri quomodolibet competentium prout de jure et quatenus de jure : » Lib. 87, *Decret.* fol 174 et 177.

[47] Instructio erat hæc, ut Archiepiscopus distincte referret super reditibus ecclesiæ S. Petri, et an ex petita ejus erectione in collegiatam, necnon ex petita divisione ecclesiarum quoad functiones speranda esset extinctio litium, vel potius timeri possint jurgia, utque sensum super utraque instantia aperiret : *Ead. causa*, 19 *april.* 1738.

[48] « Die sacra, audita relatione Episcopi Marianen. censuit si Sanctissimo domino nostro placuerit præsentem supplicationem signari posse informa commissaria eidem Episcopo directa pro verificatione redituum, et cum decreto, quod non provideantur de dignitatibus, canonicatibus, et beneficiis, nisi quos idoneos approbaverit Episcopus ipse : Lib. 99, *Decret.* fol. 481.

quæ inter duo capitula, alterum S. Mariæ et S. Hilarii, et alterum S. Jacobi, quæ Lugi existebant, factæ erant, Summus Pontifex collegiatas utrasque univit in templo S. Jacobi et Prosperi, voluitque, ut si quis ex iis, quæ ad deficientem sive præpositum, sive canonicum, sive mansionarium, spectabat, obiret, in massam ecclesiæ inferretur, a qua debita ab utraque collegiata, et ab utrisque canonicis legitime contracta expungerentur : et jussit ut bona omnia, quæ ad utramque collegiatam pertinebant, in unam indivisibilem massam transferrentur, et coalescerent; et demum præcepit, ut ex communi massa fructus omnes, et reditus præpositis, et canonicis præstarentur integre, donec ad numerum in constitutione statutum devenirent. Sed ne hac quidem unione sopitæ sunt, et extinctæ lites. Oportuit enim plurima dubia proponere, et resolutiones desuper exquirere. Et resolutum fuit, quod ex reditibus ambarum collegiatarum suppressarum constituenda usque a principio esset una indivisibilis massa, et unus tantum administrator, et non quod duæ massæ usque ad reductionem numeri separatæ fierent : *Imolen.*, *Plurium*, 19 *sept.* 1744, *dub.* 8.

2. Et statutum exinde est, quod lucra ex punctaturis, et absentiis capitularium manus dexteræ collegiatæ SS. Petronii, et Prosperi terræ Lugi, provenientia, a die unionis usque ad præsens non omnibus sive sint manus dexteræ, sive sinistræ intervenientibus, sed solis dictæ manus dexteræ intervenientibus accrescerent : *Ibid.*, *dub.* 9.

3. Decretum vero est quod legata Missarum tam canonicis olim S. Mariæ, quam canonicis olim S. Jacobi prius relicta satisfieri deberent post unionem ab unaquaque parte respective; non autem ab omnibus indiscriminatim : *Ibid.*, *dub.* 10.

4. Definitum etiam est, quod canonici vel mansionarii manus dexteræ fere nunquam choro intervenientes participare non deberent de emolumentis ex Missis, funeralibus, et aliis functionibus provenientibus, non vero de illis tantum quibus assisterent, et ab ipsis respective celebrarentur : *Ibid.*, *dub.* 11.

5. Quæsitum vero est, an pro sessionibus capitularibus in quolibet mense destinanda sit certa dies; seu potius servanda sit constitutio nona?

6. An ad legitimas capitulares resolutiones attendi debeat major suffragiorum pars respective ad omnes capitulares; sive sit potius necessarius concursus duarum ex tribus partibus, ut in constitutionum capitulis præscribitur?

7. An constitutiones capitulares ab Episcopo pro bono capituli regimine adprobatæ, sint observandæ?

8. Et quæsitum demum est, an stante expressa concessione manus dexteræ, et loci dignioris in favorem capitularium olim S. Mariæ in bulla unionis pro omnibus et singulis actibus, et functionibus facta, sustineatur dispositio in cap. 19 constitutionum contenta [49]? Sed nulla his fuit data definitio, et dictum : Dilata, et ad mentem [50] : *Ibid.*, *dub.* 12, 13, 14 et 15.

9. Soli capitulares olim S. Mariæ commodum octo Missarum pro qualibet die a bulla unionis in ecclesia S. Francisci de Paula requisitarum præstare, sive supplere durante divisione tenentur; et non tenentur per vices etiam capitulares olim S. Jacobi : *Ibid.*, *dub.* 16.

10. Postulatum denique fuit, num capitulo in quolibet anno per secreta suffragia ministros ab eodem mercede conductos confirmare liceret? et decisum est, ut haberetur ratio in confectione constitutionum : *Ibid.*, *dub.* 16.

11. In dubium venit, an sit concedendum beneplacitum Apostolicum pro approbatione omnium, in quæ convenerunt conventus, et patres S. Augustini civitatis Eugubii, et collegiata, canonicique S. Christinæ ejusdem civitatis super concessione ecclesiæ parochialis S. Mariæ Novæ, quæ ad dictos patres spectat, et super translatione dictæ collegiatæ S. Christinæ ad illam ecclesiam S. Mariæ Novæ? S. C. vero negativum præbuit responsum; translationi enim sodalitium sanctissimi Corporis Christi, in quorum ecclesia erectum fundatoris Christini jussu collegium fuerat, refragatur : *Eugubina*, *Beneplaciti*, 21 *novem.* 1744, *dub.* 1.

ECCLESIA MATRIX.

1. De superioritate ecclesiæ parochialis S. Petri terræ Vasti non constat, ita ut ecclesia S. Mariæ de Pinna sit illi in omnibus subjecta præterquam quoad jura parochialia, intra cujus limites ecclesia illa sita est : *Theatina*, 15 *novem.* 1704, *dub.* 2.

2. Non de matricitate ecclesiæ S. Mariæ Nova-

[49] « Et mens est, ut utraque manus deputet quatuor canonicos pro constitutionum confectione coram Episcopo. » Lib. 94, *decret.* fol. 484.

[50] Et mens est, ut fiat liquidatio expensarum, et partitionis coram Episcopo : *Ead. causa*, 19 *sept.* 1744, *dub.* 5.

rum, vel de alio titulo, sed de specie superioritatis super alias ecclesias parochiales S. C. constare firmavit: *Derthonen., Jur. paroch.*, 3 *decem.* 1718, *dub.* 1, confirmata 7 *decem.* 1720.

3. Et eidem ecclesiæ competit jus recipiendi ab Ordinario oleum sanctum, illudque privative distribuendi, et consignandi parochis arbitrio tantum Episcopi: *Ibid., dub.* 6, confirmata *ibid.*

4. Quæsitum quum esset, an ecclesia Mariæ Majoris, vel altera S. Petri sit major? responsum præsto fuit concordiam esse servandam, et Episcopum accedere posse in primo solemni ingressu ad ecclesiam sibi benevisam: *Theatina, Præeminent. seu præstat. obedientiæ*, 25 *januar.* 1721, *dub.* 3.

5. Duæ in terra Clarimontis parochiales adsunt ecclesiæ, una S. Thomæ Apostolo dicata, quæ est collegiata, et altera S. Joan. Baptistæ; sacrata plurima inter has ecclesias super præeminentiis exorta fuere dubia, et ad omnia responsum fuit ad mentem Card. præfecti: *Anglonen.*, 24 *maii* 1727. Episcopus, ut controversias dirimeret curavit concordiam, quam non sustinendam postea dixit. Postulatum interim fuit, an constaret de matricitate ecclesiæ parochialis S. Joannis Baptistæ, seu alio titulo superioritatis? et rescriptum exiit: Dilata et ad mentem [51]: 13 *junii* 1733. Ad novum examen deducta causa, resolutum fuit ad Card. præfectum pro nova concordia cum facultatibus S. C., ac etiam cum facultate interim providendi juxta modum eidem Card. domino benevisum: 23 *januar.* 1734.

6. Comites de Limbourg ad catholicæ religionis incrementum ecclesiam in oppido Ghemensi ædificarunt, eamque patribus strictioris observantiæ S. Francisci, prævia Ordinarii licentia tradiderunt, ut functiones parochiales obirent. Displicuit hæc parochiæ erectio capitulo collegiatæ ecclesiæ S. Remigii. Nuntius Apostolicus Coloniensis referebat, necessariam esse parochiæ erectionem. Hinc postquam disquisita fuit dismembratio, postulatum etiam fuit an et quæ honorificentiæ et reditus ecclesiis matricibus Borkensi et Romsdoffiensi super ecclesia, et districtu Ghemensi competerent? et responsum omnibus extitit, ut scriberetur Ordinario pro informatione et voto: *Monasterien., junii* 1728.

7. Ecclesia archipresbyteralis S. Putrignani, quæ honorificis pollet qualitatibus, et in qua fons baptismalis, quo infantes parochiæ S. Laurentii in Corrigiano abluuntur, existit, declarata est matrix respectu præfatæ ecclesiæ S. Laurentii; ita tamen ut hujusce ecclesiæ parochus vel per se, vel per alium benedictioni fontis baptismalis interveniat, et olea sacra ab archipresbytero recipiat: *Ariminen., Præeminent.*, 28 *julii* 1731, *dub.* 1.

8. Proposito definiendo dubio, num de matricitate vel majori ecclesiæ S. Mariæ Magdalenæ montis Barutii antiquitate, et respective de filiatione, vel subordinatione ecclesiarum parochialium S. Antonii, et S. Martiani ejusdem loci, constaret? quum in visitatione anno 1680 peracta, in tribus synodalibus decretis, et in sententia ab Episcopo anno 1697 lata, matrix fuisset adpellata; S. C. de majoritate illius ecclesiæ utique constare definivit: *Aquen., Præeminent., et jur. paroch.*, 8 *martii* 1732, *dub.* 1.

9. De parochialitate ecclesiarum rectoralium S. Georgii, S. Bartholomæi, et SS. Angeli et Mercurii terræ Campobassi constare, S. C. firmavit. Oppidum enim hoc quinque millibus incolis constituitur, quatuor parochiales habet ecclesias, quæ suos presbyteros participantes tenent cum onere parochos adjuvandi. Populus autem his parochiis subjectus non per domos materiales, sed per determinatas dispertitur familias in dicto oppido dispersas. Inde ecclesiæ præcipuæ S. Mariæ Majoris non de matricitate, neque de aliarum rectoralium ecclesiarum filiatione respective constare, sed de majoritate clarescere, S. C. responsum præbuit: *Bojanen., Jur. paroch. et præeminent.*, 24 *maii* 1732, *dub.* 2.

10. Tres in terra Murani adsunt parochiales ecclesiæ, quæ quum essent receptitiæ distinctum habent clerum. Presbyteri ecclesiæ S. Mariæ Magdalenæ suam ecclesiam in collegiatam erigi studuerunt, sed contradictorem invenerunt clerum S. Petri, qui illam sibi subjectam, filialemque esse prætendebant. Presbyteri isti petierunt de suæ ecclesiæ matricitate, et præeminentia declarari; et declaratum quippe fuit, primum de matricitate, et de præeminentia cum titulo archipresbyterali eorum S. Petri ecclesiæ, respectu etiam ecclesiæ S. Mariæ Magdalenæ constare: *Cassanen., Præeminent.*, 5 *junii* 1734, *dub.* 1, confirmata quoad præeminentiam: 21 *aug. ejusd. anni.*

11. Iidem sunt inde sciscitati, num, si utraque ecclesia erigatur in collegiatam, illa, quæ jam fuerat declarata matrix, seu major retinere debeat præcedentias et prærogativas quoad omnes alias ecclesias præfatæ terræ? et affirmativum retulerunt responsum: *Ibid., dub.* 2, confirmata *ibid.*

12. Quæsierunt tertio, an ubi constiterit de unius, vel alterius ecclesiæ matricitate, licitum sit clero S. Mariæ Magdalenæ recedere a concordia statuta anno 1666; ita ut supplicationes separatim

[51] Censuit S. C. suspendendam esse decisionem, ut de tota re instructa etiam redderetur ab aliquo ex finitimis Episcopis: *Ead. causa*, 9 *januar.* 1734, § 5.

fieri possint; et responsum habuerunt negativum, et ad secretarium cum Sanctissimo juxta mentem: *Ibid.*, *dub.* 3, confirmata *ibid.*

13. Relatum est, an constet de matricitate, seu præeminentia ecclesiæ S. Mariæ Majoris oppidi civitæ Campimarani, quam ejus archipresbyter supra parochum S. Georgii ejusdem oppidi in supplicationibus, aliisque functionibus ecclesiasticis habere prætendit? resolutio prodiit, constare de præeminentia tantum : *Guardien.*, *Erect. fontis baptis. et præeminent.*, 21 *maii* 1735, *dub.*

14. Bononiensis Archiepiscopus ad dissidia inter ecclesiæ parochialis S. Mariæ Magdalenæ de Cazzano parochum, et rectorem ecclesiæ S. Margaritæ Armaroli componenda, decrevit, ut rectori huic Missam in solemnioribus etiam diebus post unam ortus solis horam celebrare, eleemosynas duobus destinatis capsulis colligere, Rosarium singulis diebus, diebus autem festis Vesperas canere, et tintinnabulorum sonitu populum ciere, supplicationem B. M. V. de Cinctura quotannis ducere, tabernaculum tantum, et instabiles confessionales sedes retinere, mulieres post partum benedicere, infirmos visitare, eorumque tantum confessiones excipere, frumentum, aliosque terræ fructus naturales a sponte dantibus recipere, liceret. Reclamavit ab hoc decreto populus Bononiensis; sed populus Armaroli, ut ecclesia S. Margaritæ in subsidium curæ erigeretur, postulavit. Archiepiscopus autem suum confirmari decretum exoptabat; et confirmatum revera fuit, et insuper dictum ad Card. præfectum juxta mentem : *Bononien.*, 9 *julii* 1735.

15. Ad dubium, an, quæ jura præeminentialia spectant, et respective sint reservanda in favorem ecclesiæ parochialis vacaritiæ, ejusque rectori villarum dismembratarum? S. C. respondit, in casu de quo agitur, præstandam esse quolibet anno libram unam ceræ albæ : *Derthonen.*, *Dismembrat.*, 28 *januar.* 1736, *dub.* 4,

16. Obscurum est, an ecclesiæ S. Catharinæ, et S. Mariæ Græcorum terræ Caggiani sint ab ecclesia archipresbyterali Sanctissimi Salvatoris independentes; seu sint potius filiales? jussum est coadjuvari hinc inde probationes : *Satranien.*, *Jur. paroch.*, 17 *novem.* 1736, *dub.* 5.

17. Presbyteri parochialis ecclesiæ S. Petri urbis Vasti in insignem nuper collegiatam erectæ S. C. percontati sunt, num separationi eorum ecclesiæ ab ecclesia parochiali, et collegiata S. Mariæ Majoris ejusdem urbis, quoad supplicationes, omnesque alias functiones, locum esse possit; ita ut quælibet ecclesia illas exercere debeat in suo proprio territorio? S. C. causam protelando, mandavit scribi Archiepiscopo juxta instructionem [52]: *Theatina*, *Erect. collegiatæ*, 6 *julii* 1737, *dub.* 2. Sed causa iterum ad trutinam, instruente Ordinario, revocata, S. C. negativum edidit sui votum: 19 *april.* 1738.

18. Propositum quum fuisset, num constaret de matricitate ecclesiæ plebanæ S. Stephani loci Sigestri saltem pro nunc quoad præeminentias honorificas? et responsum est, ut extraherentur documenta citatis partibus : *Brugnaten.*, *Plebanatus, et præeminent.*, 20 *novem.* 1745, *dub.* 2.

19. Declaratur quod parochialis ecclesia S. Petri Fugnani sit una ex parochiis, quæ congregationem, cujus plebana ecclesia est caput, constituunt : *Faventina*, *Præeminent.*, *et jur. paroch.*, 14 *maii* 1746, *dub.* 2.

20. Parochialem hanc Fugnani ecclesiam ex asserto archipresbyteralis titulo vere plebanam haud esse, decisum postea fuit: *Ibid.*, *dub.* 4.

21. Neque ex eodem asserto archipresbyteralis titulo ab aliis oneribus, et obsequiis, quæ ante concessionem asserti tituli præstare tenebatur erga prædictam plebanam ecclesiam S. Joannis, exemptam remansisse, statutum, resolutumque fuit; verum, quod esset instar aliarum ecclesiarum subordinata, et subjecta eidem plebanæ ecclesiæ, fuit injunctum: *Ibid.*, *dub.* 5.

22. Et quod præenarrata parochialis ecclesia plebana S. Joan. Baptistæ sit mater late saltem, et improprie, S. C. eadem eodem tempore respondit: *Ibid.*, *dub.* 6.

23. Pares in dignitate et præeminentiis in civitate Rivelli ab antiquo reperiuntur ecclesiæ parochiales, altera nempe S. Mariæ de Podio, altera S. Nicolai. Suas ambæ filiales habent ecclesias; utraque fontem baptismalem, et proprium territorium ab alterius territorio distinctum, et utraque satis conspicuum habet sacerdotum numerum archipresbyteri titulo cohonestatum. Hinc de vera ecclesiæ S. Nicolai respectu ecclesiæ S. Mariæ de Podio in honore, dignitate, munere, et tempore paris matricitate non constare, firmis remanentibus resolutionibus alias captis anno 1746, declaratum fuit: *Policastren.*, *Matricitatis*, 23 *novem.* 1748, *dub.* 1.

24. Hinc vetitum est Archipresbytero et clero præfatæ ecclesiæ S. Nicolai, ecclesiam S. Mariæ de Podio filialem sub pœnis arbitrio Policastrensis Episcopi denominare: *Ibid.*, *dub.* 2.

25. Quum autem fuisse postulatum, an constaret de filialitate ecclesiæ parochialis, seu vicariæ perpetuæ S. Mariæ Gratiarum ab Episcopo petentibus incolis vici seu Casalis de Bosco, ubi reperitur, ob vias abruptas, fluminis interpositionem, et a ci-

[52] Vide not. 47.

vitate Rivelli distantiam erectæ, tam respectu archipresbyteralis ecclesiæ S. Mariæ de Podio, quam illius S. Nicolai? prodiit rescriptum, ut scriberetur Episcopo pro informatione et voto: *Ibid.*, *dub.* 4.

26. Universitas vici Luinii dismembrata fuit ab ecclesia præposituali oppidi Cuvii, et nova erecta parochia, et congrua juxta Episcopi decretum parocho assignata; ideo inquiritur, an, qui et quantum, et quale jus debeat reservari ecclesiæ præposituali, et matrici? et resolvitur, ut quoad præeminentias, et præstationes servetur decretum Episcopi; quo vero ad nominationem, servetur alternativa in posterum inter præpositum terræ Cuvii et communitates Luinii: *Comen.*, *Dismembrat.*, 13 *martii* 1751, *dub.* 3.

27. Duæ ejusdem nominis in diœcesi Cassani sunt terræ; una in vertice collis parvum Castrum superius nuncupatur, altera, quæ ad ejusdem collis radices assurgit, vocatur parvum Castrum inferius. Superiores incolæ inferiorem terram a terrigenis superioribus planitie locique amœnitate adlectis extructam esse contendunt. Matricem ecclesiam utraque terra habet. Placuit Episcopo ecclesiam S. Margaritæ superioris terræ in archipresbyteralem erigere; ob id lites factæ sunt inter utriusque terræ clerum; et solus clerus S. Margaritæ S. C. percontatus est, num de matricitate ecclesiæ S. Nicolai supra ecclesiam S. Margaritæ constaret, et non constare respondit: *Cassanen.*, *Matricit. et præeminent.*, 3 *april.* 1756, *dub.* 1.

28. Ecclesia Andriensis, quam a S. Riccardo, quinto ineunte seculo, fundatam asserunt. Episcopus Desidius intra urbis illius mœnia clerum ecclesiæ S. Mariæ de Tramodia olim, nunc S. Nicolao dicatæ recepit, sub lege, ut primariæ ecclesiæ titulum, obedientiam, et obsequium præstaret. Ad capita viginti quinque millia adaucto Adriensi populo, clerus ecclesiæ S. Nicolai, quo coadjutrix, et vicaria fuit declarata in adjutorem animarum curæ advocatus fuit, ea quoque sub lege, ut prærogativæ, et parochiales omnes functiones penes ipsam cathedralem, uti unicam parochialem remanerent; idcirco dubio cohærenter proposito, firmatum fuit, cathedralem urbis Adriæ unicam esse totius urbis, ejusque territorii parochialem, ita ut ecclesia S. Nicolai esset mera coadjutrix in administratione tantum sacramentorum: *Andrien.*, 10 *febr.* 1759, *dub.* 1.

29. Et firmatum quoque fuit, dictam cathedralem ecclesiam totam curam etiam quoad totalem administrationem sacramentorum ex se, et in exclusionem S. Nicolai, exercere non posset: *Ibid.*, *dub.* 2.

30. Abbatialis ecclesia S. Mariæ de Platea ab immemorabili habita semper fuit pro principaliori ab ipsis S. Severi prioribus. Inter hos autem priores, et illius abbates factis circa præeminentias questionibus decisum fuit, ecclesiam illam abbatialem esse matricem, majorem insuper, et digniorem esse altera ecclesia parochiali S. Severi, quoad actus præeminentiales: *Senogallien.*, *Præeminent.*, 30 *januarii* 1779, *dub.* 1, confirm. 5 *junii ejusd. anni.*

31. De parochialis, et abbatialis ecclesiæ S. Mariæ de Platea terræ Montis Novi matricitate constat quoad actus tantum præeminentiales, quoniam in solemnioribus anni festivitatibus sacras functiones tanquam matrix peragere consuevit, quemadmodum ex nonnullis etiam conjecturis id evinci poterat; et ipse autem abbas de rigorosa matricitate ad effectum percipiendi decimas quæstionem instituere non intendit: *Senogallien.*, *Præeminent.*, 27 *martii* 1784, *dub.* 1. Idemque fuit eadem die in altera causa resolutum: *Ibid.*

32. Qua de causa cruci prædictæ abbatialis ecclesiæ dignior debetur locus, seu præcedentia, et præeminentia: *Ibid.*, *dub.* 3.

33. Tres sunt in oppido Supini ecclesiæ parochiales; una ex his archipresbyteralis sub titulo S. Petri, quæ ab antiquissimo tempore tantum fontem baptismalem habet, cujus in benedictione conveniunt alii parochi, qui etiam ab eadem ecclesia oleum sanctum accipiunt. Non semel dicti parochi præeminentiam illius ecclesiæ turbare conati sunt; modo etiam spreto monitorio A C. Fontem baptismalem de præcedendi Episcopi licentia in eorum ecclesiis construxerunt. Sed litem exortam S. C. decidit constare de majoritate, non autem de matricitate ecclesiæ S. Petri: *Ferentina Matricit.*, *et fontis baptis.*, 18 *martii* 1797, *dub.* 1.

34. Hac de causa constare de jure privativo ejusdem ecclesiæ archipresbyteralis habendi fontem baptismalem S. C. definivit: *Ibid.*, *dub.* 2.

ECCLESIA PAROCHIALIS.

§ I.

Ecclesia parochialis quoad materialem ædificationem, et reparationem.

1. Ad ea, que proponebantur S. C. respondit, ut onus instaurationis ecclesiæ parochialis S. Rufi, atque alia onera eidem ecclesiæ incumbentia non ad monasterium Casinense, cui unita est ecclesia, sed ad duos vicarios de vicariis perpetuis in ea provisos pertinerent: *Capuana*, 16 *decem.* 1634.

2. Quum reparationem ecclesiæ curatæ terræ Canis mortui spectare ad Card. abbatem commendatarium abbatiæ S. Mariæ de Plano, cui ecclesia illa unita est, decisum fuisset, modo dubio, an, et quomodo sit instauranda, sive iterum ædificanda ecclesia, et providenda de necessariis; ita ut sit locus sequestro super fructibus, et cui sit committenda exequutio? restaurandam esse ad formam antiquæ ecclesiæ, et providendum de necessariis pro administratione sacramentorum responsum datur: *Sabinen., Reparat. ecclesiæ*, 13 *maii* 1679, *dub.* 2.

3. Vehementi terræ motu solo æquata parochiali ecclesia oppidi Umblæ, quæ de capituli metropolitanæ ecclesiæ erat jurepatronatus; canonici ad templum denuo erigendum necessarias expensas conferre recusarunt. Disputatum hinc est, an et cujus expensis denuo ædificanda, seu reparanda sit ecclesia illa? S. C. resolvit, præfigendum esse capitulo terminum sex mensium ad reparandam ecclesiam, vel ad renuntiandum tam juri præsentandi, quam bonis ad dictam ecclesiam spectantibus quatenus illa possideat: *Ragusina, Reædificat., seu Reparat. ecclesiæ*, 3 *aug.* 1686.

4. Unionem collapsæ ecclesiæ parochialis S. Adhœni cum altera parochiali S. Andreæ fecit episcopus Nolanus; dismembravitque nonnulla bona, quæ ad illam ecclesiam pertinebant, et seminario applicavit. Unionem hanc improbavit S. C. Pro hac tollenda sententia S. C. instante curia episcopali, decernit S. C. ut præfigeretur terminus unius anni parochiæ incolis, aliisque quibus de jure terminus quoque unius anni, ad perficiendam fabricam parochialis S. Adhœni: *Aversana, Unionis*, 5 *april.* 1704.

5. Facta inter capitulum ecclesiæ collegiatæ S. Georgi civitatis Spoleti, cui unita est ecclesia parochialis S. Nicolai terræ montis Leonis, et communitatem ejusdem terræ, contentio super onere instaurandi parochialem; S. C. illam diremit, sanciendo, quod reparatio spectaret ad capitulum, et ad mentem: *Spoletana, Restaur. ecclesiæ*, 12 *decem.* 1705. Redituum parochialis tenuitatem sub oculis patrum Card. exponere satagebat capitulum; sed suum tamen decretum S. C. confirmare putavit, addiditque *aut dimittat capitulum ecclesiam unitam.* 17 *decem.* 1707.

6. Antiqua parochiali ecclesia oppidi Bedoini casu repentino dilapsa, novam oppidani ecclesiam ædificare coacto comitio sanxerunt. Orta controversia est super loco. Exquisitum hinc est, num eligendus sit locus ab Episcopo electus? jussum est, confici plantam judicialem cum descriptione utriusque loci controversi, et de expensis, habito ad utrumque locum respectu, doceri: *Carpentoratën., Reædificat. ecclesiæ*, 13 *martii* 1706.

7. Sabiniæ diœcesim visitans Visitator Apostolicus inter cetera jussit, ecclesiæ S. Mariæ terræ Tarani navim orientalem a motu terræ valde concussam, fatiscentemque a communitate reparari. Ab hac autem vigore cujusdam assertæ transactionis funerum emolumenta in favorem fabricæ eroganda percipi, ejusdemque idcirco reparationis onus subeundum esse asserebatur. Sed ad S. C. arbitrium relatum est, quæ decrevit ad eadem reservato jure agendi pro mortuariis contra archipresbyterum, et quos de jure spectare: *Sabinen., Restaurat. ecclesiæ*, 17 *april.* 1706.

8. Parochialis ecclesiæ SS. Petri et Cæsarei castri Guardeæ ad novam ecclesiam sub montis ejusdem castri radicibus ædificandam translatione ab S. C. indulta; datus est quæstioni locus, num communitati pro constituenda nova ecclesia liceret uti cæmentis et materialibus antiquæ parochialis et capellæ S. Catharinæ? S. C. affirmativum edidit responsum. Assentiebatur enim patronus quod capella S. Catharinæ in locum antiquæ cum omnibus iis juribus, quæ ad antiquam capellam spectabant, subrogaretur: *Amerina, Translat. paroch.*, 31 *martii* 1708, *dub.* 1.

9. Parœciæ ruralis ecclesiæ S. Nicolai terræ Barilis incolæ, qui a præstatione decimarum, reservato jure parocho pro congrua, contra quos de jure, absoluti fuerunt, tenentur ad ampliationem suæ ecclesiæ, et ad illam capacem ipsius parœciæ populi reddendam: *Melphien., Congruæ*, 27 *junii* 1711, *dub.* 6.

10. Quum parochialis ecclesiæ S. Andreæ terræ Maliani instauratione indigeret, contenderunt parochi, et communitas. Prætendebat ut communitas, et trium vicinorum locorum homines, utpote parochiali præfatæ privative subjecti, pro rata parte tenerentur. Quæsitum ideo fuit, num dicti homines parochiali S. Andreæ subjecti essent; et num ad restaurationem concurrere tenerentur? S. C. ad utrumque respondit, ut coadjuverentur probationes juxta instructionem [83]: *in Lunen., Sarzanen. Restaurat. paroch.*, 14 *novem.* 1711, *dub.* 1 et 2.

11. Propositis in S. C. dubiis, an Episcopi de-

[83] Ut Episcopus conficiat processum judicalem citatis citandis super legalitate scripturarum, quæ dicuntur probare prætensas uniones ecclesiarum, de quibus agitur, cum dicta parochiali ecclesia S. Andreæ, et formaliter examinet testes super exercita administratione sacramentorum, et quorum, et a quo et super reditibus, et oneribus separatim, tam dictæ parochialis S. Andreæ, quam præfatarum ecclesiarum respective. *Regist. lit.* lib. 24, *die* 14 *novem.* 1711.

cretum pro confectione unius ecclesiæ pro utroque populo villarum Aprici, et Calceroni, et domus pro parocho sit exequendum; vel potius sint reficiendæ duæ ecclesiæ, ubi aderant una pro singulo populo prædicto?

12. An, et cujus sumptibus præfata novæ ecclesiæ confectio, vel refectio duarum sit facienda?

13. Et demum an promotor fiscalis curiæ episcopalis restituere teneatur pignora, et damna et expensas reficere? S. C. rescripsit ad mentem [54]: *Sencgalien.*, *Reædificat. ecclesiarum*, 30 *april.* 1712, *dub.* 1, 2, 3.

14. Archiepiscopus Beneventi in sacra visitatione mandavit, ut ab universitate repararetur, et restitueretur tectum unicæ parochialis ecclesiæ S. Nicolai in terra Ceppaluni, quæ sub interdicti pœna, quæ etiam ad oratorii sepulturas extendebatur, existebat. Renuit communitas hoc exequi, licet consuetudine jamdudum fuerit ad reparandam parochialem obvicta. Requisita itaque S. C. super hujusmodi oneris pertinentia, resolutionem distulit, voluitque ut coadjuvarentur probationes hinc inde, et interim Card. Archiepiscopus dignaretur incumbere reparationi tecti ecclesiæ, salvo jure repetendi a quibus de jure, firma remanente suspensione interdicti usque ad exitum causæ: *Beneventana*, *Reparat. ecclesiæ*, 28 *martii* 1716, *dub.* 1. Iterum examinata causa, respondit, ut daretur remissoria, et ut interim, et per modum provisionis sine præjudicio jurium partium provideretur, ne tectum rueret, sumptibus communibus universitatis, et Archipresbyteri, salvis juribus repetendi medietatem, prout de jure a parte succumbente: 21 *julii* 1717, *dub.* 1.

15. Manutentio, seu reparatio ecclesiæ parochialis, et matricis terræ Staphilii, cujus principales muri aperti sunt, spectat ad plebanum seu parochum, et non ad communitatem, etiamsi ipse parochus asserat ex reditibus congruam conciliarem minime percipere, et communitas, quæ illam ecclesiam reædificavit, se etiam obligavit ad contribuendum pro principalioribus ecclesiæ muris: *Auximana*, *Restaurat. ecclesiæ parochialis*, 26 *aug.* 1719.

16. Ecclesia parochialis S. Petri in Penna, quæ est posita in civitate Firmi, et quæ uti membrum abbatiæ Farfensis, subjecta est Card. abbati reparatione indiget, et instauratione tam in tecto, quam in aliis partibus. Visitator ad refectionem condemnavit parochum, aliosque beneficiatos habentes sua beneficia in dicta ecclesia ad ratam, et pro proportione redituum. Card. abbas eos extra diœcesim viventes cogere nequit. Verum S. C., apud quam disputatum fuit, a quibusnam esset contribuendum, a parocho et a beneficiatis, quemadmodum visitator statuerat, ad ratam redituum contribuendum esse, edixit: *Nullius*, *seu Farfen.*, *Reparat. ecclesiæ*, 8 *febr.* 1721.

17. Parochialis ecclesiæ S. Leonardi terræ Arcidossi incolæ instant, ut monachis monasterii S. Salvatoris Montis Amaiti demandaretur, ut necessarias collabenti jam præfatæ ecclesiæ facerent instaurationes, quum per unionem ecclesiæ bona monasterio incorporata dicerentur, et sacerdos secularis perpetuus vicarius animarum curam modicis reditibus exerceret. S. C. causam protelavit, optavitque coadjuvari factum, et scribi nuntio Florentino pro sollicita information esuper actuali parochialis ecclesiæ statu: *Clusina*, *Reparat. ecclesiæ*, 12 *febr.* 1724. Deinde remissa fuit causa ad sacram Episcoporum et Regularium Congregationem, et interim fuit injunctum, ut per modum provisionis ecclesia omnino repararetur expensis monachorum, et deinde cujus de jure, et ut committeretur exequutio nuntio Florentiæ, qui de ea certiorem facere S. C. deberet. Documenta enim monachi produxerunt, quibus litem super bonis hujus ecclesiæ introductam, et definitam fuisse a S. C. Episcoporum et regularium ostendebatur: 22 *sept.* 1725.

18. Ut animarum periculo succurri posset magnus religionis Hierosolymitanæ magister supplicavit, ut nova intra ambitum Florianum erigeretur parochia, eo quod ecclesia parochialis, quæ in civitate Valletta reperitur, nocte accessibilis non est, quum urbis hujusce portæ essent nocturno tempore clausæ, S. C cui sunt remissæ preces, mandavit, ut magnus magister situm metaretur pro ædificanda ecclesia, in quo tamen nec ecclesia nec ullum aliud ædificium construeretur inconsulta S. C., qui designatum etiam situm notificari voluit. Jussit inde, ut decretum hoc intra quatuor menses exequutioni mandaretur, fieretque interim judicialis planta coram domino inquisitore: *Milevitana*, 17 *januar.* 1728, *dub.* 2 et 3.

19. In Arpini oppido adest parochialis ecclesia S. Andreæ annexa monasterio Monialium ordinis S. Benedicti, ubi moniales omnes functiones ecclesiasticas peragunt, Missas audiunt, professiones emittunt, et ipsarum cadavera tumulantur. Archiabbatissa, quæ habitualem habet curam, emolumenta parochialia percipit. Hinc quæsito, an abbatissa, et moniales monasterii supradicti teneantur, et pro qua rata ad instaurationem ecclesiæ parochialis?

20. Et quæsito ulterius, an teneantur ad repa-

[54] « Et mens fuit, ut constructio novæ ecclesiæ, et domus parochialis fieret sumptibus ipsius Episcopi communis, et aptæ pro utroque populo, quodque restituerentur pignora: Lib. *Decret.* 62, fol. 130.

rationem fontis baptismalis, sacræ pixidis, et vasis aquæ benedictæ? non prodiit resolutio, sed demandata fuit Episcopo melior informatio juxta instructionem [55]: *Sorana, Restaurat. eccles. paroch.*, 3 *sept.* 1729, *dub.* 1 et 2.

21. Hieronymus Mattei dux terræ Jovii bis Summo Pontifici preces porrexit, ut centum tritici rubra, quæ ex Frumentario monte penes debitores existunt, ad reparandam collabentem parochialem ecclesiam, eamque dilatandam impenderentur. Petitis annuit Pontifex, ut nempe pro constructione novæ ecclesiæ erogari valerent summæ, quæ debentur Monti, sive montibus Frumentariis, pro eo tamen solummodo, quod superest ultra sortem erectionis, quæ pro capitali servanda erat integra. Rescriptum hoc impugnavit communitas, documenta adducens, quibus evinci putabat, a veritate aberrare, tum quod parochialis ecclesia ruinam minaretur, nimiumque angusta sit, tum quod parochiæ incolæ novæ ecclesiæ erectioni suum præbuerint assensum. Postulato igitur, an obtenta gratia esset exequenda, et an alios etiam comprehenderet montes Frumentarios; responsum prodiit, ut coadjuvarentur probationes, et scriberetur Episcopo juxta instructionem [56]: *Amerina*, 10 *junii* 1741, *dub.* 1 et 2. Episcopo referente, quod triginta novem pro fabrica novæ parochialis assensum, et manus etiam adjutrices libenter præstare promiserint, septuaginta vero octo fabricæ dissenserint, suasque iterato pro amplianda ecclesiæ parochiali preces addente, decisivum responsum exiit, gratiam esse exequendam etiam quoad alios montes Frumentarios arbitrio Episcopi, qui ejus exequutioni sedulo incumbere deberet, invigilando præsertim, ne in constructione ecclesiæ fiant ornatus superflui, et pro ejusdem ecclesiæ tutiori ac celeriori absolutione, et quatenus opus sit, procederet etiam prout de jure, ad formam resolutionis editæ anno 1707 : 26 *febr.* 1743.

22. Didacus Santucchius in commendam obtinuit abbatiam SS. Trinitatis de Sacargia, cui prioratus, seu parochialis ecclesia S. Petri oppidi de Escano in temporalibus dumtaxat reperitur annexus. In litteris Apostolicis ei indictum legitur, ut ille debitis supportatis oneribus, solveret quartam, si abbatialis separata, et seorsim in conventuali, tertiam si communis inibi mensa fuerit, in reparationem illius fabricæ, seu ornamentorum vestium aut paramentorum emptionem seu instaurationem. Episcopus visitans, animadvertit pauperem esse ecclesiam, illiusque sacrarium esse supellectili ferme destitutum, et decrevit sequestro ponendam esse fructuum decimalium quartam ab ecclesia parochiali quotannis solvendam. Quæsitum ideo fuit, num esset decretum hoc Episcopi visitantis sustinendum esse S. C. putavit: *Bosanen.*, *Reparat. ecclesiæ parochialis*, 11 *mart.* 1741, *dub.* 1.

23. Parochialis ecclesiæ S. Michaelis Archangeli urbis Firmi de jurepatronatus parochiæ incolarum pro duabus ex tribus partibus, pro tertia vero comitis Petri Galiucci, ob suam vetustatem plurima instauratione indiget. Heraclius Petrini ejusdem ecclesiæ prior et canonicus Natali sui muneris esse duxerunt ecclesiæ indigentiam S. C. exponere, et quærere num canonici aliique cleri beneficiati cogendi sint ad mediæ annatæ solutionem, vel potius reparanda ea sit sumptibus parochiæ incolarum, et familiæ Galiucci, penes quam patronatus ecclesiæ adhuc residet? S. C. nil definivit, scribi vero mandavit Archiepiscopo pro nova informatione juxta instructionem : *Firmana*, *Reparat. ecclesiæ*, 5 *maii* 1742.

24. Parochus Malatesta parochialem ecclesiam divo Zenoni dedicatam vetustate jam dilabentem, ac natura sua deformem, nullaque lege constructam ære suo, facto deposito, præstitaque fidejussione, duo ædificare exoptavit, interimque parochiales functiones in oratorio S. Josephi intra parochiæ limites explere. Sodales vero metuentes, ne ab suo oratorio parochus amplius discederet, ex quo nova ecclesia præ parochi inopia ædificari non posset, ejusmodi ædificationi contradixerunt. At S. C. censuit ædificationi esse locum juxta mentem [57]:

[55] Nam S. C. scire cupit, in quo statu reperiatur fabrica ecclesiæ, et quæ impensa requiratur pro illius perfectione, rursus ad quam summam ascendant emolumenta omnia, quæ annuatim percipiant ex animarum cura, et ad quam summam ascendunt emolumenta; quæ recipiunt quolibet anno canonici ab exercitio curæ, et quanti sint vere annui reditus eorum præbendarum distincti a supradictis emolumentis: *Regist. lit.* lib. 17, *die* 3 *decem.* 1729.

[56] Datæ fuerunt litteræ ad Episcopum, quibus jussus est S. C. referre, an populus hodie assentiatur fabricæ novæ ecclesiæ, et an ulla spes affulgeat, ut parochiæ incolæ manus adjutrices, aliquodve subsidium pro eadem fabrica libenter in posterum sint daturi, itidemque exprimat, quæ summa verisimiler exigi possit a debitoribus montis Frumentarii a Paula Parca instituti: *Ead. causa*, 26 *januar.* 1743, § 4.

[57] Mens fuit, ut per parochum Malatesta fieret depositum actuale scut. 800, et idonea præstaretur fidei jussio approbanda tam ab Episcopo, quam a gubernatore a solvendo prætio operis præter dictam summam ad formam Mappæ, et facto per dictum parochum deposito, ac præstita, ut supra fide jussione præfigeretur sodalibus terminus sex mensium a die præfixionis decurrendus ad effectum explendi ornatus, de quibus agebatur: *Ead. causa*, 21 *julii* 1753.

7 *april.* 1753, *dub.* 1. Et quum S. C. mens parocho haud placuisset, reproposita causa, rescriptum fuit *in decisis:* 21 *julii ejusd. anni.*

25. Parochus ecclesiæ S. Andreæ villæ Dugheriæ, alteriusque S. Joannis Baptistæ eidem unitæ, parochiæ incolas in jus vocavit, ut eæ fatiscentes ecclesiæ ab iis repararentur. Vicarius generalis parochiæ incolas pro tribus partibus, parochum autem pro parte quarta ad reparationis impensas esse obstrictos, decrevit. Appellarunt fideles, et parochum, qui uberes scutorum 150 fructus ex parochia percipit, ad reparationem teneri affirmarunt. Parochus contendere cœpit inutile esse futurum ob soli naturam, ecclesiam S. Andreæ reparare. Proposito itaque dubio, an esset reparationi præfatæ locus, et quibusnam esset sumptibus faciendam? S. C. respondit: *Dilata* et ad secretarium pro provisione capienda super necessariis reparationibus: *Brictinorien.*, 18 *sept.* 1756. Reproposita vero definienda causa, decisum fuit, esse locum instaurationi utriusque ecclesiæ, et domus parochialis sumptibus parochi pro tertia parte, et parochiæ incolarum pro reliqua accepto oblato per Biagiolinum præstita idonea fidejussione in statu ecclesiastico: 20 *novem. ejusd. anni.*

26. Communitas de Siuna, sive incolæ prope castrum de Merlemont supplicarunt, ut cogerentur decimatores de Siuna ad ædificandam prope dictum castrum ecclesiam parochialem, eamque de vicario apostolico providendam. Dicebant, ut via aspretis prærupta ita erat, vallibusque, et aquarum inundationibus obsita, ut non sine periculo ad ecclesiam parochialem de Villeri Gambos dimidia leuca distantem accedere nequirent; et urgebant, ut hoc ædificationis onus, tum ex juris, tum ex particularium Leodiensis ecclesiæ constitutionum dispositione eis incumberet. Decimatores vero defendebant, duas tantum in territorio Siunæ adesse familias a parochiali nullimodo distantes. Et injungunt non confundendos esse decimatores, quum ipsi nihil in villa de Merlemont perciperent. Proposito hinc definiendo dubio, num decimatores territorii de Siuna ad præfatam ædificandam ecclesiam, eamque de vicario et de necessariis providere tenerentur? et non teneri S. C. putavit: *Leodien., Vicariæ,* 10 *maii* 1769, *dub.* 1.

27. Quæsitum exinde fuit, num decimatores territorii de Merlemont ædificare eamdem ecclesiam prope castrum de Merlemont pro exercitio curæ animarum, eamque de vicario perpetuo, aliisque necessariis providere, tenerentur? ad aliud tempus responsio remissa fuit, et dictum ad mentem: *Ibid.*, *dub.* 2.

28. Novam ædificationem ecclesiæ parochialis villæ de Seelback de jurepatronatus comitis de Eberstein villæ baronis, quam Episcopus iis demandavit, ad quos de jure pertinere credebatur, et quam capitulum Spirense illius loci decimator a parochiæ incolarum expensis perficiendam esse autumabat, primo loco ad fabricæ reditus; secundo vero loco, ad populum; tertio loco ad patronum spectare S. C. decrevit: *Spiren., Reædificat. ecclesiæ,* 30 *maii* 1761, confirmata 17 *sept.* 1768, 18 *novem.* 1769, 28 *april.* 1770, ubi additum est ad Card. præfectum juxta mentem.

29. Ecclesia, quæ in pago Steinenstatt reperitur, est admodum parva et vilis, immo etiam sacellum satis angustum, et sine sacrario in episcopali visitatione appellatur. Hujus rei causa populus postulavit vel parochiæ in ea ecclesia erectionem, vel capellani continuo residenti deputationem. Deputatione hac obtenta, postulavit etiam, an esset locus ædificationi novæ ecclesiæ et ædium parochialium, et cujusnam sumptibus? S. C. instantiam remisit arbitrio et sumptibus communitatis: *Constantien.*, 27 *junii* 1761, *dub.* 3.

30. Temporis edacis injuria ruinam minitante ecclesia parochiali S. Georgii oppidi S. Genesii, Episcopus sacram agens visitationem decrevit exhiberi statum redituum parochialis, quo viso, cum Ordinarii reditus non excederent, non deductis oneribus, scuta 70, et onera ad scuta 42 ascendebant, congregari jussit parochiæ incolas pro partitione summæ necessariæ juxta peritiam complenda, et interim onera Missarum, donec fabrica compleatur impleri mandavit in viciniori ecclesia S. Thomæ, ad quam transferri etiam mandavit SS. Eucharistiæ sacramentum. Reclamarunt parochiæ fideles, et rectori onus reparationis incumbere exponebant. Hinc quæsito, an Episcopi decretum in visitatione latum esset implendum? resolutum fuit, esse implendum, reservatis juribus, prout de jure: *Camerinen., Restaurat.*, 28 *febr.* 1769, *dub.* 1.

31. Parochiali, et collegiata ecclesia S. Stephani oppidi Fiani fatiscente, facta fuit quæstio inter ducem Ottobonum oppidi baronem, et communitatem, quæ vicissim contendebant, ecclesiam a suo respective contradictore, tamquam patrono, esse instaurandam. De jurepatronatu non satis liquebat. S. C. resolutionem distulit, et jussit, ut scriberetur Episcopo juxta instructionem [58] et ad mentem: *In Nepesina., Restaurat. ecclesiæ,* 31 *aug.* 1771. Retulit Episcopus, capitulares, et reditus capellaniarum esse admodum exiguos, imparesque propterea esse ad instaurationem peragendam; capitulares tamen pro tertia expensarum parte, in scutis 200, liben-

[58] Vide not. 24.

ter assentiri, barones vero et communitatem reluctari. Ipse autem putabat, ut onus hoc esset vel in patronos, vel in populum refundendum. S. C. causæ resolutionem iterum distulit, voluitque ut reproponeretur cum alio dubio super pertinentia patronatus, et ut interim per modum provisionis, et sine præjudicio jurium partium solverentur scuta 300, ab ecclesiis, totidem a barone, totidemque a communitate, et res fuit Card. præfecto remissa pro exequutione, et directione operis, facto verbo cum Sanctissimo: 27 *junii* 1772. Ad examen reproducta causa, resolutum fuit, spectatis peculiaribus circumstantiis, placeret fieri concordiam etiam ex officio per Card. præfectum juxta instructionem facto verbo cum Sanctissimo: 18 *septem.* 1773, *dub.* 1.

32. Dubitationi obnoxium fuit, an esset locus novæ ædificationi, et ampliationi ecclesiæ parochialis S. Michaelis Archangeli, seu potius illius instaurationi? responsum extitit: Dilata, et scribatur Episcopo juxta instructionem: *Pontis Curvi, Reædificat. et translat. ecclesiæ paroch.*, 13 *sept.* 1777, *dub.* 1. Iterum proposita causa, et novis illustrata juribus, et documentis, decretum est, prædictam non instaurandam, sed denuo ecclesiam ædificandam et ampliandam esse: 6 *martii* 1779.

33. Nec in eodem ædificandam esse situ sed ad alium situm prope collegium patrum Doctrinæ christianæ transferendam, cum muniis parochialibus esse S. C. censuit; etsi parochiæ incolæ causa loci contradixissent: *Ibid.*, *dub.* 2.

34. Postulatum item quum fuisset, an, et cujus expensis novæ prædictæ ecclesiæ ædificatio, aut antiquæ instauratio facienda sit? affirmativum responsum exiit juxta Episcopi votum [59]: *Ibid.*, *dub.* 4.

35. Oppidum Crevalorii collocatum in territorio abbatiæ S. Silvestri Nonantulæ unicam habet parochialem ecclesiam divo Stephano dicatam. Hac jam fatiscente auctoque oppidanorum numero, præpositus Jacobus Graviolius preces exhibuit pro amplioris ecclesiæ nova ædificatione, exponens simulque sciscitans quanam ratione id perfici possit? novam ædificationem S. C. probavit; et quo vero ad modum dixit ad mentem a secretario Card. abbati communicandam [60]: *Nullius, seu Nonantulana, Reædificat. ecclesiæ paroch.*, 16 *maii* 1778. Menti satisfecit abbas, architectique relationem porrexit; ideo petitur quomodonam ea sit reparanda? et rescriptum denique fuit juxta votum Card. abbatis commendatarii cum omnibus facultatibus necessariis, et opportunis: 6 *martii* 1779.

36. Nullas reparationes faciendas esse in ecclesia parochiali S. Mauri oppidi Tumbæ sumptibus parochi antecessoris statuit S. C. contra votum moderni parochi, qui post lapsum undecim annorum a parochia obtenta, et nonnisi post sui antecessoris obitum, qui reparationes tum in sacris supellectilibus, tum in ecclesia et in domibus ex necessario fieri oportere postulavit: *Senogallien.*, 19 *sept.* 1778, *dub.* 1, confirmata 15 *maii* 1779.

37. Intra fines Spoletanæ diœceseos adest locus, qui vocatur Podium Primi Casus, ubi una tantum adest prioralis ecclesia cum cura animarum, quam obtinuit Vincentius Bernabo Fulginas canonicus basilicæ S. Laurentii in Damaso urbis. Quum esset hæc ecclesia fatiscens, minareturque undequaque ruinam, sacrisque omnibus paramentis, et utensilibus careret, paupere populo et paupere ecclesia, Vincentius priorem ad instaurandam, et renovandam suam prioralem ecclesiam; nec non et ad sartam tectamque servandam in necessariis parandis supellectilibus, adigendum esse, populus oravit; sed S. C. causam distulit, et Episcopo scribi jussit ad mentem [61]: *Spoletana, Restaurat. ecclesiæ paroch. et sacr. supellect.*, 18 *martii* 1780.

38. Quum ecclesia parochialis S. Michaelis de Puteo foro Cornelii diœcesos instauratione indigeret, sacerdos Franciscus Braga parochus petiit definiri, cuinam onus incumberet instaurationis? restitit petitioni populus. At deteriori facta ecclesia, per modum provisionis creatus fuit census scutorum centum et viginti super bonis parochiæ, ut labenti turri sacræ ferrent suppetias. In dies restauratione indigente magis ecclesia definiri postulatur, quis ad reparationem, et ad extinctionem census, ejusque fructuum solutionem sit adigendus? definitio fuit, teneri populum, et possidentes in districtu parochiæ per æs, et libram. Nam impares erant reditus parochi, et beneficiariorum, et patroni deficiebant: *Imolen.*, *Restaurat. ecclesiæ paroch.*, 6 *sept.* 1783, confirmata 10 *jan.* 1784. Deinde

[59] Episcopus proponit modum ædificandæ ecclesiæ, de qua agitur, per folia distincta, præsertim suspensionem ad septennarium omnium Missarum, excepta illa pro populo, tam scilicet earum, quæ oneris sunt ecclesiæ in annuo numero Missarum 549, quam illarum in annuo numero aliarum Missarum 293, quarum onus patronis capellarum incumbit: *Ead. causa*, 17 *junii* 1778, § 4.

[60] Hanc igitur tria capita complectentem relative ad modum, sumptus, eorumque quantitatem pro reædificanda ecclesia parochiali necessariam, ut par est, communicavit Card. abbati Secretarius: *Ead. caus.*, 30 *jan.* 1779.

[61] Mens est, ut Episcopus, prævia peritorum æstimatione, sollicite referat quæ sint restaurationes ecclesiæ necessariæ, quantum importare possint, et interim provideat, ut statim utensilia, et sacræ supellectiles proficiantur, ad hoc ut decenter peragi possint sacræ functiones sumptibus prioris: *Ead. causa*, 18 *martii* 1780.

exequutio taxæ plene peragi nequivisset renuentibus exteris possidentibus; et re iterum in S. C. delata S. C. imponendam esse collectam juxta votum Card. Episcopi [62]: 16 *maii* 1795, *dub.* 1.

39. Et locus est deputationi periti pro recognitione operis: *Ibid.*, *dub.* 2.

40. Petita archipresbyteratus, et canonicatus provisione, cujus collatio pro reparanda parochiali ecclesia collegiata S. Mariæ terræ Bledæ suspensa erat, S. C. placuit injungere vicario capitulari, ut statim procederet ad indictionem concursus pro electione archipresbyteri cum assumptione coadjutoris, assignata eidem provisione usque ad electionem canonici curati, et in reliquis ad mentem [63]: Modo Card. de comitibus Viterbium se contulit, omniaque perfecit; ob id S. C. decrevit, esse providendum ad fabricam illius ecclesiæ in omnibus juxta votum Card. relatoris [64], et ad secretarium cum Sanctissimo juxta mentem: *Viterbien.*, 7 *febr.* 1784.

41. Parochia S. Donati jamdiu episcopali mensæ unita, et ad statum postea collativum nonnullis pro paracho, et nonnullis pro ecclesia bonis assignatis, ceteris autem bonis una cum decimis a mensa ipsa retentis, reducta fuit. Hinc reparationes in ecclesia præfata faciendas pro tempore præterito ad Episcopum spectare, quo vero ad tempus futurum, ordinarias spectare ad parochum, extraordinarias ad antistitem pertinere, S. C. definivit: posteaquam 14 *dec.* 1782 fuerit rescriptum: Dilata et ad mentem [65]: *Brictinoren.*, *Congruæ*, 10 *decem.* 1785, *dub.* 3, confirmata 15 *sept.* 1787.

42. Populus Borgii unam habens ecclesiam, eamque etiam magna scutorum 5000 reparatione indigentem supplicavit pro novæ potius ecclesiæ in commodiori loco facienda constructione, quæ ad scuta 4000 vix adscendit; et deprecatus est etiam, ut sibi uti liceret in partem sumptuum hæreditate Mariæ Finocchiæ, in pios usus relicta. Siquidem hæc pia mulier bis mille libris januensibus egenis pagi ægrotantibus occurri jussit; et his deficientibus, mandavit in annos singulos kalendis maii panes pauperibus distribui; ratam aliarum librarum 1600 voluit implicari in illa fatiscente ecclesia suo nomine, et cognomine inscripto: de reliquis fructibus solidos triginta dari constituit singulis annis parocho pro sacrificio in expiationem animæ suæ kalendis maii celebrando, et superextantes erogari in totidem Missis lectis cum eleemosyna solidorum quatuordecim. Idem populus distributioni fructuum 2000 librarum renunciavit, promisitque capellam ad normam testatricis ædificare in nova ecclesia, et implere aliquem numerum Missarum, quarum reductionem etiam efflagitat. His omnibus S. C. respondit *affirmative*, reservato onere anniversarii kalendis maii a parocho explendi cum eleemosyna solidorum triginta, et celebratis quotannis nonnullis Missis lectis arbitrio Episcopi, et cum eleemosyna ab Episcopo taxanda, et ut ipse incumberet ædificationi ecclesiæ cum appositione lapidis, et administrationi hæreditatis: *Albiganen.*, *Ædificat. ecclesiæ paroch.*, 3 *febr.* 1787.

43. Ob imminentem parochialis ecclesiæ S. Mariæ Cossineani ruinam, præpositus, et curati contributiones communitatis, capellaniarum, nosocomii, et sodalitiorum proposuerunt confirmandas, ut nova fieret ecclesiæ fatiscentis constructio. At quum constructio plurimum expensæ requireret, excogitata fuit reparatio, quæ minores requirebat expensas. Fratres Santuccii, qui e conspectu ecclesiæ domum habent, sese opposuerunt, dicentes, limitatum fuisse sodalitium, et administratorum consensum ad novam ecclesiæ constructionem, ideoque trahendam non esse ad instaurationem. Verum S. C. constare de legitimis consensibus pro expensis necessariæ reparationis edixit: *Ripana*, 16 *junii* 1787, *dub.* 1.

33. Quæsitum deinde fuit, cujusnam sumptibus sit ea ecclesia instauranda? dictum est, provisum in primo, et scribatur Episcopo juxta menten [66]: *Ibid.*, *dub.* 2.

45. Quum Episcopus Sarsinatensis in actu visitationis totam parochialem ecclesiam S. Mamantis

[62] Qui censet, ut imponatur æstimatio super proventibus universi agri instar cujuscumque alterius publicæ collectæ; nempe possidentibus loci, comprehensis ratione fructuum colonis collecta conficiatur: *Ead. causa*, 18 *maii* 1795, § 5.

[63] Quæ fuit, ut Card. de comitibus rem totam perpenderet, ac S. C. opportuna remedia proponeret ad componenda facta in oppido dissidia, et ad fabricam perficiendam: *Ead. causa*, 17 *febr.* 1784, § 4.

[64] Ait enim 1. Ut onus tantum fabricæ præsit, sitque ecclesiasticus. Huic aptior oneri ferendo visus est canonicus Franciscus Sandoletti, cui omnes ad hanc rem necessariæ, opportunæque facultates dandæ erunt. 2. Ut unus æque sit exactor, atque depositarius, sitque laicus; utrique muneri præfici potest, ut fuit prælectus Nicolaus de sanctis. 3. Ut exactor iste, atque depositarius rationem quolibet anno reddere teneatur coram duobus syndicis, quorum alter pro clero ecclesiasticus, alter vero pro communitate sit laicus. Ille sit novus archipresbyter, iste autem sit Angelus Gigliotti, et hujusmodi expletæ redditionis rationis Episcopi accedat auctoritas: *Ead. causa*, 7 *febr.* 1784, § 8.

[65] Vide not. 213, verb. *Archipresbyter*, § III.

[66] Mens est, ut S. C. per rescriptum ad primum dubium intendit se de superextantibus tantum pecuniis impletis nempe prius oneribus locis piis inhærentibus, necnon concedit Episcopo facultates pro directione, et modo servando in exequutione restaurationis, de qua agitur: Lib. *Decret.* dict. an. et mense.

de Falcino dilabentem comperiisset, decrevit, ut infra tempus proximi veris firmiter reficeretur, facta de necessariis expensis peritia, ad hoc ut eæ populo et possidentibus notificarentur, ut unusquisque pro rata sua parte concurreret; sin minus, juxta consuetudinem contra morosos exequutivum relaxaretur mandatum. Taxationem super æs et libram solvere renuit Laurentius Ricchius, exterus in parochia possessor, et gravaminis querelam ad S. detulit C. At hæc sancivit præfatum Episcopi decretum esse exequendum: *Sarsinaten.*, 31 *julii* 1790.

46. Adeo parochialis ecclesia Sanctissimi Salvatoris Velitrarum fatiscit, ut alibi parochiales agantur functiones. Insignis peritorum judicio ad eam reparandam requiritur summa scutorum 2,420; nec pares sunt illius reditus sumptui. Igitur S. C. supplicarunt ejus officiales pro suspensione onerum, quæ sacrario, archipresbytero, beneficiatis, et capellanis incumbunt; et responsum protelatum est, ut expectetur relatio Card. Episcopi super petitione collegii S. Bonaventuræ quod insignem capellaniam in ea ecclesia possidet; hinc concordiam collegium illud cum deputatis fabricæ super contributione inierat: *Veliterna, Suspens. Miss.*, 5 *junii* 1790. Deinde annuit juxta votum Card. Episcopi [67]: 18 *sept. ejusd. anni.*

47. Ac insuper reprobavit concordiam prædictam a collegio S. Bonaventuræ pro capellania scut. 800: *Ibid., dub.* 2.

48. Denegata pro reparatione ædium, et ecclesiæ parochialis S. Michaelis Archangeli oppidi Maceratæ Feltriæ applicatione hæreditatum Gratiosi, et Angeli Remigii Calbini, supplicatum est, an, et quomodo sit providendum præsenti reparationi ædium, et ecclesiæ parochialis? S. C. respondit affirmative ex pecunia cumulata, et quatemus opus aliis etiam remediis a sacro Concilio Trid. præscriptis [68]: *Feretrana, Applicat.*, 27 *aug.* 1796, *dub.* 2.

§. II.

Ecclesia parochialis quoad collationem in titulum, seu provisionem [69].

1. Quærit Episcopus Cremonæ, an si infra tempus in edicto præfixum, unus comparuerit, examinari omnino debeat si petierit, et institerit; vel an Episcopus, si ita expedire judicaverit, dictum tempus ad alios 10 in alio edicto proponendo prorogare possit, et examen interim differre, saltem vigore Const. S. Pii V. [70] editæ super collatione parochialium ecclesiarum, et examine faciendo?

2. An, si ille, qui infra tempus in præfato edicto præfixum solus comparuerit, examinatus, et approbatus fuerit, Episcopus præfatam prorogationem facere valeat?

3. An secundum prædictum tempus incipere debeat statim a fine præcedentis, vel an Episcopus secundum edictum proponere, et novum tempus etiam longius decem diebus arbitrio suo assignare possit, etiam post plures dies post lapsum primum, dummodo infra sex menses a die vacationis perficiatur examen, et dicta ecclesia magis idoneo provideatur, quando ad ipsum spectet collatio, vel magis idoneus eligatur, et electio Summo Pontifici, seu alii collatori infra quatuor menses juxta Const. præfatæ tenorem [71] significetur? respondetur, non esse opus alio edicto, sed illum qui comparuit, examinandum, et si idoneus expertus fuerit, ei beneficium conferendum, nisi tamen qui descripti fuerint, excusent, se legitimo impedimento detentos, quominus valeant ad concursum accedere, quo casu Episcopum posse legitime terminum prorogare: *Cremonen., anni* 1582, *dub.* 1, 2 et 3.

4. Et dubio, si nullus in primo, vel etiam in secundo tempore, ut supra constituto, comparuerit, vel si aliquis comparuerit, non tamen in examine pro idoneo approbatus fuerit, possit Episcopus per aliud edictum cum longiori tempore alios ad examen vocare, vel potius si quandocumque aliquis comparuerit, et examini se subjicere voluerit, possit, absque novi termini præfixione, sed extra terminum examinare, et si idoneus repertus fuerit, beneficium ei conferre, seu aliis, ad quem spectat collatio, ejus sufficientiam significare? respondit, si Episcopus semel edictum proposuit pro concursu, et ex multis examinatis nullus fuerit idoneus repertus, licet concursus per edictum non videatur a Concilio necessario exquiri, tutius tamen fore, aliud edictum proponi, et si nemo idoneus comparuerit tunc sine con-

[67] Qui referens annuos reditus ecclesiæ impares omnino esse, et parum conferre posse parochum, et beneficiatos, censuit consuli posse: « Si onera Missarum, quæ tam præbendatis, quam ipsi ecclesiæ incumbunt, pro medietate tantum suspenderentur. Ita enim haberetur summa scut. 89, 20, ac si expositiones suspenderetur SS. Sacramenti, quæ aliorum scut. 13, emolumentum afferret, ad quæ adjunctis scut. 44, 65, solvendis a beneficiatis, conflaretur annua summa scut. 146, 85, ex qua et fructuum pensio (creandi census scut. 2400) exsolvi posset, et aliquid etiam deponi, ad extinguendam sortem. Dimisso autem censu scut. 800, ut supra creato ad extruendam sacram turrim, tunc accederent alia scut. 54, 46, quibus omnibus simul collectis conficeretur summa scut. 200, 45, et tunc largior summa deponi quotannis posset ad sortis extinctionem. » *Ead. causa*, 5 *junii* 1790, § 2.

[68] Vide not. 176, verb. *Bona Ecclesiastica*, § X.

[69] Bened. XIV Const. *Cum illud*, 14 decem. 1742. *Bull. ejusd.* tom. 1, pag. 98, plurima decernit quoad collationem ecclesiarum parochialium.

[70] Vide not. 12, verb. *Abbas*, § IV.

[71] Vide *ibid.*

cursu alii prævio examine conferendum est beneficium : *Ibid dub.* 4.

5. In parochialibus ecclesiis, quarum collatio spectat ad inferiores, habet locus decretum Concilii cap. 8, sess. XXIV [72], et bulla S. Pii V [73], eademque forma per concursum est servanda : *Avenionen, martii* 1586, *dub.* 5.

6. Animadvertendum est in posterum ab Episcopo, ut curata beneficia non nisi idoneis ad munus suum per seipsos peragendum conferantur juxta decretum Concilii cap. 18, sess. XXIV [74], et Const. S. Pii V [75]: *Mileten., febr.* 1590, *dub.* 5.

7. S. C. censuit, quod si parochiales sint ex his, quæ de mensa nuncupentur, et ad abbatiarum Bagni pertineant, quamvis conferri consueverent in titulum perpetuæ vicariæ, concursui nequaquam subjaceant, *Burgi, S. Sepulchri*, 15 *novem.* 1601.

8. Ad curam animarum exercendam in posterum nemo admittatur nisi approbatus fuerit prævia forma examinis per concursum juxta formam cap. 18, sess. XXIV, *de Reform.* [76] : *Bellunen.*, 27 *april.* 1630, *dub.* 4.

9. Respondit S. C. provisionem per concursum requiri in ecclesiis parochialibus de jure patronatus ecclesiastici, secus autem in ecclesiis parochialibus monasteriis regularium unitis; etiamsi a perpetuis vicariis cura in eis exerceatur : *Gandaven.*, 7 *febr.* 1643.

10. Parochialis ecclesia S. Eugeniæ de Relat. quæ una cum suis pertinentiis transivit in dominium monasterii Rivipulli ordinis S. Benedicti, non per abbatem absque concursu sed per concursum ipsum juxta S. C. Tridentini dispositionem [77] conferenda est : *Vicen., Jurisdict.*, 18 *nov.* 1702, *dub.* 1.

11. Ad regimen parochialis ecclesiæ S. Joannis Castri Lubriani, monasterio monialium S. Bernardini urbis Veteris unitæ, moniales ipsæ deputare consueverunt sacerdotem amovibilem pro cura animarum cum annua scutorum 40 provisione. Verum quia ab Episcopo visitante in vim S. C. Trid. cap. 7, sess. VII, *de Ref.* [78], destinatus fuit vicarius perpetuus cum augmento provisionis usque ad scuta 60; appellarunt moniales, et S. C. dubio, an præsentatio a monialibus istis in favorem Nicolai Orchellæ

[72] Vide not. ut supra.

[73] Vide not. ut supra.

[74] Vide not. ut supra.

[75] Vide not. ut supra.

[76] Sess. XXVI, cap. 18, *de Reform.*, ubi cautum est, ut vacante parochiali beneficio Episcopus, vel ille qui juspatronatus habet, intra decem dies, vel ad tempus ab Episcopo præscribendum idoneos aliquos clericos ad regendam ecclesiam coram deputandis examinatoribus nominet, tamen liberum sit etiam aliis, qui aliquos ad id aptos noverint, eorum nomina deferre, ut postea de cujuslibet ætate, moribus, et sufficientia possit fieri diligens inquisitio, et si Episcopo, aut Synodo provinciali pro regiminis more videbitur magis expedire, per edictum etiam publicum vocentur, qui volent examinari, transacto tempore constituto, omnes, qui descripti fuerint examinentur ab Episcopo, sive eo impedito, ab ejus vicario generali, ab aliis examinatoribus non paucioribus, quam tribus, quorum votis si pares, aut singulares fuerint, accedere possint Episcopus, aut vicarius, quibus magis videbitur. Inde certa, et peculiaris forma, seu methodus servanda pro examine in concursu promovendorum ad ecclesias parochiales statuta fuit in litteris Encyclicis Clem. XI, et in Const. Bened. XIV *Cum illud*, 14 decem. 1742, *Bull. ejusd.* tom. 1, pag. 98, ubi dictæ litteræ sunt relatæ.

[77] Vide not. 74.

[78] Sess. VII, cap. 7, *de Reform.*, ubi decernitur, quod « beneficia ecclesiastica curata, quæ cathedralibus, collegiatis, seu aliis ecclesiis, vel monasteriis, beneficiis, seu collegiis, aut piis locis quibuscumque perpetuo unita, et annexa reperiuntur, ab Ordinariis locorum annis singulis visitentur : qui sollicite providere procurent, ut per idoneos vicarios, etiam perpetuos, nisi ipsis Ordinariis pro bono ecclesiarum regimine aliter expedire videbitur, ab eis cum tertiæ partis fructuum, aut majori, vel minori, arbitrio ipsorum Ordinariorum, portione, etiam super certa re assignanda, ibidem deputandos, animarum cura laudabiliter exerceatur ; appellationibus, privilegiis, exemptionibus, etiam cum judicum deputatione, et illorum inhibitionibus quibuscumque in præmissis minime suffragantibus. » Primæ hujus decreti parti respicienti visitationem ecclesiarum parochialium perpetuo quibuscumque locis piis, etiam exemptis unitarum accessit Const. S. Pii V, *Exposcit*, 22 sept. 1571 (*Bull. Rom.* tom. IV, part. 3, pag. 180), qui §§ 3 et 4 hanc jurisdictionem visitationis gratis faciendæ a locorum Ordinariis, tanquam a delegatis Sedis Apostolicæ etiam ad parochiales militiæ S. Joan. Hierosolymitani in iis quæ ad curam animarum, et sacramentorum administrationem spectant, extendit. Et secundæ parti statuenti in prædictis parochialibus ecclesiis deputandos esse ab Ordinariis vicarios idoneos, etiam perpetuos, accessit altera dicti Pii Const. *Ad exequendum*, 1 nov. 1567 (*Bull. Rom.* tom. IV, part. 2, pag. 362) qua indulsit omnibus regularibus nominationem faciendam ab eodem superiore, si vicarius sit perpetuus, ad exclusionem Ordinarii, cum hujus tamen approbatione. Si vero deputandus sit in parochialibus unitis monasteriis mendicantium, nominari possit unus ex ipsis, approbandus pariter ab Ordinario, amovibilis tamen ad nutum suorum superiorum. Hæc vero Constitutio ad terminos juris communis, et Concil. Trid. redegit Gregorius XIII Const. *In tanta*, 1 martii 1573 (*Bull. Rom.* tom. IV, part. 3, pag. 251). Bened. vero XIV, *de Synod. diœces.* lib. 7, cap. 75, num. 2, tom. 12, pag. 544, ait, quod ex hodierna praxi « a capitulis, et monasteriis deputari solent vicarii temporanei, ad nutum amovibiles qui animarum curam exerceant in parochiis, iisdem capitulis seu monasteriis unitis : a quibus tamen de jure communi possunt etiam sine causa divelli, et amoveri, modo remotio fiat absque dolo, et non ex odio. »

Tertiæ tandem parti decreti Concil. Trid., qua præcipitur assignandam esse dictis vicariis perpetuis tertiam fructuum partem, aut majorem, vel minorem Ordinariorum arbitrio, derogatum est ab eodem Pio V, auferente hoc

cum conditionibus facta, sit adprobanda, vel exequutioni visitationis decreti demandanda? respondit, *Ad judices suos : Balneoregien., Præsentat.*, 10 *januar.* 1704.

12. Inter abbatem Farfensem, et Firmanum Archiepiscopum pendente lite super visitandi jure plures ecclesias; inter quas aderat ecclesia parochialis S. Petri de Penna civitatis Firmi, quæ interim proprio fuit rectore viduata; S. C. decrevit, procedendum esse in provisione præfatæ parochialis, et concursum præelectionemque spectare ad Card. Ordinarium, instructionem vero ad Card. abbatem : *Firmana., Jurisdict.*, 19 *julii* 1704.

13. Matthæus de Augustino sacerdos civitatis Ravellensis a patronis præsentatus ad beneficium curatum terræ Angiæ insufficiens ab Ordinario repertus, institui non valuit. Appellavit hic ad S. C.; et hæc statuit locum esse novo examini : *Nucerina., Paganorum paroch.*, 20 *sept.* 1703, *dub.* 1.

14. Dubio autem, an novum examen esset delegandum? responsum est, quod fieret in curia : *Ibid., dub.* 2.

15. Capitulum ecclesiæ cathedralis reclamavit, eo quod parochialem ecclesiam S. Geminani, quæ pro fundatione primæ dignitatis proposituræ cum cura animarum supprimi debet pro erectione insignis collegiatæ ecclesiæ B. Mariæ de populo oppidi Pontremuli, jus sibi conferendi competat; idcirco dubio proposito, an constaret de jure conferendi, et quatenus affirmative, an illud obstaret erectioni collegiatæ? responsum est ad Rotam : *Lunen., Erect. collegiatæ*, 7 *februarii* 1705. At ex signatura Sanctissimi iterum remissa causa ad S. C. responsum est ad utrumque affirmativum : 3 *sept.* 1707 [79].

16. Quum Episcopus visitans, ob absentiam religiosi ordinis B. M. V. Servorum ad parochialem ecclesiam villæ Clodiæ conventui dicti ordinis unitam deputati, aliquos parochiæ incolas sine sacramentis obiisse deprehendisset, a priore conventus sacerdotem secularem adprobatum, qui in parochia resideret, intra duos menses eligendum esse decrevit. Patres pro revocatione præfati decreti institerunt. S. C. sancivit, decretum Episcopi exequendum esse præterquam quoad coactionem deputandi sacerdotem secularem : *Regien.*, 7 *febr.* 1705.

17. Unione parochialis ecclesiæ S. Adhœni ad parochialem ecclesiam S. Andreæ facta ab S. C. resoluta, mandavit, collabentem S. Adhœni ecclesiam esse restaurandam. Prolatum hinc fuit dubium, an et quis terminus sit præfigendus ad faciendum concursum ad parochialem ecclesiam S. Adhœni, eamque consecrandam sive benedicendam? et responsum prodiit, ut partes instarent coram ipsomet Episcopo : *Aversana, Dissolut. unionis*, 3 *octob.* 1705, *dub.* 3.

18. Abbas monasterii Wastenensis ordinis canonicorum regularium exoravit, ut loco presbyteri secularis de more a se nominandi, et per Ordinarium instituendi, cura animarum ecclesiæ ejusdem monasterii conferretur in administrationem ad quinquennium Francisco Delbaer canonico regulari professo, et ab Ordinario quoad mores, et veniam adprobato. S. C. petitam concessit facultatem : *die* 27 *febr.* 1706. Id ægre tulit magistratus, et populus oppidi Wastenensis, reclamavitque; et a decisis recedendum esse S. C. declaravit : *Ipren., Indulti*, 10 *julii ejusd. anni.*

19. In concursu ad vacantem parochialem S. Pauli in villis Turricellæ, idonei renunciati sunt Joan. Antonius Turcus, Antonius de Montibus, et Antonius Mazza; et Episcopus præelegit Turcum uti digniorem, qui oppositionem statim habuit de Montibus. S. C. desuper consulta, decrevit non supplicationem Antonii de Montibus esse signandam, sed relaxandam esse illam Antonii Turci : *Aprutina, Parochialis*, 29 *febr.* 1706.

20. S. C. decernit, præsentationem a patre abbate S. Emerami ad parochialem ecclesiam Lauterbach vacantem per obitum Joannis Ignatii Lickledarer in favorem P. Joachim Millher regularis factam, sustineri non posse : *Ratisbonen., Juris præsentandi*, 1709.

21. Indicto ad vacantem ecclesiam S. Nicolai græcorum concursu de duobus presbyteris adprobatus fuit Petrus Palazzottus presbyter græco-latinus. Supplex hic recurrit pro institutione, ac pro gratia dispensationis transeundi de ritu latino ad græcum; eo quod ibi reperiri non valeret presbyter orientalis. S. C. rescripsit, ut Archiepiscopus novum concursum fieri curaret, factis requisitionibus in alienis diœcesibus pro græco reperiendo. *Messanen., Transitus ad ritum græcum*, 23 *junii*

scutorum summa, computatis omnibus etiam incertis emolumentis, et aliis obventionibus communiter percipi solitis... nisi solitum fuisset plus assignari » ut legitur in cit. Const. *Ad exequendum*, § 1 et 2. Quæ scuta Innoc. XIII Const. *Apostolici ministerii*, 23 maii 1723, declaravit intelligenda esse de argenteis juliorum decem monetæ Romæ, arbitrium, ac statuente, ut portio dictis vicariis assignanda omnino sit « non major centum, nec minor quinquaginta § 12. Et Bened. XIV extendit dictam Const. Innoc. etiam ad vicarios temporaneos, ut in Const. *Cum super*, 29 aug. 1744, § 10 (*Bull. ejusd. Pont.* tom. 1, pag. 163), et quoad congruam tam his, quam illis assignandam dicta Piana Const. redacta est ad terminos Concil. Trid. remittendo id arbitrio Ordinariorum, quam fecit Synodus Trid. cit. loco.

[79] Vide not. 31.

1708. Sed quum affixis edictis comparuerit nemo, S. C. respondit : Dilata, et mandavit novas juxta instructionem fieri diligentias : 11 *maii* 1709.

22. Composita controversia, quæ super institutione sacerdotis secularis in ecclesia parochiali in Lauterbach a consistorio episcopali Ratisbonensi absque præsentatione abbatis monasterii S. Emerami illius parochialis ecclesiæ patroni facta, et super unius, vel duorum parochorum tam in ecclesia S. Andreæ, quam in alia S. Emerami, excitata fuerat; S. C. institutionem hanc secularis sacerdotis non sustineri decrevit : *Ratisbonen.*, *Juris præsent.*, 11 *maii* 1709, *dub.* 1.

23. Et est etiam decretum, esse locum provisioni duorum parochorum tam in ecclesia S. Andreæ in Oberlauterbach, quam in altera ecclesia S. Emerami in Niderlauterbach; et non esse locum provisioni unius tantum parochi in ambabus ecclesiis : *Ibid.*, *dub.* 2 [80].

24. Ad vacantem parochialem ecclesiam B. Mariæ de Agello castri Gruptium de jurepatronatus laicorum, præsentatus fuit sacerdos Joseph Brunorius, qui ab examinatoribus synodalibus reprobatus extitit. Appellavit hic, et S. C. respondit : Dilata et ad mentem [81] : *Tudertina*, *Parochialis*, 11 *maii* 1709. *dub.* 1 et 2. Reproducta causa iterum dixit : Dilata, et ad mentem : 11 *januar.* 1710. Ad trutinam denique revocata causa, S. C. tam quoad validitatem reprobationis, quam quoad novum examen censuit remittendam esse arbitrio Card. Episcopi : 15 *maii ejusd. anni*.

25. Homines oppidi Militelli desiderio flagrantes, ut eorum patria collegiatæ ecclesiæ decore cohonestaretur, petierunt ut hæc fieret ex unione binarum parochialium, et ab Episcopo licet nonnullis dissentientibus erectionem obtinent. Sed statim fuit in S. C. dubium disceptatum, an sit locus erectioni collegiatæ, seu sit relaxanda supplicatio, qua collatio unius parochiæ postulabatur ? negativum ad primam partem datum est responsum juxta modum petitum ; et quoad secundam negativum, et, ut fiat concursus coram Episcopo, mandatur : *Syracusana*, *Collegiatæ*, 8 *julii* 1713, confirmata 13 *april.* 1715.

27. Cum in diœcesi Bracarensi plures parochiales iis collatæ fuissent, qui approbati fuerant ab examinatoribus extra synodum deputati ab Archiepiscopo cum consensu capituli contra formam præscriptam a Concilio Tridentino cap. 18, sess. 24, *de Reform.* [82]. Hinc Sum. Pont. Archiepiscopus exorat, ut earumdem collationes convalidaret, quia supplicantes bona fide acceperant, prævia sanatione omnium et quorumcumque defectuum. S. C. votis Archiepiscopi annuit pro gratia juxta modum facto verbo cum Sanctisimo : *Bracaren.*, *Dubiorum*, 26 *januar.* 1715, *dub.* 1.

28. Sacerdos Vincentius Calabro ad parochialem ecclesiam S. Nicolai oppidi Militelli renunciatus idoneus, adeptus est prævia Datariæ provisione possessionem. Insurrexit statim sacerdos Malæria in concursu reprobatus, et impetrare præoptavit ex capite expressionis falsi valoris a præfato proviso narrati, eo quod iste expresserit, non excedere ducata 24 auri de camera, quum verum illius valorem ad 35 ducata ascendere assereretur. S. C. tamen litteras Apostolicas impetrationis minime relaxare existimavit : *Syracusana*, *Parochialis*, 19 *junii* 1717.

29. Controversiis inter Episcopum S. Severini, et abbates commendatarios S. Laurentii in Dogliolo factis, opus fuit exquiri, an et quando in collatione ecclesiarum parochialium abbatiæ servanda sit forma tradita a S. Concilio cap. 18, sess. 24, *de Reform.* [83] ? et resolutum fuit, servandam esse Constitutionem Pianam, cap. 47 [84]. Nunc rediit causa,

[80] Hanc defendit causam advocatus Dominicus Ursaya in favorem consistorii Ratisbonæ, et jura sua edidit *in Discept. Eccl.* 6, tom. III, part. 2, per tot.

[81] Quæ extitit, ut exquireretur secreta informatio super moribus, et idoneitate oratoris : *Ead. causa*, 11 *januar.* 1710.

[82] Ubi legitur : « Examinatores autem singulis annis in diœcesana Synodo ab Episcopo, vel ejus vicario, ad minus sex proponatur. » In eorum defectu die 3 julii 1593 *in causa Civitaten.*, lib. 7, *Decret.* fol. 116. Sancivit Clem. VIII, Pont. Max. « hoc in futurum observari quando omnes examinatores synodales intra annum eorum deputationis mortui fuerint ; nempe ut Episcopus ex examinatoribus antiquis synodalibus, si fuerint, subroget alios non pauciores numero sex. Et si non extiterint, tot examinatores synodales antiqui, qui ad hunc numerum ascendant ; tunc Episcopus obligat illos qui fuerint, ac suppleat alios de novo, approbatos tamen a capitulo usque ad numeri prædicti complementum. Verum, si nulli antiqui synodales examinatores superstites fuerint ; tunc Episcopus omnes novos examinatores probitate, ac scientia idoneos, qui a capitulo approbati sint, non pauciores præfato numero substituat. Et venienti vacatione cujuslibet parochialis ecclesiæ, Episcopus debebit ex præfatis examinatoribus eligere tres qui cum eo examen juxta decretum Concilii cap. 18, sess. 24, perficiant. Officium autem omnium prædictorum examinatorum synodalium subrogatorum expiret, cum primum advenerit tempus novam synodum juxta cap. 2, sess. 14, celebrandi. »

[83] Vide not. 74.

[84] Quæ incipit *In conferendis*, 18 martii 1567 (*Bull. Rom.* tom IV, part. 2, pag. 362), et ex qua Gallemart *in Concil. Trid.* sess. 24, cap. 18, *de Reform.* num. 38, pag. 266, desumit : « Collationes, provisiones, et quasvis deputationes parochialium ecclesiarum ab Episcopis, Archiepiscopis, et a quibusvis aliis collatoribus tam ordinariis, quam delegatis, et S. R. E. Cardinalibus, et Sedis Apostolicæ delegatis, vel nuntiis præter, et contra formam

et delatà decisione S. C. mandavit, videri particulariter de unaquaque ecclesia : *Nullius, seu S. Severini, Jurisdict.*, 4 *febr.* 1719. At suam sententiam mutavit : 17 *junii ejusd. anni.*

30. Ambiguum quum esset, an jus conferendi parochialem seu præpositurum S. Joannis de Monte Georgio, cujus ultima provisio facta fuit a Sede Apostolica, spectaret ad Card. abbatem commendatarium Farfensem? responsum fuit : Dilata et jussum ut coadjuvarentur probationes et proponeretur causa citatis ministris Datariæ, et Archiepiscopo : *Farfen., seu Firmana, Parochialis*, 26 *aug.* 1719, *dub.* 1.

31. Parochi ecclesiarum Ezelskirchen, et Gremsdorff esse debent presbyteri seculares, ita ut non liceat abbati monasterii S. Michaelis extra mœnia Bambergæ ordinis Benedictinorum præsentare ad has parochias regulares sui ordinis ; quam pluribus jam annis animarum curam regulares exercuerint, qui absque dispensatione Apostolica prædicto munere fungi nequeunt : *Herbipolen., Ecclesiarum paroch.*, 17 *sept.* 1722, confirmata 16 *januar.* 1723.

32. Communitas terræ Massæ Lombardæ ad vacantem parochialem ecclesiam S. Pauli præsentavit sacerdotem Josephum Chellinum. Admissa a vicario generali fuit hæc præsentatio cum clausula *si et in quantum.* Quum inhonestam duceret vitam ad parochialem nunquam fuit admissus : immo ejusdem communitatis procuratores Franciscum Galluppium ad parochialem præsentarunt. Reclamavit Chellinus a parochia repulsus, et succubuit, quia S. C. Gallupio adjudicari parochialem decrevit : *Imolen., Parochialis*, 28 *martii* 1722.

33. Philippo II Hispaniarum regi S. Pius V, Sum. Pont. sua Constitutione indulsit, ut religiosi regulares in partibus novarum Indiarum parochorum officio fungi valerent, ob secularium presbyterorum defectum. At quum multiplicatus hodie sit horum numerus, fuit in S. C. exquisitum, an dicta Constitutio S. Pii V., quæ incipit *Exponi bonis* [85], suffragari amplius possit in civitate Mexicana ; et quatenus negative an et quando consulendum sit in futuris vacationibus parochialium a regularibus retentarum? S. C. respondit : Dilata, et jussit scribi nuntio juxta instructionem [86] : *Mexicana*, 8 *aug.* 1722, *dub.* 1 et 2.

34. Parochialis ecclesia S. Christinæ quum tenues admodum reditus haberet, ut inveniri non potuit, qui ad eam aspiraret. Episcopus indixit, ut parochiæ incolæ pro viribus contribuerent ad supplementum. Restiterunt hi ; præsto tamen fuit sacerdos Joseph Antonius Festus canonicus regularis Lateranensis, qui promptum se præbuit ad dotatio-

Concil. Trid. traditam, præsertim in examine per concursum faciendo præscriptam. factas, aut in futurum faciendas, nullas, irritas, et nullius valoris, vel momenti fore, et esse, nullumque ipsis jus aut titulum etiam coloratum possidendi præbere volumus. Et parochiales ecclesias hujusmodi, ut prius ante collationes istas vacabant, etiam nunc vacare, easque omnes pro tempore sic vacantes, nostræ, et Sedis Apostolicæ, et non aliorum, quibus jus conferendi (præterquam si sit Episcopus, Archiepiscopus, qui curam dicti examinis juxta decretum Concil. Trid. habere non debent) competit, dispositioni reservamus.» *Reliqua*, vid. not. 606, verb. *Concursus*, § II.

[85] Die 24 martii 1567 rel. *in Bull. Rom.* tom. IV, part. 2, pag. 363.

[86] Nempe referat 1. quid in civitate, et diœcesi Mexicana sint doctrinæ, quid parochiæ, et quid vicariæ. 2. Quot sint. 3. Ut administrentur a regularibus, quotque a presbyteris secularibus. 4. Ad quem numerum ascendere possint presbyteri aliique in sacris constituti ex clero seculari degentes in civitate, et diœcesi Mexicana. 5. An iidem sint in tali statu constituti, ut ex eorum cœtu assumi aliqui possent ad exercendam curam animarum tam habita ratione morum, quam litterarum. 6. An collatio doctrinarum parochiarum, et vicariarum sit libera Archiepiscopi, vel potius an eædem sint de jurepatronatus regio ; et an omnes sint patronatæ, vel aliquæ, et a quo descendat hoc juspatronatus, et an illud sit in viridi observantia ; licet enim juspatronatus regium fuerit expresse assertum tam voce, quam scriptis a ministro Archiepiscopi Mexicani ad urbem transmisso, S. C. nihilominus ex officio procedens de dicto jurepatronatus edoceri cupit. 7. An supposito quod omnes, vel aliquæ sint de jurepatronatus regio, quomodo, et per quem exerceatur jus præsentandi, vel nominandi, et an institutio fiat ab Archiepiscopo. 8. An supposito jurepatronatus regio regii ministri in ea sint opinione quod liberum sit regi non obstante bulla 34 S. Pii V, præsentare, et nominare ad quascumque parochias patronatus nedum illos de clero regulari, sed et alios de clero seculari, prout præsentanti libuerit ; libertas enim hæc admissa fuit in scripturis a regularibus exhibitis in S. C., sed timetur ne eam parati sint negare in tribunalibus Matritensibus. 9. An regiæ majestati displicentiam afferre posset, si ad amputandam quamcumque controversiam Summus Pontifex novum ederet decretum, vel litteras Apostolicas in forma brevis, in quibus declararet, ut non obstante bulla 34 S. Pii V, est in facultate regis, et ejus successorum præsentare ad beneficia curata, seu parochias, doctrinas, et vicarias in urbe, et diœcesi Mexicana, nedum regulares, sed etiam seculares prout sibi magis in Domino expedire videbitur. Per hanc etenim viam non imminuitur jus regium, sed clarius redditur, cum a nonnullis prætendatur posse tantum ad parochias licet jurispatronatus regii nominari regulares, propter assertum obstaculum bullæ S. Pii V, 10. An semper approbatio Archiepiscopi Mexicani requiratur, et exerceatur quando assumuntur regulares ad doctrinas, sive ad parochias sive ad vicarias, et an regulares ad eas assumpti removeantur, nullo facto verbo cum Archiepiscopo. Super his plene instituat S. C., et omnes alias notitias ad rem facientes, quas habere poterit, in ejus responsionis litteris inserat, et exprimat. *Regist. lit.* lib. 26, die 29 aug. 1722.

nem ex suis patrimonialibus bonis præfatæ ecclesiæ assignandam, dummodo apostolica auctoritate intercedente sibi in titulum absque concursu, prævio tamen examine, conferretur. Sciendum, quod pluribus antea annis curam animarum sacerdos hic exercuerat, deque eo optimum ferebat testimonium Episcopus, aliique Card. Episcopi, in quorum diœcesibus curam sustinuerat. Proposita itaque causa, responsum prodiit: Dilata et demandatum est, ut expectaretur resolutio S. C. in causa *Firmana*, 17 *julii* 1723 [87], *Cæsenaten.*, 5 *julii* 1723. Resoluta vero causa illa, rescriptum fuit ad mentem: 17 *julii ejusd. anni.*

35. Gens de Mozzis tanquam parochialis ecclesiæ S. Romuli de Gaville patrona ad plebaniam hanc præsentavit primo loco clericum Franciscum de Torsellinis prima tonsura initiatum, secundo loco Josephum de Pescettis sacerdotem Faventinæ diœceseos, et capellanum ecclesiæ metropolitanæ; petiitque ut clericus de Torsellinis institueretur. Verum Tusculanus Episcopus clericum de Torsellinis dignum, qui ad sacros ordines promoveretur, non reputans præsentationem *si et in quantum* de jure admisit sacerdotis de Pescettis. Quæsito hinc, an præsentatio de Torsellinis sit admittenda, respondetur. *Ad Card. præfectum* juxta mentem: *Fesulana*, 18 *novem.* 1724.

36. Abbas et monachi monasterii Paradisi ordinis Cisterciensis exposuerunt ad sese juspatronatus nonnullarum ecclesiarum parochialium, quarum aliæ matrices, aliæ sunt filiales, pertinere eorumque reditus, parochorum secularium incuria, in dies magis decrescere; propterea exorarunt pro facultate in posterum monachos sui monasterii idoneos, capaces pro administranda animarum cura præsentandi. His annuere censet Episcopus, dummodo examen ab Episcopis pro tempore fieret. Sed S. C. putavit, de hac re audiendum nuntium Apostolicum: *Posnanien.*, 12 *januar.* 1726.

37. Pro exercenda actuali cura animarum receptitiæ ecclesiæ collegiatæ S. Mariæ terræ Peschi Constantii non vicarius actualis, sed vicarius perpetuus deputari ab Ordinario debet prævio concursu: *Nullius, seu Montis Casini*, 26 *januar.* 1726, *dub.* 1, 2 et 3, confirmata et additum, ut ceteris paribus præferrentur presbyteri ejusdem ecclesiæ: 2 *junii* 1731.

38. Collationem parochialis ecclesiæ S. Mariæ de Pinta, nulliter ab Episcopo archipresbiteratui Amanthæ unitæ, ab eo Episcopo factam in favorem Nicolai Vecchii, validam esse S. C. decrevit: *Tropien., Unionis*, 18 *aug.* 1731, *dub.* 2.

39. Jacobus Pastorellius plebanæ ecclesiæ S. Valentini in castro Lacus rector significavit se jam senio confectum, assiduaque corporis ægritudine conflatum, spirituali animarum curæ amplius incumbere non valere; ac propterea in coadjutorem deputare sacerdotem Dominicum Felicangelium, si postmodum in perpetuum præfatæ ecclesiæ plebanum reciperetur. Præsides communitatis ecclesiæ patroni in coadjutorem illum adprobarunt; parocho coadjuto inde defuncto, eumdem Episcopo præsentarunt. Præsentationem hanc rejecit Episcopus, aliumque a communitate postea præsentatum presbyterum instituit, quod pluribus his erat delictis irretitus, quod major communitatis pars Episcopum ipsum rogarunt ne illum institueret. Consulta ideo S. C., an præsentatio facta per communitatem in favorem Felicangeli sit exequenda, ita ut ei institutio detur? responsum exiit affirmativum: *Spoletana, paroch.*, 16 *martii*, 1737.

40. Disceptatum fuit, an parochi, seu vicarii pro animarum cura ecclesiæ S. Agathæ deputatio debeat esse liberæ collationis Episcopi; seu potius fieri deberet ad nominationem abbatis S. Agathæ canonicorum regularium Lateranensium Insulæ Tremitanæ, ad cujus abbatiam illa ecclesia spectat? et responsum primum est ad mentem [88]: *Larinen.*, 23 *novem.* 1737, *dub.* 7. Reproposita exinde causa, rescriptum fuit, ut juxta modum servaretur concordia anno 1734 inita [89]: 1 *aug.* 1739, confirmata 19 *decem. ejusd. anni.*

41. Ad dirimendam controversiam inter Episcopum, et abbatem commendatarium S. Mariæ de Rambona, et S. Laurentii in Dogliolo, S. C. sanciverat, quod circa parochialium collationes servaretur bulla Piana [90]. Vacat modo parochialis S. Blasii fontis Cupæ, et S. Antimi de Saxo, et est renunciatus idoneus sacerdos Joannes Mazza, et ab Episcopo præelectus. Sed conquesta est curia abbatialis: ex quo dubia proponi necesse fuit, an collatio illius parochialis spectet ad Card. abbatem; et quatenus affirmative.

42. An litteræ collationis expeditæ per Episcopum S. Severini, et possessio a Massa capta sint circumscribendæ, S. C. nulla data definitione, quæsivit, ut codjuvarentur probationes: *Nullius, S. Severini parochialis*, 7 *sept.* 1737, *dub.* 1 et 2.

43. Capitulo cathedralis ecclesiæ civitatis Pentimæ adnexa est parochialis ecclesia Assumptionis B. M. V. Grancia castri Hyllaris quinque milliariis a præfata urbe dissita. Illius curam exercent canonici tres per vices, qui ecclesiæ residentiam deserunt in grave servitii detrimentum. Quæsitum hinc

[87] Vide verb. *Canonicus* § 7, num. 5.

[88] Vide not. 17, verb. *Ecclesia in genere*, § VI.

[89] Vide not. 18, verb. *Ecclesia in genere*, § VI.

[90] Vide not. 12, verb. *Abbas*, § III, et not. 84, verb. *Administratio*, § II.

fuit, an in posterum pro servitio curæ animarum in eo castro deputandus sit parochus perpetuus ab Ord inario servata Concilii forma [91], et an eidandi sint coadjutores? S. C. mandavit, ut Episcopus procederet prout de jure ad formam Concilii [92], et ut interim provideret de œconomo, expensis cujus de jure: *Valven., Residentiæ*, 25 *jan.* 1738, *dub.* 3, confirmata 20 *decem. ejusd. anni.*

44. Jus conferendi nonnullas parochiales ecclesias ad monasterium Saxivivi spectantes, et intra fines diœceseos Fulginii existentes spectat ad Card. abbatem salva authorizabili Episcopi institutione, minime dicti Episcopi simplici sufficiente adprobatione; prout in suo laudo edixerat Antonius Franciscus de Valentibus S. Rotæ auditor, et in præsenti quæstione judex compromissarius: *Fulginaten., Jurisdict*, 1 *martii* 1738, *dub.* 3, confirmata 27 *sept. ejusd. anni.*

45. Hodiernus Olomucensis Episcopus inhærens synodali decreto, quo cautum est, *nullum clericorum, nisi qui in actuali cura animarum saltem integrum biennium sedulo transegerit ad quodcumque beneficium curatum promoveri, et institui debere*, noluit præsentationem sacerdoti in Augustis Pischeli ad Heralticensem primum, deindeque ad Pirnicensem parochiales ecclesias ab Antonio Rombaldo comite de Collalto earumdem patrono factam admittere. Re ad S. C. delata, hæc decernit, non obstare statutum, et ut quoad institutionem dicti sacerdotis servaretur dispositio Tridentina [93]: *Olomucen., Parochialis*, 6 *maii* 1741.

46. Sacerdos Antonius Cardanomis novam ab Episcopo Marturanensi sibi conferri obtinuit parochialem ecclesiam sub titulo S. Michaelis Archangeli ab eodem nuper erectam in villa S. Thomæ, aliisque conterminis pagis, prævia istorum dismembratione ab antiqua parochia SS. Apostolorum Petri et Pauli Sciliani Pediviliani. Thomas Agnottius veteris parochiæ rector litteras apostolicas ab eo lite super dismembratione pendente expeditas controversatur, easque exequendas minime esse obtinuit: *Marturanen., Dismembrat.*, 9 *sept.* 1741, *dub.* 2, confirmata 2 *aug.* 1743.

47. Dissidium est inter capitulum cathedralis ecclesiæ, et universitatem castri Hyllaris. Contendit capitulum parochialem ecclesiam Assumptionis B. M. Virginis, membrum atque granciam esse suæ cathedralis, proindeque sibi competere jus nominandi vicarium. Universitas contra asserit, et vindicat collationem Episcopo, quum cathedrali subjective parochialis unita nunquam fuisset. S. C. non spectare ad capitulum præfatum jure unionis, granciæ, vel jurepatronatus, sed esse liberæ collationis resolvit: *Valven., Parochialis*, 23 *sept.* 1741, *dub.* 1.

48. Episcopus Viterbiensis parochialem ecclesiam S. Andreæ in Piascarano contulit clerico Antonio Colaina, qui nondum 25 annorum ætatem tunc temporis attigerat; spretis posthabitisque sacerdote Placidio Secoli, ceterisque presbyteris, qui in eodem concursu admissi, idoneitatis periculum facere parati erant. Collationem Episcopi impugnantum Placidus, qui per puncta 22 tum presbyter Valentinius, qui per puncta 21 fuerunt ab examinatoribus adprobati. Supra Placidium Secoli palmam reportare autumat Valentinius, quia ille non est civis Viterbiensis, et in patrio Balneariæ loco beneficio curato provisus est. Amborum hinc præposita quæstione, S. C. Placidio Secoli parochialem adjudicandam esse definivit: *Viterbien., Parochialis*, 15 *decem.* 1742, *dub.* 1 et 2, confirmata 18 *maii* 1743.

49. Parochiali ecclesia Assumptionis B. M. V. castri Hyllaris liberæ collationis declarata, concursum indici curavit universitas, et duos ob populi multitudinem coadjutores eligendos, constituit. At parochiali, veluti ad Sedem Apostolicam ex vi Constitutionis S. Pii V, [94] quæ incipit *In conferendis*, devoluta, impetrata; S. C. decrevit, ad formam dictæ Constitutionis [95] non esse locum illius ecclesiæ devotioni: *Valven., Parochialis*, 16 *martii* 1743, *dub.* 1, confirmata 4 *maii, ejusd. anni.*

50. Ac proinde esse in convocatione concursus ad ulteriora procedendum: *Ibid., dub.* 2, confirmata *ibid.*

51. Consuetudo in villa Armellada viget, ut rector parochialis ecclesiæ SS. Annuntiationis vini, quod decurionibus illis, qui ad rectorem eligendum congregentur, distribui solet, pretium solvat, distribuatque vinum, et castaneas, in festo die S. Stephani. Ecclesia illa vacante electus fuit Joachim Alvarez, rejecto Marco Alvarez altero candidato, qui allegavit nominationem simoniæ vitio esse infectam, ob illarum, quæ statutis anni temporibus præstari solent, sponsionem. S. C. hac super re consulta, definitionem non edidit, dixit vero ad mentem: *Oveten., Parochialis*, 21 *nov.* 1744.

52. In concursu ab Episcopo Policastrensi ad parochialem ecclesiam civitatis Lacus liberi indicto, prælatus fuit Xaverius Turturella, rejecto uti parum idoneo Gallotio, qui ab examinatorum judicio ad S.C. provocavit, postulavitque in urbe fieri periculum.

[91] Vide not. 78, jam edit.
[92] Vide not. ut supra.
[93] Vide not. 74, jam edit.
[94] Vide not. 606, verb. *Concursus*, § II.
[95] Vide not. ut supra.

Verum putans nullitatis vitio concursum laborare, factumque esse locum devolutioni, Sum. Pont. Benedictum XIV rogavit, ut sibi parochialem conferret; Turturella vero, ut sibi caveret ab laudato principe sanationem postulavit. Nullitatem Gallotius adstruit, quod duo examinatores tantum, et vicarius generalis ab Episcopo non deputatus specialiter adfuerint; et quod iidem nullum de moribus judicium dederint intra scientiæ tantum limites sese continentes. Interrogata hinc fuit S. C., an esset sacerdotis de Gallotiis relaxanda supplicatio, seu sanationi locus? et definitio fuit ut esset sanationi locus ad cautelam et ad mentem [96] : *Policastren., Parochialis*, 18 *sept.* 1745, *dub.* 2. Gallotio, qui victus succubuit, sententiam mutari postulante, dictum fuit *in decisis :* 28 *maii* 1746.

53. Pendente judicio super separatione, et disjunctione duarum parochialium, nempe S. Jacobi de Grez, et S. Mariæ de Bendana diœcesos Compostellanæ, obiit parochus. Patronis in præsentatione scissis, major pars convenit in nominatione sacerdotis Andreæ Tixo, quo gratiam pro præsentato obtinuit cum derogatione medietatis vocum, expressa in litteris Apostolicis lite introducta, et adhuc indecisa. Promotor fiscalis harum litterarum suspensionem contendit; sed S. C. ad earumdem exequutionem coram suo judice deveniendum esse putavit : *Compostellana, Parochialis*, 15 *febr.* 1747.

54. Ad vacantem parochialem ecclesiam S. Eustachii castri Maris, quæ est de jurepatronatus familiarum Verdoliva et Ferpi, præsentatus fuit a patronis sacerdos Antonius Verdoliva et Episcopus, nemine contradicente, ratam habuit nominationem. Ad examen inde accessit Antonius, sed improbatus fuit, uti imperitus; nunc postulans iterum ad examen admitti, obtinuit ut admitteretur coram examinatoribus a Card. urbis vicario deputandis : *Castrimaris, Parochialis*, 26 *april.* 1749.

55. Quæsitum quum esset, an deputari debeat in exercitio curæ sacerdos ex approbatis ad nominationem parochi Moscoso criminibus accusato usque ad exitum causæ ad formam constitutionis synodalis [97] ? S. C. ad judicem delegatum remisit : *Mindonien., Parochialis*, 23 *aug* 1749, *dub.* 3. Confirmata et additum quoque fuit, ut judex delegatus procederet cum omnibus facultatibus necessariis et opportunis : 13 *sept. ejusd. anni.*

56. Universitas vici Luvinii dismembrata fuit ab ecclesia parochiali oppidi Cuvii, nova erecta parochiali, et congrua juxta Episcopi decretum assignata. Certatum inde fuit, an, quid, quantum, et quale jus reservari deberet ecclesiæ præposituali, et matrici? et ut nominatio fieret alternatim inter præpositum terræ Cuvii et communitatem Luvinii, S. C. responsum dedit : *Comen., Dismemb.*, 13 *martii* 1751.

57. Deficientibus examinatoribus synodalibus, Episcopus elegit alios, quos inter fuit archipresbyter, qui neque doctor neque licentiatus est. Indicto inde ad vacantem archipresbyteralem ecclesiam Casalis Novi concursu, electus inter duodecim primo fuit Dominicus Calfapietra, secundo Joseph Antonius Piramolius archipresbyter Radicenæ ; qui longius, reclamantibus aliis, ab Episcopo tempus obtinuerunt. Hinc Episcopus vacantem parochialem adjudicavit præfato Piramollio, alteram vacaturam terræ Radicenæ addixit Calfapietræ. Reclamavit ab hoc concursu reprobatus Leonardus Piramollius Feruleti archipresbyter ; et audivit ab S. C. dijudicari, quod sibi adjudicari nequiret archipresbyteralis ecclesia Casalis Novi ; et quod suæ parochialis ecclesiæ terræ Radicenæ collatio Calfapietræ facta non sustineretur: *Mileten., Concursus*, 21 *julii* 1753, *dub.* 3 et 5.

58. In castro Madamæ una adest ab immemorabili parochia, una parochialis ecclesia, sed duo parochi, inter quos divisum per hebdomadas animarum curæ exercitium est, ideo perpetuæ inter eos dissentiones impendent. Præsto est uterque parochus, quum ageretur de lucro ; dum sustinendum est onus, adest nullus. Uno ex his vita functo voluit Episcopus duos parochos ad unum reducere, qui onus haberet retinendi capellanum coadjutorem in cura animarum. Contradixit populus, et populi votis S. C. obsecundavit, præcepitque ut Episcopus incumberet, exerceri *dietim* curam animarum per utrumque parochum, et non per vices, et ad mentem [98] : *Tyburtina, Parochialis*, 9 *julii* 1757.

59. Sacerdotes, qui confessarii munere funguntur pro certo parocho adjuvando, prævio examine a curia archipresbyterali Coloniæ dicuntur adprobati ad curam secundariam, ut valeant munia parochialia curatoribus incumbentia obire. Hi autem sive regulares, sive seculares sunt, quum ad aliquam promoverentur parochiam, aut perpetuam, aut amovibilem, iterato se subjiciunt examini, novamque

[96] Vide not. 618, verb. *Concursus*, § VI.

[97] Cautum est synodo diœcesana Mindoniensi « Che a qualsivoglia curato beneficiato, quantunque stia carcerato, ed accusato per qualsivoglia diletto, non se li possa porre, ne nominare ecconomo, che li usufrutui, e percepisca le entrate dell' altare, ed offerte, se non quando per sentenza sia privato del beneficio, o sospeso dall' amministrazione de sagramenti, che non essendo in simili casi, adempisca il referito curato in nominare un sacerdote approvato per l'amministrazione delli suoi popolani sotto il nostro beneplacito, e conferma, accioche nell' istesto tempo possiamo riconoscere la sua idoneita, e sufficienza. » *Ead. causa*, 23 *aug.* 1749, § 1.

[98] Et mens est, ut fiat massa communis ex incertis emolumentis æqualiter dividendis : *Ead. causa*, 9 *julii* 1757.

obtinent adprobationem pro cura; et septem annorum tempore elapso examen denuo renovari mos est. Abbas Steinfeldensis ordinis canonicorum regularium Præmonstratensium novo examine opus minime esse contendit, quoad parochiam in Dumwald pleno jure incorporatam abbatiæ, cui præficere posse arbitratur ad sui libitum regularem alias ab Ordinario adprobatum ad curam secundariam, non repetito examine, novaque non obtenta adprobatione ad illam ecclesiam speciali. Sed frustra petiit abbas: *Colonien.*, 10 *maii* 1760.

60. Benedictus XIV, Pont. Max., monasterio Roggemburgensi ordinis canonicorum regularium Præmonstratensium, facultatem impertivit nominandi ad parochiales ecclesias in Biberger, et Wallenhausen regularem ab Ordinario instituendum, illumque ad nutum amovendi; necnon ordini Præmonstratensi, ut ejus regulares absque dispensatione Apostolica consequi, et ad vitam retinere possent quascumque parochiales ecclesias sibi canonice collatas, etiam seculares, illarumque perpetuas vicarias clericis, seu presbyteris secularibus conferri, et assignari solitas. Perpetuitatem in vicariis prætendebat Episcopus Augustanus, et amovibilitatem abbates. Causa pro oris aperitione discussa primum fuit, et litteras Apostolicas esse exequendas firmatum est. Modo definitur ad easdem parochiales præsentari, et institui minime debere presbyteros seculares tanquam veros, et perpetuos parochos; sed canonicos regulares Præmonstratenses ad nutum abbatis amovibiles: *Augustana, Paroch.*, 10 *maii* 1760, *dub.* 2.

61. Ecclesiæ SS. Cosmi et Damiani, S. Nicolai, ac S. Petri civitatis Venusinæ jam ab S. C. non coadjutrices cathedralis, sed veræ parochiales declaratæ fuerunt. Has hodie ecclesias in titulum prævio concursu conferendas esse decernitur: *Venusina*, 30 *julii* 1763, *dub.* 8.

62. Vacantem parochialem ecclesiam S. Martini urbis Coloniæ Agrippinæ de jurepatronatus laicorum, obtinuit sacerdos Arnoldus Volff ad parochiæ incolarum electionem. Sed postea existimans, se minus tutum ejusmodi provisione, eo quod nullus super ea parochiali ecclesia ad formam statuti, et ordinationis Gregorii XIII, Pont. Max., minime habitus concursus fuerit, et ipse provisionis tempore neque doctor, neque in sacra theologia licentiatus ad normam statuti erat, supplex Pontificem adiit, et novam parochialis provisionem postulavit. Remissæ hujus preces fuere ad S. C. pro voto. Ordinarius censuit oratorem gratia dignum. Sed interim Adolpus Scute impetrationem interposuit, etsi parochialis vacans dici nequiverit, quum nondum gratiam Arnoldo denegavisset Pontifex. S. C. supplicationem Arnoldi relaxandam esse censuit: *Colonien., Parochialis*, 26 *novem.* 1763.

63. Litteras ad S. C. misit Tridentinus Episcopus, quibus postulabat, ut sibi suisque successoribus concederetur; ut si quando occasionem vacationis alicujus parochialis prævio legitimo concursu, rector alterius parochialis ad vacantem transferretur unico contextu, et adprobatis in ipso concursu, quin novus indicatur, possit etiam secundæ parochialis vacantis rectorem seligere. Relationes addebat plures, et inter ceteras præcipua erat, quod ad hujusmodi concursus ex universa, qua late patet diœcesi, remotissimisque propterea pagis ad quadraginta semper, et quinquaginta sacerdotes magno ubique sumptu confluant, et quod uno eodemque tempore decem parochiæ vacare possint, et candidati non ad specialem, sed ad generalem, indeterminatamque parochiam contendant. Quæsito hinc quomodonam petitioni Episcopi sit annuendum? responsum est, ut eidem scriberetur ad mentem [99]: *Tridentina*, 17 *junii* 1775.

64. Vacante archipresbyterali ecclesia S. Laurentii Sylvæ Nigræ, magistratus S. Angeli in Vado Benedictum XIV, Pont. Max., supplicavit, ut pro construendis episcopio, sacrariis, et capella ad formam peritiæ idoneus vacantis ecclesiæ eligeretur œconomus, illiusque reditus dempto œconomi stipendio pro eorum constructione erogarentur, et ut census interim 500 scutorum pro faciliori ædificatione super ea ecclesia imponeretur. Alius inde ejusdem summæ census rite fuit impositus. Anno vero 1776 universali qui præsidet Ecclesiæ Pius Pontifex Maximus de vacante parochiali providit sacerdotem Franc. Mariam Ridarellium ad animarum curam adprobatum. Contradictorem hinc invenit Episcopum, qui desuper auditus retulit, pro fabricæ perfectione esse necessaria alia scuta mille bis centum quinquaginta, seque perfectioni incumbere, adjuvantibus etiam civibus. Instat vero Ridarellius, ut sua relaxetur supplicatio, sed non est sui voti compos factus, quum S. C. respondisset *negative* et ad mentem [100]: *Vaden., Parochialis*, 12 *decem.* 1778.

[99] Mens est, ut consuleretur magis sollicite parochorum electioni, et expensarum, et incommodorum imminutioni: *Regist. lit.*, lib. 33, *die* 17 *junii* 1775.

[100] « Et mens est, ut scribatur Episcopo, qui exigat ab œconomo, et administratoribus expensarum fabricæ exactam redditionem rationis, necnon, et referat de præcisa expensa necessaria ad complementum ejusdem fabricæ, et interim instet pro repetitione debiti tam ab hæredibus defuncti Episcopi, quam ab aliis debitoribus locorum piorum S. Catharinæ, et S. Sebastiani, et interim prosequatur fabricam depositis 7,467. 86, et super his omnibus sollicite informet, et epistola detur ejus agenti: » *Ead. causa*, 12 *decem.* 1778.

65. Quatuor erant pro obtinenda vacante parochiali ecclesia terræ Poli contradictores, primus nempe clericus in minoribus Dominicus Carbonius annorum viginti agens ætatem, qui tanquam ab Antistite præelectus in concursu a S. Sede ætatis dispensationem postulat; secundus sacerdos Carolus Rosci, qui, quum collata sibi a S. Apostolica ea parochialis fuisset, pro expeditione supplicationem porrexerat; tertius sacerdos Lauretus Carbonius, qui ab irrationabili Episcopi judicio appellaverat; quartus sacerdos Joannes Angelus Carbonius, qui parochialem impetraverat. His itaque de parochiali præfata contendentibus, S. C. quoad supplicationem Dominici Carbonii negativum dedit responsum, in reliquis autem iterum proponi mandavit : *Tyburtina, Parochialis,* 24 *novem.* 1781. Joan. Angelus Carbonius impetrans a judicio recessit; ideo haberi ratio debuit, quoad alios non exclusos. Unde rescriptum prodiit, supplicationem Caroli Rosci, non illlam Laureti Carbonii, esse signandam : 22 *januar.* 1782, confirmata 23 *febr. ejusd. anni.*

66. Litteras Apostolicas, quibus parochialis ecclesia S. Donati loci de Polenda unita jam antea mensæ episcopali ad statum collativum fuit ab Episcopo Brictinoriensi redacta, et parocho nonnulla assignata prædia ad sui conservationem, ratas habuit S. C.; etiamsi affirmetur oratores circumvenisse Pontificem, dum ei relatum fuerat bona prædicta ad parandam rectori congruam, et onera explenda sufficere : *Brictinorien., Congruæ,* 10 *decem.* 1785, *dub.* 1, confirmata 15 *sept.* 1787.

67. Parochiali ecclesiæ Soliani vacanti, cujus reædificatio jam cœpta perfici nequit, quia pecunia tradita a communitate, locis piis, et populo consummata est, providendum statuitur per concursum, assignata congrua scut. 60, una cum incertis novo parocho, reliquis vero parochiæ reditibus fabricæ ecclesiæ usque ad complementum operis applicatis : *Ariminen., Ecclesiæ parochialis,* 24 *novem.* 1792.

68. Parochia erecta ex dispositione Tiberii Cruciani in suburbana Recineti regione *di moglie vecchia,* addicitur sacerdoti Josepho Brandoni, nominato a Domino de Turri inter patronos natu majore, cui Summus Pontifex facultatem tribuit nominandi, etiam si votum paupertatis emiserit in societate Jesu : *Recineten., Parochiæ,* 20 *sept.* 1794.

ECCLESIA PAROCHIALIS QUOAD CONCURSUM. Vide *Concursus.*

§ III.

Ecclesia parochialis quoad distinctionem, et territorium.

1. Quæritur an Episcopus in visitatione de consensu utriusque parochi possit separare incolas ecclesiarum parochialium de jurepatronatus laicorum, qui per familias distinguebant, injungendo alteri parochiæ absque consensu ipsorum incolarum parochiarum, et patronorum? respondit S. C. non posse nisi de consensu ipsorum incolarum parochiarum : *Nullius,* 27 *julii* 1647.

2. Quæstio habetur, an possit Episcopus in visitatione separare incolas ecclesiarum parochialium de jurepatronatus laicorum, qui per familias distinguuntur, illos assignando alteri parœciæ de consensu parochorum, ac parochiæ incolarum, qui separantur absque consensu patronorum, quorum parochiis fit assignatio oneris novorum parochiæ incolarum? respondetur, Episcopum posse de consensu parochorum, ac parochiarum fidelium, non autem requiri patronorum consensus, nisi quatenus, et ipsi sint de parochiæ incolis segregatis, et assignatis, alteri parœciæ : *Fesulana,* 28 *martii* 1648.

3. Causa controversiæ, num tractus oræ maritimæ Agnonis, ubi plures non parochiales extant ecclesiæ, pluresque familiæ domicilium habent, sit in diœcesi Episcopi Caputaquensis, an vero in territorio cui præest abbas monasterii Cavensis?

4. Itidem an jus exercendi parochialia munia competat archipresbytero ecclesiæ S. Nicolai in oppido Caputgrassorum territorii Cavensis; an vero spectet ad parochum castelli Ortodonici diœceseos Caputaquensis. Sum. Pont. Benedictus XIV, qui S. C. rem definiendam remisit, adjunxit, ut interim per modum provisionis, et sine præjudicio jurium ambarum partium, omnes actus parochiales in locis supra expressis exerceri deberent per archipresbyterum oppidi Caputgrassorum nomine delegato ejusdem S. C., donec aliter fuerit ab ea provisum. Utraque pars legitimum sibi titulum, et immemorabilem possessionem suffragari contendebat. Quæsito hinc, de cujusnam bono jure constaret, S. C. demandavit, ut exhiberetur planta ab utraque parte, renovata interim inhibitione ad formam decreti S. auditoris Sanctisimi, et ad mentem : *Nullius, Caven. seu Caputaquen., Jurisdict.,* 12 *januar.* 1732, *dub.* 1 et 2.

5. Statutum jam antea fuerat, in civitate Andriæ ecclesiam cathedralem esse unicam parochialem, ejusque capitulum unicum parochum totius civitatis in territorii; ecclesiam vero S. Nicolai esse meram coadjutricem, in administratione sacramentorum. Divisionem deinde faciendam esse demandatum fuit; ac determinata quoque fuit certa ejusdem civitatis regio suis finibus circumscripta, ac tertiam populi partem complectens, intra cujus ambitum ecclesia S. Nicolai sacramenta ministret. His ita constitutis nonnullæ postea lites inter utrumque capitulum factæ sunt, decisionem expectaturæ. Sed S. C. definitionem protelavit, ac jussit, ut daretur

dubium juxta mentem [101]: *Adrien.*, 20 *decem.* 1766. Proposito itaque dubio, an et qui habitatores extra mœnia civitatis pertineant ad ecclesiam cathedralem vel ad ecclesiam S. Nicolai, responsum fuit, tertiam partem domorum extra mœnia, et in eis habitatores pertinere ad ecclesiam S. Nicolai, reliquas vero duas tertias partes ad cathedralem, et ut scriberetur Archiepiscopo Tranensi juxta instructionem [102]: 24 *januar.* 1767, confirmata 19 *sept.* 1767.

6. Episcopus Reatinus oppidum castri Franchi visitans, et confinia parochialium præfinire cupiens declaravit, jurisdictionem a peritis ad factum archipresbyterum castri Franchi spectare; parochis vero SS. Cusanii, Leopardi et Donati assignavit domos rurales existentes prope civitatem Reatis, in descriptione non comprehensas. Decretum hoc S. C. adprobavit. Contradicentibus inde fratribus Josepho et Carolo Stola in adjuncto castri Franchi territorio possidentibus, S. C. decretum firmavit: *Reatina, Dismembrat., et juris decimandi,* 31 *maii* 1783, *dub.* 1, confirmata 10 *januar.* 1784.

7. Complures Septempedanæ civitatis et diœcesis parochiæ administrantur a parochis originariis, facta familiarum divisione, quæ illis sunt semper subjectæ, in alienas quamvis illæ jurisdictiones migraverint. Hoc est frequentis jurgii causa, et contentionis. De hac sive consuetudine, sive abusu questus fuit Episcopus, et alii in episcopatu successores. Renovantur hodie controversiæ, ac propterea proposita hæc fuere dubia, an et quomodo sit abroganda parochialis jurisdictionis mixtura, et sint determinandæ parochiæ?

8. An et quomodo quoad parochias S. Petri, Insulæ, et Elcidi sit adprobanda concordia anni 1764. [103]; seu potius sit exequendum decretum visitationis anni 1776. [104]? S. C. respondit, ut exquireretur melior informatio super concordia anni 1764, et ejus exequutione: *S. Severini seu Septempedana Visitat., SS. LL.,* 19 *decem.* 1789, *dub.* 1 et 2. Ad examen iterum deductis dubiis, statutum fuit affirmative, quoad primum dubium, arbitrio Episcopi, qui procedat etiam ex nunc cum facultatibus S. C. non inspecta quacumque inhibitione nisi manu Sanctissimi signata. Et quoad secundum dubium decisum fuit esse locum unioni parochiæ Fontiscupi juxta votum Episcopi [105]. Nam inutile visum fuit dubium hoc alterum super approbatione concordiæ anni 1764, quæ super eadem versabatur unione: 10 *julii* 1790, *dub.* 1 et 2.

§ IV.

Ecclesia parochialis quoad erectionem, et dismembrationem.

1. Dubio, an expediat dismembrare ecclesias rurales a parochialibus civitatis, illisque simul unitis constituere novum parochum, qui hominibus existentibus sub dictis ecclesiis ruralibus sacramenta administret, assignando eidem congruam portionem ex fructibus dictarum ecclesiarum ruralium detrahendam? affirmativum datum est responsum, auditis tamen partibus, et forma juris servata: *Urbinaten., Visit., sacr. Liminum,* 10 *martii* 1663, *dub.* 12.

2. Universitas, et homines villæ Vallettæ ob intersectionem torrentis Vari ab eorum matrice ecclesia de Communelia longe distantes exorant erectionem parochialem ecclesiæ S. Annæ, et S. C. precibus annuit: *Januen., Erect. novæ parochialis,* 16 *januar.* 1694.

3. Consentiente Episcopo ecclesia ædificata fuit in novo castro Cellesii absque tamen præjudicio jurium parochialium castri Pierii aucto habitantium numero ad fere 200. Supplicarunt postmodum habitatores novi castri a jurisdictione et parochia castri Pierii, tum ratione distantiæ, tum ratione itineris prærupti. Hinc dubio proposito, an sit locus dismembrationi, et respective novæ parochiæ erectioni? negativum datum est responsum: *Balneoregien., Parochialis,* 19 *julii* 1698.

4. Erecta in loco Baculi parochia, eamque parochis Prochytæ, et Pausylipi impugnantibus; proposita in S. C. fuere dubia, an sustineretur parochiæ in loco Baculi erectio, et quatenus affirmative.

[101] Nam suggessit necessitas explicandi totam divisionem materialem parochiæ civitatis Andriæ, in eo, quod sacramentorum respicit administrationem: *Ead. causa,* 24 *januarii* 1767, § 2.

[102]. Instructio fuit, ut Episcopus auditis patronis, omnibusque inspectis documentis distincte referet de modo, quo hactenus vel super delatione, vel super custodia prædictorum librorum servatum fuit, et ut opportuna documenta transmitteret, et sensum suum aperiret: *Regist. lit.*, lib. 52, *die* 19 *sept.* 1767.

[103] Principaliter concordia anni 1764 unionem respicit parochiæ castri S. Petri prioratui ejusdem castri, et Insulæ, ac demolitionem ejusdem ecclesiæ. Conventæ unionis causa fuit reditus tenuitas, dum vix annua attingit scut. 19, 50, demolitionis vero deterrimus ecclesiæ status, et proximitas alterius spectantis ad prioratum: *Ead. causa,* 28 *novem.* 1789, § 9.

[104] Quo inter eas ipsas parochias mixturam dumtaxat interdixit Episcopus: *Ead. causa,* 28 *novem.* 1789, § 9.

[105] Qui proposuit suppressionem parochiæ fontis Cupi, ejusque unionem proximiori alteri Blasii: *Ead. causa,* 10 *julii* 1790, § 2.

5. An fideles parochiarum Prochytæ Pausylipi territoria montis Prochytæ, et maris Mortui colentes, et Miseni in eis temporaliter commorantes, tenerentur, cogique possent recipere sacramenta paschatis, solemniter celebrare matrimonia, infantes baptizare, aliaque onera in dicta parochia Baculi vel potius in eorum Prochytæ, et Pausylipi proprii domicilii parochiis subire? S. C. causam distulit, et interim jussit, ut deputatus œconomus administraret sacramenta, non obstante priori decreto, quodque nihil interim innovaretur: *Puteolana, Erect. parochiæ*, 9 *julii* 1701, *dub.* 1 et 2. Ad novam inde trutinam reducta causa, decretum est, erectionem sustineri, et quoad secundum dubium, ut daretur resolutio in casibus particularibus: 3 *sept. ejusd. anni.*

6. In visitatione castri Cerri, quam Episcopus Aversanus, uti Ordinarius ecclesiæ S. Vincentii in Vulturno peregit, compertum habuit, ut intra parochiarum S. Petri, et S. Mariæ fines octingentum circiter animæ ac tredecim pagi continerentur, et quod loca nonnulla ab his distarent parochialibus. Plurima hinc animabus damna obvenire credidit. Qua de causa ecclesiam S. Rocci in Casili Cupone ceteris vicis commodiori in parochialem erexit, eique tria simplicia beneficia univit. Reclamante communitate castri Cerri, et exquirente, an erectio illa sustineretur, S. C. putavit scribendum esse viciniori Episcopo pro habenda informatione juxta instructionem [106], audito etiam abbate montis Casini: *Isernien., seu Nullius, S. Vincentii in Vulturno, Erectionis parochiæ*, 2 *decem.* 1702.

7. Quum major pars habitatorum terræ Miliarinæ ob Turcarum incursionem sese in terram Insulæ recepissent, sua parochialis ecclesia S. Joannis Baptistæ unita fuit alteri parochiali S. Jacobi terræ Insulæ. Adjecto timore, populus paulatim ad patrios lares redire cœpit. Quare fuerunt porrectæ preces pro dismembratione seu desunione harum ecclesiarum? Sed S. C. petitæ dismembrationi locum haud esse definivit: *Lunen., Sarzanen., Dismembrationis*, 3 *martii* 1703, *dub.* 1.

8. Dismembrationem seu divisionem archipresbyteratus oppidi Marcellinariæ ob populi multitudinem et augmentum in duas portiones curatas ab Episcopo ad rogatum universitatis factam, sustinere non posse S. C. censuit: *Neocastren., Dismembrat. et concursus*, 15 *decem.* 1703, *dub.* 1.

9. Agitatis dubiis an Episcopo licuerit ab ecclesia matrice S. Joannis Baptistæ terræ Claramontis ecclesiam seu oratorium S. Antonii Casalis Fradellæ dismembrare, illamque in novam parochialem erigere? et quatenus affirmative.

10. An pro dote ejusdem novæ parochiæ licuerit assignare decimas, quæ prædictæ matrici ecclesiæ prius solvebantur a Casulis præfati incolis? S. C. affirmativum ad utrumque dedit responsum, injunxitque, ut futuræ collationes fierint per concursum ad formam Concilii [107], facta in signum honoris annua ecclesiæ matricis recognitione, mediante candelæ unius libræ traditione: *Anglonen., Erect. parochiæ*, 20 *decem.* 1704, *dub.* 1 et 2.

11. Unica in castri Cœli oppido ecclesia curata B. M. V. superest, quæ regitur ab archipresbytero, qui ab immemorabili curam S. Luciæ terræ Palatioli, ac S. Magni terræ Collis cum suis Casalibus adnexis tanquam filialium ecclesiarum, retinere consuevit, quique per deputatos, œconomos in utraque curam exercet. Episcopus ob frequentem populum, qui ad 3,000 animas excreverat, et ob locorum distantiam, decrevit erigendos esse novos ac distinctos parochos archipresbytero subjectos, firma remanente cura ecclesiarum habituali penes præfatam B. M. V. ecclesiam matricem. Communitates Palatioli et Collis appellarunt ab hujusmodi decreto; et S. C. Episcopi decreti validitatem non agnovit: *Aquinaten., Erect. paroch.*, 28 *martii* 1711.

12. Adductum quum fuisset dubium, an dismembrationi ab ecclesia parochiali S. Jacobi Apostoli Licianæ, et erectioni novæ parochialis in castro Pontis Bosii, seu potius deputationi coadjutoris parochi, locus esset? nullum S. C. oraculum proferre duxit, nisi formaliter verificaretur distantia castri, ac difficultas ad eamdem ecclesiam accessus; siquidem mandavit, ut Episcopus conficeret processum, auditis interesse habentibus, non retardata interim deputatione capellani, sumptibus petentis sine præjudicio jurium partium, et deinde cujus de jure: *Lunen., Sarzanen., Erect. paroch.*, 28 *febr.* 1711. Jacobus Mariottus oppidi Licianæ parochus perpendens, capellanum pro spirituali deputatum quælibet parochialia munia in oratorio castri Pontis obire potuisse, modum ponere obtinuit pro facultate capellani administrandi sacramenta pœnitentiæ, Eucharistiæ, et extremæ unctionis, ac celebrandi Missas, exceptis solemnioribus, nempe diebus Paschatis Resurrectionis, Pentecostes, et Nativitatis Domini:

[106] Ut audito P. abbate montis Casini, inspectaque planta dictæ novæ parochialis ecclesiæ cum distinctione situs, et locorum inter se distantium, eamdem transmittat, et S. C. instructam reddat tam circa distantiam unius parochiæ ab alia, quam circa numerum animarum utriusque, an ad eas sit difficilis accessus, hyemali præsertim tempore et an aliquis ex parochiæ incolis earumdem absque sacramentis decesserit. *Regist. lit.*, lib. 23, *die* 2 *decem.* 1702.

[107] Vide not. 74.

28 *martii ejusd. anni.* Reclamarunt ab hoc decreto oppidani, et in decretis persistere S. C. visum est: 11 *maii ejusd. anni.* Et quum incolæ mandatis S. C. obtemperare detrectassent, immo capellanus sacramentum paschale administraverit, S. C. respondere placuit, in *decretis*, mandavitque intra tres menses confici processum, et termino illo elapso, capella remaneret interdicta, reservatis attentatis in fine litis: 23 *junii ejusd. anni.* Postea vero rescripsit, dismembrationi ab ecclesia parochiali S. Jacobi, et novæ parochialis in castro Pontis Bosii erectioni, non autem coadjutoris parochi deputationi locum esse: 16 *julii* 1712, *dub.* 1 [108]. Præfatæ dismembrationi consensit parochus, nonnullis cum populo castri conditionibus a S. C. confirmatis, conventis. In has conventio illa resolutiva fuit, ut intra annum nova erigeretur parochia. Anno elapso, et conditione nulliter impleta, parochus pro dicta dismembratione opposuit, S. C. desuper consulta, decernit exequendam esse concordiam. Præfata enim conditio in instrumento concordiæ non legitur; sed adest in alio instrumento ad sacramentorum administrationem respiciente: 28 *novem.* 1716.

13. Homines loci Gnignani tum ob distantiam, tum ob itineris tempore præsertim hyberno difficultatem parochialem ecclesiam adire nequeunt; ita ut complures sacramentis minime muniti infeliciter deperierint. Hanc ob causam publicum S. Jacobi oratorium in novam parochialem erigere satagunt. Ad dubia igitur, an sit locus dismembrationi, et an sit locus confirmationi ordinationis factæ a curia archiepiscopali pro deputatione capellani, et quomodo? rescriptum est: Dilata, et jussum ut conficeretur processus judicialis juxta instructionem non retardata deputatione alterius capellani juxta modum pro servitio curæ ad formam decreti ordinarii [109]: *Mediolanen.*, *Dismembrat.*, 17 *decem.* 1712, *dub.* 1 et 2.

14. Quamvis ab anno 1688, erectionem ecclesiæ SS. Dominici, et Francisci, quam Dominicus Caracciolus ob numerum colonorum, qui sæpe sæpius subsidiis spiritualibus haud præmuniti obibant, in Meditullio Casalium ædificaverat, in parochialem S. C. denegaverit; tamen Cardinalis Beneventi Archiepiscopus anno 1701, erectionem hanc faciendam definitive pronuntiavit, assignata congrua a Casalium incolarum suppeditanda, una cum ducatis 20, ex dicimis capitulo solvi consuetis, detrahendis. Obloquutus est erectionem archipresbyter; sed exequendam illam esse S. C. decidit: *Frequentina, seu Abellinen., Erect. paroch.*, 27 *maii* 1713.

15. Paulus Granus archipresbyter parochialis ecclesiæ S. Nicolai Policastri redituum, qui suæ congruæ conservationi longe impares esse comperiuntur, modicitate questus est; propterea præsidium, quo sibi mediante familiarum, quæ sub parochiis S. Mariæ de Magna, et S. Mariæ de Crucis existunt, ac proinde personalium decimarum assignatione, consulatur implorat. Priscis enim temporibus sola parochialis ecclesia S. Nicolai in toto oppido extabat, quæ est hodie matrix; illis nulla territorii separatione facta in parochiales erectis. Has tamen Grani preces S. C. rejecit: *Sanctæ Severinæ*, *Dismembrat.*, 1 *decem.* 1714, *dub.* 1.

16. Præposituralis ecclesia S. Martini curatam ecclesiam S. Mariæ ad Soffianam unitam jam habuit. Præposito, ac parocho alterius ecclesiæ S. Stephani consentiente, et consentiente etiam cathedralis S. Miniati capitulo, hæc divisa, et a vicario generali dismembrata fuit ab ecclesia præpositurali una cum situ pro domo parochiali construenda, et una cum familiis tredecim, et ecclesiæ præfatæ S. Stephani ad Intrainum absque patronorum laicalium præjudicio unita. Sed S. Stephani parochus hujusmodi unionem infringere curavit; tum quia patronatæ laicorum ecclesiæ facta unio fuerat, tum etiam quia justæ causæ deficiebant. S. C. unionem hanc non sustinere resolvit: *Sancti Miniatis, Unionis*, 16 *novem.* 1715, *dub.* 1.

17. Quum villa Vallis longæ et Capitis Aquæ tertio ab oppido Leonissæ distans lapide sub parochia S. Mariæ, et donati intus oppidum sita esset, villæ incolæ in sacra visitatione ab Episcopo erectionem ecclesiæ S. Nicolai in parochiam et ab antiqua parochia S. Mariæ et S. Donati sub nonnullis conditionibus non fuit propterea haud dubie, an dismembratio una cum conditionibus in ea appositis sustineretur? et illa resolutionem protelando jussit firmari statum utriusque parochiæ non retardata interim exequutione dismembrationi: *Spoletana, Dismembrat.*, 3 *oct.* 1716.

18. Parochiali ecclesiæ Glareæ a flumine Pado absorpta, parochiæ incolæ illius homines villæ Veruvæ, ut sacramenta reciperent propinquiore parochiæ oppidi Mezzani sese adscripserunt. At antiquo fluminis cursu et alveo mutato, territorium Veruvæ ab illo Mezzani separatum fuit. Ex hoc orta dismembra-

[108] Advocatus Dominicus Ursaya sua jura pandidit in favorem dismembrationis, quæ exaravit *Discept. Eccl. XIV.* tom. 1, part. 1, *per tot.*

[109] Qui protulit decretum die 13 decem. 1710, quo facultatem fecit sacerdoti Carolo Antonio, ut incolis dicti loci Gnignani sacramenta pœnitentiæ, Eucharistiæ, ac extremæ unctionis ministraret, Missas etiam cum cantu celebraret, sacras conciones haberet; ipsi tamen districte prohibuit solemniter baptizare, matrimoniis assistere, et funera defunctorum ducere: *Ead. causa*, 17 *dec.* 1712.

tionis est necessitas, quam S. C. concessit, erectionemque novæ parochiæ indixit, congrua arbitrio Card. Episcopi novo parocho assignata: *Papien., Dismembrat. paroch.*, 10 *april.* 1717.

19. Ecclesia parochialis S. Desiderii in pago Columberii existens translata est anno 1704, ad oppidum Montheoli, ubi gubernator degit. Hæc translatio facta nedum auctoritate Episcopi, sed etiam nuntii Apostolici fuit, qui eam confirmavit; ac in pago Columberii fuit deputatus sacerdos, assensus vero abbatis, et capituli canonicorum regularium S. Augustini abbatiæ S. Mauritii Agannensis patroni minime fuit quæsitus. Post elapsos nonnullos annos Columberienses, ut rem de parochiæ translatione reviseret, S. C. exorarunt; at decretum emanavit non esse locum dismembrationi, et erectioni novæ parochiæ: *Sedunen.*, 11 *junii* 1718.

20. Cardinalis Gozzadinus statum suæ Fori Cornelii ecclesiæ referens, ad animarum saluti succurrendum ruralis ecclesiæ S. Bernardini in Sylva nuncupatæ dismembrationem, et novæ in oratorio a sacerdote Francisco Bellettio extructo, erectionem postulavit. S. C. causam primo non definivit, et mandavit Card. Episcopo pro nova informatione juxta mentem scribi: *Imolen., Dismembrat.*, 22 *junii* 1720. Petitam deinde impertita est facultatem, dummodo oratorium de Planta sub antiqua parochiali remaneret: 21 *junii* 1721, *dub.* 1.

21. An dismembrationi ecclesiæ SS. Trinitatis sitæ in loco Saxelli ab altera ecclesia parochiali S. Joannis Baptistæ cui reperitur unita, ita ut illa erigi debeat in novam et distinctam parochiam, locus sit? postulantibus oppidanis Saxelli, S. C. voluit, ut per manus transmitteretur mappa, quæ viarum distantiam, et qualitatem edoceret: *Aquen., Dismembrat.*, 31 *maii* 1721, *dub.* 1. Proposita iterum causa negativa *pro nunc* exiit resolutio: 2 *aug. ejusd. anni.* Ad examen denique reducta causa, et quæsito, utrum sit standum, vel recedendum a decisis, responsum fuit: Dilata, et mandatum, ut doceretur de libera dotis assignatione, et quoad remotionem coadjutoris, ut Ordinarius procederet pro suo arbitrio, et conscientia etiam auctoritate S. C.: 25 *maii* 1723.

22. Incolæ loci Benincasæ suas exhibuerunt preces pro facultate erigendi propriam ecclesiam S. Mariæ Gratiarum in parochialem distinctam, et separatam ab ecclesia S. Petri ad Dragonem civitatis Cavensis, quæ tertiam parochialem præbendam cum onere ministrandi sacramenta incolis memoratis habet. S. C. primum petiit meliorem informationem juxta instructionem [110]: *Caven., Erect. parochialis*, 19 *decem.* 1722, *dub.* 1. Deinde irritam reddidit incolarum postulationem: 15 *junii* 1723.

23. Iidem incolæ precati sunt facultatem fundandæ quartæ præbendæ parochialis in dicta ecclesia S. Petri cum obligatione, quod parochus manutenendus sumptibus hominum dicti pagi Benincasæ, et ab eis eligendus cum adprobatione Episcopi teneatur residere in eodem loco. Sed S. C. eam indulsit iisdem modis, et formis, ac conditionibus, quibus tertius præbendatus in ecclesia Maritimæ veteris constitutus fuit: *Ibid., dub.* 2.

24. Episcopus Sabinensis diœcesim visitans inter cetera decrevit, ut pro incolarum et habitantium in villulis commoditate, ecclesia S. Mariæ ad Nives in parochialem erigeretur; mandavitque ut præter duo prædiola exiguissimi reditus, et ad annuum reditum unius scuti adscendentia, novo parocho assignata pro ejus conservatione, et pro ecclesiæ manutentione, eidem decimæ persolverentur ab habitantibus. Episcopus Narniensis retulit, parochialem hanc erectam fuisse absque reditibus, et parochiæ incolas tam novo parocho, a quo sacramenta recipiunt, quam veteri, in cujus fines bona possident, decimas solvere gravatos esse. Quæsito hinc, an ea sustineretur erectio? dictum fuit: Dilata, et ad mentem: *Sabinen., seu Narnien. Paroch.*, 5 *junii* 1723, *dub.* 1.

25. In civitate Vallet, quæ tempore nocturno clauditur, parochialis adest ecclesia S. Pauli. Magnus S. Hierosolymitanæ magister, ut animarum, quæ extra civitatem intra ambitum Florianum degunt, saluti prospiceret, supplicavit pro facultate novam erigendi parochiam, in ecclesia Virginis Immaculatæ Conceptionis intra illum ambitum sita. Sed S. C. gratiam audito Episcopo denegavit: *Milevitana*, 17 *januar.* 1728, *dub.* 1.

26. Comites de Limbourg, qui ecclesiam in suo oppido Ghemense ædificarunt, ab Ordinario impetrarunt, ut patres strictioris observantiæ S. Francisci functiones omnes parochiales ibi, inque districtu exercerent. Sese opposuit capitulum collegiatæ ecclesiæ S. Remigii oppidi Borkiensis, et pastor

[110] Quæ ad sequentia capita reducta est. 1. Ut exquireretur, an in hypothesi fundationis quartæ præbendæ, administratio sacramentorum facienda esset incolis Benincasæ privative quoad alios tres præbendatos, vel cumulative cum illis. 2. An tertius præbendatus exercens curam animarum in Maritima veteri, eam exerceat cumulative cum aliis duobus, vel privative. 3. Ut exprimeretur quomodo alii duo parochi exerceant animarum curam in parochia S. Petri, an unus privative quoad alium, in aliquo loco. 4. Ut exprimeretur, quomodo aletur parochus Maritimæ veteris, et an ei ab incolis factum sit aliquod assignamentum, et an percipiat emolumenta incerta parochiæ, vel ea dividat cum aliis duobus: *Ead. causa*, 5 *junii* 1723, § 5 *seqq.*

in Ramdstorff, qui in antiqua possessione parochialem exercendi jurisdictionem esse dicebat. Nuntius Apostolicus retulit, qui in oppido Ghemense antiquitus aderat ecclesia parochialis una cum pluribus sacerdotibus, ostenditque necessitatem novam erigendi parochiam ex distantia locorum inter Ghemense et Borck, et in religiosorum solertia catholicorum crevisse numerum. Proposito ergo, an de validitate dismembrationis constaret? S. C. scribi putavit Ordinario pro informatione et voto : *Monasterien.*, 5 *junii* 1728, *dub.* 1.

27. Papus Vineolarum, quod monasterio congregationis Olivetanæ in antiquo Præcipiano castello extanti quoad animarum curam subest, postulavit decerni dismembrationem veteris parochiæ, et parochialem institui ecclesiam S. Jacobi existentem in dicto pago. S. C. voluit, ut scriberetur primum Episcopo juxta instructionem [111] : *Derthonen.*, *Dismembrat.*, 17 *febr.* 1731. Episcopo instructionem præbente, et monachis probantibus, pagum quingentorum passuum spatio distans a parochia esse, viam haud esse difficilem, paucosque parochiæ incolas in casalibus vivere, negativa prodiit resolutio : 5 *april.* 1732. Reproposita autem causa perstitit in decisis; et jussit, ut a monachis constitueretur capellanus secularis sumptibus monasterii, et coadjutor curæ animarum Ordinario adprobandus in ecclesia S. Jacobi Vineolarum ; et in ea etiam asservaretur sanctissimum Eucharistiæ sacramentum : 30 *aug. ejusd. anni.* Reclamantibus monachis, grave nimis esse novum onus stipendii capellano solvendi ad commodum parochiæ incolarum in eo pago degentium, et causam revideri postulantibus, fuit antedicta decisio confirmata, et quo tamen ad stipendium, ad Card. præfectum juxta mentem [112] dixit: 10 *jan.* 1733.

28. Parochiæ incolis qui in villa Meridii domicilium habent, instantibus, ut nova ibidem erigeretur parochia, et a veteri parochia S. Michaelis Archangeli Corvarolæ dismembrarentur propter longam mille circiter passuum, asperamque viam ; S. C. decisionem suspendit, scribique voluit Episcopo juxta instructionem [113] : *Lunen.*, *Sarzan.*, *Dismembr. paroch.*, 22 *martii* 1732, *dub.* 1. Quum Episcopus retulisset rectorem parochialis ecclesiæ Corvarolæ assentire deputationi vicarii, seu capellani curati ; hinc S. C. sectioni veteris, et novæ parochiæ erectioni refragans mandat, erigendam esse vicariam perpetuam esse assignatione congruæ solvendæ a communitate villæ Meridii, et dummodo provideatur indemnitati parochi Corvarolæ ; et ad Episcopum pro exequutione cum auctoritate S. C. 27 *sept. ejusd. anni*, *dub.* 1. Acriter contendentibus Meridiensibus, et non satis sic sibi consultum putantibus, redintegrata fuit quæstio circa plenam veteris parochiæ sectionem ; et S. C. decisionem confirmavit juxta modum [114] : 24 *januar.* 1733.

29. Quum Episcopus Astensis dismembrationem fecisset parochialis ecclesiæ Pamparati, et alteram parochiam erexisset in ecclesia S. Antonii ob mille passuum inter incolas distantiam ; et de hujusce dismembrationis validitate quæsitum fuisset, S. C. dixit : Dilata et ad secretarium juxta mentem : *Asten.*, *Dismembrat. parochiæ*, 6 *decem.* 1732, *dub.* 1. Reproposita denuo causa, jussum est, ut adhiberentur novæ diligentiæ juxta instructionem [115], necnon ut Episcopus per seipsum recognosceret locum, de quo agitur : 29 *aug.* 1733, *dub.* 1.

30. Episcopus Miletensis ab incolis oppidi Semiatorii rogatus, ecclesiam S. Nicolai ejusdem oppidi ab ecclesia parochiali S. Mariæ de Latinis oppidi Aquarii Arenarum, inter quas flumen hy-

[111] Scilicet, ut Episcopus suam aperiret sententiam, num expediret parochialem titulum transferri ad memoratam ecclesiam S. Jacobi ; vel potius in ipso pago Vineolarum constitui vicarium pro administranda animarum cura : *Ead. causa*, 5 *april.* 1732, § 2.

[112] Mens est, ut eligatur a monasterio capellanus secularis ad ejus nutum amovibilis, et incolæ Vineolarum teneantur solvere pro ejus manutentione, quantum hactenus solvere consueverunt, et quatenus dicta summa non sit congrua, reliquum teneatur supplere monasterium præscribendum ab Ordinario cum onere eidem monasterio asservari faciendi oleum sanctum, ac sanctissimum Eucharistiæ sacramentum in ecclesia S. Jacobi Vineolarum cum lampade perpetuo accensa sumptibus ejusdem monasterii : *Lib.* 83. *Decret.*, pag. 1.

[113] Nempe Episcopo mandavit, ut tractatum iniret de instituenda vicaria, seu capellania curata perpetua in memorata villa, cum assignatione annui proventus, sive mercedis congruentis conservationi ejusdem vicarii, vel capellani, necnon cum aliis opportunis conditionibus; citra tamen sectionem veteris parochiæ, et erectionem novæ. *Ead. causa*, 27 *sept.* 1732.

[114] Modus autem est, ut vicarius perpetuus eligatur per concursum, et quod Episcopus assignet eidem vicario emolumenta, quæ dicuntur stolæ, reservatis reliquis reditibus parocho Corvarolæ : *Ead. causa*, 24 *januar.* 1733.

[115] Requisitus fuit Episcopus, ut accuratius investigaret, an erectio novæ parochiæ necessaria foret, et an provideri possit per capellanum coadjutorem, adeoque eidem commissum, ut ad eamdem parochiam se conferret, et per seipsum conditiones loci, viæ, et incolarum recognosceret, et ut edoceri curaret, an superiori tempore ob longinquitatem, vel asperitatem itineris nonnulli sine sacramentis decesserint, vel alia similia incommoda occurrerint, ac ut referret de conditionibus dotis pro nova parochia oblatis ac dotis pro fundatione capellaniæ; quatenus vero nova parochia erigi deberet, matricitas in favorem ecclesiæ Pamparati reservanda : *Regist, lit.*, lib. 28, *die* 29 *aug.* 1733.

berno præsertim tempore iter intersecat, dismembraret. Post lapsum quadraginta circiter annorum Marius de Antona archipresbyter ecclesiæ dismembratæ assertam disjunctionem impugnavit; validam sustinere visus est Simeon Marzanus novæ parochialis rector, et validam quoque S. C. censuit: *Mileten.*, *Dismembrat.*, 29 *januar.* 1735, *dub.* 1 et 2.

31. Incolæ villarum, quæ vulgo nuncupantur Nennum superius, Nennum inferius, Ripa, Casertiæ, Canavellarum, quæque parochiali jure suberant ecclesiæ S. Mariæ in pago Vaccaritiæ erectæ, ob consuetas longi arduique itineris, et torrentis interfluentis causas dismembrationem istius ecclesiæ obtinuerunt. Reclamarunt homines villarum Casertiæ, et Canavellarum, et contenderunt, quod nova parochia erigi debeat in ecclesia præfatæ villæ Casertiæ uti ceteris antiquiore, et magis commoda. Disputatum idcirco est, an dismembratio sustineretur? S. C. sustineri utique arbitrata est pro omnibus locis expressis in sententia Ordinarii: *Derthonen.*, *Dismembrat.*, 28 *januar.* 1736, *dub.* 1.

32. Et firmam esse etiam censuit erectionem in novam parochiam ecclesiæ S. Annæ villæ Nenni inferioris ob præfatas distantiæ ab ecclesia parochiali S. Mariæ in pago Vaccaritatiæ, et præruptæ viæ causas; hominibus villæ Casertiæ frustra pugnantibus, quod erectio hæc in suo pago fieri deberet: *Ibid.*, *dub.* 1.

33. Communitatis oppidi turris Annuntiatæ poposcit, ut nova parochialis ecclesia ibidem suis sumptibus erigeretur, eo quod patres Cœlestinos curam ob populi multitudinem negligere asserebant; et interim postulatio cessit: *Nolana.*, *Dismembrat.*, 14 *april.* 1736.

34. Ab Apostolico Sarsinatensis ecclesiæ administratore parochialis ecclesiæ locorum de Piavola, Falcini, Valderipæ, et Linari obnimiam eorumdem locorum distantiam a tribus plebanis seu archipresbyteralibus ecclesiis de Rivoschii, Franchii et Montissorbi fuerunt dismembratæ, æque ecclesiæ parochiali S. Romani, quam propter majorem propinquitatem in plebanatum erexit, unitæ. Adversus hoc decretum repugnarunt plebani seu archipresbyteri præfatorum locorum. Controversia ad S. C. delata, hæc decrevit dismembrationem ac respective unionem sustineri: *Sarsinaten.*, *Dismembrat.*, 12 *maii* 1736, confirmata 1 *sept. ejusd. anni.*

35. Quum inter Episcopum Larinensem, et abbatem S. Agathæ canonicorum Lateranensium insulæ Tremisanæ, complures factæ fuissent quæstiones, actum in S. C. fuit, num locus esset dismembrationi, et respective novæ parochialis ecclesiæ erectioni seu potius deputationi vicarii pro exercitio curæ animarum, tam in loco S. Agathæ, seu civitatis ad Mare, quam etiam in duobus feudis SS. Leuci, et Ramittelli, eorumque territoriis ad monasterium S. Mariæ Tremitarum spectantibus, existentium? S. C. rescripsit ad mentem [116]: *Larinen.*, 23 *nov.* 1737, *dub.* 3. Reproposita causa, quum jam anno 1734, fuerit inter ipsos inita concordia juxta modum [117], S. C. concordiam hanc esse servandam [118] definivit: 1 *aug.* 1739, confirmata 19 *decem. ejusd. anni*, *dub.* 1.

36. Sed ad eamdem erectionem deveniendum esse juxta modum explicandum a Card. præfecto sancitum est [119]: *Ibid.*, *dub.* 2.

37. Et servandam quoque esse concordiam statuit, quoad locum, in quo construenda esset ecclesia prædicta, et quoad necessarias expensas: *Ibid.*, *dub.* 4, confirmata *ibid.* Præfata autem erectione in ecclesia S. Agathæ juxta S. C. resolutionem expleta, et abbate, Episcopum contra mentem ejusdem S. C. egisse putante, quæsitum fuit, an erectio illa sustineri deberet? et sustineri nequaquam posse statutum fuit: *Ead.*, 15 *april.* 1741, *dub.* 1.

38. Incolæ loci, quam vocant Geram de Pizzichettone, conspicientes collegiatam, et parochialem ecclesiam oppidi Piceleonis, cui parochiali jure subsunt, a flumine Abduo interscindi, capitulo præfatæ collegiatæ præsentarunt quemdam sacerdotem, ut in curatum loci constitueretur. Capitulum facultatem præsentato tribuit animarum curam exercendi sub multiplici lege. Iidem incolæ postea institerunt apud Cremonenses Episcopos ut eorum ecclesia S. Sebastiani, et Rocci in absolutam erigeretur parochialem. Pedibus deinde Pontificis provoluti, et dismembrationis et respective erectionis in parochialem implorantes, negativam habuerunt responsionem et ad mentem: *Cremonen.*, *Dismembrat.*, 11 *jan.* 1738.

39. Clerus et populus numero octingentarum animarum in villa S. Thomæ aliisque conterminis pagis degens, et septem milliariis circiter a parochia distans, supplex efflagitavit separari ab ecclesia parochiali SS. Apostolorum Petri et Pauli Siciliani Pedeviliani, et respective erectionem ecclesiæ S. Michaelis Archangeli in parochialem

[116] Vide not. 17, verb. ***Ecclesia in genere***, § VI.

[117] Vide not. 19, ibid.

[118] Vide not. 18, ibid.

[119] Modus est, ut vicaria curata erigatur in ecclesia S. Agathæ, utque ibidem pro custodia sanctissimi Sacramenti, aliisque functionibus parochialibus ad usum vicarii curati designetur altare abbati benevisum: *Lib.* 91, *Decret.*, pag. 189.

expetebat. Ad has preces S. C. respondit; ut Episcopus procederet, ac provideret ad formam S. Concilii Trid. [120]. Facta hinc ab Episcopo dismembratione, et a matrice independenti reddita ecclesia secta, rector hujus quærit, utrum sit separatio sustinenda. Verum S. C. decisionem suspendit, sed scribi jussit pro meliori informatione juxta instructionem [121]: *Marturanen.*, *Dismembrat.*, 14 *januar.* 1739. Reproposita causa, et fusius instruente Metropolitano, negativa prodiit resolutio: 9 *sept.* 1741, *dub.* 1.

40. Populus villæ Materæ exposuit, se a parochiali ecclesia Quintodecimi nimis esse distantem, seque per viam autumnali, hyemalique præsertim tempore, inaccessibilem ad illam accedere magno cum vitæ periculo cogi; ac propterea ab Episcopo Asculano dismembrationem obtinuit, quam validam esse S. C. putavit: *Asculana*, *Dismembr.*, 11 *april.* 1739, *dub.* 1.

41. Totius Terracinæ populus questus est, ut ad spirituale suum auxilium et curam, unus parochus, et is cathedralis ecclesiæ archipresbyter chori servitio addictus non sufficiat. Quam ob rem obsecrat, ut ecclesia antiquitus S. Laurentii, nunc S. Joannis in parochialem erigatur, vel ad pristinum potius parochialis statum redintegretur. Exponebat insuper, quod in ea civitate animarum numerus ad 2495 præsentiarum excreverat. S. C. preces hujusmodi minime audivit: *Terracinen.*, *Dismembrat.*, 6 *junii* 1739, *dub.* 1 et 2.

42. Dismembratio villæ seu oppidi de Torcas ab ecclesia cathedrali, a qua una itineris hora dissita est, conceditur, salvis tamen juribus matricitatis in favorem cathedralis ecclesiæ, et reservato novæ parochiæ competenti honore a rectoribus pro tempore eidem cathedrali arbitrio Episcopi quotannis præstando; quamvis idem Episcopus retulerit gratissimum fore Deo, divinique cultus augmento, et incolarum commoditati, et animabus, si capella ab cathedrali dismembraretur: *Segobricen.*, *Dismembrat.*, 30 *januar.* 1704, *dub.* 1.

43. Tria Episcopus propter itineris asperitatem a territorio parochialis ecclesiæ S. Juliani urbis Castrivillarum divulsit loca, novamque ex his parochiam in ecclesia S. Mariæ Constantinopolis, et S. Josephi erexit. Ecclesiæ disjunctæ clerus huic sese opposuit dismembrationi, præfatam per quatuor peritos refellens itineris asperitatem, contendensque, quod ob populi affluentiam non dismembratione, sed plures adsumere coadjutores presbyteros opus esse. Proposita hinc decidenda causa; de nullitate dismembrationis constare S. C. resolvit: *Cassanen.*, *Dismembrat.*, 17 *decem.* 1740, confirmata 22 *julii* 1741.

44. Providendum vero S. C. esse censuit ita, ut ab Episcopo deputaretur coadjutor alter ex presbyteris participantibus, qui resideret penes ecclesiam S. Josephi, ibique curam animarum exerceret, juxta modum ab eodem Episcopo [122] præscribendum cum exemptione a servitio chori in ecclesia S. Juliani: *Ibid.*, *dub.* 2. Modus autem ab Episcopo habitus clero non arrisit, ac proponi propterea fecit, esset necne adprobandus? Adprobandum S. C. non censuit, et ad mentem injunxit: 22 *julii* 1741, *dub.* 1.

45. Parochialem ecclesiam S. Jacobi loci Insulæ visitans Episcopus, comperiit unum rectorem satis esse non posse ovium tam in dicto loco, quam in terra Milliarinæ, aliisque adjacentibus villis existentium, multitudini; imperavit ideo parocho, ut vicarium, qui in ecclesia S. Joan. Baptistæ terræ Milliarinæ residet, adscisceret, eique congruam biscentarum librarum assignaret, et ad suum illum removeret nutum. Populus deinde loci Milliarinæ supplicavit pro obtinenda veteris illius parochiæ divisione, novæque alterius erectione in præfata ecclesia S. Joan. Baptistæ, sed supplicavit incassum. Nunc perpetui curati deputatio postulatur in eadem ecclesia, sed neque hæc etiam obtineri potuit; et demandatum insuper fuit, quod vicarios nequeat amoveri, nisi ex causa ab Episcopo adprobanda: *Lunen.*, *Sarzanen.*, *Deputat. vicarii perpetui*, 21 *april.* 1742.

46. Ecclesiam parochialem villis Illiacæ dismem-

[120] Vide not. 1, tom. I, verb. *Baptismalis fons.*

[121] Quæ in eo versata est, ut idem Episcopus S. C. certiorem redderet, quænam quantitas proventuum, et emolumentorum parocho dictæ veteris parochialis sit remansura, qui reditus contingerit novo parocho, et demum quam summam idem novus parochus tenebitur tradere œconomo curato in nova ecclesia parochiali juxta ejus decretum retinendo, quatenus erectio istius novæ parochiæ sustineatur: *Ead. causa*, 9 *sept.* 1741.

[122] Modus ab Episcopo propositus in his potissime versatur. 1. Ut coadjutor easdem familias, quæ novo parocho in bulla erectionis novæ parochiæ destinatæ fuerant, suæ curæ ita addictas habeat, ut isti minime liberum sit ecclesiam S. Juliani pro susceptione sacramentorum adire. 2. Ut in eadem ecclesia S. Josephi fons baptismalis collocetur, ut infantes familiarum coadjutoris curæ creditarum lustralibus aquis ibidem regenerentur. 3. Ut eidem coadjutori debeantur emolumenta omnia, quæ vocantur stolæ, ex dictis familiis ejus curæ adscribendis provenientia. 4. Demum ut aliqui ex clericis parochialis ecclesiæ S. Juliani servitio adscriptis, atque ex presbyteris supranumerariis diebus dominicis, et festis præsertim solemnioribus ad inserviendum dictæ ecclesiæ S. Josephi teneantur accedere saltem, donec occasio detur alios prima tonsura initiandi, et servitio ipsius ecclesiæ S. Josephi adscribendi: *Ead. causa*, 22 *julii* 1741, § 5.

brandam, et respective novam parochiam in capella seu oratorio ejusdem villæ Champeriaci erigendam minime esse S. C. statuit; verum populo villæ et territorii Champeriaci satis consultum fuisse censuit per deputationem presbyteri [123] juxta instrumentum fundationis auctoritate Ordinarii stipulatum, et per additionem prædicto deputato presbytero factam facultatis sepeliendi cadavera in oratorio villæ Champeriaci reservatis tamen parocho emolumentis : *Sedunen.*, *Dismembrationis*, 15 *dec.* 1742.

47. Populus loci Ripariæ Helveticæ ditionis unam, eamdemque communitatem efformans, licet distinctus in pago tres, grave nimis causatus imminere sibi animarum periculum ex longitudine et difficultate itineris ad parochialem ecclesiam S. Martini in Bironici oppido sitam, cui hactenus subjectus fuit, supplex ab Episcopo obtinuit, novam decerni erectionem parochiæ in ecclesia Spiritus Sancti, in eodem Ripariæ loco posita, sese paratum offerens congruam parocho tribuere. Re ad S. C., veteris parochiæ præposito provocante, delata, fuit Episcopi sententia confirmata : *Comen.*, *Dismembrat.*, 18 *maii* 1743. Sed quia inauditis præposito, populo Bironici, et Episcopo lata definitio fuit, iterum proposita fuit, et discussa causa, et recessum fuit a decisis : 18 *julii* 1744. Ripariæ populus a præposito et populo Bironici victus, litem instauravit, et rescriptum habuit, in secundo loco decisis : 19 *sept. ejusd. anni*. Ripariæ populo capellanum curatum mortuo pastori substitui petente, et causam denuo reassumi postulante, dictum fuit, ad Card. præfectum juxta mentem [124] : 7 *aug.* 1745. Præpositus longa lite factus, postulat remotionem capellani, sese parochi incolarum necessitatibus paratum offerens, ut a priscis præpositis factum fuit, et dilata et ad mentem [125] responsum tulit : 22 *aug.* 1750. Reproposita tandem causa resolutum post vices tot fuit, standum esse in primo loco decisis : 5 *dec.* 1750, *ejusd. anni*.

48. Vicani supra mille oppidi Bareti a parochiali ecclesia S. Pauli, quæ extra civitatem Aquilæ est, distantes, supplicant, ut dismembratio præfatæ parochialis ecclesiæ S. Pauli Bareti, et respective erectio novæ parochiæ in villa, et ecclesia S. Viti ab Episcopo expleta, sustineatur : sed S. C. votis eorum minime annuens, edixit, ut Episcopus mandaret deputari capellanum coadjutorem in ecclesia S. Viti sumptibus parochi : *Aquilana*, *Dismembrationis*, 8 *febr.* 1744, *dub.* 1.

49. Crusani oppidum sexcentos fere numerat incolas, templumque S. Zenonis forma elegans, ac supellectili sacra instructum habet. Preces propterea exhibet, pro dismembratione a veteri parochiali ecclesia Brentonici, ac pro novæ erectione obtinenda. Causas præponit itineris brumali præcipue tempore difficilis, 1419 passuum distantiæ, et torrentis, qui periculis non vacat; ex quo plures Crusanenses sacramentis haud muniti periere. S. C. respondit, ut scriberetur nuntio Apostolico pro confectione processus, et ad mentem : *Veronen.*, 38 *martii* 1744, *dub.* 1 et 2.

50. Card. Thomas Ruffus a tribus parochiis villarum *Ficaroli*, *Stiente*, et *Ravalli*, præstito ab earum rectoribus consensu, fecit separationem, et alteram erexit parochialem ecclesiam in villa Tomasellæ, quæ deinde ob populi commoditatem translata fuit in villam Gaibæ, cujus parochus titulo archipresbyteri nuper honestatus fuit. Novus hic archipresbyter, et universus Tomasellæ populus metuentes, ne archipresbyter ecclesiæ matris S. Antonini villæ Ficaroli, cui plurimum illatum fuit detrimenti, judicium inciperet, ut separatio irrita fieret, concessionem petunt beneplaciti Apostolici, et obtinent : *Ferrarien.*, *Benepl. Apost.* 14 *maii* 1746.

51. Premienses vallem Antigorianam incolentes, ut tertia portio curata in ecclesia S. Michaelis erigeretur, supplicarunt, et ab ecclesia parochiali oppidi Baceni, quæ dissita tribus est milliariis, et via nullimodo tuta, dismembraretur ; sed supplicarunt incassum : *Novarien.*, *Dismembrat.*, 12 *aug.* 1747, confirmata 18 *nov. ejusd. anni*.

52. Incolæ villæ Arielli, qui templum S. Matthæi a solo eleganter extruxerunt, sacraque supellectili, rebusque omnibus ad ecclesiastica sacramenta servanda ornarunt, uno lapide ab oppido Arielli distantes a veteri parochiali ecclesia S. Michaelis

[123] Nam Episcopus Sedunensis anno 1723 annuens desiderio populi Champeriacensis simplex beneficium erexit illudque jussit conferri sacerdoti, qui teneretur in ipso Champeriaci loco residere, pueros ibidem litteris instruere, Missæ sacrum ter in hebdomada, ac præsertim festis diebus in capella S. Theoduli peragere, parochi nomine mysteria fidei populo exponere, sacramenta pœnitentiæ, et Eucharistiæ, ac extremæ-unctionis ministrare, et demum publicas supplicationes qualibet feria sexta tempore Quadragesimali, æstiva autem singulis secundis feriis habere : *Ead. causa*, 15 *dec.* 1742, § 1.

[124] Mens in Congregatione habita die 28. mensis augusti ejusd. anni expressa fuit : « In decisis, et deputandum esse capellanum nominandum a præposito, et approbandum ab Episcopo, non amovendum nisi de licentia ejusdem Episcopi sumptibus præpositi, et cum facultate administrandi sacramenta, exceptis baptismate, extra casum necessitatis, et matrimonio, salvis omnibus juribus parochialibus : » *Ead. causa*, 22 *aug.* 1750, § 4.

[125] Nempe, ut Episcopus referat rationum momenta, et causas, propter quas usque modo debita executioni demandatæ non fuerint resolutiones, et provisiones alias in eadem S. C. captæ : *Regist. lit.* lib. 30 *die* 22 *aug.* 1750.

Archangeli ejusdem oppidi separari postularunt, et impetrare non potuerunt, et ad mentem : *Lancianen.*, *Dismembrat.*, 18 *nov.* 1747.

53. Excussum fuit, an constet de validitate erectionis ecclesiæ S. Mariæ Gratiarum in parochialem seu perpetuam vicariam ab Episcopo Policastrensi ob vias abruptas, interpositionem fluminis, et distantiam a civitate Rivelli, petentibus vici seu casalis *del Bosco* incolis, factam? responsum fuit, ut scriberetur Episcopo pro informatione, et voto : *Policastren.*, *Matricit.*, 23 *novem.* 1748, *dub.* 3.

54. Ingiascha pagus est Novariensis diœceseos in edito situs monte; nullus in eo parochus, nulla parochialis ecclesia, in qua sacramenta ministrentur; nam subjacent parocho oppidi Cusanei, a quo mille passuum distat via undequaque terribilis, et aspera. Capitibus 400 constat pagus, cujus homines, ut ecclesia S. Petri in novam erigeretur parochiam, et a parochiali ecclesia Cusonei sejungeretur, postularunt; sed nihil impetrarunt aliud, quam ut Episcopus mandaret provideri juxta modum [126] : *Novarien.*, *Dismembrat.*, 17 *maii* 1749.

55. Universitas vici Luviniì, quæ ad præpositum et canonicos collegiatæ ecclesiæ S. Laurentii oppidi Cuvii pertineret, ab ecclesia hac collegiata petiit separationem ab Episcopo, et præstito a præposito canonicisque Cuvii consensu obtinuit sub certis pactis, et conditionibus. Universitate conditiones agnoscere nolente, liberamque exoptante dismembrationem, recursum fuit ad S. C. quæ dismembrationem adprobavit : *Comen.*, *Dismembrat.*, 5 *dec.* 1750, confirmata 13 *martii* 1751.

56. Episcopi Nolani parochiam in novo pago casalis de Bosco Regali ob rerum augustias constituere non valentes, animarum populi succrescentis curam viciniori Cœlestini ordinis parocho turris Annuntiatæ, a qua pagus ille tribus passuum millibus distabat, commendarunt. Adaucto in dies accolarum numero ultra infinitas pene casas et mapalia huc illuc dispersa, alii quatuor pagi a collecta multitudine fuerunt ædificati. Distant hi pagi a parochiali ecclesia alii tribus, alii quatuor, alii quinque millibus passuum. Quamvis Cœlestini patres unum ex patribus conventualibus in ecclesia S. Francisci in altero ex iisdem quinque pagis cita, œconomum retineant, non potest tamen his omnibus populorum ad duo millia adscendentium capita necessitatibus occurrere. Novam itaque parochiam in pago de Bosco Regali erigere supplicatum est. Verum nulla prodiit propositi de veteris parochiæ dismembratione dubii definitio; sed demandatum est, ut coadjuvarentur probationes juxta instructionem [127], et ut scriberetur Episcopo juxta mentem [128] : *Nolana*, *Paroch.*, 3 *febr.* 1753. Episcopus aut duos constitui œconomos, aut novam erigi parochiam, censebat; referebatque, quod princeps Striani pagi dominus ad 120 ducatos auxisse congruam, ut novus parochus etiam œconomum retinere posset. Sed neque hic ulla prodiit definitio; quum ut scriberetur Episcopo juxta instructionem [129] injunctum fuerit : 1 *martii* 1755. Lis hæc Striani principem inter et PP. Cœlestinos fuit transactione sopita quæ nunc probanda proponitur. Sed rem turbat præses Hyacinthus Ursinus ampla ibi possidens prædia, qui suspensa transactionis probatione, postulat, ut novæ parochiæ erectio fiat in ecclesia de Massaria, cui ille præficit capellanum. Congruo itaque proposito dubio definitum fuit non esse locum probationi alterius prætensæ concordiæ in favorem principis Striani : *Nolana*, *Paroch.*, 17 *julii* 1756. Contendit Ursinus locum adhuc esse posse erectioni alterius parochiæ in suo lati-

[126] Modus est, ut congrua capellano curato assignetur a parocho Cusanei in quantitate ab Episcopo statuenda, quodque per eumdem capellanum expleantur omnes functiones parochiales, et administrentur omnia sacramenta excepto matrimonio, et communione tempore paschali : *Lib.* 99. *Decret.* pag. 208.

[127] Quatuor sunt instructionis capita. 1. Ut, citatis omnibus interesse habentibus, elevaretur planta judicialis cum descriptione confinium, ac respective distantiæ inter se omnium ecclesiarum intra limites parochiæ existentium. 2. Ut fieret computum omnium redituum parochiæ, demptis emolumentis stolæ, contributionibus confraternitatum, aliisque incertis, de quibus fieret calculus separatus per decennium. 3. Ut firmaretur status animarum existentium tam in terra sanctissimæ Annuntiationis, quam in territorio de Bosco Regali, et quoad incolas hujus latifundii exquiratur, an major, et sanior pars instet pro erectione novæ parochiæ. 4. Ut transmitteretur minuta concordiæ super concessione ecclesiæ sub titulo S. Mariæ Montis Virginis, quæ asseritur facta in favorem principis Striani a patronis : *Ead. causa*, 25 *januar.* 1755.

[128] Et mens Episcopo Nolano fuit explicata, ut nempe distincte referret statum ecclesiarum de *Bosco Regali* existentium, ac votum suum aperiret super petita dismembratione, et necessaria quantitate congruæ assignandæ sive pro alio remedio temporis, et loci circumstantiis opportune adhibendo : *Ead. causa*, 23 *jan.* 1755.

[129] Instructio hæc fuit : 1. Ut notificetur Episcopo, quod quatenus S. C. in eam devenerit sententiam pro erectione novæ parochiæ non permittet, ut locus propinquus parochiæ Annuntiatæ evadat de nova parochia. 2. Ut in casu erectionis novæ parochiæ, si ita sentiet S. C., ante illius erectionem vult sibi constare de ecclesia non commodata, sed propria, et libera ad parochum spectante, ac de assignamento statuto pro manutentione populi. 3. Sub oculis videre cupit S. C., quibus terminis et verbis demandata fuerit monacis Cœlestinis, sive parocho Annuntiatæ cura novorum incolarum loci de *Bosco Regali* nuncupati. 4. Demum S. C. scire exoptat, an domus separatæ, et dispertitæ in dicto loco *Bosco Regali* æqualiter distarent a nova parochia forsan erigenda, pro ut modo distant a parochia Annuntiata : *Regist. lit.*, lib. 31, *die* 1 *mart.* 1755.

fundio de Flocco; sed nulla data conclusione, demandatum fuit, ut scriberetur Episcopo juxta instructionem [130] : 18 *sept.* 1756. Tandem affirmative, et ad mentem exiit resolutio : 12 *febr.* 1757.

57. Ecclesia S. Mariæ de Monte Carmelo in casale Ricinischi Atinæ territorii sita, in parochialem præfatæ urbis Atinæ filialem erigi debet cum vicarii perpetui deputatione. Fuerat ecclesia hæc ob auctum populi numerum in casale Ricinischi extructa, quum nimis ei esset incommodum a parochiam Gallinarii, vel Atinæ accedere; fuitque communibus incolarum impensis in ea parte casalis, quæ est in territorio Atinæ extructa : *Sorana, Jur. paroch.*, 17 *novem.* 1753, confirmata 20 *julii* 1754.

58. Ita S. C. concessit curatis terræ Gallinarii posse in eadem parte ejusdem casalis novam ecclesiam erigere in parochialem filialem dictæ terræ; etiamsi hoc ædificium ex parochorum æmulatione factum fuisset : *Ibid., dub.* 4, confirmata *ibid.*

59. Sodales S. Mariæ Misericordiæ exemplo permoti agricolarum de Corva, qui ob distantiam a parochiali et collegiata ecclesia S. Elpidii, dismembrationem obtinuerant, postularunt, ut similis curata vicaria erigeretur. Episcopus, cujus arbitrio remissa facultas fuit, novam ecclesiam sub SS. Angelorum custodum invocatione cum domo parochiali sumptibus sodalium erigi jussit; illicque omnes incolas assignavit in regione S. Mariæ Magdalenæ et Arellæ, omnesque alios existentes inter flumen Cluentum et Etham, eos ab memorata parochiali S. Elpidii dismembrando, et matricitatis ei jus reservando. Archipresbyter, et canonici dismembratæ ecclesiæ consilium mutantes, erectionem improbarunt; consuluerunt S. C., et succubuerunt : *Firmana, Dismembrat.*, 15 *dec.* 1759, *dub.* 1.

60. Communitates Paroni, et Locarni, quæ sitæ sunt in ambitu montium vallis Siccidæ ab uno reguntur parocho seu vicario curato, qui omnia in ecclesia S. Petri explet parochialia munera. Homines Locarni numerum implentes 240 animarum, et distinctam constituentes universitatem, ob distantiam viæ, et difficultatem itineris precati sunt pro dismembratione ecclesiæ S. Dionysii a prædicta parochiali, et post plures dilationes obtinuerunt sejungi parochiam peculiaribus spectatis circumstantiis : *Novarien., Divis. seu dismembrat.*, 20 *sept.* 1760, *dub.* 1.

61. Vi inundationum fluminis Rheni parochiali ecclesia in pago Steinenstatt eversa, suos nihilominus retinuit fines; sed quamvis capellam sive ecclesiam parvam admodum vilemque reædificasset populus, proprio caruit parocho ; animarumque curam vicarius curatus parochialis ecclesiæ oppidi Schliengen, quæ est magno Alemaniæ ordinis Hierosolymitani prioratui subjective unita, exercuit. Incolæ Steinenstatt exponunt, quod via a suo pago ad ecclesiam Schliengensem sit duorum triumve milliariorum longa, et ita difficilis et ardua, ut infantes nonnulli sine baptismo, adulti sine sacramentis obierint; indulgendam propterea postulant dismembrationem; aut saltem petunt constitui capellanum perpetuo in pago Steinenstatt residentem. S. C. parochiæ disjunctionem denegavit, deputari vero præcepit capellanum sumptibus magni prioris ex decimis parochialibus Steinenstatt, et ut in reliquo subsidio a communitate suppleretur : *Constantien.*, 27 *junii* 1761, *dub.* 1 et 2.

62. Villa Vallechii, quam sex familiæ rusticorum incolunt, duobus milliariis distat ab ecclesia sua parochiali S. Felicis de Arboreto, ad quam ob semitas impervias ac dirutas, ob rupes, et duorum torrentium, qui eas intersecant, cursus parochiæ incolæ hyberno præsertim tempore accedere nequeunt. Hinc prævia dismembratione, novam erigi rogavit parochiam in ecclesia S. Blasii, et obtinuit juxta votum Card. Episcopi [131], servatis conditionibus [132] in utroque parochi consensu expressis facto verbo cum Sanctissimo : *Ariminen, Dismembrat.*, 26 *martii* 1763, *dub.* 1 et 2.

63. Incolæ fontis Voracis inter prægelida æterna nive Apennini juga positi, et a parochiali ecclesia Casanovæ plurimum distantes et fragili, licet duplici trabe contexto, ponte separati, dismembrationem postularunt a veteri parochia, et erectionem alterius fontis Voracis, ubi princeps ab Auria pagorum dominus, domum pro capellano ædificaverat;

[130] Ut S. C. instructam reddat, 1. An expediret petita erectio alterius parochiæ in latifundio, de quo agitur. 2. An capella del Flocco, in qua erigi petitur sit capax omnium parochiæ incolarum. 3. Quot annui reditus assignari debeant pro parocho, et quæ annua summa sit necessaria pro manutentione ecclesiæ. 4. An adsit domus parochialis prope ecclesiam, in qua parochus residere possit, vel eadem construi possit. 5. Quæ confinia eidem parochiæ sint assignanda : *Regist. lit.*, lib. 31, *die* 18 *sept.* 1756.

[131] Qui annuit narratorum veritatem confirmans, quum fuerit testis occulatus ocasione pastoralis visitationis, accedens ad eamdem villam humeris hominum delatus propter viarum asperitatem : *Ead. causa*, 26 *martii* 1763, § 3.

[132] Qui cedit jura, oneraque curæ super habitores villæ, ac emolumentorum funerum, sive incertorum emolumentorum funerum, sibi tamen reservato jure baptizandi pueros novæ parochiæ, et interveniendi cum suo capellano, privative, quoad alios presbyteros in omnibus illius functionibus, dignioremque locum occupandi post novum parochum, ac dummodo non minuantur reditus suæ parochiæ, nec sibi onus augeatur : *Ead. causa*, 26 *martii* 1763, § 4.

sed frustra supplicarunt : *Derthonen.*, *Dismembrat.*, 2 *junii* 1764, *dub.* 1.

64. Anno 1500 ex oppidis Culma, Cisara, Oyda, Brunio, et Nunio, quæ erant sub una parochia oppidi Eumeniæ, nova in postremo oppido in ecclesia S. Blasii parochia erecta fuit. Anno autem 1607 Cisara, et Culma, suam peculiarem constituerunt parochiam relicto Nunio, et relictis Brolio et Oyda. Modo communitas Brolii suam sibi parochiam contendit erigi ad vitanda sui adaucti populi incommoda, et detrimenta, quæ ob longas, et asperas vias identidem patiebatur. Opposuit sese populus Nunii, etiamsi inita hac de re concordia fuerit. S. C. tamen dismembrationem seu separationem ab ecclesia parochiali Nunii admittendam esse, et novam in castro Brolii erigendam censuit : *Novarien.*, 14 *decem.* 1765, *dub.* 2, confirmata juxta mentem [133] : 22 *martii* 1766 *et* 9 *aug. ejusdem anni.*

65. Locus non est dismembrationi ecclesiæ parochialis terræ Alpisplanæ, et erectioni parochiæ in villa Vici superioris ; quem ex Episcopi testimonio duobus milliariis haud esse distantem, comprobatur ; elucidaturque nullo viam intersecari torrente, nulla adesse impedimenta, et omne abesse periculum, et incommodum ; et si aliquis sine sacramentis decesserit, id consanguineorum negligentiæ adscribendum esse, asserebatur : *Derthonen.*, *Dismembrat.*, 11 *januar.* 1766, *dub.* 1.

66. In toto prope Pisaurum agro, qui latissime per duodeviginti fere millia passuum circuit, unica tantum adest parochialis ecclesia. Coloni ob viarum incommoditate, et ob intermedios montes inaccessos, ecclesiam S. Mariæ de Imperiali, cui præest capellanus curatus in novam, veramque parochiam erigi postularunt, et non suntassequuti : *Pisauren.*, 10 *maii* 1766.

67. Neque capellani curati deputationi, neque erectioni novæ parochiæ in oratorio Gragnæ, et respective ab ecclesia parochiali Magliani locum esse statutum fuit : etiamsi fuerat expositum, Gragna et Pontetium oppida inter se vicina, a parochia Magliani, ad quam pertinent, per duo ferre millia passuum distare. *Lunen.*, *Sarzanen.*, *Dismembrat.*, 20 *sept.* 1766, *dub.* 1. Sed quædam a S. C. provisio capta fuit, dum agendo de congrua novo parocho seu capellano curato assignanda, rescripserit ad mentem [134] : *Ibid.*, *dub.* 2.

68. Episcopus Adriensis oratorium S. Mariæ de Traghetto, in quo prius vicarius aderat curatus in subsidium parochialis ultra Padum flumen sitæ assignatus in veram erexit parochiam ; servata tamen ecclesia Ariani matricitate, ac servatis archipresbytero terræ Ariani, dum spirare poterit, omnibus emolumentis, quæ ab ecclesia S. Mariæ percipere consueverat. Hujusmodi dismembrationem ægre tulerunt archipresbyter idem, et comes Giliolius, et populus Seravallis. Contendunt Seravallenses urgentiorem adesse rationem erigendi in parochiam oratorium villæ Seravallis, quam illud S. Mariæ, quum longius distet ab ecclesia Arianensi matre, et frequentior sit ibi populus ; et cogi denique non debere aiunt, ut novæ parochiæ uniantur. Examinato itaque dubio super dismembratione ab Episcopo facta, resolutum fuit, illam sustineri non posse : *Adrien.*, *Paroch.*, 22 *januar.* 1774.

69. S. C. definivit, non esse locum dismembrationi parochialis ecclesiæ oppidi fori Saraceni, et aliarum quatuor parochialium pagorum Montis Castelli, Montis Saxi, Columnatæ, et Rodognani a parochiali ac plebania ecclesia loci S. Damiani, aerumque union, prædictæ ecclesiæ fori Saraceni. Hujus enim ecclesiæ prior onera subjectionis, reverentiæ, atque præeminentiæ præfatæ plebaniæ præstare recusabat ; ex quo controversiæ plurimæ impendebant. Qua de causa suæ ecclesiæ erectionem in plebanatum postulavit : *Sarsinaten.*, *Erect. plebanatus*, 5 *sept.* 1778, *dub.* 2.

70. Dismembrationem parochialis ecclesiæ S. Nicolai villæ Mensæ, ac respective erectionem ecclesiæ B. M. Virginis Angelorum terræ Canutii in novam parochiam denegavit S. C. ; quamvis quatuor circiter milliariis distantia adesset, et via a flumine Savo interclusa accessum hyemali tempore ad parochiam præpediret. Aliæ tamen aderant breviores atque tutiores viæ, quæ non sunt publicæ, sed sunt privatæ, et domini arbitrio claudi possunt : *Ravennaten.*, *Dismembrat.*, 5 *apr.* 1783, *dub.* 1.

71. Duæ parochiæ, et septem incolarum millia existebant in civitate Frusinonis, Episcopus Verulanus tertiam in ecclesia SS. Annuntiationis, in commodiori urbis loco sita curavit erigi ; quum antiquitus sex extitissent parochiales bellorum causa postea vastatæ. Petitioni consensere capitulum S. Mariæ curam habitualem habens, et parochus S. Benedicti. Verum S. C. petitis juxta votum Episcopi [135] annuendo, voluit insuper, ut re-

[133] Nempe esse locum separationi facta obligatione in forma juris valida præstandi congruam novo parocho, firma remanente annua præstatione ecclesiæ S. Ambrosii Eumeniæ, necnon cum solo onere solvendi parochiæ Nunii loco antiquæ præstationis, pro una vice lib. imperiales 1300 pro scilicet 200 pro ecclesia, etreliquas, fundo ejusdem parochiæ : *Ead. causa*, 22 *martii* 1766.

[134] Vide not. 174. tom. I, verb. *Applicatio*, § I.

[135] Episcopus enim Verulanus animadvertens duas tantum parochias non sufficere ad populi multitudinem de altera parochia erigenda cogitavit in ecclesia Sanctissimæ Annuntiationis. Ut congrua constituatur novo parocho petiit uniendi facultatem duo beneficia, ita tamen ; ut unio sortiatur effectum tunc cum illorum vacatio contigerit.

portaretur consensus ejusdem capituli per actum capitularem : *Verulana., Erect. paroch.*, 22 *maii* 1784.

72. Habitatores antiqui Serviliani, qui ad novum oppidum a Clemente XIV conditum migrare noluerunt, parochi auxilio destituti, ob distantiam quatuor milliarium, et itineris asperitatem pro alterius (quum antiqua illuc fuisset translata) parochiæ in ecclesia B. Virginis de Plagis erectione precantur; et una cum Archiepiscopo suggerunt, ut parocho applicetur capellania a Madricardo Mancini erecta, ita tamen ut onus Missarum redigeretur. Verum S. C. precibus eorum annuit juxta votum Archiepiscopi [136] dempta tamen suspensione Missarum legati Mancini; et ad secretarium cum Sanctissimo juxta mentem : *Firmana., Erect. paroch.*, 15 *martii* 1783.

73. An. 1739 petita fuit a populo Terracinensi redintegratio parochiæ in ecclesia S. Joannis, et pariter redintegratio S. Mariæ in Posterula; sed denegata fuit utraque : provisum vero fuit per deputationem alterius coadjutoris. Adaucto magis populo, Episcopus, nec duos coadjutores ad animarum necessitatibus occurrendum satis esse putans, parochiæ dismembrationem proposuit, et alterius erectionem in ecclesia S. Joannis in collegiatam insignem nuper erecta, seu potius deputationem aliorum duorum vice curatorum in ecclesia cathedrali ad effectum dumtaxat exercendi curam animarum. Sed S. C. stetit pro erectione novæ parochiæ in loco designando, et ad Card. Carraram secretarii officio functum cum facultatibus S. C. : *Terracinen., Dismembr. et Erect.*, 30 *julii* 1785, *dub.* 1.

74. Præfata parochia erecta, postulatum fuit, quinam essent novæ parochiæ assignandi confines ? et responsio fuit eadem, ad Card. nempe Carraram cum facultatibus S. C. : *Ibid., dub.* 2.

75. Incolæ villæ S. Mariæ Camerani 300, a parochiali ecclesia S. Andreæ de Podio per flumen Rubiconem dividuntur. Alio hinc a villa ad parochiam, a parochiali ad villam non patet accessus, quam quinto per dissitum pontem emenso lapide; ideo absque sacramentis brumali præsertim tempore moriuntur; et vivi a parochialibus arcentur functionibus. Qua de re populus Camerensis supplicavit pro novæ parochiæ in ecclesia B. M. Virgini dicata erectione. Rector beneficii ibi existentis renuit ob timorem illud amittendi. Sed S. C. respondit, audiendos esse Datariæ ministros : *Ariminen., Erect. paroch.*, 8 *august.* 1789, *dub.* 1. Ad lances iterum reducta causa, decisum est, locum esse erectioni novæ parochiæ ex nunc pro tunc, reservato tantum in favorem parochi Podii jure subministrandi olea sancta : 18 *septem.* 1790.

76. Et quum iidem incolæ percontatum misissent, quomodonam esset in his circumstantiis providendum, responsum habuerunt : Dilata, et *additum* est, ut scriberetur Episcopo juxta instructionem [137] : *Ibid., dub.* 2. Deinde sancitum est, provideri interim constitutione capellani curati a beneficiato eligendi, et ab Episcopo approbandi, assignata eidem congrua inter Episcopum, et beneficiatum concordanda; et ad secretarium cum Sanctissimo : *Ibid., dub.* 2.

77. Placuit S. C. definire, locum non esse dismembrationi parochialis ecclesiæ S. Nicolai terræ Canthiani, et respective erectioni ecclesiæ S. Anastasiæ villæ Clasernæ in novam parochialem, licet Clasernates distantiam, et itineris incommoda ostentarent : *Eugubina, Dismembrat.*, 31 *julii* 1790, *dub.* 1 et 2.

78. Duas parochias erigendas esse declaravit Maria Melchiorri fiduciaria ex hæreditate Tiberii Cruciani ejus viri in agro Recinetensi. At duabus hisce parochiis addendam optarunt tertiam Recinetenses agricolæ districtus parochiæ montis Murelli ob nimis dispersos in agris homines, et ob redundantes reditus hæreditatis prædictæ Cruciani; qua de causa S. C. esse locum erectioni tertiæ parochiæ decernit juxta consensum Turri Melchiorri patroni priorum duarum parochiarum, et parochi montis Murelli excepto, tamen prætenso signo ho-

Suam præterea exposuit Episcopus mentem, ut scilicet, statim ac sequuta fuerit vacatio unius ex hisce beneficiis devenire ipse possit ad actum erectionis parochiæ cum assignatione mille et quinquagentarum animarum existentium in ea civitatis parte, quæ denominatur *il borgo di Napoli ed il colle Camgiorni*, quæque subsunt parocho S. Mariæ. Post vacationem vero alterius beneficii adjiciendas novæ parochiæ censet alias mille et quingentas animas, quæ incolunt regiones nuncupatas *il borgo di Roma, di S. Martino, e Giardino de Pesci*; præter parochum in nova parochia constituendos existimat capellanos curatos ad nutum Episcopi amovibiles, qui teneantur adjuvare parochum in sacramentorum administratione, eisque congruam assignare desiderat ex reditibus beneficiorum postquam fuerint unita : *Ead. causa*, 8 *maii* 1784, § 1, *seqq.*

[136] Vide not. 274, tom. I, verb. *Capellania*, § II.

[137] Ut nempe referret super novis Cameranensium precibus « Auditis præsertim parochis Podii Hibernorum, Ciolæ Cornialis, et Sanctissimi Salvatoris super divisione animarum inter binas ultimas parœcias, » nec non S. C. instructam redderet de earumdem proximitate, et commodo incolarum, de modo repartiendi, et de annuo emolumento, quod rector beneficii capellano subministrant : *Ead. causa*, 29 *aug.* 1798, § 1.

norifico, cujus loco habeatur rata pars patronatus: *Recineten.*, *Erect. poroch.*, 26 *sept.* 1795.

79. In parochia castri S. Petri duæ Appojani nomine sunt villæ animarum 100, et duplici, et ultra lapide per asperum iter distant ab ecclesia parochiali; hinc illarum incolæ supplicarunt pro erectione novæ parochiæ, vel institutionem capellani curati in oratorio Appojani S. Athanasii cum attributione decimarum, et unione vacantis beneficii S. Athanasii. Sed S. C. distulit resolutionem, scribi Episcopo juxta mentem [138] mandavit : *Asculana*, *Erect. paroch.*, 19 *decem.* 1795, *dub.* 1 et 2. Deinde decrevit non esse locum erectioni novæ parochiæ, sed institutioni capellani curati residentis : 26 *novem.* 1796, *dub.* 1.

80. Et ei congrua constituenda est facta obligatione a communitate juxta votum Card. Episcopi [139] : *Ibid.*, *dub.* 2.

§ V.

Ecclesia parochialis quoad redintegrationem et subrogationem.

Adeo angusta erat antiqua parochialis ecclesia terræ Podii Mirteti abbatiæ Farfensis, ut populum satis frequentem capere non valeret. Hinc existimatum fuit, ut nova, prævia Sacræ Congr. boni regiminis licentia, amplioris formæ a communitate ædificaretur ecclesia. Constructa ecclesia, nonnullæ factæ sunt controversiæ inter parochum, et communitatem. Sed per capitula quædam auctoritate abbatis commendatarii inter partes concordata, sopitæ fuerunt. Querebatur parochus, quod in nova ecclesia et domus et cubicula pro sua habitatione deficiebant. Communitas vero contendebat, quod si adesset necessitas, ad parochum domus ædificatio pertineret. Sed urgebat magis, quod nec prope veterem ecclesiam ulla aderat domus. Diu mansit irresoluta causa. Sed quum partes ad nova interea capitula devenissent, exquisitum fuit, num esset subrogationi ecclesiæ præfatæ locus, et capitula ad ejusmodi effectum inter sese concordata adprobanda sint? S. C. pro adprobatione, renovato legitimo communitatis consensu respondit : *Nullius*, *seu Farfen.*, *Subrogat. ecclesiæ et adprobat. capit.*, 12 *julii* 1721.

§ VI.

Ecclesia parochialis quoad translationem.

1. Id S. C. disceptatum est, an sustineretur translatio ecclesiarum parochialium S. Luciæ, et S. Mariæ de Portu ab Episcopo facta ad aliam ecclesiam, ut commodius populo prospectum esset? Sed S. C. non sustineri respondit : *Amerina*, *Transit. paroch.*, 17 *august.* 1697, *dub.* 1.

2. Incolæ fere omnes angustissimi oppidi in summitate excelsi montis Roccæ Sparvieræ siti, sese sponte transtulerunt habitatum in alio loco denominato Durano tribus passuum millibus ab oppido distante. Est enim is longe commodior vetusto, aerisque salubrioris etiam dotatus. Molam ibi, et furnum sibi construxerunt, et postea parochialem illuc transferre curarunt, et translationi locum revera esse S. C. sancivit : *Nicien.*, *Translat. paroch.*, 12 *decem.* 1705.

3. Abbas monasterii S. Petri Congregationis Olivetanæ terræ Trebii postularunt, ut ecclesia parochialis S. Philippi in montana ac aspera regione villæ Costarum Trebii sita, et ad monasterium pertinens, ob nimiam parochiæ incolarum distantiam, et difficultatem itineris ad aliam ecclesiam S. Mariæ de Carmine intra eamdem terram existentem, transferri posset, sed voti compos fieri non valuit : *Spoletana*, *Translat. paroch.*, 13 *martii* 1706.

4. Castrum Guardeæ in vertice montis altissimi positum omnes pene habitatores deseruerunt, novasque mansiones ad radices montis pro commoditate agrorum proximæ planitiei constituerunt. Una superest ecclesia parochialis SS. Petri et Cæsarei cum parocho, quæ ob montis incommoditatem ne festis quidem diebus frequentatur. Postulatur itaque translatio parochiæ ad ecclesiam S. Egidii montis radicibus parum distantem, vel ad novam, si populus velit, ædificandam. S. C. respondit translationem concedendam esse ad novam ecclesiam ædificandam, et ut interim per modum provisionis omnia munia parochialia in ecclesia S. Egidii exerceantur : *Amerina*, *Transl. paroch.*, 8 *maii* 1706.

5. Animarum cura, et sacramentorum administratio, quæ in ecclesia parochiali S. Jacobi castri Plani exercebatur, translata fuit ad ecclesiam S. Se-

[138] Ut nempe referret de necessitate novæ parochiæ, parochi, seu vicarii, aut capellani curati continuo residentis in villa Appojani : de congrua eidem assignanda, et de jure matricitatis in specie reservandæ in favorem parochi S. Petri : *Ead. causa*, 26 *nov.* 1796, § 1.

[139] Qui putat assignanda esse scut. 15 ex fructibus ad ecclesiam matricem quomodocumque pertinentibus, ex scut. 30, quæ Appojani illi ecclesiæ solvunt, et uniantur scut. 14 beneficii S. Athanasii, et ob id augeri potest præstatio illa, ad quam solvendam incolæ esse obstringere parati sunt : *Ead. causa*, 26 *nov.* 1796, § 1.

bastiani ad communitatem hujus loci pertinentem. Ob dissensiones inter communitatem ipsam, et parochum ecclesiæ S. Sebastiani ortas, communitas petiit remotionem parochiæ. S. C. decrevit Episcopum non teneri removere parochiam ab ecclesia S. Sebastiani communitatis patronali, illamque ad antiquam S. Jacobi reportare : *Æsina, Translat. eccles. paroch.*, 7 *decem.* 1709, *dub.* 1.

6. Presbyteri congregationis Oratorii civitatis Mantuæ postquam contenderint sibi concedi parochialem ecclesiam SS. Simonis et Judæ, exoraruntetiam suppressionem parochialitatis, et respective translationem ejusdem ad ecclesiam parochialem S. Ambrosii, vel ad aliam benevisam ejusdem urbis. Sed audita Mantuani Episcopi defuncti informatione, visum S. C. est respondere, ut audiretur novus Episcopus juxta instructionem [140] : *Mantuana, Concess. eccles.*, 17 *junii* 1719, *dub.* 2.

7. Homines utriusque villæ, illius nempe quæ in cacumine montis sita est, alterius quæ jacet in planitie, sub una eademque parochia degunt. Episcopus parochialem ecclesiam S. Mariæ Magdalenæ transtulit in oratorium S. Francisco dicatum, imposito eidem titulo S. Magdalenæ, et voluit pro veteri parochiali ecclesia haberi. Homines arcis Ferrariæ villæ superioris reparationi veteris ecclesiæ faciendæ parati, translationem ab Episcopo factam impugnarunt, et revocandam illam esse vicerunt; sed additum resolutioni fuit, ut Episcopus curaret ut exequutioni mandaretur oblatio augmenti scutorum 10 annuorum ab hominibus villæ superioris factæ : *Parmen., Translat. paroch.*, 2 *decem.* 1719.

8. Pater provincialis ordinis S. Dominici exposuit, quod animarum cura existens in ecclesia monasterii monialium Corporis Christi civitatis Januæ suo ordini subjectarum non modicum præjudicium regulari prædictarum monialium disciplinæ, et virginum sacrarum pudori afferebat, ac propterea ad aliam ecclesiam transferendam esse censebat. Sed nec sacerdos curatus, nec parochiæ incolæ consensum translationi præstabant. Negativum hinc habuit responsum : *Januen.*, *Translat. paroch.*, 29 *januarii* 1724.

9. Ad dirimendas omnes controversias inter communitatem oppidi S. Clementis, quæ prætendit habere juspatronatus ecclesiæ S. Agathæ, et parochum S. Clementis, intra cujus parochiæ fines est ecclesia S. Agathæ, exortas, proposita fuit translatio parochialis ecclesiæ S. Clementis ad ecclesiam S. Agathæ, prout visitatores censuerunt, et Card. Ordinarius approbaverat. S. C. rem remisit ad Card. Ordinarium juxta mentem : *Ariminen., Jur. paroch.*, 6 *julii* 1726, *dub.* 1.

10. Quum parochialis ecclesia S. Martini in loco nuncupato Conzexil sita prolaberetur in ruinam, fuit in commodiorem locum de Postigo e Malgarrida translata. Hanc translationem recte factam S. C. putavit : *Burgen., Translat. eccles. paroch. et tituli*, 14 *novem.* 1733, *dub.* 1, confirmata 9 *januar.* 1734.

11. In lustranda diœcesi Archiepiscopus comperiit, quod spirituali animarum curæ eorum qui in villa Colbuccaro habent domicilium, non satis consultum esset, eo quod ab ecclesia parochiali milliariis distet, interjaceatque inter villam, et parochiam, flumen Flastra. Translationem hinc fecit tituli parochialis ab ecclesia SS. Laurentii et Hilarii ad ecclesiam SS. Philippi, et Jacobi villæ Colbuccari dismembrationem familiarum trans Flastram existentium. Translationem hanc ab Episcopo factam a plebania S. Donati, et eorum aggregationem ad dictam novam parochiam Colbuccari cum omnibus juribus parochialibus minime sustineri S. C. censuit, sed definivit esse locum sanationi facto verbo cum Sanctissimo : *Firmana, Translat. paroch.*, 27 *febr.* 1734, *dub.* 1.

12. Neque locum esse aggregationi aliquot familiarum, quæ olim spectabant ad dictam suppressam parochiam SS. Laurentii et Hilarii, factam ad præfatam plebaniam S. Donati cum decimandi et omni alio parochiali jure; sed aggregandas eas esse ad parochiam S. Petri statuit : *Ibid., dub.* 2.

13. In plebania Canobii adest parochia S. Bartholomæi in alto montis fastigii silvis obsito sita. Incolæ trium pagorum ad montis radices oratorium ædificarunt B. M. V. dicatum una cum parochiali domo, quod in parochialem inde ecclesiam erectum fuit. Alii trium pagorum incolæ, a quibus aliquanto longius nova parochialis ecclesia distabat, reclamarunt. Verum Archiepiscopus visa loci situatione, et juris, et exercitii parochialis translationem decreto firmavit, et S. C. etiam censuit sustineri, et servandam esse provisionem per Archiepiscopum demandatam die 18 aug. 1822 [141] : *Mediolanen., Translat. paroch.*, 3 *april.* 1734.

[140] Vide not. 15.

[141] Nam Card. Archiepiscopus cum alio decreto translationem confirmaverat, ut querimonias habitantium in villis *Marchille*, *Rondonico*, et *Formeno* consideret, indulsit, ut parochus die 1 maii usque ad diem 15 sept. anni (quo scilicet tempore pastores armentorum degere in superiore parte montis solent) diebus festis per vices se conferret ad sacrificium Missæ faciendum in veteri parochiali ecclesia S. Bartholomæi; atque ita per decem annos servatum fuit : *Ead. causa*, 3 *april.* 1734, § 2.

14. In diœcesi Tiferni Tiberini duæ existunt parochiales ecclesiæ, S. nempe Faustini, et S. Blasii de Balneolo per tria circiter millia passuum inter se distantes. Distinctum quælibet habet populum, et separatum territorium; utraque tamen regitur ab uno parocho, qui quum resideat in commodiori ecclesiæ S. Faustini domo, tenetur alternatim accedere ad aliam ecclesiam parochialem S. Blasii ad sacra ibi peragenda. Marchio Nicolaus Galeotti in latifundio montis S. Valentini nuncupato intra fines utriusque parochiæ satis commodam et latam ædificavit ecclesiam. Rector preces exhibuit pro translatione ruinosæ parochiæ S. Blasii ad hanc novam ecclesiam; et translatio Episcopi arbitrio remissa fuit; et iterum proposita parochiæ incolarum nomine causa, Episcopo, qui procedat ad ulteriora juxta rescriptum responsum fuit. Proposita tertio causa, fatentibus parochiæ incolis fatiscentem minime esse iter S. C. rescripsit: Dilata, ut scribatur Episcopo juxta instructionem [142]: *Civitatis Castelli, Translat.* 9 *febr.* 1760. Eadem demum proposita causa, recessum fuit a decisis, translationem non sustineri, provisumque etiam fuit, ut Episcopus provideret restaurationi ecclesiæ S. Blasii, prout de jure et contra quos de jure: 13 *martii* 1762.

15. Soragii locus quinque pagis constat, qui inter se vel 300 vel 1000 vel bis mille circiter passibus distant. In Pago Arce semper fuit parochialis omnium incolarum ecclesia. Incolæ aliorum pagorum fatiscentem ecclesiam reparatione indigere asserentes, obtinuerunt parochialem ecclesiam una cum juribus, et sacris ad commodiorem recenter constructam ecclesiam in villa Pago transferri. De hac translatione conquerentibus incolis veteris ecclesiæ Arcis, qui auditi antea non fuerunt, disputatum fuit, utrum sustineretur translatio parochialis ad novam villæ ecclesiam, vel potius esset ad antiquam Arcis ecclesiam restitutioni locus? Rem primo non definivit S. C., sed jussit, ut interim deputaretur vicarius pro ecclesia Arcis, et in reliquis ad Card. præfectum ad mentem [143]: *Lunen. Sarzanen.*, 14 *april.* 1764, *dub.* 1. Causa reproducta nullitatem translationis S. C. decrevit, et ad antiquam arcis ecclesiam restitutioni locum esse mandavit: 14 *martii* 1767.

16. Antonius Paravicinus archipresbyter loci de Berbenno petiit, ut transferrentur jura omnia matricitatis, et plebaniæ ecclesiæ SS. Apostolorum Petri et Pauli, quæ habet tam dignitatis, quam honoris, et reverentiæ ab aliis illius vicinitatis ecclesiis, et earum curatis debitæ cum illorum accessu certis anni diebus, ad ecclesiam S. Mariæ loci ejusdem de Berbenno antiquam matrem, et plebanam; et non irrito conatu petiit: *Comen., Translat.* 19 *julii* 1766.

17. Sacerdos Franciscus Discretius parochus ecclesiæ S. Mariæ de Puteo positæ in oppido montis S. Martini Firmanæ diœceseos postulavit, ejus collabentem et deformem parochialem ecclesiam transferendam esse ad ecclesiam S. Joannis ejusdem oppidi in solo Lateranensi fundatam. Sed S. C. ejus voto refragando, dixit ad secretarium juxta mentem [144]: *Firmana, Translat., et unionis,* 17 *julii* 1779.

18. Ad gravia removenda damna, quæ ob viæ brumalis difficultatem solent populo distanti obvenire, archypresbyter translationem S. Laurentii ad oratorium S. Mariæ de Platea situm intra oppidum Theodorani, et parum ab ædibus parochialibus distans proposuit. Testatus est etiam sibi jam oblatam fuisse eleemosynam scutorum 150, ut præfatum oratorium in ampliorem formam redigeret. Omnia quæ ab archipresbytero narrata fuerunt confirmavit Episcopus. Quam ob rem *die* 15 *januar.* 1780 indulta fuit parochiæ translatio una cum titulo, et oneribus Missarum, sub ea tamen lege, quod prædicta onera in nova construenda ecclesia implerentur. Quæritur nunc, an sit standum vel recedendum a decisis? S. C. distulit definitionem, ut scribi possit Episcopo juxta instructionem secretarii [145]: *Brictinorien., Translat. eccles. paroch.*, 14 *decem.* 1782, *dub.* 1, confirmata 10 *decem.* 1785.

[142] Ut referret super libertate, et capacitate novæ ecclesiæ montis Valentini, super asperitate viarum antiquæ parochialis S. Blasii, distantiu, et super propinquioritate populi relative ad alterutram: *Ead. causa*, 13 *martii* 1762.

[143] Hinc datæ fuerunt litteræ Episcopo, ut referret, an commode parochiæ divisio fieri posset; quæ adessent faciliora, et pacatiora media pro congrua utrique parocho sive ex præsentibus parochiæ reditibus dividendis, sive aggregandis assignanda, qui fines pro utraque statuendi: itemque referret de reditibus parochialibus tum certis, tum incertis: *Ead. causa*, 24 *januar.* 1767, § 3.

[144] « Et mens est, ut vicarius capitularius curet restaurationem ecclesiæ ad formam Concil. Trid. sess. 21, cap. 7, *de Reform.*, et subinde, ut in eadem parochiali ecclesia S. M. de Puteo reponatur SS. Eucharistiæ sacramentum, et oleum sanctum, ita ut in eadem parochus sacramenta ministrare possit: » *Ead. causa*, 17 *julii* 1779.

[145] Hæc tria ab Episcopo instructio requirebat, et in primis, ut referret super statu ecclesiæ S. Laurentii, utrum nempe instauratione indigeat, et cum effectu restaurari possit. Deinde, an prædicta ecclesia pro sacramentis administrandis sit populo commodior, quam altera S. Mariæ de Platea; ac tertio, ut concilium plenarium Theodorani convocaret pro exquirendo consensu per secreta suffragia circa hujusmodi translationem: *Ead. causa*, 26 *novem.* 1785, § 2.

19. Translationem parochialitatis ab ecclesia S. Joannis villæ Cuppoli ad amplam et ornatam ecclesiam SS. Apostolorum Petri et Pauli villæ Cancelli, quo confluunt Italiæ populi miraculorum prodigio permoti, locum haud esse posse, dissentientibus nonnullis parochiæ incolis licet Episcopo favente, S. C. firmavit : *Fulginaten.*, *Translat. paroch.*, 20 *april.* 1782.

20. Firmanus Episcopus ecclesiam S. M. de Puteo oppidi S. Martini interdicto supposuit, decrevitque munerum parochialium translationem ad ecclesiam S. Joannis, donec illa reficeretur. Reclamavit populus, et præsertim Antonius Piroli, qui actionem popularem sibi competere putabat, ut Episcopo contradiceret. Aiebat enim ecclesiam S. Mariæ restauratione minime indigere, ut opus esset onerum parochialium translatione. Sed S. C. putavit sustineri decretum Episcopi, tum quoad interdictum, tum quoad, translationem juxta modum [146] : *Firmana*, *Interdicti et translat.*, 19 *maii* 1787.

21. Episcopus Marianensis in sacra visitatione decrevit, ut parochia ecclesiæ S. Xisti fatiscentis, et supellectilium indigentis, quam Episcopus ipse ideo interdixit, ad ecclesiam et cœnobium S. Antonii minorum reformatorum oppido Sisco proximum, transferretur. Publici communitatis Sisci officiales S. Rituum C. adierunt ad hanc impediendam translationem. Generalis minorum observantium, et reformatorum graviter punivit P. Augustinum di Pietra Corbara Siscensis cœnobii, eique curam invito populo interdixit. Hoc ipsum fecit procurator generalis ordinis. Hinc propositum dubium fuit, an esset locus dictæ translationi ? et non esse S. C. sancivit, et addidit, ut vicarius capitularis curæ animarum prout de jure provideret : *Marianen.*, 7 *febr.* 1789.

22. In prærupto parochialis S. Petri montis Justi ecclesia sita est loco, valdeque motu terræ læsa. Hac de causa parochiæ incolæ supplicarunt, ut ad oratorium S. Mariæ de Cella in æquiori positum regione translatio fieret. Annuit S. C. juxta votum Episcopi [147], celebratis tamen per parochos pro tempore annuis Missis decem pro legato Comandini, et ut describeretur in tabella : *Sarsinaten.*, *Translat. eccles. paroch.*, 21 *aug.* 1790.

23. Episcopus Uticensis, et visitator Apostolicus Maramontes anno 1573 sub urbanis collapsis ecclesiis parochialibus castri Phaleronis transtulit illas ad urbanam S. Joan. Baptistæ, ut parochi pristinis retentis titulis animarum curam exercerent. Sed statuit, ut parochiæ incolæ adventitii subjecti sint sub cujus decimatione habent domicilium ; si vero intus terram elegerint domicilium censeantur plebi S. Stephani parochiali jure subjecti. Hoc decretum observatum fuit, non vero quoad parochiæ incolas adventitios. Tandem archiepiscopus Firmanus illud instauravit, confirmavitque anno 1792, reliqui autem reclamarunt parochi consuetudinem exhibentes ; et S. C. decretum archiepiscopi esse exequendum decrevit : *Firmana*, 13 *junii* 1795.

§ VII.

Ecclesia parochialis quoad unionem, ac unionis dissolutionem.

1. Episcopo requirenti, an possit unire duas parochiales ecclesias propter earum paupertatem ? respondit S. C. posse Episcopum facere hanc unionem, si modo unus rector valeat omnibus illis ecclesiis inservire, habita ratione vicinitatis locorum, et numeri parochiæ incolarum : *Fulginaten.*, *anni* 1577.

2. Conquerens Episcopus de multis incommodis, quæ sequuntur ex unionibus ecclesiarum parochialium cum monasteriis, collegiis, capitulis cathedralium, aut communitatibus presbyterorum, S. C. censuit, ut Episcopus utatur facultate sibi a Concilio

[146] Nempe translationem per modum provisionis faciendam esse ad ecclesiam S. Thomæ, et scribatur Archiepiscopo juxta mentem : « Mens autem est, ut ad evitandam si fieri possit enunciatæ ecclesiæ S. Mariæ de Puteo demolitionem A. T. ex officio deputare non omittat peritos minime suspectos ad effectum recognoscendi fabricam præfatæ ecclesiæ ejusdemque restaurandæ opportuna media eidem S. Congreg. proponat, de iisque quamprimum eminentissimos PP. certiorare non differat : ***Regist. lit.*** lib. 35. fol. 121.

[147] Qui parochialibus functionibus idoneum dixit oratorium, necessariam peritorum judicio impensam scut. 250 pro construenda apud illud parochiali domo : nulla in ecclesia esse pia opera, vel Missarum legata, præter censum in sorte scut. 50, relictum a Catharina Comandini cum onere celebrandi ex fructibus tot sacra sive in ecclesia ipsa S. Petri sive in oratorio S. Mariæ de Cella, ubi sepultum est illius cadaver : ac fieri demum posse translationis impensam per taxationem parochi in scut. 30 monetæ, aliisque 10 ex arboribus, applicationem superextantis pecuniæ societatis Sanctissimi Sacramenti in summa scut. 64, et creationem passivi census pro reliqua summa, ad quem effectum opus esse ait, ut « ab EE. VV. mihi impertirentur œconomicæ facultates aggravandi possessores bonorum stabilium in nominata parœcia ad solvendum relative ad capitalia annuatim certam quotam pro fructibus, sive usuris dicti census, et pro extinctione sortis. » Quoad divisionem vero parochiæ incolarum addidit, unam, et alteram familiam parochiæ S. Petri, uniendam esse in casu translationis viciniori parochiæ montis Jottoni, utrosque parochos, et utramque familiam in id convenire. Atque in his terminis oratoribus annuendum censuit : ***Ead. causa***, 31 ***julii*** 1790, § 2.

tributa cap. 7, sess. 7 [148]: *Tarraconen, februar.* 1590, *dub.* 1.

3. Quum postulatur parochialium unio, ut distributionum quotidianarum massa ex earum reditibus adaugeretur, rescriptum fuit, unionem parochialium pro distributionum quotidianarum incremento concedendam non esse. Reproposita inde causa idem fuit confirmatum rescriptum, et additum fuit, quod utendum esset remediis a sacro Concilio præscriptis cap. 15, sess. 24, *de Reform.* [149]: *Celsonen.*, 2 *sept.* 1647.

4. Quæsitum est, an parochia S. Luciæ, ubi sunt moniales, possit uniri ecclesiæ societatis S. Spiritus, etiam invitis sodalibus, stante quod ex dicta unione nullum inferatur præjudicium dictæ societati, et alias dictæ unioni consenserit? censuit non esse faciendam dictam translationem, nisi societatis consensus accedat: *Urbinaten.*, *Visit. sacr. Liminum*, 10 *martii* 1663, *dub.* 11.

5. Comite Joanne Vito de Hechenvaldech patrono parochialis ecclesiæ S. Laurentii de Parsgergh postulante, ut eadem ecclesia, quæ a biennio vacabat, considerato magno populi numero, concederetur, ut uniretur regularibus ordinis S. Augustini provinciæ Bavariæ (ejusdem tamen diœcesis) sub onere manutenendi duodecim religiosos, et animarum curam exercendi. S. C. a Sanctissimo consulta censuit supplicationem signari posse in forma commissaria eidem Episcopo directa, qui præfatam ecclesiam cum omnibus suis reditibus, proventibus, atque juribus conventui regularium ordinis S. Augustini provinciæ Bavariæ in oppido de Miesbach uniat, tradat, atque concedat, cum onere eisdem regularibus imponendo, in eorum conventu manutenendi duodecim dicti ordinis professos, curamque animarum, et omnia parochialia jura exercendi: *Frisingen.*, 11 *julii* 1682.

6. Causa deputationis P. Benedicti Vandenboschen ab abbate monasterii S. Adriani Benedictinorum oppidi Gerardi montis peractæ parochiali ecclesiæ S. Bartholomæi, eidem monasterio unitæ, dubium ortum est super validitate unionis, et in S. C. congruo dubio exhibito; an constet de executione unionis, ante statutum, et apertum Concilium Tridentinum? responsum fuit affirmative: *Mechlinien.*, *Unionis*, 28 *novem.* 1693, *dub.* 1.

7. Conventus PP. S. Dominici ex hæreditate quadam potitur jurepatronatus ecclesiæ parochialis di Loxo, cujus annui fructus ascendunt ad scuta 200. Quum idem conventus premitur inopia, supplicat pro unione dictæ ecclesiæ parochialis impletis oneribus, et curam administrandi mediante vicario amovibili, et S. C. precibus annuit, si Sanctissimo domino nostro placuerit: *Compostellana*, *Unionis*, 20 *sept.* 1692.

8. Parochialis ecclesia de Meffia una cum sacello S. Joan. Baptistæ unita ac incorporata fuit monasterio S. Laurentii ordinis S. Benedicti prope Leodium propter redituum ad alendos religiosos insufficientium tenuitatem. Parochialis illa est de jurepatronatus abbatis ita ut in ea divina officia ipsi religiosi peragunt, curamque parochialem exercent. Reclamante hinc archidiacono Condrosii ecclesiæ Leodiensis, ad quem spectat jus instituendi presbyterum ab abbate præsentandum, S. C. declaravit, de unionis validitate minime constare. Archidiaconus enim vocatus non fuerat, et legitima unionis causa non aderat: *Leodien.*, *Unionis*, 25 *sept.* 1700.

9. Plurimis urgentibus necessitatibus, quibus monasterium Matris Dei de Monchique ordinis S. Claræ Ulyssiponis premebatur, nuntius apostolicus potestate legati a latere utens, monasterio ad annos 50, ecclesiam parochialem S. Mariæ de Pindellou nivit, cum onere manutenendi vicarium amovibilem. Unio hæc prorogata fuit ab Episcopo ad annos 30, et ad alios inde annos 50. Moniales hodie dubitantes de ejusdem validitate, quo Aurelius quidam de Britto fuerat ab Innocentio XII Sum. Pont. de ea parochiali provisus, deprecatæ sunt pro unionis, et prorogationis confirmatione, nec non pro perpetua unione reportanda. S. C. primo causam protelando dixit ad menten [150]: *Portucallen.*, *Unionis*, 11 *martii* 1702. Inde decidit, quod prævia præcedentium prærogationum sanatione gauderent impetratis pro residuo temporis ultimæ prorogationis; et quo vero ad petitam prorogationem seu temporalem, seu perpetuam, dixit, nihil: 29 *april. ejusd. anni.*

10. Controversiis inter ecclesias parochiales S. Georgii, et S. Joan. Baptistæ Ragusiæ urbis veteris et novæ super harum parochiarum dissolutione vertentibus, S. C. ad instantiam populi et cleri urbis novæ unionis dissolutionem petentis, saltem ex gratia expetitam concessit dissolutionem juxta modum a Card. præfecto præscribendum; ita ut una ecclesia independens ab alia remaneat: *Syracusana*, *Dissolut.*, 27 *januar.* 1703 *dub.* 1, 2. Siciliæ prorex civibus veteris Ragusiæ supplicantibus, civitates reincorporari, et ad unicam reduci jussit. Clerus contra et Filiani præfatæ ecclesiæ S. Joan. Baptistæ Ragusiæ novæ, tali non obstante reunione, ad dissolutionem devenire deberi intendunt, ea potissimum ratione, quia nondum causæ dissidiorum ces-

[148] Vide not. 78.

[149] Vide not. 59, tom. I, verb. *Beneficia ecclesiastica*, § XIV.

[150] Quæ fuit, ut audiretur provisus Apostolicus, hoc est Aurelius de Britto: *Ead. causa*, 29 *april.* 1702.

saverint. S. C. rescripsit in decisis juxta modum : 16 *junii ejusd. anni*. Confirmatum denique fuit decretum hoc, et additum, salva matricitate ecclesiæ S. Georgii : 17 *novem. ejusd. anni*.

11. Parochiali ecclesia S. Adhæni urbis Atellæ temporis vetustate collapsa, et ob illius paupertatem restaurari non valente, Episcopus necessarium eo in casu duxit esse, illam alteri parochiali S. Andreæ unire ; et nonnulla bona, quæ ab ea dismembravit, applicavit seminario. Plurimis illa Episcopi gesta impugnantibus, et ad S. C. oraculum consulendum exhibitis, S. C. unionem non sustineri patefecit. *Aversana, Unionis*, 6 *oct.* 1703, *dub.* 1.

12. Galatiæ Episcopus pauperi parochiali ecclesiæ cathedrali prævio capituli consensu alteram S. Nicolai de Figulis univit. Renuentibus nonnullis parochiæ incolis, et S. C. sciscitantibus, num hæc firma sit unio ? illa decrevit, non esse firmam ; et mandavit, ut Ordinarius pro concursu habendo ederet programma ; docereturque in S. C. quo jure parochialis in cathedrali existens teneatur ad expensas, et ad onera enunciata, trium mensium ad hunc effectum præfixo termino : *Cajacen., Unionis*, 13 *januar.* 1703.

13. Ecclesiam parochialem S. Michaelis intra castrum Castilionis sitam in perpetuam vicariam erexit Ordinarius ; quum illic antea animarum cura a cathedralis beneficiato exerceretur. Congrua vicario assignata fuit in quatuor tritici sextariis, aliisque 102 castanearum sextariis, novem vini sarcinis, et lucensis monetæ libris triginta duobus. Aucta hæc postea fuit ad quatuor tritici sextarios ; et auctum etiam curæ loci S. Mariæ de Campore exercitium fuit. Franciscus Guazzellius vicarius anno 1698 postulavit, vel præfatæ parochialis unionem declarari nullam, vel congruam sibi augeri. Sed S. C. neutrum concessit, postquam inter *sum. prec.* idem rescripserat : *Lucana, Unionis*, 22 *maii* 1706, *dub.* 4.

14. In exitiali terræ motus clade prioralis ecclesia curata S. Laurentii prope urbis Aquilæ mœnia sita bene tota excidit. Exoratum hinc fuit pro illius unione ecclesiæ archipresbyterali S. Blasii seu illi S. Victorii de Amiterno facienda. Aquilana civitas est nuper adversus hujusmodi unionem obluctata, et S. C. desuper consuluit. At hæc responsum distulit definitivum, jussitque ut melior informatio fieret ab Antistite, arbitrio Card. præfecti, auditis interesse habentibus : *Aquilana, Translat. paroch.*, 26 *martii* 1707.

15. In oppido montis S. Joannis duo adesse animarum millia comperiit Episcopus, et pro his sex parochiales adesse ecclesias, quas omnibus fere necessariis ornamentis destitutas esse vidit. Prævio itaque capituli consensu decrevit unionem parochialis ecclesiæ S. Restitutæ cum alia B. Mariæ de Valle. Hanc autem parochiæ incolæ, et communitas ægre ferentes S. C. rogatum miserunt, sustinerine unio illa deberet ? Et hanc utique sustinendam esse declaravit : *Verulana, Unionis*, 1 *decem.* 1708, confirmata 10 *maii* 1709. Ad trutinam inde causa expendenda reducta, S. C. jussit, ut audiretur Episcopus : 3 *aug. ejusd. anni*. Tandem causam quoque protelavit, et injunxit, ut coadjuvarentur probationes formaliter coram Episcopo tam super reditibus parochiæ, quam super expensis necessariis pro ecclesiæ, et supellectilium reparatione intra duos menses : 2 *aug.* 1710, confirmata 28 *julii* 1713.

16. Parochialis ecclesia S. Mariæ de Prætorio unita fertur capitulari mensæ collegiatæ ecclesiæ S. Andreæ terræ Emporii, unionis documento latente. Capitulum animarum curam exercere consuevit per vicarium amovibilem, qui est unus ex capitularibus, et qui non nisi festis diebus de præcepto accedere solet ad parochialem illam, quum duobus milliaribus ab ecclesia collegiata sit distans. Parochiæ incolæ, qui sunt numero 128 proprium habere pastorem exoptant. Nobilis quidam vir scuta 50 annualiter pro congrua contribuere spopondit. Postulant itaque omnes unionem discindi frangique. At S. C. rescripsit, ut capitulum apponeret vicarium cum assignatione congruæ ab Archiepiscopo taxandæ ; utque vicarius ipse diu noctuque in parochia S. Mariæ de Prætorio residere teneretur : *Florentina, Dissolut. unionis*, 13 *april.* 1709, *dub.* 1 et 2.

17. Abbas monasterii SS. Uldarici et Afræ urbis Augustanæ ordinis S. Benedicti in catholica religione propaganda elaborans, propter rei monasterii angustiam optabat, ut monasterio uniretur parochialis ecclesia S. Michaelis Archangeli oppidi de Pfaffenhoven diœcesis Frisingæ una cum filiali ecclesia S. Martini Episcopi loci Unterumbach ejusdem diœcesis, ei annexa ; hac tamen conditione, ut in præfata S. Michaelis ecclesia monachus amovibilis ad curam animarum exercendam deputaretur. Sed hæ abbatis preces fuerunt a S. C. rejectæ : *Frisingen., Unionis*, 14 *junii* 1710.

18. Curatus ecclesiæ S. Martini oppidi Lesiæ tanquam matricis prætendit habere subjectam, et filialem ecclesiam S. Georgii, cujus quoque curatus contendit suam ecclesiam esse separatam, et per se a dicta ecclesia S. Martini ; idcirco consulta S. C. decrevit de separatione dictarum ecclesiarum non constare : *Novarien., Juris paroch.*, 30 *aug.* 1710.

19. Ingentis terræ motus exitio in urbe Aquila grassante proruerunt ecclesia parochialis, et collegiata S. Petri de Saxia, et altera S. Quintini. Harum ecclesiarum unionem desideravit capitulum, constituendo ecclesiam sub titulo SS. Petri et Quintini in loco ubi nunc est ecclesia S. Quintini. Rem S. C. direxit vicario, ut procederet ad unionem

prout de jure, et quatenus ea fieri deberet, una cum facultate alienandi cœmenta, et terram petitam in causam fabricæ ecclesiæ quatenus alius modus non adesset. Peracta hac unione, questi sunt nonnulli parochiæ incolæ ecclesiæ S. Petri de Saxia, habueruntque ad S. C. recursum. At hæc præfatarum ecclesiarum unionem a vicario capitulari factam non sustineri decrevit : *Aquilana, Unionis paroch.*, 14 *martii* 1711.

20. Binis parochialibus ecclesiis S. Mariæ ad Trectica, ac S. Salvatoris terræ Pizzuli, duabusque simplicibus ecclesiis terræ motus vi funditus collapsis, rectores earumdem putarunt in unam has redigere, parochialem illam constituendo sub titulo S. Mariæ, ac S. Salvatoris; et duo in ea altaria erigere pro duobus illis simplicibus ecclesiis quoque dirutis. Facultatem hinc opportunam petierunt, quum ob inopiam parochiæ incolarum nullum sperari posset subsidium. Verum S. C. meliorem requisivit informationem : *Aquilana, Unionis, seu translat. paroch.*, 10 *januar.* 1711. Oratorum inde precibus juxta modum a Card. præfecto præscribendum [151], censuit esse annuendum : 9 *april.* 1712.

21. S. C. sancivit, decretum unionis ecclesiæ parochialis S. Blasii, parochiali ecclesiæ S. Silvestri ab Episcopo factum, sustinendum minime esse. Nulla enim aderat causa, nullaque ostendebatur unionis necessitas : *Sulmonen., paroch.*, 13 *junii* 1711.

22. Parochialis ecclesia SS. Annuntiationis loci de Arcenillas, possessore ultimo defuncto, indictus fuit concursus. Sed concursui nemo sese obtulit, propter redituum tenuitatem, qui ad annuos ducatus 21 de camera vix pertingunt. Quapropter promotor fiscalis illam alteri parochiali S. Mariæ Angelorum de Pontesos viciniori unire censuit expedire. S. C. causam protelando, jussit, ut juxta instructionem [152] scriberetur : *Zamoren., Unionis*, 3 *decem.* 1712. Tandem precibus unionem præseferentibus juxta Episcopi votum [153] adhæsit : 30 *sept.* 1713.

23. Præposituralis ecclesia S. Martini unita jam fuerat curatæ ecclesiæ S. Mariæ ad Soffianam. Hæc postea præposito, parocho alterius ecclesiæ S. Stephani ad Intrainum, et capitulo cathedralis consentientibus, divisa, et a vicario generali a præposituralis ecclesia dismembrata fuit una cum situ pro constructione domus parochialis, et tredecim familiis, et unita ecclesiæ prædictæ S. Stephani absque patronorum laicalium præjudicio. Sed Philippus Carolus Moralius mox dictæ ecclesiæ S. Stephani parochus integrari petiit unionem ; et dismembrationem postea factam irritam declarari studuit, tum quia unio facta fuerat patronatæ laicorum ecclesiæ ; tum quia justa non aderat causa. S. C. neutram sustineri decidit : *S. Miniatis, Unionis*, 16 *novem.*, 1715, *dub.* 1.

24. Quum ex vi motus terræ tres ecclesiæ, nimirum S. Mariæ de Platea, S. Silvestri, et S. Victorini solo fuissent æquatæ, unaque tantum incolis parva S. Rocchi ecclesia cum unico altari superfuisset, a regimine, civibusque oppidi civitatis regalis rogatus fuit Episcopus, ut præfatarum parochialium unionem perageret, ut unica sub invocatione S. Mariæ de Platea ædificari posset ecclesia parochialis. Episcopus re perpensa, cognitaque redituum tenuitate, qui ad trium illarum ecclesiarum ædificationem faciendam erant impares, fieri decrevit unionem, reservato beneplacito apostolico ; quod S. C. concessit, decernendo, quod Episcopi decretum foret exequendum : *Reatina, Unionis paroch.*, 4 *aug.* 1714, *dub.* 1.

25. Episcopus audito capitulo rite devenit unionem vacantis parochiæ S. Petri de Lizzano alteri parochiæ S. Petri de Cassano a Joan. Thoma de Rolundis possessæ faciendam, cum obligatione tamen retinendi in perpetuum vicecuratum ab Episcopo deputandum. Hodie castri Alferii communitas prætendit unionem illam irritari, utpote quæ fuerat sine causis legitimis peracta. Sed S. C. nullam hac de re dedit resolutionem, et meliorem fieri informationem requisivit : *Asten, Unionis*, 16 *januar.* 1717.

[151] Nempe prævia suppressione parochialis ecclesiæ S. Salvatoris, ædificandam esse novam ecclesiam sub titulo, et denominatione S. Mariæ, et S. Salvatoris, ad eamque transferendam esse curam capellani, omniaque onera dictæ ecclesiæ Sancti Salvatoris, et deputandum esse unum tantum parochum amovibilem cum salario ducatorum viginti quatuor, qui tamen parochus amoveri nequeat absque rationabili causa ab Ordinario adprobanda, per quem etiam recognosci debeat, an minui possint expensæ, et nomine S. C. per eumdem Ordinarium concedendam esse facultatem vendendi campanas S. Salvatoris, aut alias duas minus utiles. Quo vero ad duo beneficia simplicia pariter censuit transferenda esse ad ecclesiam noviter ædificandam firmis remanentibus eorum titulis cum suis oneribus, et in dicta nova ecclesia erigenda esse duo altaria sub eadem antiqua sanctorum respective invocatione : *Lib.* 62, *Decret.* pag. 112.

[152] Quæ fuit, ut ipse eorum concursum ad prædictam ecclesiam SS. Annuntiationis promulgaret ; quatenus vero non esset qui ad eam consequendam animum adjiceret, tum parochiæ incolarum consensum super expetita unione exquireret, ac referret precisam earumdem ecclesiarum distantiam, animarum numerum, reditusque tam certos quam incertos : *Ead. causa*, 9 *sept.* 1713.

[153] Qui pro certo habet, ut eadem parochialium unio necessaria prorsus sit, ut parocho decens congrua non deficiat, commodiusque animarum saluti consulatur : *Ead. causa*, 9 *sept.* 1713.

nuar. 1713, *dub.* 3, confirmata 13 *maii ejusd. anni.*

39. Comes Cæsar de Manellis humo mandari in ecclesia Cappuccinorum, superiorum eorum adventante in tempore facultate disposuit, aliter in ecclesia PP. Oratorii S. Philippi, ac inde decessit. Occasione illius cadaveris tumulationis insurrexerunt parochus allegans testamenti nullitatem legitima deficiente sepulturæ electione, ac PP. Oratorii contendentes P. guardianum non habere facultatem a testatore requisitam. Hinc vicarius generalis definitive decrevit in favorem PP. Cappuccinorum quoad sepulturam, ac præterea omnia ipsis patribus consignari intortitia, et ceras præcepit. Præfatum decretum validum esse S. C. judicavit: *Æsina, Sepulturæ*, 22 *sept.* 1714.

40. E vita discessit comes Eustachius Pallio, qui vitam ducebat seculari veste in conventu PP. Eremitarum S. Augustini civitatis Astæ Pompeiæ quibus solvebat menstruam summam pro alimentis. Patres fidem electionis sepulcri exhibentes in eorum ecclesia sepelierunt, irrequisito parocho, intra cujus parochiæ limites conventus positus est. Dicto parocho reclamante eos teneri ad quartam furenerum tantum, non autem ad aliorum emolumentorum restitutionem sancivit: *Asten., Jur. paroch.*, 27 *novem.* 1717, *dub.* 2, confirmata 12 *febr.* 1718.

41. Lite inter parochos oppidi Novarum et capitulum ecclesiæ collegiatæ S. Mariæ dicti oppidi exorta super divisione starii frumenti occasione funerum patris, vel matris familias, aliorumque funebrium oblationum inter ipsos facienda, S. C. resolvit servandam esse concordiam anni 1555: *Derthonen., Jur. paroch.*, 7 *decem.* 1720, *dub.* 12, confirmata 14 *april.* 1725, *dub.* 2.

42. Et restituenda omnia emolumenta funerum ab archipresbytero terræ Massæ, qui cadaver Franciscæ Rugerii de Georgiis in sua ecclesia abscondit, et omnia emolumenta percepit; quum illam in ecclesia PP. tertii ordinis S. Francisci sepulturam sibi elegisse constaret: *Tudertina, Elect. sepulturæ*, 4 *julii* 1722, *dub.* 2, confirmata 21 *nov. ejusd. anni.*

43. Quum cadavera defunctorum sepulcro reddenda in ecclesia PP. Minorum observentiæ terræ Petræ sanctæ antequam ad eorum ecclesiam deferantur, non deberent prius transferri ad parochialem ecclesiam, et eorum ibi non debeat fieri expositio usque ad horam sepulturæ; hinc jussit S. C. Nicolaum Benedinium parochum ecclesiæ S. Martini teneri ceram et alia emolumenta percepta occasione comitatus, et expositionis in sua ecclesia cadaverum Angeli Staggi, ac Joannæ Marini restituere: *Lucana, Funerum*, 14 *martii* 1722, *dub.* 2.

44. Definitur a S. C., ut archipresbyter terræ Montis Aeri teneatur etiam quoad quartam omnia emolumenta percepta quoad Thomam Fabri, et Sebastianum Butini defunctos restituere; et ut quoad Joannem Mangioni non teneatur patribus conventualibus ejusdem loci, ubi eorum cadavera sunt tumulata, restituere; sed huic decreto præcessit instructio [187] missa ad Episcopum: *Volaterrana*, 30 *januar.* 1723, *dub.* 7, et 16 *martii* 1726.

45. Archipresbyter castri Grandulphi funerum, sive cadaverum comitatus occasione ab hæredibus defuncti quoddam sudariolum suæ cruci appensum, et post olei sancti administrationem pariter vas seu discum, quo utitur in eodem exercitio, quique eidem ad prædictum usum ab infirmo seu adstantibus traditur, recipere consuevit. Nonnulli vero de hoc questi sunt in S. C., quæ quoad sudariolum an sit ejus permittenda receptio? respondit, ut coadjuvarentur probationes, et quoad discum non esse receptionem ejus permittendam putavit: *Alben., Funerum*, 20 *febr.* 1723 [188].

46. Flaminius Marinius sepulcrum in ecclesia PP. Carmelitarum terræ S. Donati elegit, et ejusdem cadaver ecclesia matrix dictæ terræ sepultura affecit, ac emolumenta funerum percepit; sicuti S. C. decreverat, hinc eadem S. C. locum esse emolumentorum restitutioni ad ecclesiam tumulantem spectantium statuit: *Sorana, Funerum*, 24 *april.* 1723, *dub.* 2.

47. Censuit S. C. presbyteros ecclesiæ collegiatæ receptitiæ, et parochialis terræ Peschi Constantii pro jure sepulturæ emolumentum taxatum in conventione anni 1566, quando cadavera incolarum parochiæ tumulantur in sepulturis propriis, et familiaribus exigere, et quando in aliena ecclesia tumulantur, tunc statuit ut expectetur exitus litis in S. C. Episcoporum, et regularium agitatæ: *Nullius, seu Montis Cassini*, 26 *januar.* 1726, *dub.* 14.

48. Orta controversia inter parochos, et regulares civitatis Mediolani S. C. definiit, occasione funeris divisionem cenotaphii, culcitræ, et aliorum ornamentorum existentium in ecclesia, ubi defunctus humatus fuerit, faciendam esse pro medietate: *Mediolanen., Quartæ funer.*, 9 *sept.* 1730, *dub.* 5, confirmata et additum: Servata forma constitutionum synodalium [189]: 2 *junii* 1731.

[187] Vide not. 231, tom. I, verb. *Archipresbyter*, § VII.

[188] Contra archipresbyterum declamavit advocatus Dominicus Ursaya in hac causa, et sua jura habentur in *Discept.* Eccl. XIX, tom. 5, part. 1, *per tot.*

[189] Quas confecit Card. Archiepiscopus in synodo 22, celebrata anno 1610, ubi quoad regulares, inhærendo antiquæ consuetudini præscriptum fuit « ut ipsi contenti essent medietate illius ceræ, quæ circa feretrum, aut aliter quomodocumque in illo funere adhibebitur: *Eod. causa*, 9 *sept.* 1730, § 6.

49. Item pro medietate faciendam esse divisionem pecuniarum in casu, quo illæ tradantur ab hæredibus defuncti in locum ceræ : *Ibid., dub.* 6, confirmata *ibid.*

50. Marchionissa Olimpia Palumbaria obiit in parochia ecclesiæ collegiatæ S. Mariæ ad Martyres, suumque cadaver inferri jussit in sepulcrum gentilitium existens in ecclesia monialium S. Silvestri in capite, ibique erectum, dum ecclesia prædicta parochialis erat; prout illatum fuit præmissa obligatione monialium illud retinendi una cum emolumentis in forma depositi, ac restituendi ad omne mandatum Card. urbis vicarii ad instantiam capituli ecclesiæ collegiatæ; exinde vero juxta S. C. resolutiones [190], necnon etiam S. C. Episcoporum, et regularium [191], et statutum cleri romani [192] declaratum fuit emolumenta prædicta integre spectare ad ecclesiam parochialem : *Romana, Emolument. funer.,* 28 *julii* 1731.

51. In obscuro latebat, an cuncta emolumenta funerum ad massam communem ecclesiæ S. Pauli, vel ad ejusdem ecclesiæ parochum spectarent? dubium remisit S. C. ad Card. præfectum in omnibus : *Verulana,* 15 *januar.* 1724, *dub.* 2. Card. præfectus declaravit mappas, et cereum spectare ad parochum; candelas vero, et pecunias spectare ad massam, et distribuendas esse præsentibus, et associantibus; beneficiati ejusdem ecclesiæ Card. præfecti declarationem hanc impugnarunt, petieruntque denuo audiri, et rescriptum fuit ad eumdem Card. præfectum : 28 *febr.* 1733.

52. Statuerat S. C. exteris, et oriundis civitatis Cavæ, qui incolatum per decennium non fecerint, nec bona possideant in eadem urbe licitum esse eligere sepulcrum extra ecclesiam cathedralem, in qua adest sepultura peregrinantium; modo sanxit non esse capitulo, et mensæ episcopali solvendum jus funeris: *Caven., Funeralium,* 7 *febr.* 1733, *dub.* 5.

53. Emolumenta funeris spectare S. C. putavit ad oratorium publicum beatissimæ Annuntiationis villæ Tini tumulans excepta quarta funerum, quæ parocho terræ Accumuli debetur, quoad eos defunctos, qui vel in dicto oratorio sepulturam elegerint, vel ibi sint in sepulcro majorum tumulandi : *Asculana, Jur., et funct. paroch.,* 29 *august.* 1733, *dub.* 3.

54. Quum aliqua pars eleemosynæ, ac oblationum societatis Sanctissimæ Conceptionis piarum mulierum sine sacco erectæ in quadam capella ecclesiæ PP. Minorum conventualium terræ Montis Leonis in beneficium ecclesiæ dictorum patrum præcipue pro manutentione lampadis accensæ ante capellam sanctissimi Sacramenti erogaretur. Episcopus Spoletanus in visitatione anni 1720, mandavit ut in vim bullæ aggregationis venerabili confraternitati SS. Laurentii, et Damasi de urbe, societas in alios usus erogare ejus reditus, ac eleemosynas, nisi in commodum ipsius capellæ, non deberet, mandavitque Missas celebrari in eadem capella societatis. Reclamarunt patres prædicti, et S. C. decreta, ac Episcopi provisiones sustineri sanxit : *Spoletana, Juris visitandi,* 30 *sept.* 1730, *dub.* 1.

55. In supplicationibus funereis pro defunctis de familiis ecclesiarum parochialium loci Campobassi, quæ fiunt capitulariter a toto collegio, licet archipresbytero ecclesiæ collegiatæ, et parochialis S. Leonardi, de cujus constat majoritate, duplicatam partem ratam ex emolumentis comitatus absque tamen stolæ obventionum attributione exigere : *Bojanen., Jur. Paroch., et præeminent.,* 24 *maii* 1732, *dub.* 11.

56. Ex fructibus, qui in collegio S. Leonardi, et ex eleemosynis Missarum, quas collegium, seu capitulum a gubernatoribus societatis Sanctissimi Sacramenti accipit, archipresbytero pars rata duplex, non sola pars æqualis cum aliis de collegio, exceptis tamen eleemosynis Missarum debetur : *Ibid., dub.* 13.

57. Dubiis exhibitis, an parochus possit ratione itineris faciendi extra mœnia civitatis ad ecclesiam patrum reformatorum exigere præter quartam, duplum illius eleemosynæ, quæ daretur, si cadaver esset sepeliendum intra civitatem? et quatenus affirmative. An idem servandum sit in tumulatione tam civium, quam exterorum? S. C. rescripsit ad Card. Episcopum juxta mentem : *Tusculana., Funerum,* 24 *junii* 1734, *dub.* 4 et 5.

58. Cadaver Mariæ Laurentiæ Valentini, quæ sibi elegerit sepulcrum in ecclesia PP. Carmelita-

[190] Vide præs. § num. 24.

[191] Vide not. 186.

[192] Cap. 3, *de Jur. eligen. sepul. atque funeran.* § 1, ubi in additione confirmata a Clemente XI, Pont. Max., ita cavetur : « Sepulturæ electionem fieri posse in quacumque ecclesia, seu loco religioso declaramus, dummodo locus ille de jure communi, vel ex privilegio apostolico jus sepeliendi habeat; non autem quoties eo caret, ut sunt oratoria, ecclesiæ regularium virorum, qui habent ecclesias interiores, vel ex peculiari instituto non habent sepulcra pro extraneis, ecclesiæ monialium, exceptis iis, et in quibus animarum cura exercetur, et alia id genus, etc. Quod si ex permissione superiorum illarum religionum, quæ non habent sepulcra pro extraneis, et ex licentia nostra sepeliatur cadaver in ecclesiis quæ jus sepeliendi non habent, tunc integrum funerale spectet ad parochialem ecclesiam, cui ex hujusmodi licentia in nihilo præjudicatum esse intelligatur, quoad omnia emolumenta, etiam proprii vespillonis, ac si in eadem ecclesia parochiali sepultum fuisset, etc.

rum terræ Cantalupi, archipresbyter dictæ terræ in sua ecclesia tumulavit, ideo S. C. decernere censuit restitutionem ceræ, aliorumque emolumentorum a dicto archipresbytero perceptorum, sibi quarta reservata, addendo ad Card. prælectum juxta mentem : *Sabinen., Funerum*, 29 *januar.* 1735, *dub.* 1.

59. Archipresbytero ecclesiæ S. Michaelis oppidi Bagnacaballi binæ candelæ in cadaverum comitatu debentur, et eo absente totidem ejusdem substituto tantum : *faventina, Quartæ funer.*, 18 *junii* 1735, *dub.* 2.

60. Ad archipresbyterum parochialis, et receptitiæ ecclesiæ S. Nicolai oppidi Laureæ emolumenta funerum integre, ac privative non spectare, sed solitum servandum esse deciditur : *Policastren., Procurat.*, 1 *junii* 1737, *dub.* 7, confirmata 13 *sept.* 1738, *dub.* 1.

61. Posita est quæstio, num archipresbyter, qui curam actualem exercet, ecclesiæ collegiatæ terræ Cisternini emolumenta parochialia consequi debeat, quartam nempe funerum, sepulturæ jus, intortitia, quæ per viam deferuntur, et prope cadavera in die obitus ardent, et quoties defuncti commemoratio peragitur? S. C. servari solitum voluit : *Monopolitana, Congruæ*, 28 *sept.* 1737, *dub.* 4.

62. Dubio, in quocumque casu sepeliantur in ecclesia societatis Sanctissimæ Assumptionis, et Rosarii civitatis Senogalliæ cadavera tam sodalium, quam aliorum non sodalium emolumenta ceræ, comitatus, funeris, ac etiam depositi integre spectent ad capitulum curatum, ut potius in qua rata in casu? respondit S. C. pro cadaveribus sodalium, et habentium sepulcrum gentilitium in dicta ecclesia spectare quartam funerum tantum ad capitulum cathedralis ; pro aliis vero integre omnia emolumenta : *Senogallien., Juris sepeliendi*, 24 *januar.* 1739, *dub.* 3

63. Intortitia, quæ obveniunt occasione funerum canonicorum ecclesiæ collegiatæ S. Jacobi tumulandorum in proprio eorum sepulcro ad canonicos una simul cum priore dictæ ecclesiæ non spectant, sed servari solitum mandat S. C. : *Tolentina, Missæ paroch., et profess. fidei*, 26 *maii* 1739, *dub.* 6.

64. Juxta statutum conventum inter sodales Sanctissimæ Assumptionis, et patres Carmelitas terræ Cirignolæ, in quorum ecclesia erecta societas fuit, duo sodales tumulati fuerunt in eadem ecclesia, ubi sepulturam elegerant, sed ea occasione parochus ecclesiæ collegiatæ S. Petri dictæ terræ contendere cœpit sibi, ejusque capitulo, licet non invitato, ab hæredibus deberi feretrum, et culcitram, summamque ducatorum 10 et gran. 20 pro unoquoque confratrum funere juxta taxam ab eo confectam ; hinc duodecim definienda ponuntur in contentione dubia, ad quæ S. C. respondit : Dilata, et scribatur Episcopo pro informatione, et voto super veritate, et relevantia assertæ concordiæ, auditis partibus : *Minervinen., Funerum*, 11 *martii* 1741, *dub.* 1, usque ad dub. 12.

65. Cadaver baronis Francisci Mariæ de Pretis laici, qui cum PP. congregationis Oratorii S. Philippi Nerii degebat, ac in eorum ecclesia inconsulto parocho tumulatum fuit, sicuti illud haud esset restituendum vigore privilegii pontificii Congregationis in favorem hospitum, ita emolumenta funerum pariter non sunt restituenda : *Spoletana*, 21 *julii* 1742, *dub.* 2.

66. Jacobus Minerva mortuo jam filio impubere contra loci consuetudinem illi sepulcrum elegit in ecclesia PP. Prædicatorum terræ Tricasii, ubi sepultus revera fuit ; ideo venit dubium, ac decisum non constare de electione dictæ sepulturæ, idcirco restitutio emolumentorum funerum parochiali ecclesiæ facienda præcipitur : *Alexanen., Funerum*, 3 *aug.* 1743, *dub.* 4.

67. Majus emolumentum parochi seculares terræ Suriani prætendere non possunt ab hæredibus defunctorum quando cadavera humo mandantur in ecclesia S. Mariæ de Podio patrum reformatorum, quam accipiunt, quando tumulantur in ecclesiis secularibus dictæ terræ : *Hortana, Funerum*, 3 *april.* 1745.

68. Exhibitum hoc fuit dubium, an in præsenti rerum statu, ob prætensam diminutionem quantitatis emolumentorum archipresbyteratus locus sit separationi, et assignationi emolumentorum provenientium ex funeribus, aliorumque in favorem archipresbyteri ecclesiæ collegiatæ Foggiæ privative quoad capitulum? dixit S. C. ad secretarium juxta mentem : *Trojana.*, 13 *febr.* 1751, *dub.* 1.

69. Archipresbyter parochiæ S. Nicolai terræ Ferentiæ, associare quum nequisset cadavera decedentium sub parochia S. Mariæ de Longobardis invito rectore, ejusque parochiæ incolis, idcirco nullum emolumentum pro dictis comitatibus lucratur : *Venusina*, 27 *martii* 1751, *dub.* 3.

70. Fato functo commendatario Aloysio Bernabo bigamo cadaver conditum fuit in ecclesia S. Francisci PP. Min. conventualium, funus comitante capitulo ecclesiæ cathedralis, exortum dissidium est. Contendebant quatuor primi de capitulo sibi præter solitas communes distributiones quatuor faces cereas majores debitas quoque esse. Patres contradicentes aiebant non deberi, quum decretum capitulare ageretur de clericis, qui si sunt bigami, inter laicos sunt. S. C. quæstionem dirimendo decidit non deberi capituli dignitatibus et quatuor primis de capitulo præter consuetas distributiones quatuor intor-

titia occasione eorum interventus in funeribus bigamorum ducendis extra cathedralem : *Fulginaten.*, *Funeris*, 19 *aug.* 1752, *dub.* 1.

71. Neque in funere commendatarii Bernabo bigami debita fuit illis præter solitas distributiones quatuor intortia ratione eorum inverventus : *Ibid.*, *dub.* 2.

72. Quamquam electio sepulturæ facta fuerit filiæ impuberis biduo ante mortem ejusdem a genitore Sanctino Thomati in ecclesia PP. ordinis S. Dominici, ubi alii filii fuerunt absconditi, tamen parochus recepit cadaver, et percepit emolumenta. Patres conquesti sunt, et S. C. quæ fuit interrogata de restitutione emolumentorum rescripsit, ut examinentur testes formaliter, et extrahantur partitæ sepulturæ impuberum defunctorum citata parte : *Aquen., Juris eligendi sepult.*, 19 *aug.* 1752.

73. Quæsitum fuit ad instantiam Annibalis Luzioli parochi Montis Cassiani diœcesis Laurentanæ, an parochi seculares, vel prætextu funeralis, vel ratione comitatus sibi sumere possint ab hæredibus defunctorum majus emolumentum, quando cadavera sepeliuntur in ecclesia S. Francisci patrum reformatorum terræ Forani extra territorium, et diœcesim existente, quam merentur, quando cadavera tumulantur in ecclesiis regularium, ut quamvis alias decretum fuerit majus emolumentum exigi non posse, nihilominus quum habenda sit ratio majoris, vel minoris itineris, S. C. rescripsit : Dabitur resolutio in casibus particularibus : *Auximana*, *seu Recineten., Funerum*, 24 *martii* 1753, *dub.* 1.

74. Prædicto autem parocho terræ Montis Cassiani, ejusque sacrario præter quartam funerum ratione prætensi majoris laboris debetur major accessio juxta taxam Episcopi pro comitatu cadaveris ad ecclesiam patrum reformatorum terræ Forani Auximanæ diœcesis : *Ibid.*, *dub.* 3.

75. Idem vero restituere tenetur hæredibus Joannis Baptistæ Cherubini ratam partem in istius funere plus æquo exactam juxta diuturnam consuetudinem, prout Episcopus decreverat, adeoque S. C. quoad restitutionem prædictam censuit satis provisum fuisse per Episcopum : *Ibid.*, *dub.* 4.

76. Quum cadaver sacerdotis Valentini Forconi, quamvis ad cathedralem ecclesiam associatum fuerit a proprio parocho ad parœciæ S. Catervi canonicorum Lateranensium regimen recens deputato spectare ad parochialem eamdem declaratum fuisset, ob id locum esse restitutioni omnium emolumentorum occasione funeris ab ecclesia cathedrali perceptorum : *Tolentina, Juris sepeliendi*, 11 *aug.* 1753, *dub.* 2.

77. Lucra percepta ab ecclesia parochiali S. Petri occasione tumulationis cadaveris Gertrudis de Matthia, quæ in sepulcrum ab ejus atavo pro se, suisque hæredibus constructum in ecclesia S. Bonaventuræ PP. Minorum reformatorum inferri jusserat, restitui ejusdem ecclesiæ S. Bonaventuræ debent : *Tusculana, Jur. tumul.*, 10 *maii* 1755.

78. Compendia, quæ proveniunt occasione tumulationis cadaverum in sepulcro a sacerdote Andrea Arighi pro se, suisque parentibus ac hæredibus erecto in ecclesia B. M. V. in cœlum assumptæ, et SS. Andreæ, et Aloysii Gonzagæ ab ipso ædificata in terra Curtis, integre parocho dictæ terræ competunt : *Alerien., Sepulturæ*, 17 *januar.* 1756, *dub.* 6.

79. Ecclesiæ cathedrali, ubi Cajetanus Navarra elegit sibi sepulturam, restituenda sunt omnia emolumenta deductis expensis factis a parocho S. Terentii occasione tumulationis in propria ecclesia peractæ loco depositi : *Faventina, Præmin., et funerum*, 7 *junii* 1760, *dub.* 5, confirmata 11 *april.* 1761, *dub.* 2.

80. Beneficiato capituli ecclesiæ collegiatæ, et parochialis S. Andreæ induto stola, et associanti cadaver propriæ parœciæ incolarum una cum religiosis ab ecclesia S. Mariæ ad Nives, ubi sepeliuntur, usque ad januam ecclesiæ S. Francisci, licet exigere juxta solitum ab hæredibus defunctorum emolumenta juliorum trium : *Nullius, seu Sublacen., funerum*, 30 *maii* 1761, *dub.* 3.

81. Ac capitulo ex voluntate hæredum associante cadaver usque ad januam ecclesiæ S. Francisci, solvi debet juxta solitum singulis canonicis stipendium juliorum duorum ; et præposito, et hebdomadario stipendium juliorum trium : *Ibid.*, *dub.* 4.

82. Atque occasione tumulationis alicujus cadaveris in ecclesia S. Francisci, licet æditui collegiatæ, et parochialis ecclesiæ exigere ab hæredibus defunctorum stipendium julii unius : *Ibid.*, *dub.* 6.

83. Cum esset asportandum ad cathedralem ecclesiam ad funus ibi peragendum cadaver Sylviæ Paglia, qui habet familiæ sepulcrum in ecclesia PP. S. Francisci, integra emolumenta excepta quarta canonica archipresbyter, seu vicarius curatus capituli ecclesiæ cathedralis restituere ecclesiæ S. Francisci tenetur : *Civitas Castellanæ*, *funerum*, 18 *febr.* 1764, *dub.* 2.

84. Quum diversum esset funebre lucrum, quod sodalitia pro suis sociis ecclesiæ parochiali oppidi Ariniani persolvebant, illud Confalonis ob. 35, illud Misericordiæ ob. 90 ; id causa fuit, ut primi numerus sodalium augebatur, secundi decrescebat. Hinc invidiæ occasio. Episcopus ob querelas latas in ejus curia statuit, ut ob. 60 ab omnibus solverentur. At sodalitium Confalonis reclamavit allegans consuetudinis antiquissimæ vim, et S. C. decernit a sodalitio Confalonis esse persolvendam taxam funerum ad rationem ob. 35, nec illius incremento lo-

cum esse : *Civitatis Castellanæ, Taxæ funerum*, 3 *aug.* 1765, *dub.* 1.

85. Necnon quoad societatem Misericordiæ servari solitum mandavit : *Ibid.*, *dub.* 2.

86. Emolumenta funeris Opitii Mazza Pisaurensis, qui ruri, quo se octo ante annos receperat, obiit, cujus cadaver in sepulcro majorum ad finitimam ecclesiam Eremitarum S. Augustini conditum est, sunt consignanda parocho S. Juliani Trivii antiqui, inter cujus parœciæ finibus defunctus est, licet natus in parochia ecclesiæ cathedralis, ubi antiquam familiæ domum habebat : *Pisauren.*, 8 *julii* 1765, *dub.* 2.

87. Quum denegata sit exhumatio, ac restitutio cadaveris, ita recte resolvitur non deberi restitutionem omnium emolumentorum in favorem ecclesiæ abbatialis S. Ruphilli occasione funeris Mariæ Siboniæ, quæ erat educanda monasterii S. Joannis Baptistæ Foro Pompilii in Æmilia, et in ecclesia monasterii sepulturam elegerat : *Brictinorien.*, *seu Nullius S. Ruphilli*, *Jur. paroch.*, 21 *junii* 1766.

88. Dum cadavera filiorum impuberum ex voluntate patrumfamilias civitatis Reatis tumulantur in sepulcris gentilitiis, etiam absque parochi licentia, debentur parocho emolumenta funerum ad formam synodalium constitutionum [193] : *Reatina*, *Jur. tumul.*, 31 *martii* 1770, *dub.* 2.

89. Emolumenta funerea pro cadaveribus eorum, qui sunt de gremio capituli cathedralis, et sepeliuntur in ecclesia S. Joannis spectantis ad universitatem studiorum ad idem capitulum pertinent : *Maceraten.*, *Jur. funer.*, 2 *decem.* 1780, *dub.* 2.

90. Item censuit S. C. emolumenta funebria pro cadaveribus parochiæ incolarum capituli prædicti deberi idem capitulo : *Ead.*, 7 *julii* 1781, *dub.* 2.

91. Quando defunctorum cadavera sepeliuntur in ecclesia S. Hieronymi, quæ olim ad patres societatis Jesu spectabat, et quæ ideo jure funerandi, seu sepeliendi fruebatur, deinde vero Episcopo Ravennatensi pro seminario donata fuerat a Summo Pontifice una cum nonnullis proventibus, quæ ad onera ecclesiæ sustinenda imparia erant, integrum funeris emolumentum non spectat ad parochos civitatis, prout spectaret, si ecclesia ipsa jus funerandi non haberet : *Ravenaten.*, *Funerum*, 15 *sept.* 1781.

92. Disquiritur, an, et in qua quantitate competant capitulo ecclesiæ cathedralis Piverni emolumenta funerum, quoad cadavera illorum, qui elegerunt sepulturam in tumulo sodalitii Mortis, et Orationis, quod acquisiverunt prævia cessione facta a parocho S. Benedicti? et S. C. respondit competere in quarta parte ad formam Benedictinæ [194] : *Terracinen. et Privernen.*, 19 *decem.* 1789, *dub.* 1.

Emolumenta funerea quoad quartam. Vide *Quarta funerum*.

EMPHYTEUSIS ECCLESIASTICA.

§ I.

Emphyteusis ecclesiastica quoad investituram, laudemium, et canonem.

1. Bernardinus Zampiroli anno 1658 ab Episcopo Mantuano de Bubilis 300 circiter agri feudalis illius mensæ investitus fuit pro se, et hæredibus suis masculis ex eo legitime descendentibus. Sub obtentu, quod eas non modicis sumptibus ad meliorem statum redegisset, supplicavit investituram sibi factam ampliari ad suos descendentes tam masculos, quam fœminas, et tam ex testamento, quam

[193] Quæ editæ fuerunt, tum in synodo habita ab Episcopo Bernardino Guinisio anno 1716, tum in synodo anno 1746 sub Episcopo Camarda celebrata.

[194] Quæ incipit *Romanus Pontifex*, 28 april. 1725 (rel. *in Append. Rom.* ad tit. 8, cap. 5, et *Bull. Rom.* tom. 11, part. 2, pag. 394), ubi primum regularium privilegia, super exemptione a quartæ funerum solutione reformantur, et ad viam juris reducuntur, deinde § 4 legitur : « Præterea motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus sancimus, statuimus, et mandamus, ut in Italia, eique adjacentibus insulis, a die publicationis præsentis constitutionis in futurum parochis defunctorum, qui in ecclesiis quorumcumque regularium tumulabuntur, persolvatur, et cum effectu tradatur quarta pars omnium intortiorum, et candelarum, quibus defuncti cadaver, in itinere ad ecclesiam tumulantem associabitur, necnon omnium intortitiorum, et candelarum, quæ in eadem ecclesia circa cadaver, vel etiam in altaribus in die funeris accendentur. A prædicta tamen quarta funerali exceptæ intelligantur, et sint candelæ, qua sacerdotes, etiam regulares vel piarum sodalitatum confratres funus associantes manualiter per viam accensas deferent. Quod si funus non fieret in die tumulationis, sed ad diversam diem, vel ad aliud tempus differretur, parocho nihilominus assignetur quarta pars omnium intortitiorum, et candelarum, quæ ipsamet peracti funeris die in ecclesia, ubi defunctus humatus fuit, circa cenotaphium seu tumulum honorarium, atque etiam in altaribus ejusdem ecclesiæ accensa fuerint. Hæc porro omnia locum habeant, et exacte in posterum observentur, quotiescumque defunctus extra suam parochialem ecclesiam tumularetur, vel exponeretur, sive quia in ecclesia tumulante, vel exponente beneficium obtinuerit, sive quia ibidem sepulcrum habuerit gentilitium, sive tandem, quia in ea sepulturam elegerit. »

ab intestato, et S. C. Episcopo Mantuano commisit, ut veris existentibus narratis petitam investituræ ampliationem pro suo arbitrio, et conscientia impertiretur : *Mantuana*, 11 *julii* 1693.

2. Castra Rocchæ Leonellæ, et Montis Guerini de dominio directo capituli ecclesiæ cathedralis fuerunt in emphyteusim concessa fratribus de Brancaleonibus, recipientibus pro se eorum filiis, et nepotibus masculis; et postmodum factis aliis renovationibus investituræ pro tempore agnatis, et successoribus de eadem familia Brancaleonea. Modo ob defectum successionis bona devoluta sunt ad dictum capitulum. Petierunt alii de Brancaleonibus novam investituram, et S. C. censuit esse locum renovationi ad formam voti rotalis [195], quod ead. S. C. prius exquisierat : *Callien.*, *Castrorum.*, 1 *april.* 1702.

3. Dubio, an investitura, seu emphyteusis cujusdam pistrini olim concessa Francisco Senechetto ad tertiam generationem a monachis S. Benedicti congregationis Cœlestinorum Nursiæ, durare debeat in favorem PP. et congregationis Oratorii S. Philippi Nerii, hæredis instituti ejusdem loci, durante vita sororis Mariæ de Senechettis? S. C. respondit, ut placeret concordia : *Spoletana, Emphyteusis*, 1 *decem.* 1703.

4. Renuente capitulo S. Petri in Vaticano, quod vigore unionis, et incorporationis per Pium IV, Pont. Max., sibi factæ in commendam retinet, insignem abbatiam S. Rufilli sitam inter Ravennatensem, et Cæsenaticam ditionem assensum suum præstare renovationi investituræ quarumdam domorum, quæ emptæ fuerunt salvis juribus directi dominii dictæ abbatiæ, ac solutione laudemii; S. C. requisita ab emphyteutis rescripsit idem capitulum suum præstare assensum haud teneri : *Nullius, Provinciæ Ravennaten.*, 29 *novem.* 1704.

5. Conquerentibus incolis civitatis Perusiæ, quod ecclesiarum, aliorumque locorum piorum administratores bona illis, ut asseritur, appodiata, extincta linea primi investiti, ammensantes detrectarent eorumdem bonorum investituram denuo concedere iis qui in gradu proximiores erant ultimo investito, in quorum favorem Pont. Max. Alex. VII suam Constitutionem [196] edidit. At quoniam hæc diversas passa est interpretationes, hinc proposita fuerunt hæc dubia, an bona, quorum origo non ignoratur, quæque constat fuisse tanquam propria per ecclesias, vel loca pia post editionem brevis Alexandrini in emphyteusim concessa cum certis conditionibus, et signanter cum pacto reversivo finita linea, comprehendantur sub dispositione brevis Alexandri VII Pont. Max.?

6. An sub eodem brevi includantur bona, quæ non ad tertiam generationem, sed ad vitam investiti, vel ad viginti novem annos concessa fuerunt? et quatenus negative.

7. An ammensatio fieri valeat statim sequuto obitu investiti, seu potius expectari debeat terminus annorum 29, vel alterius temporis, ad quod investitura fuerit restricta?

8. An renovatio ad formam dicti brevis fieri debeat etiam de illis bonis, quæ non ob lineam finitam, sed ob non solutum canonem, vel ex alia causa emphyteutæ devoluta fuerunt?

9. An in casu faciendæ renovationis in ea accedentibus hæredibus sanguinis, vel testamentariis, sibi alio titulo universali succedentibus in hæreditate, ac patrimonio ultimi investiti, quis eorum in renovatione præferri debeat?

10. Quod dicendum sit in casu, quo deficientibus hæredibus extraneis ad renovationem concurrant hæredes sanguinis, et creditores ultimi investiti.

11. An renovatio post obitum investiti peti debeat infra certum tempus, ita ut eo elapso licitum sit bona ammensare, vel aliis ad libitum cum pactis, et con-

[195] Votum rotale duobus decisionibus sub diebus 5 *maii* 1700 et 17 *junii* 1701, *cor. Molines.* decis. 674 et 730, tom. 3, innixum, cum ex jure novissimo sublata fuerit inter agnatos, et cognatos quæcumque sexus differentia, idcirco in renovatione emphyteusis *ex pacto*, et *providentia* apertæ per generationis expirationem in ultimo defuncto, denuo decidit præferendam esse matrem in concursu agnatorum. Resolvit ulterius matre interim defuncta prælationem deberi quoque filio secundi tori, exclusis agnatis, quia in eum continuatur lis, et instantia quæ fuerat cœpta cum matre.

[196] Sum. Pont. Const. *Alias*, 15 januar. 1661, §§ 2 et 3 sancivit « Cum itaque, sicut nobis nuper exponi fecistis, bona stabilia in territorio civitatis nostræ Perusiæ existentia pro majori, et meliori eorum parte livellaria, et emphyteutica, ac de dominio directo ecclesiarum, ac monasteriorum utriusque sexus existant, et bona emphyteutica, et livellaria hujusmodi ex inveterata, et immemorabili consuetudine, prioribus eorum concessionibus finitis, in emphyteusim, sive livellum ab eorum dominis semper de novo concedi soleant, cumque, si ecclesiastici, finita lineas ad quam bona prædicta concedi consueverunt, illa pro se retinere vellent, magnum exinde incolæ civitatis, et diœcesis Perusinæ susciperent detrimentum : quinimmo plerique ex iisdem incolis ad inopiam redigerentur. Nobis præterea supplicari fecistis, etc. Quod de cetero perpetuis futuris temporibus illi, ad quos spectabit, bona supradicta directi dominii ecclesiastici, quandocumque contigerit, ea per lineam finitam devolvi, proximioribus in gradu personæ illi per cujus decessum linea hujusmodi finietur cum augmento tamen canonum, et solutis laudemiis solitis necnon cum obligatione meliorandi eadem bona ecclesiastica concedere, ipsosque proximiores de illis investire omnino debeant, et teneantur, illaque pro se retinere nullatenus possint, apostolica auctoritate tenore præsentium statuimus, etc. »

ditionibus magis utilibus concedere, et an admitti debeat purgatio moræ etiam non integra? et quatenus affirmative.

12. An saltem proximioribus, vel hæredibus concedi debeant investituræ cum eisdem pactis et conditionibus, cum quibus investitus fuit extraneus, et intra quod tempus instare debeant pro purgatione moræ?

13. An petentes renovationem teneantur prius ostendere bona emphyteutica fuisse ab eorum auctoribus meliorata?

14. An si bona non fuerint per auctores meliora facta, petentes renovationem teneantur de proprio meliora reddere intra quod tempus, et sub quibus pœnis?

15. An, quæ quantitas debeatur tam pro intratura, quam pro laudemio in casu novæ concessionis investituræ, vel illius renovationis, et quid in casu sequutæ meliorationis, an ea præsupposita laudemium, et intratura augeri debeat proportione ad valorem rei melioris factæ?

16. An, et pro qua quantitate domini directi valeant cogi ad præstandum consensum alienationi bonorum signanter in extraneum, et an illam teneantur investire?

17. An, et quomodo in casu sequutæ investituræ in favorem emptoris terminata ejus linea, regulari debeat solutio intraturæ in casu faciendæ renovationis, an scilicet habito respectu ad quantitatem solutam in primæva, atque originaria concessione, seu potius proportione ad id quod solutum fuit in actu alienationis bonorum pro consensu illi præstito per dominum directum?

18. An si omittatur solutio intraturæ, laudemii, vel canonis sive cujuslibet ex ipsis locus sit purgationi moræ, et an duplex purgatio moræ admitti debeat signate in casu quo jus domini directi efficitur deterius? et quatenus affirmative.

19. Intra quod tempus petenda sit eadem purgatio, et quid tunc solvi debeat?

20. An in illis casibus, in quibus juxta breve Alexandri VII, Pont. Max., locus est incremento canonis, ille augeri debeat in quinquagesima parte illius quantitatis, quæ per emphyteutam tempore primæ concessionis vel renovationis, seu distractionis, soluta fuit?

21. An in actu renovationis præter intraturam, et canonem solvi quoque debeat laudemium, et quomodo regulandum sit?

Hisce dubiis S. C. respondit ad primum *negative*, ac in reliquis ut recurrant ad judices suos in casibus particularibus præcepit: *Perusina*, 21 *maii* 1735, a dub. 1, usque ad dub. 17.

22. Comes Ferdinandus Furlanus sub directo episcopalis mensæ Mantuanæ dominio possidens quadraginta terræ jugera partim concessa pro se, suisque hæredibus ex eo legitime descendentibus masculis, partim vero ad beneplacitum, et pro hæredibus quibuscumque, etiam extraneis, et quibus casus dederit, postulavit, ut investitura hactenus concessa pro se suisque hæredibus ad hæredes quoscumque etiam fœminas tam ex testamento, quam ab intestato extenderetur. Episcopus favens addit tum in contemplationem expensarum in præfatis bonis erogatarum, tum inspecto patriæ stylo, quo plura episcopatus feuda etiam ad fœminas transire soleant, tum etiam quia majori ex parte dicta bona reperiuntur concessa in feudum honorarium absque ulla præstatione instar allodialium alienabilia, beneplacitum oratori pro ampliatione investiturarum concedi posse. Indulsit revera S. C. respondens pro gratia extensionis ad fœminas: *Mantuana*, 21 *maii* 1735.

23. Abbas Cardinalis Salviati commendatarius SS. Gregorii, et Andreæ vineolam in via, quæ ab arcu Constantini ducit ad ecclesiam eisdem sanctis dicata, sitam, in emphyteusim dedit ad tertiam generationem Capritio Cornovaglia cum onere solvendi summam scut. 400 pro investitura, et præstandi singulis annis vindemiarum tempore cados decem vini, seu respondentem pretii rationem. Finita linea devolutionem acceptavit abbas Card. Chisius, qui peritum elegit, ut vineolam inviseret. Hic retulit confusa esse confinia cum illis vinearum quas circum possident iidem fratres Cornovaglia. Interim iidem fratres sese exhibuerunt dictæ vineolæ investituram renovare oblato investimento scut. 400; ob id petito, quam summam solvere illi debeant? responsum est, summam 400 ad formam conventionis esse solvendam: *Romana, Laudemii*, 24 *novem.* 1770, *dub.* 1.

24. Extincta Joannis Albani, qui in emphyteusim prædium nuncupatum *il Petrazzo* pro annuo, canone scut. 6 duxerat, descendentia, investituram in favorem Josephi Rasponi absque beneplacito apostolico pro canone scut. 9 renovavit Randi rector beneficii, ad quem dictum prædium spectabat. Hanc investituram nuper sub reservatione beneplaciti apostolici in perpetuam immutavit hodiernus rector Joannes Gajani in favorem Raphaelis, et Obitii Rasponi pro canone annuo scut. 15. At pœnitentia ductus infringere cœpit utramque investituram ex capite nullitatis, et quæsitum fuit an constaret de nullitate investituræ anni 1707, ita ut sint restituendi fructus ab eodem? Verum S. C. neminem esse molestandum pro dicta investitura jam expirata in tertia generatione dixit: *Faventina, Emphyteusis*, 18 *aug.* 1787, *dub.* 1.

25. Episcopus exponit, ab immemorabili tempore in perpetuam emphyteusim, vel feudum com-

plura mensæ episcopalis prædia pro canone quintæ partis tritici, hordei, etc. concessa fuisse. Sed modo ad fraudandum canonem emphyteutæ colere sueverunt alia genera, quæ quintæ partis oneri non subjaciunt; idcirco petit Episcopus, an liceat variare qualitatem canonis? et affirmativum tulit responsum : *Tuden., Visit sacr. Liminum*, 14 *januar.* 1792.

§ II.

Emphyteusis ecclesiastica quoad prælationem, concessionem, et beneplacitum apostolicum.

1. Quum actum fuisset de clerico, qui nullum beneficium habebat, nec præter bona patrimonii sacri, alia possidebat, ex quibus alimenta posset sumere, et qui in emphyteusim perpetuam absque licentia Episcopi eadem bona concesserat cum reservatione annui canonis, qui fructibus responderet; quæsitum est, an hujusmodi contractus sustineretur refragante dispositione Concilii Tridentini, cap. 2, sess. 21, *de Reform.* [197]? et S. C. respondit, secundum ea quæ proponuntur contractum supradictæ concessionis in emphyteusim absque licentia Episcopi validum haud esse : *Parmen.*, 20 *julii* 1641.

2. Ad dubium, an sit procedendum ad ulteriora coram Ordinario in exequutione concessionis in favorem fratrum de Georgiis, vel danda sit prælatio fratribus de Capponis cum oblato incremento annui canonis scutorum 5? S. C. respondit affirmative quoad primam partem : *Florentina, Emphyteusis*, 21 *junii* 1698.

3. Petita per Thomam Vidonum abbatem commendatarium S. Silvani oppidi Romaniani facultate concedendi in emphyteusim ad tertiam generationem quoddam prædium prædictæ abbatiæ pro annuo conone scut. 106 cum conditione præsertim reparandi ecclesiam, S. C. resolvit pro facultate, et quoad contenta in cap. 6, 9 et 11, investituræ spectare ad Episcopum : 6 *octob.* 1703. At instante abbate, ac prætendente esse exemptam omnino ab Episcopi jurisdictione eadem S. C. confirmavit, addendo ad secretarium juxta mentem [200] : *Novarien.*, 20 *decem.* 1704.

4. Monasterium monialium urbis Cavæ in emphyteusim concessit Cajetano de Leto cum reservatione beneplaciti apostolici absque tamen edictorum affixione, quædam membra domorum in urbe Neapolitana sita; aucta deinde oblatione a Cantisano de prælatione certatum est, sed neutri concedendam esse sancivit, imo edictorum affixionem præcepit : *Neapolitana, seu Caven.*, 15 *januar.* 1724.

5. Antonius de Cordona, Archiepiscopus Valentiæ, et abbas commendatarius abbatiæ sacræ domus mansionis Teutonicorum in emphyteusim perpetuam castrum dirutum, seu possessionem *della morgana*, quæ ad dictam abbatiam pertinebat principi catholico pro annuo canone unicarum 1337 monetæ Siculæ concessit. Princeps pro beneplacito apostolico exoravit; sed mortuo ante impetrationem Archiepiscopo, collataque abbatia Joanni Branciforti, hic sese opposuit sub obtentu, quod contractus ille utilitate careret. S. C. apostolicum beneplacitum haud esse concedendum respondit : *Panormitana*, 10 *maii* 1727.

6. Bona quædam ad mensam episcopalem Savonensem spectantia in emphyteusim concessa ad tertiam generationem Cæsaris de Maris fuit. Super hoc contractu beneplacitum apostolicum quamvis concessum expeditum tamen minime fuit. In emphyteusim perpetuam sibi concedi idem Cæsar postulavit, prout jam cum prædefuncto Episcopo stipulaverat, sed reluctante moderno Episcopo, beneplacitum apostolicum denegatum fuit : *Savonen.*, 27 *januar.* 1728.

7. Monasterium S. Silvestri in capite cum apostolico assensu concessit castrum Balneoli in diœcesi Hortana situm cum annexis prædiis Laurentio de Roscis. Sed pretium promissum non solvit Roscius, et monasterium bona resumpsit, et in emphyteusim concessit Mariæ Pasottæ ad tertiam generationem. Hoc nesciens Roscius litem cum monasterio pro meliorationum refectione intentavit. Monasterium a contractu cum Pasotta recedendo novum cum Roscio iniit, ejus filiis concedendo eadem bona in emphyteusim perpetuam durante eorum linea masculina, itemque linea masculina unius fœminæ superstitis cum pacto redimendi canonem in summa scutorum 100 pro vice, et diminuendi in summa 30. Modo beneplacitum apostolicum petitur tum a Maria Pasotta, quum a filiis Laurentii Roscii. Verum S. C. concessionem Roscio factam adprobavit, deleta tam facultate affrancandi canonem, et ad tertiam generationem masculinam tan-

[197] Ubi habetur, quod patrimonia clericorum « sine licentia Episcopi alienari, aut extingui, vel remitti nullatenus possint, donec beneficium ecclesiasticum sufficiens sint adepti, vel aliunde habeant, unde vivere possint : antiquorum canonum pœnas super his innovando. » Gallemart, ad hoc caput ad verb. *Nullatenus*, pag. 19, not. 5, ait « *Nullatenus* : quod inducit nullitatem actus ipso jure, non aliam pœnam, affirmant Nav., etc. »

[200] S. C. censuit si Sanctissimo domino nostro placuerit præsentem supplicationem signari posse; ac copia supplicationis asservatur in positione ead. die, et anno; Lib. 54, *Decret.* pag. 477.

tum incipientem a filiis : *Romana, Emphyteusis*, 9 *aug.* 1732, *dub.* 1.

8. Eodemque tempore decisum fuit, prælationem Mariæ Pasottæ minime competere posse super contractum emphyteuticum : *Ibid.*, *dub.* 2.

9. Censuit S. C. bona spectantia ad parochialem ecclesiam S. Petri de Sævio concedenda esse in emphyteusim Francisco Ceccherino ad tertiam generationem tantum, in ejusque favorem beneplacitum desuper expediendum, utpote majori offerenti, quamvis alia oblatio generica aderat Bajulivi Medicei, qui supra quamcumque summam oblatam dimidium scutum monetæ Florentinæ auxerat, quique ante edictorum affixionem contractum perpetuum emphyteuticum cum parocho reservato beneplacito celebraverat : *Florentina, Emphyteusis*, 5 *martii* 1735.

10. Ut bona obnoxia duobus prioratibus ordinis S. Spiritus in Saxia in emphyteusim concederentur Dominico Santoni, utpote majori, meliorique offerenti rescripserat S. C., exinde vero Petro Joanne Evangelista propriam oblationem potiorem esse asserente, ac jura sua contra Santoni deducente, rescriptum est, beneplacitum apostolicum esse concedendum in favorem Dominici Santoni, dummodo accederet obligatio solidalis ejus fratrum : *Lauretana, et Firmana, Concess. benepl. apost.*, 30 *martii* 1743.

11. Comes Flaminius de Bardis hodiernus abbas S. Mariæ de Monteplano patri suo, et abbatiæ compatrone concedere deliberavit in emphyteusim ad lineam masculinam in infinitum terras in suburbiis civitatis Prati positas, et ad usum horti cultas una cum colonica domo, amplisque ædibus dominicalibus, pro annuo canone ducatorum 45, quibus nunc locatæ reperiuntur, cum onere meliora faciendi ædificia pro valore ducatorum 300, ac propterea assensum exquirit apostolicum. Dissenserunt comites Vincentius, et Carolus de Bardis, quorum familia gaudet patronatu activo cum familia oratoris, ac etiam passivo alternatim, ne commodo et oblectamento ædium nobilium privarentur abbates per vices eligendi ex eorum familia. Verum S. C. reali præcognita ecclesiæ utilitate, emphyteusis concessioni locum esse respondit, præfixo tamen alteri compatrono termino pro optione : *Pistorien., seu Praten., Emphyteusis*, 21 *novem.* 1761.

12. Disceptatum quum esset, utrum emphyteusis bonorum spectantium ad gemina beneficia per Antonium Cosimi possessa, alterum nuncupatum S. Luciæ in Ripana diœcesi, et alterum S. Mariæ situm prope Menochiæ flumen intra fines ecclesiæ Firmanæ, concedenda sit Joanni Guidi, qui affixis edictis attulerat annuum canonem scut. 360, seu potius Bernardino Voltatorni, qui pensionem primum exhibuerat annuam scut. 342, et qui subinde majorem oblationem Guidi peræquaverat; et quum Franciscus Sciarra suam quoque coram S. C. pro persona nominanda, et sub certis exprimendis fidejussoribus dedisset oblationem pro annuis scutis 400; hinc S. C. decisionem suspendit, et dixit ad mentem [201] : *Firmana, Emphyteusis*, 19 *aug.* 1775. Affixis edictis, et Archiepiscopo pro Bernardini Voltatorni idoneitate, et agrorum peritia instruente, causa iterum proposita definita fuit pro concessione huic facienda secundum Archiepiscopi votum : 27 *april.* 1776.

13. Bona, quæ episcopalis mensa possidet in oppidis Stabiæ, et Calcatæ, in emphyteusim perpetuam dare putavit. Intra præfixum quindecim dierum tempus unicus comparuit Julianus Bernardinus, et 140 obtulit scuta. Nondum pro eo expeditis bullis apostolicis comparuit Franciscus Agneni bonorum conductor, obtulitque auctum canonem 145 scutorum. Episcopus tutiorem oblatorem esse reputavit Julianum, quamvis minoris summæ. Sed S. C. investituram dandam Juliano esse censuit juxta oblationem scutorum 145, præstita tamen pariter idonea fidejussione juxta votum Episcopi : *Civitatis Castellanæ, Emphyteusis*, 23 *novem.* 1776.

14. Ad obtinendum in emphyteusim beneficium obærati Antonii Cosimi in castro Montis Urani Firmanæ diœcesis positum, obtulit Petrus Manuccius, et obtulit Dominicus, ejusque filii de Diomedibus. Primus obtulit 63 scutorum annuorum pensionem exemptam ab omnibus oneribus, promisitque propriis sumptibus ædificare domum in prædio emphyteutico, necnon novas arbores serere, et promisit tum pro securitate canonis, tum pro faciendis meliorationibus obligare in favorem beneficii quatuor loca montium cameralia. Alter vero obtulit eamdem pensionem, sed nec tutiorem, nec cum iisdem pactis. S. C. respondit concedendam esse Petro Manuccio ad tertiam generationem masculinam, ab ipso incipiendam pro annuo canone scut. 63, et cum onere obligandi 5 loca montium S. Petri non vacabilium, plantandi arbores, et construendi domum ruralem ad formam in omnibus alterius oblationis ab ipso factæ die 11 decem. 1777 : *Firmana, Emphyteusis*, 19 *sept.* 1778, confirmata [202] juxta modum : 17 *julii* 1779.

[201] « Et mens est, ut Card. archiepiscopus nova mandet proponi edicta in civitate Firmi, necnon, et nova proponantur in civitatem Ripanæ et Franciscus Sciarra declaret personam, pro qua obtulit die 12 currentis augusti, necnon et personam fidejussoris dictæ personæ nominandæ : *Ead. causa*, 19 *aug.* 1775.

[202] Nempe emphyteusim esse concedendam juxta resolutionem creditorum diei decem. 1778.

15. Emphyteusis contractu inito inter rectorem beneficii sub invocatione S. Joannis Baptistæ erecti in ecclesia S. Mariæ terræ Montis Fani, et Hyacinthum Consoli super prædio ad beneficium spectante, S. C. pro edictorum affixione rescripsit. Majores inde offerentes adinventi sunt, ita ut S. C. putaverit emphyteusim concedendam esse comiti Carradori, nondum vero expeditis litteris apostolicis, novi, melioresque afferentes accesserunt extra tempus in edictis præfinitum. Certatum igitur fuit an procedendum esset ad litterarum expeditionem in favorem Carradori, sive recipiendæ essent novæ oblationes? decretum est, ut affigerentur nova edicta firma tamen remanente oblatione Passarini, majoris nempe offerentis expostea superventi: *Auximana, Emphyteusis*, 12 *maii* 1781. Edictis affixis, auctisque oblationibus reproposita fuit causa, et rescriptum, instrumentum emphyteusis stipulandum esse in favorem unius ex filiis Joannis Tralucci ad tertiam generationem masculinam tantum, utpote qui major, melior que oblator compertum fuerit: 10 *januar.* 1784.

16. Capitulum collegiatæ ecclesiæ SS. Petri, et Pauli oppidi Montis Luponum in emphyteusim nonnulla prædia dare cupiens, inter ceteros offerentes selegit Carolum Antonium Ferrari, qui a seipso, et a filiis prima generatio computari prætendebat, et promisit medietatem capitalis pro semine, et belluis, quibus prædia instructa reperiebantur, promisitque canones de quadrimestri, in quadrimestre anticipate persolvere. S. C. contractum probavit, et præscripsit, ut generatio inciperet ab offerente, et ut pretium belluarum, et seminis a capitulo investiatur. Hæc sententia non arrisit capitulo, quod pretium ad singulos capitulares pertinere censuit; nec offerenti qui voluit, ut ab ipso, et a filiis emphyteusis inciperet. Hinc reclamantibus his, et postulato, quomodo stipulandus sit contractus? S. C. resolvit, stipulandum esse in favorem Caroli Antonii Ferraris patris, et filiorum, usque ad ipsius Caroli Antonii pronepotes inclusive ad tertiam generationem tantum, cum conditionibus ad formam præcedentis rescripti, reservato tamen pretio belluarum in favorem utriusque capitularis pro rata parte respective competente: *Laureutana, Emphyt.*, 13 *martii* 1784.

17. Felicianus Anibali rectori sacerdoti Philippo Zarulli oblationem fecit annui canonis scut. 191, quatenus annueret prædia in agro Marsiani existentia in emphyteusim concedere, ac præter canonem omnia bona reparare, et a flumine Nestore munire promisit. In limine ineundi contractus, emersit Joseph Amori, et edictorum ignorantiam adducens, iterum obtinuit affigi edicta. Felicianus oblationem ampliavit ad scut. 200. ob. 75, et voluit sibi tanquam primo offerenti jus prælationis reservatum. E converso Joseph Amori vigesimam in decemdio auxit. Aliis affixis edictis binæ schedulæ delatæ sunt ad acta: alia nempe Josephi, qui supra vigesimam obtulit scut. 245, 3; scilicet ad scut. 214, 74, et altera Feliciani, quæ ad scut. 211 pertingit; qua de re ambo ab Episcopo idonei reputati, de prælatione contendunt, et beneplacitum apostolicum postulant. Verum Joseph vicit, quum S. C. concessisset beneplacitum apostolicum cum obligatione tamen reparationum, et meliorationum in prima oblatione Feliciani contentorum: *Perusina, Emphyteusis*, 4 *feb.* 1786.

18. Galeatius Marescotti bina possidens deteriora facta beneficia postulavit, ut in emphyteusim Bernardino Pozzi sibi dare liceret. Affixisvero edictis Pozzi obtulit scut. 30, cum obligatione plantandi viginti mororum arbores. Marcus Bertoccini obtulit scut. 54; obtulerunt etiam, et plurimi alii, sed minorem omnes oblationem fecerunt. Hinc S. C. definivit stipulandum esse in favorem Marci Bertoccini salvo jure vigesimæ, et sextæ: *Urbevetana, Emphyteusis*, 6 *maii* 1786.

19. Joseph Marchetti oblationem in emphyteusim duorum prædiorum ad beneficium Cosmi spectantium extrajudicialiter factam in 8 annuis scutis judicialiter adauxit ad scut. 8, 50. Iis tamen addicit postmodum ob. 50 Marianus; quod ut rescivit Marchettus obtulit vigesimæ titulo scut. 10, 50. Hac deinde ab ipsomet Mariano ratihabita, votum statim aperuit Firmanus Antistes, quo satis consultum asseruit, et creditorum, et rei ecclesiasticæ utilitati idoneum præstaret fidejussorem. Verum contradicente Marchetto de prælatione eam competere Josepho Mariani, et cum eo stipulandum esse instrumentum emphyteusis ad tertiam generationem masculinam cum solidali obligatione Philippi Massa C. S. censuit: *Firmana, Emph. super prælat.*, 29 *julii* 1786, confirmata 20 *januar.* 1787.

20. Hodiernus rector beneficii erecti ad altare S. Antonii Patavini in parochiali ecclesia S. Joannis Baptistæ terræ Fusignani in perpetuam emphyteusim sub reservatione beneplaciti apostolici immutavit prædium quoddam nuncupatum *il Predazzo*, aquis vicini lacus inundantibus obsitum pro ingenti canone scutorum quindecim, quum valoris vix illud esset scut. 100, quod prædium jam concessum erat ad tertiam generationem dudum extinctam. At pœnitentia ductus idem rector investituras illas dixit nullas tum ex defectu beneplaciti apostolici, tum quia de prædio fertili agebatur; hinc quæsitum fuit, num concedendum sit beneplacitum apostolicum pro investituræ perpetuæ adprobatione, et negativum exiit responsum: *Faventina, Emphyteusis*, 18 *aug.* 1787, *dub.* 2.

21. Christophorus Ceppetelli ad prædia nuncu-

pata *S. Bartolo della Costa, via Piana,* quæ ecclesiæ S. Mariæ *dell' Oliva* sacerdos Franciscus Maria Mostarda reliquit, in emphyteusim danda, annuum obtulit canonem scut. 105, et major tunc fuit oblatio. In secunda licitatione obtulit 95, vixque ejus oblationem in uno scuto superavit Dominicus Ricci. Post tredecim vero dies Ceppetellius vigesimam addidit, quæ scutorum erat 4, 80, sed eo non obstante deliberatum fuit in publicis comitiis, Dominicum Riccium, et alterum Dominicum nuncupatum Barucca, eorumque filios præferendos fore, ni prælatio jure debeatur Ceppetellio oblatori vigesimæ. De prælatione modo certant præfati, et emphyteusis stipulationem urget communitas Barbaræ, et etiam in qua summa exquirit; respondendum S. C. censuit in favorem Christophori pro scutis 105, salva vigesima, per bullas: *Senogallien.*, *Emphyteusis*, 16 *junii* 1787.

22. Minores patres de observantia in cœnobium, ac ecclesiam suburbanam S. Laurentii Beneventi recepti prædiolum tumulorum circiter quinque nuncupatum *la Selva* a communitate receptum in emphyteusim dederunt canone majori pretio locationis, et onere valde patribus utili. Quæsierunt inde beneplacitum apostolicum, sed S. C. contractum Seraphicis regulis devium reprobans beneplacitum petitum denegavit: *Beneventana*, 4 *april.* 1789.

23. Affixis edictis pro bonis a Flaminio de Romanis originariis puellis, aut viduis Montis Cœlii, cum onere cohabitandi in ejus domo, ac recitandi quotidie tertiam SS. Rosarii partem, relictis, et in emphyteusim dandis, tres datæ sunt oblationes. Primam scut. 32, 50 Roccus obtulit Massucci: alteram scut. 35 Jucundus Poggioli, et tertiam demum scut. 45 Joseph Santarelli; novissima hæc oblatio ceteras duas superavit etiam in conditione. Deliberata hinc ei fuit emphyteusis, salvo jure vigesimæ, et sextæ. Contentio inter offerentes facta fuit super vigesima. Ultra eam Paggiolus obtulit scut. 3; Santarellius 3, 50; Gaudentius Stazius 10, 50, absque ulla obligatione oneris. Rem adhuc integram credentes esse tres alii de Statiorum gente canonem obtulerunt scut. 54, nulla penitus assumpta obligatione. Deliberata fuit iterum Santarellio emphyteusis pro scutis 50, et ob. 75, dummodo meliorationes cedant in favorem legati pii, salvo jure sextæ. Universi in Santarellium irruunt Statii, et de stipulatione instrumenti contendunt; sed S. C. in favorem ejusdem Santarelli salvo jure sextæ rescripsit: *Tyburtina, Emphyteusis*, 29 *aug.* 1789. At S. eadem C. recedendo a decisis esse stipulandum in favorem Statii salvo jure sextæ decidit: 19 *decem. ejusd. anni*, confirmata 27 *febr.* 1790.

24. S. C. locum esse stipulationi contractus emphyteutici quoad prædia in vocabulo *S. Maria Rotonda, e case tonde* ad formam expletarum deliberationum, salvo jure sextæ. Nam utilitas capituli S. Bartholomæi Murrivallium evidens est. Si decennis attendatur prædiorum calculus, major erit canon in scut. 500, et ultra; si relatio Archiepiscopi in scut. fere 300: *Firmana*, *Emphyteusis*, 15 *januar.* 1791.

25. Emphyteusis abbatialium bonorum S. Mariæ in Sitria, et S. Gaudentii, vulgo *della Barbara*, quæ locari consueverunt pro annuis scutis 3150, conceditur, salvo jure vigesimæ, et sextæ, marchioni Aloysio Herculani pro canone scut. 3735, aliisque utilibus pactis, excluso Josepho de Grandis minus idoneo, licet obtulisset canonem scut. 3780: *Senogallien.*, *Emphyteusis*, 29 *januar.* 1791, confirmata 16 *april. ejusd. anni.* Deinde dicta emphyteusis concessa præfato marchioni salvo jure vigesimæ, et sextæ addicitur commendatario Antonio Camerata de Mazzolenis sextario; et inspecta resolutione affictus eorumdum bonorum, præfigitur unius mensis Herculano ad deliberandum super prælatione in sexta: 15 *sept.* 1792, *dub.* 1.

26. Retardata vero stipulatione contractus cum Herculano ob nonnulla pacta ab eodem apposita, et a procuratore fiscali rejecta, tanquam abbatiali mensæ præjudicialia, differtur resolutio causæ, et elapso termino unius mensis assignato pro prælatione, reproponi mandatur: *Ibid.*, *dub.* 2.

27. Emphyteusis perpetua approbatur in favorem Antonii Galbani canonici theologi collegiatæ ecclesiæ Mareni pro canone scut. 22, cum capitulo abbatiali Ceccani, cujus bona unum corpus constituunt cum bonis theologalis præbendæ, quæ ex quinque beneficiis ejusdem capituli proveniunt: *Albanen.*, *Emphyteusis*, 3 *martii* 1792.

28. Sacerdos Philippus Adami possessor beneficii simplicis fundati in ecclesia parochiali S. Georgii Portus Firmi S. C. Episcopor. et regular. exoravit, pro facultate concedendi ejus bona in emphyteusim perpetuam, et rescriptum tulit non expedire. Hinc hoc silentio prætermisso rescripto S. C. adiit, ostenditque reditus beneficii fuisse scut. 68, onera 26, 85, 3. Canonem oblatum scut. 120, ac cum solutione scut. 8 circiter pro onerum rata parte, et S. C. rescripsit pro facultate arbitrio et conscientia Archiepiscopi ad tertiam generationem masculinam Joan. Baptistæ Medori offerentis pro scut. 120 salvo jure vigesimæ, et sextæ: 19 *febr.* 1791 *per sum. prec.* Inde dubitatum est de nullitate rescripti, et S. C. non esse exequendum, et rectorem beneficii uti jure suo in S. C. Episcopor. et regular. prævenia declaravit: *Firmana*, *Emphyteusis*, 21 *julii* 1792.

29. Emphyteusis vitalitia bonorum beneficii SS. Philippi et Jacobi, erecti in ecclesia parochiali

Siroli, per beneficiatum concessa Riccardo Riccardini, approbatur a S. C. per concessionem beneplaciti apostolici in contractu reservati, novis offerentibus illi inferioribus neglectis : *Anconitana, Emphyt.*, 17 *aug.* 1793.

30. Emphyteusis ad tertiam generationem masculinam tantum bonorum sodalitii Sanctissimi Salvatoris Montis Ulmi deliberata Joanni Philippo Bartolazzi cum hortis, et promptuario, in rescriptis S.C. comprehensis, licet in edicto non expressis, confirmatur; neglectis majoribus oblationibus datis post expeditas ab illo litteras apostolicas, in quibus jus vigesimæ, et sextæ reservatum erat, etiamsi dictæ oblationes nomine vigesimæ datæ sint, sed extra vigesimæ terminum : *Firmana, Emphyt.*, 10 *maii* 1794. Deinde Joseph Maria Pascucci, et Nicolaus Campetella, et Lucas Luchetti vigesimam obtulerunt; et S. C. consulta, oblationem vigesimæ Luchetti tributa per eumdem idonea fidejussione ab Archiepiscopo approbanda esse admittendam declaravit : 18 *julii* 1795.

31. Emphyteusis bonorum spectantium ad duo unita beneficia B. Virginis Lauretanæ, et S. Joannis Evangelistæ erecta in priorali ecclesia castri Lapedonæ, conceditur Gregorio Ruggeri meliori offerenti, finita tamen eorumdem bonorum locatione, et exhibita per eumdem Ruggeri idonea fidejussione ab Archiepiscopo approbanda; necnon præfixo termino unius mensis ad deliberandum super prælatione Vincentio Graziani primo deliberatario : *Firmana, Emphyt.*, 11 *maii* 1793. Inde quum essent in bonis emphyteuticis cæduæ arbores, quæ culturæ agrorum nocent, Ruggerius, et beneficiatus exoraruntpro facultate incidendi ad effectum investiendi in censibus, vel bonis stabilibus, cum reservatione fructuum in favorem emphyteutæ in compensationem excessivi canonis, et S. C. ultro omnia concessit : 17 *decem.* 1796.

32. Quoad bona nosocomii Ripæ, quod Card. Archiepiscopo ecclesiæ Lateranensis subest, in emphyteusim, ad tertiam masculinam generationem tradendam, S. C. primum rescripsit : Dilata, et eidem Card. Archipresbytero pro nova affixione edictorum super ultima oblatione Boccabianca : *Ripana, Emphyt.*, 23 *novem.* 1793. Deinde deliberatur dicta emphyteusis, salvo jure vigesimæ, et sextæ comiti Vincentio Recchi, qui major in termino edictorum fuit offerens, non inspecta ampliori oblatione data extra terminum, et pendente lite per Antonium Boccabianca : 31 *maii* 1794.

33. Postulata fuit facultas nomine administratorum xenodochii S. Mariæ Humilitatis, et S. Joan. Firmi concedendi bona ejusdem loci pii in emphyteusim, et offerente consuetis servatis solemnitatibus invento, dicti administratores questi sunt de ementito ipsorum nomine in petenda dicta emphyteusi, et obstant dicto contractui, *ne mirum cogatur hospitale ea emere, quæ nunc ex suis prædiis sibi præsto sunt.* Re itaque in S. C. delata, decidit esse locum concessioni emphyteusis. Nam constabat de mala bonorum administratione, et per emphyteusim duplex fere augebatur reditus : *Firmana, Emphyteusis*, 12 *martii* 1796, *dub.* 1.

34. Et quum tres comparuissent offerentes edictis affixis, Joseph Silverius cum oblatione scutorum 1450 nulla adjecta conditione, alii scut. 1242 et scut. 1225, 95 cum conditionibus, et Archiepiscopus primam oblationem amplissimam judicat, sed potius de ejusdem idoneitate dubitat, ob alias assumptas emphyteuses; hinc S. C. pariter quæsita, esse concedendum beneplacitum apostolicum in favorem Silverii cum solidali fidejussione ejus fratris, et cum solitis pactis, et clausulis, salva jure vigesimæ, et sextæ : *Ibid., dub.* 2.

35. Sodales Sanctissimi Rosarii oppidi S. Michaelis supplicarunt pro facultate concedendi in emphyteusim prædiolum sodalitii sylvosum, et affixis edictis majori oblatori comiti Camillo Cellesi deliberata fuit emphyteusis ad tertiam generationem masculinam, dummodo inciperet a suis filiis pro pensione scut. 8, 25. Sed congregatio sodalitii contradixit præviribus contractui ea ratione, quia Cellesi confinis est cum prædiolo, et castri dominus. Sed S. C., cui res delata est, concedendum esse in favorem Cellesi emphyteusim ad formam ejus oblationis salvo jure vigesimæ et sextæ : *Balneoregien., Emphyteusis*, 18 *junii* 1796, confirmata 30 *julii ejusd. anni.*

36. Vigore facultatis S. C. Concilii affixis edictis ad emphyteusim ad tertiam generationem masculinam bonorum legati pii Antonii Bojardi obtulit Matthæus Gulinelli, et fratres Giuliani, qui vigesimam inde exhibuerunt, sed Card. Archiepiscopus novis edictis affixis suo consilio contractum deliberavit in favorem dicti Matthæi majoris oblatoris in pensione super vigesimam scut. 110; sed antequam obtineretur beneplacitum apostolicum, et instrumentum stipularetur, obtulit canonem scut. 150 Dominicus Bottoni, cui fratres Giuliani jam offerentes jura cesserunt. Hinc re in S. C. delata super prælatione decisum est, deliberationem emphyteusis in favorem Gulinelli non esse servandam : *Ferrarien., Emphyteusis*, 18 *junii* 1796, *dub.* 1.

37. Et dubio, an, et in cujus favorem sit locus illius concessioni? rescripsit : Dilata, et firma remanente oblatione Bottoni, scribatur Card. Archiepiscopo pro nova affixione edictorum cum solitis clausulis : *Ibid., dub.* 2.

38. Quum simplex beneficium S. Angeli fundatum in ecclesia S. Margaritæ villæ Maltignani redderet scut. tantum 10, et reddi possit scut. 17, 25;

beneficiatus Julius Nuvoletti petiit facultatem bona illius in emphyteusim ad tertiam generationem masculinam concedere. Hinc edicta affixa sunt, et major oblator fuit Hieronymus Ercoli, qui obtulit scut. 15, 50 annua; qua de causa S. C. die 21 junii 1794, tribuit ei salvo jure vigesimæ, et sextæ. Inde oblata vigesima Herculeus illam superavit, et fuit scut. 17. At modo opponit, non comprehendere cum dicta summa monialium quamdam præstationem frumenti, et bullarum expensas. Sed S. C. desuper quæsita, voluit, rescriptum diei 21 junii 1794, pro canone scut. 17, exequi salvo jure sextæ : *Spoletana, Emphyteusis*, 18 *junii* 1796, dub. 1.

39. Perpensa utilitate sodalitii SS. Resurrectionis, et suffragii Murrivallium concedendi in emphyteusim nonnulla ejusdem prædia, major oblator et magis idoneus ex judicio Archiepiscopi comparuit Joseph Marchettus, qui exhibuit scut. annua 370. Hinc S. C. consulta in hujus favorem esse locum instrumenti emphyteusis stipulationi statuit, salvo jure vigesimæ, et sextæ. Et ita rejecta fuit oblatio Nicolai Rochini in scut. 389, ære alieno gravati, et oblatio Emidii Gallucci titulo vigesimæ in scut. 389, et Simonis Giachinii pariter titulo vigesimæ in scut. 390, 40 : *Firmana, Emphyteusis*, 30 *julii* 1796.

§ III.

Emphyteusis ecclesiastica quoad perpetuitatem, et affrancationem.

1. Capponus de Capponis, a rectore commendatario parochialis ecclesiæ S. Petri in Campo duobus abhinc seculis in emphyteusim sibi, et per lineam masculinam descendentibus plura prædia ad ecclesiam præfatam spectantia accepit. Multa hodie existunt meliorationes, et hæc, et prædia ipsa confusa quoque sunt cum bonis propriis familiæ de Capponis. Hinc fratres de Capponis preces exhibent, ut eis detur affrancationis facultas ad evitandas lites de identitate meliorationum, et prædiorum faciendas. Verum S. C. non definivit, jussit tamen firmari statum bonorum, de quibus agebatur coram judice subdelegando sumptibus DD. de Capponis : *Piscien., Affrancat.*, 13 *junii* 1733, *dub.* 1 et 2.

2. Obtinuit Joannes Baptista Marius nobilis Genuensis sibi adjudicari quædam bona Hyacinthi Mainerii debitoris sui, quæ emphyteutica erant monasterii S. Petri *de Vezema*, quum adjudicatio et possessio facta fuisset absque monasterii consensu, et absque laudemii solutione investitura, necnon in dominum recognitione. Eorum bonorum affrancationem idem Marius postulavit, et dissentiente monasterio negativum tulit responsum S. C. : *Januen., Affrancationis*, 13 *febr.* 1745.

3. Curator archiepiscopalis mensæ exposuit, quod inter illius mensæ bona plurima sint emphyteutica tam urbana, quam ruralia, pro quibus a mensa tenuissimi canones exiguntur; quod in dividendis bonis emphyteuticis inter fratres emphyteutas, et in constituendis fœminarum dotibus, emphyteutæ multiplicentur absque scientia mensæ archiepiscopalis, confinia immutentur, vocabulorum appelationes confundantur, documenta, et memoriæ pereant. Hinc idem curator supplicat, ut bona illa a nexu emphyteutico solvantur, annuentibus tamen, vel petentibus illorum possessoribus ad rationem decem pro centenario rerum pretii, vel pro majori, vel minori summa juxta eorumdem possessorum facultates, ad effectum tamen receptas deponendi pecunias, et cum Archiepiscopi, et capituli consensu in tot bona stabilia investiendi. Proposito hinc an, et quomodo esset oratoris precibus annuendum ? causa stetit irresoluta, et dictum fuit ad secretarium ad mentem : *Urbinaten.*, 20 *januarii* 1781.

4. Marchio Philippus Ercolani cupiens redimere suam canonis ratam partem unica facienda solutione scutorum 462, vigore instrumentorum investiturarum a mensa Ferrariensi concessarum, postulat, ut eidem concedatur facultas redimendi dictam canonis ratem partem, eo oblato pretio, quod pro eadem mensa potest investiri. Sed nulla prodiit definitio, quum fuisset demandatum, ut exhiberentur instrumenta transactionis anni 1668, et investituræ factæ in favorem marchionis Ercolani : *Ferrarien.*, 15 *sept.* 1781.

5. Inter cetera prædiorum segmenta, quæ ad perficiendem novum a communitate Priverni aquæductum requirebantur, frustulum erat prædioli *Pendola* a rectore parochialis ecclesiæ S. Benedicti fratribus Martellucci in emphyteusim jam dati ad tertiam generationem. Prævia periti Agrimensoris æstimatione utile illius dominium emit communitas ab emphyteusis pretio scutorum viginti, deindeque de perpetua egit emphyteusi cum parocho, aucta canonis rata, ac liquidata summa scuti unius, et ob. 32, ad annuum scutum unum, et ob. 60. Supplicavit deinde S. C., et obtinuit juxta votum Episcopi [203], et ad secretarium cum Sanctissimo : *Privernen., Emphyt.*, 16 *junii* 1787, *dub.* 2.

[203] Qui concludit « posse indulgeri oratori licentiam præfatam contractum perpetuæ emphyteusis cum communitate ineundi, quatenus tamen augeatur canon annuus ad scuta duo, et ob. 44, qui sane respondebit valori intrinseco fundi ad rationem saltem quatuor pro centenario. » Addiditque « quod portionem terreni, quæ retinenda superest a fratribus Martellucci, compellendos juris remediis eos esse una cum curato ad impetrandum beneplacitum apostolicum : » *Ead. causa*, 16 *junii* 1787, § 2.

6. Prædiola quædam, et domus collegiatæ ecclesiæ oppidi S. Agathæ in emphyteusim concessa ad tertiam generationem dant canonem annuum scut. unius, et ob. 60, et spem in fine generationum consequendi scut. 200, loco laudemii. Postulat capitulum affrancandi facultatem, et S. C. annuit juxta votum Episcopi [204] : *Feretrana*, 18 *julii* 1789.

7. Nonnulla xenodochium Pietatis Fulginei in emphyteusim ad tertiam masculinam, et fœmininam generationem concessit prædiola, quæ in unum corpus coacta deliberata fuerunt sub hasta. Qui hastam poni curavit, servare tenetur emptorem a canone ; ideo obtulit xenodochio pro illorum affrancatione scut. 15 in singula centum juxta consuetudinem loci. Prior xenodochii oblationem accepit, rogavitque pro licentia concedendi etiam imposterum affrancationes, si ab aliis emphyteutis peti contigerit, et S. C. plene præcidit : *Fulginaten.*, 29 *aug.* 1789.

8. Ob tenues Feretranæ cathedralis præbendas perpetuo Summus Pontifex incorporavit mensæ capitulari abbatiam S. Mariæ de Mutino, alteramque S. Leonardi montis Tifforum. Quum primum igitur delata esset capitulo prioris abbatiæ possessio, canonici exorarunt S. C. pro facultate liberandi a vinculo emphyteusis nonnulla ejus prædiola, et obtinuerunt die 9 sept. 1786 modo in silentio prætermissam narrationem quod nil ex emphyteuticis concessionibus percipiebant, iterum gratiam efflagitant, et S. C. concessit ad formam prædicti rescripti [205] : *Feretrana*, 25 *junii* 1791.

§ IV.

Emphyteusis quoad validitatem, nullitatem, et sanationem contractus.

1. Rector seminarii domum quamdam ad seminarium spectantem Episcopo ita mandante in emphyteusim ad tertiam generationem concessit Antonio de Miccio pro annuo canone ducat. 13, spreto Carolo Pingerna, qui in publica sub hasta venditione præcedenter facta canonem decem, et octo ducatorum obtulerat. Quæsita de validitate dictæ emphyteusis S. C. ut citetur Miccius emptor mandavit : *Fundana, Deputat. offic. seminarii*, 26 *martii* 1689, *dub.* 1.

2. Capitulares collegiatæ ecclesiæ S. Mariæ terræ Cavarum cum beneplacito vicarii generalis in emphyteusim perpetuam archipresbytero Joachim de Simeonibus concesserunt binos parvos hortos, unum pro canone annuo juliorum 7 cum dimidio, alter juliorum 3, et cum pacto, ut capitulum juris remediis cogat communitatem si unquam aquam denegaret. Hos archipresbyter bene excoluit ad formam viridarii et mansionis faciem commutavit. Inde capitulares prætensionem excitarunt super nullitate contractus, absque beneplacito apostolico stipulati. Et in S. C. dubium fuit propositum super validitate, et super sanatione ejusdem, quam petiit archipresbyter ; ob id S. eadem C. primum non sustineri emphyteusim decidit : *Prænestina, Emphyteusis*, 12 *januar.* 1715, *dub.* 1.

3. Deinde esse locum sanationi ejusdem juxta petita in præsenti deleto pacto aquæ statuit : *Ibid., dub.* 2.

4. Moniales S. Joannis Baptistæ civitatis Laudensis facultatem in emphyteusim ad tertiam generationem concedendi quædam prædia reditus librar. 10000 petierunt, inde affixa edicta fuere, in quibus expressum fuerat bona danda esse ad responsionem pro annis novem. Ac deliberata fuit Angelo Bernardo Rinaldi bona dicto canone, et pacto affrancandi. Comparuit Marcus Antonius Baggius Mutianus, et exposuit eum auxisse canonem ad libr. 330 ; et sortem pro affrancatione ad libr. 11000. Moniales eum non audierunt, sed eum audit S. C., quæ decernit contractum emphyteuticum non sustineri, et affigi nova edicta : *Lauden.*, 2 *junii* 1731, *dub.* 1.

5. Emphyteusis contractus celebratus inter rectorem beneficii simplicis sub invocatione S. Cataldi erecti, et Joannem Zucconi usque ad quartam ejus generationem prædii cujusdam ad dictum beneficium spectantis ad instantiam in beneficio successoris, irritus fuit declaratus. De ecclesiæ namque utilitate haud constabat, defecerat insuper beneplacitum apostolicum, quamvis præpositi Pisciensis accessisset approbatio, cujus facultas super approbatione hujusmodi contractuum certabatur : *Piscien.*,

[204] Qui concludit : « Cum igitur affrancatio utilis sit ad certum pro incerto constituendum capitale capituli, utilior sit in annuo reditu ; utilissima habito respectu ad successiva tempora absque periculo deperditionis bonorum, et conferat ad quascumque dirimendas lites, ea essem sententia, ut facultates petitas oratoribus elargiantur EE. VV. sicuti, et mihi, et meæ hujusce cathedralis canonicis benigne concessere ; et addere auderem, opus est, ut impertiatur. Poterunt legem, si lubet, adjicere, ut in quocumque perficiendo contractu, sicuti et ego a meo capitulo, ita et ipsi a me, meisque successoribus consensum, et approbationem obtinere debeant. Tunc, et utilitas ponderatur, et quota solvenda statuitur : » *Ead. causa*, 18 *julii* 1789, § 2.

[205] Hisce verbis conceptis : « Constito de necessitate, et utilitate arbitrio Episcopi, dummodo pretium integre, et fideliter investiatur cum solitis clausulis : » Lib. *Decret.* an. 1786, die 9 sept.

Emphyteusis, 7 *julii* 1736, *dub.* 1. Causa inde reproducta prodiit rescriptum : Dilata, et scribatur Episcopo juxta instructionem [206] : 4 *maii* 1737. Tandem contractus nullitas confirmata fuit : 8 *febr.* 1738.

6. Et quum ab emphyteuta postulata fuisset sanatio contractus, quia de ecclesiæ utilitate non constaret, hæc denegata fuit : *Ibid.*, *dub.* 2. Inde rescriptum, ut scribatur Episcopo juxta instructionem [207] : *Ibid.* Denique auctis ab emphyteuta conditionibus ecclesiæ utilibus, ac in rescripto comprehensis, rescriptum prodiit, prævio recessu a decisis pro sanatione, ita tamen, ut emphyteusis non duret ultra tertiam generationem, ac solutis scutis 100 ad effectum investiendi in favorem beneficii, necnon aucto canone præter summam oblatam arbitrio Episcopi : *Ibid.*

7. Carolus Spinellius princeps S. Georgii in emphyteusim prævio beneplacito apostolico per annos 29, feudum rusticum vulgo nuncupatum Cavante abbatiam monasterii S. Sophiæ spectans annua pensione ducat. 500 obtinuit. Ac transacto tempore statuto abbas commendatarius Card. Coscia in emphyteusim tradidit dicta bona, seu feudum pro annuo canone ducat. 900 fratibus de Petrone sub reservatione beneplaciti apostolici, e contra princeps S. Georgii paulo ante hanc novam concessionem a Clem. XII Pont. Max., reportaverat chirographum, quo concedebantur dicta bona, seu feudum in emphyteusim ad tertiam generationem pro canone annuo ducat. 600 sub conditionibus in prima emphyteusi expressis. De hisce conditionibus S. C. requisita sancivit emphyteusim obtentam a Clem. XII, Pont. Max., principem S. Georgii non esse servandum : *Nullius, S. Sophiæ, seu Beneventana*, 10 *junii* 1741, *dub.* 1, confirmata 12 *aug. ejusd. anni.*

8. Et quoad aliud factum per Card. Coscia commendatarium abbatem, affigi edicta mandavit ead. S. C. : *Ibid.*, *dub.* 2, confirmata *ibid.*

9. Quum quæsitum fuisset, an concessio in emphyteusim ab abbate monasterii S. Mariæ Castionis sine apostolico beneplacito facta prædiorum sterilium, et fluviali arena intectorum sustineatur? S. C. respondit ad mentem [208] : *Burgi S. Domnini, Emphyteusis*, 14 *januar.* 1747, *dub.* 1, proposita iterum causa, pariter fuit protelata, et demandatum ut eligeretur novus peritus, coadjuvatis probationibus super valore prædii de tempore contractus : 30 *martii* 1748.

10. Hæc responsio etiam ad dubium secundum, an sit locus sanationi supradicti contractus? emanavit : *Ibid.*, *dub.* 2.

11. Bartholomæus cleri societatem Mortis Laureti cum onere tot Missarum, quot Ordinarius celebrandas decerneret in duobus prædiis uxori Mariæ susbstituit hæredem. Maria secundo nupsit Francisco Angelelli, et senio confecta precata est, ut Episcopo liceret utrumque prædium marito suo post ejus obitum in emphyteusim concedere. Uxore defuncta preces vir instaurat, promittens tum scuta 26, jure canonis domino directo, tum eleemosynas tot Missarum quot Ordinarius arbitraretur, tum scuta 15 societati. Societas suffragiis cunctis resolvit, Angelelli tribuendam esse emphyteusim ; sed ad examina societatis resolutione deducta, S. C. resolutionem societatis ratam non habuit : *Lauretana, Emphyteusis*, 4 *febr.* 1786, *dub.* 1.

12. Eadem societas Mortis, quæ prædictam confratrum resolutionem edidisse, emphyteusimque concessisse pœnituit, quæsivit, utrum esset locus affixioni edictorum pro ineunda emphyteusi in prædictis prædiis? Et S. C. concessit locationem ad annos 29 : *Ibid.*, *dub.* 2.

13. Rector parochialis ecclesiæ S. Benedicti civitatis Priverni concessit fratribus Martellucci ad tertiam generationem masculinam pro annuo canone scut. 4, prædiolum *Pendola*, sub reservatione beneplaciti apostolici, quod nunquam impetravit emphyteusim qui confecerunt, decesserunt ; ceteri nunc Martellucci supplicant pro absolutione, et sanatione, et S. C. consulendum Sanctissimum esse ait pro sanatione, et absolutione ad cautelam : *Privernen.*, *Emphyteusis*, 16 *junii* 1787, *dub.* 1.

14. Matthias Manzalius administrationis piæ hæreditatis Boarii cessionem a Carolo Masio extorsit, sibique filium in coadministratorem assumpsit. Animum hinc ad perpetuam horum bonorum emphyteusim obtinendam adplicuit. A duobus Archiepiscopis nil ille valuit impetrare. Impetravit tamen S. C. inconsulta a successore Card. de Verme emphyteusim pro se, suis filiis descendentibus in infi-

[206] Vicario nempe capitulari, ut curet, quod rector beneficii admittat concordiam a fratibus de Zucconis propositam, vel cum aliquo incremento, quod in tractatu reassumendo per eosdem de Zucconis fieri quoque tibi curæ erit, ac de resultantibus subinde certioret. Antequam concordia prædicta exequutioni demandetur illius minutam pro approbatione transmittat : *Regist. lit.* lib. 29, die 4 maii 1737.

[207] S. C. censuit scribendum fore Episcopo, ut sæpedicto Joanni Andreæ significaret, EE. PP. etiam ob aliquam dubitationem, antiquitus contractus sustineatur, inclinare, ut proposita concordia a rectore beneficii admitteretur, vel saltem cum aliquo annui canonis, aut summæ persolvendæ incremento, quod etiam Episcopus occasione resumendi tractatum, curaret a fratibus de Zucconis offerri : *Ead. causa*, 8 *febr.* 1738.

[208] Vide not. 2, verb. *Damnum.*

nitum, et cujuscumque generis hæredibus, pro annuo canone 180 scutorum, ex quibus detracta summa scutorum 40 pro administratione, et scutorum 30 pro nonnullis assertis creditis, et melioratiouibus eroganda erant reliqua scuta 110, in pia opera per testatorem demandata. Per 80 annos in emphyteusim Boarii bona, quæ annuum exsuperant reditum 575 scutorum, retinuerunt Manzalii; hinc fuit hodie exquisitum, num sustineretur instrumentum hoc, et nullimodo sustinendum esse S. C. putavit: *Ferrarien.*, 15 *sept.* 1787, *dub.* 1. Insistebant Manzalii, beneplacito apostolico opus non fuisse de bonis in simplices pios usus destinatis, et revocationem propterea sperabant a decisis; verum relata sententia firmata, dictum insuper fuit ad secretarium cum Sanctissimo juxta mentem: 16 *febr.* 1788.

15. Impetrata a S. C. venia canonici collegiatæ ecclesiæ divi Blasii Montis Milonis in emphyteusim concesserunt per privatam scripturam latifundium *di Morla* Francisco Salustri pro persona nominanda. Inde expeditis litteris petierunt pro perpetuitate auctis scutis annuis duobus, et emendationem erroris, quia nulla de persona nominanda mentio facta fuerat. Ac proinde demandata fuit novorum edictorum affixio, cujus licet suspensionem impetrassent, Episcopus edicta affigi præcepit, priusquam suspensionis mandata accipere. Instantibus de Vita, ac Antonuccio pro resolutione contractus, ideo incertum fuit, an de emphyteusis nullitate constaret, et de læsione immodici canonis? S. C. respondit non constare, sed litteras apostolicas esse corrigendas: *Maceraten.*, *Emphyteusis*, 20 *sept.* 1788, *dub.* 1.

Emptio, et Venditio. Vide *Contractus*, § v, vi, vii, viii.

EPISCOPALIS DIGNITAS [209].

1. Assumptio ad episcopatum facta a quodam regulari, qui vigore suæ professionis possidere bona non valet, iterum acquirit jus succedendi ad hæredes sibi delatas post adeptum episcopatum ad utilitatem suæ ecclesiæ quoad proprietatem, et ad proprium commodum quoad usumfructum: *Neapolitana*, 3 *decem.* 1639, *dub.* 1.

2. Nec eidem obstat, ac impedit cessio, atque renunciatio hujusmodi hæreditatum facta in favorem fratris ad præscriptum S. C. Trident., sess. 25, cap. 16, *de Regul.* [210]: quoad tamen hæreditates, quæ alteri non sint ante consecutum episcopatum acquisitæ [211]: *Ibid. dub.* 2.

3. Dubitationem, an possessio episcopatus, quam

[209] Dominicus de Dominicis liber *de Dignitate episcopali* per concordantias theologiæ, et juris canonici compilatus Romæ in 8, anno 1757, edidit. De pluribus honorificis titulis, quibus Episcopi olim compellebantur, et qui pertinent ad episcopatus dignitatem, agunt copiose viri eruditissimi Mamachius, *Orig. et Ant. christian.* tom. IV, lib. 4, cap. 4, § 1, et Selvaggius *Ant. Christ.* lib. 1, cap. 12, § 4. Unum moneo, hos inter titulos illum sæpissime apud veteres occurrere, quo Episcopi *successores Apostolorum* prædicantur. Atque in eo quidem præsidium sibi quærunt quicumque cum Febronio Romanis Pontificibus æquare Episcopos student; frustra tamen, si quonam legitimo sensu Apostolis succedant Episcopi ingenue disquiratur. Qua de re præter antiquiores vide Zaccaria in *Antifebronio*, tom. XI, pag. 134 seq., atque in *Antifebronio vindicato* tom. I, pag 434 seq. Verum nihil detractum videtur ex dignitate Episcoporum, si ipsorum in aliqua re aretata est jurisdictio. Quis neget, id suo jure factum a Summis Pontificibus pro suprema, quam habent, in tota Ecclesia potestate (Trid. sess. 14, c. 7, *de Sacram. Pœnit.*) ? *Primigenia* quidem, ut vocant, sint jura Episcoporum, quæ ad jurisdictionem pertinent, eaque jurisdictio a Christo repetatur. Sed hæc ab ipso Christo ita instituta est, ut uni summo omnium capiti, et moderatori subesset; neque Christus, cum eam Episcopis dedit, divisit diœceses, et singulis certos adscripsit subditos, in quos jurisdictionem illam exercerent. Id totum factum ab Ecclesia est, et factum cum opera, et auctoritate Summi Pontificis, sine quo vera ecclesia esse non potest. Itaque jurisdictio Episcoporum a Christo; usus et exercitium hujus jurisdictionis in certos subditos ab Ecclesia est. Cum Episcopo certi adimuntur subditi, non tollitur primigenia illa jurisdictio, quæ divinitus data est; tantum arctatur, et constringitur usus jurisdictionis. Si synodi particulares rite potuerint arctare usum episcopalis jurisdictionis, et tantum jure ecclesiastico hanc potestatem exercuerunt; id multo magis concedendum est Petri successoribus, qui non humano, sed divino jure omnibus Episcopis, et synodis particularibus præfecti sunt.

[210] Ibi « Nulla quoque renunciatio, aut obligatio antea facta, etiam cum juramento, vel in favorem cujuscumque causæ piæ, valeat, nisi cum licentia Episcopi, sive ejus vicarii, fiat intra duos menses proximos ante professionem, ac non alias intelligatur effectum suum sortiri, nisi secuta professione: aliter vero facta, etiamsi cum hujus favoris expressa renuntiatione, etiam jurata, sit irrita, et nullius effectus. »

[211] Card. Petra in *Comment. ad Const. XI Clem. IV*, num. 32 seqq., tom. 3, pag. 242, probat regularem Episcopum recuperare bona, quæ ob ingressum religionis renunciaverat, dummodo alteri non adhuc sint quæsita, et refert resolutionem S. C. Concilii his verbis, num. 34: « Hinc in Sacr. Congr. Concilii *in Nullius*, 11 januar.

26. Clerici regulares congregationis Matris Dei ob pinguem annui reditus scutorum 650 dotem, facultatem efflagitarunt unum eorum in urbe Mediolani instituendi collegium, et ab S. Episcoporum et Regularium Congregatione obtinuerunt. Supplicant nunc pro unione parochialis ecclesiæ S. Petri eorum erigendo collegio facienda, suppresso titulo collativo, et reservata hodierno rectori annua pensione in aureis ducatis sedecim; quæ pensio uniri inde deberet massæ capitulari collegiatæ S. Laurentii Majoris. S. C. petitis annuit; addendo, *reservato regressu* in casu dissolutionis : *Mediolanen., Unionis*, 21 *aug.* 1717.

27. Quum clerici Scholarum piarum urbis Reatis ecclesiæ curatæ S. Joannis in Statua vacantis cum seminario ejusdem civitatis, cujus reditus erant valde imminuti, unionem postulassent, responsum illis fuit affirmative juxta modum [154] : *Reatina, Unionis ecclesiæ*, 8 *julii* 1719 [155].

28. Episcopus Fulginas duas in sua diœcesi exposuit reperiri ecclesias parochiales, unam S. Ægidii villæ Buronum, alteram contiguam villæ Tennæ; et primæ subditas esse circiter centum animas, et ejus reditum in scutis viginti annuis consistere; et secundam subditas tantum habere duas familias, et sic duodecim circiter animas, eamque nonnisi scuta septem supra decem habere; dictasque duas parochiales per quartam tantum milliarii partem inter se distare. Exposuit insuper in eadem diœcesi reperiri parochiales ecclesias, alteram S. Petri villæ Cerviæ, alteram S. Antonii abbatis villæ Porticani, easque inter se distare per medium milliare, et primam habere sibi subditas animas octoginta, et in annuo reditu scuta 40, nullis deductis expensis; et secundam subditas quinquaginta fere animas habere, et in annuo reditu scuta viginti demptis expensis. Exposuit denique, in parochiali ecclesia S. Ægidii non asservari augustissimæ Eucharistiæ sacramentum, et parochum præ nimia indigentia non posse adigi ad residendum, et hoc idem in altera ecclesia villæ Tennæ, in qua ne sepulchrum quidem pro parochiæ incolis adest; et in aliis duabus ecclesiis aliquando, et non semper asservari SS. Sacramentum, et utrosque parochos nimia paupertate laborantes non posse pro reparandis supellectilibus exequutioni mandare visitationis decreta; seque idcirco statuisse devenire ad unionem parochiæ S. Ægidii cum parochia villæ Tennæ, et parochiæ S. Petri cum parochia S. Antonii. Refragantur unioni capitulum cathedralis, rectores, et parochiæ incolæ ecclesiarum uniendarum. Posito dubio, an esset unioni præfatæ locus? S. C. illi assensa est : *Fulginaten.*, 30 *januar.* 1723.

29. In civitate Legionensi collegium adest patrum societatis Jesu a pristino splendore, et statu mutatum, ubi magistri, ac religiosi deficiunt. Ad reparanda igitur reipublicæ damna obsecratum fuit pro unione duarum parochialium eidem collegio facienda, et pro vicariorum deputatione. Sed S. C. unionem minime probavit: *Legionen. et Astoricen., Unionis*, 24 *april.* 1723. Inde accessit consensus cathedralium Astoricensis, et Legionensis, ubi sitæ parochiæ sunt, et S. C. supplicationem signandam esse respondit : 11 *april.* 1739.

30. Peracta ab Episcopo parochialitatis, et curæ animarum S. Severi congregationis patrum Oratorii S. Philippi Nerii suppressione, ejusque respective unione ad aliam parochialem ecclesiam S. Joannis Evangelistæ ad normam decreti S. C.; et nonnullis refragantibus, ex quo populi, et capituli consensus exquisitus non fuerit; parochus ecclesiæ S. Joannis preces obtulit S. C. ut instantia contra suppressionem, unionemve ex adverso facta rejiceretur. Quæsitum igitur fuit, sustinerine deberet antedicta suppressio, et respectiva unio? S. C. illam sustineri debere declaravit : *Cæsenaten.*, 31 *julii* 1723, *dub.* 1.

31. Capitulum cathedralis ecclesiæ rogavit Sum. Pont. Innoc. XII pro unione duarum ecclesiarum parochialium sub invocatione S. Euphemiæ in sua cathedrali existentium, in favorem fabricæ ejusdem ecclesiæ. Rationem pro unione addebat esse extremam ecclesiæ paupertatem, ita ut supportare nequiret onera pro cultu divino necessaria. Unaquaque ex duabus parochiis certis computatis incertisque, reddebat 86 ducata de camera. Ordinarius fabricæ paupertate et impotentia necnon de morali impossibilitate parandi alio modo necessaria pro divino cultu docuit. Proposito itaque dubio, num esset præfatæ unioni locus? responsum exiit, negative et ad mentem : *Aurien., Unionis*, 16 *dec.* 1724.

32. Thesaurarius ecclesiæ cathedralis Neocastri jus habere dicebat vicarium amovibilem nominare ad exercendam per sex cujuslibet tantum anni menses animarum curam in parochiali ecclesia oppidi S. Blasii, et vicarium, qui per publicas schedulas invitatus minori stipendio sese ad illam exercendam offerret, eligebat. Perpetuum eligi vicarium Episcopus mandavit. Quam ob rem disputatum primum fuit, num constaret de unione portionis ecclesiæ parochialis S. Pancratii oppidi S. Blasii dignitati the-

[154] Die etc., S. C. perpensa relatione Episcopi Reatini censuit si Sanctissimo Domino Nostro placuerit præsentem supplicationem signari posse. Modus in supplicatione expressus fuit ; *Lib.* 69, *Decret.* pag. 536.

[155] Pro deputatis seminarii advocatus Dominicus Ursaya certavit in hac causa, et suas rationes, juraque edidit. *Discept. Eccl. XX*, tom. 3, part. 2, *per tot.*

saurariatus cathedralis Neocastrensis? rescriptum fuit, ut coadjuvarentur probationes, et scriberetur Episcopo juxta instructionem [156] : *Neocastren., Paroch.*, 23 *junii* 1725, *dub.* 1. Responsiones Episcopi supervenerunt, et ad novum examen reproducta causa, definita fuit, ut non constaret de unione portionis tituli, sed fructuum : 10 *maii* 1727.

33. Quæsitum fuit, num esset locus dissolutioni unionis ecclesiæ parochialis villarum Retorti et Silvæ ab altera ecclesia parochiali villæ Rompeggi; sive potius servanda sit unio? et quatenus affirmative ad primam partem.

34. Indubitanter non fuit, an modernus parochus ecclesiæ Rompeggi teneatur ex nunc restituere omnes reditus alterius ecclesiæ parochialis dictarum villarum Retorti, et Silvæ pro conservatione novi rectoris. Homines enim villarum Silvæ, et Retorti, unionem ex parvo habitantium numero, et insufficientia redituum processisse supponunt : nunc autem ad ter centum numero in villis adaucti parati sunt ad augendam annuam sustentationem; ac propterea dicunt unionis causam constare videri. S. C. ad hæc dubia respondit, ut pro nunc constituatur capellanus curatus in ecclesia S. Mariæ loci Retorti expensis parochi, et ut scribatur Episcopo juxta instructionem [157] : *Placentina*, 13 *april.* 1726, *dub.* 1 et 2. Reproposita deinde causa, nulla pariter exiit resolutio, et dictum, ut scriberetur Episcopo juxta instructionem : 10 *julii* 1728. Resolutionem denique distulit, et mandavit Episcopo, ut aliam daret instructionem : 26 *nov.* 1785.

35. Guillelmus olim Juliæ, ac Montium dux, et avus electoris Palatini anno 1638 consensit, ut ecclesia parochialis loci de Honeff diœceseos Coloniæ jurispatronatus, administranda traderetur una cum ecclesia filiali in monte S. Ægidii, et aliis omnibus et singulis beneficiis seu vicariis adnexis, patribus societatis Jesu commorantibus in oppido Dusseldorpien ejusdem diœceseos. Novum modo consensum præstitit præsens Palatinus elector, dummodo Archiepiscopi Coloniensis, et Sedis Apostolicæ approbatio non deesset. Probavit Archiepiscopus; sed remanet, ut accedat apostolica adprobatio. Ad S. C. causa definienda rejecta, suspensa fuit, et demandatum, ut scriberetur Archiepiscopo juxta instructionem [158] et audiretur procurator generalis : *Colonien.*, 7 *junii* 1727. Procurator generalis respondit nullam adesse ex parte suæ religionis difficultatem in acceptanda præfata unione, et se credere, quod eadem profutura esset tum fidei catholicæ, tum moribus parochiæ incolarum, qui in medio vivunt hæreticorum. Archiepiscopus vero dixit parochiam ab oppido distare pariter unius diei, et necesse ideo esse, ut unus ex patribus ibi resideat, et nullam esse spem aperiendi collegii in loco parochiæ. Huic S. C. respondit, pro gratia juxta modum : 20 *sept. ejusd. anni.*

36. Plurimæ inter duas, quæ in oppido Claramonte adsunt, ecclesias parochiales, de præeminentiis fuerunt controversiæ, quæ sopitæ pro tunc fuerunt concordia per Episcopum comparata. Concordiam vero hanc S. C. infirmavit. Redierunt itaque dissidia, et postquam postulatum fuerat, an ecclesia S. Thomæ vera esset parochialis, vel simpliciter curata et dependens ab ecclesia S. Joannis Baptistæ? quæsitum pariter fuit, an esset locus divisioni curæ populi et redituum? Sed responsum prodiit : *Dilata et ad mentem* [159] : *Anglonen., Præeminent.*, 13 *junii* 1733, *dub.* 5. Ad novum inde examen revocato dubio, decisio fuit remissa ad Card. præfectum pro nova concordia cum facultatibus S. C. ac etiam cum facultate statim providendi juxta modum eidem Card. domino benevisum : 23 *januar.* 1734.

37. Episcopus Lucanus ob redituum tenuitatem ecclesiæ parochialis S. Reguli prope castrum Buccinianum existentis eam adnexit alteri parochiali ecclesiæ S. Jacobi in pago Balconevisio, ea tamen lege, ut præpositus subsidiarium presbyterum adhibere teneretur in cura animarum exercenda. Unio hæc ad effectum perducta, servata fuit hactenus. Nunc autem in mense Sedi Apostolicæ reservato vacante præpositura dictæ S. Jacobi ecclesiæ, populus veteris parochialis ecclesiæ S. Reguli supplex petit unionem dissolvi, et in pristinum statum restitui parochiam, sed frustra petiit : *Sancti Miniatis, Dissolut. unionis*, 12 *decem.* 1733, *dub.* 1, confirmata 3 *julii* 1734.

38. Quum abbas monasterii S. Benedicti in Augustana diœcesi jam pridem erecti, parum emolu-

[156] Et hæc fuit, ut fieret diligens animadversio collationum antiquarum thesauriatus, an videlicet in illis adsit id, quod adest in collatione anni 1662 circa dismembrationem parochialis, seu applicationem partis fructuum ejusdem ad dictam dignitatem. Item, ut videretur, quanti sint reditus dignitatis, et omittendis fructibus parochialis; an possibile esset parochiam in duas dividere, unicuique proprium parochum præficiendo, et a quo tempore incœperit expositus abusus, quod archipresbyter inserviat pro sex mensibus anni, et capellanus ad nutum amovibilis pro aliis sex mensibus : *Ead. causa*, 10 *maii* 1727, § 4.

[157] Vide not. 355, t. I, verb. *Capellanus curatus*, § II.

[158] Nam melius edoceri exoptat S. C. 1. de distantia parochiæ ab oppido Dusseldorpien. 2. An sperabile sit, quod tractu temporis aperiri possit novum collegium PP. societatis in loco parochiæ. 3. Demum an collocatione PP. in dicta parochia sit juvamen allatum fidei catholicæ. *Regist. lit.*, lib. 27, die 7 junii 1727.

[159] Vide not. 51, verb. *Ecclesia collegiata*, § II.

menti a quodam rure in loco Konigsdorff ob nimiam distantiam retraheret, cogitavit religiosum ibi administrantem constituere. Hinc ab Ordinario Frisingensi petiit, ut parochialem ecclesiam in præfato loco Konigsdorff existentem, et a presbyteris secularibus hactenus administrata, ita monasterio addiceret, ut bini deputari possent religiosi, qui in eo loco degentes, tum animarum curæ, tum rectæ prædii, et jurium vendendi, piscandi, decimandi, atque ligna cedendi administrationi, conservationique incumberet. Obtinuit consentiente capitulo abbas ab Episcopo gratiam, et auctoritate petit nunc apostolica confirmari. Opposuit sese Nicodemus Samuveber parochus loci Tolz, et ecclesiæ patronus, et capitulum rurale contrariam Concilii Tridentini[160] sanctionem præseferentes. Ponderata hinc unionis præfatæ ratione, beneplacitum apostolicum haud esse concedendum S. C. respondit: *Frisingen., Permutat., seu unionis*, 18 *junii* 1735.

39. Postulante Georgio Mockio rectore seu præposito parochialis ecclesiæ oppidi de Kulkiero, ejusque preces confovente serenissimo principe Jacobo Ludovico Sobieski, ut paupera parochialis ecclesia de Zolikof, prævia illius suppressione suæ parochiali de Kulkiero una cum omnibus illius fructibus, et oneribus uniretur; S. C. mandavit, novum expectari Archiepiscopum: *Leopolien., Unionis*, 2 *sept.* 1736. Novus in Leopoliensi ecclesia inauguratus Episcopus unionem non laudavit tantum, verum etiam una cum prædefuncti principis filia ducissa de Bovillon et parocho Kulkieriensi oratoribus, aliisque serenissimi principis successoribus, imploravit; et S. C. concessit: 13 *sept.* 1738.

40. Parochialis ecclesia S. Mariæ de Valega fuerat cathedrali antea unita, capitulum autumans, hujusce ecclesiæ tanquam sibi unitæ jurepatronatus potiri, sacerdotem, ea vacante, præsentavit Henricum Sequeiram, contraque concursum vicarius capitularis indictum interposuit. Orta hinc est inter Henricum, et vicarium controversia super concursus convocatione; et definiri primum est postulatum, num de unione subjectiva ecclesiæ parochiali S. Mariæ in favorem capituli constaret? et non constare responsum fuit: *Portucall., Paroch.*, 30 *mart.* 1737, *dub.* 1.

41. Capitulum insignis collegiatæ civitatis Taurentinæ ex una dignitate sub nomine abbatis tredecim canonicis, totidemque præbendatis, præter ceteros ministros, et capellanos constat. Hoc autem reditus habet admodum exigui in distributionibus consistentes, supplicat proinde pro unione unius ex duabus parochiis loci de Villar don Diego prope Taurentinam urbem existentis, fructuumque applicatione in favorem mensæ capitularis, inspecto parvo incolarum numero, et præsertim duorum parochorum fere continua discordia. S. C. rescripsit, consulendum esse Sanctissimum pro suppressione unius ex duobus beneficiis curatis primo vacaturis cum applicatione in favorem capituli omnium reditum, exceptis tamen emolumentis stolæ applicandis alteri parocho cum unione dictæ curæ: *Zamoren., Unionis*, 19 *april.* 1738.

42. Cracoviensis Episcopus collegio probationis societatis Jesu, tenuibus primum dotato reditibus, parochialem univit ecclesiam villæ Vieclavicæ, quæ de collegii hujus est patronatu, eaque sub lege addixit, ut rector collegii fabricam illius ecclesiæ parochialis instaurare, binosque presbyteros amovibiles, ab Ordinario adprobati, qui curam exercerent animarum, deputare obstringeretur. Apostolicam hinc rector domus illius efflagitabat adprobationem, et meruit voti sui compotem fieri, ita tamen, ut deputaretur vicarius perpetuus cum capellano ad nutum amovibili: *Cracovien., Unionis*, 30 *januar.* 1740.

43. Pius quintus ecclesiam S. Agathæ monasterio, seu parochiali ecclesiæ S. Euphemiæ congregationis Canonicorum regularium SS. Salvatoris conterminæ, una cum omnibus juribus et reditibus univit, cum facultate deputandi regularem, qui eidem ecclesiæ inserviret. Placentinus antistes satius duxit S. Agathæ ecclesiam in perpetuam vicariam erigere, et pro stipendio in scutis aureis quinquaginta vicario assignare. Paruit monasterium; sed non æque amplius ferens onus illud, niti curavit præsidio Clem. XII, Pont. Max., ut prævia omnimoda suppressione parochialis S. Agathæ, decem, duodecimve parochiæ incolarum familiæ suæ, S. Euphemiæ parochiæ addicerentur, eo quod sortes deperditæ fructus hos absorbeant. Rescriptum fuit pro

[160] Nam sess. 24, cap. 13, *de Reform.*, cautum habetur, ut « in unionibus faciendis ecclesiæ parochiales monasteriis quibuscumque, aut abbatiis, seu dignitatibus, sive præbendis ecclesiæ cathedralis, vel collegiatæ, sive aliis beneficiis simplicibus, aut hospitalibus, militiisque non uniantur. » Et sess. 14, cap. 9, *de Reform.* sancitum est « Et quia jure optimo distinctæ fuerunt diœceses, et parochiæ, ac unicuique gregi proprii attributi pastores et inferiorum ecclesiarum rectores, qui suarum quisque ovium curam habeant ut ordo ecclesiasticus non confundatur, aut una, et eadem ecclesia duarum quodammodo diœcesum fiat, non sine gravi eorum incommodo, qui illi subdicti fuerint; beneficia unius diœcesis, etiamsi parochiales ecclesiæ, vicariæ perpetuæ, aut simplicia beneficia, seu præstimonia, aut præstimoniales portiones fuerint, etiam ratione augendi cultum divinum, aut numerum beneficiatorum, aut alia quacumque de causa alterius diœcesis beneficio monasterio seu collegio vel loco etiam pio perpetuo non uniantur. »

gratia juxta Episcopi votum, effectum habitura post hodierni rectoris obitum, et datum etiam fuit breve, salva tamen semper auctoritate S. C. Episcopus, cui exequutio commissa fuit, decretum edidit, quo parochiæ incolas S. Agathæ alteri ecclesiæ S. Euphemiæ addixit, et cetera implebat. Hac novatione audita reclamarunt parochiæ fideles, et definiri impetrarunt prævio recessu a decisis, esse locum reportationi ejusdem brevis, et respective revocationi decreti facti pro illius exequutione : *Placentina, Paroch.*, 3 *dec.* 1740.

44. Incolas S. Hippolyti parochiæ Rupis Henrici ad prioratum a canonico Ædituo possessum, suoque unitum canonicatui univit, ac subjecit Episcopus; et unionem hanc sustineri non debere S. C. edixit : *Carpenctoraten.*, 26 *januar.* 1743, *dub.* 2, confirmata 23 *aug. ejusd. anni.*

45. Diminutis annuis reditibus duarum parochialium ecclesiarum D. Andreæ pagi Altini, et D. Bartholomæi pagi Fucis, quæ sunt in montis Alti diœcesi sitæ Episcopus duas has parochiales ecclesias univit. Servata diu fuit unio. Verum hodiernus successor, nec auditis, nec interpellatis pagorum incolis ecclesias perpetuo unitas sejungi jussit. Hanc tamen dissolutionem sustinendam minime esse S. C. judicavit, addendo, ut Episcopus provideat, ne cura animarum negligatur : *Montis Alti, Dissolut. unionis eccles.*, 5 *dec.* 1744, *dub.* 1.

46. Quum S. Sophiæ ecclesia extra pagum Gradariæ, et intra ejus territorii fines, esset solo pene æquata, ædificata fuit altera ecclesia sub eadem invocatione intra pagum, ubi parochialis S. Joannis ecclesia existebat. Populus, qui rura habitabat, sive ob viarum asperitatem, sive quod Gradariæ portæ claudantur, parocho pene destitutus existimandus erat, unde pueri, et adolescentes fidei rudimenta ignorabant, et adulti illum paschali tantum tempore visebant. Factum hinc est, ut populus duas parochiales illas uniendas rogaret, ea conditione, ut facta redituum separatione dos constitueretur antiquæ suburbanæ ecclesiæ S. Sophiæ, ut ampliata servaretur, et domos parochiales extrueret. Episcopus, cui pluries injunctum a S. C. fuerat, ut super animarum servitio, parochique residentia provideret, votum unioni accommodabat constituendo rectorem in antiqua S. Sophiæ ecclesia, qui populo inserviret, et restaurando etiam ecclesiam, et domum parochialem ecclesiarum unitarum expensis. S. C. unionem denegavit, jussitque, ut scriberetur Episcopo juxta instructionem[161] : *Pisauren.*, 11 *jan.* 1744.

47. Episcopus Sanctonius in visitatione anni 1619, quin tres parochiales ecclesias oppidi Cameratæ ob sacerdotum deficientiam supprimeret, decrevit unionem cleri dictæ terræ gubernio, et servitio trium ecclesiarum parochialium, earumque animarum cura ad solum archipresbyterum curatum reservata; et voluit ex his unam habendam esse pro ecclesia matrice, ubi functiones omnes peragi debeant; et ex reditibus omnibus unam faciendam mensam, unum capitulum. De hoc decreto S. C. interrogata servari præfatum decretum mandavit : *Policastren.*, *Jurium paroch.*, 29 *maii* 1745, *dub.* 1.

48. Dum non procul dubio fuit, utrum unio facta anno 1706 ab Episcopo Bonaventura Martinelli, inauditis patronis, inauditoque populo, et clero Flamineani, ecclesiæ B. M. V. de Podio Poponisco alteri ecclesiæ parochiali villæ Mercati, sustineri debeat, et de falsitate insimularetur unionis expositio, S. C causam protelavit, et probationes coadjuvari mandavit : *Reatina, Unionis*, 22 *maii* 1751, *dub.* 1.

49. Pastoratu seu vicaria perpetua cum animarum cura in Wierssein vacante, quæstio inter Episcopum, capitulum et collegiatæ ecclesiæ S. Gereonis Coloniæ orta est super unione hujusce vicariæ capituli favore facta. Promotor fiscalis unionem impugnabat ex universali totius Belgii consuetudine et particularis diœceseos Ruremundensis, ex duorum postremorum statuum observantia, et ex prædictæ vicariæ vacationibus, quæ dari nequivissent, si capitulo fuisset unita, et ex eo demum quod reditus omnes vicario fuerint tributi, aliter enim ei tantum congrua spectaret; postulavit itaque sustineri concursum ab Episcopo indictum, exclusa et explosa unione; et S. C. pro concursu respondit : *Ruremunden, Vicariæ*, 7 *junii* 1755, confirmata 22 *novem. ejusd. anni.*

50. Antiqua et unica parochialis Andriensis ecclesia, adaucto populo, in curæ animarum adjutorem adscivit clerum ecclesiæ S. Nicolai, quæ vicaria et coadjutrix declarata fuit. Hæc autem S. Nicolai ecclesia se comparochialem esse ostendit. Ad dirimendas itaque controversias oraculum ambæ audierunt S. C., qua postquam definierat, ecclesiam cathedralem esse unicam totius Andrii parochialem, et ecclesiam S. Nicolai meram esse coadjutricem, definivit, esse locum divisioni quoad exercitium curæ

[161] Instructio fuit, ut Episcopus suum sensum, ac judicium perferat, num magis expediat, quod constructa extra Gradarium sufficienti habitatione expensis archipresbyteri S. Sophiæ deputetur capellanus ejusdem archipresbyteri sumptibus manutenendus, qui jugiter ibidem pro populi commoditate resideat, sive potius archipresbyter in domo parochiali per eum pariter extra locum extruenda suam ipse figat residentiam : *Regist. lit.* lib. 29 die 11 januar. 1744.

animarum tantum : *Andrien.*, 10 *febr.* 1759, *dub.* 3.

51. Sciscitatæ deinde sunt, num et quandonam sit divisio facienda? Et num ecclesiæ cathedrali præservanda sint illa omnia jura parochialia, quæ prætendit privative exercuisse, et exercere in tota civitate? et responsum habuerunt, quod divisio facienda ab Episcopo, et ab S. C. adprobanda : *Ibid.*, *dub.* 4. Divisionem ab Episcopo factam impugnat capitulum cathedralis, affirmatque eam factam haud esse juxta S. C. mentem, duodecim gravamina exinde promanantia adducens. Poposcit itaque an esset adprobanda divisio illa, et rescriptum tulit : *Dilata*, et ut subscriberetur dubium ab Episcopo porrectum, et ut omnia simul proponerentur : 11 *sept.* 1762. Reproposita deinde causa, resolutum fuit : *Dilata*, et divisionem esse faciendam a Card. præfecto : 23 *april.* 1763. Conqueritur vehementer capitulum S. Nicolai, et asserit omnia inæqualiter esse facta, cuncta sibi infima esse data, non habere emolumenta, quæ pro tertia respondeant, nullam rationem habitam de domorum distantia, et demum datos cathedrali omnes extra mœnia cives habitatores agrorum; paravit itaque revideri causam, et discerni, an sustineri debeat divisio, seu potius sit reformanda, et quomodo? Verum S. C. determinavit, sustinendam esse divisionem, et ut quoad habitores extra mœnia daretur dubium una cum aliis : 20 *sept.* 1766.

52. Sigismundus I[us] Poloniæ rex in regio cathedralis Cracoviensis sacello, in quo regum defunctorum sepulcra eriguntur, communitatem seu collegium instituit sub nomine præbendariorum cantorum, ex uno constans præposito, et novem aliis in cantu peritis presbyteris, qui quotidianas canerent Missas, aliasque obirent ecclesisaticas functiones. Fructibus imminutis, Vladislaus IV pro sui regii patronatus jure donavit, sub rati tamen habitione S. Sedis Apostolicæ, parochialem ecclesiam villæ Czerniechow, ut assignata a loci Ordinario statuenda vicario perpetuo congrua, reliqui fructus cederent commodo præbendariorum. Abbas monasterii Tinecensis ordinis S. Benedicti compatronus parochialis consensum tandem præstitit. Cracoviensis Episcopus parochialem collegio univit præbendariorum iis obligatione injuncta omnia ecclesiæ ferendi onera, quæ antiquo parocho imminebant, et in ea retinendi duos vicarios pro cura animarum cum duobus ecclesiæ ministris, organorum scilicet modulatore et cantore, illisque congruam et salarium præstandi; idcirco optatur unionis præfatæ confirmatio, et responsum prodiit affirmativum juxta votum nuntii apostolici [162] facto verbo cum Sanctissimo : *Cracovien.*, *Confirmata unionis*, 27 *martii* 1762.

53. Unionem parochialium S. Mariæ ad Elisabeth, et S. Ginnesii, ac respective confraternitatum SS. Corporis Christi, et SS. Rosarii ab Episcopo Novariensi factam ad amovendum jurgiorum impedimentum, recte peractam, decernitur, ejusque propterea decretum desuper editum, esse sustinendum concluditur : *Novarien.*, *Unionis*, 17 *decem.* 1762.

54. Monasterium Andreoviense Cisterciensium ab Archiepiscopo Gnesnensi uniri sibi duas parochias in Cierno et Zlotniki ejus diœceseos, quæ sui sunt jurispatronatus; Archiepiscopus auditis partibus et ponderans nimiam pagorum distantiam, vias incommodas, et redituum earum tenuitatem in favorem monasterii unionem decrevit, reservata tamen S. Sedis adprobatione; ob id, utrum unio præfata sustineatur? quæsito, dictum primum fuit : Dilata et ad mentem : *Gnesnen.*, *Unionis*, 27 *april.* 1765, et deinde novis de jurepatronatus additis monumentis, reque iterum ad examem deducta, affirmativum prodiit responsum : 1 *febr.* 1766.

55. Franciscus Amaduccius archipresbyter matricis ecclesiæ divo Petro Apostolo dicatæ, suæ ecclesiæ uniri curavit finitimam, et filialem ecclesiam S. Leonardi, quæ parochialis est, et a parocho perpetuo gubernata, ob istius ecclesiæ ignobiliorem situationem in oppido Fori-Pompilii; et obtinere nil valuit : *Brictinorien.*, *Translat. et permutat.*, 14 *martii* 1767.

56. Insigne et pervetustum monasterium sanctimonialium vel potius canonissarum, quæ S. Fridolinum in fundatorem, et patronum agnoscunt, regum et imperatorum liberalitate ditatum ita fuit, ut quadraginta olim canonissas alere par fuerit. At quum temporis injuria, necnon et peste, fame, igne, bellisque fuisset in squalorem delapsum, ut sex nunc canonissas alat, studium posuit in unione fructuum ecclesiæ parochialis oppidi Ganzingensis, quæ patronatui ecclesiastico subest ipsius monasterii. Contradixerunt tum reliqui parochi regionis capitulum rurale componentes, tum communitas vallis Ganzingensis, tum etiam baro Joseph Leopoldus de Roll totius enunciatæ vallis dominus temporalis; hac de causa S. C. audita, unioni præfatæ locum haud esse respondit : *Basileen.*, *seu Constantien.*, *Unionis*, 26 *martii* 1768.

[162] Nuntius Poloniæ Apostolicus justam subesse unionis causam, ob diminutos usque ad medietatem collegii reditus asserit. Enunciat præterea Episcopum rite processisse ad unionem, dum parochialis vacabat. Quoad congruam, arbitratur eamdem primi vicarii augendam esse ad nongentos florenos, quot efficiunt scut. 100 monetæ Romanæ, ultra proventus extraordinarios, cum onere tamen alimenta subministrandi alteri vicario coadjutori suo, præter stipendium florenorum 250 huic solvendum a collegio præbendariorum : *Ead. causa*, 13 *martii* 1762, § 3 *seqq.*

57. Parochialis ecclesia S. Andreæ oppidi Campaneani, quæ populo erat fere destituta, ab Episcopo, annuente S. Congregatione, unita fuit archipresbyteratui alterius parochialis, et collegiatæ ecclesiæ S. Joannis Baptistæ ejusdem oppidi. Unionem hanc impugnavit communitas; et disputatum propterea fuit, esset necne standum in decisis? Sed S. C. causam protelando voluit, ut audiretur Episcopus, qui præfigeret terminum communitati ad deducenda jura sua coram eodem Episcopo. *Nepesina, Unionis*, 5 *april.* 1783. Referente Episcopo, responsum fuit, in decisis juxta votum Episcopi [163] : 29 *novem. ejusd. anni.*

58. Parochialis ecclesia S. Salvatoris rudis admodum et angusta, una tantum parochi dotata Missa duodecim habet subjectas animas. Altera parochialis ecclesia S. Mariæ de Valle rectore destituta, sed satis decens et commoda, sexaginta circiter continet animas; quare communitas S. Victoriæ institit, ut duæ istæ parochiæ unirentur, præservatis parocho S. Salvatoris omnibus reditibus cum onere sacramenta ministrandi, aliaque parochialia munia exercendi in ecclesia S. Mariæ de Valle; istius vero ecclesiæ reditus in erectione præbendæ theologalis erogandi. Parochus S. Salvatoris, ac nonnulli oppidani S. Victoriæ contradixerunt : et contra unionem responsum fuit. *Firmana, Unionis parœciarum et erectionis præbendæ theologalis*, 3 *julii* 1784, *dub.* 1.

59. Sacerdos Vincentius Gualterottius parochus S. Martini de Tisciano Perusinæ diœceseos operam dedit, ut suæ parochiæ annuum reditum scutorum circiter 70 comprehensis stolæ emolumentis habenti, proximum oratorium cum suis reditibus uniretur; sed prioribus oratorii, et populo exploratis, eisque, unioni refragantibus, S. C. denegavit unionem. *Perusina, Unionis*, 8 *julii* 1786.

60. Capitulum cathedralis ecclesiæ duas habet in Palatinatu Siradensi parochias, unam in oppidulo Pobianicæ dicatam B. M. Virgini in cœlum assumptæ, et alteram S. Stanislao martyri in oppidulo Rzgou, sui jurispatronatus. Illarum parochi graves sæpe lites habent cum capitulo super reparationibus et super parandis supellectilibus, et animarum cura. Hinc capitulum in sententiam ivit supplicandi pro illarum, quum vacassent, unione capituli ergo, perpetuo injuncto onere reparationum eidem conficiendarum, pariterque congruas assignandi utrique perpetuo rectori ad illius præsentationem instituendo, uni scilicet cum titulo commendatarii, et alteri cum titulo vicarii perpetui. Capituli petitioni tum Gnesnensi Archiepiscopo, tum etiam apostolico Poloniæ nuntio favente, S. C. juxta horum votum facto verbo cum Sanctissimo respondere non dubitavit : *Cracovien. et Gnesnen., Unionis*, 4 *febr.* 1786.

61. Adeo olim curata præpositura S. Petri Cillaveniæ in spiritualibus et temporalibus collapsa erat, ut ecclesiæ pene nomen amisisset, nisi dominicani patres Viglevanensis conventus S. Petri martyris in divinis muneribus agendis adfuissent. Eam ideo S. Pius V, Pont. Max., dominicano huic cœnobio incorporavit. Patres illi vicarium ad nutum amovibilem eligebant presbyterum secularem. Cillaveniensis populus hodie exponit, supervenisse justam dissolvendæ unionis causam, eo quod a quatuor centum ad bis mille animarum numerum populus creverit, plurimique ibi adsint ad curam aptissimi presbyteri; de vicarii congruæ tenuitate queritur, deque capellano coadjutore agit. Dubio hinc quomodonam esset manutentioni ecclesiæ parochialis et parochi præfati loci providendum? responsum fuit, providendum esse per deputationem vicarii perpetui a patribus cœnobii Viglevanensis nominandi, et ab archiepiscopo Papiensi adprobandi, cum congrua scutorum 60 romanæ monetæ; retento per patres eosdem onere manutentionis ecclesiæ et domus parochialis, necnon subministrationis sacrarum supellectilium. *Papien., Dissolut. unionis et provis.*, 3 *martii* 1787, *dub.* 3.

62. In oppido Treboniani parochialis adest ecclesia B. M. V. in cœlum assumptæ, quæ ex duabus coalescit parochiis, et a duabus regitur parochis, qui a priscis temporibus usque ad hæc nostra tempora conjuncti, in vim, ut aiunt, Apostolici brevis, animarum curam exercuerunt. Qua de re S. C. decrevit, unionem exercitii curæ parochialis illius ecclesiæ haud esse servanda : *Sutrina, seu Nepesina, Paroch.*, 3 *febr.* 1787, *dub.* 1.

63. Locum vero esse divisioni ejusdem exercitii pro æquali, decernit, et addidit ad mentem [164] : *Ibid., dub.* 2. Archipresbyter Berti queritur de divisione curæ pro æquali, rogatque, ut ea demandetur ad formam concordiæ anni 1767, quæ parochialia munia in unum et alterum parochum dispertiverat. S. C. resolutionem arbitrio Episcopi confirmavit. 15 *dec. ejusd. anni.*

64. Unitæ ab immemorabili tempore parœciæ S. Gregorii *di Chiapeto*, et S. Christophori Arcis

[163] Qui postquam commodiorem divisionem vix, vel omnino fieri posse asseruisset, pergit: « Ea res sane me movet, ut hanc ecclesiarum parochialium unionem æquitati consonam putem, parocho collegiatæ, modo æconomum decenti stipendio cogatur in laboris partem adscire, commodam populo vero quam maxime utilem : » *Ead. causa, nov.* 1783, § 4.

[164] Mens est, ut uterque parochus celebret Missam pro populo, et divisio non fiat per familias : *Ead. causa*, 3 *febr.* 1787.

di Chiapeto, modo ob distantiam loci, viæque difficultatem, separantur juxta votum Episcopi [165]: *Placentina, Dismembrat.*, 28 *maii* 1791.

65. Unitæ primum inter ceteras parochias Sardiniæ fuerunt parochiales ecclesiæ *di Sezzu, et Baradili* diœcesis Usellensis, quarum una unita erat canonicali præbendæ *di Genuri*, altera alteri *di Sini*. Sed novissime sunt eædem separatæ. Episcopus maximas præ redituum tenuitate expertus est difficultates in illarum collatione. Hinc Pontifici supplicavit pro restitutione unionis utriusque parochiæ. Reditus enim cujusque parochiæ cum respectiva præbenda canonicali est in scut. 200. Portio reservata præbendato *Genuri* est in scut. 70, alteri in scut. 100 circiter; pro parochia igitur *Sezzu* sunt scut. 130 pro altera scut. 100. S. C. autem negativum pro unione præbuit responsum : *Usellen., Unionis paroch.*, 18 *novem.* 1797.

Reliqua quoad ecclesiam parochialem. Vide *Episcopus*, § XIII.

ECCLESIA PLEBANA QUOAD ERECTIONEM.

Quum in diœcesi Sarsinatensi adsit plebana ecclesia loci S. Damiani, cui subjectæ sunt novem finitimorum pagorum parochiæ. Inter harum parochos licet ille pagi seu oppidi Fori Saraceni prioris nomine fuerit condecoratus, onera tamen subjectionis, et reverentiæ plebano S. Damiani remanserunt. Hodiernus prior totius cleri et populi nomine preces fudit, pro erectione suæ ecclesiæ parochialis in plebaniam, et ut eidemque subjiciat quatuor parochiales ecclesias pagorum montis Castelli, montis Saxi, Columnatæ, et Rodognani ab ecclesia plebana S. Damiani, qui jamdiu subjiciebantur, avulsas. Contradicebat iste plebanus in causam vocatus, et S. C. gratiam denegavit : *Sarsinaten., Erect. plebanatus*, 5 *sept.* 1778, *dub.* 1.

ECCLESIÆ CONCATHEDRALES. Vide *Episcopus*, § VI.

ECCLESIÆ BONORUM ALIENATIO. Vide *Alienatio bonorum Ecclesiæ*.

ECCLESIÆ DIGNITAS. Vide *Dignitates ecclesiasticæ in specie*.

ECCLESIASTICA EMPHYTEUSIS. Vide *Emphyteusis*.

ECCLESIASTICA PENSIO. Vide *Pensio ecclesiastica*.

ECCLESIASTICÆ CAUSÆ. Vide *Causa judicialis*.

ECCLESIASTICÆ DIGNITATES. Vide *Dignitates ecclesiasticæ*.

ECCLESIASTICÆ FUNCTIONES. Vide *Functiones ecclesiasticæ*.

ECCLESIASTICÆ PERSONÆ. Vide *Clerici*.

ECCLESIASTICÆ PŒNÆ. Vide *Pœna*, § VI.

ECCLESIASTICI. Vide *Clerici*.

ECCLESIASTICUM CAPITULUM. Vide *Capitulum ecclesiasticum*.

ECCLESIASTICUM SPOLIUM. Vide *Spolium ecclesiasticum*.

ECCLESIASTICUS JUDEX. Vide *Judex*.

EDICTUM. Vide *Concursus*, § III.

EGRESSIO. Vide *Regulares*, § I.

EJECTIO. Vide *Monasterium monialium*, § V; *Regulares*, § I.

ELECTIO. Vide *Abbatissa*, § II; *Canonicatus*, § I; *Capellania*, § VI; *Capellanus curatus*, § II; *Capellanus sodalitii*, § II; *Concionator*, § III; *Confessarius*, § II; *Decanatus dignitas, Mansionaria*, § I; *Œconomus curatus*, § II; *Prior*, § I; *Sepultura*, § II; *Subsidium dotale*, § VII; *Vicarius capitularis*, § I; *Vicarius curatus*, § II.

ELEEMOSYNÆ. Vide *Concionator*, § II.

ELEEMOSYNÆ MISSARUM. Vide *Capellanus*, § VI; *Missa*, § VII.

ELEEMOSYNÆ.

§ I.

Eleemosynæ seu oblationes quomodo, et a quibus colligi, administrari, et custodiri valeant.

1. Licere Episcopo in sua diœcesi, atque etiam in aliena de diœcesani consensu per personas spectatæ probitatis, ac fidei, suoque judicio deligendas stipem quærere pro ecclesiis, capellis, ac locis piis suæ diœcesis, quæ ipse pro sua prudentia, ac pastorali sollicitudine ejusmodi elcemosynarum præsidio magis indigere arbitrabitur : *Polignanen.*, 24 *sept.* 1622, *dub.* 2.

2. Archiepiscopus non potest regularibus prohi-

[165] Qui censet « postulatam dismembrationem sub præmissa conditione augendi reditus ecclesiæ S. Gregorii in memorata summa, esse exequutioni demandandam, et successive indicendum concursum pro utraque ecclesia : » *Ead. causa*, 28 *maii* 1781, § 3.

bere, seu illas indirecte impedire, ne eleemosynas colligant : *Senonen.*, 28 *febr.* 1654, *dub.* 8.

3. Occasione visitationis sacrorum Liminum Theanensis Episcopus exposuit qualiter abbas S. Antonii Viennensis expediebat quosdam commissarios, qui excurrentes per diœceses quæcumque animalia comperiebant cum exiguo tintinnabulo collo appenso, aut habentia aures cæsas, aut caudam, prætendebant esse S. Antonii, et uti talia usurpabant, quare instat huic abusui obviare petens provideri; abbatis procurator autem respondit, ut omnia animalia aliquid ex hujusmodi signis habentia spectent ad abbatiam, et uti talia possit propria auctoritate vindicare, non petere titulo eleemosynæ. At S. C. censuit non posse a prædictis commissariis quæstuare, nisi ad formam Concilii Trid. sess. 21, cap. 9, *de Reform.* [166], et bulla Gregorii XIII incipien. *Romani* [167] *Theanen.*, 30 *april.* 1678.

4. Electi universitatis civitatis Cajacensis, quum continuo vexarentur homines illius diœcesis a quibusdam commissariis, qui expediuntur ab abbate S. Antonii Viennensis Neapolis deprehendentes animalia deferentia exiguos tintinnabulos, et auriculis obtruncatis, supplicant provideri; et S. C. censuit danda, et observanda esse decreta alias edita [168] : *Cajacen.*, 28 *aug.* 1683 [169].

5. Quæsito, an oblationes, eleemosynæ, quæ fiant in oratorio seu ecclesia S. Mariæ Angelorum loci de Panzano spectent ad illius vicarium, vel ad illius archipresbyterum? administrationem, et dispositionem spectare ad vicarium, respondetur: *Nullius, seu Nonantulana*, *Jur. paroch.*, 13 *jan.* 1685, *dub.* 8.

6. Ad dubium, an oblationes, quæ fiunt in oratorio societatum sanctissimi Suffragii, et S. Laurentii Pontremuli, spectent ad ipsum parochum, vel ad sodales, et quis debeat esse earum administrator? S. C. respondit, oblationes spectare ad societatem, et earum administrationem ad ejusdem officiales, qui teneantur reddere rationem Episcopo vel ab eodem deputando : *Lunen. Sarzanen.*, *Jur. paroch.*, 19 *aug.* 1690, *dub.* 6, confirmata 14 *januar.* 1691.

7. Fuit dubium exhibitum in S. C., an societas S. Mariæ Coronatæ seu suffragium Bononiæ aggregata archiconfraternitati suffragii de Urbe retinere possit capsulam in ecclesia pro eleemosynis? rescribitur dari decretum in Lunen. Sarzanen. 19 *aug.* 1690 et 13 *januar.* 1691, *dub.* 6 [170] : *Bononien.*, *Jur. paroch.*, 17 *novem.* 1691, *dub.* 6.

8. Contendunt patres reformati de observantia S. Francisci adversari puritati eorum regulæ re-

[166] Ibi « Cum multa a diversis etiam conciliis, tam Lateranensi, ac Lugdunensi, quam Viennensi, adversos pravos eleemosynarum quæstorum abusus remedia tunc adhibita, posterioribus temporibus reddita fuerint inutilia potiusque eorum malitia ita quotidie magno fidelium omnium scandalo, et querela excrescere deprehendatur, ut de eorum emendatione nulla spes amplius relicta videatur : statuit, ut posthac in quibuscumque christianæ religionis locis eorum nomen, atque usus penitus aboleatur : nec ad officium hujusmodi exercendum ullatenus admittantur, non obstantibus privilegiis, ecclesiis, monasteriis, hospitalibus, piis locis, et quibusvis cujuscumque gradus, status, et dignitatis personis concessis, aut consuetudinibus, etiam immemorabilibus. » Quamvis in hoc decreto caveatur penitus abolendum esse nomen, et usus quæstorum eleemosynarum, de iis tamen intelligitur, qui a Conc. Lateran. sub Innoc. III, et Viennensi sub Clem. V reprobati, et censura constricti fuerunt ; non vero de hodiernis eleemosynarum quæstoribus, quo nomine vocari jussit Urbanus VIII, qui pro hospitalibus, monasteriis, aliisque locis piis eas conquirunt. His igitur licitum est quæritare ; imo, si agatur de religiosis, præsertim ordinum mendicantium, vetitum est a Gregor. IX, locorum Ordinariis, ne eos impedirent intra eorum diœceses degentes, elcemosynas ad sui conservationem colligere, neque fidelibus interdicerent, quin eas iis conferrent, ut in cap. *Nimis parva*, *de Excessib. præl.*, nulla adjecta pœna, quam inflixit Sixtus IV *Cont. Sacri* 26 *julii* 1479 (*Bull. Rom.* tom. 3 part. 3. pag. 173).

[167] Die 1 febr. 1582, *Bull. Rom.* tom. 4, part. 4, pag. 9, quæ traditur ratio ordini fratrum S. Antonii Viennensis pro eorum hospitalibus eleemosynas colligendi: nempe § 2, Sum. Pontifex declarat licere ordini S. Antonii eleemosynas colligere petita, et obtenta ab Ordinariis locorum licentia singulis annis in scriptis, quam ipsi Ordinarii omnino gratis dare debeant, et in usum pauperum infirmorum, et ministrorum deservientium: et § 5 decernit « Volumus autem, quod personæ, ut præfertur deputatæ, quæstorum nomen nullo modo gerant, sed simpliciter eleemosynarum collectores nuncupentur, et propter hanc operam, eleemosynarum hujusmodi participes non sint, atque hoc munere citra ullum dolum, et cum omni modestia fungantur, quodque ad stabula pro benedictionibus super animalia faciendis accedere, eaque sigillare, et aliqua sigilla, et præter præsentes, seu earum transumpta alia privilegia, necnon instrumenta quædam quæstorum insignia, reliquias, chartas, imagines, acus, et alia his similia ad excitandas personas circumferre, indulgentias publicare, aut per se vel alium prædicare, fideles et eleemosynas sibi erogandas minis, aut imprecationibus inducere, aut tamquam debitas, vel solitas, seu aliqua arte, etiam prætextu dicendi orationem S. Antonii extorquere, vel super locis ullam quovis nomine conventionem, etiam in utilitatem monasterii, præceptoriarum, hospitalium, et domorum hujusmodi facere ullo modo præsumant, sed simpliciter, modeste, unica dumtaxat campanella pulsata (cujus usus soli religioni prædictæ a Sede Apostolica concessus fuisse perhibetur), eleemosynas pro subventione hospitalium, et domorum hujusmodi petendo accipiant tantum, quod sibi offerctur. »

[168] Vide presenti § num. 3.

[169] Vide presenti § num. 19.

[170] Vide presenti § num. 6.

tentionem ejusdem capsulæ ad recipiendas eleemosynas positæ, ut sacra in ecclesia B. M. V. assumptæ montis Varalli celebrarentur; hinc visitator apostolicus eam in vestibulo extra ecclesiam collocari jussit; ac eisdem non acquiescentibus Episcopus censuit amoveri, et eleemosynas recipi debere per syndicum apostolicum. Nihilominus res deducta fuit in S. C., quæ edictum Episcopi confirmavit, addens, ut syndicus ei reddere rationem teneatur; 27 *junii* 1799. Decretum deinde confirmatur, et subjungitur, ut quoad redditionem rationis fiat coram Episcopo tanquam Sedi Apostolicæ delegato : *Novarien.*, *Eleemosynarum* 1700.

9. Prætendente moderno rectore ecclesiæ B. M. vulgo *del Rinfresco* terræ Acris ad se, et non ad Episcopum spectare oblationum administrationem, quæ illi ecclesiæ fiunt ; S. C. hac super re definivit, administrationem non spectare ad beneficiatum: *Bisinianen.*, *Oblationum*, 18 *aug.* 1703.

10. Joanni Antonio, Andreæ, aliisque de Tricanis patronis ecclesiæ, seu publici oratorii trium Magorum intra limites parochiæ S. Mariæ Rezzonici Larii lacus existentis, intra præfatæ ecclesiæ parochialis ambitum quæstuare non licet : *Comen. Jur. paroch.*, 21 *aug.* 1706, *dub.* 10.

11. Eleemosynas libere conquirere sodales societatis mortis Lanciani tam intra ecclesiam, quam extra per civitatem, et ejusdem territorii districtum absque curiæ archiepiscopalis licentia nequeunt : *Lancianen.*, *Confrat.*, 20 *sept.* 1710, *dub.* 2.

12. Postulatum, an societati Salutis translata ad ecclesiam hospitalis S. Antonii abbatis terræ Medicinæ stipem petere liceat intra, quam extra territorium dictæ terræ ? Ordinarii arbitrio remittitur : *Bononien.*, 28 *julii* 1724, *dub.* 14.

13. In controversia inter Episcopum Bertinori, et abbatem Camaldulensem monasterii de Urano super eleemosynis, quæ fiunt in ecclesia S. Mariæ de Lacu ad ipsos spectanti, et ab episcopali jurisdictione donationis vi exempta, vertente S. C. definivit administrationem tam eleemosynarum, quæ intra, quam illarum oblationum, quæ fiant extra ecclesiam B. M. Virginis de Lacu in casu de quo agitur, spectare ad dictum abbatem, non ad depositarium a dicto Episcopo deputatum : *Brictinorien.*, *Exempt. et eleemos.*, 12 *decem.* 1711, *dub.* 4.

14. Nec non de dictis eleemosynis, ac oblationibus in casu de quo agitur reddi non debere rationem Episcopo, sed sufficere illam reddere superioribus ordinis : *Ibid.*, *dub.* 5.

15. Nec saltem Episcopum in casu de quo agitur, posse habere regimen, ut dictæ eleemosynæ erogentur in causam debitam : *Ibid.*, *dub.* 6.

16. Coactionem stipis pro suffragio animarum purgantium fieri solitam ab Episcopo personæ laicæ injungi valere S. C. firmavit : *S. Marci*, 13 *april.* 1720, *dub.* 3.

17. Reditus vestiarii a Guillelmo de Gabanelles Gerundæ Episcopo pauperum ergo relicti, S. C. administrari mandavit a binis canonicis cathedralis ecclesiæ presbyteris ; prout in testamento prædictus pius benefactor ordinaverat, qui hac vice ab Episcopo, et in posterum a capitulo, ut testator ipse jusserat, deputari debebant. *Gerunden.*, *Commut. volunt.*, 3 *martii* 1703, *dub.* 4, confirmata juxta modum [171], 7 *jul.* 1731, *dub.* 3.

18. Fratres minoris observantiæ conventus S. Francisci urbis Estellæ in possessorio obtinuerunt jus sibi esse eleemosynas pro animabus purgatorii in parochiali ecclesia S. Joannis privative ad ipsos administratores, colligendi, et retinendi discum pro eleemosynis destinatum. In petitorio modo disputare satagunt administratores, jus istud non ad religiosos, quibus ordinis statuta adversantur, sed ad parochum spectare probantes. Proposito hinc congruo dubio decisum est, syndico eorum fratrum eleemosynas, et oblationes etiam pecuniarias pro defunctis cum retentione disci in præfata ecclesia parochiali quæritare minime licere. *Pampilonen.*, *Juris quæst.*, 6 *maii* 1741, *dub.* 1.

19. Capitulum collegiatæ S. Laurentii in terra Hispelli alicui committere consuevit, ut cum Ordinarii venia eleemosynas in ea terra quæritaret ; ex quibus quolibet anno S. Antonii abbatis festum celebrare solitum fuit. Quidam vero Felix Crescimbenius canonicorum regularium ordinis S. Antonii Viennensis in hospitio urbis Fulginei degentium nomine, eleemosynas pro eodem hospitio in territorio etiam Hispelli, licet nullum in ea Spoletana diœcesi reperiatur monasterium, quod ad ordinem præfatum S. Antonii abbatis pertineat, perquirere cœpit, nulla ab Episcopo impetrata venia ; ideo instituta est inter illos quæstio, et decisum fuit, non licere patribus S. Antonii Viennensis, eorumque præsentatis, commissariis, quæstoribus, affictuariis, aliisque ipsorum ministris, seu officialibus in terra, et territorio Hispelli, ceterisque diœceseos locis stipem precario cogere : *Spoletana*, *Juris quæst.*, 23 *sept.* 1741, *dub.* 1.

20. Et firmatum præterea fuit, restitutioni eleemosynarum, aliarumque oblationum perceptarum post Episcopi præceptum esse locum. *Ibid.*, *dub.* 2.

21. Patres minores conventuales ecclesiæ abba-

[171] Vide not. 448, t. I, verb. *Capitulum ecclesiasticum*, § VII.

tialis S. Viti pro collectis nomine dicti S. Viti peragendis in urbe, ac diœcesi Polymnianensi haud tenentur ab Ordinario veniam obtinere : *Polinianen.*, *Juris quæst., et proces.*, 30 *april.* 1746, *dub.* 6.

22. Nec licet patribus eisdem hujusmodi collectas locare : *Ibid.*, *dub.* 7.

23. Dictisque patribus non licere statuitur ad easdem collectas faciendas mittere personas seculares, sed a suis Ordinarii fratribus, vel ut vocant, commissis fieri debere mandatur : *Ibid.*, *dub.* 8.

24. Societas Mortis, et Orationis de quarto de licentia tamen Archiepiscopi eleemosynas extra monasterium monachorum congregationis Olivetanæ, ubi sodalitium manet, quæritare potest : *Januen.*, *Jur. paroch.*, 13 *julii* 1748, *dub.* 2.

25. Fratres Minores reformati in civitate S. Angeli Lombardorum degentes, conquesti sæpe sunt, quod fratres Cappuccini terræ Jesualdi stipem quærere incœpissent in terra Morræ Bisaciensis diœceseos, qui locus ex decreto capituli provincialis assignatus fuerat eorumdem reformatorum conventui pro colligendis eleemosynis ad religiosorum conservationem necessariis. Episcopus, qui et Bisaciensi præest diœcesi, sententiam tulit, qua illis prohibuit in ea terra extra eorum conventus duodecim milliaria ab illa distantis districtum existente eleemosynam quærere, et in ea declaravit jus colligendi privative Minoribus reformatis S. Angeli Lombardorum competere. Provocarunt Cappuccini immemorabilem pro conventu suo consuetudinem ibi stipem cogendi præseferentes, nihilque diœceseos in regno Neapolitano diversitatem obstare probantes. Proposita hinc causa, definitum fuit patribus Cappuccinis terræ Jesualdi jus in terra Morræ, ejusque districto quæritandi competere : *S. Angeli Lombardorum, seu Bisacciarum*, *Juris quæst.*, 1762.

26. Societati Sanctissimi Sacramenti terræ Bondeni denegatur jus privative colligendi stipem in parochiali ecclesia, et parochiæ districto pro manutentione olei, lampadis, ceræ, et supellectilium pro functionibus Sanctissimi Sacramenti dictæ parochialis ecclesiæ ; sed collectas faciendas esse mandavit ad formam decreti anni 1779 Card. Archiepiscopi : *Ferrarien.*, *Confrat.*, 14 *sept.* 1782, *dub.* 2.

27. Postulante communitate an, et cui, et quibus in locis jus competat colligendi eleemosynas, et oblationes in divi Peregrini Latiosi, ejusque altaris, quod in ecclesia patrum servorum B. M. V. extat, honorem et venerationem a fidelibus exhibitas, et exhibendas? S. C. decernit, intra ecclesiæ ambitum competere religiosis ; extra ecclesiam vero competere administratoribus capellæ de Episcopi licentia : *Forolivien.*, 11 *sept.* 1784, *dub.* 9.

28. Decernit deinde eleemosynas ab administrationibus capellæ colligendas esse juxta modum, et formam ab Episcopo præscribendam, et erogandas illas esse, vel juxta obferentium mentem, vel juxta decretum anni 1727 [173] : illas vero a religiosis in divi Peregrini honorem intra ambitum colliguntur, depositario ejusdem capellæ esse consignandas : *Ibid.*, *dub.* 10.

29. Eleemosynas in ecclesia collegiata S. Petri montis Martiani per ædituum ad formam tertii decreti anni 1781, custodiendas esse decernitur, exceptis eleemosynis ad societatem B. M. V. Rosarii pertinentibus : *Senogallien.*, 13 *julii* 1789, *dub.* 10.

30. In beneficium simplex erecta fuit ecclesia ruralis S. Antimi, quam sitam esse intra fines parochiæ S. Blasii castri Majoli archipresbyter Petrus Camagli probat ; et hoc beneficium unitum fuit seminario, quod possessionem inde cepit ecclesiæ Domunculæ annexæ, et bonorum. Archiepiscopus prohibuit factitare eleemosynarum coactionem, quæ ab archipresbytero fiebant in ipsa ecclesia S. Antimi ; ideo conquestus est archipresbyter, quia ipse claves ecclesiæ retinebat, et sacras functiones exercebat, etiam post beneficii seminario unionem ; proinde orta controversia S. C. decidit eleemosynarum collectas arbitrio Episcopi esse permittendas : *Feretrana*, 9 *julii* 1786, *dub.* 3.

§ II.

Eleemosynæ seu oblationes quoad pertinentiam, erogationem et distributionem.

1. Statuit S. C. monialibus professis nulla ratione esse permissum e monasteriis ad conquirendas eleemosynas exire ; sed si monasteria nimia egestate vere laborent, per mulieres senes, non professas? et extra monasteria degentes eleemosynas petere posse : *Adrien.*, 14 *maii* 1637, *dub.* 1.

2. Secundum ea, quæ narrata fuerunt, censuit S. C. oblationes factas imagini SS. Stephani, et Rocchi in eorum ecclesia existenti esse convertendas in commodum, et usum ipsius ecclesiæ pro arbitrio, et conscientia Episcopi : *Caven.*, *Oblationum*, 11 *febr.* 1662.

[173] Ad dirimenda dissidia inter communitatem, et religiosos servorum ordinis exorta, Benedictus XIII, Pont. Max., congregationem particularem deputavit, quæ die 27 sept. 1727 decrevit « Manutentionem capellæ et altaris prædictorum, ut prius, in posterum stare ad onus præfatum administratorum, ad quos propterea facultas quoque administrandi capitalia, et reditus memoratæ capellæ eo modo, quo huc usque praticatum fuit, et non alias debebit pertinere ; » *Ead. causa*, 21 *aug.* 1784, § 3.

3. Non solum in oratorio S. Mariæ Lacrymarum, verum etiam extra illud et intra limites parochiæ stipem colligere an liceat; fuit postulatum? et dari decretum in *Forolivien., Jurium parochialium*, 18 *novem.* 1684, *dub.* 1 [173], mandatur: *Brictinorien., Jur. paroch.*, 21 *junii* 1687, *dub.* 6.

4. Ad dubium, an oblationes, quæ fiunt in oratorio societatum Sanctissimi suffragii, et S. Laurentii Pontremuli spectent ad ipsum parochum, vel ad sodales, et quis debeat esse earum administrator? respondetur oblationes spectare ad societatem, et earum administrationem ad ejusdem officiales, qui teneantur reddere rationem Episcopo, vel ab eodem deputando: *Lunen., Sarzanen., Jur. paroch.*, 19 *aug.* 1690, *dub.* 6, confirmata 13 *jan.* 1691.

5. Quæsitum quum fuisset, an eleemosynæ, oblationes, collectæ, et legata, quæ conferuntur confraternitati erectæ in capella SS. Sacramenti ecclesiæ cathedralis censeantur factæ et facta dictæ capellæ? S. C. rescripsit, ut in casibus particularibus recurrerent: *Sarnen., Confr.*, 11 *junii* 1712, *dub.* 7.

6. Præcepit inde, ut reditus et eleemosynæ, quæ fiunt in favorem confraternitatis prædictæ tam in beneficium capellæ præfatæ, quam oratorii, secundum utriusque indigentias erogarentur: *Ibid., dub.* 8.

7. Idem etiam præceptum dedit, quoad reditus et eleemosynas, quæ donantur in favorem capellæ: *Ibid., dub.* 9.

8. Eleemosynæ, quæ fiunt in ecclesia S. Dominici patrum prædicatorum, ubi adest SS. Rosarii confraternitas, quæ in illa ecclesia habet altare, non ad ipsam societatem, sed spectant ad patres: *Ripana, Confrat.*, 30 *martii* 1715, *dub.* 10.

9. Oblationes vero, quæ altari, et imagini B. M. V. SS. Rosarii fiunt ad eamdem confraternitatem, non ad patres spectant, et converti debent in usum altaris: *Ibid., dub.* 11.

10. Universitati pagi Peysei, et operum piorum procuratori ab eadem constituto, cum oblationibus a peregrinis, et non a parochiæ incolis rurali oratorio B. M. V. relictis, oratorium hoc [174] juxta modum dissentiente parocho ampliare, illudque in formam publicæ ecclesiæ redigere licet: *Tarantasien.*, 22 *april.* 1719, *dub.* 2.

11. Quum in disquisitionem venisset, an frumenta, et panis, quæ in ecclesiam S. Pauli a parochiæ incolis in festo omnium Sanctorum deferuntur, spectarent ad massam communem, vel ad parochum, S. eadem C. respondit, ad Card. præfectum in omnibus: *Verulana*, 15 *januar.* 1724, *dub.* 1. Card. præfectus frumentum ad parochum; panem vero ad massam communem spectare declaravit. Quum præfatæ ecclesiæ beneficiati declarationem hanc impugnassent, iterumque audiri petiissent, rescriptum prodiit, ad eumdem Card. præfectum: 28 *febr.* 1733.

12. Quum plurimæ factæ fuissent oblationes in capella seu ædicula patronali a Margarita Leite de Figueredo fundata, atque dotata, et B. Joannæ principissæ Portucalliæ dicata, plures quoque inter parochum et fundatricem emersere controversiæ. Idcirco decisum fuit secundum ea quæ proponebantur, ut nempe oblationes factæ et faciendæ ven. imagini dicatæ beatæ in ea capella non spectarent ad parochum S. Faustini de Regoa, sed applicandæ sint usui commodo, et decori dictæ imaginis, dictæque ædiculæ: *Portucallen.*, 11 *januar.* 1727, *dub.* 2.

13. Societas S. Mariæ de Libertate occasione exercitiorum spiritualium de licentia Ordinarii per ecclesiam pro animabus purgatorii stipem mendicare potest, ac eleemosynæ in suffragium sunt animarum purgantium erogandæ: *Bononien.*, 15 *maii* 1728, *dub.* 11.

14. Ad dubium, an oblationes, quæ fiunt in die Commemorationis mortuorum in pane, et vino, aliisque rebus offerri solitis in ecclesia S. Mariæ de Paganica ab extra, spectent ad capitulum, et massam capitularem ecclesiæ collegiatæ, et parochialis S. Mariæ de Paganica ab intra, seu ad Vicarium curatum in dicta ecclesia ab extra constitutum? respondetur, ut servetur votum eminentissimi Bellugæ: *Aquilana, Præeminent.*, 22 *sept.* 1731, *dub.* 6.

15. Oblationes seu eleemosynas in publico oratorio SS. Annuntiationis villæ Tini colligi solitas ad oratorii rectorem spectare statuitur; ita ut Episcopo reddenda sit ratio; et eleemosynæ sive oblationes in usum, et cultum ipsius ecclesiæ cum ejusdem Episcopi adprobatione convertantur: *Asculana, Jur. et funct. paroch.*, 29 *aug.* 1733, *dub.* 4.

16. Locum de Barroux visitans Episcopus comperiit nullum ibi pro pauperibus mala valetudine affectis peculiare adesse subsidium, notavitque, ut consules Universitatis, reditus, quos charitatis adpellant, loci pauperibus indiscriminatim distribuebant. Propterea decrevit, reditus illos infirmis tantum pauperibus cum parochi schedulis tribui, rationemque de iis teneri referre. Sed instante postmodum communitate S. C. definivit, illam eleemosynarum distributionem absque parochi dicti loci

[173] Vide verb. *Parochus*, § 4, num. 10.

[174] Nempe vicario capitulari scribi mandarat, ut, audita communitateper se, vel per alium ab eo deputandum, hujusmodi ampliationi sedulo incumbat, curetque, ut pecuniæ in ampliationem prædictam fideliter erogentur; *Regist. lit., ib.* 45, *die* 22 *april.* 1719.

schedulis fieri posse, addendo ad mentem [175]: *Vasionen., Distribut. eleemos.*, 24 *aug.* 1743.

17. Oratorio a nobili familia Bevilacqua in suo latifundio penes, oppidum Nonantulæ extructo, publico declarato, quæsitum fuit, an oblationes et eleemosynæ, quæ in eo oratorio fiunt, erogandæ sint in ejusdem oratorii beneficium, vel parocho S. Jacobi? S. C. rescripsit, non parocho, sed in oratorii beneficium erogari debere. *Nullius, seu Nonantulana, Jur. paroch.*, 27 *junii* 1744, *dub.* 10.

18. Canonicis ecclesiæ cathedralis juxta diei 24 sept. 1621, cogere non licet eleemosynas nomine S. Viti cumulative cum patribus minoribus Conventualibus ecclesiæ abbatialis ejusdem S. Viti; verum est servanda transactio: *Polinianen., Juris quæst. et process.*, 30 *april.* 1746, *dub.* 1.

19. Ad dubium, an proventus collectarum impendi in cultum S. Viti ejusdem ecclesiæ abbatialis debeat? rescribitur, ut servetur solitum et superiores regulares incumbant, ne ecclesia fraudetur debito cultu, et obsequio: *Ibid.*, *dub.* 3.

20. Insuper deciditur eleemosynam ducat. 50, conventam in prædicta transactione non esse augendam, et Episcopum incumbere erogationi ducatorum 50, et aliarum oblationum in beneficium capellæ: *Ibid.*, *dub.* 4.

21. Neque eisdem licitum est convenire de quadam eleemosynarum colligendarum quota: *Ibid.*, *dub.* 9. Et ad rogatum, an eleemosynæ, ac oblationes, quæ fiunt in tribus anni diebus solemnioribus in ecclesia abbatiali S. Viti spectent ad eamdem ecclesiam abbatialem, seu debeant impendi pro cultu dictæ capellæ, ac sanctarum reliquiarum? servari solitum respondetur: *Ibid.*, *dub.* 14.

22. Discusso dubio num oblationes, quæ factitantur a parochiæ incolis S. Eustachii Urbis tam in pecunia, quam in aliis rebus occasione benedictionis domorum, in Sabbato sancto, quæ fit a vicario curato pro tempore, et respective ab aliis sacerdotibus dictæ ecclesiæ inservientibus, spectent ad dictum vicarium, sive potius ad capitulum, ejusque ædituum? S. C. respondit negative quoad secundam: *Romana*, 14 *sept.* 1748, *dub.* 1.

23. Parochiali ecclesiæ B. M. in cœlum assumptæ villæ de Limiana servitium, ministeriumque præstant rector, et quatuor beneficiarii, quos vocant residentes. Hos inter et rectorem facta contentio est super ecclesiæ regimine, quod ad rectorem spectare S. C. definivit. Ad ea vero quæ proposita hodie fuerunt, eadem respondit, non in rectoris domo, sed super petram positam ante januam majorem ecclesiæ oblationes dividi debere: *Urgellen.*, 12 *martii* 1757, *dub.* 21.

24. Quum Benedictus XIV, Pont. Max., collegiatam ecclesiam SS. Mariæ et Hilarii nunc S. Francisci de Paula, alteri collegiatæ et parochiali ecclesiæ S. Jacobi nunc SS. Petronii et Prosperi junxisset, etiam omnia huic jura, et emolumenta suppressæ transtulit; suppressæ vero patres Scholarum piarum una cum animarum cura præfecit, matricitatis jure novæ collegiatæ salvo, et cum pensione a capitulo solvenda. Quæstionem hinc parochus ille regularis et capitulum moverunt, super pertinentia oblationum, quæ olim fiebant tum a communitate Lugi, tum a confraternitatibus dictæ terræ, ecclesiæ olim S. Mariæ, nunc S. inquam Francisci de Paula in titularis die festo, ita ut sint restituendæ. Verum quæstio hæc ablata illico fuit, quum ad ecclesiam S. Francisci de Paula spectare S. C. dixisset: *Imolen.*, *Jur. paroch.*, 20 *decem.* 1760, *dub.* 16.

25. Oblationes diurnæ, quæ in oratorio S. Aldebrandi fiunt, non parocho acquiruntur sed spectant ad ipsum oratorium sub Episcopi administratione: *Forosempronien.*, *Jur. paroch.*, 25 *april.* *dub.* 6.

26. Benedictus rec. mem. XIII, ecclesiæ Perusinæ sacrario reliquit omnia bona, et emolumenta, quæ ad piam domum S. Mariæ Disciplinatorum spectabant, cum onere servandi, quod Episcopus indixerat, quodque fuerat in tabella registratum. Capitulum modo Perusinum petit, ut oneri in tabella comprehenso modus ponatur, exoratque, ut non advenis omnibus pauperibus juxta legem ibi adjectam, sed incolis tantum insulæ majoris, apud quos sodalitium disciplinatorum erat, necnon Tauri, et Baroncini vicinorum pagorum, eleemosyna distribuatur, quia maxima est sacrarii necessitas. Aliquo saltem annorum spatio annuendum esse censet Episcopus. S. C. singulis recte libratis, distributionem eleemosynæ faciendam esse putavit ad formam tabellæ: *Perusina*, *Reduct.*, 27 *april.* 1765, *dub.* 1.

27. De eleemosynis, ac oblationibus a populo confraternitati sanctissimi Sacramenti ecclesiæ parochialis oppidi S. Victoris subministratis, atque ab archipresbytero erogatis, quoad perceptionem, et erogationem non est notulæ juratæ exhibitioni locus. *Cæsenaten.*, 9 *febr.* 1765, *dub.* 11.

28. Eleemosyna hebdomadalis ex reditibus mensæ pauperum præstari solita, distribuenda est ad formam decreti Ordinarii, qui mandavit, ut illa esset distribuenda illis tantum pauperibus, qui parochi, aut alicujus ex sacellanis, qui pauperum familiarum mores, et necessitates noscunt, testimonium proferant: *Colonien.*, 14 *febr.* 1767, *dub.* 19.

29. Pia pauperum ergo opera reliquit nobilis

[175] Quæ fuit, ut procedatur juxta ordinationes bon. mem. pro-legati Bondelmonti; Lib. 93, *Decret.* pag. 366.

vir marchio Spada, administrationemque dedit P. Virgilio, ac Card. Bernardino suis filiis, deinde aliis descendentibus a familia Spada et Congregationi Paulinæ. P. Virgilius, utendo facultate aliquam peragendi mutationem, et alterationem, præcepit, ut eleemosynæ annis dumtaxat penuriæ distribuerentur. Ambiguum hinc fuit, num distributio illa sit annis singulis, seu annis dumtaxat penuriosis facienda? et annis dumtaxat caritatis a congregatione Paulina fieri decisum fuit: *Faventina, Redd. Rationis,* 19 *sept.* 1772, *dub.* 6.

30. In statuto confraternitatis animarum purgantium in ecclesia S. Nicolai erectæ, urbis Vallettæ, cautum capite 4 est, ut eleemosynæ ad quas fideles obferentes invitabantur, non in solam sacrorum celebrationem erogandæ sint, sed erogandæ tantum sint in Missas celebrandas, et in alias expensas pro ejusdem ecclesiæ, et sodalitii manutentione. Statutum hoc confirmari petierunt sodales, et postulatis satisfecit S. C. juxta modum [176]: *Melevitana, Confirmationis statuti,* 19 *aug.* 1786.

Emissio. Vide *Professio religiosa,* § III.

EMOLUMENTA.

§ I.

Emolumenta in genere.

1. Statuit S. C. emolumenta jurisdictionis sede vacante non spectare ad vicarium capitularem, sed sunt pro Episcopo successore reservanda: *Ostunen., Procurat., et resident.*, 28 *julii* 1708, *dub.* 2.

2. Pium Montem dotalem fundavit Joannes Juvenazzius in favore hæredum descendentium relictis exequutoribus Episcopo, archidiacono, cantore, et thesaurario pro tempore ecclesiæ cathedralis quibus controversias omnes definiendas commisit. Ab eisdem dubium propositum fuit in S. C.; an in distributione sub sidiorum extrajudicialiter, et judicialiter procedente, aliqua Episcopo, vel ejus ministris debeantur emolumenta? ei non deberi, sed ejus ministris juxta taxam Innocentianam [177] fuit resolutum: *Castellaneten.*, 27 *april.* 1748, *dub.* 5.

3. Publicanis nullum emolumentum exigere licet pro translatione cadaveris de uno ad alium locum occasione tumulationis in ecclesia PP. Reformatorum diœcesis Auximanæ, quando cadavera asportantur a diœcesi Lauretana: *Auximana, seu Recineten., Funerum,* 24 *martii* 1753, *dub.* 5.

4. Consuetudo est in pluribus Hispaniarum diœcesibus, et præsertim Toletana, Compostellana, et Jacensi, quam plura provincialia concilia approbarunt: sed quam nec improbat, nec approbat Bened. XIV, *de Synod.* [178], lib. IV, cap. VII, num. 11 ut in omnibus beneficiis curam animarum annexam habentibus, quæ per concursum conferuntur, qui-

[176] Nempe, ut media pars eleemosynarum tam collectarum, quam colligendarum una cum medietate fructuum sortium tam investitarum vel in posterum investiendarum pro Missis; altera vero medietas pro ecclesia applicetur, et in reliquis juxta votum Episcopi: *Ead. causa,* 19 *aug.* 1786.

Episcopus aiebat: « Putarem eleemosynas prædictas dividendas esse in duas portiones, quarum prima deductis expensis necessariis erogari debeat in celebrationem Missarum lectarum, quodque celebrari etiam debeant Missæ cantatæ omnibus diebus dominicis, aliisque anni festis cum assignatione scuti unius dictæ monetæ pro qualibet Missa inter sacerdotes cantantes dividendi. Alteram vero eleemosynarum unam cum fructibus dictorum capitalium deductis pariter expensis assignandam esse confraternitati subministranti sacerdotibus sacra indumenta, aliaque utensilia ad Missæ celebrationem necessaria, hac tamen lege, quod consodales prosequi debeant alia pia opera celebrationem scilicet infra annum nonnullarum Missarum cum expositione Sanctissimi Sacramenti, aliorumque suffragiorum, necnon consuetas functiones majoris hebdomadæ: » *Ead. causa,* 29 *julii* 1786, § 4.

[177] Quæ fuit confecta 1 octob. 1678 a congregatione particulari deputata ab Innocentio XI et de ejusdem mandato typis edita a S. C. Concili die 8 ejusdem mensis, et anni. Hæc § 8 habet « Generalmente cosi nelle capellanie manuali, come nelle nuove fondazioni, ed erezzioni de benefici capellanie, confraternite, consegrazioni, ovvero fondazioni, e benedizioni, e consegrazioni, e respettivamente visite, ed approvazioni di Chiese, e di oratorii, cosi coll' autoria apostolica, come con l'ordinaria, il Vescovo od altro prelato, e suo vicario, e qualunque officiale, non possa esigere, e ricevere emolumento alcuno, ma solamente il cancelliere possa esigere quella mercede, che sia proporzionata alla sua fatica per la scrittura, purche non possa eccedere in tutto un scudo d'oro, ma sia meno, se minore sara la fatica. »

[178] Tom. XII, pag. 147, ubi legitur « Unum tamen, notatione dignum referimus quod statutum reperimus, in Concilio provinciali Toletano, habito anno 1566, act. 2, cap. 24 (tom. X, collect. Harduini, col. 1135) his verbis: *Horum vero examinatorum cuilibet pro muneris suscepti labore, Ordinarius, post beneficii collationem, ex reditibus ecclesiæ vacantis, qui alioquin rectori debeantur, justam aliquam mercedem, ejus arbitrio, reddi curabit; cum, et dignus sit mercenarius mercede sua:* licet autem, quod a præfatis Concilii patribus gestum est, non improbemus, non tamen absolute approbamus, multaque minus imitanda proponimus. »

libet provisus solvere tenetur certam pecuniarum quantitatem tam examinatoribus synodalibus, quam curiæ episcopalis officialibus, sive nomine stipendii, sive largitatis. Indicto concursu ad plures parochiales ecclesias vacantes, provisus fuit Antonius la Forcada, qui solvere taxam renuit, ac proposito dubio, an, et quæ emolumenta debeantur occasione examinis in concursu, et collationis ecclesiarum parochialium? et an et quæ emolumenta sint restituenda? respondit ad primum, quoad præsides, et examinatores negative; in reliquis ad Card. præfectum juxta mentem; et ad secundum ad eumdem Card. præfectum : *Jacen.*, 14 *jan.* 1758, *dub.* 1 et 2.

Reliqua. Vide *Anniversarium*, § II; *Archipresbyter*, § IV; *Beneficiati*, § I; *Canonici*, § III; *Capellanus*, § II; *Capellanus curatus*, § VI; *Capitulum eccles.*, § IV; *Episcopus*, § XXIII; *Mansionarius*, § I; *Œconomus curatus*, § I; *Parochus*, § VI; *Præpositus*, § II; *Presbyteri*, § III; *Prior*, § II; *Vicarius capitularis*, § II.

§ II.

Emolumenta funerea quomodo, quibus, et a quibus solvere, aut restituere teneantur.

1. Ita legitur in libro decretorum S. C. « Quo vero ad consuetudinem, ut canonici istius cathedralis ultra id, quod ratione funerum recipiunt aliquid plus pro eorum arbitrio, jure sepulturæ exigant, vel a sponte dantibus recipiant, S. C. censuit, talem consuetudinem, quatenus sit legitime præscripta quod sponte dantes, et dummodo sepultura non retardetur, esse tolerandam, quo vero ad exactionem esse omnino abolendam : » *Ortonen.*, 8 *apr.* 1634.

2. Resolutum fuit a S. C. ad solutionem quartæ funerum non teneri hæredes, nec exequutores testamentarios; lucrum vero sepulturæ pro cadaveribus humandis non posse de jure peti, nec exigi, sed si quid ex legitima consuetudine a sponte dantibus solvi consuevit, hujusmodi consuetudinem permitti posse ita tamen, ut ex non solutione interim non denegetur sepulcrum : *Acher.*, 15 *maii* 1638.

3. Dubio disceptato, an parochi seculares prætendere possint majorem quantitatem emolumentorum funerum, quando cadavera sepeliuntur in ecclesiis regularium, quam accipiunt, quando tumulantur in ecclesiis secularibus? datum fuit negativum responsum, et ut exhibeatur decretum in Mantuana funerum editum 16 januar. et 3 april. proximi præteriti[179] : *Insularum Canariæ, Jurisdict.*, 31 *julii* 1694.

4. Quum Laurentius Crescius a quatuordecim annis circiter miles præsidiarius arcis Angeli in morbum incidisset, illico se ad propriam domum se transtulit, ubi uxor cum familia degebat, sitam in parochia SS. Simonis et Judæ, et ibi mortuus est. Orta inde controversia inter binos parochos decisum est emolumenta funerum ecclesiæ parochiali S. Mariæ Transpontinæ, quia rite, et recte in ecclesia SS. Simonis et Judæ non fuerat humatum, esse restituenda : *Romana*, *Juris sepeliendi*, 17 *aug.* 1697 [180].

5. Canonicus Pellegrini ecclesiæ cathedralis in propria domo decubuit, et distincta ab ædibus canonicalibus, et fuit translatus ad ecclesiam prædictam irrequisito parocho domicilii; idcirco instante hoc parocho S. C. dubium, an sit restituenda emolumenta funerum? deberi ei quartam, explanavit : *Narnien.*, *Jur. Paroch.* 1699, *dub.* 4.

6. Capitulo, canonicis ecclesiæ collegiatæ S. Mariæ civitatis Foggiæ, et aliis parochis dictæ urbis propter funus per publicas plateas, quæ non est via recta ad ecclesiam funeris, et præsertim regularium ducens, circum actum, aliquod stipendium accipere, seu exigere fas nequaquam esse fuit declaratum : *Trojana*, *Funerum*, 21 *maii* 1701, *dub.* 2 [181].

7. Præfato insuper capitulo, canonicis, et parocho aliquid ratione transitus per parochiam ad ecclesiam funeris in alia parochia positam exigere non licet : *Ibid.*, *dub.* 4.

8. Eidem capitulo in comitatu funeris candela per canonicos gestanda quatuor librarum tribui non debet, sed est arbitrio hæredum relinquendum pondus, et quilibet ex canonicis præter dictam candelam unum ducatum regni prætendere nequit : *Ibid.*, *dub.* 5.

9. Capitulum, canonici, ac parochi supradicti, funerum ratam partem, quando cadaver sepelitur in ecclesiis regularium extra urbem, ac extra parochiam, quamvis intra civitatem positam, majorem prætendere, et accipere non possunt, quam sumerent, si cadaver in illorum ecclesia conderetur : *Ibid.*, *dub.* 7.

10. Interveniente in funere ducendo ad ecclesiam

[179] Vide *Quarta funerum*, § 2, num. 6.

[180] Vide not. 17, tom. I, verb. *Canonicatus*,

[181] Ampliatur hæc declaratio a Const. *Exponi*, 2 dec. 1676 (*Bull. Rom.*, tom. 8, pag. 13), Innocentii XI, ubi confirmatur decretum S. C. Concilii emanatum in causa *Papien.*, *Funerum*, 28 novem. 1671, hsice verbis conceptum « Primo, an curatus unius diœcesis quæcumque sit in transitu cadaveris, quod processionaliter defertur ad ecclesiam regularium ab alia diœcesi transeundo per propriam jurisdictionem, et parochiam, possit aliquam partem petere ceræ, et pecuniarum ab hæredibus defuncti prætendere? respondetur ; *Negative.*

regularium Cruce capituli cum unico illius abbate, seu sacerdote capitulum emolumentum eo modo, quo totum interesset capitulum, exigere non valet : *Ibid., dub.* 8.

11. Quum oblatæ mulieres degentes in conservatorio Sanctissimæ Conceptionis sub instituto S. Claræ casalis Pentæ terræ S. Severini morientes sine electione sepulcri essent tumulandæ in ecclesia parochiali, inde S. C. decernit, et quatenus eligunt sepulchrum in earum ecclesia debentur parocho funerum emolumenta : *Salernitana, Jur. paroch.*, 19 *aug.* 1702, *dub.* 4.

12. Ab ecclesia cathedrali restituto cadavere sanctis Primaveræ, qui e domo paterna rurali sita in parochia S. Mariæ Plani causa studiorum profectus ad urbem inhabitavit, et diem supremum sub parochia PP. Dominicanorum civitatis non clausit, sed habet familiæ sepulcrum in ecclesia, soluta quarta cui de jure, S. C. dictis patribus esse restituendæ res funereæ et oblationes statuit : *Æsina, Juris sepeliendi*, 15 *decem.* 1703.

13. Quum elegisset sepulcrum in ecclesia patrum reformatorum S. Francisci oppidi Scantiani Vincentius Cæsarinius pro ejus filia impubere, quæstio adducta est de dicta electione, restitutione cadaveris, ac emolumentis, ad quos spectant; S. C., cui res fuit delata, censuit Episcopum transmittendum processum, et postea providebitur ad quem solutio mercedis spectet : *Suanen., Juris funer.*, 10 *julii* 1706, *dub* 2.

14. Nec cadaver Marci Antonii Sylvii, nec funerea emolumenta esse restituenda S. C. præcepit. Nam hic obiens in parochia ecclesiæ collegiatæ oppidi Canini nullo sepulcro electo, ibi fuit cadaver humatum obstantibus de observ. PP. S. Francisci, qui aiebant in eorum ecclesia habere illius genitoris sepulcrum, licet nullam formam sepulcri habens, quum dicti genitoris hæredes scut. 10 pro fractura terreni tantum solvissent : *Aquipendii, Exhumat. cadaveris*, 26 *febr.* 1707.

15. Vicarius generalis, promotor fiscalis, œconomus mensæ archipresbyteralis, et capitulares ecclesiæ collegiatæ oppidi Terlicii gaudere emolumentis funerum illis horis, quibus confessiones extra præfatam ecclesiam audiebant, intendentes, hinc in choro interesse nequibant, sed frustranea eorum petitio evasit : *Juvenacen., seu Nullius Terlicii, Distribut.*, 15 *aug.* 1707, *dub.* 2.

16. Mortuo ab intestato Alvaro de Luna Regio gubernatore civitatis Cortonæ in dicta urbe, quæsitum fuit hac occasione a S. C., an, et quæ summa interveniente capitulo ecclesiæ cathedralis capitularibus, et sacerdotibus invitatis debeantur? responsum prodiit, ut Episcopus conficiat taxam auditis interesse habentibus, et transmittat ad S. C. : *Cortonen., Jur. funer.*, 3 *sept.* 1707, *dub.* 2 [182].

17. Inde resolvit S. C. summam nullam ex titulo prætensi juris componendi tam pro iis, qui obeunt repentina morte quam cum sacramentis, eidem capitulo deberi [183] : *Ibid., dub.* 3.

18. Et ad dubium, an, et quæ summa debeatur ex jure tintinnabuli? respondetur, ut ad secundum dubium : *Ibid., dub.* 4.

19. Quum esse locum exhumationi cadaveris Baldassaris Cenzii incolæ parochialis ecclesiæ S. Gregorii de Curiis; licet ad eam non esse deveniendum stante lapsu temporis S. C. definivisset; insuper decrevit esse locum etiam restitutioni emolumentorum. Nam patres conventuales sub prætensa ratione, quod erat sepeliendum in tumulo majorum, et causa consuetudinis in eorum ecclesia tumularunt : *Civitatis Castellanæ, Sepulturæ*, 12 *januar.* 1709.

20. Joannes Cortellonus rector parochiæ nuncupatæ *del Portone* occasione funerum suorum fidelium prætendit, etiamsi tumulentur in aliena ecclesia præter consuetam quartam funeream julios quinque, et velum quoddam, seu illius vice julium unum pro erigenda cruce, alterum pro delatione imaginis sanctissimi Crucifixi, quam infirmis post extremam unctionem eis administrandam relinquit; idcirco S. C. consulta, quæ emolumenta deberi dicto parocho, rescripsit, ut Episcopus conficiat taxam auditis interesse habentibus, et transmittat ad S. C. : *Senogallien, Emolum. funer.*, 24 *maii* 1710, *dub.* 1. Taxam confecit Episcopus in hujus rescripti exequutionem, et taxam, parocho causa contrariæ consuetudinis, ad quam probandam remissoriam petebat, contradicente; servandam S. C. judicavit : 2 *maii* 1711 [184].

21. Nec deberi velum, seu illius pretium in administratione olei sancti, neque a sponte dantibus accipi posse constitutum est : *Ibid., dub.* 2.

22. Maria Victoria Moja civitatis Aste sese cum viro suo ad locum Serræ vallis transtulit occasione matrimonii, sed ob jurgia inter eos orta, ad suam

[182] Vide not. 8, tom. I, verb. *Cadaver*, § III.

[183] Quoad enim jus taxandi, sive componendi per capitulum, innixa fuit resolutio rationi, quod præter taxam solitam pro sepultura, non videtur aliquod exigendum a capitulo ratione alterius juris, cum non debeat duplex stipendium; et quidem talis non potest augeri a capitulo ad proprium libitum, quia sufficit, ut fuerit facta a superiore considerata qualitate, et facultate personarum, et locorum, quibuscumque casibus applicata. » Card. Petra, *Comment. ad Const.* 2, *Clem. IV*, num. 28, tom. 3, pag. 219.

[184] *Discept. Eccl. XVIII*, t. II, part. 2, *per tot.* Advocatus Dominicus Ursaya sua jura in hac causa in favorem parochi Pontoni edidit.

remeavit urbem, et post sex mensium moram, obiit intra parochiæ S. Pauli fines sacramentis omnibus munita. Fuerat in ejus testamento compertum sibi in ea ecclesia parochiali elegisse sepulcrum, in qua mori contigisset. Vicarius cathedralis ecclesiæ curatus jus funerandi sibi arrogavit, uti advenarum, et forensium civitatis. At S. C. jussit emolumenta funeris esse parochiali ecclesiæ S. Pauli restituenda: *Asten.*, *Juris funer.*, 20 *sept.* 1710, confirmata 28 *febr.* 1711.

23. Quum haud decernere judicasset S. C. restitutionem cadaveris Joannis Pozzuoli sepulti a parocho S. Geminiani civitatis Laudæ in sua parochiali ecclesia; hinc etiam emolumenta funerum percepta a dicto parocho instantibus pariter patribus Carmelitarum discalceatorum electionem in eorum ecclesia sepulcrum allegantium restituenda non esse decernit: *Landen.*, *Funerum*, 2 *maii*, *dub.* 5 [185].

24. Cadaver Alberti Forlani in ecclesia monialium S. Claræ sepultum juxta suam voluntatem fuit, et a patre confessario, ac patribus S. Francisci associatum est, minime parocho ecclesiæ cathedralis vocato. Eo reclamante non esse locum restitutioni cadaveris, et quoad medietatem esse restituenda emolumenta funerum, et in futurum esse observanda S. C. Episcoporum, et regularium decreta [186] S. C. sententia fuit: *Lunen.*, *Sarzanen.*, *Restitut. cadaver.*, 28 *novem.* 1711.

25. Parocho cathedralis ecclesiæ Savonæ solvi debent emolumenta funerum occasione obitus viatorum, qui in dicta civitate decedunt, minime vero ea spectant ad parochum illius ecclesiæ, intra cujus districtum moriuntur: *Savonen.*, *Jur. paroch.*, 12 *novem.* 1712, *dub.* 2.

26. Idem servandum est quoad peregrinos in dicta urbe decedentes: *Ibid.*, *dub.* 5.

27. Idemque statuitur, quoad advenas, et exteros quoscumque, qui non habentes animum permanendi in urbe Savonæ, ibidem tamen una cum eorum familiis habitantes in ea extremum spiritum effundunt: *Ibid.*, *dub.* 8.

28. Quod de advenis decisum est, etiam de civibus Savonensibus intelligi debet, qui tamen domicilium omnino deseruerint, et patriam redeuntes animo commorandi solum ad tempus, domum consanguineorum, vel etiam paternam inhabitant: *Ead. causa*, 3 *decem.* 1712, *dub.* 11.

29. Emolumenta funerum occasione obitus gubernatoris, ejusque vicarii, magistratuum, et officialium et illorum, qui stipendio conducti sunt, et quorumcumque qui a principe missi sunt ad regimen civitatis, habitantium in civitate Savonæ, vel in domo publica, vel privata sumptibus publicis conducta, quatenus sepulturam non elegerint, solvi debent parocho, intra cujus districtum intereunt: *Ibid.*, *dub.* 13.

30. Quod si prædicti cives Savonenses forent, et habitarent in domo propria, vel privata propriis sumptibus conducta, tunc emolumenta prædicta spectare debent ad parochum illius ecclesiæ, intra cujus limites habitant: *Ibid.*, *dub.* 15.

31. Emolumenta funerum occasione obitus officialium Belli, quocumque nomine nuncupentur, habitantium in urbe Savonæ, vel in stationibus, et domo publica, vel privata, quatenus sepulturam non elegerint, solvi debent parocho cathedralis ecclesiæ, non autem parocho ecclesiæ, intra cujus limites decesserunt: *Ead.*, 21 *januar.* 1713, *dub.* 17.

32. Quod si officiales prædicti fuerint cives Savonenses emolumenta ad parochum, in cujus parœcia moriuntur, spectare deberet: *Ibid.*, *dub.* 20.

33. Emolumenta funebria occasione obitus militum omnium habitantium in urbe Savonæ, vel in stationibus, et domo publica, vel privata, et in ea decedentium, si sepulcrum non elegerint, spectare non debent ad parochum ecclesiæ, intra cujus districtum e vita excesserunt, sed solvi parocho cathedralis ecclesiæ debent: *Ead.*, 13 *maii* 1713, *dub.* 22.

34. Secus vero servandum erit, si milites prædicti cives Savonenses fuerint: *Ibid.*, *dub.* 24.

35. Emolumenta funerea occasione obitus illorum, qui in carceribus criminalibus gubernatoris Savonæ detinentur, decedentium, sive Savonenses fuerint, sive exteri, si sepulturam non elegerint ad parochos ecclesiarum, intra quarum districtum reperiuntur carceres, spectant: *Ibid.*, *dub.* 26.

36. Spectant vero ad prædictos parochos emolumenta funerum, quæ proveniunt occasione obitus illorum, qui in carceribus civilibus, vulgo nuncupatis *Malæ Paghæ*, morantur: *Ibid.*, *dub.* 28.

37. Compendia funerea illorum, qui ad mortem damnati sunt, si ipsi sepulcrum non elegerint, ad parochum cathedralis ecclesiæ pertinent, minime ad parochum carcerum: *Ead.*, 17 *junii* 1713, *dub.* 30.

38. Quum S. C. exhumationem cadaveris Francisci Rocca Pistoris monialium Benedictinarum SS. Antonii, et Claræ atrium muris circumdatum dicti monasterii degentis ab ecclesia dictarum monialium ratam habuisset; etiam emolumenta funerum parocho ecclesiæ S. Mariæ de Mari, in cujus parochiæ districto adest dictum monasterium, restituenda esse præcepit: *Barchionen.*, *Jur. paroch.*, 21 *ja-*

[185] Advocatus Dominicus Ursaya, *Discept. Eccl. XIV*, et seq. tom. 1, part. 2, *per tot*, sua jura edidit quæ patres Carmelitas tuendo in medium protulit.

[186] Præsertim in *Mantuana*, 15 *martii* 1697, et in *Comen.* 11 *martii* 1706.

Episcopus, antequam litteras apostolicas ostendisset, ac præsentasset, cepit, sit legitima, nec tamen post captam possessionem apostolicæ litteræ coram populo lectæ fuerint? negativa responsione S. C. explicavit: *Paraquariensi in Indiis occident.*, 1 *sept.* 1657, *dub.* 3.

4. Acceptioni factæ ad episcopatum Motulensem a patre Augustino a S. Thoma Aquinate clerico regulari Scholarum piarum, quem nominaverat rex catholicus Carolus II, obstare promissionem per eum in actu suæ professionis emissæ de non procurando, sive accipiendo prælaturas, seu dignitates intra, vel extra religionem S. C. judicium fuit: *Motulen.*, 14 *aug.* 1700, *dub.* 1.

5. Joan. Franciscus Tenderinus præpositus ad Scalas sanctas Urbis evectus fuit ad episcopatum civitatis Castellanæ, et Hortanæ. In dubium venit incompatibilitas præpositurae prædictæ cum episcopatu, quia onus in fundatione habet per seipsum celebrandi, residentiæ, ac capellanis aliis præesse. Et revera S. C. cum episcopatu illam præposituram esse incompatibilem sententia fuit: *Romana, Præposituræ*, 1 *april.* 1719.

6. Cum episcopatu Verusino incompatibilis est capellania ad Scalas sanctas Urbis: *Romana*, 27 *januar.* 1728.

7. Instituta a conjugibus Bernardo, et Magdalena Caponetti capellania mere laicali in ecclesia collegiata oppidi S. Elpidii cum onere inibi celebrandi per seipsum; hæc adjecta etiam lex fuit, ut si capellanus aliquam obtineret dignitatem ecclesiasticam Datariæ, ac Cancellariæ regulis subjectam, tunc capellania eo ipso vacaret. Hanc possidens Bartholomæus Bacher dignitatem episcopalem ecclesiæ Ripanæ adeptus est, et S. C. consulta eam vacasse decidit: *Firmana, Capellaniæ*, 16 *martii* 1782, *dub.* 1, confirmata 13 *julii ejusd. anni.*

EPISCOPORUM CÆREMONIALE. Vide *Cæremoniale Episcoporum*.

EPISCOPUS.

§ I.

Episcopus quoad beneficia, et capellanias.

1. Nequaquam licuisse Episcopo, etiam in visitatione, novum aliquod onus adjungere beneficio de quo agitur, quod si de facto adjunxerit, canonicos ad illud implendum cogi non posse; et si quis sequester hac de causa emanaverit, eum S. C. uti nullum præsenti decreto sustulit: *Montis Falisci*, 12 *aug.* 1604.

2. S. C. respondit onera, quæ vere nova fuerint, non posse ab Episcopo beneficio auctoritate ordinaria imponi: *Bitecten.*, 14 *aug.* 1608.

3. Requiritur, an jus erigendi, et instituendi nova beneficia ex fundatione patronorum, in ecclesiis terræ Pizzuli, et S. Vittorini competat Episcopo Aquilano, vel archipresbytero S. Blasii olim S. Vittorini de Amiterno civitatis Aquilæ juxta sancita in Concil. Trid. sess. 14, *de Reform.*, cap. 12 [212]? Rescribit S. C. ut videretur particulariter: *Nullius*,

1631, lib. 14 *Decret.* pag. 356, a tergo, et pag. 371 fuit propositum dubium ad instantiam N. regularis professi, et ad episcopatum promoti, sed EE. PP. pro majori parte censuerunt, dictum oratorem recuperare jus succedendi etiam in bonis ante emissam professionem renunciatis, dummodo non sint alteri acquisita, licet tres ex octo Card. negativam sententiam tenuerint, qui tamen convenerunt, recuperare posse, quatenus mater post episcopatum adeptum ab intestato decessisset; imo cum in extensione decreti fuerit dictum: ***Dummodo non sint alteri ante adeptum episcopatum acquisita;*** prædicta verba: ***ante adeptum episcopatum***, non fuerunt edita, ut notatur in margine dicti decreti, quia sufficit, quod quocunque tempore non sint quæsita; nam deberet attendi tempus, quo non solum est Episcopus, sed quod uti voluerit resolutione, quod potuerat evenire post tempus episcopatus. » Postmodum refert cit. loc. resolutionem ***in causa Neapolitana***, etc., et subjungit: « Hinc in hac resolutione apposita fuerunt verba: *Post adeptum episcopatum*, quæ verba in hac secunda resolutione consonant cum prima resolutione, nam quoad hæreditatem tempore episcopatus delatam Episcopo regulari, ex eo quod resolvitur actus a die quo Episcopus vel ecclesia vult uti tali resolutione, cum textus ***in Canon statutum*** in ejus potestate relinquat hæreditates vindicare, ipse eam posse non vindicare, et repudiare, ut notat Vasquez, etc. Tamen hæc patiuntur difficultatem non minimam circa repudiationem hæreditatis postea obventæ, cum id importaret plenum velle, et nolle, et habilitas ad succedendum est non respectu sui, sed ecclesiæ, ut notat Glossa, etc., et licet ipse possit adire, cum videatur habilitatus... tamen habet velle, et nolle in utilibus, non vero in præjudicialibus, ut notat Passerin., etc., et sic nequit præjudicare repudiando, quia proprietas non est sua, sed ecclesiæ.

[212] Ubi habetur: « Nemo, etiam cujusvis dignitatis ecclesiasticæ, vel secularis, quacumque ratione, nisi ecclesiam, beneficium, aut capellam de novo fundaverit, et construxerit; seu jam erectam, quæ tamen sine sufficienti dote fuerit, de suis propriis, et patrimonialibus bonis competenter dotaverit, juspatronatus impetrare, aut obtinere possit, aut debeat. In casu autem fundationis, aut donationis hujusmodi institutio Episcopo, et non alteri inferiori, reservetur. »

seu Aquila, Jurisdict., 4 *maii* 1726, *dub.* 2, confirmata 7 *septem. ejusdem anni.*

4. In erectione capellaniæ laicalis fundatæ ab Olimpia Aldobrandina Pamphilia in terra Carpineti ab Episcopo peracta, ipse Episcopus jus instituendi capellanos a patronis nominatis reservare sibi, suisque in episcopatu successoribus non valuit : *Romana, seu Anagnina*, 1 *martii* 1755.

5. Occasione erectionis capellaniæ sub titulo Sancti Hieronymi in loco Villæfrancæ confectæ, potuit Episcopus Niciensis sibi, suisque successoribus reservare jus conferendi dictam capellaniam, quum ex testamento data ei fuisset *in tutto, e per tutto la cura, instituzione, provista del capellano, e fissazione del numero delle Messe*, nec societas nuncupata *del Confalone* jus habet nominandi, seu præsentandi capellanum. In fundatione enim mere est illa ministra, ac exequutrix : *Nicien., Capellaniæ*, 15 *april.* 1758, *dub.* 1, confirmata 12 *aug. ejusd. anni.*

§ II.

Episcopus quoad capitulum, et canonicos.

1. S. C. censuit Episcopum in synodo diœcesana facere posse constitutiones absque consensu, et approbatione cleri, debere tamen eum requirere consensum capituli, licet illum non teneatur sequi ; nisi in casibus a jure expressis : etiamsi ex forma Romani Pontificalis [213] in celebranda diœcesana, et provinciali synodo expresse habeatur, ut constitutiones in synodo publicandæ a patribus per verbum *placet*, confirmentur : *Venetiarum*, 21 *april.* 1592.

2. Declaravit S. C. nullam requiri licentiam ad hoc ut canonici abesse possint in mensibus ab eodem Concilio permissis ; censuit tamen hanc declarationem non vindicare sibi locum, quoties canonici licentiam esse obtinendam putant ; ceterum Episcopum non debere illam absque rationabili causa denegare : *Jadren.*, 9 *maii* 1626.

3. Episcopum potuisse edicere, ne dignitates, et canonici sine ejus licentia abesse possint, decretum prodiit : *Terracinen.*, 19 *februar.* 1628, *dub.* 2.

4. Similiter posse Episcopum edicere, ne ex diœcesi absint sine illius licentia, quam tamen ipse absque rationabili causa denegare non debet, præcipitur : *Ibid., dub.* 3.

5. Et in hujusmodi prohibitionibus pœnam pecuniariam quoad canonicos, et beneficiatos esse restringendam ad præscriptum [214], S. Concilii Tridentini constituitur : *Ibid., dub.* 5.

6. Censuit S. C., cap. 6, sess. 25 [215], *de Reform.*, non habere locum, nisi in capitulis, quæ exemptionis privilegio, vel alio speciali jure se tueri possunt adversus jurisdictionem Episcopi, ideo si capitulo Niciense non sit tale, dubii resolutionem a jure communi petendam esse ; ita ut Episcopus in causis criminalibus, etiamsi de arduis non agatur, consilium capituli requirere, non autem illud sequi teneatur : *Nicien.*, 18 *novem.* 1628, *dub.* 9.

7. Episcopum non potuisse delationem fasciæ sericæ violacei coloris dignitatibus et canonicis concedere declaratum fuit : *Liparen.*, 10 *maii* 1631, *dub.* 3.

8. Sententiam dicit S. C. Episcopum posse statuere, ut unus saltem canonicus ex uno quoque capitulo ecclesiarum sibi subjectarum, et unus sacerdos ex unoquoque loco diœcesis intersit, dum ipse Oleum sanctum conficit : *Civitatis Castellanæ*, 12 *julii* 1631.

9. Subit judicium, an, et quomodo Episcopus procedere debeat contra capitulum, et canonicos suæ ecclesiæ recusantes venire ad synodum sub asserto prætextu, quod ad illius convocationem, et decretorum editionem requiritur eorumdem consensus? respondetur, capitulum, et canonicos recusantes ad synodum accedere ab Episcopo etiam per censuras ecclesiasticas posse cogi : *Oriolen.*, 27 *martii* 1632, *dub.* 19.

10. Episcopus auctoritate ordinaria non potest in sua ecclesia creare canonicos supranumerarios absque consensu capituli, et canonicorum : *Fulginaten.*, 26 *februar.* 1639, *dub.* 1.

11. Insuper idem potest synodum diœcesanam consuetis temporibus congregare non requisito assensu, vel consilio capituli : *Ibid., dub.* 2.

12. Dubitatum fuit, an Episcopus possit ex gratia non accedente causa a jure approbata eximere aliquem a dignitatibus, et canonicis ecclesiæ cathedralis a servitio ecclesiæ per seipsum? non posse nisi accedente legitima causa comprehensa in cap. unic. *de Cleric. non resid.* in 6 [216] firmatur : *Andrien.*, 8 *maii* 1649, *dub.* 3.

13. Nec potest Episcopus prohibere absentiam de jure permissam absque ejus licentia in scriptis : *Ibid., dub.* 4.

[213] Tit. V, *Ordo ad synodum*, pag. 471, part. 3, quo legitur : « Post hæc leguntur constitutiones, si quæ sint, per synodum approbandæ ; quibus lectis, et per patres, si placet, confirmatis, atque omnibus terminatis, Pontifex sedens cum mitra, omnium orationibus se commendat, etc. »

[214] Sess. 24, cap. 12, *de Reform.*, ubi absentes in cathedralibus, et collegiatis ecclesiis beneficia obtinentes subtractione fructuum, ac distributionum, puniuntur, ad formam sacrorum canonum.

[215] Vide not. 379, tom. 1, verb. *Capitulum ecclesiasticum*, § III.

[216] Vide not. 398, tom. 1, verb. *Capitulum ecclesiasticum*, § IV.

14. Disceptatis dubiis, an possit Episcopus erigere præposituram secundam dignitatem in ecclesia collegiata ?

15. An eadem, in qua non est præfinitus canonicorum numerus, possit erigere canonicatum? respondit S. C. ad utrumque affirmative de consensu capituli : *Aquinaten.*, 29 *febr.* 1677, *dub.* 1 et 2.

16. Archiepiscopi Amaphitani jurisdictioni subsunt præpositus, canonici, aliæque personæ ecclesiasticæ ecclesiæ collegiatæ terræ Majoris : nam etsi exemptionem a Pontificibus Summis obtinuerint, hæc fuit inde revocata, et postea bis transactum cum eodem Archiepiscopo est : *Amalphitana, Jurisdict.*, 30 *sept.* 1702, *dub.* 1, confirmata 2 *decem. ejusd. anni.*

17. Et eidem Archiepiscopo dictus præpositus, et canonici per seipsos non per primicerium tantum singulis annis die statuta octava maii obedientiam præstare devincti sunt : *Ead.*, 27 *jan.* 1714, *dub.* 3.

18. Episcopus minime cogere canonicos ecclesiæ cathedralis, penes quos cura animarum, tum habitualis, tum actualis residet, ad exercendum per seipsos aliquos actus curæ intra annum potest. Nam ei electionem duorum capellanorum amovibilium pro dicto exercitio permissum fuerat : *Assisien., Curæ anim.*, 24 *maii* 1710, *dub.* 2.

19. Episcopus Anagninus volens munera episcopalia exercere, quærit an possit assumere unum, vel duos canonicos, et quamdiu? S. C. mandat, ut explicentur a dicto Episcopo : *Anagnina, Distrib.*, 27 *maii* 1713, *dub.* 2.

20. S. C. decrevit Archiepiscopum Firmanum procedere, et jurisdictionem ordinariam exercere non posse in personas, et canonicos collegiatæ ecclesiæ S. Victoriæ subjectæ abbatiæ Farfensis in casu contractuum, et delictorum factorum, et commissorum respective extra septa collegiatæ. Inter curiam enim archiepiscopalem Firmanam, et abbatialem prædictam facta erat quæstio super jurisdictione exercenda in personas prædictas. Monasterium S. Victoriæ in collegiatam erectum fuerat, et abbati Farfensi omnimoda jurisdictione tributa ; e contra Archiepiscopus ad tramites text. in cap. *Volentes de Privilegiis* in 6 [217], sibi competere autumabat, quoties ageretur de re extra septa collegiatæ acta, et observantia utrique favebat : *Firmana, Jurisd.*, 13 *april.* 1720. Sed inde S. C. recessit a decisis : 3 *aug. ejusd. anni.*

21. Abbas collegiatæ ecclesiæ de Zafra proponi 22 dubia curavit, et censuit S. C. rescribere ad Card. præfectum pro separatione dubiorum, et causa proponatur cum iisdem scripturis : *Pacen., Juris visit. de Zafra*, 13 *martii* 1728. Modo autem sancivit licuisse Francisco Ravollo visitatori ab Episcopo Pacensi deputato, in actu visitationis peractæ de anno 1716 efficere processum ex officio contra Gabrielem del Castillo, ac factum transmittere ad vicarium generalem Pacensem, et jus eum habuisse coram eodem vicario procedenti judicialiter contra omnes ecclesiasticos ejusdem collegiatæ super inobservantia decretorum visitationis factæ de anno 1708 : *Ibid.*, 29 *januar.* 1729, *dub.* 1.

22. Nequit insuper visitator interdicere abbati, ne suam jurisdictionem ordinariam exerceat durante tempore visitationis : *Ibid.*, *dub.* 4.

23. Disposuit Joseph Salvius Rosciolus de sua hæreditate in favorem altaris majoris, seu capellæ ecclesiæ cathedralis, ut in ejus ornatum reditus erogarentur. Speciosior facta capella, capitulum petiit facultatem impendendi fructus hæreditarios in constructionem, et ornatum chori, ubi capella sita est ; et S. C. rescripsit : Inspecta relatione Episcopi benigne commisit eidem, ut petitam facultatem erogandi supradictos fructus hæreditarios in ornatum chori pro suo arbitrio, et conscientia oratori gratis impertiatur ; ita tamen, ut Episcopus ipse tam quoad expensas pro eo faciendas incumbat, et præsit. Inde in dubio fuit, quænam facultas Episcopo concessa intelligeretur in supra relato decreto? S. C. respondit, capitulum non posse devenire ad aliquam resolutionem super contentis in illo decreto, nisi cum approbatione, et consensu Episcopi : *Fulginaten.*, 30 *april.* 1720, *dub.* 1.

24. Quæsitum exinde fuit, quænam artificis electio sustineretur? et resolutum extitit neutram sustineri, et ad Card. S. Clementis juxta mentem, et ut Episcopus mandet omnino sibi reddi rationem de fructibus legati, et de eorum erogationibus, et certiorem faciat S. C. : *Ibid.*, *dub.* 2.

25. Episcopum Pacensem, seu visitatorem ab eo deputatum visitando ecclesiam collegiatam de Zafra, tam jure ordinario, quam jure delegato ad formam concordiæ, non solum decreta, et ordinationes opportunas facere posse definitur ; sed etiam completa visitatione, ipsi jurisdictio pro eorumdem decretorum, et ordinationum exequutione, ac observantia competit ; et competit etiam abbati dictæ

[217] Ubi Innocentius IV decrevit : « Volentes libertatem, quam nonnullis apostolicæ Sedis privilegio exemptionis indulsit, sic integram observari, ut illam alii non infringant, et ipsi ejus limites non excedant, declaratione irrefragabili definimus, quod quantacumque sic exempti gaudeant libertate, nihilominus tamen ratione delicti, sive contractus, aut rei, de qua contra ipsos agitur, rite possint coram locorum Ordinariis conveniri, et illi quoad hoc suam in ipsos jurisdictionem, prout jus exigit, exercere. »

collegiatæ jurisdictio juxta modum [218] : *Pacen., seu Nullius, Jurisdict.*, 18 *decem.* 1720, *dub.* 1.

26. Episcopus idem, non autem ipsius visitator conservatores librorum ad exportandos libros administrationis mensæ capitularis, legatorum piorum, beneficiorum, capellaniarum ad domum, in qua extat laudatus Episcopus, compellere potest : *Ibid.*, *dub.* 2.

27. Eumdemque Episcopum, seu illius visitatorem processus informativos super defectibus, excessibus, delictis per dignitates, cononicos, beneficiatos, portionarios, capellanos, aliasque personas dictæ ecclesiæ commissis conficere posse extrajudicialiter procedendo, easque corrigere, et pœna correctionis, seu pœnitentiis punire resolutum fuit : *Ibid.*, *dub.* 3.

28. At in Episcopi facultate esse dictos processus informativos abbati ecclesiæ collegiatæ villæ de Zafra, seu illius officiali vicario generali consignare rescriptum fuit, et additum ad mentem : *Ead.*, 15 *januar.* 1729, *dub.* 5.

29. Eosdem præfato abbati ejusdem curiæ terminum competentem prout de jure præfigere posse ad compilandos processus super criminibus in forma juris, et reos ad condignam pœnam condemnandos in prima instantia, quæ ex forma concordiæ abbati competit, decernitur : *Ibid.*, *dub.* 6.

30. Quum habitualis cura animarum ecclesiæ collegiatæ, et parochialis SS. Faustini, et Jovitæ resideret penes capitulum et exercitium committeretur uni ex canonicis, Episcopus ob invaletudinem canonici Marinelli apopletico ictu correpti deputavit Joannem Baptistam Mancini, cui de parochiali ecclesia S. Simeonis proviso suffecit canonicum Josephum Contestabili. Hinc actum est in S. C., an compellere possit Episcopus unum ex canonicis ad sustinendum onus œconomatus? Et S. C. negativum tulit responsum : *Viterbien.*, 28 *sept.* 1737, *dub.* 1.

31. Episcopus compellere potest canonicum pœnitentiarium ad accipiendam delegationem facultatis absolvendi pœnitentes a casibus reservatis ; etiamsi idem canonicus, qui duo officia habet, ne unum quidem ferre posse contendat, et gravissimum sibi putet onus hujusmodi ob suam ingravescentem ætatem : *Pisauren.*, *Casuum reservat.*, 21 *novem.* 1761, *dub.* 1.

32. Episcopus potest ejus arbitrio assumere in suo servitio canonicos, vel etiam presbyteros mansionarios ecclesiæ cathedralis : *Venusina*, 30 *julii* 1763, *dub.* 3.

33. Asculano Episcopo canonicos ecclesiæ cathedralis rationum depositarios, et œconomi revisores, aliosque de capitulo, ad quod spectare documenta ab illis exhibita post redditas rationes, completumque synodaticum servare statutum fuit, scindentes, aut igni tradentes ordines solutionum, et acceptilationes, multare suo arbitrio posse S. C. decernit : *Asculana*, 12 *julii* 1788, *dub.* 12, confirmata 7 *febr.* 1789.

34. Eumdem Episcopum in locationibus bonorum faciendis per idem capitulum sub pœna nullitatis audiendum esse quoad bona fabricæ, minime vero quoad bona capituli, S. C. determinavit : *Ibid.*, *dub.* 13, confirmat et addit, sed dempta pœna nullitatis : *Ibid.*

35. Judicium petitum inde fuit, utrum eidem Episcopo, ubi constat de præjudiciali capituli bonorum ecclesiæ, seu fabricæ, administratione, liceat eadem bona locare reluctantibus etiam canonicis? Et resolutum fuit, ut Episcopus uteretur jure suo ad formam Concilii Tridentini [219] : *Ibid.*, *dub.* 14, confirmata *ibid.*

§ III.

Episcopus quoad cathedraticum, vel synodaticum, a quibus, in qua summa, et quo tempore debeatur, necne.

1. Censuit S. C. Concilium sess. 24, cap. 3 [220], nequaquam sustulisse cathedraticum, illud tamen

[218] « Modus est ut Episcopus Pacensis visitans per seipsum vel per alium possit semper, et quandocumque etiam extra visitationem exequi, et observari facere sua decreta facta in visitatione, et abbatem teneri exequi, observare, ac observari facere eadem decreta, et tanquam merum exequutorem cogere suos subditos ad illa observanda, et exequenda etiam juris remediis. » *Ead. causa*, 18 *dec.* 1728, *dub.* 1.

[219] Vide not. 96, tom. I, verb. *Administrator*, § V.

[220] Ubi legitur : » Interimque caveant, ne inutilibus sumptibus cuiquam graves, onerosive sint ; neve ipsi, aut quisquam suorum quidquam procurationis causa pro visitatione, etiam testamentorum ad pios usus, præter id, quod ex relictis piis jure debetur, aut alio quovis nomine, nec pecuniam, nec munus, quodcumque sit, etiam qualitercumque offeratur, accipiant : non obstante quacumque consuetudine, etiam immemorabili ; exceptis tamen victualibus, quæ sibi, ac suis frugaliter, moderateque pro temporis tantum necessitate, et non ultra erunt ministranda. Sit tamen in optione eorum, qui visitantur, si malint solvere id quod eaat ab ipsis antea solvi, certa pecunia taxata, consuetum ; an vero prædicta victualia subministrare : salvo item jure conventionum antiquarum cum monasteriis, aliisque piis locis, aut ecclesiis nos parochialibus inito, quod illæsum permaneat. » Gallemart in hunc locum num. 13, pag. 223, ad verb. *Exceptis tantum victualibus*, ait : « Hæc (victualia nempe) debentur ab his, qui consueverunt procurationem præstare, et quandoque contingit a communitatibus locorum. Extante consuetudine, ut Episcopo diœceseos visitanti a laicis victualia ministrentur, etiam vicario visitanti, ab ecclesiarum rectoribus, consuetudo attendenda sit. »

non in visitatione, sed extra, et in synodi celebratione solvendum est : *Massanen.*, 2 *octob.* 1587.

2. Episcopus ab immemorabili tempore occasione visitationis ab universitatibus locorum victualia, et insuper a singulis rectoribus seu vicariis ecclesiarum in pecunia ducata 4, qui nihil persolvunt ratione cathedratici, exigit. Hinc quæritur, an licite possit præter victualia, etiam percipere pecunias? respondit S. C. Concilium non sustulisse cap. 3, sess. 24 [221], quodcumque persolvi consuevit Episcopo ratione cathedratica ; tametsi non in visitatione, sed extra, ut in synodo diœcesana persolvendum est : *Turolen.*, *decem.* 1587.

3. Cathedraticum non est exigendum ab hospitale S. Michaelis Archangeli de sede Nidi, si nunquam antea solvi ab hoc hospitale consuevisset : *Neapolitana*, *julii* 1588.

4. Decidit S. C., quod si Episcopo cathedraticum legitime, et vere debeatur, illud plane exigere posse, alio tamen tempore, quam visitationis : *Reatina*, 27 *martii* 1591.

5. Respondit S. C. seminarium teneri solvere cathedraticum, seu synodaticum mensæ episcopali de ecclesiis, et beneficiis, prout ante unionem obtinentes per easdem ecclesias, et beneficia solvebant : *Catacen.*, 21 *maii* 1644.

6. Super cathedratico dubiis disceptatis, statutum fuit, cathedraticum posse exigi ab Episcopo, licet in præteritum non fuerit exactum, dummodo exactum fuerit a suis prædecessoribus, et exigi tantum posse duos solidos juxta juris communis dispositionem, et in moneta antiqua juxta illius æstimationem, non accedente contraria consuetudine, et exactionem demum non esse faciendam a toto clero, sed tantum ab ecclesiis, capellis, et beneficiatis, si in eorum favorem non concurrat privilegium apostolicum exemptionis, vel immemorabilis : *Albinganen.*, *Cathed.*, 2 *decem.* 1644.

7. Postulatum quum esset, an cathedraticum Episcopo debeatur, licet sit immemorabilis in contrarium ? responsum affirmativum ad formam juris ab ecclesiis, et beneficiatis datum est : *Lavellen.*, *Cathed.*, 6 *junii* 1693.

8. Episcopus juris communis dispositioni, et diœcesis consuetudini inhærens cathedraticum petiit in annua quantitate juliorum quinque a capellano Sanctissimæ Conceptionis. Sed hoc reclamante S. C. deberi cathedraticum, resolvit. Deinde reproposita causa stetit in decisis, etiam quoad summam, et quantitatem carolenorum quinque : *Satrianen.*, *Cathed.*, 13 *febr.* 1694.

9. Sub nullo titulo Episcopus Anglonæ potest annuatim a clero terræ Claramontis exigere carolenos quatuor pro quolibet sacerdote : *Anglonen.*, *Prætens. exact.*, 20 *decem.* 1704, *dub.* 5.

10. Deinde orto dubio, an ob prædictam resolutionem interdicta sit exactio cathedratici, quæ sub improprio procurationis nomine semper facta dicitur ? S. C. respondit, archipresbyterum, et sacerdotes participantes ecclesiæ S. Joannis Baptistæ insimul teneri ad solutionem cathedratici in duobus solidis : *Ibid.*, 9 *januar.* 1706, *dub.* 1.

11. Parochi, et beneficiati terræ Tramontis tenentur singulis annis solvere cathedraticum in favorem mensæ archiepiscopalis Amalphis ad rationem tamen carolenorum septem : *Amalphitana*, *Cathed.*, 5 *sept.* 1705.

12. Ac deberi a die adeptæ possessionis præcipitur : *Ibid.*, 26 *febr.* 1707, *dub.* 1.

13. Insuper cathedraticum est satisfaciendum a parochis ratione parœciæ tantum, quam in titulum possident : *Ibid.*, *dub.* 2.

14. Episcopus nequit annuatim exigere a singulis sacerdotibus terræ Belvederii carolenos sex, videlicet tres in festivitatibus Natalitiis, et reliquos tres in solemnitatibus Paschatis Resurrectionis ratione prætensi cathedratici : *Sancti Marci*, *Procurat.*, 7 *julii* 1708, *dub.* 7, confirmata 13 *april.* 1709.

15. Rudolphus Paulinus possidens inter alia bina beneficia in diœcessi Reatina, alterum sub invocatione SS. Laurentii, et Salvatoris, *delle Macchie*, alterum sub nuncupatione SS. Nicolai, et Joannis Carpiporri ab Episcopo Reatino taxatus fuit pro summa excessiva ratione cathedratici, qui propterea sequestro deponi fructus dictorum beneficiorum jussit ; ideo S. C. consulta rescripsit quoad summam debitam ratione cathedratici coadjuvari probationes juxta instructionem [222] : *Reatina*, *Cathed.*, 16 *januar.* 1712, *dub.* 1.

16. Et quoad depositum fructuum factum pro dicto cathedratico, restitui depositum numerata pro nunc summa ad rationem duorum solidorum, et facta obligatione de solvendo quidquid judicatum fuerit a S. C. præcipitur : *Ibid.*, *dub.* 2. Deinde mandavit ead. S. C. procedi ad ulteriora in constructione processus data interim cautione de solvendo quidquid fuerit judicatum : 16 *julii ejusd. anni*. Postmodum deberi cathedraticum ad rationem bonorum 26, et quadr. 4, pro quolibet sancivit : 8 *julii* 1713, *dub.* 1.

17. Episcopo Sancti Marci a quocumque sacer-

[221] Vide not. præcedentem.

[222] Expeditis litteris cum instructione, quatenus testium depositiones desuper reciperentur, atque servatis servandis transumerentur priscorum librorum mensæ episcopalis adnotationes : *Ead. causa*, 8 *julii* 1713.

dote suæ diœceseos carolenos sex quolibet anno ratione cathedratici exigere haud licet: *S. Marci, Plurium*, 16 *januar.* 1723, *dub.* 7.

18. Episcopum Anglonæ a clero terræ Carbonis cathedraticum petere posse, contraria consuetudine non obstante, resolutum fuit: *Anglonen., Cathed. decim. et quartæ funer.*, 30 *januar.* 1723, *dub.* 1 [223].

19. Archiepiscopus, se esse in possessione exigendi a capitulo ecclesiæ Medunei duc. 23, 90, titulo cathedratici, et totidem nummos kalendis januarii nomine strenæ, probabat ex libris mensæ anni 1562, ex testimonio 43 presbyterorum ejusdem ecclesiæ, ex libris nuntiaturæ Neapolitanæ, et ex testimonio aliorum capitulorum ejusdem diœcesis. Proposito hinc dubio, an summa duc. 23 et gran. 90, titulo cathedratici tradenda sit in futurum per dictum capitulum Archiepiscopo, seu sit moderanda, et in qua summa? rescripsit: Dilata, et coadjuventur probationes juxta instructionem [224], non retardata interim solutione consueti cathedratici tantum: *Baren., Strenæ, et cathed.*, 20 *decem.* 1732, *dub.* 2.

20. Episcopus Guardiensis visitans ecclesiam parochialem S. Joannis in oppido Aquævivæ, cujus rector a religionis Hierosolymitanæ commendatario nominari solet, et Episcopo minime se subjectum esse asserit, a cathedratico, seu synodatico ab eadem ecclesia, ejusque parocho postulando, arcetur: *Guardien.*, 14 *novem.* 1733, *dub.* 2. *Deinde recessit a decisis*: 3 *martii* 1736, ac inde Episcopo quoad clerum, et populum jurisdictio ordinaria, quoad ecclesiam delegata tantum adjudicata fuit: 25 *febr.* 1741.

21. Edito concilio Romano de cathedratico Episcopo solvendo, Episcopus Maceratensis credidit jus sibi esse illud exigendi universim a singulis ecclesiis ac beneficiis sibi subjectis. At contradictores habuit societatem S. Antonii abbatis terræ Montis Miloni, clerum, et capitulum Tolentini, necnon monasterium S. Agnetis, et ecclesiæ Pacis, et Crucis, diversam exemptionem præferentes: verum cathedraticum ad taxam in dicto concilio Romano [225] præscriptam pendendum esse S. C. respondit: *Maceraten., Cathed.*, 8 *maii* 1734.

22. Detractionem faciendam non esse de oneribus Missarum, ceterisque a beneficiis pro solutione cathedratici S. C. decrevit: *Asculana, Cathed.*, 22 *maii* 1734, *dub.* 1.

23. Ab ecclesiis habentibus reditus a sodalitiis administratos debetur cathedraticum: *Ibid., dub.* 2.

24. Et cathedraticum est exsolvendum ab ecclesiis confraternitatum laicalium non habentibus beneficia ecclesiastica: *Ibid., dub.* 3.

25. Et debetur cathedraticum ab ecclesia S. Petri in Castello: *Ibid., dub.* 4.

26. Archiepiscopum Firmanum cathedraticum etiam a beneficiatis, quorum reditus non excedat annua scuta 15 deductis oneribus petere posse non dubitatur: *Firmana, Cathed.*, 24 *julii* 1734, *dub.* 1.

27. Prælaudatum præsulem a societatibus Ordinarii auctoritate erectis, et propriam habentibus ecclesiam cathedraticum exigere item posse statuitur: *Ibid., dub.* 2.

28. Societates vero non habentes propriam ecclesiam, sed simplicem tantum in honorem sanctorum, sub quorum titulo sunt erectæ, retinentes capellam, ad cathedraticum præfato Archiepiscopo pensitandum non teneri S. C. censuit: *Ibid., dub.* 3.

29. Episcopus Assisii cathedraticum petens ab ecclesia S. Crispoliti sub titulo abbatiæ possessa ab Octaviano Gentili, qui ab illius solutione exemptum se esse contendebat, eo quod præfata abbatia ad monasterium ordinis S. Benedicti spectaret, neque illius regularis status immutatus exinde esset, si ad clericos seculares collata fuerit, id exigere eum non posse retulit responsum: *Assisien., Cathed.*, 15 *januar.* 1735.

30. Quum Episcopus Cassani, abrogata in posterum consuetudine, qua a capitulo cathedralis ecclesiæ duodecim ducata sub nomine strenæ quotannis Episcopo tradebantur, cathedraticum ad normam concilii Romani sibi a singulis canonicis, et beneficiatis civitatis Cassani persolvi debere contenderet, S. C. placuit illius voto annuere: *Cassanen., Cathed.*, 21 *maii* 1735, *dub.* 1.

31. Quumque ejusdem Cassani canonici, et beneficiati prætenderent cathedraticum solvi non debere Episcopo, quia id nunquam persolverunt, quia satisfaciendum id est casu, quo synodus ab Episcopo hactenus non coacta celebretur, et quia demum reddendum minime est Episcopo abunde proviso, et quum S. C. super his, et taxa præfigenda consuluissent, responsum prodiit, solvendum esse juxta taxam præscriptam in concilio Romano [226]: *Ibid., dub.* 2.

32. Episcopo Perusiæ cathedraticum ab eccle-

[223] *Discep. Eccl.* XIV, tom. 5, part. 1, *per tot.* Advocatus Dominicus Ursaya Episcopi rationes sustinuit in hac causa.

[224] In hac instructione S. C. easdem probationes postulavit, quas an. 1767 quæsivit. Vide not. 230.

[225] Tit. 8, cap. 14, « 5. Ab ecclesiis vero, ubi plures de massa participant, ab omnibus in communi, julii 20; salvis tamen consuetudinibus, ecclesiis, et Episcopis magis favorabilibus. »

clesiis existentibus in quasi possessione centenaria, vel immemorabili illud non solvendi prætendenti, S.C. assentiri non dubitavit : *Perusina, Cathed.*, 19 *novem.* 1735, *dub.* 1.

33. Eidem Episcopo cathedraticum juxta taxam in concilio Romano præfinitam, non vero juxta asserta decreta synodalia Cardinalis Torres anni 1632, et Episcopi de Bobus anni 1726, dissolvendum esse S. C. fassa fuit : *Ibid.*, *dub.* 2.

34. Ab illis etiam ecclesiis, quæ præfato Episcopo annuatim in aliqua re canones persolvunt, cathedraticum præstandum eidem esse, decretum fuit : *Ibid.*, *dub.* 3.

35. Idem Episcopus quærens, num unum, vel plura cathedratica ex beneficiis unitis persolvi sibi debeant? responsum habuit, in casibus providebitur particularibus : *Ibid.*, *dub.* 4.

36. Præfatum Episcopum non a rectoribus ecclesiarum parochialium civitatis, et suburbiorum Perusiæ, uti asserto uno corpore, sed ab unoquoque ex iis, cathedraticum exposcere posse, definitum fuit : *Ibid.*, *dub.* 5.

37. Dicto Episcopo cathedraticum pro ecclesia S. Luciæ civitatis Perusiæ, ab œconomo ex ejusdem ecclesiæ bonis, deberi S. C. resolvit : *Ibid.*, *dub.* 6.

38. Ab enarrato cathedratico prædicto Episcopo satisfaciendo Missas, et cetera onera beneficiis adnexa minime detrahenda esse stabilitur : *Ibid.*, *dub.* 7.

39. Episcopo Cassanensi presbyteri ommes, tam viventes, quam in demortuorum locum subrogati ecclesiæ S. Mariæ de Colle in oppido Mormanni inservientes, cathedraticum persolvere collective tenentur in summa juliorum viginti : *Cassanen.*, 15 *decem.* 1736, *dub.* 11 et 12.

40. Episcopus item Cassani, quum a clero S. Mariæ de Colle oppidi Mormanni a solutione cathedratici se immunem esse jactante auctoritate S. C. exigere id posset, novum per totam diœcesim promulgavit edictum, quo omnes beneficiatos ad cathedraticum sibi solvendum adigebat. At beneficiati italo-græci, seu Albanenses, et omnes de clero de communibus græcarum ecclesiarum massis participantes, edicto parere, et Episcopo latino pendere cathedraticum renuentes a S. C. ad id tradendum coacti fuerunt : *Cassanen.*, *Cathed.*, 25 *januar.* 1738, *dub.* 1.

41. Eidem Episcopo ad solvendum sibi ab omnibus tam italo-græcis, quam latinis beneficiatis cathedraticum postulanti, et duobus diverso tempore edictis præfinienti [227] ad formam concilii Romani sibi deberi; rescriptum fuit a novi sui edicti promulgatione deberi : *Ibid.*, *dub.* 2.

42. Episcopus civitatis Septempedæ, quæ frequentius hodie S. Severini nuncupari solet, edictum de cathedratico solvendo clericis omnibus anno 1733 divulgavit. Sed iidem clerici illud in summa scutorum mille, quam Sixtus V, Pont. Max., in actu erectionis dictæ ecclesiæ in cathedralem pro dote mensæ episcopalis constituit, comprehensum esse affirmarunt, dicentes dictam summam ex vectigali molituræ, cui etiam ecclesiastici sunt obnoxii, esse retrahendam, et episcopalem mensam ita opulentam, ut minime cathedraticum deceat præsulem annuis reditibus abunde provisum percipere ; sed cathedraticum exigere in summa præscripta a concilio Romano [228] a die promulgatæ synodi anni 1733 æquum esse S. C. duxit : *S. Severini, Cathed.*, 22 *novem.* 1738.

43. Præfatus Episcopus contendit sibi jus esse ab omnibus beneficiatis exigendi cathedraticum vigore suprarelatæ resolutionis ; sed restiterunt abbas S. Laurentii in Doliolo, et ejus abbatialis ecclesiæ beneficiati, et parochus, qui se exemptos ab ordinaria Episcopi jurisdictione una cum suis ecclesiis, et beneficiis in vim brevis Urbani VIII, Pont Max., intendebant. Verum S. C. cathedraticum Episcopum poscere posse dixit; sed exemptis pro nunc parocho abbatialis ecclesiæ S. Laurentii in Doliolo, et clericis habentibus beneficia in eadem ecclesia, de quibus videatur particulariter : *Ead.*, 10 *junii* 1741.

44. Episcopo Bisacciarum contra capitulum cathedralis ecclesiæ, quæ sub anno 1513 fuit a Leone X, Pont. Max., alteri cathedrali S. Angeli Lombardorum unita, in eadem ecclesia residenti, cathedraticum decernitur : *Bisacciarum*, 15 *martii* 1738, *dub.* 2.

45. Episcopo Tolentino theologalis canonicus Antonius Magonzelli tribus gaudens beneficiis suæ theologali prebendæ unitis, cathedraticum solvere reluctans ; ad illud in summa a concilio Romano præscripta [229] præstandum compellitur : *Tolentina*, *Cathed.*, 14 *martii* 1739.

46. Amalphi Archiepiscopo a parocho, sive abbate commendatario ecclesiæ S. Mariæ terræ Positani cathedraticum tribuendum sancitur : *Amalphitana*, *Cathed.*, *et procurat.*, 14 *martii* 1739, *dub.* 1.

47. Episcopum Maceratensem a clerico Licinio Assortati rectore ecclesiastici beneficii, quod in ecclesia Sanctissimæ Trinitatis extra muros Montis Milonis jurispatronatus illius communitatis, erectum reperitur, cathedraticum exsolvere detrectante, et

[226] V. not. 223 ut supra.

[227] Vide not. ut supra.

[228] Vide not. ut supra.

exemptionem sibi ob Constitutionem Bonifacii IX, Pont. Max., qui ecclesiis in solo Lateranensi erectis ab Ordinarii jurisdictione exemptionem elargitus est, et Sixti V, Pont. Max., qui eam redintegravit, competere autumante, cathedraticum exigere posse responsum fuit : *Maceraten., Cathed., et procurat.*, 10 *junii* 1741.

48. Episcopo Viterbii, canonici ejusdem cathedralis, inter quos præcipue Christophorus Calabresius litis promotor, veteris communis massæ haudquaquam participantes, et canonici collegiatæ S. Angeli ejusdem urbis, itidem distinctas habentes præbendas, nec de communi veterum canonicorum massa participantes, non in communi cum canonicis de massa contribuere, sed uti singuli pro illorum præbendis, ad cathedratici ab universis diœcesis beneficiatis debiti solutionem tenentur ; ac propterea Episcopum ad cathedratici juste percepti restitutionem compellere nefas esse reputatur : *Viterbien., Cathed.*, 7 *april.* 1742, *dub.* 1 et 2.

49. Episcopo Feretrano taxam antiquam solvendi cathedratici præseferenti, contra nonnullos parochos illius reformationem, et reductionem noviter efflagitantes assensum S. C. præbuit : *Feretrana, Cathed.*, 18 *maii* 1743, *dub.* 1 et 2.

50. Episcopo urbis Veteris nec administratores rev. fabricæ cathedralis ecclesiæ S. Mariæ *de Stella*, nec conservatorium puellarum deperditarum, quod nullos habet reditus, rectore caret, et sepulcro, nec etiam duo sodalitia Sanctissimæ Annuntiationis, et S. Mariæ de Monte Carmelo, quæ laicalia sunt, et quorum primum habet quidem ecclesiam, sed in titulum ob defectum redituum nunquam collatam, et alterum prorsus ecclesia caret, sed tantum habet oratorium, cathedraticum exsolvere teneri, judicium fuit : *Urbevetana, Cathed.*, 20 *martii* 1745, *dub.* 1.

51. Et dubium, an idem Episcopus ad cathedraticum hucusque a supra expositis administratoribus, et sodalitiis exactum, restituendum adigendus sit? resolutum haud fuit, inspecta renunciatione : *Ibid., dub.* 2.

52. Acerrarum Episcopo, qui beneficiatis suæ diœcesis cathedraticum edicto anni 1745 lato præfinierat ; ita ut, qui canonicatus julios 15, qui simplices essent sacerdotes carolenos sex, clerici quatuor, ecclesiæ vero julios 20, penderent ; beneficiati iidem omnes ad formam decreti parere obstringuntur, et quoad reliquos particulariter videndum S. C. putavit : *Acerrarum, Cathed.*, 20 *decem.* 1755.

53. Episcopo Asculano ab ecclesiis, quæ dicuntur Farfenses, quæque existimabantur exemptæ, cathedraticum, honoris, et subjectionis signum, exigere licere, responsum exiit : *Asculana, Cathed.*, 10 *martii* 1755.

54. Ballestrierius prior S. Antonii abbatis in oppido Staphili, qui sterilibus annis in specie, *frumenti* nempe, itemque *hordei mensuras quatuor* ; in annis vero fertilibus in pecunia numerare cathedraticum Episcopo Auxumi compellebatur, hunc præstationis modum fastidiens, sacrumque consulens Congreg. oraculum, in quantitate, in summa scilicet duorum solidorum tantum, quæ julios efficiunt viginti, illud solvere debere, sententiam obtinuit, sed soluti repetitionem non impetravit : *Auximana, seu Cingulana, Cathed.*, 31 *martii* 1759, confirmata 28 *april.*, 21 *julii ejusd. anni*, et 25 *junii* 1763.

55. Episcopo Ferentino a capitulo S. Joannis, et a capitulo S. Mariæ ad Flumen in summa unius scuti, et a capitulo S. Nicolai in juliis sex cathedraticum juxta solitum deberi perscribitur : *Ferentina, Cathed.*, 19 *april.* 1760, *dub.* 1.

56. Eidem Episcopo ab ecclesia S. Sebastiani de jurepatronatus communitatis terræ Ceccani, cathedraticum in juliis duobus ab eodem Episcopo præscriptum, poscere conceditur : *Ibid., dub.* 2.

57. Quum supradicto Episcopo cathedraticum petenti a capellanis sanctissimæ Nativitatis Domini nostri Jesu Christi, et S. Francisci ejusdem terræ, qui se amovibiles esse fatentur, S. C. in præcedenti decreto dixisset : Dilata, et exhibeantur fundationum instrumenta ; reproposita mox causa, et earum perpetuo statu ecclesiastico probato, cathedraticum juxta taxam ab Episcopo statutam, solvi eadem rescribere non hæsitavit : *Ead.*, 2 *aug. ejusd. anni.*

58. Terracinensis Episcopus edictum in tribus diœcesibus Terracinensi, Setina, et Privernensi promulgavit super cathedratico, et a beneficiatis omnibus, qui a multis jam annis in procurationis solutione etiam cathedraticum comprehendi de more contendebant, cathedraticum a procuratione distinctum deberi in termino unius mensis tum præteriti, tum currentis anni edisserens, decisionem habuit, edictum esse exequendum, expleto triennio ab ultima visitatione : *Setina, Procurat., et cathed.*, 27 *junii* 1761, *dub.* 2.

59. Episcopo Setino Oblatæ, seu convictrices Sacræ Familiæ suum monasterium exemptum esse ab Ordinarii jurisdictione juxta modum, et formam indulti monialibus Farnesianis concessi altercantes, et nunquam eidem antea in ea diœcesi cathedraticum solutum fuisse probantes, illud præstandi onus non habent : *Setina*, 18 *maii* 1765, *dub.* 1.

60. Episcopo Aquipendii ab archipresbytero collegiatæ ecclesiæ SS. Apostolorum Joannis, et Andreæ oppidi Canini duplex cathedraticum exigere volenti eo quod archipresbyter duplicatam ex massa capitulari portionem percipiebat, et etiam

ratione curæ, licet actualis tantum, altera præbenda gaudebat ; præter illud, quod a capitulo ex communi massa solvitur, non licere responsum est: *Aquipendien., Cathed.*, 20 *decem.* 1766, *dub.* 1.

61. Huic Episcopo, qui dictum duplex cathedraticum ab archipresbytero, et exegerat, et decimales reditus ad ipsum pertinentes sub sequestro posuerat, locum esse restitutioni, et remotioni sequestrorum, S. C. injunxit: *Ibid., dub.* 2.

62. Capitulum collegiatæ ecclesiæ terræ Molæ conqueritur de excessiva quantite cathedratici in annua summa ducatorum 22, 60, hinc sciscitatum ab S. C. est, in quanam summa id Archiepiscopo Barensi numerare deberet : S. C. rem non definiens, mandavit coadjuvari probatienes juxta instructionem [230] : *Baren.*, 16 *maii* 1767, *dub.* 1.

63. Et percontatum ulterius est, an jam exactum cathedraticum reposcere possit ; sed similem reportavit responsionem, et ad mentem [231] : *Ibid., dub.* 3.

64. Episcopo Æsino ab ecclesia Montis Carotti, ejusque plebano, et coadjutoribus animarum curam habentibus, qui eidem cathedraticum solvebant in quantitate unius rubri hordei, in hac quippe qualitate, et cathedratici titulo, illam solutionem efflagitare posse S. C. responsum dedit: *Æsina, Cathed.*, 6 *martii* 1771, *dub.* 1.

65. Eidem Episcopo præter dictam solutionem in specie, cathedraticum etiam in quantitate petendi jus approbatum non fuit : *Ibid., dub.* 2.

66. Quumque idem Episcopus plebanum, et capellanos, qui prædictum rubrum frumenti unum, et alterum hordei rependebant, ad solutionem etiam scutorum quatuor titulo cathedratici, in synodo diœcesana compulisset, et quum iidem ad restitutionem indebiti solutionis quæstionem excitassent, restitutioni exoptatæ locum minime esse resolutum fuit : *Ibid* , *dub.* 3.

67. Episcopo Camerini cathedraticum sibi a beneficiatis canonico Mancini theologo, et a canonico Flaminio pœnitentiario, quorum præbendis nonnulla alia beneficia unita fuerunt, et ab eorum etiam successoribus canonico Vivani, et canonico Carducci deberi asserenti non dubitavit ; et a die adeptæ ab Episcopo possessionis deberi insuper affirmavit: *Camerinen., Cathed.*, 18 *martii* 1775, confirmata 8 *julii ejusdem anni*.

§ IV.

Episcopus quoad causarum, etiam capitularium cognitionem.

1. Decidit S. C. Episcopum posse prohibere præposito ecclesiæ S. Agathæ, ne causas criminales cognoscat, quum hæc episcopali tantum examini, et jurisdictioni relictæ essent a Concilio, sess. 24, cap. 20 [232] : *Cremonen.*, 15 *maii* 1574.

2. Quod si Archiepiscopus Theani ex decreto Concilii, sess. 24, cap. 11, et reductione Sanctissimi domini nostri [233] procedere intendit contra

[230] Quod attinet ad priora quatuor dubia super quibus quum nulla prodierit resolutio ex S. C. mente coajuvandæ erunt probationes. Cupit S. C., ut extrahantur formaliter partiæ ex litteris capitularibus, quodque etiam Episcopus transmittat documenta descriptionis tam strenæ, quam cathedratici, quatenus existat in inventariis, vel libris mensæ archiepiscopalis cum distinctione temporis, et summæ. Preterea ut doceatur cum eadem distinctione de consuetudine aliorum capitulorum tum circa strenam, quam circa cathedraticum, et explicetur, an in visitatione terræ Molæ solvat capitulum procurationem ultra strenam, et cathedraticum, ita ut deprehendi possit, an res sit de dono gratuito procedente a mera liberalitate, vel potius agatur de annuis præstationibus antiquis, de quorum initio non constat, an fuerint ex liberalitate, vel ex aliqua obligatione assignatæ pro patrimonio, et reditu mensæ : *Regist. lit.* lib. 32, *die* 16 *maii* 1767.

[231] Vide not. præced.

[232] Vide not 519, tom. I, verb. *Causa judicialis*.

[233] *De Reform.*, quo decreto statuitur, per onorarios titulos, aut privilegia quibuscumque concessa, aut concedenda nihil detractum intelligendum esse juri Episcoporum ; et hoc confirmatum fuit a S. Pio V, Const. *Quamvis*, 1 junii 1568 (*Bull. Rom.* tom. 4, pag. 15), revocante etiam indulta comitibus Palatinis, et quibuscumque officialium Romanæ curiæ collegiis concessa, promovendi ad doctoratus, licentiaturæ, et magisterii gradum ad effectum consequendi dignitates, et cetera beneficia ecclesiastica. Huic eidem Trid. decreto accessit Const. Gregorii XIII *Circumspecta*, 25 novem. 1580 (*Bull. Rom.* tom. 4, part. 3, pag. 454), in qua jurisdictio Ordinariorum præservatur in puniendis vicariis, familiaribus, colonis, et ministris fratrum militum S. Joan. Hierosolymitani. Quoad inservientes ordinibus militaribus, et nominatim religioni Hierosolymitanæ, quos Tridentinum *cit. loc.* subjectos esse vult jurisdictioni Ordinarii, tanquam Sedis apostolicæ delegati « nisi habeant has qualitates : » 1. ut religiosam professionem emiserint; 2. ut intra militaris clausuræ septa degant; 3. ut religioni actu inserviant; 4. ut sub ordinis prælati obendientiam vivant, distinctius declaratum est a Gregorio XIII, cit. Const. § 2, addente ulterius, ut prædictas omnes qualitates coram eodem Ordinario verificent. Et § 5 præservatur jurisdictio Ordinariorum, in his quæ ad curam animarum pertinent. Postmodum Gregorius XV, Const. *Exponi*, 10 decem. 1622 (*Bull. Rom.* tom. 5, part. 5, pag. 77), confirmavit § 2. Decretum S. C. Concilii seq. ten. videlicet : « S. C. censuit omnes clericos, presbyterosque seculares, etiamsi militum Hierosolymitanorum, vicarii, capellani, ministri, servientes, procuratores, aut familiares sint ab Ordinariis tanquam a Sedis apostolicæ delegatis, de eorum excessibus, criminibus, et delictis etiam extra visitationem, ubi, et quando opus fuerit, inquiri, visitari, punirique posse, ipsorumque jurisdictioni plene in omnibus supradictis subjectos existere,

inservientes, et clericos ecclesiæ Sepulcri religionis Hierosolymitanæ in criminalibus, vel morum correctione, id faciat tanquam apostolicæ Sedis delegatus; quod si facultate ordinaria prætendit id sibi licere, et insuper habere cognitionem causarum civilium, aliunde tueatur jura sua : *Theanen.*, *anni* 1581, *dub.* 1.

3. Quamdiu prælatus inferior legitime non probaverit, se omnimodam jurisdictionem quasi episcopalem habere, ad Archiepiscopum Theatinum causas matrimoniales, et criminales ad forum ecclesiasticum spectantes cognoscere dumtaxat spectare declaratur : *Theatina*, 26 *septem.* 1615, *dub.* 3.

4. Quod si inferior ex immemorabili consuetudine prædictas causas cognoscere consueverit, hujusmodi consuetudinem non esse quidem a Concilio sublatam. Ceterum donec illam probaverit per tres sententias conformes, vel unicam, quæ in vim judicatam transierit, causas ejusmodi solo Archiepiscopo esse cognoscendas : *Ibid.*, *dub.* 4.

5. Censuit S. C. cap. 6, sess. 25, *de Reform.* [234], non habere locum, nisi in capitulis, quæ exemptionis privilegio, vel alio speciali jure se tueri possunt adversus jurisdictionem Episcopi, ideo si capitulum Niciense non sit tale, dubii resolutionem a jure communi petendam esse ; ita ut Episcopus in causis criminalibus, etiamsi de arduis non agatur, consilium capituli requirere, non autem illud sequi teneatur : *Nicien.*, 18 *novem.* 1628, *dub.* 9.

6. Episcopus potest in qualibet parte diœcesis tribunal ad tempus erigere, et habere : *Acernen.*, 17 *maii* 1636, *dub.* 3.

7. S. C. faciens explanationem dubii, an Episcopus Maceratensis, et Tolentini procedere in prima instantia in causis Tolentinatorum, et diœcesis Tolentini, dum resident in civitate, et diœcesi Maceratensi valeat, dum instat communitas Tolentina autumans id vergere in præjudicium jurisdictionis vicarii Tolentini, et in incommodum, ac dispendium litigantium? rescripsit, ut detur decretum *in Hortana*, 8 *junii* 1724, *dub.* 5 [235] : *Tolentina*, *Recursus*, 5 *sept.* 1711, *dub.* 1.

8. Constat S. C., ut jus cognoscendi causas matrimoniales spectaret ad Episcopum Anglonæ, non ad Card. abbatem commendatarium monasterii S. Eliæ ordinis S. Basilii oppidi Carboni, cujus abbatiam minime nullius qualitatem ac territorii separati habere definitum fuerat : *Anglonen.*, *Jurisdictionis*, 30 *januar.* 1717, *dub.* 2 [236].

9. Et quoad jus cognoscendi causas criminales pertinere ad Episcopum prædictum, civiles cumulative ad utrumque, et quoad mixtas, *dilata*, rescripsit S. C. : *Ibid.*, *dub.* 3.

10. Jus cognoscendi causas matrimoniales locorum, qui ad archipresbyterum S. Blasii olim S. Vittorini de Amiterno civitatis Aquilæ spectant, Episcopo Aquilano adjudicatur a S. C., donec ab eodem archipresbytero doceatur de immemorabili : *Nullius, seu Aquilana, Jurisdict.*, 4 *maii* 1726, *dub.* 17.

11. Ambiguum quum esset, num Archiepiscopo Capuano pro tempore liceat laudum, seu decretum Archiepiscopi Card. Caroccioli die 22 decem. 1725 quoad materias rituum, ad libitum moderari ? responsum exiit, quod providebitur in casibus particularibus : *Capuana*, 17 *decem.* 1735, *dub.* 12, confirmata 28 *april.* 1736.

12. Episcopo Fulginatensi competit jus cognoscendi causas civiles cumulative cum Card. Laurentio de Alteriis, abbate commendatario monasterii Saxivivi intra Fulginatensis diœcesis limites existentis ; ad solum tamen Episcopum spectat notio causarum criminalium, matrimonialium aliarumque curam animarum respicientium : *Fulginaten.*, *Jurisdict.*, 1 *martii* 1738, *dub.* 4, confirmata 27 *sept. ejusd. anni*.

13. Exemptionem a moderno Episcopo Juvenacensi, donec saltem lites omnes vigentes absolutæ non sint, capitulo, et canonicis ecclesiæ cathedralis concedendam minime esse statuitur : *Juvenacen.*, 30 *martii* 1743, *dub.* 5.

14. Episcopus Feretranus an legitime instituerit processum ob omissas conciones in ecclesia parochiali oppidi Maceratæ tempore Adventus præteriti, illumque valeat prosequi usque ad finem utendo censuris aliisque juris remediis? postulatum quum esset, S. C. ad mentem [237] respondit : *Feretrana*, *Concionat.*, 3 *aug.* 1743, *dub.* 3.

15. Episcopum Miletensem manutenendum esse quoad duo oppida Melicucca, et Drusium nuncupata, quæ sacræ religioni Hierosolymitanæ, ejusque commendatariis quoad temporalia subjacent, in jure cognoscendi causas civiles, criminales, mixtas, bene-

exceptis iis tantum, qui ecclesiis, aliisve dictorum militum locis actu serviunt, et intra eorum septa, et domos resident, ac sub eorum obedientia vivunt, quæ omnia, nisi simul concurrant, Ordinariorum jurisdictionem vitare non posse, ut disertis verbis cavetur Const. Gregorii XIII, hac de re edita. »

[234] Vide not. 379, tom. I, verb. *Capitulum ecclesiasticum*, § III.

[235] Vide § 6, num. 4.

[236] In favorem Episcopi Anglonæ sua jura amplissime edidit advocatus Dominicus Ursaya, *Discept.* IX, tom. 1, part. 1, *per tot*, et *Discept.* V, tom. 2, part. 1, *per tot*.

[237] Et mens est, ut petita per confalonierium, et consiliarios communitatis venia Episcopo is se abstineat ab ulteriori processu : Lib. 93, *Decret.* pag. 349.

ficiales, et matrimoniales dictarum commendarum aperte S. C. indicat : *Mileten., Jurisdict.*, 3 *aug.* 1743, *dub.* 14, confirmata 23 *novem. ejusd. anni.*

16. Episcopus Castellanetæ haud valet eligere, sive deputare defensorem ad tuenda jura pii Montis Juvenazzi. Nam ipse fundator sacerdos Joannes Juvenazzi exequutores constituerat piæ dispositionis, eorumque arbitrio facultatem ad controversias omnes definiendas commiserat : *Castellanen.*, 27 *april.* 1748, *dub.* 1, confirmata 8 *maii* 1751.

17. Et aliquo impendente dissidio super qualitates, quæ ad subsidia dotalia admittendæ sunt, illud non judicialiter, sed extrajudicialiter dirimi debet : *Ibid.*, *dub.* 3, confirmata *ibid.*

18. Episcopus Regiensis quoad periculium anno 1635 ordinatum a Julio Costa, et ab pauperrimis agricolis mutuandum, erectum, prout de jure servatis servandis, procedere potest : *Regien.*, *Visitat.*, 14 *decem.* 1754, *dub.* 3.

19. Sardi ne Romam ad appellationes prosequendas venire cogerentur, Pius II, Pont. Max., cujus sollicitudo ex divina institutione distenditur per omnes ecclesias, eis delegatum indulsit apostolicum. At quum Sedes apostolica huic muneri perficere aliquem, aut cathedralis, vel metropolitanæ ecclesiæ canonicum cum omnibus honoribus, exemptionibus, et emolumentis soleret, judicium S. C. rogatur, num ille delegatus sit ab Ordinario, et aliis quibuscumque judicibus regni Sardiniæ in omnibus tam activis, quam passivis causis exemptus, ac immediate Sedi apostolicæ subjectus? Affirmativam illa dedit responsionem in causis passivis tantum : *Calaritana, Exempt.*, 20 *julii* 1754.

§ V.

Episcopus quoad collationem sacrorum Ordinum, ac litterarum dimissorialium, ac testimonialium concessionem.

1. Impositio superpellicei, quo prima tonsura initiandi utuntur, facienda est ab Archiepiscopo Theani; quod si iste actus sit propter admissionem ad servitium ecclesiæ Sepulcri religionis Hierosolymitanæ, expediri debet per vicarium prioris : *Theanen., anni* 1781, *dub.* 4.

2. Censuit S. C. facultatem conferendi Ordines, ac dimissorias ad illos suscipiendos cuiquam, qui regularis sibi subditus non sit, sublatam esse a Concilio inferioribus prælatis. Ideoque vis hujusmodi quoad supradicta loca, et personas spectare ad solum Archiepiscopum Theatinum, intra cujus diœcesis fines ipsa loca existere comperiuntur : *Theatina*, 26 *sept.* 1615, *dub.* 1.

3. Archiepiscopo Rhemensi, qui more majorum super rebus anxiis Sedem apostolicam consuluit, ita S. C. respondit, quum nullus ordinari deberet, quem suus Episcopus suæ ecclesiæ utilem, aut necessarium non judicaverit, S. C. non semel declaravit ab hujusmodi judicio nullam dari appellationem, sed recurrendum dumtaxat ad Sedem apostolicam, quæ juxta ipsius Congregationis sententiam per Gregorium XIII, Pont. Max., approbatam, quotiescumque Ordinarius recusaverit quemquam ordinare, Metropolitano, aut viciniori Episcopo committit, ut ab eodem Ordinario prius requirat causam recusationis, quo legitimam non allegante, liceat illi eumdem rejectum ordinare. Cui formulæ, ut unum in præsens addatur, censuit S. C. expedire, videlicet, ut Metropolitanus, aut vicinior Episcopus antequam commissas sibi partes exequi aggrediatur, paterne curent, ut illi denuo apud suos Episcopos per tres vices suppliciter instent : *Rhemensi*, 21 *april.* 1668.

4. Episcopo Anglonæ competit jus concedendi testimoniales pro ordinandis tam super vita, et moribus, quam patrimonio, vel titulo beneficii, non autem Card. abbas commendatarius monasterii S. Eliæ ordinis S. Basilii oppidi Carboni hoc jure pollet, cujus abbatiam haud nullius, ac territorii separati qualitatem habere decretum fuerat : *Anglonen., Jurisdict.*, 30 *januar.* 1717, *dub.* 6 [238].

5. Exploratum S. C. habens ab Episcopo Sanctæ Crucis de la Sierra in Indiis Occidentalibus nullum adesse, qui in illa mendicat, indulsit gratiam ut promovere valeat ad Ordines sacros in civitate S. Laurentii *della Baranca* eos quos ipse necessarios judicaverit, licet nec beneficium, nec pensionem, nec patrimonium obtineat, dummodo tamen numerum duodenarium non excedat : *Sanctæ Crucis de la Sierra in Indiis Occidentalibus*, 8 *julii* 1719.

6. S. C. aperuit suam sententiam, manutenendum esse Episcopum Miletensem quoad duo oppida Melicucca, Drusium nuncupata, quæ sacræ religioni Hierosolymitanæ, ejusque commendatariis quoad temporalia subjacent, in collatione Ordinum, et concessione litterarum dimissorialium, necnon in jure recipiendi probationes super omnibus requisitis ordinandorum, faciendi publicationes, relaxandi edicta, et examinandi testes super verificatione illorum tituli et patrimonii : *Mileten., Jurisdict.*, 3 *aug.* 1743, *dub.* 2, confirmata 23 *novem. ejusd. anni.*

[238] Episcopi jura in hac causa strenue sustinuit advocatus Dominicus Ursaya. *Discept.* IX, tom. 1, part. 1, *per tot* et *Discept.* V, tom. 2, part. 1, *per tot.*

§ VI.

Episcopus quoad duas ecclesias concathedrales.

1. Censuit S. C. inter duas civitates, et concathedrales Pennensem, et Adriensem Episcopum in ingressu, in synodo, aliisque functionibus episcopalibus alternare teneri, atque ordinem hujusmodi per obitum vel mutationem Episcopi nequaquam interrumpi debere : *Pennen., et Adrien.*,16 *april.* 1622.

2. Episcopum in aliqua parte alterius ex suis binis diœcesibus residentem suæ obligationi circa residentiam utique satisfacere, dum tamen in aliqua ex suis cathedralibus consistat temporibus ab eodem Concilii præscriptis decreto, cap. 1, vers. *Eosdem interim admonet*, sess. 23 [239], S. C. decrevit : *Civitatis Castellanæ, et Hortanæ*, 8 *junii* 1624, *dub.* 1.

3. Quemadmodum Episcopus in civitate Castellana, vel ejus diœcesi existens civitatis Castellanæ, et Hortanæ est appellandus Episcopus, ita e converso dum in urbe, vel diœcesi Hortana moram trahit, Hortanæ, et civitatis Castellanæ Episcopum nuncupari eum, atque inscribi debere. Quod si extra diœcesim resideat, in negotiis ad civitatem et diœcesim Hortanam pertinentibus, Hortanæ et civitatis Castellanæ, in spectantibus vero ad urbem Castellanam et illius diœcesim civitatis Castellanæ, et Hortanæ Episcopum esse denominandum : *Ibid.*, *dub.* 3.

4. Inde proposito dubio, an idem Episcopus volens in civitate Castellana agnoscere causas civitatis Hortanæ, et illius diœcesis, et sic e contra, possit per seipsum illas cognoscere scribente notario, quem maluerit ; nec solum processus causarum, verum etiam visitationem ? respondit Episcopum in una ex dictis civitatibus existentem posse per seipsum cognoscere causas alterius civitatis, vel diœcesis adhibito notario sibi beneviso tam in processibus conficiendis, quam in actis visitationum conscribendis, sed tamen debere eam habere rationem, ut id non passim, sed raro, et æqua ex causa fiat, et in arduis tantum, et gravioribus negotiis, ne constitutio unionis eludatur : *Ibid.*, *dub.* 5.

5. Ad custodienda præcepta inviolabilia sacrorum canonum, hæc relata ad S. C., ac definita fuere, an Episcopus pro medietate anni teneatur residere in terra Pontimæ, ubi extat ecclesia cathedralis Valvensis cum domo episcopali aliquantulum distanti ab ecclesia ? respondetur sufficere, ut Episcopus in altera parte alterutrius ex diœcesibus resideat, dum tamen in aliqua ex suis ecclesiis cathedralibus maneat temporibus a sacro Concilio præscriptis cap. 1, vers. *Eosdem*, sess. 23 [240] : *Valven., Sulmonen.*, 3 *aug.* 1650, *dub.* 1.

6. An Archiepiscopus, qui prius accedere debet ad ecclesiam Valvensem, teneatur ibidem pontificalia exercere? non teneri in actu primi accessus respondetur : *Ibid.*, *dub.* 2.

7. An functiones pontificales debeant alternatim peragi in dictis duobus ecclesiis cathedralibus, et an prius in ecclesia Valvensi uti antiquiori ? non teneri alternatim, sed tantum prima pontificalia exercere debere in ecclesia Valvensi tanquam digniori responsum datur : *Ibid.*, *dub.* 3.

8. An Episcopus teneatur multas, et pœnas delinquentium Valvensium applicare piis locis, et instaurationi ecclesiarum ejusdem diœcesis? Episcopum teneri multas, et pœnas delinquentium civitatis, et diœcesis Valvensis applicare piis locis ejusdem diœcesis, et civitatis declaratur : *Ibid.*, *dub.* 5.

9. Dubium, an Episcopus pro causis diœcesanorum Valvensium deputare debeat vicarium generalem in diœcesi Valvensi? explicatur, Episcopum pro causis diœcesanorum Valvensium deputare debere vicarium generalem in diœcesi Valvensi : *Valven.*, 3 *sept.* 1650, *dub.* 2.

10. Non patet, an, et quomodo Episcopus Gerundæ, et Cariati teneatur residere in ecclesia cathedrali Gerundæ? respondetur negative, addendo : Et Episcopus curet residere etiam in ecclesia Gerundæ saltem in aliquibus diebus solemnioribus : *Geruntinen., et Cariaten., Synodi et gravaminum*, 2 *octob.* 1706, *dub.* 4, confirmata 11 *febr.* 1708.

11. Postmodum idem Episcopus, quum suas ecclesias cathedrales longo triginta milliarium intervallo inter se distantes haberet, quæsivit, an idem Episcopus teneatur deputare vicarium generalem pro diœcesi Gerundæ ? ac responsum prodiit, in casu de quo agitur, affirmativum : *Ibid.*, *dub.* 5, confirmata *ibid.* et 18 *aug.* 1708. At deinde capitulum cathedralis ecclesiæ Gerundæ renunciavit deputationi vicarii generalis ; et dubio expenso, an dicta renunciatio obstet exequutioni decretorum S. C. instante eodem capitulo licet renunciante ? S. C. respondit non obstare : 18 *april.* 1722. Denique instante Episcopo rediit causa in ead. S. C., quæ standum esse in decisis juxta modum [241] censuit : 12 *febr.* 1724.

[239] *De Reform.*, ibi : « Eosdem interim admonet, et in Domino hortatur, ne per illius temporis spatium, dominici Adventus, Quadragesimæ, Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes, item et Corporis Christi diebus, quibus refici maxime, et in Domino gaudere pastoris præsentia oves debeant, ipsi ab ecclesia sua cathedrali ullo pacto absint, nisi episcopalia munia in sua diœcesi cos alio vocent. »

[240] Vide not. præcedentem.

[241] Et modus est, ut Gerentiæ deputetur ab Episcopo vicarius denominative tantum generalis cum facultatibus concordandi coram Card. præfecto, ita tamen, ut ab ejus sententiis appellatio interponatur ad Episcopum : *Ead. causa*, 12 *febr.* 1724

12. Eugenius IV, Pont. Max., cathedrali ecclesiæ civitatis Hortæ univit aliam ecclesiam cathedralem civitatis Castellanæ, ita ut unus esset Episcopus, qui utramque regeret ecclesiam, et diœcesim. Primum Episcopi simpliciter Hortani denominari cœperunt, aut Hortanum episcopatum alteri civitatis Castellanæ præmiserunt: deinde variatum reperitur. At quum synodus nuper esset in civitate Castellana indicta, quæ juxta ordinem decreti erat in Hortana indicendum, supplicatum est, et obtentum, ut convocaretur in civitate Castellana salvis juribus contendentium. Inde dubio examinato, an, et cui ecclesiæ cathedrali competat prænominatio in bullis provisionum episcopatus, et in ceteris actibus communibus respicientibus utramque diœcesim? ecclesiæ civitatis Castellanæ competere S. C. definivit: *Civitatis Castellanæ, et Hortanæ, Præced.*, 10 *martii* 1759, *dub.* 1, confirmata 30 *junii ejusd. anni.*

13. Quæsitum etiam fuit, in quanam ex præfatis ecclesiis sit per Episcopum solemnis capienda possessio? et resolutum, in ecclesia civitatis Castellanæ esse capiendam: *Ibid.*, *dub.* 2, confirmata *ibid.*

14. Postulatum ulterius est, cui ex dictis ecclesiis præcedentia pro inchoanda synodo competat, et civitati Castellanæ juxta alternas vices competere, decretum est: *Ibid.*, *dub.* 3, confirmata *ibid.*

15. Episcopus Terracinensis, in quibuscumque diœcesum Privernensis, et Setinæ negotiis semper est prænominandus Episcopus Terracinensis, licet in civitate Privernensi, vel Setina moretur: *Terracinen., Setina, et Privernen.*, 1 *martii* 1766, *dub.* 1.

16. In dubium ponitur, an ab Episcopo, qui duas habet concathedrales, peragenda sint in civitate Tuscanensi pontificalia, ordinationes, et consecrationes sacrorum Oleorum, vel saltem alternatim in altera cathedrali Viterbi? commendatur decisio arbitrio, et prudentiæ Episcopi, et ad mentem: *Viterbien., seu Tuscanen.*, 14 *januar.* 1783, *dub.* 3.

17. Et dubium, an idem Episcopus teneatur residere in civitate Tuscanensi per aliquod temporis spatium singulis annis? arbitrio pariter, et prudentiæ Episcopi remittitur, et ad mentem: *Ibid.*, *dub.* 4.

18. Inde definitum est, ut in actibus privative respicientibus ecclesiam Tuscanensem, Episcopus semper, et ubique denominari debeat Episcopus Tuscanensis, et Viterbiensis: *Ibid.*, *dub.* 11.

19. Disquirit inde, an in actibus communibus respicientibus utramque ecclesiam Viterbiensem, et Tuscanensem, cuinam ex iisdem ecclesiis competeret prænominatio? responsum est, prænominationem competere ecclesiæ, in qua residet Episcopus; si vero extra utramque, competere ecclesiæ Viterbiensi: *Ibid.*, *dub.* 12 et 13, confirmata 27 *martii* 1784.

20. Ac Episcopi rescriptum sub die 4 januar. 1779 super separato typo kalendarii pro ecclesia Tuscanensi exequendum esse; minime autem præ lo unum kalendarium utramque ecclesiam Viterbiensem scilicet et Tuscanensem complectens mandandum esse, salvo jure et potestate Episcopi, fuit resolutum: *Ibid.*, *dub.* 14.

21. Denique sancitum est Episcopi prænominationem utrique ecclesiæ nominatæ in suo disjuncto kalendario competere: *Ibid.*, *dub.* 15.

§ VII.

Episcopus quoad jurisdictionem ordinariam, vel delegatam in genere, vel quoad exemptionem ab ea.

1. Episcopus jure sibi competenti uti debet contra officiales principum secularium jurisdictionem episcopalem lædentes, ac prudenti zelo juris remediis servatis servandis jurisdictionem tueri: *Civitatis Castellanæ*, 26 *aug.* 1628, *dub.* 3.

2. S. C. inhærendo declarationibus alias factis censuit sodalitia laicorum in ecclesiis regularium exemptorum instituta jurisdictioni Episcopi subesse: *Nucerina Paganorum*, 23 *junii* 1629.

3. Arbitrata est S. C. exemptionem, de qua agitur, habentem immediatam subjectionem Romano Pontifici, ac Sedi apostolicæ absque ulla alia dependentia suffragari exemptis etiam extra locum diœcesis Cataniensis, ideo agendum cum Sanctissimo ut dignetur ad dictam exemptionem diœcesum per viam declarationis restringere, vel quoad exemptos morantes in diœcesi Messanensi deputare Archiepiscopus Messanensis, ut tanquam delegatus Sedis apostolicæ contra eos procedere valeat: *Messanen., Exempt.*, 7 *januar.* 1640. Deinde facta relatione Sanctissimo domino nostro, Sanctitas Sua jussit scribi Archiepiscopo Messanensi, et aliis in quorum diœcesibus exempti commorantur, ut tanquam Sedis apostolicæ delegati contra eos procedant: 10 *ejusd. mensis et anni.*

4. Statuit S. C. societatem Sanctissimæ Annuntiatæ, illiusque oratorium subesse jurisdictioni Episcopi Comensis; etiam si intra septa monachorum Cœlestinorum existant: *Comen.*, *Visitationis*, 15 *febr.* 1642.

5. Quum ab Archiepiscopo expositum fuisset nonnullas in civitate, et suburbiis Matheræ reperiri ecclesias religioni Hierosolymitanæ commendatas, atque in eis a commendatario deputari sacerdotes, qui æditui, capellani officium, aliaque hujusmodi munera ibi ad tempus exercentes, et in domibus prædictarum ecclesiarum ad libitum commorantes prætendunt ab Ordinarii jurisdictione exemptos esse; hinc propositis dubiis, an antedicti temporanei capellani, æditui, etc. sint exempti ab Ordinarii juris-

dictione? et an quatenus dicti capellani, et æditui formaliter residerent in domibus spectantibus ad religionem, si quando extra illas in loco subjecto Archiepiscopi jurisdictioni delinquant, possint ordinaria autoritate puniri? S. C. rescripsit ad primum non gaudere, nisi accedentibus requisitis juxta declarationem alias editam; ad secundum, positis requisitis gaudere: *Matheranen.*, *Jurisdictionis*, 8 *febr.* 1659, *dub.* 1 et 2.

6. Ad dubium, an litteræ abbatis ita suffragentur ut eas obtinentes a sui Ordinarii jurisdictione exempti censendi sint? respondit S. C. non suffragari: *Teanen.*, *et Casertana*, *Prætensæ exempt.*, 20 *decem.* 1664.

7. Disceptato dubio, an clerici regulares, seu presbyteri seculares, qui obtinent ab abbate commendatario S. Antonii Viennensis nuncupati civitatis Neapolis, litteras patentes, seu commissionales ipsarum litterarum vigore ab Ordinarii jurisdictione sint exempti? negativum S. C. dedit responsum: *Neapolitana*, *Jurisdict.*, 20 *decem.* 1668.

8. Quum Episcopus conquestus esset de impedimento a capitulo Lateranensi sibi illato, ne procederet contra nonnullos clericos, et presbyteros aggregatos ecclesiæ in solo Lateranensi erectæ, discusso dubio, an clerici, seu presbyteri aggregati ecclesiæ in solo prædicto fundatæ, excepto vicario, sint exempti a jurisdictione Episcopi? negativum ad formam Constitutionis Sixtinæ [242] relatum est responsum: *Pennen.*, *Jurisdict.*, 7 *sept.* 1680.

9. Societas Sanctissimi Sacramenti civitatis Anconæ quum sibi arrogasset exemptionem a jurisdictione Episcopi, subjectam esse vicario basilicæ Lateranensis urbis aiebat, ob quamdam donationem factam anno 1535 capitulo cujusdam domus, in qua constructa fuit ecclesia, et ob aggregationem factam anno 1597. Sed Episcopus obstare Constitutiones apostolicas Clem. VIII, et Pauli V, Pont. Max. [243], prædicto juri controverso, et pluries visitatam fuisse a suis prædecessoribus illam ecclesiam et societatem ostendebat. Ideo quæsito ponderato, an Card. Episcopo Anconæ competat jus ordinarium, vel delegatum super dicta societate et ecclesia? respondit S. C. jus ordinarium eidem competere: *Anconitana*, 22 *martii* 1681. Postmodum eadem S. C. recessit a decisis quoad ecclesiam, et quoad confraternitatem, ut iterum dubium proponeretur, dixit: 26 *april.* 1787.

10. Totalis, et omnimoda jurisdictio spiritualis ordinaria in populum, et parochiæ incolas ecclesiæ parochialis Hospitaletti spectat ad Episcopum tanquam illius ordinarium diœcesanum: *Lauden.*, *Jurisd.*, 1 *decem.* 1691, *dub.* 1, confirmata 20 *sept.* 1692.

11. Renunciatum est ad S. C., et consilium ab ejus doctrina, auxilium ab ejus auctoritate petitum super controversiis circa jurisdictionem, quam Episcopus asserit sibi competere in oppido Aquaviva ad commendam S. Primiani religionis Hierosolymitanæ spectante. Hæc ad dubia, an Episcopus Guardiensis in visitatione ecclesiæ S. Joannis oppidi prædicti possit etiam visitare libros parochiales ad curam animarum, et sacramentorum administrationem spectantes, scilicet baptizatorum, confirmatorum, et defunctorum?

12. An dictus Episcopus uti Sedis apostolicæ delegatus corrigere possit parochum, aliosque dictæ ecclesiæ ministros tam in actu visitationis, quam extra?

13. An possit, ut supra, inquirere contra dictos parochum, et presbyteros non tantum in respicientibus curam animarum, et sacramentorum administrationem, sed etiam in aliis causis civilibus, et criminalibus, et in omnibus circa morum correctionem civilibus, et mixtis? et quatenus affirmative.

14. An in casu impedimenti procedere possit cum censuris contra impedientes tam commendatarium, quam ministros?

15. An possit mandare in actu visitationis, ut calices, et decentia paramenta ad decorem administrationis provideantur?

16. An cognitio status liberi eorum, qui matrimonia contrahunt in dicto oppido, et litteras eis dare spectet ad Episcopum?

17. An condere testamentum vulgo dictum *dell' anime* juxta solitum diœcesis spectet ad Episcopum?

18. An Episcopus tam in actu visitationis, quam extra procedere possit contra laicos, commendatarium, et ministros dicti oppidi pro delictis ad curiam ecclesiasticam spectantibus, v. g. usuris, con-

[242] Quæ incipit *Si cunctas*, 15 januar. 1586, quo innovatur indultum capitulo Lateranensi de urbe concessum erigendi in ejusdem locis pia loca accedente licentia Ordinariorum, quibus subjecta remanere præcipitur.

[243] Nempe Clem. VIII Const. *Quæcumque*, 7 decem. 1604 (*Bull. Rom.* tom. 5, part. 3, pag. 85), ubi præscribuntur formæ, quibus ordines regulares, et confraternitates seculares de cetero uti debent, in erigendis, et aggregandis congregationibus, et confraternitatibus: et in communicatione suarum indulgentiarum, et indultorum, eleemosynarumque collectione, et confessorum electione in hisce tamen præscriptis formis præservetur Ordinariorum consensus, a quibus § 5 statuta approbari, eorumque correctioni subjacere debere, decernitur. Deinde accessit Const. *Quæ salubriter*, 3 novem. 1610 (*Bull. Rom.*, tom. ibid., pag. 415) Pauli V, ubi declaratur, ac extenditur Const. cit. Clem VIII, circa formam communicandi indulgentias ad canonicos, et capitulum basilicæ Lateranensis de Urbe, et alios quoscumque, hujusmodi facultatem communicandi indulgentias habentes.

binatibus, percutientibus clericos, inobservantia dierum festorum, usurpatione jurisdictionis episcopalis, etc., et tali casu censuris ecclesiasticis uti?

19. An tueri immunitatem ecclesiasticam in dicto oppido spectet ad dictum Episcopum etiam adversus commendatarium, et ministros, ita ut eos valeat declarare excommunicatos?

20. Utrum sit manutenendus Episcopus in quasi possessione decernendi monasteria in dicto oppido pro deperditis?

21. An spectet ad Episcopum præstare consensum alienationi bonorum dictæ ecclesiæ, vel alterius loci pii juxta terminos cap. *Terrulas* 12 quæst. 2 [244].

22. An possit Episcopus destinare concionatorem in dicto oppido, et cogere communitatem ad solvendam mercedem juxta solitum diœcesis?

23. An spectet ad Episcopum concedere licentiam concionandi in dicto oppido?

24. An parochus dicti oppidi sese absentare possit a parochia ultra terminum a sacro Concilio præfixum sine licentia Episcopi?

25. An dictus parochus, et ceteri presbyteri servientes ecclesiæ teneantur accedere ad synodum diœcesanam Episcopi? responsum est, manutenendum esse Episcopum in omnibus: *Guardien.*, 5 *sept.* 1693, *dub.* 1, usque ad 15. Deinde dubia, quæ respiciebant jurisdictionem quæ non pendet a delegata circa curam animarum iterum discussa fuerunt, ac definitum quoad dub. 3, in decisis · 15 *januar.* 1695, *dub.* 1. Quoad 4, affirmative: *Ibid.*, *dub.* 2. Quoad 8, affirmative, exceptis commendatario, et aliis ministris habentibus tria requisita: *Ibid.*, *dub.* 3. Quoad 9 et 10, affirmative: *Ibid.*, *dub.* 4 et 5. Quoad 11, affirmative, præterquam quoad bona religionis: *Ibid.*, *dub.* 6. Quoad 12, affirmative, et quoad coactionem ad solvendum servetur solitum: *Ibid.*, *dub.* 7. Quoad 13 et 14, affirmative: *Ibid.*, 8 et 9. Quoad 15, in decisis quoad parochos, et beneficiatos; quo vero ad alios, dilata, et ad mentem: *Ibid.*, *dub.* 10.

26. Postmodum fuit relatum dubium, an œconomo ecclesiæ parochialis S. Mariæ Esther commendæ Hierosolymitanæ oppidi Aquævivæ collis de Cruce liceat conjungere in matrimonium parochiæ incolas absque probatione status liberi facienda coram Episcopo præfato, et sine illius licentia? respondetur negative: *Ead. causa*, 12 *april.* 1710.

27. Episcopum Guardiensem in visitatione facienda in ecclesia S. Joannis oppidi Aquævivæ ad religionem Hierosolymitanam pertinentis libros administrationis bonorum ejusdem ecclesiæ recognoscere, ejusque rationem petere, facultatem jure delegato habere non dubitatur: *Eadem causa*, 14 *novem.* 1733, *dub.* 4. Reproducta deinde causa, et reformato in genere dubio, an, quæ, et super quibus Episcopo Guardiensi competat jurisdictio in commenda, seu oppido Aquævivæ collis Crucis, et parochiali ecclesia S. Mariæ Esther, ita ut sit, vel recedendum a decisis sub die 5 sept. 1693, 15 januar. 1695, 12 april. 1710, et 14 novem. 1733, responsum extitit: *Prævio recessu a decisis*, 14 *novem.* 1733; *in reliquis in decisis*: 3 *martii* 1736. Iterum allato demum ex integro dubio, an, et quæ jurisdictio competat Episcopo? ad instantiam equitis Cedronii memoratæ commendæ possessoris, qui sciscitabatur, num Episcopus in oppido Aquævivæ, et super ecclesiis, et locis, personisque controversis jurisdictionem delegatam tantum, vel potius etiam ordinariam valeat exercere? supremum exiit decisive rescriptum, quoad populum, et clerum, exceptis habentibus tria requisita, competere Episcopo jurisdictionem ordinariam; quoad ecclesiam vero competere delegatam tantum: 25 *febr.* 1741.

28. Quum Episcopus Bituntí exposuisset tres adesse subcollectores, seu commissarii nunciaturæ Neapolis, alter deputatus pro civitate, et diœcesi Bituntina, alius pro abbatia Nullius Fasani, tertius pro loco Nullius Rutiliani, et quærit veritatem a Sede Romana, an Franciscus Padula subcollector Bituntí gaudeat exemptione a jurisdictione Episcopi in causis civilibus, tam activis, quam passivis? respondit S. C. servari decreta generalia anni 1677 [245]: *Bituntina, Deputat. subcollect.*, 4 *maii* 1697, *dub.* 1.

29. Inde an subcollectores deputati pro jurisdictione Fasani, et Rutiliani, et commorantes Bituntí aliqua in dicto loco gaudeant exemptione? rescripsit, non gaudere, et Episcopus procedat in futurum: *Ibid.*, *dub.* 2.

30. Et an itidem notarius, seu cursor commissarii, subcollectoris Bituntí commorantes gaudeant pariter exemptione, et in quibus causis? resolvit, unicum notarium tantum gaudere ad formam decretorum generalium non vero cursorem: *Ibid.*, *dub.* 3.

31. Demum an generaliter dictus notarius gaudere debeat exemptione a die, et pro tempore suæ deputationis, vel potius in actu exercitii dumtaxat? gaudere durante tempore suæ deputationis sancivit: *Ibid.*, *dub.* 4.

32. In edictis seu decretis Episcopus potest nuncupare locum, et districtum abbatiæ S. Mariæ de Balneo *propriæ nostræ ordinariæ jurisdictionis* ad

[244] In concilio Agathensi legitur: « Terrulas, aut vineolas exiguas, et ecclesiæ minus utiles, aut longe positas et parvas, Episcopus sine concilio fratrum (si necessitas fuerit) distrahendi habeat potestatem: » Can. *Terrulas*, quæst. 2.

[245] Vide not. 33. tom. I, verb. *Cancellarius.*

formam laudi : *Burgi S. Sepulchri, Jurisdict.*, 20 *sept.* 1698, *dub.* 5.

33. Et Episcopus non est ordinarius monasterii, et ecclesiarum dependentium a dicto monasterio S. Mariæ de Balneo, et talem se nequit denominare : *Ibid.*, *dub.* 7.

34. Quum rector capellæ seu ecclesiæ sanctissimo Crucifixo dicatæ oppidi Scandiani contenderet amplam ibi suffragari exemptionem, tam ab episcopali, quam a parochiali jure, propterea quod ecclesia collocata esset in fundo Lateranensi, S. C. decisionem suspendit, ut uberius doceretur dominium fundi vere spectasse ad eam Lateranensem basilicam priusquam in eo ecclesia ædificaretur : *Regien.*, *Exempt.*, 20 *sept.* 1698. Deinde proposita hæc fuerunt dubia : an scilicet capella, seu ecclesia sanctissimi Crucifixi sit exempta a jurisdictione Ordinarii ? et quatenus affirmative.

35. An hujusmodi exemptio suffragetur etiam capellanis ejusdem ecclesiæ in respicientibus administrationem sacramentorum ?

36. An iidem capellani possint in dicta ecclesia divina officia, et Missas solemnes celebrare ?

37. An itidem cinerum, candelarum, et palmarum benedictionem, et distributionem explere ?

38. An sacramenta confessionis, et Eucharistiæ extra tempus paschale in eadem ecclesia omnibus administrare absque licentia parochi, vel Episcopi valeant ?

39. An in dicta ecclesia asservari possit sanctissimum Eucharistiæ sacramentum ?

40. An dicti capellani possint peragere exequia, et officium defunctorum cum stola super cadaveribus in eadem ecclesia tumulandis absque consensu, et licentia parochi, reservata eidem parocho quarta funeris ?

41. An licitum fuerit, et sit Episcopo confessionem interdicere eisdem capellanis semel ab ipso, vel ad tempus, vel in perpetuum approbatis ? S. C. respondit ad primum negative, ad reliqua provisum in primo : 15 *novem. ejusd. anni, dub.* 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7 et 8, confirmata 15 *junii* 1709.

42. Occasione visitationis sacrorum Liminum, juxta vetustissimam consuetudinem Episcopus S. Severini Pontifici tanquam vicario Christi, capiti Ecclesiæ, centro unitatis, vertici communionis catholicæ suæ exhibuit pietatis, devotionis, ac reverentiæ obsequia, atque in relatione suæ Ecclesiæ status Sedem apostolicam consuluit quoad suam jurisdictionem in monasteriis S. Mariæ de Rambona, et SS. Laurentii in Doliolo, et Eustachii ordinis S. Benedicti, et S. C. re perpensa *die* 30 *maii* 1699 resolvit, quoad presbyteros, et clericos abbatiales exemptos a jurisdictione Episcopi, et synodalia decreta eludentes procedere posse contra inobservantes ad pœnas contentas in synodalibus constitutionibus ; quoad parochos, et vicarios abbatiales publicæ venerationi exponentes sanctissimum Eucharistiæ sacramentum, et indulgentias, et jubilæa publicantes Episcopo inconsulto, id eisdem parochis minime licere absque illius licentia. Hanc declarationem postea revocavit S. C. præterquam quoad respicientia curam animarum, expositionem sanctissimi Sacramenti, et publicationem indulgentiarum [246] : *Nullius, S. Severini, Jurisd.*, 4 *febr.* 1702.

43. Archiepiscopi Amalphitani jurisdictioni subsunt præpositus, canonici, aliæque personæ ecclesiasticæ tam collegiatæ terræ Majoris, quam ejusdem oppidi. Nam etsi exemptionem illi a Pontificibus Summis obtinuerint, hæc fuit inde revocata, et postea bis est transactum cum eodem Archiepiscopo : *Amalphytana, Jurisdict.*, 30 *sept.* 1702, *dub.* 1, confirmata 2 *decem. ejusd. anni.*

44. Et eidem Archiepiscopo dictus præpositus, et canonici tenentur per seipsos non per primicerium tantum singulis annis die statuta octava maii obedientiam præstare : *Ead.*, 27 *januar.* 1714, *dub.* 3.

45. Administratores, et patroni hospitalis oppidi nuncupati *dell' Areciffe* exemptionem ab ordinaria jurisdictione ab Episcopo reportarunt. Hanc exemptionem modo exoptant a Sede apostolica confirmari, qua de causa a S. C. consulta prodivit responsum concessionem factam non sustineri : *Olinden.*, 14 *martii* 1705.

46. Oratorium S. Jacobi citra pontem oppidi Borzonaschæ in valle Sturla situm, et nuncupatum *la Casaccia* in sua jurisdictione esse putabat Januensis Archiepiscopus, et in sua pariter Episcopus Bobiensis autumabat. Re ad S. C. delata, et graphyca exhibita tabula, resolutum fuit esse de jurisdictione Episcopi Bobiensis : *Januen.*, *seu Bobien.*, *Jurisdict.*, 24 *sept.* 1707, *dub.* 1. Deinde re iterum ad examen deducta rescriptum prodiit : Dilata, et coadjuventur probationes juxta instructionem Card. præfecti : 5 *julii* 1710.

47. Dubiis exhibitis, an præsidi, aliisque officialibus cameræ apostolicæ Carpentoractensis competat exemptio a jurisdictione episcopali in causis

[246] Et hæc est ratio : « Quia aderat privilegium exemptionis amplum post concilium, et proinde remanebant obnoxii tantum, quoad curam animarum, synodalibus statutis et sic si agatur de re concernente totum clerum, quoad reformationem morum, ac de intimandis decretis synodi provincialis, posse cogi exemptos omnes, in diœcesi tamen existentes. Fagn. cap. *Super his*, num. 2, et seq. *de Major et obed.* » Ita Card. Petra, *Comment. ad Constitut.* IV Callixti III, sect. 2, num. 3, p. 68.

non respicientibus eorum officium, in quibus ex dispositione Concilii Tridentini[247] jurisdictio est reservata Episcopo? et quatenus affirmative.

48. An exemptio extendatur ad camerales clericos? S. C. protelanda definitione respondit, ut audiantur ministri R. Cameræ apostolicæ in urbe: *Carpenctoraten., Jurisdict.*, 9 *junii* 1708, *dub.* 1, et 2. Postmodum ex deductis negativum ad primum dubium dedit responsum: 22 *januar.* 1709.

49. Vicarius generalis Archiepiscopi Neapolitani clericos, et inservientes ecclesiæ S. Jacobi nationis Hispanorum citavit ad comparendum, ferendumque testimonium veritatis ob alapam Petro Assandri capellano majori ejusdem ecclesiæ ductam. Renuerunt hi sese in curiam sistere, privilegia nonnullorum Pontificum, quibus ab Ordinarii jurisdictione exempti declarabantur, asserentes; disquiritur hinc præceptum hoc num sustineretur? non sustineri fuit resolutum: *Neapolitana, Censurar.*, 23 *febr.* 1709, *dub.* 2.

50. Quum S. C. decrevisset die 30 maii 1699, manutenendum esse Episcopum Minerbinensem in possessione vel quasi exercendi ea, quæ sunt ordinis, et jurisdictionis ratione vicinitatis in oppido Cerignolæ in Apulia, ubi archipresbyter collegiatæ ecclesiæ S. Petri dicti oppidi contendit gaudere territorio separato, et jurisdictione quasi episcopali; modo eadem S. C. decretum confirmavit: *Nullius, seu Minerbinen., Concordiæ*, 1 *junii* 1709, *dub.* 2.

51. Insuper Episcopus Lavellensis sua antiqua jura controversa vicinitatis excitando institit, ut S. C. consilium, quod primum inierat, repudiat, et simul quærit, per quas vias est facienda mensura, S. C. ei rescripsit a cathedrali ad cathedralem per vias magis frequentatas: *Ibid., dub.* 4.

52. Occasione redditionis rationum hæreditatis Joan. Baptistæ Lombardi, qui instituit hæredem confraternitatem sanctissimæ Annuntiationis erectam in ecclesia S. Joannis Baptistæ prope, et extra mœnia urbis Foggiæ, impenderunt controversiæ inter Episcopum Trojanum, ac commendatores Galluccium, et Queraltum pro exemptione dictæ societatis ab Ordinarii jurisdictione; inde recruduerunt occasione officialium electionis. Episcopus prædictus edidit decretum die 20 febr. 1708, adversus gesta pro parte religionis Hierosolymitanæ, quo etiam fuit intentata excommunicatio in Carminum de Sanctis, suosque officiales ob recusationem reddendarum rationum hæreditatis Lombardi. Hoc decretum reformandum esse S. C. definiit juxta modum arbitrio Card. præfecti: *Trojana, Jurisdict.*, 24 *aug.* 1709, *dub.* 11.

53. Felix de Soda presbyter Insulanus quum renueret binis edictis ab Episcopo promulgatis parere, pluribus exceptionibus allatis, signanter illa incompetentiæ judicis, quia uti unicus syndicus apostolicus PP. Minorum Observantiæ S. Francisci civitatis Insulæ, prætendit se esse a jurisdictione Ordinarii exemptum, et S. C. præsidio nititur, quæ decrevit in casu, in quo agitur, non esse exemptum a jurisdictione Episcopi tam extra, quam in actu Visitationis: *Insulana, Exempt.*, 5 *julii* 1710, *dub.* 1.

54. Petiit Cæsar Donatus archipresbyter curatus loci Montis Sorbi sub umbra notoriæ persecutionis exemptionem a jurisdictione Episcopi, qui eum de parochia privavit, ac postea redintegratus innocens declaratus fuit; et adhuc nonnullæ lites indecisæ pendent S. C. audito Episcopo negativum dedit responsum, et injunxit Episcopo, ne procedat ad actus irretractabiles contra oratorem inconsulta S. C.: *Sarsinaten., Exempt.*, 5 *julii* 1710.

55. Ecclesia B. V. de Templo, modo vero S. Mariæ Sanitatis nuncupata civitatis Lycii, quoniam reputatur Grangia commendæ Marrubii sacræ religionis Hierosolymitanæ, quum in pluribus locis apposita conspicerentur arma, seu insignia religionis prædictæ, exempta est a visitatione, et jurisdictione Ordinarii: *Lycien., Visitat., et jurisdict.*, 30 *aug.* 1710.

56. In controversia vertente inter curiam episcopalem Brictinorii, et abbatem, ac monachos Camaldulenses monasterii S. Mariæ de Urano super exemptione ecclesiæ S. Mariæ de Lacu, quam monachi vigore donationis factæ olim a quodam Epi-

[247] Tum in sess. 7, cap. 14, *de Reform.*, in quo decernitur causas civiles mercedum, et miserabilium personarum a locorum Ordinariis cognosci posse, etiam adversus regulares extra claustra degentes, non obstantibus conservatorum deputationibus. Huic decreto accessit decretum S. C. confirmatum a Paulo V, Const. *Religiosorum*, 24 august. 1607 (*Bull. Rom.* tom. 5, part. 3, pag. 280), quo declaratur, hunc Concilii locum non pertinere ad eosdem religiosos intra claustra degentes: ideoque conveniendos esse juxta eorum privilegia coram suis superioribus, vel conservatoribus.

Tum in sess. 24, cap. 11, *de Reform.*, statuens per honorarios titulos, aut privilegia quibuscumque concessa, aut concedenda nihil detractum intelligendum esse juri Episcoporum, confirmatum hoc decretum est a S. Pio V, Const. *Quamvis*, 1 junii 1568 (*Bull. Rom.*, tom. 4, part. 3, pag. 15) revocante etiam indulta comitibus Palatinis, et quibuscumqne officialium Romanæ curiæ collegiis concessa promovendi ad doctoratus, licentiaturæ, et magisterii gradum ad effectum consequendi dignitates, et cetera beneficia ecclesiastica. Et huic decreto accessit Const. Gregorii XIII *Circumspecta*, 25 novem. 1680 (*Bull. Rom.* tom. *ibid.* pag. 454), in qua jurisdictio Ordinariorum præservatur in puniendis vicariis, familiaribus, colonis, et ministris fratrum militum S. Joan. Hierosolymitani, juxta dispositionem Concil. Trid. sess. 24, cap. 11.

copo Brictinorii, exemptam autumant, ac regularem putant, S. C. mandavit, ut extraheretur formaliter donatio: *Brictinorien., Exempt., et eleemos.*, 5 *sept.* 1711, *dub.* 1. Postea vero præfatam ecclesiam cum domo annexa esse exemptam a jurisdictione Episcopi, exceptis mansionibus inservientibus pro colonis definivit: 12 *decem. ejusd. anni.*

57. Haud licere Episcopo sub ullis pœnis cogere collectores eleemosynarum, quæ fiunt in ecclesia S. Mariæ de Lacu, quæ pertinet ad monachos Camaldulenses a visitatione Episcopi exempta, ad rationem reddendam celebrationis Missarum manualium, quæ a fidelibus offeruntur pro dicta ecclesia S. C. edixit: *Ibid., dub.* 7.

58. Quum Joan. Laurentius Garronus archipresbyter ecclesiæ S. Marciani exposuisset adeo infensam sibi esse episcopalem curiam, ut diversimode male jactatus fuerit, neque adhuc conquiescere possit, seque tot litibus, ac vexationibus injuste lacessitum fuisse diceret, atque horrescat in manus episcopalis curiæ iterum incidere; se hinc eximere a jurisdictione Episcopi postulat. Sed S. C. hoc denegavit, mandavitque, ut Episcopus benigne, ac benevole tractet, nec procedat ad actus irrectractabiles inconsulta S. C.: *Aquen., Exempt.*, 9 *junii* 1714.

59. Quoad controversiam ortam inter Episcopum Anglonæ, ac abbatem commendatarium monasterii S. Eliæ ordinis S. Basilii oppidi Carboni circa ejus ecclesiæ visitationem in respicientibus animarum curam, quum S. C. decrevisset ex deductis abbatiam prædictam non esse nullius, nec habere territorium separatum, et jurisdictionem quasi episcopalem, resolutio dubii optata fuit, an, et quæ jurisdictio competat Episcopo Anglonæ in dicta terra Carboni? S. C., ut proponeretur causa super singulis actibus respondit: *Anglonen., Jurisdict.*, 17 *novem.* 1714, *dub.* 3 [248].

60. Societates laicales, et beneficia in altaribus ecclesiarum parochialium abbatiæ S. Laurentii in Dogliolo erecta non subjacent directioni, et jurisdictioni Episcopi S. Severini ex S. C. consulto: *Nullius, seu S. Severini, Jurisdict.*, 4 *febr.* 1719, *dub.* 3 et 4, confirmata 17 *junii ejusd. anni, dub.* 2.

61. Caputaquensis Episcopus in relatione status suæ ecclesiæ laudabilem suorum majorum consuetudinem secutus, exposuit, plures in sua diœcesi reperiri subcollectores, et commissarios, qui non sunt pro ea deputati, sed pro locis exemptis, et aliis diœcesibus adjacentibus, et quod tam ipsi, quam eorum notarii, licet naturaliter essent sui subditi ab ordinaria jurisdictione se exemptos esse ex dicta causa firmare laborant. Hac de causa S. C. ut suis petitionibus satisfaceret, resolvit, illos subcollectores et commissarios frui non debere exemptione a jurisdictione Ordinarii; et quod detur decretum *in Bituntina*, 4 *maii* 1697 [249]: *Caputaquen., Visitat. sacr. Liminum*, 14 *martii* 1722, *dub.* 1.

62. Neque etiam eorum subcollectorum, et commissariorum actuarios eadem exemptione gaudere debere, responsum cohærenter dedit: *Ibid., dub.* 2.

63. Examinatum autem fuit, an patentati eorumdem commissariorum, et subcollectorum, vel capitulorum ecclesiarum patriarchialium S. Joannis in Laterano, et S. Petri de urbe, vel aliorum ministrorum ecclesiæ Romanæ in urbe, et diœcesi Caputaquensi existentes, exempti sint a jurisdictione Ordinarii? responsum negativum datum est, quoad patentatos commissariorum, et subcollectorum, quoad alios pro meliori informatione juxta instructionem, et audiantur interesse habentes præfixo termino duorum mensium: *Ibid., dub.* 3.

64. Ob priscam controversiam inter Episcopum Caputaquensem, et abbatem S. Mariæ Angelorum terræ Centulæ, quorum hic certat se plenariam ab Episcopi jurisdictione habere exemptionem una cum territorio separato, et e contra impugnat ille posse in terra Centulæ omnem jurisdictionem plenariam exercere, in S. C. disputatum fuit dubium: An, et quæ jurisdictio competat Episcopo in terra Centulæ? respondit: Dilata, non retardato interim exercitio jurisdictionis delegatæ in terra Centulæ, et præfigatur novus terminus interesse habentibus ad jura sua deducenda in S. C.: *Caputaquen, Jurisdict.*, 2 *octob.* 1723, *dub.* 2.

65. Episcopo Lyciensi ecclesiam ruralem S. Mariæ Galliani, quam monachi Olivetani monasterii SS. Nicolai et Cataldi ab Ordinarii jurisdictione exemptam prædicant, subjectam esse firmatur: *Lycien., Visitat., et censur.*, 29 *januar.* 1724, *dub.* 1, confirmata, et additum fuit jure tamen delegato: 23 *junii* 1725.

66. Quum archipresbyter S. Blasii, olim S. Vittorini de Amiterno civitatis Aquilæ non haberet territorium separatum, et qualitatem *nullius*, jurisdictionem ordinariam ecclesiis, locis, personis ad dictum archipresbyterum spectantibus, et existentibus tam intra civitatem Aquilæ Episcopo Aquilano competere S. C. definiit: *Nullius, seu Aquilana, Jurisdict.*, 4 *maii* 1726, *dub.* 2, confirmata 7 *sept. ejusd. anni.*

67. Nonnulli sacerdotes cathedralis ecclesiæ Uri-

[248] Advocatus Dominicus Ursaya defendit Episcopum Anglonæ in hac controversia, et exhibet sua jura *Discept. Eccl.* IX, tom. 1, part. 1, *per tot.*, et *Discept. V.* tom. 2, part. 1, *per tot.*

[249] Vide verb. *Episcopus*, § præs. num. 28, seq.

tanæ obtinuerunt litteras patentales a vicario commendæ SS. Mauritii, et Lazzari; qui inter cetera multo jure habere contendebant exemptionem a jurisdictione Ordinarii, habito a promotore fiscali recursu ad S. C.; quæ decrevit officiales patentatos dictæ commendæ non esse exemptos ab Ordinarii jurisdictione : *Uritana*, 7 *sept.* 1726.

68. Episcopo Spoletano in Eremo, et ecclesiæ S. Antonii in solo Lateranensi a communitate castri Vallis ædificata delegatam jurisdictionem competere declaratum est : *Spoletana, Capellanæ*, 9 *sept.* 1730, *dub.* 3.

69. Ad Hierosolymitanum prioratum Baruli pertinet oppidum Alberonæ. Episcopus Vulturariensis oppidum hoc in sua esse diœcesi concertabat. Aliter autem magnus prior Baruli propugnabat illud esse nullius diœceseos. Controversia hæc ad S. C. delata, resolutum anno 1652 fuit, Episcopum hunc potuisse, uti delegatum Sedis apostolicæ, visitare ecclesiam parochialem S. Mariæ præfatæ terræ Alberonæ religionis Hierosolymitanæ, et in visitatione decreta edere in respicientibus curam animarum, administrationem sacramentorum, implementum onerum ex piis dispositionibus provenientium, illarumque exequutionem demandare. Anno vero 1655 additum fuit ad decretum, ut eidem Episcopo competeret jus adprobandi confessarios in ecclesiis prædicti prioratus, nec non benedicendi, et respective licentiam impertiendi prædicatoribus in eisdem ecclesiis concionantibus, donec constiterit per rem judicatam dictum prioratum esse nullius, et habere territorium separatum cum jurisdictione quasi episcopali. Verum Benedictus XIII, Pont. Max., tunc Beneventanus Archiepiscopus per decretum declaravit oppidum illud, quod asserebatur nullius, non esse territorium separatum, sed Episcopo Vulturiensi subjectum. Pluribus hinc S. C. propositis super episcopali jurisdictione dubiis, S. C. respondit : Dilata, et firma remanente remissione causæ, quoad qualitatem nullius ad Rotam, et firmis quoque remanentibus decretis anni 1652, et 1655. Episcopus interim utatur jure suo in exercitio jurisdictionis ordinariæ : *Vulturarien., Jurisdict.*, 9 *febr.* 1732. Ad novum examen producta causa dictum fuit, in decisis juxta modum : 28 *febr.* 1733.

70. Prætore, Scabinis, et civibus inferioris Caroloregii civitatis se denuo jurisdictioni Episcopi Namurcensis subjici ab faciliorem curæ administrationem postulantibus, Clemens XII, Pont. Max., nuntio apostolico Bruxellensi scripsit, ut oratorum indemnitati provideret, et certiorem eum faceret. Leodiensis Episcopus sub cujus jurisdictione ab anno 1667 usque ad annum 1685, urbs eorum steterat, patribus Cappuccinis curam ecclesiæ de Mancinelle commisit. Extructa deinde in eodem oppido inferiori Caroloregii ecclesia, benedicta fuit de licentia ejusdem Episcopi Leodiensis. Facta hinc sub jurisdictione fuit controversia; et decisum fuit, exercitium jurisdictionis diœcesanæ in illo inferiori oppido Caroloregii spectare ad Episcopum Leodiensem : *Leodien., Jurisdict.*, 17 *april.* 1734, *dub.* 1.

71. Quum sacerdos Joannes Baptista de Luca accusatus in curia episcopali Anglonæ, quod vitricum suum e manibus armatæ familiæ regii delegati violenter exemerit, exhibuisset litteras patentes curiæ abbatialis S. Antonii Viennensis; ob id in disquisitionem venit, an provisi a Card. abbate generali commendatario S. Antonii prædicti sint exempti ab jurisdictione Ordinarii Anglonensis? S. C. specialiter rescripsit, nempe Joannen Baptistam de Luca non esse exemptum a jurisdictione Ordinarii Anglonensis : *Anglonen.. Exempt.*, 24 *julii* 1734.

72. Episcopum Vercellensem jurisdictionem in abbatia SS. Nazarii, et Celsi, ordinis S. Benedicti ab Ordinario se exemptam esse prædicante exercere posse firmatum fuit. Nam antecessores Episcopos sæpius jure ordinario illam Abbatiam visitasse probatum fuit : *Vercellen., Jurisdict.*, 9 *julii* 1735, *dub.* 1.

73. Episcopus Caputaquensis opus habet sententiæ S. C., an capellani, et clerici respective ecclesiæ commendæ S. Joannis in Fonte de Padula, aliarumque ecclesiarum commendarum existentium in diœcesi Caputaquensi ab Ordinarii jurisdictione eximantur, ex an eximantur simplices patentati ejusdem sacræ religionis in eadem diœcesi? S. C. negativum tulit responsum ad utrumque nisi accedentibus requisitis ad formam Constitutionis Gregorianæ [250] : *Caputaquen., Jurisdict.*, 19 *nov.* 1735.

74. Episcopus Caputaquensis in obsequium Constitutionis Sixtinæ relationem transmisit, qua ante oculos ponit permultas tam in sua, quam in aliis diœcesibus, reperiri clericos, et presbyteros, qui assequuti ecclesias, capellas, beneficia, aliasque grancias ad generalem præceptoriam S. Antonii Viennensis spectantes, a quavis sua, aliorumque Episcoporum jurisdictione liberos se esse prætendunt in vim privilegiorum a Sede apostolica generali præceptoriæ tributorum; ob id proponi curavit, num beneficiati, et provisi a Card. abbate generali commendatario de ecclesiis Viennensis essent exempti a jurisdictione Ordinariorum; et quomodo Ordinarii contra eos delinquentes procedere possint? Verum nulla resolutio prodiit, et demandatum est

[250] Quæ incipit *Circumspecta*, 25 novem. 1580. Vide not. 233.

ut scriberet procurator generalis curiarum episcopalium in urbe: *Neapolitana, Exempt.*, 1 *sept.* 1736.

75. Episcopus Larinensis ordinariam jurisdictionem exercere volens in clerum, et populum novæ parochiæ tam in loco S. Agathæ seu civitatis ad mare, quam etiam in aliis duobus feudis SS. Leuci, et Ramitelli, eorumque teritoriis spectantibus ad monasterium S. Mariæ canonicorum Lateranensium insulæ Tremitanæ, interrogavit S. C.; an posset? et S. C. rescripsit ad mentem [251]: *Larinen.* 23 *novem.* 1737, *dub.* 8. Deinde censuit, causa reproducta, ut servaretur concordia anni 1734 [252] juxta modum [253]: 1 *aug.* 1739, confirmata 19 *dec. ejusd. anni, dub.* 1.

76. Episcopo Gerundensi, qui exemptionem, quam sibi generalem multiplici nomine ab ejus ordinaria jurisdictione asserebat capitulum cathedralis ecclesiæ competere, impugnabat, assentiri S. C. credidit: *Gerunden., Exempt.*, 24 *maii* 1738, *dub.* 1, confirmata 19 *decem.* 1739.

77. Archiepiscopo Neapolis haud competere potest jurisdictio nisi ad formam conventam quoad contractus respicientes interesse, et administrationem hospitalis annexi ecclesiæ S. Angeli ad Nidum; quo vero ad reliqua jure ordinario: *Neapolitana*, 21 *julii* 1742, *dub.* 13 [254].

78. Atque idem Archiepiscopus, jurisdictionem exercere valet in alios presbyteros non addictos servitio dictæ ecclesiæ, et hospitalis, sed ibi intuitu capellaniarum, vel quovis alio titulo Missas celebrantes: *Ibid., dub.* 14 [255].

79. Manutenendum esse Episcopum Miletensem quoad duo oppida Melicucca, et Drusium nuncupata, quæ sacræ religioni Hierosolymitanæ, ejusque commendatariis quoad temporalia subjacent, in omnibus, et singulis actibus jurisdictionalibus; quos ipse peragere consueverat, non dictos commendatarios S. C. statuit: *Mileten., Jurisd.*, 3 *aug.* 1743, *dub.* 1, confirmata 23 *decem. ejusd. anni.*

80. Necnon eumdem Episcopum manutenendum esse S. C. firmavit quoad prædicta oppida in exercitio omnimodæ suæ jurisdictionis tam in visitatione, quam extra nedum contra omnes, et singulos de clero non habentes tria requisita capituli, sed etiam contra capellanos curatos habentes iisdem tribus requisitis tam in respicientibus curam animarum et administrationem sacramentorum, quam in omnibus aliis: *Ibid., dub.* 9, confirmata *ibid.*

81. Necnon manutenendum esse in exercitio ejusdem jurisdictionis quoad populum, et laicos non habentes tria requisita in iis quæ pertinent ad forum ecclesiasticum, et episcopale: *Ibid., dub.* 10, confirmata *ibid.*

82. Et manutenendum quoque esse in exercitio illius jurisdictionis, quæ de jure, et ex Concilio competit Episcopis super regulares, eorumque ecclesias existentes in dictis commendis: *Ibid., dub.* 11, confirmata *ibid.*

83. Episcopo Placentino competit jurisdictio in capella, seu altari S. Ægidii, in quo implentur tantum onera commendæ religionis Hierosolymitanæ, ac extat in ecclesia parochiali S. Jacobi Majoris, ac religio nullum habet dominium, sed tantum usum ejusdem: *Placentina, Jurisdict.*, 4 *decem.* 1745, *dub.* 4.

84. Loca pia Montis Elpari, Hospitale scilicet, mons Pietatis, et mons Frumentarius, quin Episcopi Montis Alti jurisdictioni, correctioni, et reformationi subsint nulla apud S. C. orta est difficultas: *Montis Alti*, 25 *januar.* 1755, *dub.* 1.

85. Episcopi Ariminensis jurisdictioni societatem S. Josephi intra ambitum conventus Min. Conventualium erectam esse subjectam in iis, quæ ad eamdem societatem spectant, decernitur; ita ut illa ejus mandata, et decreta, quæ extra sacram visitationem edi contigerit pro bono regimine servare eadem societas teneatur: *Ariminen.*, 7 *aug.* 1756, *dub.* 5, confirmata 30 *julii* 1757, *dub.* 1.

86. Capella publicorum carcerum civitatis Montis Alti subtus palatium apostolicum præsidis posita est. Hanc sodalitium Sanctissimi Sacramenti custodit, ac rebus omnibus necessariis instruit, semperque eam Episcopus visitavit. Modo eamdem esse subjectam ejusdem Episcopi jurisdictioni S. C. declaravit: *Montis Alti, Visitat.*, 19 *novem.* 1757, confirmata 28 *januar.* 1758.

87. Episcopo Aquilano competere S. C. decrevit publicationem jubilæi, et indulgentiarum in terra Luculi spectante ad abbatem S. Joannis; nam satis non constabat de abbatiæ territorio omnino separato a diœcesi Aquilana: *Aquilana, Jurisdict.* 21 *junii* 1760, *dub.* 1, confirmata 18 *julii* 1761.

[251] Vide not. 17, verb. *Ecclesia in genere*, § VI.

[252] Vide not. 18, *ibid.*

[253] Vide not. 19, *ibid.*

[254] Const. Bened. XIV *Præclarum*, 4 oct. 1755, § 9 et 11 excluditur omnino Archiepiscopi jurisdictio tam ordinaria, quam delegata tum quoad administrationem, tum quoad personas.

[255] Dicta Const. § 12 hanc resolutionem confirmat Summus Pontifex.

[256] Modus est, ut præserventur jura parochi, tam quoad administrationem sacramentorum, quam quoad tumulationem cadaverum, et perceptionem emolumentorum parochialium relative ad personas degentes apud oratorium S. Aldebrandi, necnon reservetur eidem parocho ab Episcopo aliqua honoris prærogativa præseferens facultatem ingrediendi idem oratorium cum stola occasione supplicationis feria quarta Rogationum haberi solitæ, vel alia eidem Episcopo benevisa. Lib. 5, *Decret.*, pag. 174.

88. Ordinariam sibi Episcopus Caputaquensis asserebat jurisdictionem in locis Rhodii, et S. Mauri, utpote intra limites suæ diœceseos existentibus, licet pertineant ad Bajulivum S. Euphemiæ sacri ordinis Hierosolymitani. Vicarius ordinis multa contra Episcopum moliebatur, qua de re posita quæstione, num Episcopo omnimodam in his locis exercere liceret jurisdictionem ? prodiit resolutio, spectare ad Episcopum jurisdictionem ordinariam in clerum, et populum ; quo vero ad ecclesias subjective unitas, delegatam : *Caputaquen.*, 2 *aug.* 1760, *dub.* 1, confirmata 17 *januar.* 1761.

89. Oratorium S. Aldebrandi, quod prætendebatur constructum in solo antiquæ cathedralis, subjiciendum est immediatæ jurisdictioni Episcopi Foro Sempronii pro tempore independenter a capitulo cathedralis, et a parocho S. Rocchi, ac pro hujusmodi effectu consulendum est Sanctissimum pro dicto immediata subjectione juxta modum exprimendum per secretarium [256] : *Foro Sempronii, Jur. paroch.*, 25 *april* 1761, *dub.* 1.

90. Ecclesia collegiata Sancti Petri, quæ in arce Wiscehradensi prope Pragam fundata est a Wratislao II, Bohemiæ rege, variis a plerisque Pontificibus docorata fuit privilegiis. Bonifacius autem IX, Pont. Max., eam cum Arce, et membris suis separavit, et avulsit a diœcesi, et provincia Pragensi, et Sanctæ Sedi immediate subjecit in statu nullius diœceseos. Archiepiscopus suæ ordinariæ jurisdictioni eam subjectam esse contendens aliam præsefert ejusdem Pontificis revocatoriam Constitutionem [257], postulat declarari, an bulla concedens exemptionem vigore alterius sit revocata ? et revocatam esse S. C. conclusit : *Pragen.*, *Exempt.*, 20 *novem.* 1762.

91. Ad Episcopum Asculanum spectare dubitatum haud fuit directorem, seu visitatorem deputare in domo convictricum Infantis Jesu nuncupata ; licet exemptio occasione Regularum confirmationis Congregationibus, quas constituit Summus Pontifex, factæ sub expressa lege, ut eædem regulæ, *in avvenire puntualmente si osservino da tutte le convittrici della congregazione del Sanctissimo Bambino Gesu, si presenti, che future*, jactaretur : *Asculana, Jurisdict.*, 26 *martii* 1762, *dub.* 1.

92. Eidemque Episcopo præ Cardinale protectore exercere licet in prædicta Conyictricum domo omnes actus ordinariæ jurisdictionis : *Ibid.*, *dub.* 2.

§ VIII.

Episcopus quoad jurisdictionem in ecclesias suæ diœcesis.

1. Ex Const. S. Pii V, Pont. Max. [258], non habet Archiepiscopus Theani in ecclesia Sepulcri religionis Hierosolymitanæ jurisdictionem, nisi in respicientibus curam animarum, et administrationem sacramentorum ; si ampliorem prætendit sibi aliunde competere, adeat judices ordinarios : *Theanen. anni* 1581, *dub.* 2.

2. Episcopo competere resolvitur jus approbandi confessarios in ecclesiis prioratus Baruli religionis Hierosolymitanæ, necnon benedicendi, et respective licentiam impertiendi concionatoribus in eisdem ecclesiis prædicantibus, donec constiterit per rem judicatam dictum prioratum esse nullius, et habere territorium separatum cum jurisdictione quasi episcopali : *Vulturarien.*, *Jurisdict.*, 5 *junii* 1655, confirmata 13 *januar.* 1663. Demum disceptato dubio, an ex noviter deductis sit a declarationibus alias editis recedendum ? S. C. causam remisit ad Rotam [259], 23 *januar.* 1666.

3. Edictum evulgavit Episcopus, ut confessarii omnes, novo se subjacerent examini, novamque acciperent approbationem. Renuit capellanus Arcis exemptum se esse jactitans. Sed S. C. contradicente Card. legato suam Arcis ecclesiam Card. Episcopi jurisdictioni, et visitationi subesse firmavit : *Ferrarien.*, *Jurisdict.*, 12 *januar.* 1704, *dub.* 1.

4. Ecclesiam piis laicorum eleemosynis noviter constructam, et dotatam in terra Scanni, Episcopo

[256] Quæ incipit *Intenta salutis*, 22 decem. 1405, et continet amplissimam revocationem unionum ecclesiarum, gratiarum, ac facultatum. Hanc Const. refert Guerra in *Epit. Bull.* tom. 3, pag. 60, et in Bullario romano Mainardi desideratur.

[257] Quæ incipit *Etsi cuncta*, 29 novem. 1568 (*Bull. Rom.* tom. 4, part. 3, pag. 49), confirmans exemptionem fratrum militum S. Joannis Hierosolymitani, eorumque familiarum a solutione decimarum, et aliorum quorumcumque onerum, § 7, ait : « Volumus autem, quod præsentes litteræ non comprehendant neque ecclesias, neque personas in his, quæ ad curam animarum pertinent, quibus decreta Concilii Trid. hujusmodi omnino servari debeant.

[258] Inter decisiones Rotæ tribunalis haud aliqua reperitur decisio desuper emanata : sed pluries in similibus casibus respondit Rota Episcopum quoad jurisdictionem habere pro se assistentiam juris in locis sitis intra limites suæ diœcesis, unde si quis prætenderet in eadem diœcesi habere jurisdictionem ordinariam et territorium separatum ab Episcopo, debet docere, vel de privilegio apostolico, vel de immemorabili ; quod præsertim patet ex decis. 304, part. 11, recent. ex decis. 304, part. 15 recent. et in terminis ecclesiarum parochialium religionis Hierosolymitanæ, quoties in istis ecclesiis vigore privilegiorum Episcopi nullam jurisdictionem habent, et quatenus uti delegati Sedis apostolicæ procedere velint, hoc in actu visitationis tenentur exprimere, ne alias sub hoc silentio ordinariæ jurisdictionis exercitium involvant : et in iis tantum quæ curam animarum, sacramentorumque administrationem respiciunt, ex decis. 120, part. 10, 18 recent.

quoad jura episcopalia, subjectam esse, ceterasque in ea sacras functiones posse a parocho, et clero, volente Episcopo absque ulla a laicis subjectione fieri, firmatum fuit : *Valven.*, *seu Sulmonen.*, 10 *maii* 1727, *dub.* 1.

5. Oratorium publicum B. M. V. de Monte Carmelo a Vincentio Suzzi ædificatum, reperitur situm in confinio parochiæ spectantis ad ecclesiam pagi Traghetti Ferrariensis diœceseos, et ulterius parochiæ pertinentis ad ecclesiam villæ Marmortæ diœceseos Ravennatis ; ob id cujusnam jurisdictioni subjectum illud esse ? exquiritur, et postulatur ulterius, utrum Archiepiscopus Ravennas ædificandi, et benedicendi idem oratorium impertiri potuerit facultatem ? Verum definitionem suspendit, et plantam judicialem confici, et testes formaliter examinari mandavit : *Ravennaten, seu Ferrarien.*, *Jurisdict.*, 14 *martii* 1733, *dub.* 1 et 2.

6. Inter capitulum Lateranense, et Episcopum Spoletanum orta controversia est de spirituali jurisdictione in ecclesiam ruralem S. Pauli, quam in territorio oppidi Strecturæ sub sua diœcesi erectam affirmabat Episcopus Spoletanus, et capitulum Lateranense in territorio castri Mamiliani abbatiæ Ferentilli sitam esse comprobabat. Ostendebat ulterius capitulum supra ecclesiæ S. Pauli januam extitisse insignia basilicæ Lateranensis, sacrasque visitationes in ea peractas fuisse a visitatoribus a capitulo destinatis ; ideo S. C. capituli Lateranensis non Episcopi Spoletani jurisdictioni ecclesiam hanc S. Pauli esse subjectam definivit : *Spoletana, seu Nullius Ferentilli, Jurisdict.*, 16 *junii* 1770.

Reliqua Vide §§ XXV et XXVI.

§ IX.

Episcopus quoad jurisdictionem in regulares, moniales, earumque ecclesias, et monasteria.

1. Declaratur si regulares aliqua indecentia aut prohibita in ecclesiis suorum ordinum ex concilio provinciali primo Mediolanensi committant, vel admittant, cura sit Ordinariorum procedendi et providendi etiam contra ipsos regulares, eorumque ecclesias, prout ipsis opportunum videbitur, etiam per viam interdicti, aut censurarum, dum tamen ad interdictum non procedant, nisi rite, et recte observatis omnibus a jure requisitis : *Mediolanen.*, *junii* 1587, *dub.* 7.

2. Censuit S. C. Episcopum posse concionari in ecclesiis regularium, etiam ipsis regularibus contradicentibus in actu visitationis ecclesiæ habentis curam animarum : *Bobien.*, 16 *martii* 1630, *dub.* 2.

3. Deliberavit S. C. parochos regulares subesse correctioni Episcopi in his, quæ ad curam, et sacramentorum administrationem pertinent : *Colimbrien.*, 16 *julii* 1639, *dub.* 1.

4. Nec non Episcopum præsidere debere ad præscriptum Const. Gregorii XV, Pont. Max. [260], *de Exempt. Privileg.* electioni abbatissæ, vel priorissæ monasteriorum monialium, etiam exemptorum a jurisdictione Episcopi constituitur : *Ibid.*, *dub.* 4.

5. Dum occulte latebat, an possit Episcopus administrationem redituum monasterii exempti ad redditionem rationis compellere, non vocatis superioribus monasterii, eosdemque administratores removere, quatenus iidem superiores interpellati id facere renuant ? S. C aperuit responso negativo ad primam, affirmativo ad secundam partem : *Ibid.*, *dub.* 2.

6. Ambiguum quum fuisset, an regularis quicumque etiam societatis Jesu, possit administrare sacramentum Pœnitentiæ secularibus absque licentia Episcopi diœcesani, etiam si in aliena diœcesi sit ? respondetur, regulares etiam societatis Jesu in una diœcesi ab Episcopo approbatos ad confessiones personarum secularium audiendas, nequaquam posse in alia diœcesi hujusmodi confessiones audire sine approbatione Episcopi diœcesani : *Angelopolitana*, 14 *maii* 1648, *dub.* 9.

7. An Episcopus contra dictos regulares audientes in sua diœcesi confessiones secularium absque sua approbatione, concionantes absque licentia Episcopi intra, et extra proprias ecclesias, possit procedere, eos a talibus ministeriis removendo, sive præceptis, et aliis juris remediis coercendo ? Respondetur eisdem regularibus, qui confessiones personarum secularium audiunt sine approbatione Episcopi loci, vel prædicant in ecclesiis sui ordinis, non petita illius benedictione, aut in aliis ecclesiis absque ipsius licentia, vel in ecclesiis etiam sui ordinis, ipso contradicente, posse Episcopum in vim Constitutionis Gregorii XV, quæ incipit *Inscrutabili Dei providentia* [261], tanquam Sedis Apostolicæ delegatum administrationem sacramenti Pœnitentiæ, ac munus prædicationis interdicere, eosque juris remediis coercere, et punire : *Ibid.*, *dub.* 10.

8. An quando Episcopo constat dictas licentias non fuisse, ipse possit præcipere, ut donec licentiam intra præscriptum tempus exhibeant, a tali

[260] Vide not. 42 tom. 2, pag. 29.

[261] Edita 5 febr. (*Bull. Rom.* tom. 5, part. 5, pag. 1), in qua jurisdictio Episcoporum vindicatur etiam quoad exemptos quoscumque tum in administratione sacramentorum, tum in verbi Dei prædicatione, et § 5, præcipitur. Ita ut Episcopi in supra scriptis casibus in prænominatas personas, in præmissis omnibus, et singulis, aut circa ea quoque modo delinquentes, quoties, et quando opus fuerit, etiam extra visitationem per censuras ecclesiasticas, aliasque pœnas, uti ejusdem eedis delegati procedere, omnemque jurisdictionem exercere libere, et licite valeant. »

ministerio se abstineant, et an requirendus sit per Episcopum pro his exhibendis provincialis in alia diœcesi, vel longissime existens, vel ipsi regulares confessarii, vel eorum superiores ejusdem diœcesis, in qua prædicta exercent? rescriptum est, posse Episcopum sic præcipere, nec pro hujusmodi licentia requirendum esse provincialem, sed satis esse ipsos religiosos requirere, aut eorum superiores in diœcesi Episcopi existentes: *Ibid.*, *dub.* 11.

9. An si contingat, ut aliquis ex prædictorum regularium insurgat contra Episcopum in propria diœcesi, maledictis cum scripto, vel dicto non sine populi offensione possit ab Episcopo puniri, et qua animadversione; et quid si hujusmodi delinquens transiverit ad aliam diocesim, hoc casu servandum sit, et qua pœna puniendus sit regularis, qui commorans in una diœcesi spargat famosos libellos contra Ordinarium alterius diœcesis? respondetur, si regularis intra claustra degens extra ea, in casibus in dubio expressis, ita notorie deliquerit, ut populo offensioni sit, Episcopo instante teneri superiorem regularem intra tempus ab Episcopo præfigendum severe illum punire, ac de punitione Episcopum certiorem facere, alioquin sic delinquentem ab Episcopo puniri posse ad præscriptum Concilii Tridentini, cap. 14, sess. 25, *de Regul.* [262]; quod si delinquens ad aliam diœcesim migraverit, servandum esse, quod præcipitur in Constit. Clem. VIII, Pont. Max., quæ incipit: *Suscepti muneris ratio* [263] *Ibid.*, *dub.* 12.

10. Postmodum alia dubia fuerunt proposita ex parte religiosorum Societatis Jesu, an Episcopi nempe, in partibus Indiarum possint ex integro totum unum monasterium, vel collegium ab audiendis confessionibus suspendere? respondetur, Episcopos Indiarum posse quidem omnibus simul unius monasterii, vel collegii confessariis adimere facultatem audiendi confessiones personarum secularium etiam inconsulta S. C. Episcop. et regul. negotiis proposita, cum decretum ab ea editum, sub die 10 *nov.* 1615, ex intentionis defectu et convenientia morali non extendatur ad regiones illas, tam longe ab urbe dissitas. Verum ab hac generali suspensione, quæ, vix sine populi offensione, et animarum pernicie contingere potest, abstinendum esse ab Episcopis, nisi gravissima subsistente causa, super quo S. C. illorum conscientias graviter voluit esse obæratas: *Ead. causa*, *dub.* 1.

11. An Episcopus regularem pro confessionibus semel approbatum, sine nova causa suspendere possit ab ipsis confessionibus audiendis? rescribitur ad hoc dubium, regulares alias libere ab Episcopo prævio examine approbatos ad audiendas confessiones personarum secularium, ab eodem Episcopo suspendi non posse, sine nova causa, eaque ad confessiones ipsas pertinente: *Ibid.*, *dub.* 2.

12. An licentia audiendi confessiones et prædicandi, ab Episcopo per litteras patentes Cancellariæ concedi possit? respondit posse concedi, etiam per litteras missivas, vel oretenus, si ita Episcopo videbitur: *Ibid.*, *dub.* 5.

13. Et dubio, an talis licentia oretenus sine scriptis concedi possit? datur responsum ut ad proximum: *Ibid.*, *dub.* 6.

14. Quæritur, an Episcopus possit prohibere regularibus etiam sub censuris, ne ante electionem abbatissæ, vel priorissæ vota habere procurent? et respondetur, non esse adhibendas censuras: *Perusina*, 2 *april* 1650, *ibid.* 4.

15. Postulatur aperte ponere, an Archiepiscopus possit compellere regulares conventuales S. Francisci ad exhibendos libros sacrarii, in quibus adnotantur celebrationes Missarum, ad hoc ut ex eis constare possit de satisfactione obligationis debitæ

[262] In quo legitur: « Regularis, non subditus Episcopo, qui intra claustra monasterii degit, et extra ea ita notorie deliquerit ut populo scandalo sit, Episcopo instante, a suo superiore intra tempus ab Episcopo præfigendum, severe puniatur, ac de punitione Episcopum certiorem faciat: sin minus a suo superiore officio privetur, et delinquens ab Episcopo puniri possit. » Hoc decretum ampliatum est a Clem. VIII Const. *Suscepti numeris ratio*, 25 febr. 1596, (*Bull. Rom.* tom. 5, part. 2, pag. 93), infligente § 3, pœnam privationis dignitatum, et officiorum latæ sententiæ contra superiores hoc Trid. decretum non servantes in omnibus; ac addente, quod si superior regularis suum religiosum ut supra delinquentem, non puniverit, et illum impunitum a loco delicti ad alium suæ religionis transmiserit, instante Episcopo loci delicti, intra terminum ab eodem præfigendum, debeat dictum delinquentem ad eumdem locum delicti revocare; alias idem superior incurrat pœnam privationis vocis activæ, passivæ, Papæ reservatam: et crescente contumacia, possit, et debeat Ordinarius loci, ad quem transmissus est delinquens, sive requisitus ab Ordinario loci delicti, sive aliter informatus, procedere adversus eumdem, eumque punire juxta decretum Tridentini tanquam Sedis apostolicæ delegatus. Tum ex decreto Trid. cit. cum ex Clementis Const. clare infertur, quod quamvis regulares, tam mendicantes, quam non mendicantes intra claustra viventes, quomodolibet extra delinquant, non ideo recte puniri possint ab Episcopo, sed tunc dumtaxat, quando ob negligentiam eorum superiorum in ipsos puniendo ad eum devoluta est jurisdictio in terminis Trid. extra quem casum privative subsunt jurisdictioni, et punitioni eorumdem superiorum, ut etiam declaravit Bened. XIII in motu proprio edito quidem sub die 26 martii 1729, incipienti *Exponi nuper* (*Bull. Rom.* tom. XII, pag. 389), ad dirimendas lites quoad hoc inter Neapolitanum nuntium et abbatem generalem pro tempore montis Virginis, sed vigorem eumdem præseferente pro omnibus regularibus et Episcopis.

[263] Vide not. præced.

ex legato pio, vel sufficiat sola fides sacrarii, Missas fuisse celebratas, stante maxime, quod Archiepiscopus vigore facultatis pontificiæ instar privilegiorum fabricæ metropolitanæ annua debita ex quacumque pia dispositione hactenus non impleta, providere potest etiam exequutioni pro futuris? Censuit S. C. Archiepiscopum de jure non posse [264], et quoad assertam facultatem ex delegatione remisit ad S. C. Fabricæ [265] : *Urbinaten.*, *Visit. sacr. Liminum*, 10 *martii* 1663, *dub.* 20.

16. Inquiritur, quibus pœnis, et censuris corrigi possint per Ordinarium regulares sacerdotes in celebratione Missarum contravenientes? decisio protelata fuit, ut prius videretur, an Episcopus procedens vigore Concilii Tridentini cap. unic. sess. 22, *de Observ. et evit. in celeb. Miss.* [266], possit imponere hujusmodi pœnas, exceptis pœnis censurarum latæ sententiæ? *in casu proposito tanquam in re gravi potuisse* responsio a S. C. emanavit : *Toletana, 4 junii* 1672, *dub.* 10.

17. Monasterium monialium B. M. V. vallis Viridis subjectum jurisdictioni priorissæ Messanensis intra diœcesim, et in oppido castri Veteris jacet. Anno 1589 in contradictorio judicio dictam subjectionem agnovit. At modernus Episcopus ad visitationem hujus monasterii accedere curavit, qui acta quoad clausuram volens perficere quoad singulas moniales, fuit impeditus; et re in S. C. delata, post decretum quod Episcopus visitare possit dictum monasterium, in respicientibus clausuram, fuit dubium propositum, an possit Episcopus administratores redituum monasterii exempti ad redditionem rationis compellere, non vocatis superioribus monasterii, eosdemque administratores amovere, quatenus iidem superiores interpellati id renuant facere? S. C. respondit negative quoad primam partem, affirmative quoad secundam : *Hieracen.*, *Visitat.*, 26 *januar.* 1692, *dub.* 2.

18. Et ad dubium, an possit cuique personæ, etiam in primo, et secundo gradu conjunctæ inhibere, ne audeat ad monasterium accedere, absque illius licentia? danda esse decreta S. C. Episcop. et regul. hac de re edita [267] S. C. rescripsit : *Ibid.*, *dub.* 3.

19. Pariter danda esse decreta ejusdem S. C. Episcop. et regul. [268] placuit S. C. respondere ad dubium, an possit inhibere famulis, et famulabus conjunctarum personarum, ne ad dictum monasterium accedant absque licentia Episcopi? *Ibid.*, *dub.* 4.

20. Et ad quæsitum, an medici, chirurgi, aliique ministri necessarii ingredi possint in clausuram cum sola licentia, et approbatione delegati absque licentia, et consensu Episcopi? danda esse decreta in hac ipsa *Hieracen.* a S. C. Concilii edita se anno 1581, ad 3 dubium [269] voluit : *Ibid.*, *dub.* 5.

[264] « Et hic subintrat ratio quod regulares sunt omnino exempti ab jurisdictione Episcoporum, præterquam in casibus, in quibus ipsorum jurisdictioni per Trid. et per Constitutiones apostolicas subjiciuntur, per dicenda caput 19, et cap. ultim, inter quos non venit celebratio Missarum, quæ pertinet non ad executionem ultimæ voluntatis sed obligationis per eos assumptæ. Nec obstat Trid. loc. alleg. (nempe sess. 22, cap. 8, *de Reform*), quia hujusmodi dispositio non ampliatur ad regulares, sed restringitur ad alia loca pia exempta ut ex text. clare. Ad quod facit, quod dum Trid. Episcopis committit, ut possint tamquam Sedis apostolicæ delegati contra regulares procedere, id exprimit, ut locis citatis notavimus. Quod autem ibi regulares non veniant sub nomine exemptorum, sed sint specialiter exprimendi, inde provenit, quia habent suos superiores, a quibus visitantur, ut optime Pignatelli *ibid.* num. 9. » (nempe *Const.* 9, tom. 3.) Hæc ad dictam resolutionem S. C. Concilii ait. Mattheuc. *Offic. Cur. Eccl.* cap. 10, § 2, num. 49, pag. 64.

[265] Quæ potest Episcopo facultatem delegare. Ita etiam *in causa Siponontina*, 11 junii 1650, in qua Archiepiscopus certioratus aliquas dispositiones defunctorum non adimpleri in aliquibus ecclesiis regularium, supplicat declarari, « an jus competat eidem rationem a dictis regularibus desuper exigere; S. Congreg. respondit, ad id auctoritate ordinaria jus non competere, sed providendum mediante recursu ad S. Congreg. fabricæ, ecc. »

[266] Quod ait in fine: « Hæc igitur omnia, quæ summatim enumerata sunt, omnibus locorum Ordinariis ita proponuntur, ut non solum ea ipsa, sed quæcumque alia huc pertinere visa fuerint, ipsi pro data sibi a sacrosancta synodo potestate, ac etiam ut delegati Sedis apostolicæ, prohibeant, emendent, corrigant, statuant, atque ad ea inviolate servanda censuris ecclesiasticis, aliisque pœnis, quæ illorum arbitrio constituerentur, fidelem populum compellant, non obstantibus privilegiis, exemptionibus, appellationibus, ac consuetudinibus quibuscumque. »

[267] « Tenoris sequentis Trani All'Arcivescovo. Non intende la S. C. che negli editti generali, che si pubblicano circa l'accesso a parlatori di monache si comprendano i parenti in primo, e secondo grado delle medesime, onde in conformita della mente dell' istessa S. C. non dovra V. S. proibire alli pioti della Chiesa di Nazaret il poter trattar con le monache loro parenti in grimo, e secondo grado, purche cio non segna ne giorni di feste solemni, e ne' tempi proibiti tanto, etc. Roma 23 marzo 1692. » Lib. 42, *Decret.* pag. 45.

[268] « Videlicet Citta della Pieve. Non e solito, che le donne piglino licenza d' andare a monasteri aparlare alle monache, e quanto agli vomini potrete proibire, che non vi vadano sensa nostra licenza, eccettandone i padri e fratelli solamente, e farete, che sia osservato per l' avvenire. E state sano. Roma 12 gennaro 1604. » *Ibid.*

[269] « Tenoris sequentis item se sotto nome di clausura si contiene, che li medici, barbieri, ed altre donne che servono in caso d' infermita fantesche ordinarie, ganzoni, quali hanno da portar grano, farina, legna, acqua, et altre cose necessarie, sartori, muratori, falegnami, e procuratori possino, o non possino entrare in detto monastero, sacra etc. respondit, licentiam ingrediendi monasterium spectare ad superiorem regularem ex cap. 5, sess. 25, *de Regul.* » *Ibid.*

21. Dubium inde, an præfata licentia sit ad tempus determinatum, vel juxta opportunitatem pro unica tantum vice concedenda, et an possit denegari? danda pariter decreta sacr. Congr. Episcop. et regul. [270] explicavit: *Ibid., dub.* 6.

22. Postmodum declaravit non licere Episcopo inhibere, ne in ecclesia dicti monasterii celebrentur plus quam duæ Missæ, etiam si monasterium teneatur aliquod onus explere, exceptis diebus exequiarum, et festivitatis titularis monasterii; et quoad approbationem sacerdotum secularium, Episcopus uti debere jure suo: *Ibid., dub.* 7.

23. Et Episcopus potest interesse abbatissæ electioni juxta formam declarationis post Constitutionem Gregorianam [271]: *Ibid., dub.* 8.

24. Ad dubium, an capellani, et confessarii sint a superiore monasterii et approbandi ab Episcopo? respondit S. C. affirmative quoad deputationem, et approbationem confessarii spectare ad Episcopum: *Ibid., dub.* 9.

25. Et eveniente obitu alicujus monialis vel educandæ, nequit Episcopus prohibere, ne in ecclesia monasterii celebrentur exequiæ: *Ibid., dub.* 10.

26. Neque Episcopus valet impedire celebrationem solemnem festivitatis BB. Petri et Pauli titularium monasterii: *Ibid., dub.* 11.

27. An in iis, in quibus Episcopus potest procedere jurisdictione delegata, sit locus deputationi Episcopi vicinioris? hoc dubium, *deputandum esse Episcopum Squillacen. arbitrio S. Congr.* ita explicavit: *Ibid., dub.* 12.

28. Denique fuit ambiguum, an delegatus a superiore monasterii possit accedere absque licentia ad dictum monasterium; et an aliis licentiam concedere possit solus, vel unitim cum Episcopo? rescripsit S. C. affirmative quoad delegatum, et quoad alios unitim cum Episcopo: *Ibid., dub.* 13.

29. Orta inter Episcopum, et patres Dominicanos urbis notabilis contentione super quartæ funebris solutione mortis Joannis Zamnit occasione, quæstio instituta fuit, an et quibus pœnis possit Episcopus procedere contra regulares, impedientes illius exactionem? rescriptum prodiit: Dilata, et præfigatur peremptorius terminus quatuor mensium, quo elapso proponatur causa omnino etiam unica, et interim partes non molestentur, facta per eosdem obligatione de solvendo quidquid fuerit per S. C. judicatum: *Milevitana, Quartæ funer.* 16 *januar.* 1700, *dub.* 2.

30. Episcopus Novariensis jurisdictionem non habuit in fratres Reformatos prætensos delinquentes extra claustra, seu turbantes jura parochorum: *Novarien., Funer. et jurisd.*, 15 *martii* 1704, *dub.* 10.

31. Card. Episcopo Papiensi licuit in suo accessu ad Carthusiam Papiæ occasione revisionis computorum eleemosynarum ingredi erecta cruce ecclesiam, non autem in casu de quo agitur monasterium ejusdem Carthusiæ: *Papien., Juris deferendi crucem*, 17 *decem.* 1707. Inde rescripsit in decisis quoad ecclesiam, quo vero ad monasterium prævio recessu a decisis licere Card. Episcopo ingredi cum cruce in casu de quo agitur etiam in monasterium absque ullo tamen exercitio jurisdictionis: 22 *sept.* 1708.

32. Episcopus Posnaniensis non potest introducere duas moniales fundatrices diversi ordinis in monasterio sanctimonialium loci Gorensis, quatenus illas habere non possit ejusdem ordinis, sed curet eo casu superiorissam meliorem ex eodem monasterio eligi: *Posnanien., Professionis*, 27 *aug.* 1712, *dub.* 3.

33. Quum Episcopus Lucanus accessisset cruce erecta ad ecclesiam S. Frigdiani occasione jubilæi, et expositionis venerabilis, restiterunt ei canonici Lateranenses allegantes eorum exemptionem, et privilegium. At S. C. consulta, licere Episcopo Lucano ingredi erecta cruce ecclesiam S. Frigdiani canonicorum Lateranensium decrevit. Gaudet ille Episcopus plurimis Summorum Pontificum indultis: *Lucana, Juris deferendi crucem*, 8 *aug.* 1716 [272].

34. Episcopum Aquipendii, in cujus diœcesi viget laudabilis mos tenendi conferentias, sive congregationes pro discutiendis casibus conscientiæ, cui interveniunt parochi, et sacerdotes, quibus fidelium sacramentales confessiones commissæ sunt,

[270] « Tenoris sequentis Parma alVescovo. Qui in Roma, ed in ogni altro luogo, dove si tiene buona cura de monasteri delle monache, si suol fare una lista di persone, che sono necessarie, come fornaro, muratore, falegname, feraro, facchini per certe occasioni, oltre il medico, cerusico, e barbiere a quali per una volta si da licenza per sempre, sino a tanto, che non e rivocata, di poter secondo i bisogni entrar nel monastero per far cio che occorre diloromestiere, avvertendo di pigliar persone approvate d' eta, e costumi buoni, e cosi dovra fare anche ne suoi, con prohibere insieme, che non entrino altre persone, che quelle, che sono necessarie, che cosi e stato scritto, ed ordinato in molti luoghi, et 20 novembre 1584. » *Ibid.*

[271] « Nempe 5, an per eamdem constitutionem in illis verbis possit Episcopus una cum superioribus regularibus quarumcumque abbatissarum electionibus per se, vel per alium interesse, ac præsidere, jus abbatissæ confirmandi Episcopus attributum censeatur? S. C. censuit jus confirmandi abbatissas minime fuisse Episcopus per constitutionem attributum. » *Ibid.*

[272] In causa prædicta advocatus Dominicus Ursaya strenue certavit in favorem Episcopi, et sua jura habemus in *Discep. Eccl.* I, tom. 2, part. 1, *per tot.*

regularibus injungere nequire, ut intersint dictis congregationibus casuum conscientiæ, et dari decretum in *Forosempronien.*, 12 *maii* 1685, [273] rescriptum fuit: *Aquipendii, Visitat. sacr. Liminum*, 12 *martii* 1718.

35. Suum negotiorum ad urbem gestorem delegavit Archiepiscopus Mexicanus, ut Sedes Romana, in qua S. Petrus vivit, et præsidet in successoribus, nonnullis suæ diœceseos abusibus præberet remedium. Inter cetera dubia, hoc etiam ille proponi studuit, an, et quo jure procedere possit mandans Archiepiscopus in casu confugii regularium in regulares alienos? dubii non exiit definitio; sed scribi S. C. mandavit nuntio juxta instructionem [274]: *Mexicana*, 8 *aug.* 1722, *dub.* 6.

36. Et examinari etiam curavit, an ipsi Archiepiscopo competeret jus adprobandi confessarios regulares, aliaque gerendi præscripta in bulla Gregorii XV, Pont. Max., quæ incipit *Inscrutabili* [275], etiam in monasteriis pleno jure regularibus subjectis? Verum neque de hoc resolutio capta fuit, sed pariter jussum, ut scriberetur nuntio juxta instructionem [276]: *Ibid.*, *dub.* 7.

37. Dubio excusso, an Episcopus Mazariensis ingredi possit monasteria suæ diœceseos absque ulla limitatione servatis servandis, quando vocatur ab aliqua moniali infirma, quæ pro sua devotione vult confessionem explere? rescriptum fuit, ut darentur decreta [277]: *Mazarien.*, 5 *julii* 1727, *dub.* 3. Ad calcem folii *diei* 15 *julii ejusd. anni*, nonnulla secretarius adnotavit decreta, et S. C. eadem die affirmativum dedit responsum servatis servandis.

38. Sancivit S. C. contra abbatem, et religiosos monasterii Alderspachy exercentes curam animarum in ecclesiis eidem monasterio unitis, ac dependentibus sine licentia Episcopi, eumdem Episcopum posse procedere juris remediis: *Passavien.*, *Parochialium*, 28 *julii* 1731, *dub.* 4.

39. Card. Episcopus Pharaonensis interesse potest, tam per se, quam per alium electionibus abbatissarum, vel priorissarum monasteriorum monialium regularibus ordinis Cisterciensis subjectarum, etsi Cistercienses contrariam consuetudinem objicerent: *Pharaonen.*, *Jurisdict.*, 14 *novem.* 1733, *dub.* 1.

40. Episcopum Papiensem a monialibus monasteriorum SS. Mariæ et Aureliani, et S. Mariæ Theodotæ rationum redditiones exquirere posse S. C. anceps non fuit: *Papien.*, 16 *martii* 1743, *dub.* 9.

41. Laudatum Episcopum licentias, tam secularibus, quam regularibus accedendi ad cancellos monialium dictorum monasteriorum ab abbatibus SS. Salvatoris, et SS. Spiritus, et Galli ordinis Cassinensis datas, in casu transgressionis, vel abusus, revocare posse, et transgressores quoscumque coercere facultas donatur ad formam Constitutionum Gregorii XV et Alexandri VII [278]: *Ibid.*, *dub.* 14.

42. Episcopalis curia Wormatiensis et P. abbas Eberbacensis ordinis Cisterciensis, causa monialium monasterii Marien-Munster ejusdem ordinis utraque parte calculos moverunt, et ut canonum maneat incolumis et intemerata semper auctoritas, disputatum primum fuit, an Card. ordinarius Wormatiensis, seu ejusdem vicariatus possit inhibere regularibus abbatiæ Eberbacensis ordinis Cisterciensis, ne sine prævia ejus adprobatione excipiant confessiones monialium monasterii supra narrati? responsum prodiit affirmativum: *Wormatien.*, *Jurisd.*,

[273] Vide num 2, tom. 1, verb. *Congregatio*, § I.

[274] Vide not. 86. verb. *Ecclesia parochialis*, § II.

[275] Vide not. 149, tom. 1, pag 112.

[276] Vide not. 86, verb. *Ecclesia parochialis*, § II.

[277] Hæc ad calcem folii diei 15 *julii* 1747, secretarius a Congr. Concilii adnotavit in *Thesaur. resolut.* tom. 4.

[278] Gregorius XV, una cum Urbano VIII, approbavit dubium S. C. Concilii hisce verbis conceptum, an regularis absque legitima licentia accedens ad monasterium monialium regularibus subjectarum, ibique in loco colloquens destinato cum moniali colloquens a diœcesano Episcopo, tanquam Sedis apostolicæ delegato, coerceri, et puniri possit? S. C. Concilii censuit posse. Vid. in calce Const. *Inscrutabili*, 5 *febr.* 1622, Gregorii XV (*Bull. Rom.* tom. 5, part. 5, pag. 1). Alexander autem VII, Const. *Sacrosanctii*, 3 *martii* 1658 (*Bull. Rom.* tom. 6, part. 4, pag. 220), decernit § II. » Quin etiam quam plurimis apostolicis Constitutionibus interdicitur hujusmodi regularibus accessus ad locutoria sanctimonialium, necnon cum eisdem miscere colloquia ad crates, rotas, portas, et quovis alio in loco, sub pœnis privationis vocis activæ, passivæ, aliisque etiam gravioribus pro rerum, temporumque opportunitate inflictis. Et § VI decrevit: Præterea interdicimus omnibus, et singulis prædictis sub eisdem pariter pœnis colloquia quæcumque cum sanctimonialibus prædictorum monasteriorum (comprehensis etiam abbatissis, priorissis, ac officialibus), extra actum confessionum, concionum aut visitationum hujusmodi; adjecta sub similibus pœnis expressa prohibitione, ne quoquo modo permittant, ut eorum socii, aliique regulares, tam professi quam non professi sub quovis prætextu cum monialibus colloquantur. Contravenientes autem, præter pœnas prænarratas, gravioribus etiam nostro, successorumque nostrorum Roman. Pont. arbitrio punientur. »

Habetur etiam *in Viterbien*, 26 *junii* 1627, posse Episcopum imponere censuras, aliasque pœnas contra clericos, et laicos monialium monasteria frequententes, et cum iisdem colloquentes. Idem accessus, et allocutio, etiam sine frequentia specialius interdicta est regularibus tum a Sixto, et Paulo V, ac cit. Pontificum Const., et potissimum a Clem. XI, sub pœna excommunicationis, aliisque ab Episcopo infligendis ex decreto S. C. 11 mai 1669, ab eodem approbato.

9 *julii* 1746, *dub.* 1, confirmata 17 *sept. ejusd. anni.*

43. Eidemque Card. Episcopo jus interveniendi, et præsidendi electionibus abbatissarum præfati monasterii competere, decisum fuit : *Ibid.*, *dub.* 2, confirmata *ibid.*

44. Necnon rationes administrationis bonorum ipsiusmet monasterii prælaudato Card. Ordinario petere licere definitum fuit : *Ibid.*, *dub.* 3, confirmata *ibid.*

45. Et jus explorandi voluntatem puellarum admittendarum, tam ad habitum, quam ad professionem in dicto monasterio eidem Card. Episcopo competere, nullæ dubitationi obnoxium fuit : *Ibid.*, *dub.* 4, confirmata *ibid.*

46. Deinde eadem S. C. sanxit, ut posita facultate per Constitutionem Gregorianam Episcopis concessa interveniendi, et præsidendi electionibus abbatissarum per se, vel per alium, non licere Ordinario prædicto interesse, et præsidere per plures commissarios ab ipso deputatos : *Ibid.*, 17 *sept. ejusdem. anni*, *dub.* 2.

47. Ac completa canonica electione fas non est eidem Ordinario, vel ejus vices gerenti electæ possessionem dignitatis, et officii abbatialis tradere : *Ibid.*, *dub.* 4.

48. Nec ad ipsum Ordinarium spectat jus abbatissas electas confirmandi : *Ibid.*, *dub.* 5.

49. Et ipsi Ordinario non competit jus denunciandi, et determinandi diem electionis faciendæ; sed abbas Eberbacensis hoc jus habet : *Ibid.*, *dub.* 6.

50. Neque eidem Ordinario licet post mortem abbatissæ claudere, proprioque sigillo obsignare cubicula abbatialia, atque de substantia monasterii inventarium conficere : *Ibid.*, *dub.* 8.

51. Episcopum Basileensem quoscumque sacerdotes, sive seculares, sive regulares tam Cisterciensis, quam alterius cujuscumque ordinis, sive deputatos, sive deputandos a P. generali Cisterciensum, ambiguum non habet S. C. cogere ad formam Constitutionum apostolicarum ad ineundum gubernium monasterii monialium Obsberg ejusdem ordinis Cisterciensis in casibus contentis in dubiis resolutis, et respective resolvendis a S. C. per multas pecuniarias piis usibus adplicandas, necnon etiam per ecclesiasticas censuras : *Basilicen.*, 9 *febr.* 1654, *dub.* 15.

52. Si ad priorissam, et moniales cum interventu superioris regularis spectet electio cujuscumque novi ministri in casu obitus, dimissionis, et amotionis officii, ad Archiepiscopum tamen Ferrariæ litterarum patentium juxta solitum expeditionem pertinere declaratum est : *Ferrarien.*, *Jurisdict.*, 28 *sept.* 1754, *dub.* 6.

53. Facultatem removendi officiales, et ministros quatuor monasteriorum monialium superioribus regularibus subjectorum dictam priorissam, et moniales habere decernitur; et quæsito, an potius ad Card. spectare Ferrariæ Archiepiscopum? dictum fuit, servari debere bullam *Inscrutabili* [279] : *Ibid.*, *dub.* 7.

54. Episcopum Regiensem ab excipiendis sacramentalibus confessionibus P. magistrum Fantini tunc conventus S. Francisci in terra Saxoli guardianum alias ab eodem Episcopo adprobatum, suspendere potuisse firmatur, et additur ad mentem : *Regien.*, *Exempt.*, 14 *decem.* 1754, *dub.* 3.

55. Parochi regulares, etiamsi sint abbates cujuscumque ordinis, et præsertim Præmonstratenses, Cistercienses, et Benedictini non possunt a superioribus regularibus ad curam animarum secularium, et non commensalium in parochiis diœcesis Olomucensis, licet illæ monasteriis exemptis sint unitæ, ac annexæ, sive de jurepatronatus destinari; illamque exercere sine adprobatione Episcopi : *Olomucen.*, *Jurisdictionis*, 7 *julii* 1755, *dub.* 3, confirmata 2 *aug. ejusd. anni.*

56. Nec regulares dari in coadjutores dictorum parochorum possunt a superioribus regularibus sine expressa licentia Episcopi, sed est in potestate ipsius Episcopi in approbatione confessariorum regularium limitare eorumdem facultates non solum quoad tempus, sed etiam quoad personas, et loca, in quibus debent confessiones audire : *Ibid.*, *dub.* 4, confirmata *ibid.*

57. Potest Episcopus inhibere regularibus præsertim Cisterciensibus, et Benedictinis, ut sine examine Ordinarii puellas ad habitum et professionem admittant, et præcise ne ad electionem abbatissarum exemptarum deveniant, non significata Ordinario

[279] Gregorii XV, 5 febr. 1622 (*Bull. Rom.* tom. 5, part. 5, pag. 1) ; in cujus calce adsunt declarationes S.C. Concilii ab eodem approbatæ, interque dub. 12, quæsitum est, « Cum in eadem Constitutione statutum sit, ut liceat Episcopo ex rationabili causa superiores regulares admonere, ut amoveant confessores, atque administratores bonorum ad earumdum monialium monasteria pertinentium, iisque superioribus id facere detrectantes habeat Episcopus facultatem prædictos confessores, et administratores amovendi quoties, et quando opus esse judicaverit. An ejusmodi causam Episcopus superioribus regularibus significare teneatur, respondetur non teneri ejusmodi causam significare superioribus regularibus, sed hoc relinqui arbitrio, et prudentiæ Episcoporum, quorum conscientiam S. C. serio oneravit, ne facultate sibi hac in parte attributa quoquo modo abutantur, ejus rei in districto Dei judicio rationem reddituri. »

die electionis, cui Episcopus sive per alium interesse, et præsidere possit : *Ibid.*, *dub.* 4, confirmata *ibid.*

58. Et competit eidem Episcopo jus rationes exigendi ab administratoribus bonorum temporalium, dictorum monasteriorum exemptorum monialium, et in administratione delinquentes animadvertendi, illosque ad reliquatum solvendum cogendi, et prohibendi, ne dotes alienentur sine indulto pontificio, et Episcopi licentia : *Ibid.*, *dub.* 10, confirmata *ibid.*

59. Episcopus Squillacensis patres Minores conventuales degentes in terra Mottæ Bruncaturi monere nequit, ne dominicis, festisque diebus ante Missæ parochialis celebrationem, vel donec illa absolvatur, sacra peragant cum præcedenti tintinnabulorum sonitu in eorum ecclesia Annuntiationi B. M. V. dicata ; neque ejus monitio regulares eosdem se ob generalem mendicantium ordinum exemptionem a jurisdictione Episcopi immunes autumantes astringit : *Squillacen.*, *Celebrat. Miss. et Funct. conven.*, 28 *febr.* 1761, confirmata 8 *aug. ejusd. anni.*

60. Episcopi Novariensis jurisdictioni oratorium S. Bernardini oppidi Galliati, quod fratres Minores Reformati ordinis S. Francisci, qui Novariæ sunt in conventu S. Nazzarii, exemptum esse putant, subjectum esse firmatur, et quoad hospitium iterum dubium proponatur : *Novarien.*, *Jurisdict.*, 15 *decem.* 1764, *dub.* 1.

§ X.

Episcopus quoad jus conferendi beneficia suæ diœceseos.

1. Quum in diœcesi reperirentur beneficia simplicia liberæ collationis tam modici valoris, ut non sit, qui velit adipisci, et vacent in præjudicium cultus divini, et salutis animarum ; ob id quæritur quomodo Episcopus in his se gerere debeat ? S. C. respondit, quod in beneficiis non excedentibus annua scuta 2 auri, sola signatura Papæ est sufficiens, et pro reliquis fiant expeditiones in forma : *Vicen.*, *Visit. sacr. Liminum*, 15 *april.* 1690, *dub.* 4.

2. Quoad dissidium factum inter Episcopum Anglonæ, ac abbatem commendatarium monasterii S. Eliæ ordinis S. Basilii oppidi Carboni, cujus abbatiam non habere nullius ac territorii separati qualitatem fuerat definitum ; enucleatis dubiis, an jus conferendi beneficia simplicia spectet ad Episcopum, seu ad Card. abbatem ? respondit S. C. collationem cantoratus ad Card. abbatem spectare : *Anglonen.*, *Jurisdict.*, 4 *julii* 1716, *dub.* 1 [280].

3. Et quoad dubium an jus conferendi beneficia curata pertinet ad Episcopum, vel ad Card. abbatem ? collationem tituli parochialis S. Lucæ ad Card. abbatem, concursum vero, præelectionem, et institutionem *autorizabilem* ad Episcopum adjudicari censuit ead. S. C. : *Ibid.*, *dub.* 2.

4. Demum an institutio in beneficiis jurispatronatus sit danda ab Episcopo, vel a card. abbate ? institutionem quoad utrumque beneficium ad Card. abbatem spectare decernitur : *Ibid.*, *dub.* 3.

5. Emanavit jam antea a S. C. decretum, archipresbyterum S. Blasii olim S. Vittorini de Amiterno civitatis Aquilæ minime habere territorium separatum, et *nullius* qualitatem. Modo decernitur, Episcopum Aquilanum jus non habere conferendi simplicia beneficia, sive residentialia, et canonicatus in ecclesiis terræ Pizzuli, et S. Vittorini existentibus, sed archipresbytero adjudicatur : *Nullius, seu Aquilana*, *Jurisdict.*, 4 *maii* 1726, *dub.* 9.

§ XI.

Episcopus quoad jus ferendi censuras.

1. Episcopus infligit quotidie censuras ecclesiasticas in causis civilibus, et parvi momenti duorum juliorum, non aliter servata forma Concilii cap. 3, sess. 25 [281], sed contra illius formam, quo fit, ut omnes censuras hujusmodi parvi pendant, ideo S. C. in consultationem vocata, non debere infligere, nisi servata forma cap. 3, sess. 25 [282] decrevit : *Gerunden.*, *Extort.*, *febr.* 1588, *dub.* 9.

2. Ad rogatum, an quando Ordinarius suspendit aliquem vigore cap. 1, sess. 14 [283], *de Reform.* teneatur exprimere delictum, et causam suspensionis ipsi reo, si illam judicialiter petat ? respondit

[280] Prodiit a Dominico Ursaya advocato *Discept. Eccl. XI*, tom. 1, part. 1, *per tot* et *discept.* V, tom. 2, part. 1, *per tot* sua jura in favorem Episcopi Anglonæ, quem ille in hac causa defendit.

[281] *De Reform.* in quo legitur : « In causis vero judicialibus mandatur omnibus judicibus ecclesiasticis, cujuscunque dignitatis existant ut quandocumque executio realis, vel personalis in qualibet parte judicii propria auctoritate ab ipsis fieri poterit, abstineant se tam in procedendo, quam definiendo seu censuris ecclesiasticis, seu interdicto, sed liceat eis, si expedire videbitur, in causis civilibus ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentibus, contra quoscunque etiam laicos, per multas pecuniarias, quæ locis piis, ibi existentibus, eo ipso quod exactæ fuerint, assignentur, seu per captionem pignorum, personarumque districtionem, per suos proprios, aut alienos exequutores faciendam, sive etiam per privationem beneficiorum, aliaque juris remedia procedere, et causa definire, quod si exequutio realis, vel personalis adversus reos hac ratione fieri non poterit, sitque erga judicem contumacia, tunc eos etiam anathematis mucrone arbitrio suo, præter alias pœnas ferire poterit. »

[282] Vide not. præced.

[283] *De Reform.* ubi habetur : « Cum honestius, ac tu-

S. C. si aliquem vigore cap. 1, sess. 14 [284] suspendit non teneri, sed tantum Sedi Apostolicæ, ad quam recursum habuerit : *Vercellen.*, 21 *martii* 1648, *dub.* 4.

3. Dubio diligenter circumspecto, an Episcopus possit cum censuris procedere contra regulares exemptos, si non obedientes fuerint in confessionibus audiendis, vel prædicatione verbi Dei, et hoc vigore Conc. Trid., vel per quem canonem? respondit posse procedere, non quidem in vim Conc. Trident., sed in vim Constit. Gregorii XV, quæ incipit, *Inscrutabili Dei providentia* [285], *Angelopolitana*, 14 *maii* 1648, *dub.* 4, inter illa, quæ patres Jesuitæ proposuerunt.

4. Decreverat jam ante S. C. spectare ad fabricerios ecclesiæ cathedralis, cum approbatione Episcopi designare usum, in quem implicari debeant pecuniæ retractæ ex venditione ratæ partis piscium, qui diebus festis juxta consuetudinem approbatam in visitatione apostolica de anno 1585 piscantur, ac tribuitur dicta rata pars cathedrali prædictæ. Quia fabricerii inconsulto Episcopo nonnulla compararunt, et Episcopus sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ intra dies octo restitui summa jussit, modo, firmatum fuit eumdem Episcopum posse contra eosdem fabricerios in casu non obedientiæ ad censuras procedere servata tamen forma Concilii [286] : *Naulen.*, 5 *junii* 1705, *dub.* 2.

5. Episcopus Urgellensis procedere potest per censuras in casu, quo decanus, et canonici cathedralis se opponant, retinendo claves pulpiti, prædicationi concionatoris ab ipso Episcopo deputato, quin capitulo exhibere litteras patentales debeat : *Urgellen.*, *Juris concionandi*, 5 *sept.* 1705, *dub.* 3.

6. Item dictus Episcopus contra renuentes, contumaces, et non obedientes quoad redditionem rationum in actu visitationis capellæ B. M. de Pietate sitæ in claustro ecclesiæ cathedralis potest procedere per ecclesiasticas censuras : *Ibid.*, *dub.* 5.

7. Incertum fuit, an Archiepiscopo Mediolanensi liceret declarare, vel saltem denunciare excommunicatus in vim canonis, *Si quis suadente* [287], patrem Antonium Petragrossa, et fratrem Alexandrum monachos Montis Oliveti, qui vicarium ecclesiæ eorum cœnobii actualem exercentem curam percusserunt? declaratum est; licere renovata tamen citatione juxta instructionem [288] : *Mediolanen.*, *Censur.*, 2 *decem.* 1719, *dub.* 2 [289].

tius sit subjecto, debitam præpositis obedientiam impendendo, in inferiori ministerio deservire, quam cum præpositorum scandalo graduum altiorum appetere dignitatem, ei cui ascensus ad sacros Ordines a suo prælato ex quacumque causa, etiam ob occultum crimen, quomodolibet, etiam extrajudicialiter, fuerit interdictus, aut qui a suis ordinibus, seu gradibus, vel dignitatibus ecclesiasticis fuerit suspensus ; nulla contra ipsius prælati voluntatem concessa licentia de se promoveri faciendo ; aut ad priores ordines, gradus, et dignitates, sive honores, restitutio suffragetur. » Pro hujus decreti intellectu vid. Bened. XIV, *de Synod. diœces.* lib. 7, cap. 71, num 3 seqq. tom. 12, pag. 560. Pius VI, Pont. Max., in Const. *Auctorem fidei*, 28 aug. 1794, inter alias propositiones synodi Pistoriensis num. 49, qua rejicit synodus ut nullas, et invalidas suspensiones ex informata conscientia, damnavit uti *falsam*, *perniciosam*, *in Trid. injuriosam*. Et aliam num. 50, in eo quod insinuat synodus soli Episcopo fas non esse uti potestate, quam tamen ei defert Tridentinum (Sess. 14, cap 1, *de Reform.*) suspensionis ex informata conscientia legitime infligendæ, damnavit *jurisdictionis Prælatorum Ecclesiæ læsivam*.

[284] Vide not. præced.

[285] *Die* 5 *febr.* 1622, edita (*Bull. Rom.* tom. 5, part. 5, pag. 1), et quæ § 5, decernit : « Ita ut Episcopi in supra scriptis casibus in prænominatas personas, in præmissis omnibus, et singulis, aut circa ea quoquo modo delinquentes, quoties, et quando opus fuerit, etiam extra visitationem, per censuras ecclesiasticas, aliasque pœnas, uti ejusdem Sedis delegati, procedere, omnemque jurisdictionem exercere libere, et licite valeant. »

[286] Decretalem cap. *Constitutionem de sent. excom.* generaliter statuentem, excommunicationem ferri debere, præmissa trina monitione, vel una pro omnibus cum aliquot dierum intervallis ex manifesta, et rationabili causa, nulla facta distinctione causarum, moderavit Concil. Trid. sess. 25, cap. 3, *de Reform.*, quo sancivit ut a censuris ecclesiasticis, et interdicto judices ecclesiastici abstineant in causis judicialibus ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentibus, sed eis liceat, etiam laicos compellere per multas pecuniarias, quæ locis piis ibi existentibus assignentur, sive etiam per privationem beneficiorum, seu per captionem pignorum, personarumque districtionem per suos proprios, aut alienos executores faciendam, aliaque juris remedia procedere, et causas definire. Quod si executio realis, vel personalis adversus eos hac ratione fieri non poterit, sitque erga judicem contumacia, tunc eos Episcopus etiam anathematis mucrone, arbitrio suo, præter alias pœnas ferire poterit.

[287] Vide not. 21, tom. 1, pag. 15.

[288] Nempe declarare fratrem Alexandrum, necnon P. Antonium, quatenus delictum habeatur pro notorio, et quatenus habeatur tantum pro publico, licere denunciare, id est, præcipiendo suis parochis, et subditis universis, ne eos admittant intra ecclesias sibi subjectas, et non conversentur cum eisdem : *In Regist. lit. eod anno.*

[289] Quod non possunt Episcopi declarare regularem, sicuti, et quemcumque alium ab illorum jurisdictione exemptum, percussorem clerici, esse excommunicatum vitandum, si percussio sit tantum publica; possunt tamen eum excommunicatum denunciare, etiam constat ex aliis resolutionibus S. C. Concilii, nempe *in Montulen.*, *Jurisdictionis*, 13 sept. 1675 (lib. 39, *Decret.* pag 147), ubi ad dub., « an Episcopus potuerit declarare incursum in censuras contentas in can. *Si quis* suadente *diabolo* 17, quæst. 4, sacerdotum N. subcollectorem, qui lethale vulnus publice intulit alteri sacerdoti, respondit, negative quoad declarationem; posse autem denunciare, juxta declarationem alias editam *die* 21 *julii* 1663, seq. ten. *Marsicen.*, *Jurisdictionis*. Ut subditos suos a commercio, et

8. Archiepiscopus Neapolitanus potuit cogere per censuras rectorem, seu ædituum ecclesiæ S. Angeli ad Nidum asserentem suam exemptionem ad interveniendum supplicationi, quam indixit occasione obitus Innocentii XIII, Sum. Pont., pro ope divina imploranda in electione recenti Pontificis : *Neapolitana*, 18 *novem*, 1724, *dub.* 2, confirmata 23 *martii ejusdem anni*, ac 21 *julii* 1742, *dub.* 3 [290].

9. Licuit vicario generali Pacensi mittere commissarios per tres vices ad instantiam fiscalis suæ curiæ contra abbatem collegiatæ ecclesiæ de Zafra, et contra eumdem judicialiter procedere etiam sub pœna excommunicationis : *Pacen.*, *Juris visitandi de Zafra*, 29 *januar.* 1729, *dub.* 2.

10. Facta controversia super competentia jurisdictionis, an liceat Episcopo Pacensi, ejusque curiæ, sicuti etiam abbati collegiatæ ecclesiæ de Zafra procedere ad censuras ; seu potius sit recurrendum ad metropolitanum, seu nuntium apostolicum ? S. Congr. ad mentem dixit : *Ibid.*, *dub.* 6.

11. Episcopum posse procedere ad pœnas canonicas contra præpositum, et capitulum ecclesiæ collegiatæ S. Agathæ ob non accessum ad synodum diœcesanam : *Cremonen.*, *Synodi*, 5 *april.* 1732, *dub.* 5, confirmata 19 *aug.* 1733.

12. Dubio excusso, an Episcopus potuerit suspendere ab excipiendis confessionibus sacramentalibus P. magistrum Frantini tunc conventus S. Francisci Min. Conv. guardianum alias ab eodem Episcopo approbatum, qui occasione visitationis contestatam denunciationem causa exemptionis emisit ? respondit affirmative, et ad mentem : *Regien.*, *Visitat.*, 14 *decem.* 1754, *dub.* 3.

§ XII.

Episcopus quoad onera in genere.

1. Viget consuetudo in aliquibus capitulis cathedralium, ut in admissione ad possessionem Episcopi singulis canonicis unum aureum solvant, canonici illius quartam partem. Quæritur utrum dicta consuetudo sit irrita declaranda ? et rescribitur consuetudinem hujusmodi esse sublatam per Concilium, cap. 4, sess. 24 [291], et per Const. S. Pii V, Pont. Max. [292], ideo non esse tolerandam : *Avenionen.*, 25 *octob.* 1586, *dub.* 20.

2. Planum fecit S. C. dubium, an manutentio soli archiepiscopalis, ornamentorum ad ipsum spectantium pertinent ad Archiepiscopum, vel potius ad sacrarium metropolitanæ, prout ad eumdem spectat omnis impensa pro confectione, et manutentione pontificalium ? decernens spectare ad Archiepiscopum : *Urbinaten.*, *Visit. sacr. Liminum*, 10 *martii* 1763, *dub.* 2.

3. Propter præceptum Episcopi Nolani, ut ecclesia S. Sebastiani a communitate, ac beneficiato, aut instauraretur, vel demoliretur tum ex difficientia suppellectilium, tum ex minitante ruina. Communitas, et beneficiatus prætendunt ipsum Episcopum teneri suis sumptibus iterum ædificare, et S. C. haud teneri Episcopum declaravit : *Nolana*, *Reædificat. ecclesiæ*, 5 *junii* 1700.

4. Miserrime in dies perire dicuntur in civitate, et diœcesi Adiacii infantes ante fores ecclesiæ cathedralis expositi, quum nullum adesset ad recipiendum hospitale. Idcirco communitas contendit multo jure id ad Episcopum pertinere, et dubium ad S. C. retulit, an Episcopus teneatur recipere, et alere pueros expositos ? rescriptum est : Dilata, et ad Card. Spinulam juxta mentem : *Adiacen.*, 20 *sept.* 1704.

5. Marsicanus Episcopus sacerdotem Sylvestrum de Philippis ad duo simplicia beneficia canonicatus nuncupata instituit, et postea ad aliud simplex beneficium, seu capellaniam perpetuam in eadem ecclesia existentem nominavit. Ad eorumdem beneficiorum titulum in sacris ordinibus fuit ab eodem initiatus. Inde inauditum eis privavit, eumdemque ab exercitio ordinum suspendit, donec de sufficienti patrimonio provideretur ; in dubium venit, num idem Episcopus prædictum ordinatum de sufficienti patrimonio providere teneretur ? ut audiatur Episcopus S. C. respondit : *Marsicana*, *Beneficiorum*, 24 *maii* 1710, *dub.* 2.

6. Sicut S. C. jam ante definiverat archipresbyterum S. Blasii olim S. Vittorini de Amiterno civitatis Aquilæ non posse retinere intra dictam urbem familiam armatam, carceresque, sed uti familia

communione cum iis, qui excommunicationis titulo sunt obstricti legitime retrahere possit, prout ecclesiastica disciplina postulare videtur, supplex quærit Episcopus, an sibi liceat, collectores nuntii apostolici publicos, et notorios clericorum percussores, quamvis ab Ordinarii jurisdictione exemptos, excommunicatos denunciare, S. C. censuit, licere. » Similiter *in Eysteten.*, 28 aug. 1649 (lib. 18 *Decret.*, pag. 667), censuit « commendatorem oppidi Elligani ordinis Theutonici, una cum complicibus, incidisse ipso jure in censuras ob retentionem, et carcerationem sacerdotis N., illosque potuisse ab Episcopo nedum moneri, verum etiam denunciari, ut ab aliis evitentur.

[290] Huic declarationi accessit Const. *Præclarum*, 4 octob. 1755 (*Bull. ejusd. Pont.* tom. 4, pag. 152). Benedicti XIV, qua declaratur qualis conveniat exemptio ab Archiepiscopi Neapolitani jurisdictione hospitali prædicto, ecclesiæ, ac personis. Et § 15 cautum est, ut rector, aliique sacerdotes hospitali addicti accedere ad processiones ab Archiepiscopo quocumque jure indictas non teneatur.

[291] Vide not. 158. tom. I, verb. *Canonici*, § VI.

[292] Vide not. 158, ut sup.

armata, atque carceribus episcopalibus, ita modo decernit Episcopum brachium, et carceres præstare teneri : *Nullius, seu Aquilana Jurisdict.*, 4 *maii* 1726, *dub.* 15.

7. Episcopus habens duas cathedrales ecclesias, ac residens in altera S. Angeli Lombardorum pro nonnullis controversiis depositarium in urbe Bisacciarum deputare tenetur : *Bisacciarum*, 15 *martii* 1738, *dub.* 7.

8. Quoad diœcesim Celsonensem fuit disceptatum, an Ordinarius teneatur licentia piis locis ob investimenta peragenda gratis, et absque ullo emolumento causa scripturæ, et causa laboris notarii, seu cancellarii concedere, et sit statuendus terminus ad illam impertiendam? S. C. dedit responsum affirmativum ad primam partem, et quoad secundam statuendum esse terminum 20 dierum præcepit, licet synodalis constitutio refragarétur : *Celsonen.*, 22 *julii* 1741, *dub.* 3.

9. Episcopus Alexani illa communis massæ ecclesiæ cathedralis capituli subire tenetur onera, quæ subire solitus erat : *Alexanen.* 1 *sept.* 1742, *dub.* 2.

10. Episcopus Casani in casu de quo agitur non tenetur restituere ducatos 30 exactos ob prætensam non confectam *Plateam*, sive inventarium de reditibus ecclesiæ a presbyteris ecclesiæ receptitiæ S. Nicolai terræ Castellucci, sub qua pœna idem Episcopus eosdem presbyteros adstrinxit : *Cassanen., Visitat.*, 14 *junii* 1749, *dub.* 6, confirmata 6 *decem. ejusd. anni.*

11. Episcopus Nebbiensis gravissima suspensionis pœna affecit, aliaque pecuniaria mulctavit archidiaconum Antonium Gentili ecclesiæ cathedralis, qui propria jura tuebatur, quique febri, et adversa valetudine detentus præcepto imposito redeundi statim ad residentiam obtemperare non potuit. Idem Episcopus quoad expensas tenetur ad restitutionem scut. 100, in reliquis quoad damna, et interesse ad sacrarium : *Nebbien*, 17 *novem.*, 1753, *dub.* 4. Inde S. C. quoad restitutionem scut. 100 remisit ad secretarium juxta mentem : 9 *febr.* 1754.

12. Episcopus haud tenetur deputare sumptibus propriis alium sacerdotem præditum facultate absolvendi pœnitentes a casibus reservatis, quum ipsam facultatem delegasset canonico pœnitentiario, qui ob ingravescentem ætatem, ac morbosam valetudinem, atque ob aliud officium, quo fungitur onus minime ferre posse affirmavit. Ita S. C. suum consilium explicavit, addiditque ad mentem : *Pisauren., Casuum reservat.*, 21 *novem.* 1761, *dub.* 2.

13. Archiepiscopum Trani ad contributionem, et manutentionem seminarii a se erecti teneri, deducto quod impendit idem in contributionem ducat. 600; nulla adest difficultas in S. C.; presertim quum idem ultro, libenterque reditus suæ mensæ taxæ submittat, licet dictos reditus ab ea immunes tueri posse autumaret : *Tranen., Taxæ seminarii*, 14 *januar.* 1759, *dub.* 1.

14. Baldassinius Episcopus Balneoregii, qui litteris apostolicis obstrictus specialiter fuit ad reparationem cathedralis, ad aliam cathedralem translatus, ad neglectam reparationem primæ teneri jubetur ad formam peritiæ : *Balneoregien., Ecclesiæ cathed.*, 17 *aug.* 1776, *dub.* 1.

15. Ad eumdemque etiam pertinere tam urbanorum, quam rusticorum prædiorum omissas instaurationes exponit S. C., dempto eo, quod exactum fuit ex gratia Sanctissimi, juxta liquidationem faciendam coram secretario : *Ibid.*, *dub.* 2.

§ XIII.

Episcopus quoad parochias, earumque rectores.

1. S. C. censuit examen, et edicta proponere, et alias provisiones facere juxta cap. 18, sess. 24 [293], in nonnullis locis nullius diœcesis, ac ut præfertur, libera exempta, ac Cassinensibus abbatibus plenariæ quoad jurisdictionem spiritualem tantum subjecta, spectare ad Episcopum tantum, et non ad alium inferiorem, non obstante quacumque consuetudine, etiam immemorabili; etsi inferior ex immemorabili haberet hoc jus cumulative cum Episcopo in loco suæ jurisdictionis, dummodo in ipsius Episcopi diœcesi parochialis posita sit. Quod si parochialis non sit intra fines diœcesis alicujus Episcopi, et inferior Episcopo omnimodam habeat jurisdictionem episcopalem, nec alicui subdatur, sed est immediate subjectus Sedi Apostolicæ, nullius diœcesis proprium territorium habens, si habeat jus congregandi synodum, et legitime constet, et illam congregasse, et congregare, et elegisse, et eligere examinatores, poterit concursum instituere, examinare, et adprobare, œconomos vicarios deputare, et alia facere, quæ præscribuntur cap. 18, sess. 24 [294] : *Cassinen., febr.* 1558, *dub.* 5.

2. Censuit S. C. personas, sive seculares, sive regulares animarum curam exercentes in ecclesiis sive domibus regularium etiam ordinum militarium

[293] Gallemart ad dictum cap. 18 *de Reform.*, ad verba ***debeat Episcopus statim***, num. 8, pag. 265 ait : « Hoc examen agere, edicta proponere, et alias provisiones facere, prout in hoc decreto, spectat tantum ad Episcopum, et non ad alium inferiorem, vel capitulum; non obstante etiam quod ipse inferior ex immemorabili consuetudine haberet hujusmodi jus cumulative in loco suæ jurisdictionis (dummodo in ipsius Episcopi diœcesi parochialis posita sit), etiam vicarium constituere, et omnia alia facere, nisi inferior Ordinario haberet jus congregandi synodum. »

[294] Vide not. præced.

vigore cap. 11. sess. 25, *de Regul.* [295], subesse immediate in his, quæ ad dictam curam, et sacramentorum administrationem pertinent, jurisdictioni, et correctioni Episcopi : *Guardien.*, 22 *sept.* 1600, *dub.* 1.

3. Quamdiu prælatus inferior legitime non probaverit, se omnimodam jurisdictionem quasi episcopalem habere, ad Archiepiscopum Theatinum dumtaxat spectare de causis absentiæ parochorum cognoscere, illisque abscedendi facultatem impertiri, atque in ipsorum locum vicarios sufficere, prævio examine approbandos, deciditur : *Theatina*, 26 *sept.* 1615, *dub.* 3.

4. Episcopos successores posse, superveniente rationabili causa, iterum ex officio, etiam extra visitationem examinare parochos alias ad ecclesias parochiales approbatos, statuitur : *Placentina*, 26 *aug.* 1628, dub. 1.

5. Episcopum potuisse edicere, ne curati sine ejus licentia abesse possint, decretum prodiit : *Terracinen.*, 19 *febr.* 1628, *dub.* 1.

6. Similiter posse Episcopum edicere, ne ex diœcesi absint sine illius licentia, quam tamen ipse absque rationabili causa denegare non debet, S. C. indicavit : *Ibid.*, *dub.* 3.

7. Hujusmodi prohibitiones sub pœna pecuniaria esse Episcopo permissas contra parochos, et curam animarum habentes, perspicuum fecit : *Ibid.*, *dub.* 5.

8. Mandat S. C. ut Episcopus providere debeat pro suo arbitrio et prudentia, prout loci qualitatem exigere cognoverit circa parochos ecclesiarum collegiatæ civitatis annexarum, qui quum commorentur in civitate, curam spiritualem prætermittunt : *Aquilana*, 27 *april.* 1630, *dub.* 2.

9. Præcepit S. C., ut Episcopus opportunis remediis juxta sacrorum canonum, et sacri Concilii dispositionem provideat, ut rectores, seu vicarii ecclesiarum parochialium mensæ capitulari, vel regularium monasteriis unitarum apud eas continuo resideant, et munus suum laudabiliter exerceant : *Eugubina*, 12 *novem.* 1633, *dub.* 7.

10. Episcopos successores superveniente rationabili causa, posse etiam ex officio iterum examinare tam in visitatione, quam extra parochos, quamvis regulares approbatos tempore provisionis parochialium S. C. putavit : *Nullius*, 13 *januar.* 1635.

11. Declaravit S. C. parochos regulares subesse correctioni Episcopi in his quæ ad curam, et sacramentorum administrationem pertinent : *Colimbrien.*, 16 *julii* 1639, *dub.* 1.

12. Dubio prolato, an litteræ abbatis ita suffragentur, ut eas obtinentes a sui Ordinarii jurisdictione exempti censendi sint? responsum est non suffragari : *Teanen.*, *et Casertana*, *Prætensæ exempt.*, 20 *decem.* 1664.

13. Ad instantiam Episcopi Pampilonæ S. Ç. aperuit suam sententiam, posse Episcopum examinare parochos, et rectores semel approbatos ad curam animarum, quando adest vehemen suspicio de illorum imperitia : *Pampilonen.*, *Examinis*, 15 *januar.* 1667, *dub.* 1.

14. Inde posse eumdem ad hujusmodi examen procedere etiam extra visitationem mandavit : *Ibid.*, *dub.* 2.

15. Atque ad dictum examen faciendum haud necesse esse, ut judiciales probationes imperitiæ præcedant, resolvit : *Ibid.*, *dub.* 3.

At quum nonnulli parochi eluderent exequutionem dictarum declarationum cum inhibitionibus, præsertim rotalibus, ideoque habito recursu pro parte Episcopi ad auditorem Sanctissimi, et remissa ab eo causa ad S. C. idem Episcopus supplicat sibi mandari, ut procedat non obstantibus dictis inhibitionibus. S. C. autem inspecto rescripto auditoris Sanctissimi censuit committendum prout harum vigore committit Episcopo Pampilonæ, ut juxta præinsertas S. C. declarationes exequatur, ut procedat non obstantibus dictis inhibitionibus : 1 *sept.* 1668.

16. Deinde supplicavit idem Episcopus ulterius declarari, an in actu visitationis diœcesis possit Episcopus examinare parochos quotquot visitat; etiamsi contra illos, vel aliquem ipsorum non vigeat suspicio imperitiæ? respondit negative : 22 *ejusd. mensis, et anni.*

[295] Hoc decretum, statuens tam seculares, quam regulares exercentes in seculares personas animarum curam in iis ecclesiis, quæ monasteriis, seu domibus regularium virorum, aut mulierum annexæ sunt, immediate subesse debere in pertinentibus ad dictam curam, et sacramentorum administrationem jurisdictioni, visitationi, et correctioni Episcopi diœcesani : ad tollendam sinistram ejusdem decreti interpretationem, a nonnullis excogitatam, quod nempe afficiat tantum solos parochos, non vero sacerdotes ab episcopali jurisdictione exemptos, si aliqua sacramenta ad parochum pertinentia sine Episcopi et ejusdem parochi licentia administrarent, ampliatum, et declaratum est a Gregorio XV, Const. *Inscrutabili*, 5 febr. 1622 (*Bull. Rom.* tom. 5, part. 5, pag. 1), § 4. Ex Const. S. Pii V, *Exposcit*, 22 sept. 1571 (*Bull. Rom.* tom. IV, part. 3, pag. 180) Episcopi jurisdictioni subsunt parochiales ecclesiæ, etiam fratrum militum S. Joan. Hierosolymitani quoad animarum curam, et sacramentorum administrationem. Et idem Pontif. Sum. antea Const. *Etsi cuncta*, 29 novem. 1568 (*Bull. Rom.* tom. ibid. pag. 47) § 7, confirmando privilegia dictis fratribus militibus concessa excepit ecclesias, et personas, in iis quæ ad curam animarum pertinent. Et similiter habetur, in Const. *Quanta*, 30 apr. 1591 (*Bull. Rom.* tom. 5, part. 1, pag. 260) § 10, Gregorii XIV.

17. Questi sunt parochi civitatis, ac curati suburbiorum, quod vocati fuerant coram Episcopo ad se subjiciendum novo examini super materia confessionis, et cæremoniarum Missæ; et S. C. respondit, quod darentur decreta [296]: *Cajetana*, 18 *novem.* 1684.

18. Totalis, et omnimoda jurisdictio spiritualis ordinaria in populum, et parochiæ incolas ecclesiæ parochialis Hospitaletti spectat ad Episcopum tamquam illius Ordinarium diœcesanum: *Lauden., Jurisdict.*, 1 *decem.* 1691, *dub.* 1, confirmata 20 *sept.* 1692.

19. Vicarii, seu curati dictæ ecclesiæ deputati per P. Generalem ad curam animarum dicti loci tenentur recipere approbationem ab Episcopo Laudensi prævio examine: *Ibid., dub.* 3. Sed inde recessit a decisis, et non teneri respondit: *Ibid.*

20. Et curati, seu vicarii nequeunt audire confessiones personarum dicti populi sine licentia, et approbatione Episcopi: *Ibid., dub.* 4. Sed inde recedendo a decisis posse rescripsit: *Ibid.*

21. Neque ceteri sacerdotes possunt audire confessiones personarum præfatarum cum sola licentia Generalis absque licentia, et approbatione Episcopi: *Ibid., dub.* 5; et recedendo etiam a decisis affirmativum dedit responsum, ideoque posse dummodo eligat ex alias approbatis per Episcopum: *Ibid.*

22. Neque dicti curati, seu confessarii possunt confitentes absolvere a casibus Episcopo reservatis: *Ibid., dub.* 6. confirmata *ibid.*

23. Perpenso dubio, an iidem vicarii, seu curati renuentes synodo diœcesanæ, et congregationibus casuum conscientiæ intervenire cogi, et puniri possint ab Episcopo? respondetur in casibus resolutis in favorem Episcopi affirmative: *Ibid., dub.* 11, confirmata *ibid.*

24. Episcopus nequit inhibere parochis, et vicariis parochialium ecclesiarum, tam secularium, quam regularium, ne extra eorum parochias audiant confessiones suorum fidelium: *Burgi, S. Sepulchri Jurisdict.*, 20 *sept.* 1698, *dub.* 3.

25. Neque potest prohibere eisdem parochis, et vicariis, ne in eorum parochiis audiant confessiones suorum parœciæ fidelium: *Ibid., dub.* 4.

26. Super ecclesiis parochialibus, quarum reditus deductis oneribus non attingunt congruam parochis de jure debitam, non potest archiepiscopus Amalphitanus, in casu de quo agitur, imponere taxam, seu mediam decimarum in favorem seminarii. Hoc decretum emanavit a S. C. die 18 julii 1699, et confirmavit *in Amalphitana*, 6 *febr.* 1700, *dub.* 2.

27. Quæstione perpensa, an Episcopus Miletensis in ecclesiis, quæ in solo Lateranensi sitæ sunt, intra fines suæ diœcesis existentibus, exercere valeat ordinariam jurisdictionem quoad provisionem parochialium, aliorumque respicientium curam animarum, et administrationem sacramentorum? S. C. respondit, quoad primam partem affirmative, quoad institutionem *autorizabilem* tantum; quo vero ad secundam partem affirmative: *Mileten.* 13 *maii* 1702, *dub.* 5, confirmatum, et additum est ad secundam partem dubii jure delegato tantum: 27 *novem.* 1703, *dub.* 6.

28. Super jurisdictionali controversia vertente inter magnum priorem Bohemiæ Hierosolymitanæ religionis, et Archiepiscopum Pragensem S. C. plane explicavit suum consilium, ut penitus intelligatur, nempe pro exemptione a jurisdictione ordinaria Archiepiscopi non sufficit sola nominatio, seu deputatio pro presbyteris secularibus facta a superiore Joannis Hierosolymitani in ecclesiis dicti Ordinis pro cura animarum, quamvis ex causa non admitteretur ab Archiepiscopo; sed requiritur admissio, approbatio, et licentia Archiepiscopi, sive ejus consistorii ad curam animarum, et administrationem sacramentorum: *Pragen., Jurisdict.*, 14 *jan.* 1708, *dub.* 1, confirmata 9 *junii ejusd. anni, dub.* 1.

29. Et præfati nominati, seu deputati ad dicta beneficia curata tenentur subire examen, et professionem fidei emittere ad formam Concilii [297] coram Archiepiscopo, sive ejus consistorio, antequam animarum curam exerceant: *Ibid., dub.* 2, confirmata *ibid.*

30. Iidemque coram dicto Archiepiscopo, sive

[296] Vide præsenti § num. 4, 10, 13, 14, 15 et 16.

[297] Sess. 24, cap. 12, *de Reform.*, ubi habetur: « Cum dignitates... provisi etiam de beneficiis quibuscumque curam animarum habentibus, teneantur a die adeptæ possessionis ad minus intra duos menses, in manibus ipsius Episcopi, vel eo impedito, coram generali ejus vicario, seu officiali, orthodoxæ suæ fidei publicam facere professionem, et in Romanæ ecclesiæ obedientia se permansuros spondeant, ac jurent. Provisi autem de canonicatibus, et dignitatibus in ecclesiis cathedralibus, non solum coram Episcopo, seu ejus officiali, sed etiam in capitulo, idem facere teneantur: alioquin prædicti omnes provisi, ut supra, fructus non faciant suos; nec illis possessio suffragetur. »

Huic decreto accessit Const. Pii IV, *Injunctum*, 13 novem. 1564 (*Bull. Rom.* tom. 4, part. 2, pag. 204), statuens ad eam teneri etiam prælatos regulares; quæ tamen non est usu recepta quoad illos prælatos, qui regularium regimini præficiuntur a capitulis, seu a suis superioribus, non a S. Sede, atque altera ejusdem Pontificis Const. *In Sacrosancta*, 13 nov. 1664 (*Bull. Rom.* tom. ibid. pag. 201), statuens § 5, ad eam pariter teneri promovendos in magistros, doctores, et artium liberalium professores, sive clerici sint, sive laici. Deinde in locis, quos complectitur Concil. Rom. celebratum a Bened. XIII anno 1725, ejusdemque decreta accesserunt. Et hæc secunda Const. § 9 tradit formulam fidei professionis.

ejus consistorio tenentur præstare juramentum ad curam animarum debite obeundam : *Ibid., dub.* 3, confirmata *ibid.*

31. Et dicti nominati, seu deputati in dictis ecclesiis, postquam reportaverint ab Archiepiscopo licentiam pro exercenda cura animarum, tenentur se conformare ad constitutiones synodales, et ordinationes, consistoriales quoad omnia in ordine ad sacramentorum administrationem, et curam animarum : *Ibid., dub.* 5, confirmata *ibid.*

32. Nec dictis presbyteris secularibus, ut supra nominatis, seu deputatis in præfatis ecclesiis, et ab Archiepiscopo examinatis tenetur idem Archiepiscopus concedere licentiam, ad curam animarum exercendam : *Ibid., dub.* 6.

33. Et in hujusmodi licentiis Archiepiscopus valet sibi reservare facultatem eam revocandi ad sui beneplacitum : *Ibid., dub.* 7.

34. Sed debet eam pure, et simpliciter concedere : *Ibid.*

35. Ac Archiepiscopus debet exprimere se procedere auctoritate delegata, dum procedit contra dictos presbyteros exercentes curam animarum ; ita ut, hoc non expresso, non tenentur illi ei obedire etiam in respicientibus animarum curam : *Ibid., dub.* 8, confirmata *ibid.*

36. Et dubio excusso, an Archiepiscopus prædictos presbyteros exercentes curam animarum in casu quo illi non obediunt ejus præceptis, possit plectere pœna revocationis licentiæ exercendi animarum curam? S. C. respondit, ut recurrat in casibus particularibus : *Ibid., dub.* 9.

37. Et præfati presbyteri pro servitio dictarum ecclesiarum valent assumere capellanos pro celebratione Missarum in eisdem ecclesiis sine licentia Archiepiscopi : *Ibid., dub.* 10.

38. Inde sancivit dictum Archiepiscopum sive ejus consistorium pro prædictis exigendis procedere nequire jure ordinario, sed delegato : *Ibid.*, 9 *junii* 1708, *dub.* 2.

39. Sollicitus Episcopus Legionensis ut a dignis, atque idoneis parochis animarum salus gubernetur, commonefecit S. C. in relatione status suæ ecclesiæ malum satis deplorabile contingere in sua diœcesi, quum vacantibus parochialibus ecclesiis non alii se offerant concursui, quam miserabiles filii provinciæ, qui nullo alio sunt exculti studio, quam rudis grammaticæ, et summæ moralis idiomate vernaculo compositæ, quam memoriæ mandant, ut in concursu possint assequi approbationem ; concluditque nullam aliam viam superesse occurrendi huic malo, quam sibi, et aliis Episcopis in eadem necessitate constitutis facultatem impertiendo diœceseos parochos denuo vocandi ad examen, appellatione remota, præsertim ut obtenta parochia illi studia non omnino derelinquant. S. C. mandavit, ut dentur decreta [298] : *Legionen., Visitat. sacr. Liminum,* 15 *decem.* 1725.

40. Exequenda est resolutio diei 15 januar. 1667; ita ut licet Episcopo Constantiensi amovere regulares exercentes curam animarum. Nam magnus prior Alemaniæ ordinis Hierosolymitani, prævio examine, et adprobatione commissarii curiæ episcopalis Constantiensis in oppido Friburgi commorantis, curam quinque parochialium ecclesiarum, nimirum Heitersheim, Grrissen., Bremgastem, Schlat, et Espach, quæ ad magnum illius prioratum spectant, nonnullis religiosis ex seraphico ordine Minorum conventualium commisit : *Constantien.*, 20 *novem.* 1734, *dub.* 1.

41. Exposuit Legionensis Episcopus sibi compertum esse, ut aliqui ex parochis suæ diœceseos otio ita torpeant et eruditionis omnino expertes sint, ut ad pascendas oves penitus inhabiles evadant, et cupit planum facere, an Episcopus parochos tam a suis prædecessoribus, quam a se examinatos, et approbatos ad novum examen revocare valeat? S. C. respondit juxta votum Card. Bellugæ, cui ipsa S. C., ut sententiam suam desuper aperiret, commisit : *Legionen., Dubiorum,* 24 *julii* 1734, *dub.* 1.

42. Inquirit etiam, an possit ad examen revocare parochos tam generaliter in visitatione, quam particulariter extra illam ; et juxta pariter ejusdem Card. votum fuit responsum : *Ibid., dub.* 2.

43. Quærit tertio idem Episcopus, an valeant ad hoc parochorum examen devenire ex propria et privata suspicione inscitiæ, et secundum quod pro quiete conscientiæ suæ necessarium judicaverit, etiam nulla prævia ejusdem defectus delatione, rumore, aut infamia ? et responsum tulit ut supra : *Ibid., dub.* 3.

44. Requirit quarto, an quatenus parochi ex sola imperitiæ suspicione nequeant ad examen revocari quoad scientiam, possint tam in visitatione, quam extra, examinari quoad sacros ritus, et ea, quæ sunt necessaria ad rite, et recte sacrosanctum Missæ sacrificium celebrandum ? et idem tulit responsum : *Ibid., dub.* 4.

45. Exhibuit quinto, an appellatione non obstante, possit parochos recusantes examen subire, in casibus prædictis compellere per censuras, vel per suspensionem ab officio, deputando vicarios temporales cum assignatione congruæ? et responsum itidem fuit juxta votum Card. Bellugæ : *Ibid., dub.* 5.

46. Refert etiam ad S. C. an idem examen ex-

[298] Vide præsenti §, num. 4, 10, 13, 14, 15 et 16.

plere valeret per seipsum, aut suum vicarium generalem, vel potius intervenire debeant examinatores synodales? simile quoque habuit responsum: *Ibid.*, *dub.* 6.

47. Et ad dubium denique, an casu, quo parochi per viam apellationis a reverendissimo Nuntio approbati parochialia beneficia obtinuerint, qui deinde quadriennio, vel quinquennio elapso vel ultra annum illis a jure concessum ad sacrum presbyteratus ordinem suscipiendum ex defectu litteraturæ incapaces judicentur, etiam benigne examine sæpius repetito, valeat Episcopus eos beneficiis privare, vel potius eos tolerare debeat in possessione, et perceptione fructuum, deputando vicarios temporales pro exercitio curæ animarum? S. C. rescripsit: Dilata, et videatur particulariter: *Ibid.*, *dub.* 7.

48. Vercellensi Episcopo post institutionem ab exequutore relatam in vim litterarum apostolicarum in forma gratiosa, vicarium perpetuum novo examini subjicere, novamque ei institutionem concedere potestas minime data est: *Vercellen.*, *Jurisdict.*, 9 *julii* 1735, *dub.* 4.

49. Episcopum Policastrensem ex sacerdotibus parochialis, et receptitiæ ecclesiæ S. Nicolai oppidi Laureæ participantibus quosdam pro audiendis sacramentalibus confessionibus in numero sibi beneviso seligere posse, concluditur: *Policastren.*, *Procurat.*, 1 *junii* 1737, *dub.* 5.

50. Episcopum Miletensem manutenendum esse quoad duo oppida Melicucca, et Drusium nuncupata, quæ sacræ religioni Hierosolymitanæ, ejusque commendatariis quoad temporalia subjacent, in jure cogendi capellanos curatos dictarum commendarum ad interveniendum diœcesanæ synodo, ejusque constitutiones observandas, resolvitur: *Mileten.*, *Jurisdict.*, 3 *aug.* 1743, *dub.* 12, confirmata 23 *novem. ejusd. anni.*

51. Necnon declaratum eumdem Episcopum, non vero commendatarios dictorum oppidorum, manutenendum esse in jure examinandi, et approbandi vicarios curatos, qui a dictis commendatariis deputantur: *Ibid.*, *dub.* 17, confirmata *ibid.*

52. Contra Petrum Joannelli archipresbyterum ecclesiæ parochialis S. Sophiæ oppidi Gradariæ, ob crimina quæ ei imputarunt, curia episcopalis prævio processu ad remotionem ejusdem devenit; et inde S. C. non esse locum privationi parochiæ decrevit, et per tres menses exercitiis spiritualibus condemnavit. His peractis ead. S. C. ad parochiam redintegrandum censuit. Modo latet, an, et quomodo sit providendum in posterum quoad jurisdictionem Episcopi Pisauri erga ipsum archipresbyterum? et rescriptum est, ut Episcopus ad actus irretractabiles contra archipresbyterum inconsulta S. C. non deveniat: *Pisauren.*, *Parochialis*, 20 *januar.* 1759, *dub.* 2.

53. Vicarii curati ecclesiarum parochialium locorum Rhodii, et S. Mauri, quæ ad religionem Hierosolymitanam spectant, a bajulivo dictorum locorum præsentati examinandi, et adprobandi sunt ab Episcopo: *Caputaquen.*, 2 *aug.* 1760, *dub.* 2, confirmata 17 *januar.* 1761.

54. Œconomi vero provisionales in ecclesiis prædictis ab Episcopo sunt deputandi: *Ibid.*, *dub.* 3.

55. S. C. planum fecit, ac perspicuum, Episcopum esse parochum ecclesiæ cathedralis solius in civitate, et territorio Andriæ parochialis, quoad omnes effectus, non vero capitulum cathedralis ejusdem: *Andrien.*, 23 *april.* 1763, *dub.* 1. Reproposito inde dubio et plenius illustrato, censuit, prævio recessu a decisis, curam animarum habitualem esse penes capitulum: 26 *nov. ejusd. anni*, confirmata 12 *maii* 1764.

56. Inde resolvit in omnibus supplicationibus, etiam solemnibus, et funebribus explendis a presbyteris ecclesiæ S. Nicolai coadjutricis parochialis cathedralis servitio adscriptis, non tantum ab Episcopo, sed etiam a capitulo unico parocho, quoad supplicationes tantum extra ambitum agendas petenda est, et obtinenda licentia: *Ead. causa*, 24 *januar.* 1767, *dub.* 14, confirmata 19 *sept. ejusd. anni.*

57. Episcopo Balneoregiensi examen parochi ecclesiæ S. Joannis Baptistæ castri Lubriani a monialibus monasterii S. Bernadini civitatis Urbevetanæ præsentati commissum fuit: *Balneoregien. et Urbevetana*, 7 *junii* 1777.

§ XIV.

Episcopus quoad piarum dispositionum exequutionem.

1. Relatum est ad S. C., an Episcopus saltem ex facultate sibi a Concilio tributa, cap. 4, sess. 25, possit diminuere onus a testatore impositum hæredibus, ut certis diebus, Missas et anniversaria celebrare faciant, ut eleemosynas pauperibus erogent propter eas ab ipso Concilio ibidem consideratas?

2. An ubi similibus oneribus gravati fuerunt in fundatione beneficiati futuri, si fructus beneficiorum non sufficiant dictis oneribus sustinendis, vel eleemosynis erogandis, quas pauperibus præstare a fundatore jussi sunt, possit Episcopus ex dicto cap. 4, Missas, et anniversaria reducere, et eleemosynas diminuere? rescripsit ad utrumque non competere Ordinario hujusmodi facultatem ex cap 4, sess. 25 [299]: *Cremonen.*, *junii* 1586, *dub.* 1 et 2.

[299] *De Reform.*, ubi quoad magnum Missarum celebrandarum numerum ex variis defunctorum relictis imposi-

3. Et quatenus possit anniversariorum, ne potius an Missarum, vel magis eleemosynarum reductio facienda? rescripsit, quatenus ab habente potestatem reductio facienda sit, reducendas potius eleemosynas, quam Missas : *Ibid.*, *dub.* 3.

4. Non a solo Episcopo uno ex exequutoribus subscribenda est schedula distributionis subsidiorum dotalium, quas reliquerat sacerdos Joannes Juvenazzi, sed ab omnibus Montis Pii ab eorum fundati exequutionibus : *Castellaneten.*, 27 *april.* 1748, *dub.* 6, confirmata 8 *maii* 1751.

5. Episcopum Regiensem quoad peculium anno 1635 ordinatum a Julio Costa, et ab pauperrimis agricolis mutuandum, erectum prout de jure servatis servandis procedere posse statuitur : *Regien.*, *Visitat.*, 14 *dec.* 1754, *dub.* 3.

§ XV.

Episcopus quoad sacras pontificales functiones, earumque cæremonias.

1. Quoad Episcopi pontificalia statuit S. C. servandam esse consuetudinem cujusque ecclesiæ, deque consuetudine nisi constet, servandum esse id quod præscribitur in pontificali, et non obstante quacumque consuetudine Episcopo in pontificalibus celebranti teneri canonico deservire pro diacono, et subdiacono : *Abulen.*, *anni circiter* 1582, *dub.* 2.

2. Insuper Episcopo Missam pontificalem, et alia pontificalia celebrandi extra civitatem, etiam extra cathedralem ecclesiam, teneri eosdem assistere et inservire, qui solent eidem exercenti pontificalia in cathedrali, resolvitur : *Ibid.*, *dub.* 3.

3. Et ad quæsitum, an assistentes prædicti debeant esse omnes dignitates, et canonici, sive illi quos Episcopus nominaverit? censuit ut supra respondere : *Ibid.*, *dub.* 4.

4. Quoad eminentiam sedis Archiepiscopi prope altare, servandum quod in ecclesiis metropolitanis Hispaniarum in usu est : *Burgen.*, *anni circiter* 1582, *dub.* 2.

5. Inde postulatur quid agendum, quando Archiepiscopus celebrat in pontificali, sive Missam audit in sua sede eminenti prope altare? S. C. censuit non esse recedendum a præscripto pontificali[300] : *Ibid.*, *dub.* 3.

6. Insuper pontificale, et diœcesanus concordant in eo, quod ministri baculi, mitræ, et libri sint capellani simplices? respondetur non esse munus assistentium, seu canonicorum, sed capellanorum ipsius Archiepiscopi, seu ecclesiæ, ut teneant insignia pontificalia, ut baculum, mitram, et librum, dum illis Archiepiscopus non utitur, et de manibus capellanorum debere assistentes illa sumere, et Archiepiscopo ministrare, et quando eadem insignia per ipsos assistentes amoventur, pariter in eorum capitulorum manibus esse deponenda : *Ibid.*, *dub.* 4.

7. Deinde quoad delationem crucis servandam esse consuetudinem, quæ in aliis vicinis ecclesiis metropolitanis servatur, statutum est : *Ibid.*, *dub.* 5.

8. Et quoad attinet cæremonias, et ritus inhærendum esse iis quæ disponuntur in missali romano ex præscripto Concilii Tridentini jussu S. Pii V, Pont. Max., editi, et pontificali [301] sancitur : *Ibid.*, *dub.* 6.

9. Episcopus confert ordinationes generales ut plurimum in quadam capella sui palatii, et si quando illos in cathedrali conferat, id in capella remota, et obscura, nulla præcedente denunciatione, nec vocatis aliquibus canonicis facit contra formam cap. 8. § *Ordinationes*, sess. 23 [302], *de Reform.*, hinc S. C. consulta, respondit ordinationes sacrorum Ordinum in cathedrali ecclesia vocatis, præsentibusque ad id ecclesiæ canonicis publice cele-

tum, qui nequeat satisfieri, vel eleemosynæ pro illis Missis adeo tenues sint, ut non inveniatur, qui velit onera subire; arbitrio, conscientia Episcoporum, abbatum, et generalium ordinum remittitur statuendi omne quod magis expedire judicaverint. Huic decreto derogatum est ab Urbano VIII, Const. *Cum sæpe*, 21 junii 1625 (*Bull. Rom.* tom. 5, part. 5, pag. 335), in decretis de celebrat. Miss. § 1, statuente pro utroque casu a Concilio expresso adeundam esse Sedem apostolicam, si talia onera imposita sint aut post Trid., aut etiam in limine fundationis. Et hoc locum habet, etiamsi legatum relictum pro Missis celebrandis esset ita tenue, et nondum ab ullo acceptum fuisset, ut legitur post Const. Urbanam ; ac etiamsi nec esset qui vellet illud subire, uti declaravit S. C. Concilii *in Lucana*, *Onerum Missarum*, 20 *junii* 1682 (Lib. 32 *Decret*).

[300] Romano Clementis VIII, et Urbani VIII, jussu edito, recognito postea, et castigato a Benedicto XIV, Const. *Quam ardenti*, 25 martii 1752. Ubi enumerantur functiones omnes episcopales, et exequutionis earum methodus declaratur.

[301] Vide not. præcedentem.

[302] Ubi ita mandatur : « Ordinationes sacrorum Ordinum statutis a jure temporibus, ac in cathedrali ecclesia, vocatis præsentibusque ad id ecclesiæ canonicis, publice celebrentur : si autem in alio diœcesis loco, præsente clero loci, dignior, quantum fieri poterit, ecclesia semper adeatur. »

Quod autem spectat ad præceptum publice peragendi sacrorum Ordinum collationem in ecclesia cathedrali, vel in alio diœcesis loco, ut injungitur in mox cit. cap. 8. S. C. Concil. *in Meliten.*, 20 nov. 1592, censuit, si non fuerit ordinatio generalis, sed tantum aliquarum personarum, potest ubique Episcopus eam habere etiam in capella sua privata ut lib. 7 *Decret.*, pag. 97.

brari debere in cap. 8, sess. 23 [303] : *Gurenden*, *Extort., mense febr.* 1588, *dub.* 10.

10. Archiepiscopo solemniter celebrante Missas, aut vesperas in ecclesia Burgensi, ipse qui obtinet primam dignitatem debet Archiepiscopo ministrare in officio presbyteri assistentis indutus pluviali, et, eo legitime impedito, secunda dignitas : *Burgen.*, 6 *octob.* 1625, *dub.* 1.

11. Archidiaconus ecclesiæ assistat a dextris Archiepiscopo solemniter, ut supra celebranti, vel, eo legitime impedito, assistat a dextris antiquior diaconus ex canonicis indutus dalmatica ; alter vero ei proximus canonicus diaconus a sinistris eodem habitu vestitus ; idque intelligitur etiam si ipsi diaconi canonici haberent dignitates ; non autem de aliis dignitatibus, quæ ab aliis non canonicis illius ecclesiæ obtinentur : *Ibid.*, *dub.* 2.

12. Archiepiscopo solemniter Missam celebrante præter supradictos assistentes, duo ex canonicis diaconis (nisi inter canonicos sit ordo subdiaconatus, quia tunc unus canonicus ex his cantabit epistolam) cantabunt epistolam, et evangelium parati, nec refert, an sit de antiquioribus, vel junioribus ; hoc enim, vel secundum consuetudinem, vel arbitrio archidiaconi, seu antiquioris diaconi eo impedito regulatur, nisi Archiepiscopo aliter videbitur ; ita ut æqualiter per annum hujusmodi onus inter ipsos canonicos diaconos dividatur, quod si antiquiores in hoc administrarent, tunc alii proximiores canonici ejus ordinis servient in officio assistentiæ : *Ibid.*, *dub.* 3.

13. Acolyti seu ministri servientes de mitra, baculo, thuribulo, ampullis, et ceteris rebus ad officium Missæ, aut vesperarum spectantibus sint de gremio ipsius ecclesiæ, non tamen canonici, et Archiepiscopo celebrante eligantur digniores, qui ista porrigunt assistentibus, e quorum manibus accipiat Archiepiscopus : *Ibid.*, *dub.* 4.

14. In supplicationibus autem Archiepiscopo pontificaliter incedente iidem assistant, qui in Missa et vesperis pontificalibus : *Ibid.*, *dub.* 5.

15. Tam Archiepiscopo celebrante, quam non, unus ex portionariis ecclesiæ teneat librum supra caput dum prælatus legit, aliter vero similis, et non canonicus, teneat candelam, et primus assistens coadjuvare, quando Archiepiscopus cantat : *Ibid.*, *dub.* 6.

16. Cæremoniarum debere intelligi pontificalia, 3 aug. 1583 definitur : *Ibid.*, *dub.* 7.

17. Episcopus Bobiensis refert ad S. C., et præsertim de celebratione Missarum pontificalium ipsius, et de erectione umbrellæ in ecclesiis regularium, et examen remissum fuit ad S. C. Rituum pro celeri resolutione [304] : *Bobien.*, 16 *martii* 1630, *dub.* 3.

18. Juxta morem consulendi, ac referendi ad Sedem Romanam, ut ad caput ecclesiarum, proponitur dubium, an potuerit Episcopus Tucumanensis consecrare Episcopum Paraquariensem assistentibus duobus canonicis absque eo quod illi exhibitum fuerit breve pontificii indulti, sed sub eo tantum prætextu, et suppositione, quod Summus Pontifex circa numerum Episcoporum solitus sit dispensare, quando in Indiis consecrantur Episcopi ? S. C. post longam, et accuratam discussionem, quum ageretur de re satis ardua, et mutuo conflictu inter canonistas, ac theologos agitata, ut ea, quæ par est, maturitate adhuc magis examinetur, unanimi consensu resolutionem differendam censuit : *Paraquariensi in Indiis Occidentibus*, 1 *sept.* 1657, *dub.* 2 [305].

19. Extraneus Episcopus ad ecclesias, et sacra vasa consecranda, et campanas benedicendas, aliaque pontificalia munia obeunda accersiri nequit ab exemptis, nisi separatum territorium habentes, nullius etiam diœcesis esse comperiantur : *Suessionen.*, 16 *sept.* 1662, *dub.* 4.

20. Episcopum Giennii vigore dispositionis sacri Concilii Tridentini, sess. 23, *de Reform.*, cap. 8 [306] innovatæ a Constitutione Innocentii XIII incipienti

[303] Vide not. præcedentem.

[304] Vide not. 681, verb. *Congregatio*, § V.

[305] Tres adhibentur Episcopi in consecratione Episcoporum cap. 6 et 7, *de Tempor. ordinat.* Num ad vim consecrationis necessaria sit præsentia trium Episcoporum magna inter theologos, et canonistas disputatio est. Nonnulli consecrationem sine tribus Episcopis absolutam, plane irritam esse arbitrantur : alii firmam, ratamque habent, si unus tantum adhibitus est Episcopus cum venia Summi Pontificis ; contra sunt alii, qui consecrationem ab uno Episcopo absolutam illicitam quidem, non tamen irritam existimant ; quæ postrema opinio similior veri esse videtur ; et certe in sacra antiquitate non desunt exempla episcopalium consecrationum, quæ ab uno Episcopo factæ sunt, et hæ quidem illicitæ, non tamen irritæ judicantur. Neque vero Sedes apostolica interdum ex justa causa hujusmodi consecrationes ab uno tantum Episcopo absolvi permitteret, præsentibus duabus, tribusve dignitatibus, si ad earum vim tres Episcopos omnino necessarios esse arbitraretur. Consule Bened. XIV, *de Synod. diœces.*, lib. 13, cap. 13, num. 2, seqq., et Cotelerius in *Const. Apost.* lib. 3, cap. 19, tom 1, *P. Apostol.*, pag. 292, edit. Amstelodami 1724, et Bened. XIV, cit. loc. num. 5, refert responsum S. C. datum S. Pio V, Pont. Max., hisce verbis : « Cum Pius V consuluisset Congr. Concilii, an in provincia, in qua Episcoporum copia haberi non posset, dispensandum esset, ut loco duorum Episcoporum, qui consecrationi interesse debent, sufficiantur abbates, duove alii habentes dignitates ecclesiasticas, Congregatio, secuta sententiam majoris partis theologorum, quos tunc consuluit, respondit, dispensationem esse concedendam. » *In libr. regist.* 10, pag. 16.

[306] Vide not. 302.

Apostolici ministerii [307], et confirmatæ a Benedicto XIII, Pont. Max. [308], temporibus a jure statutis posse,et debere functionem Ordinum generalium ad altare majus ecclesiæ cathedralis celebrare nisi adsit rationabilis causa arbitrio Episcopi judicanda S. C. pandit : *Giennen., Celebrat. Ordinum*, 2 *aug.* 1727, *dub.* 1.

21. Eumdem Episcopum occasione prædicta ibidem pontificaliter Missam conventualem ad Sabbatum designatum loco illius, quæ celebrari a capitulo deberet, cum assessione omnium præbendatorum, et aliorum de choro, celebrare posse, aperte reddit : *Ibid., dub.* 2, confirmata juxta resolutionem dubii 9 : 19 *junii* 1728.

22. Antistitem præfatum ob functionem ordinationum in majori altare ecclesiæ cathedralis explendam cogere posse capitulum, ut horam consuetam pro horis canonicis, et Missa conventuali anticipet, vel postponat, ita tamen, ut ultra horas debitas neutra ex dictis functionibus protendatur, et spatium unius horæ non attingat, ultra horas consuetas, patefacit : *Ibid., dub.* 3. Inde recessit S. C. a decisis, et arbitrio, et prudentiæ Ordinarii rem commendavit : *Ibid.*

23. Interrogans idem Episcopus, utrum dictam functionem ordinationis possit celebrare ad altare majus, etiamsi juxta consuetudinem vigentem in omnibus cathedralibus in Hispaniarum regnis, ad altare majus adsit tabernaculum, in quo asservatur sanctissimum Eucharistæ sacramentum? responsum habuit ut servaretur cæremoniale [309] : *Ibid., dub.* 4.

24. Similiter, pro explenda dicta ordinatione, aliisque functionibus pontificalibus idem Episcopus quærens, an compellere possit capitulum et canonicos, ut transportari faciant sanctissimum Eucharistiæ sacramentum ad aliud altare ecclesiæ? Cæremoniale [310] servandum esse, definitionem tulit : *Ibid., dub.* 5.

25. Quum præfatus Episcopus impediri vellet, quominus in dicto altari solemnem, et generalem ordinationem faciat sub umbra consuetudinis, ex qua nunquam in dicto altari per Episcopum facta sit Ordinum celebratio? S. C. sententiam protulit primo dubio consentaneam, Episcopum nempe posse, et debere ad altare majus celebrare, nisi adsit aliqua rationabilis causa, ejus arbitrio judicanda : *Ibid., dub.* 6.

26. Nisi pariter adsit rationabilis causa ab Episcopo judicanda, idem Episcopus prædictam functionem explere non tenetur in aliqua ex cappellis ecclesiæ, vel quatenus capellæ non sint capaces, illam in sacrario explere : *Ibid., dub.* 7.

27. Eumdemque Episcopum, quum in ecclesia cathedrali Ordinum functiones explere deberet,posse capitulum cogere, ut anticipet,vel postponat horam consuetam pro horis canonicis celebrandis, ne Ordinum celebratio chorum impediat, vel chorus ipsam Ordinum celebrationem, non dubitatur, dummodo tamen non contingat spatium unius horæ ultra horas consuetas : *Ibid., dub.* 8.

28. Quum demum S. C. oraculum imploratum fuisset, utrum Episcopo accedenti ad ecclesiam cathedralem pro explenda solemni ordinatione vel pro præsentia divinis officiis, vel aliis quibusdam functionibus, sive associetur a toto capitulo, sive a solis duobus deputatis, debeat parari, nedum faldistorium, seu genuflexorium in loco ubi Episcopus functionem facere, seu eidem assistere debet ; verum etiam aliud simile, etsi diversum in apparatu ut antequam ad sedem suam accedat, orare possit, ad tabernaculum sanctissimi Sacramenti, vel saltem loco faldistorii, seu genuflexorii parari debeat pulvinar cum tapeto, super quo orare possit; seu potius servanda veniat consuetudo, præsertim si sit immemorabilis; juxta quam Episcopo ad ecclesiam accedenti nec faldistorium, nec pulvinar parari solet, super quo Episcopus oret, antequam ad locum suum accedat? responsum prodiit, *Cæremoniale Episc.*, lib. 1, cap. 12 [311], servandum esse : *Ibid., dub.* 10.

29. Insuper dictum Episcopum, sive is ordinationem celebret ad altare majus ante vel post horarum celebrationem, sive ad aliquam ex capellis, sive in sacrario cathedralis, idem integrum capitulum una cum omnibus de clero cathedralis juris remediis cogere posse, ut sibi assistat solemniter cum

[307] Edita 23 maii 1723 (*Bull. Rom.* tom. 11, part. 2, pag. 258), super restauranda ecclesiastica disciplina in regnis Hispaniarum, in qua § 17 cautum est : « Noverint autem Episcopi se debere per semetipsos,secluso ægrotationis casu, Ordines conferre, et sacrorum Ordinum collationem statutis a jure temporibus ac in cathedrali ecclesia vocatis, et adstantibus canonicis, publice habendam esse, vel si in alio diœcesis loco, semper tamen in ecclesia quantum fieri poterit digniori , ac præsente clero ejusdem loci. Ne vero incertitudo, an ipsi ordinationes sint habituri nimis grave afferat incommodum promovendis, varia diœcesis loca inhabitantibus ; per mensem ante singulis vicibus publico edicto ab eisdem Episcopis denuntietur, se ordinationes esse habituros, adeo ut quoties denuntiatio hujusmodi facta non fuerit, inde satis intelligant regulares, Episcopum diœcesanum ordinationes ea vice minime esse habiturum, sibique idcirco licitum futurum Ordines ab alio Episcopo suscipere cum litteris dimissoriis suorum superiorum ad eum directis, servata in iis forma superius expressa. »

[308] Const. *In supremo militantis*, 23 sept. 1724 (*Bull. Rom.* tom. 11 part. 2, pag. 350), in qua idem statuitur iisdemque verbis § 14.

[309] Vide not. 35, verb. *Abbas*, § VIII.

[310] Vide not. ut supra.

[311] Vide not. 36, verb. *Abbas*, § VIII.

cantu Missam ordinationum ad altare majus celebranti S. C. explicavit, et addidit ad mentem [312]: *Ead.* 19 *junii* 1728.

30. Quum exposceretur, utrum ab Episcopo peragenda sint in civitate Tuscanensi pontificalia, ordinationes, et consecrationes sacrorum Oleorum, saltem alternatim in altera cathedrali Viterbii; S. C. commendavit definitionem arbitrio, et prudentiæ Episcopi, et addidit ad mentem: *Viterbien. seu Tuscanen.*, 11 *januar.* 1783, *dub.* 3.

§ XVI.

Episcopus quoad portionem canonicam, seu quartam funerum.

1. Ad disquisitionem vocatur, an monasterium religionis S. Francisci Min. observ. quoad solutionem persolvendam Episcopo quartæ funeris juxta Concil. sess. 25, cap. 13 [313], ædificatum jam abhinc 40 annorum, debeat in dicto capite comprehendi? S. C. censuit non comprehendi et ideo non teneri quartam funerum persolvere Episcopo, posito privilegio illo, quod Julius II, Pont. Max., huic religioni concessit: *Tricarien.*, *anno* 1573.

2. Declaravit S. C. non posse Episcopum, et illius officiales recipere in visitatione salarium pro decretis, seu judicatura exequutionis legatorum piorum non obstante quacumque consuetudine etiam immemorabili: *Majoricen.*, 7 *aug.* 1638.

3. Instituta est quæstio inter Episcopum Vicensem ex una parte, et juratos civitatis Minorissæ pratorum regis ex altera, an quidquam per Episcopum, seu illius officiales recipi posset pro decretis, ac judicatura exequutionis testamentorum, et legatorum piorum; eaque relata est ad S. C., et resolutio prodiit non posse Episcopum, nec illius officiales in visitatione quicquam recipere pro decretis, seu judicatura exequutionis testamentorum, seu legatorum, sed gratis omnia fieri, non obstante quacumque consuetudine etiam immemorabili; idemque extra visitationem per Episcopum, et illius officiales quicquam recipi posse pro hujusmodi decretis, et judicatura, sed tantum aliquid moderate solvi notario pro scriptura, et illius labore, in quo conscientia Episcopi gravetur, non obstante quacumque consuetudine etiam immemorabili: *Vicen.*, *Salarii*, 18 *martii* 1645.

4. Quum prætendere cœpisset officialatus villæ de Arenis, esse quoque prohibitam per declarationem S. C. *in Vicen.*, *Salarii*, 18 *martii* 1645 [314], exactionem quartæ canonicæ debitæ Episcopis ex legatis piis, et examinato dubio in S. C. ad instantiam Episcopi Urgellensis, an præmissa declaratione in causa *Vicen.*, *Salarii* non obstante, solvenda sit

[312] Mens fuit ut quando Episcopus velit sacram ordinationem celebrare cum solemni pontificali in cantu debet esse ad altare majus, et cum assistentia diaconi, et subdiaconi, et capituli, et omnium de choro, ut in sabbato sancto disponit Cæremoniale Episcoporum, Missa tunc deserviente pro conventuali, extra hunc tamen casum totum capitulum non teneri illi assistere, sed sufficere assistentiam, et præsentiam duorum saltem canonicorum: Lib. 78. *Decret.*, pag. 303.

[313] *De Reform.*, ibi... decernit S. Synodus quibuscumque in locis jam ante annos quadraginta, quarta, quæ funeralium dicitur, cathedrali, aut parochiali ecclesiæ solita esset persolvi, ac postea fuerit ex quocumque privilegio aliis monasteriis, hospitalibus, aut quibuscumque locis piis concessa, eadem posthac integro jure, et eadem portione, quæ antea solebat, cathedrali, seu parochiali ecclesiæ persolvatur: non obstantibus concessionibus, gratiis, privilegiis, etiam Mari magno nuncupatis, aut aliis quibuscumque. Gallemart, ad hoc cap. num. 1, pag. 333, ad verb. *Jam ante* 40 *anno*, inquit: « Non comprehenduntur monasteria ædificata a 40 annis citra, et quæ in dies ædificantur, præsupposito quod hujusmodi monasteria sint ejus religionis, cui a Sede apostolica indultum sit, ut quartam funeralium non teneantur Episcopo solvere. A dispensatione igitur Concil. Trident. in hoc cap. non sumitur argumentum, quod a monasteriis ædificatis ab annis 40 citra, non persolvatur quarta funeralium Episcopo, nisi monasteria Sedem apostolicam ad solutionem hujusmodi quartæ partis funeralium non teneantur. Item monasterium fratrum Minorum S. Francisci de observantia a 36 annis fabricari cœptum, post hoc decretum non debet solvere quartam funeralium cathedrali, prout Congregatio censuit hujusmodi monasteria non comprehendi vel teneri quartam funeralium persolvere Episcopo, præsertim præsupposito privilegio, quod Julius III, concessit religioni fratrum Minorum S. Francisci. » Inde refert declarationem S. C. Concilii *in causa Rosanen.*, 11 *sept.* 1591, in qua respondit S. C. « decreto Concilii, cap. 13, sess. 25, non comprehendi monasteria a 40 annis citra, vel quæ in dies ædificantur, præsupposito, quod sint ejus Religionis, cui a Sede apostolica indultum sit, ut quartam funeralium non teneantur solvere Episcopo; » et aliam 3 *martii* 1594, in qua censuit S. C. « Concil. Trid., cap. 13, sess. 25, *de Reform.*, non sustulisse privilegium supra 40 annos ante Concilium certis Religionibus concessum, ad percipiendum quartam funeralium. »

Paulus V, Pont. Max., Const. *Decet*, 20 aug. 1605 (*Bull. Rom.*, tom. 5, part. 3, pag. 130), confirmavit decretum Congr. Concilii quo declaratum fuerat monasteria, licet ædificata a quadraginta annis citra, non teneri ad solutionem dictæ quartæ, modo sint *ejus Religionis, cui a dicta Sede* (apostolica) *ante quadraginta annos indultum sit ut eamdem quartam non teneantur solvere Episcopo*.

Denique Bened. XIII, Const. *Romanus Pontifex*, 28 april. 1725 (*Bull. Rom.*, tom. 11, part. 2, pag. 394) revocavit quæcumque privilegia post Clementin. *Dudum, de Sepult.* edit. in Concil. Viennen., et post Trident. concessa regularibus, intra Italiam, et insulas adjacentes existentibus de non solvenda dicta quarta parochiæ defunctorum, qui in ecclesiis eorumdem regularium tumulantur.

[314] Vide num. 7, § præsenti.

Episcopo Urgellæ consueta quarta canonica debita ex legatis piis? affirmativum datum fuit responsum: *Urgellen., Quartæ legat.*, 25 *januar.* 1676, confirmata 14 *febr.* 1693.

5. Causa controversiæ inter Episcopum, et PP. Dominicanos urbis notabilis super solutione quartæ funeris occasione Joannis Zamnit mortis excitatæ, adducta hæc fuere dubia : An quarta funerea debeatur Episcopo? et quatenus affirmative ?

6. An, et quibus pœnis possit Episcopus procedere contra regulares impedientes illius exactionem? rescriptum est : Dilata, et præfigatur terminus peremptorius quatuor mensium, quo elapso proponatur causa omnino etiam unica, et interim partes non molestentur, facta per eosdem obligatione de solvendo quidquid fuerit per S. C. judicatum : *Melevitana, Quartæ funer.*, 16 *januar.* 1700, *dub.* 1 et 2

7. Episcopus Anglonæ pro quarta funebri potest juxta solitum annuatim exigere a clero terræ Claramontis certam quantitatem pecuniarum : *Anglonen., Prætens. exact.* 20 *decem.* 1704, *dub.* 1.

8. Et ad dubium, an potius liceat clero quartam prædictam funerum tradere in pecunia? S. C. servari solitum respondit: *Ibid., dub.* 2.

9. Quum Episcopus Nucerinus contenderet ex asserta immemoriali consuetudine quartam canonicam ex piis relictis mensæ episcopali deberi ; hinc renuens Dominicus Antonius de Turre, cui Cajetanus de Turre commiserat legatum pecuniæ PP. Cappuccinis tradendum pro Missarum celebratione S. C. adiit, quæ quartam præstandam haud esse resolvit : *Nucerina Paganorum, Quartæ canonicæ*, 13 *januar.* 1714.

10. Episcopum Anglonæ a clero terræ Carbonis quartam funerum, consuetudine non repugnante, exigere posse statutum fuit: *Anglonen., Cathed., decimar. et quartæ funer.*, 30 *januar.* 1723, *dub.* 3 [315].

11. Episcopo S. Marci præter id, quod ipse recipit in pecunia numerata ab hæredibus defunctorum pro funere cujuslibet defuncti, quarta etiam ex quatuor libris ceræ, quæ supersunt post absolutum funus, non deberi statuitur, quamvis immemorabilem observantiam pro tota sua diœcesi concurrere asseruerit : *S. Marci*, 9 *feb.* 1726.

12. Ad bina dubia in S. C. exhibita, an portio, nempe unius solidi pro qualibet libra ex legatis piis in posterum exigi debeat, tanquam portio, seu quarta canonica Episcopo Vicensi debita ex piis relictis ?

13. An dicta exactio, nomine portionis canonicæ unius solidi pro qualibet libra fieri possit ex omnibus, et singulis legatis piis Missarum, anniversariorum, fabricæ ecclesiæ relictis in testamentis juxta consuetudinem ? responsum prodiit : Dilata, et scribatur Nuntio apostolico pro informatione, auditis Episcopo, et interesse habentibus : *Vicen., Quartæ canonicæ*, 2 *april.* 1729, *dub.* 1 et 2.

14. Examinatur, num licitum sit clero oppidi Mormanni concordare emolumenta funerum sine præsentia exactoris quartæ Episcopo debitæ ?

15. Et an excepto paupertatis defunctorum casu eidem clero liceat integra emolumenta funerea remittere?

16. Et denique, an, in qua summa, et a quibus Episcopo hujusmodi casu quarta debeatur? rescripsit S. C. ut videretur particulariter : *Cassanen.* 15 *decem.* 1736, *dub.* 7, 8 et 9.

17. Quum Episcopus quartam funebrem ab ecclesiis tumulantibus percipiendi jus habere tum ex immemorabili observantia, tum ex laudo, seu concordia inter cathedralem, et collegiatam S. Nicolai inita, tum etiam ex re judicata anno 1672 a S. C. Episc., et regul. emanata, asseveret; S. C. servari decretum prædictum S. C. Episc. et Regul. 8 april. 1672 mandat : *Andrien.*, 19 *sept.* 1767, *dub.* 11.

§ XVII.

Episcopus quoad potestatem absolvendi, et dispensandi.

1. Quum ex decreto S. Congr. Tridentini cap 6, sess. 24 *de Reform.* [316], Episcopi in casibus

[315] Vide not. 223.

[316] Ubi habentur hæc verba : « Liceat Episcopis.... in quibuscumque casibus occultis, etiam apostolicæ Sedis reservatis, delinquentes quoscumque sibi subditos in diœcesi sua per seipsos, aut vicarium ad id specialiter deputandum in foro conscientiæ, gratis absolvere. » Facultate tamen in hoc Tridentino decreto Episcopis concessa, uti non possunt Episcopi illarum regionum, in quibus Concilium Tridentinum adhuc receptum non est quoad decreta respicientia disciplinam, ut declaravit S. Congr. Concilii apud Card. de Lugo laudatum a Bened. XIV, *de Synod. diœces.*, lib. 9, cap. 5, num. 2, pag. 296, edit. 1755 infol. ubi Summus Pontifex erudite perpendit quæstionem ab auctoribus gallicanis excitatam super potestate Episcoporum quoad absolutionem a crimine hæresis in foro conscientiæ Manifestum est enim quod bulla *Cœnæ* quantum ad casus in ipsa contentos revocavit, et revocat facultatem Episcopis a Concilio concessam, uti declaratum est a S. Pio V, Gregorio XIII, Clem. VIII, et pluries a S. C. Concilii, et ut refert del Bene præcisis his verbis : ***Congregatio censuit huic decreto Concilii Tridentini, sess. 24, cap. 6***, de Reform., ***non tantum in crimine hæresis, sed in omnibus casibus comprehensis in bulla*** Cœnæ Domini ***Pii V esse derogatum*** et constat ex decreto Alex. VII, de anno 1665, 24 sept., damnantis propositionem hanc in ordine tertiam : « Sententia asserens bullam *Cœnæ* solum prohibere absolutionem hæresis et aliorum criminum, quando publica sunt, et id non derogare fa-

occultis, et Sedi apostolicæ reservatis omnes delinquentes sibi subditos absolvere possent, quærit idem Episcopus Cremonæ, an idem locum habeat in casibus post Concil. Trid. ex nova lege Sedi apostolicæ reservatis; etiam si clausula non obstante in ipsa lege sit posita? non posse respondetur : *Cremonen.*, *anno* 1582, *dub.* 5.

2. Et ad dubium, an si monialis alicujus monasterii, quod a regularibus gubernetur, secreto deliquerit in materia clausuræ, cujus ratione Episcopo auctoritate Sedis apostolicæ subdita videtur, ex decreto ipsius Concilii Trid. cap. 5, sess. 25, *de Regul.* [317] Episcopus illam in foro conscientiæ absolvere possit vigore dicti decreti cap. 6, sess. 24 [318], rescribitur, Sanctissimus audita relatione S. C. declaravit per Const. S. Pii V, Pont. Max. [319], censeri derogatum, cap. 6, sess. 24 [320] in casibus occultis. Ideo Episcopus non posse definitur : *Ibid.*, *dub.* 6.

3. Judicio S. C. statutum est Episcopum posse dispensare super duobus beneficiis dissimilibus sub eodem tecto, quando quodlibet per se non sit sufficiens ad congruam provisi conservationem : *Nepesina*, 11 *januar.* 1594.

4. Censuit S. C. Episcopum posse dispensare super duobus beneficiis dissimilibus sub eodem tecto, quando quodlibet per se non sit sufficiens ad congruam provisi conservationem : *Neocastren.*, 3 *febr.* 1629.

5. Declaravit S. C. facultatem dispensandi super duobus beneficiis dissimilibus sub eodem tecto, quam habet Episcopus ex dispensatione juris communis, non esse sublatam a Concil. Trid., cap. 17, sess. 24, *de Reform.* [321], dummodo quodlibet per se non sit sufficiens ad conservationem provisi : *Alexandrina*, 17 *junii* 1630.

6. S. C. inhærens declarationibus alias factis rescripsit, Episcopum vigore cap. 6, sess. 24, *de Reform.*[322], non posse absolvere, nec dispensare in casu hæresis, neque in aliis nova lege post Concilium Sedi Apostolicæ reservatis : *Camenecen.*, 4 *dec.* 1632.

7. Sedis apostolicæ consilio opus habuit Episcopus Syracusanus, ne hallucinetur, an Episcopus

cultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est anno 1629, 18 junii, in consistorio sacr. Congr. eminentissimi Card. visa, et tolerata est. » Porro tam Episcopus, quam Inquisitor contra hæreticam pravitatem potest resipiscenti hæretico aut ad se sponte venienti, aut ad suum forum adducto veniam attribuere, et pro utroque foro laxare censuram in quam propter hæresim incidit; et potest etiam eumdem hæreticum, postquam suos ejuravit errores, mittere ad simplicem confessarium, a quo in foro pœnitentiæ absolvatur, quæ absolutio etiam in foro externo prodest; quod ostendit idem Bened. XIV, *cit. loc.* Ex eadem bulla *Cœnæ* etiam est derogatum quoad absolutionem a quibuscumque aliis casibus contentis in eadem quantumvis occultis; neque vigore prædicti decreti Trident possunt Episcopi absolvere a censuris ob simoniam in ordine intentatis ex Const. Sixti V, *Sanctum et salutare*, 5 januar. 1588 (*Bull. Rom.* t. 5, part. 1, pag. 40), in qua expresse derogavit Pontifex dictum decretum quam Const. Clem. VIII redegit ad terminos juris, sed præservavit censuras, et pœnas in ea latas contra simoniacos in ordine. Et revera omnibus Antistibus, et diœcesum administratoribus regni Galliarum Pius VI, Pont. Max., die 13 april. 1791, facultatem tribuit absolvendi ab omnibus censuris quoscumque laicos, et ecclesiasticos tam seculares, quam regulares utriusque sexus, atque eos etiam qui schimati adhæserunt, et juramentum civicum emiserunt, in eoque perstiterunt ultra 40 dies pro incurrenda a divinis suspensione præfinitos; deinde die 13 junii 1792 extendit hanc facultatem absolvendi presbyteros etiam intrusos, eosque, et ceteros ordinis inferiores clericos, etiam illegitime ordinatos, in gratiam Ecclesiæ conciliandi sub conditione, ut intrusi debeant prius scripto ejurare civicum sacramentum, illosque errores, qui in civili Constitutione cleri gallicani continentur, et declarare speciatim sacrilegas esse ordinationes ab intrusis sive receptas, sive peractas, irritam esse collatam ab iis auctoritatem, injustamque, et nullam esse intrusionem, una cum actibus, inde consecutis, et jurejurando promittere, se apostolicæ Sedi, legitimisque Episcopis obtemperare, et denique parochiam, ejusve partem reapte abdicare, et ut eorum ejuratio atque abdicatio publica sit, perinde ac crimen quoque publicum fuit, injunctis eorum singulis, quantum *spiritus et prudentia suggesserit* (ut aiunt patres Tridentini, sess. 14, c. 8) pro qualitate *criminum et pœnitentium facultate salutaribus, et convenientibus satisfactionibus*, loco publicæ pœnitentiæ graduum, quos vigentes Nicæni Concilii tempore post modum Ecclesiæ pietas moderatus est.

[317] In quo legitur : « Bonifacii VIII Const. quæ incipit, *Periculoso* renovans S. Synodus, universis Episcopis sub obtestatione divini judicii, et interminatione maledictionis æternæ præcipit, ut in omnibus monasteriis sibi subjectis, ordinaria, in aliis vero Sedis apostolicæ auctoritate, clausuram sanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter restitui, et ubi inviolata est, conservari maxime procurent; inobedientes, atque contradictores per censuras ecclesiasticas, aliasque pœnas, quacumque appellatione postposita, compescentes, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Quod auxilium, ut præbeatur, omnes christianos principes hortatur S. Synodus, et sub excommunicationis pœna, ipso facto incurrenda omnibus magistratibus secularibus injungit. » Excommunicatio a Trid. hic inflicta non est reservata, et solum est contra magistratus, non contra principes, et non procedit, nisi ii fuerint de tali auxilio requisiti : *Thesaur.*, *de Pœnis*, Verb. *Clausura*, cap. 9, cum ibi cit. pag. 140.

[318] Vide not. præcedentem.

[319] Quæ incipit *Decori et honestati*, 24 januar. 1570, (*Bull. Rom.*, tom. 4, part. 3, pag. 96), statuens, ut moniales non exeant clausura sub pœna excommunicationis, et privationis. Quæ etiam extendit Sum. Pontifex ad dantes licentiam, comitantes, et receptantes

[320] Vide not. 316.

[321] Vide not. 51, lit. D.

[322] Vide not. 316.

in casu urgentissimæ necessitatis possit ante contractum matrimonium in impedimento publico dirimente dispensare? Negativum datum fuit responsum : *Syracusana, Dispens.*, 13 *martii* 1668 [323].

8. Censuit S. C., dispensationem irregularitatis archidiacono ductori quorumdam militum, quos de more et juxta legem regni capitulum ecclesiæ cathedralis mittere solebat pro patriæ, et fidei defensione, dum ille vexilliferum turcam necaverat, petenti impertiendam. Sed inde Episcopo, qui, ut ista facultas deinceps in hisce casibus dispensandi ei tribuatur, postulavit, S. C. non annuit [324] : *Zagabrien., Dispensat. sup. irregul.*, 17 *novem.* 1685, *dub.* 3.

9. Episcopus parum fidens inventæ in aliqua regni Portugalliæ parte contrariæ opinioni majorum exempla sectando hæc proposuit dubia : An dispensationes in gradu consanguinitatis cum copula per consanguineos contrahentes obtentæ, et effectum suum sortitæ, non peracta prius pœnitentia in bulla dispensationis præscripta, fuerint valide exequutæ, ita ut nulla nova revalidatione egeant?

10. An, et quæ in posterum obtinentur, sint exequendæ, priusquam fuerit peracta dicta pœnitentia? ad primum S. C. distulit resolutionem, et per theologos, et canonistas scribendum censuit, et ad secundum dubium responsum negativum dedit : *Ægitanien., Dispensat.*, 19 *april.* 1692, *dub.* 1 et 2.

11. Episcopum dispensare non posse in foro conscientiæ tantum in impedimentis dirimentibus matrimonium, et post ejus publicationem et confirmationem detectis, seclusa populi offensione constituitur; posse tamen, quatenus non sit publice detectum impedimentum, de quo in dub. 5 resolvitur : *Ibid., dub.* 3.

12. Nec posse, quando ignorantia impedimenti concurrit in uno tantum contrahentium, seclusa offensione, de quo agitur in dub. 5, posse tamen, quatenus non sit publice detectum impedimentum, declaratur : *Ibid., dub.* 4.

13. Sed posse, quando ob moram habendæ dispensationis propter distantiam locorum magnum daretur periculum incontinentiæ, et populi offensionis, quoad forum conscientiæ tantum, definitur : *Ibid., dub.* 5.

14. Ac valere, quando impedimentum provenit ex parte fœminæ passuræ jacturam vitæ, famæ, populi offensionis, si illud nudaret, quoad forum conscientiæ tantum : *Ibid., dub.* 6.

15. Joseph Baldus exoravit Episcopum, ut conferret primam tonsuram et duos priores ordines. Nam etsi rescriptum consecutus fuerit ad primam tonsuram tantum; attamen se immiscuit in ordinatione cum aliis ordinandis, et materiam primi, et secundi ordinis tetigit. Dubitavit Episcopus de contracta illius irregularitate, et a S. C. sententiam postulavit, quæ rescripsit, stante supradicta ordinatione eumdem clericum canonicum impedimentum contraxisse, quod Episcopo dispensari non possit; idcirco pro facultate dispensandi arbitrio Episcopi imposita salutari pœnitentia : *Aprutina, Ordinum*, 2 *januar.* 1710, *dub.* 1 et 11 [325].

16. Juvenis decimum quintum ætatis suæ agens annum parvo cultro alium ludendo percussit juvenem, qui intra quadraginta dies ex eo vulnere ipsius vitæ in flore exaruit. Adultior ille factus sacris Ordinibus initiari, et ad sacerdotium ascendere cupiens, postulavit ab Ordinario dispensationem super patrato homicidio. Ordinarius oraculum quæsivit S. C., quæ planum fecit Ordinarium illum dispensare non posse. Nam a delictis quidem occultis, non vero ab homicidio voluntario, nec ab his, quæ ad forum contentiosum deducta fuere, dispensare potest Episcopus : *Papien.*, 21 *maii* 1718.

§ XVIII.

Episcopus quoad potestatem, officium, et præeminentias.

1. Quum cap. 3, in fine sess. 24 Concil. Trid.

[323] « Quia ea est reservata Sedi apostolicæ, et Conc. Trident. permittit facultatem Episcopis dispensandi ex irregularitatibus provenientibus ex delicto occulto, dummodo non sit homicidium voluntarium, alias reservat Sedi apostolicæ, cap. 7, sess. 14, et cap. 6, sess. 24, *de Reform.*, et in bello non dici potest occultum factum, ut ponderat Bonacina, *De Censur.*, cit. disp. 7, quæst. 4, punct. 4, num. 13, sub qua facultate non venit irregularitas non oriens ex delicto, Castropal. cit. *Censur.*, disp. 6, punct. 14, part. 5, num. 6, et proinde commissio generalis petita ab Episcopo prædicto juste fuit denegata, licet dispensationum executiones idem Concilium, et Sedes apostolica Episcopis, seu Ordinariis committant, cit. cap. 7, sess. 14. Ubi Barbosa num. ibi. » Ita in hac causa ait Card. Petra, *Comment. ad Const. unic. Greg. VIII*, sect. 1, num. 17, pag. 94, tom. 2.

[324] Hoc immo articulo per S. C. Concilii proposito Congreg. sacræ Inquisitionis hæc declaravit : « Propositio asserens Episcopum posse dispensare in publico impedimento matrimonium dirimente consanguinitatis pro matrimonio contrahendo, sive in articulo mortis, sive in alia urgentissima necessitate, in qua contrahentes non possint expectare dispensationem Sedis apostolicæ, est falsa, temeraria, scandalosa, perniciosa, et seditiosa. » Quam declarationem confirmavit deinde S. C. Concilii die 19 januar. 1661 per decretum « mox scriptam propositionem esse falsam, et temerariam. » *Lib. Decret.* 22.

[325] Ubi agitur de suspensione simul, et irregularitate, licet solvi ab Episcopo posset suspensio, mos tamen invaluit, ut de utraque S. Congr. Concilii cognoscat. Ita Honorante in *Prax. tribunalis Card. vicarii Urbis* cap. 6, not. 3, pag. 79.

vellet reditus fabricarum, quæ sunt de jurepatronatus, prout Episcopo expedire magis videbitur, expendi debere, quæritur, an istud locum habere debeat, etiam in illis fabricis, quæ non sunt de jurepatronatus? S. C. respondit locum esse etiam in hujusmodi fabricis : *Mediolanen.*, 1573, *dub.* 1.

2. Decidit S. C. Episcopum posse cogere præpositum ad accedendum in synodum diœcesanam ex decreto Concilii, sess. 24, cap. 2 [326] : *Cremonen.* 15 *maii* 1574.

3. Dubio perpenso, an prælati simplices gaudere debeant eisdem prærogativis, quibus gauderent, si essent S. R. E. Cardinales? S. C. nihil censuit respondendum, nisi proponatur casus singularis, de quibus contingat dubitari : *Burgen.*, *anni circiter* 1582, *dub.* 7.

4. Quærit Episcopus, an ipse jure delegato posset compellere clerum ejusdem, ut accederet ad synodum? respondit S. C. præsupposito, abbatiam Ferentilli, et loca, de quibus agitur, esse intra fines diœcesis Spoletanæ ; Episcopum Spoletanum posse compellere ad accedendum in ejusdem Episcopi synodum : *Spoletana*, *anni* 1583.

5. Quandiu prælatus inferior legitime non probaverit, se omnimodam jurisdictionem quasi episcopalem habere, ad Archiepiscopum Theatinum dumtaxat spectare sacerdotes seculares, sive regulares approbare ad confessiones personarum secularium audiendas, licentiasque concionandi concedere S. C. sancivit : *Theatina*, 26 *sept.* 1615, *dub.* 3.

6. S. C. probavit, ut Episcopus etiam in ipsius Congregationis auctoritate quoscumque clericos præsertim in sacris constitutos absque suo præcedenti examine, et commendatitiis litteris, vel a suis antecessoribus, vel alias quacumque auctoritate promotos suo arbitrio, quod S. C. confidit æquum, ac moderatum fore, examini subjiciat, et quos ad divina officia celebranda, atque ecclesiastica sacramenta ministranda, minus idoneos et capaces reperierit, vel a susceptorum Ordinum exercitio ad tempus ei benevisum suspendat, et eis ne in altari, aut aliquo Ordine ministrent, interdicat, vel alias provideat, quemadmodum pro sua prudentia, ac pietate præsentibus ecclesiæ suæ rebus consonum magis, et proficuum existimaverit : *Andrien.*, 14 *martii* 1620, *dub.* 1.

7. Licet Episcopo pro sua diœcesi, atque etiam in aliena de diœcesani consensu, per personas spectatæ probitatis, ac fidei, suoque judicio deligendas, eleemosynas quærere pro ecclesiis, capellis, ac locis piis suæ diœceseos, quæ ipse pro sua prudentia, ac pastorali sollicitudine ejusdem eleemosynarum præsidio magis indigere arbitrabitur : *Polignanen.*, 24 *sept.* 1622, *dub.* 2.

8. S. C. censuit, posse Episcopum societates, de quibus agitur, compellere ad accedendum ad publicas supplicationes, etiam sub pœnis pecuniariis, ac aliis sibi benevisis, sed commonendum esse Episcopum, ut antequam pœnis compellat, prius charitate pastorali adhortetur : 8 *maii* 1629.

9. Episcopum posse edicere, quominus presbyteri, et clerici servitio alicujus ecclesiæ adscripti abesse possint absque ejus licentia, jubetur ; si autem ipse irrationabiliter illam denegaverit, recurrendum ad S. C. esse, cujus erit juxta casuum contingentiam providere, mandatur : *Terracinen.*, *febr.* 1628, *dub.* 4.

10. Quo vero ad prebyteros, et clericos adscriptos, satius duxit S. C. nihil generatim statuendum ; sed in præsenti casu scribendum Episcopo, ut servet decreta sacr. Concil. Trid., cap. 16, sess. 23, *de Reform.* [327] voluit : *Ibid.*, *dub.* 6.

11. Nullo modo valuisse Episcopum absque Sedis apostolicæ beneplacito aliquid in emphyteusim

[326] *De Reform.*, ubi legitur : « Synodi quoque diœcesanæ quotannis celebrentur, ad quas exempti etiam omnes, qui alias, cessante exemptione, interesse deberent, nec capitulis generalibus subduntur, accedere teneantur : ratione tamen parochialium, aut aliarum secularium ecclesiarum, etiam annexarum, debeant ii qui illarum curam gerunt, quicumque illi sint, synodo interesse. Quod si in his tam Metropolitani, quam Episcopi, et alii suprascripti negligentes fuerint, pœnas sacris canonibus sancitas incurrant.

[327] Ubi cavetur « ut nullus in posterum ordinetur, qui illi ecclesiæ, aut pio loco, pro cujus necessitate, aut utilitate assumitur, non adscribatur, ubi suis fungatur muneribus; nec incertis vagetur sedibus. Quod si locum, inconsulto Episcopo, deseruerit, ei sacrorum exercitium interdicatur. » Huic sanctioni accessit Const. Innocentii XIII, *Apostolici ministerii*, 23 maii 1723 (*Bull. Rom.*, tom. 2, part. 2, pag. 258), pro restauranda disciplina ecclesiastica in regnis Hispaniarum edita, quam postea Benedictus XIII, Const. *In supremo militantis Ecclesiæ*, 23 sept. 1724 (*Bull. Rom.*, tom. ibid., pag. 350.), nedum confirmavit sed etiam ab omnibus per orbem Episcopis pronorma haberi voluit. Et idem Benedictus id etiam præcepit in Concilio Romano ab eo celebrato anno 1725, tit. 6, cap. 2, *de Ætate, et qualit. præficiendor.*, ubi habetur : « Ita autem adscripti, etsi clerici sint, etiam conjugati, aut beneficia, vel officia ecclesiastica non obtineant, ab ecclesiæ servitio, cui fuerint deputati, festis diebus singulis, præsertim solemnioribus, ne absint, propria ibi munia obituri; alias ad altiores gradus promovendi non promoveantur, et jam promoti Episcoporum arbitrio pro inobedientiæ gravitate multentur. Crescente vero contumacia, Episcopi, ultra pœnas a Trident. Concil. indictas, post trinam canonicam monitionem, contra inobedientes, et contumaces procedant ad omnium usque privilegiorum clericalium privationem, servata in reliquis nupera super hoc constitutione nostra, quæ in citata exhibebitur appendice. »

perpetuam concedi firmatur; ideoque Episcopus consulet suæ conscientiæ: *Liparen.*, 10 *maii* 1631, *dub.* 4.

12. Consultum S. C. est, Episcopum posse statuere, ut unus saltem sacerdos ex unoquoque loco diœcesis intersit, dum ipse Oleum sanctum conficit: *Civitatis Castellanæ*, 12 *julii* 1631.

13. Disputatio instituitur, an Episcopus in ingressu suæ ecclesiæ teneatur indistincte et confuse jurare omnia statuta dictæ ecclesiæ, vel illa solum, quæ sacris canonibus, et ejusdem sacr. Concilii decretis, apostolicisve Constitutionibus sunt conformia, vel alias a Sede Apostolica confirmata. S. C. explicat Episcopum non teneri jurare statuta quæ sacris canonibus et ejusdem. S. Concilii decretis, apostolicisve constitutionibus sunt contraria, nisi a Sede Apostolica ex certa scientia confirmata existant: *Oriolen.*, 27 *martii* 1632, *dub.* 1.

14. Oretenus significandum est Episcopo, si diœcesanam synodum celebrare non expedit, eum providere posse conficiendo omnia decreta necessaria non imprimenda, neque solemniter publicanda; sed per suos ministros clericis, et aliis notificanda; et si id exequi non potuerit, si magis proficuum judicaverit hujusmodi decreta in generali visitatione facienda sunt: *Adrien.*, 14 *martii* 1637, *dub.* 3.

15. Episcopus nequit auctoritate ordinaria ecclesiam parochialem in collegiatam erigere: *Fulginaten.*, 26 *febr.* 1639, *dub.* 3.

16. Posita consuetudine præsertim immemorabili potest Episcopus procedere etiam censuris ecclesiasticis contra prætendentes illum expoliare jure eligendi prædicatorem in Quadragesima, et in aliis temporibus, et universitatem ad solitæ eleemosynæ solutionem etiam eisdem censuris ecclesiasticis cogere: *Strongolen.*, 17 *junii* 1645, *dub.* 2.

17. Relatum est ad S. C., utrum quatenus capellæ aulæ palatii civitatis, carcerum publicorum sub decreto S. Concilii, necnon decreto Pauli V, super oratoriis privatis, et litterarum S. C. prohibitione[328] comprehendantur, et bulla Cruciata non suffragetur, liceat Archiepiscopo contra sacerdotes tam seculares quam regulares in eisdem capellis celebrare volentes post edictum Archiepiscopi publicatum, seu intimatum procedere, et quibus pœnis illos punire? rescripsit, licere Archiepiscopo contra sacerdotes, tam seculares, quam regulares in eisdem capellis celebrare volentes post edictum Archiepiscopi publicatum procedere etiam ad pœnas censurarum: *Calaritana*, 14 *novem.* 1648, *dub.* 5.

18. Episcopus potest ad effectum instaurationis ecclesiæ, ubi beneficia sunt fundata, et pro conficiendis sacris supellectilibus, reditus eorumdem beneficiorum sequestro deponere: *Narnien.*, 24 *martii* 1657, *dub.* 3.

19. In quæstione versatur, an Ordinarius possit regularibus degentibus absque licentia Sedis apostolicæ in hospitiis non approbatis per simulationem negotiorum, et litium præcipere, ut revertantur ad claustra sub pœna apostasiæ, vel alia? rescribitur, regulares degentes in hujusmodi hospitiis subjacere jurisdictioni Episcopi, non autem subjacere pœnæ apostasiæ; an autem Episcopus illos cogere possit, ut ad monasteria redeant non obstante licentia suorum superiorum? particulariter videatur: *Vercellen.*, 21 *martii* 1662, *dub.* 7.

20. Ad quæsitum, an liceat Episcopo punire regulares prohibita, vel indecentia in ecclesiis suorum Ordinum committentes circa Missæ sacrificium? licere respondetur Episcopo punire regulares committentes prohibita, vel indecentia in ecclesiis etiam suorum Ordinum circa Missæ sacrificium: *Ibid.*, *dub.* 8.

21. Ad dubium, an stante consuetudine, et synodo provinciali, societates laicales possint ab Archiepiscopo compelli per edictum ad interveniendum supplicationibus, ne alias dicta synodus, et consuetudo reddantur elusoriæ? negative S. C. respondit: *Urbinaten.*, *Visit. sacr. Liminum*, 10 *martii* 1665, *dub.* 22.

22. Non posse pariter Archiepiscopum prohibere societatibus laicorum erectis auctoritate ordinaria, ne faciant expensas extraordinarias excedentes summam scut. 20, sine licentia ipsius Archiepiscopi S. C. declaravit: *Ibid.*, *dub.* 23.

23. Conquestus est Episcopus decreta facile eludi glossa, ut dicitur, a casuum conscientiæ professoribus, qui arbitrariam opinionem super his in vulgus effundunt; obsecrat igitur, ei integrum esse mandare, ut in sua diœcesi inter varias opiniones, in quibus incertum scinditur vulgus, illæ observentur, quas commodiores judicabit ad rectam ecclesiæ administrationem; respondit S. C. Episcopum debere in casibus particularibus S. C. consulere: *Maceraten., Visit. sacr. Liminum*, 26 *april.* 1664, *dub.* 5.

24. Quæstio postulatur, quibus pœnis, et censuris corrigi possint per Ordinarium seculares sacerdotes in celebratione Missarum contravenientes? protelata fuit decisio, ut prius videretur, an Episcopus procedens vigore Concil. Trid., cap. unic., sess. 22, *de Obser. et evit. in celebr. Miss.*[329] possit imponere pœnas exceptis pœnis censurarum latæ sententiæ? S. C. respondit potuisse in casu proposito tanquam in re gravi: *Toletana*, 4 *junii* 1672, *dub.* 10.

25. Jam ante S. C. decreverat presbyterum Ca-

[328] Vide not. 120, verb. *Altare*.

[329] Vide not. 269, verb. *Episcopus*, § I.

rolum Guarinum utrique diœcesi Castrensi, et Hydruntinæ ratione originis, ac domicilii subjacere, modo quæritur an possit cogi ab Episcopo Castrensi ad præstandam ei obedientiam consuetam in dominica in albis, quum sub eadem die vocetur ad obedientiam ab Archiepiscopo Hydruntino, et quid si vocetur sub alia die? respondit, in illa diœcesi, in qua reperitur: *Castren., seu Hydruntina, Subjectionis*, 2 *decem.* 1673, *dub.* 1.

26. Insuper aperte ponitur, si quando presbyter Carolus Guarinus utriusque diœcesis Castrensis et Hydruntinæ ratione originis, et domicilii subjectus, moratur per aliquot dies in diœcesi Castrensi ob sua negotia, posse ab Episcopo cogi ad functiones publicas, vel privatas, quæ in illis diebus obtingunt, ad quas tenentur vero diœcesani: *Ibid.*, *dub.* 3.

27. Ad Archiepiscopum pro pecuniarum locorum piorum, et ecclesiarum investimento licentiam, et beneplacitum tribuere pertinet, sed gratis est ea concedenda: *die* 18 *julii* 1699, confirmata *Amalphitana*, 6 *febr.* 1700, *dub.* 2.

28. Solemnitates in rerum ecclesiarum, quæ in solo Lateranensi sitæ sunt, alienationibus requisitas, etiam in vim can. *Terrulas* 12, quæst. 2 [330], ad Episcopum Miletensem privative, non autem ad vicarium a capitulo sacrosanctæ basilicæ Lateranensis Urbis destinatum S. C. æquum judicavit: *Mileten.*, 23 *april.* 1701, *dub.* 6. Iterum ad examen dubio vocato S. C. respondit non competere Episcopo, sed tantum capitulo, non illius autem vicario sine speciali delegatione. Nam capitulum est ordinarius in dictis ecclesiis: 17 *novem.* 1703, *dub.* 7, 8 et 9.

29. Episcopus, seu vicarius generalis interveniens congregationibus societatis laicalis Sanctissimæ Assumptionis et Rosarii urbis Senogalliæ non potest in casu de quo agitur suffragari, et duplex ferre suffragium: *Senogallien.*, *Juris suffrag.* et *deput. capellanos*, 4 *junii* 1701, *dub.* 1.

30. Quum sacerdos Vincentius Stagnarius occasione cujusdam rixæ habitæ ab Episcopo prævio proces u fabricato in carcerem detrusus fuisset, postquam appellationem ad metropolitanum Archiepiscopum interposuerat, Archiepiscopus reclamavit, et in S. C. institit, quæ decrevit Episcopum Brugnatensem non potuisse in vincula ponere dictum sacerdotem inconsulto Archiepiscopo Januæ: etiamsi protestatus fuerit Episcopus id egisse, quia majus malum inter rixosas familias evenire timebat: *Januen.*, *Jurisdict.*, 18 *novem.* 1702, *dub.* 1.

31. Episcopus in œconomica bonorum societatum laicalium suæ ecclesiæ administratione ipsis reluctantibus societatibus, vel earum officialibus, sese ingerere nequit, salvo jure invisendi rationes, et exercendi quæ per sacr. Concilium [331] Episcopo reservantur: *Ferentina*, *Jurisdict.*, 18 *martii* 1704, *dub.* 2.

32. Non ad Episcopum, sed ad fabricerios ecclesiæ cathedralis spectat designare usum, in quem implicari debeat pecunia retracta ex venditione portionis piscium, quos homines Naulenses juxta consuetudinem antiquam diebus festis ex piscatione retrahunt, ac præstant in favorem cathedralis, quam consuetudinem in visitatione apostolica anni 1585, Episcopus Marianensis approbaverat: *Naulen.*, 6 *junii* 1705, *dub.* 1.

33. In controversiam adductum est, an in investiendis pecuniis locorum piorum requiratur assensus Episcopi, vel ejus vicarii generalis? et quatenus affirmative?

34. An sit concedendus gratis? S. C. explicavit, dari, et in futurum servari decreta in *Amalphitana* 18 *julii* 1699, et 5 *febr.* 1700 [332]: *Sarnen.*, 27 *junii* 1705, *dub.* 2 et 3.

35. Quum Episcopus Cremonensis oratorium sodalitii Mortis, et Orationis Casalis Majoris interdicto supposuerit, quia sodales extinguendo lumina, ac altare nudando, in oratorio prædicto præposito Missam cum cantu in festo Nativitatis celebrare volenti obstiterant, hinc S. C. requisita, an sit procedendum contra sodales prætensos complices responsum dedit negativum *ex quo satis*: *Cremonen.*, 23 *januar.* 1706, *dub.* 3.

36. Decrevit S. C. Episcopum prohibere minime valere primum accessum sponsi assistentibus tamen consanguineis ad domum sponsæ sub pœnis pecuniariis, et impedimenti celebrationis matrimonii: *Geruntinen. et Cariaten.*, *Synodi*, *et Gravam.*, 2 *octob.* 1706, *dub.* 7, confirmata 11 *febr.* 1708.

37. Episcopum litteras patentes concionatori a communitate oppidi Cryptarum ad Mare singulis Quadragesimæ, et Adventus temporibus nominando tradendas in cancellaria episcopali retinere, et eidem alias gratis expedire, necnon verba *Eligimus*, *et deputamus* apponere posse sancivit S. C. addens dari decreta *in Sutrina* 8 *maii* 1688 [333]: *Ripana*, *Deputat. concionat.*, 21 *maii* 1707, *dub.* 1.

38. Card. Archiepiscopus Januæ anceps de facultate in casu, si aliquis interim mori contigerit judicum synodalium, substituendi alium in ejus locum, reverenter recurrit ad S. C., et non quærit examen, si apud Sedem apostolicam factum sit; an valeat uti dicta facultate, etsi synodus tam provincialis, quam diœcesana non fuerit intra tempus a

[330] Vide not. 227, tom. 1, verb. *Archipresbyter*, § II.
[331] Vide not. 86, tom. 1, verb. *Administratio*, § II.
[332] Vide num. 27, præsenti §.
[333] Vide num. 7, 8 et 9, verb. *Concionator*, § III.

Concilio præscriptum [334] celebrata, et responsum prodiit, in casu de quo agitur, detur Card. Archiepiscopo facultas substituendi cum consilio capituli : *Januen., Dubium. jud. synod.*, 1 *junii* 1709.

39. Firmanus Archiepiscopus pro redditione rationis rerum ad societatem Mortis Lanciani spectantium adhibere syndicos, seu rationales electos a sodalibus non potest, sed alio quocumque sibi beneviso uti valet, et gratis : *Lancianen.*, *Confrat.*, 26 *sept.* 1710, *dub.* 10.

40. Quoad jus invisendi rationes locorum piorum, atque hospitalium terræ Carboni cumulative competit Episcopo Anglonæ jus cum abbate Card. commendatario monasterii S. Eliæ ordinis S. Basilii dicti oppidi ad formam Clusinæ : *Anglonen.*, *Jurisdict.*, 20 *januar.* 1717, *dub.* 5.

41. Et Episcopus potest habere vicarium foraneum in dicta terra eodem modo quo retinet in ceteris terris suæ diœcesis : *Ibid.*, *dub.* 7.

42. Quoad societatem Sanctissimi Rosarii civitatis Rapinæ, quæ possidet altare existens in ecclesia S. Dominici PP. prædicatorum, ac tenet oratorium a monasterio prorsus separatum, decisum in S. C. fuit, assistere, atque præesse in congregationibus, quæ fiunt a sodalibus in oratorio, non spectat privative ad Episcopum, nec ad ejus vicarium generalem, nec privative ad priorem conventus, vel cumulative ad utrumque, sed posse per Episcopum, vel ejus vicarium in casibus tantum particularibus, et gravioribus : *Ripana, Confrat.*, 30 *martii* 1715, *dub.* 1.

43. Episcopus, seu ejus vicarius generalis potest exigere redditionem rationis bonorum sodalitii privative quoad priorem dicti conventus : *Ibid.*, *dub.* 2.

44. Ac id agere valet invisendo libros administrationis in ipso oratorio societatis : *Ibid.*, *dub.* 3.

45. Insuper Episcopus, seu ejus vicarius generalis potest exigere ab ipsa societate rationem onerum Missarum, tam perpetuarum, quam manualium ad dictum sodalitium spectantium : *Ibid.*, *dub.* 4.

46. Ab Episcopo confirmandi sunt œconomi, administratores, aliique officiales electi ab ipsa societate : *Ibid.*, *dub.* 6.

47. Nec licet patribus dicti conventus absque licentia Episcopi facere expositionem sanctissimi Sacramenti in altare Sanctissimi Rosarii : *Ibid.*, *dub.* 7.

48. Nec eisdem patribus integrum est sine licentia Episcopi peragere per civitatem supplicationes tam in prima dominica octobris, quam in aliis temporibus, exceptis supplicationibus sanctissimi Corporis Christi, et Rosarii in prima dominica octobris : *Ibid.*, *dub.* 8.

49. At eisdem patribus fas est quærere eleemosynam sine licentia Episcopi per ecclesiam tempore quo recitatur sanctissimum Rosarium, vel quo adest expositum expensis ejusdem societatis Sacramentum sanctissimum pro 40 horis : *Ibid.*, *dub.* 9.

50. Episcopum Cajetæ deputatos, et gubernatores capellæ S. Erasmi ad reddendam rationem pecuniæ, quæ ad eos pervenit ex reditibus, et legatis dictæ capellæ, necnon ex vectigalibus, et aliis effectibus eidem a concilio civitatis assignatis cogere posse ad formam Concilii Tridentini, sess. 22, cap. 9, *de Reform.* [335], jus et potestatem habere firmatum fuit : *Cajetana*, 2 *julii* 1718, *dub.* 3.

51. Episcopum S. Marci stipem precario cogere pro animarum purgantium suffragio, ut mos est, personæ laicæ injungere posse, definitur : *Sancti Marci*, 13 *april.* 1720, *dub.* 3.

52. Archiepiscopi Theatini arbitrio relinquitur in primo solemni ingressu accedere posse ad ecclesiam majorem, vel ad aliam ecclesiam sibi benevisam, ubi universus clerus terræ Vasti ei obedientiam deferre valeat : *Theatina, Præminent., seu præstat. obedientiæ*, 25 *januar.* 1721, *dub.* 1, confirmata 4 *julii* 1722, addendo ad mentem.

53. Ejusdemque Archiepiscopi arbitrio simul remissum fuit, in reliquis visitationibus, in quibus vult exigere obedientiam ab universo clero, eam recipere posse in ecclesia majori, vel alia sibi benevisa ejusdem loci, vel quatenus in uno, vel in utroque ex supradictis casibus agat, posse accedere vel non ad ecclesiam majorem : *Ibid.*, *dub.* 2, confirmata *ibid.*

54. Archiepiscopus Neapolis potuit cogere rectorem, seu ædituum ecclesiæ S. Angeli ad Nidum asserentem suam exemptionem, ad interveniendum supplicationi, quam indixit occasione obitus Innocentii XIII, Pont. Max., ut divinum auxilium in nova electione Summi Pontificis imploretur : *Neapolitana*, 18 *novem.* 1724, *dub.* 2, confirmata 24 *martii ejusd. anni*, 21 *julii* 1742, *dub.* 2 [336].

55. Idem Archiepiscopus sub pœnis sibi benevisis in casibus a jure præscriptis ædituum, et capellanos dictæ ecclesiæ S. Angeli ad Nidum ad interventum in synodo diœcesana, ac ad exequutionem

[334] Sess. 24, cap. 2, *de Reform.*, ubi synodum diœcesanam quotannis cogere districte præcipitur, et renovata fuit sanctio Innocentii III in concilio Lateranensi generali firmata : Cap. *Sicut olim*, *de Accusat.*, vide not. 326.

[335] Vide not. 86, verb. *Administratio*, § II.

[336] Inde accessit Const. *Præclarum*, 4 octob. 1755 (*Bull. ejusd. Pont.*, tom. 4, pag. 152) Bened. XIV ; qua declarando exemptionem ab Archiepiscopi Neapolitani jurisdictione hospitalis S. Angeli a Nido ejusdemque ecclesiæ, et personarum, § 15 rectorem, et presbyteros inservientes non teneri accedere ad supplicationes publicas, et generales ab Archiepiscopo indicendas decretum est.

decretorum ibi editorum compellere potest : *Ibid.*, 21 *julii* 1742, *dub.* 11. [337].

56. Ac de ejusdem mandato, et licentia, non æditui, seu rectoris, potest fieri publicatio indulgentiarum, et jubilæi, et expositio sanctissimi Sacramenti, publicatio monitoriorum pro rebus subtractis, vel deperditis, et extractio reorum ab ecclesia, et hospitali adnexo : *Ibid.*, *dub.* 12 [338].

57. Episcopo Asculano congregationibus Societatis sanctissimi Suffragii in ecclesia Sanctissimæ Trinitatis terræ Offidæ erectæ vel per se, vel per alium ab ipso deputandum, intervenire posse concessum fuit : *Asculana*, 24 *martii* 1725, *dub.* 2.

58. Sed quum idem Episcopus dictis congregationibus, vel per se, vel per alium interfuisset, suffragium eum ferre non posse, rescribitur : *Ibid.*, *dub.* 3.

59. Eidem Episcopo officiales, et ministros a dictæ societatis sodalibus electos, si minime idonei reperiantur, gravesque patiantur exceptiones, removere licere S. C. respondit : *Ibid.*, *dub.* 4.

60. Abbas monasterii S. Ubaldi congregationis Lateranensis in vicarium curatum S. Martini e Colle nominavit Joannem Baptistam de Venturis presbyterum ; Episcopus, et in litteris patentibus expeditis adhibuit verba deputationem præferentia, et illa etiam *Approbamus*, et *Confirmamus*. Sed, facta super hac re controversia inter Episcopum Eugubinum, et abbatem Lateranensem, S. C. judicium interposuit, litteras ab Episcopo expeditas non esse mutandas : *Eugubina*, 12 *januar.* 1732, *dub.* 1.

61. Episcopum Larinensem juxta decretum synodi anno 1728 celebratæ pro directione chori ecclesiarum matricium facultatem instituendi simplex officium cantoratus habere non fuit dubitatum [339] : *Larinen.*, *Decret. synod.*, 30 *aug.* 1732, *dub.* 7.

62. Termularum Episcopus animadvertit presbyteros a clero tam receptitiæ ecclesiæ S. Mariæ Majoris collis Nisii, quam alterius in Monte Nigro erectæ, in aliorum consortium recipi, itidemque stallo, ac possessione donari consuevisse nulla accedente ipsius Episcopi auctoritate ; et in relatione status suæ ecclesiæ hoc ad notitiam almæ Sedis deducit, et responsum recepit, *tibi vero licet interdicere, nc prius in possessionem cooptatos immittant, quam a te prævia disquisitione fuerint adprobati*. Rationem vero addebat Episcopus, quod penes hos presbyteros actualis residebat animarum cura, quodque ecclesia S. Mariæ Majoris vera, et propria est collegiata, ad hoc ut ab ipso adprobandi forent presbyteri. Secundum ea quæ proponebantur, definitum fuit, ad Episcopum spectare confirmationem electi, et in posterum eligendorum a consortialibus S. Mariæ collis Nisii : *Termularum*, 12 *aug.* 1741, *dub.* 1. Præsbyteris adversus hanc resolutionem obloquentibus, et ad novæ audientiæ beneficium admissis, dictum fuit, *in decisis*, ita tamen ut confirmatio sine gravi, et legitima causa nequeat ab Episcopo denegari, et gratis omnino concedatur : 15 *decem.* 1742.

63. Episcopo competere jus nominandi, seu deputandi custodem ecclesiolæ vulgo nuncupatæ *la Pasquarella* intra limites territorii castri Civitellæ sitæ, et nuper instauratæ a rectore beneficii ibi fundati sub titulo S. Mariæ de Scopulis, qui sibi jus præfatum vindicabat, non obstante Episcopi pacifica possessione dicti juris : *Tudertina*, *Beneficii*, 12 *aug.* 1741, *dub.* 2.

64. Manutenendum esse Episcopum Miletensem quoad duo oppida Melicucca, et Drusium nuncupata, quæ sacræ religioni Hierosolymitanæ, ejusque commendatariis quoad temporalia subjacent, in jure approbandi, et concedendi licentiam audiendi confessiones, necnon reservandi quosdam casus : *Mileten.*, *Jurisdict.*, 3 *aug.* 1743, *dub.* 3, confirmata 23 *novem. ejusd. anni.*

65. Manutenendum quoque esse in jure adprobandi concionatores in dictis commendis, expediendi litteras patentales, et concedendi licentias, et respective eisdem impertiendi benedictionem : *Ibid.*, *dub.* 4, confirmata *ibid.*

66. Manutenendum etiam esse in jure absolvendi a juramentis tam cives, et incolas eorumdem locorum, quam alios diœceseos Miletensis ad effectum agendi, et excipiendi in judiciis, et quidem privative in omnibus quoad assertos vicarios commendarum : *Ibid.*, *dub.* 5, confirmata *ibid.*

67. Pariter esse manutenendum Episcopum, quoad jus concedendi licentiam pro expositione sanctissimi Sacramenti tam in parochialibus ecclesiis, quam in aliis dictarum commendarum : *Ibid.*, *dub.* 6, confirmata *ibid.*

68. Diœcesim visitaturus novus Isclanus Episcopus ad oppidum Forigii accessit, et edictum promulgavit 16 octob. 1744 in S. visitatione super examine sacerdotum omnium ejusdem terræ quoad scientiam. Ægre id tulit clerus, et frustra, ut Episcopus a consilio recederet, curavit. Hinc Episcopus

[337] Necnon ead. Const. cit. §, prædictos Sum. Pontifex ad accedendum ad synodum exemit.

[338] Hæc declaratio confirmatur *ead. Const.* § 16.

[339] De qua resolutione Bened. XIV ait : « Jure siquidèm communi permittitur tantum Episcopo, de novo erigere simplex officium, aut etiam, cum consensu capituli, antiquam redintegrare dignitatem, quæ olim in sua ecclesia extiterit, et fuerit postea suppressa, sed illam de novo instituere, ad solam pertinet apostolicam Sedem. » *De Synod. diœces.* lib. 7, cap. 65, num. 8, p. 547, tom. 12.

ab oppido, sacerdotibus contestatam denunciationem, et appellationem emittentibus, discessit, ac monuit sacerdotes, ut in civitatem venirent, indicta reluctantibus pœna suspensionis a divinis. Appellatione interposita nonnulli ignorabant, num edictum præfatum sustineretur? et S. C. respondit, ut prævia absolutione a censuris ad cautelam scriberetur Episcopo juxta instructionem [340]: *Isclana, Nullit. edicti, et suspens.*, 29 *maii* 1745, *dub.* 1.

69. Episcopus Miletensis exoratus, ut consuetas a capellanis, et sodalibus ecclesiæ S. Mariæ de Valle terræ Galatri, quam in solo Lateranensi constructam esse autumatur, supplicationes peragendi extra ambitum ecclesiæ ipsius cum sanctissimo Eucharistiæ sacramento, et SS. imaginibus, et SS. statuis licentiam elargiretur, potest illam denegare, accedente tamen justa, et rationabili causa: *Mileten., Jurisdict., et jur. paroch.*, 6 *maii* 1747, *dub.* 3.

70. Ac potest nomine ipsius per deputatum assistere annuæ electioni procuratoris, seu administratoris societatis in ecclesia præfata S. Mariæ erectæ: *Ead.* 15 *julii ejusd. anni, dub.* 1.

71. Imo idem Episcopus debet approbare procuratorem, seu administratorem electum a societate prædicta: *Ibid., dub.* 2.

72. Necnon ipsi Episcopo ille procurator tenetur rationem reddere de administratione per ipsum gesta: *Ibid., dub.* 3.

73. Edictum ab Episcopo Hadriensi factum circa mores eremitarum ecclesiæ S. Mariæ Gratiarum, quæ vocatur *la Cona del Poggio*, et de novo reædificata fuit ab eremita Dominico Carosino, et cathedralis capitulo pro administratione, et deputatione fuit relicta, ratum habuit S. C.; ita ut revisio, et approbatio requisitorum, concessio habitus, et traditio litterarum patentium eisdem eremitis ad effectum stipem conquirendi ad eumdem Episcopum spectare debeat, non vero ad capitulum præfatæ cathedralis: *Hadrien.*, 19 *januar.* 1754, *dub.* 2, confirmata 16 *martii ejusd. anni.*

74. Loca pia Montis Elpari, hospitale scilicet, Mons Pietatis, et Mons Frumentarius Episcopi Montis Alti jurisdictioni, correctioni, atque reformationi subsunt. De hoc S. C. nullum habuit dubium: *Montis Alti*, 25 *januar.* 1755, *dub.* 1.

75. Œconomica eorumdem locorum piorum administratio non a laicali communitate exercenda venit, sed ex directione, et auctoritate Episcopi pendere debet: *Ibid., dub.* 2.

76. Eidemque Episcopo tam faciendi ordinationes pro recta prædictorum locorum administratione, quam officiales, administratores, et revisores computatorum a communitate electos approbandi jus competere putatur: *Ibid., dub.* 3.

77. Hic etiam Episcopus habet jus approbandi resolutiones, vel ab eadem communitate, vel a suis officialibus captas; non autem se intromittere tam inter contractus nomine locorum piorum ineundos, quam inter erogationem proventuum in eleemosynas, et usus pios, ac tandem inter distributionem frumenti personis indigentibus faciendam permissum fuit: *Ibid., dub.* 4, confirmatum et additum salva auctoritate Episcopi juxta resolutiones præcedentes 2 et 3 dubiorum 10 *maii ejusd. anni.*

78. Prædicto Montis Alti Episcopo administratores dictorum locorum piorum electos a communitate, non idoneos, vel male administrationem gerentes removendi facultas impertitur; ei autem potestas alios per ipsum eligendos eorum loco substituendi denegatur: *Ibid., dub.* 5.

79. Item præfato Episcopo redditionem rationis a dictis administratoribus a communitate electis, una cum syndicatoribus exigendi potestas conceditur: *Ibid., dub* 6.

80. In Episcopo sæpe laudato sententiæ syndicatoriæ adversus administratores exequutio, et contra debitores dictorum locorum piorum inquisitio nititur: *Ibid., dub.* 7.

81. Electionesque officialium a communitate ab anno 1751 factas sustineri rescriptum fuit accedente tamen Episcopi approbatione: *Ibid., dub.* 8.

82. Episcopo Ariminensi, sive ejus vicario generali, vel alteri eorum nomine in congregationibus societatis S. Josephi intra ambitum conventus Minorum conventualium erectæ assistere, et suffragium ferre non licere rescriptum est: *Ariminen.*, 7 *aug.* 1756, *dub.* 3, confirmatum, et subjunctum, quoad præsidentiam tantum absque voto: 30 *julii* 1757, *dub.* 1.

83. Eugubinus Episcopus jus invisendi rationes administrationis hæreditatis a Visitale Angelo in opus pium relictæ, a syndicis communitatis reddenda cumulative cum Card. legato habere firmiter fundat. Legatus autem sibi privative competere, nullamque ad Episcopum jurisdictionem desuper pertinere prætendit. Audita fuit S. C., et hæc respondit, dari decreta *in Fanen. die* 18 *junii* 1757, et 4 *martii* 1758 [341]: *Eugubina*, 12 *aug.* 1758.

84. Bajulivatus vicarius nequit licentias confessiones audiendi in ecclesiis locorum Rhodii, et S. Mauri ad religionem Hierosolymitanam spectantium sacerdotibus quibuscumque etiam ab Ordinario non adprobatis impertiri: *Caputaquen.*, 2 *aug.* 1760, *dub.* 4, confirmata 17 *januar.* 1761.

[340] Vide not. 1, *supra*.

[341] Vide § 25, num. 128.

85. Archiepiscopo Leopoliensi capellam cœmeterii nimis angustam, ad quam populus frequens affluit, ita ut reliquus sub cœlo aperto, et cum nimia irreverentia assistit, et tam populus iste, quam celebrantes distractionibus remanent obnoxii, supprimere licet; et imaginem Deiparæ Virginis ab eadem capella ad unum ex altaribus ecclesiæ cathedralis transferre, eidem Archiepiscopo datum arbitrium fuit: *Leopolien.*, 27 *aug.* 1763, *dub.* 1, confirmata 9 *febr.* 1765.

86. Dictæque sacræ Virginis imaginis, fundationum Missarum, et supellectilis translatio facienda est ad altare illud cathedralis, quod magis Archiepiscopo lubet: *Ibid.*, *dub.* 2, confirmatum et additum ad mentem: *Ibid.*

87. Duo præ ceteris altaria in choro presbyterii sita rudioris structuræ, et functiones impedientia pontificales, recte demoliri fecit Archiepiscopus, adeo ut in pristinum statum, civitatis Leopoliensis instigante magistratu, restitui non debeant: *Ibid.*, *dub.* 3, confirmata *ibid.*

88. Obligationes vero, et respective fundationes et cetera onera in iisdem demolitis altaribus existentia, ad ea transferenda sunt altaria, quæ magis idonea Archiepiscopus arbitratur: *Ibid.*, *dub.* 4, confirmatum, et injunctum ut, quum adessent nonnullæ fundationes, et obligationes, quæ laicorum sunt jurispatronatus, consensus patronorum exquiratur: *ibid.*

89. Judicium ulterius quum petitum esset, quomodonam eidem prælaudato Archiepiscopo liceret in ecclesia cathedrali, ejusque ambitu, quem uti ecclesiæ sponsus a scamnis, arcis, asservatoriis, et scriniis, ceterisque impedimentis decori ecclesiæ obstantibus, purgare exoptabat, supprimere altaria, et transferre functiones, Missas, aliasque pias operas iisdem altaribus addictas, et celebrari solitas; resolutio prodiit, omnia Archiepiscopi arbitrio esse remittenda: *Ibid.*, *dub.* 5 et 6, confirmatum et additum, quoad suppressionem altarium, et translationes fundationum utatur jure suo: *Ibid.*

§ XIX.

Episcopus quoad procurationem seu quomodo, a quibus, et in qua summa debeatur, necne.

1. Declaravit S. C., cap. 3, sess. 24 [342], dum de subministrandis victualibus Episcopo visitanti disponit, non habere locum in visitatione ecclesiæ cathedralis: *Tarentina, anni* 1573.

2. Quum præsides locorum, oppidorumque Archiepiscopo ea visitanti victualia, et hospitia præstare consuevissent, eique a rectoribus, et vicariis perpetuis parochialium ecclesiarum ratione aliorum sumptuum, quos occasione visitationis fieri contingebat, quædam pecuniarum summa persolveretur, idem Archiepiscopus declarari postulavit, an per Concilium Tridentinum, cap. 3, sess. 44, *de Reformat.* [343], posset hæc observantia antiquissima exigi? et S. C. respondit, servandam esse consuetudinem ecclesiis utilem, si communitates non conqueruntur, laudabilius tamen esse, ut nec illæ graventur; et si victualia a communitatibus exigantur, clericis parcendum: *Cæsaraugustana, anni* 1581.

3. Clerus oppidi Campli querimoniam habet de mora trium mensium, quam Episcopus visitans in singulis locis facit, hinc S. C. rescripsit, ne quicquam pro equorum vecturis exigat, aut prætextu visitationis eo anno, quo se ipsa non visitet, aliquam pecuniæ summam recipiat. Dum vero visitationis munus explet contentus sit frugalibus expensis, nihilque amplius omnino accipiat quam id, atque pro eo tempore, quo solvi, et tribui ab iis qui visitantur consuetum est. Hæc autem observanda tum in visitatione totius diœcesis, tum præcipue in visitando oppido Campli, ubi ex consuetudine Episcopo visitanti triduanæ ministrantur impensæ: *Aprutina, decem.* 1584.

4. Ad petitionem ecclesiarum, capitulorum, ac cleri decidit S. C. esse in optione eorum qui visitantur, si malint, solvere pecuniam pro unaquaque ecclesia baptismali solvi Episcopo consuetam, aut vero victualia subministrare: *Tirasonen.*, *junii* 1586.

5. Ad dubium, an decretum Concil. Trid. cap. 3, sess. 24, vers. *Interimque* [344], quo prohibetur Episcopo præter victualia quicquam accipere ratione visitationis, etiam testamentorum ad pios usus, aut alio quovis nomine censeatur substulisse tribunatum, seu cathedraticum, quod singulis annis exigi ab Ordinariis consuevit? censuit nequaquam sustulisse cathedraticum, nec illud tamen solvendum in visitatione, sed extra, et in synodi celebratione: *Messanen.*, 2 *octob.* 1587.

6. Putavit S. C. Episcopum modesto equitatu, et famulatu oportere contentum esse, præcise autem numerum famulorum Concilium non statuit, sed Episcopi judicio, et modestiæ relinquit: *Foro Sempronien.*, *novem.* 1587, *dub.* 1.

7. Victualia ubique ministranda sunt a visitatis, etiam nullius diœcesis vigore, cap. 9, sess. 24, *de Reform.* [345]: *Ibid.*, *dub.* 2.

[342] Vide not. 220 supra.

[343] Vide not. 220.

[344] Vide not. 220.

[345] Quo ecclesias seculares, quæ nullius sunt diœcesis, ab Episcopo proximiori, alioquin ab eo, qui semel in Concil. provinciali a prælato loci illius electus fuerit, tanquam Sedis apostolicæ delegato visitari præcipitur.

8. « Si dimanda se alle spese, che si fanno tempore visitationis sono obligati a contribuire per rata gli beneficiati semplici, e curati del luogo visitato, o pure anno da cavare dalla massa commune che si percipisce delle decime dalli poveri preti, che non anno altro, e la visita quasi sempre si fà per le chiese beneficiate? » respondetur teneri ad procurationem beneficiatos quoscumque, qui ab Episcopo visitantur : *Triventina, febr.* 1588, *dub.* 4.

9. Mandavit S. C. scribendum esse Episcopo, ut procurationis nomine victualia tantum in visitatione recipiat ad præscriptum cap. 3, sess. 24 [346] : quum cathedraticum alio tempore quam visitationis exigeretur : *Reatina*, 27 *martii* 1591.

10. Si populus castri Collis solitum fuerit solvere procurationem Episcopo visitanti, hujusmodi consuetudinem esse observandam S. C. rescripsit : *Nucerina*, 5 *julii* 1607.

11. Si revera universitas a tempore cujus initii memoria non existit, hujusmodi procurationem Episcopo visitanti pendere in more habuit, posse, ac debere ab Episcopo compelli ad eam etiam deinceps persolvendam S. C. decrevit : *Senogallien.*, 11 *april.* 1609.

12. A S. C. agente de ecclesiis quæ sunt annexæ commendis Hierosolymitanis resolutum fuit, procurationem non deberi : *Augustana.*, 14 *decem.* 1630, *dub.* 1.

13. Episcopo visitanti procuratio debetur juxta præscriptum cap. 3, sess. 24, *de Reform.* [347] : *Acernen.*, 17 *maii* 1636, *dub.* 1.

14. Necnon resolutum est, decere ut Episcopus in solemnioribus anni festivitatibus apud suam cathedralem ecclesiam resideat, ei tamen hac de causa procurationem non deberi : *Ibid., dub.* 5.

15. Declaravit Episcopo accedenti ad sacramentum Chrismatis conferendum victualia minime deberi, sed fieri posse tempore visitationis : *Sabin.*, 13 *novem.* 1638.

16. Episcopo visitanti ecclesiam monialium, si in ea non adsit beneficium, non deberi procurationem, seu expensas victualium deciditur : *Volaterrana*, 13 *novem.* 1638.

17. Exponitur, quod Episcopo diœcesim visitanti solvuntur a capitulo, et clero loco victualium scuta 45 monetæ romanæ, et nihilominus idem Episcopus, dum ecclesiam cathedralem visitat, capitulum aliis sumptibus gravat, et S. C. consulitur, quæ respondit non posse Episcopum in casu, et occasione visitationis quid victualium recipere, sed tantummodo summam scut. 45 a clero solvi solitam : *Guardien.*, 8 *maii* 1649, *dub.* 2.

18. Quæritur partibus citatis, et auditis, an obtinentes beneficia simplicia in terra Garbii teneantur cum parochis contribuere procurationem Episcopo diœcesim visitanti præstandæ? S. C. censuit hujusmodi beneficiatos teneri contribuere cum parochis procurationem Episcopo visitanti diœcesim : *Narnien.*, 12 *sept.* 1654.

19. In disceptationem venit, qualis debeat esse comitatus Episcopi visitantis ad effectum præstationis victualium? respondetur, Episcopum debere esse contentum de moderato, et modesto famulatu, et equitatu : *Bojanen.*, 14 *novem.* 1654, *dub.* 2.

20. Et per quod tempus in locis visitandis sit ei præstandum victualia? rescribitur visitationem celeriter esse absolvendam, et ad actus extraneos non esse divertendum : *Ibid., dub.* 3.

21. Dubioque exhibito, an obtinentes beneficia etiam simplicia, seu capellanias in titulum teneantur contribuere dicta victualia? responsum est, obtinentes beneficia, seu capellanias in titulum teneri pro rata parte contribuere : *Ibid., dub.* 4.

22. Inde ad rogatum, an eadem victualia teneantur tribuere societates laicorum? judicium fuit, societates visitatas ad eamdem contributionem teneri : *Ibid., dub.* 5.

23. Demum efflagitatur declarari, an Episcopo accedente ad conferendum sacramentum Confirmationis teneantur universitates præbere eadem victualia, seu procurationes? respondetur Episcopo accedenti ad sacramentum Chrismatis conferendum, non esse subministranda victualia, nisi concurrat consuetudo legitime præscripta : *Ibid., dub.* 6.

24. Ac visitatos non teneri contribuere pro vecturis equorum, definitur : *Ibid., dub.* 7.

25. Quum anceps esset Episcopus, an juxta consuetudinem antiquissimam episcopatus Minerbiensis sint solvenda ab universitate Montis Leonis scuta duodecim ipsi Episcopo pro victualibus occasione administrationis sacramenti Confirmationis? rescripsit, posita consuetudine Episcopo esse solvenda dicta scuta duodecim pro victualibus occasione administrationis sacramenti Confirmationis [348] : *Minerbien.*, 24 *april.* 1655.

26. Episcopus, seu visitator ab Episcopo depu-

[346] Vide not. 220.

[347] Vide not. 220.

[348] Hæc resolutio nitebatur consuetudini; hodie autem nec circa hoc suffragatur consuetudo, utpote sublata per taxam Innocentianam jussu Innoc. XII editam, et ab eodem die 1 octob. 1678 confirmatam, in princip. ibi « In modo che deve dirsi reproba ogni consuetudine unice tamen sustineri potest hæc præstatio, si Episcopus extraordinarie a populo invitetur pro hoc sacramento administrando extra visitationem, quam ipse non omittit, quia tunc non esset actus necessarius. Similiter si Episcopus ad eumdem effectum convocetur ad abbate nullius, quo casu ipse,

tatus, quum posset visitare parochos etiam regulares monasteriorum ordinis Cisterciensium S. Benedicti Carthusianorum, etiam quamvis exemptorum, qui exercent curam animarum personarum secularium in parochiis in sua diœcesi existentibus, licet illæ monasteriis exemptis sint annexæ, aut de jurepatronatus, non obstantibus privilegiis dictorum monasteriorum, ab illis procurationem canonicam habere potest, nisi hujusmodi regulares circa illam speciale, et individuum habeant privilegium : *Olomucen., Jurisdict.*, 11 *julii* 1665, *dub.* 1.

27. Nonnulli beneficiati simplices, et societates terræ vallis Montanæ expostulant, quod licet ab antiquo tempore procurationem Episcopo visitanti capitulum, et canonici dictæ terræ satisfacere in more sint, absque eo quod oratores aliquid contribuere gravati fuerint, nihilominus dictum capitulum illos respective taxavit pro hujusmodi contributione, ideoque supplicatur a S. C. declarari, an dictis beneficiatis, et sodalitiis suffragetur asserta consuetudo, quominus ad dictam contributionem minime cogendi sint? S. C. eadem auditis partibus, et juribus hinc inde deductis, censuit, beneficiatos, et societates terræ vallis Montanæ teneri procurationem contribuere Episcopo visitanti, nec illis suffragari assertam consuetudinem quod hujusmodi procuratio solvi sueverit a capitulo, et canonicis collegiatæ ejusdem terræ : *Signina*, 12 *aug.* 1670.

28. Modernus Episcopus Castrensis comperiit prædecessores suos in visitatione ecclesiæ cathedralis suevisse exigere a capitulo ducatos 6, ratione procurationis, innixos fortasse auctoritate *Hostiensis, et Abbat.*, in cap. *Venerabilem de censibus, et Genuen. in praxi cur. Archiep. Neap.*, cap. 19, juxta antiquam impressionem, eam reddentium rationem, quia procuratio non solum ob victus necessitatem, verum etiam ratione officii, et in signum subjectionis Episcopo debetur ; quia tamen contrarium firmat Piasc. *in Praxi Episc.*, part. 2, cap. 3, num. 65, asserens, ita pluries respondisse hanc S. C., ideo anceps, cuinam opinioni sit adhærendum, abstinuit ab exactione, interea ex apostolico fonte quærit veritatem ; an Episcopo ecclesiam cathedralem, vel alia loca pia visitanti debita sit procuratio? responsum dedit negativum[348] : *Castren., Procurat.*, 17 *novem.* 1685.

29. Contendente Episcopo procurationem exigere posse a barone Petronio sub fundamento, quod alias ei soluta fuisset occasione visitationis oratorii, seu capellæ in insula Nisitæ existentis, disceptatum fuit, an Episcopo Puteolano debeatur a barone Nisitæ pro qualibet visitatione ecclesiæ S. Mariæ Gratiarum ejusdem insulæ procuratio? prodiit negativa resolutio : *Puteolana, Procurat.*, 10 *decem.* 1695, [349].

30. Clerus, et capitulum eccclesiæ parochialis S. Mariæ in sylvis terræ Serræ Capriolæ supplicat declarari, an Episcopus posset occasione visitationis præter conventam procurationem in ducatis 20, exigere impensas, seu vecturas equorum, pensionum domus, et utensilia tam pro se, quam pro familia? respondit, Episcopo non licere aliquid recipere pro alimentis, seu vecturis equorum præter conventam procurationem : *Larinen.*, 23 *martii* 1697, *dub.* 1, confirmata 12 *april.* 1698.

31. Die 18 julii 1699, controversias excitatas inter Archiepiscopum, ejusque officiales, ac clerum, parochos, et universitatem oppidi Tramontis S. C. composuit definiens Archiepiscopum occasione administrationis sacramenti Confirmationis in visitatione non potuisse, nec posse in futurum procurationem ab universitatibus laicalibus exigere, sed exactas restituere teneri a die habiti recursus ; modo decretum confirmatur : *Amalphitana*, 6 *febr.* 1700, *dub.* 1.

32. Item ad dubium, an idem Archiepiscopus potuerit, et possit in visitatione præter utensilia exigere a clero Tramontis ducatos 30, pro cibariis, sede portatili, et cimba, et alios ducatos 60 pro procuratione, necnon idem clerus solvere teneatur alios ducatos 4 pro vicario, et sex cancellario ; vel potius pro exactis tam Archiepiscopus, quam prædicti officiales ad restitutionem teneantur? respondit S. C. deberi victualia tantum ad formam Concilii [350] : *Ibid.*, confirmata *ibid.*

33. Dubio examinato, an Episcopus Anglonæ, sicuti pro majori anni tempore residens in terra Claramontis possit aliquid a clero exigere sub titulo procurationis occasione visitationis? S. C. ait inspecta declaratione Episcopi, quod nihil prætendit, non esse respondendum : *Anglonen., Prætens. exact.*, 20 *decem.* 1704, *dub.* 4.

34. Et sub nullo titulo Episcopus potest annuatim a prædicto clero exigere carolenos quatuor pro quolibet sacerdote : *Ibid.*, *dub.* 5.

35. Et in disquisitione positis dubiis, an præter

vel in subsidium populus, tenetur victualia ministrare. Nicol. » Vide Card. Petra, *Comment. ad Const. XIV Innoc. IV*, num. 76, tom. 5, pag. 82.

[349] « Quæ resolutio (ait advocatus Dominicus Ursaya) fuit juxta meum votum antequam in causa scriberem, de more insinuatum Episcopo, ob duplex motivum : primo, quia ex hac parte non probabatur concludenter solitum solvendi procurationem ; secundo vero, quia paupertas ecclesiæ in rei veritate magna erat, quo casu nullam possunt Episcopi procurationem exigere. » *Discept. Eccl. XXX*, tom. 2, part. 1, num. 56. Quæ disceptatio fuit defensio in favorem Episcopi ab eodem, strenue confecta.

[350] Vide not. 220 supra.

dictos carolenos quatuor teneatur clerus in visitatione subministrare victualia, necnon solvere vecturas, ac ferramenta equorum?

36. An sit in libertate præfati cleri visitati solvere Episcopo in pecunia, vel subministrare victualia? respondetur uti ad dubium 4: *Ibid.*, *dub.* 6 et 7.

37. Episcopo Potentino visitanti capitulum, et clerum ecclesiæ S. Leonardi in oppido Aviliani, procurationem, vel in victualibus, vel in pecunia dare in facultate esse ejusdem capituli stabilitur: *Potentina*, *Procurat.*, 24 *januar.* 1705, *dub.* 1.

38. Quumque huic Episcopo in pecunia numerare capitulo, et clero Aveliano placeret procurationem, ad normam a concilio Romano præscriptam solvendam hanc esse S. C. arbitratur: *Ibid.*, *dub.* 2.

39. Si victualium subministrationem præenarrato Episcopo visitanti communitas, et clerus facere velint, numerent ulterius communitas ducatos 10, et clerus ducatos 18, numquam tamen procurationis titulo solvant, prout decisum fuit: *Ibid.*, *dub.* 3.

40. Episcopo visitanti clerum civitatis Aliphanæ procurationem non deberi S. C. resolvit; licet hactenus exigere solitus fuerit: nam deberi a clero civitatis, ubi sita est cathedralis, asserebatur: *Aliphana*, *Procurat.*, 18 *julii* 1705.

41. Quum Episcopus visitans per 40 dies diœcesim procurationem duc. 80 exegisset, capitulo Terlicii reclamante, S. C. sancivit non constare de excessiva procuratione, nec esse restituendam: *Juvenacen.*, *seu Nullius Terlicii*, *Visitat.*, 23 *januar.* 1706, *dub* 2.

42. Ac procurationem esse præstandam, non a sola ecclesia collegiata Terlicii, sed ab omnibus aliis ecclesiis, et locis piis visitandis statuitur: *Ibid.*, *dub.* 3.

43. Et divisionem, seu exactionem faciendam esse a capitulo, et in casu controversiæ ab Episcopo visitante præcipitur: *Ibid.*, *dub.* 4.

44. Dubiis excussis, an taxa pecuniaria pro procuratione Episcopi visitantis diœcesim Geruntinam sustineatur? et quatenus affirmative?

45. An eadem taxa sit servanda pro vicario visitante? rescriptum emanavit, dari decreta alias de hac re edita [351]: *Geruntinen. et Cariaten.*, *Synodi*, *et gravam.*, 2 *octob.* 1706, *dub.* 9 et 10, confirmata 11 *febr.* 1708.

46. Taxa procurationis facta in visitatione pastorali oppidi Collis veteris a canonicis collegiatæ ecclesiæ dicti loci pro rata parte beneficii S. Augustini possessi ab archipresbytero ejusdem terræ Petro Paulo Scarincio, quum esset constitutum dictum beneficium in districtu Ciciniani, est delenda, ac revocanda: *Sabinen.*, *Procurat.*, 26 *martii* 1706, confirmata 4 *junii ejusd. anni;* iterum confirmatur et additur sine præjudicio jurium partium quoad pertinentiam territorii: 23 *junii* 1708.

47. In dubium vocatur, an sit in libertate cleri terræ Belvederii exsolvere Episcopo S. Marci visitanti procurationem in pecunia, vel subministrare victualia, et quatenus in pecunia?

48. An, et in qua summa sint taxanda?

49. An clerus teneatur quidquam solvere ministris aliisque Officialibus Episcopo visitanti necnon vecturas equorum eidem Episcopo? S. C. respondit, ut darentur decreta [352]: *Sancti Marci*, *Procurat.*, 7 *julii* 1708, *dub.* 1, 2, 5 et 6, confirmata 13 *april.* 1709.

50. Societates laicales terræ Hyspelli tenentur contribuere pro rata parte temporis Episcopo procurationem occasione visitationis earumdem societatum. Et si illæ renuentes allegabant contrariam consuetudinem, qua... S. C. despexit: *Spoletana*, *Procurat.*, 14 *junii* 1710.

51. Episcopum Brictinorii post lustralem sacram visitationem expletam in ecclesia parochiali, seu vicaria S. Joannis Baptistæ, monasterio Camaldulensium Scardavillæ unita, procurationem tunc primum petentem, et ab iisdem Camaldulensibus, qui ab ea exemptos esse pro certo habebant, sibi deberi autumantem, S. C. non attendit: *Brictinorien.*, *Procurat.*, 27 *aug.* 1712, *dub.* 1

52. Quæstionem factam de exemptione a visitatione, ac a solutione procurationis ecclesiarum villæ

[351] Ut quoad 9 signanter *in Melevitana*, 18 sept. 1688, dub. 1, et *in Potentina*, 24 jan. 1705, ad 1 et 2, dub. in dicta *Melevitana*, *Prætensorum gravaminum*, ad dub. 1 fuit resolutum non constare de gravamine, quia Episcopus coegit ecclesiam, capitulum, et canonicos B. M. insulæ Gaudisii ad solvenda scut. 253, tar. 18 et gran. 16 pro expensis visitationis, ut ex lib. 38 *Decr.* fol. 195, et *de Potentina*, vide num. 37 præs. §.

Et quoad 10 dubium danda esse pariter decreta et signanter *in Amalphitana*, 18 julii 1699, ad dub. 4, hisce verbis conceptum: An et quæ summa pro procuratione solvenda veniat a prædicto clero, quoties visitatio per vicarium generalem, non autem per Archiepiscopum facienda sit? respondit deberi victualia, quæ non excedunt medietatem procurationis Archiepiscopi: Ex lib. 49 *Decret.* fol. 252.

[352] Alias edita, et signanter ad 1 *in Tirasonen.*, junii 1586, et *in Potentina*, *Procurationis*, 24 januar. 1705 ad dub. 1. Ad 2 *in ead. Potentina*, ad dub. 2. Ad 5 *in Amalphitana*, 10 julii 1699, ad 3 dub. Ad 6 *in Aprutina*, decem. 1584. Sensus autem hic est videlicet: Ad 1 affirmative; ad 2 in summa moderata ad formam Concilii; ad 5 deberi victualia tantum ad formam Concilii; ad 6 negative. Rel. *in S. Marci*, *Visitationis*, 8 aug. 1733, § 3 seq.

S. Antonii, Sanctæ Crucis, et S. Mariæ Gratiarum terræ Vissi ratione assertæ aggregationis basilicæ Lateranensis, S. C. dirimit, dictas ecclesias teneri solvere procurationem definiendo : *Spoletana, Prætensæ exempt.*, 12 *nov.* 1712, *dub.* 2.

53. Enixe conquerentibus archipresbytero, et canonicis ecclesiæ collegiatæ oppidi Campaneani, quod præ ceteris locis piis, quæ visitationis beneficium reportabant, fabrica solummodo mox dictæ collegiatæ ecclesiæ onere integræ procurationis gravaretur, Episcopus precibus annuens, omnibus ecclesiis, aliisque societatibus onus viritim injunxit. Et licet opponentibus his contrariam observantiam, ac consuetudinem diuturnam, S. C. decernit loca pia Campaneani teneri contribuire ad procurationem : *Nepesina, Procurat.*, 3 *dec.* 1712, *dub.* 1, confirmata 27 *maii* 1713.

54. Moniales quatuor monasteriorum S. Mariæ vallis Gloriæ, S. Claræ, S. Joannis et S. Mariæ Magdalenæ oppidi Hyspelli lamentantur, quod nuper peracta ab Episcopo Spoletano sancta visitatione, canonici deputati pro exigenda procuratione, præ ceteris locis piis, ejusdem onus pro rata parte ipsis quoque contra diuturnam consuetudinem non solvendi injunxerunt ; et S. C. non teneri dictas moniales rescripsit : *Spoletana, Procurat.*, 17 *martii* 1714.

55. Episcopus S. Marci potest per seipsum omnes ecclesias, omniaque suæ diœcesis loca quotannis visitare, et potest infra annum plures peragere visitationes ; sed in his intra annum peragendis nullam procurationem petere valet : *Sancti Marci, Plurium*, 16 *januar.* 1723, *dub.* 1.

56. Præfato Episcopo per seipsum diœcesim visitanti integram minime deberi procurationem, sed alternativam esse servandam stabilitum fuit : *Ibid.*, *dub.* 2.

57. Eidem Episcopo sacram peragenti visitationem procurationem deberi juxta optionem visitandorum, vel nempe in victualibus, vel in pecunia exclusis tribus prandiis in casu solutionis pecuniæ sancitum est, et ut quoad vecturas equorum daretur decretum 7 *julii in S. Marci ad dub.* 6[353] : *Ibid.*, *dub.* 6.

58. Quin etiam, et eidem Episcopo visitanti, et dubitanti, an possit eo præfigi numerus personarum ejus comitatus, et numerus dierum, quibus permanere possit in visitatione loci visitandi, relatum fuit arbitrio, et conscientiæ Episcopi ad formam Concilii [354], et ad mentem : *Ibid.*, *dub.* 5 et 6.

59. Episcopo Auximano debetur procuratio per contributum ab omnibus parochis, beneficiatis, ecclesiis, monasteriis, et societatibus Montis Philoptrani : *Auximana, Procurat.*, 15 *martii* 1725, *dub.* 1.

60. Archiepiscopus Florentinus visitans ecclesias, et vicarias subjectas monasterio Cassinensium, quod privilegia pontificia titulo oneroso acquisita exhibet, nequit ab eis exigere procurationem : *Florentina*, 7 *junii* 1727, *dub.* 1.

61. Ac tenetur idem Archiepiscopus restituere pecunias depositas : *Ibid.*, *dub.* 2.

62. Non est in arbitrio collegiatæ ecclesiæ de Zafra solvere in specie, vel in pecunia procurationem, sed in medietate ea est solvenda visitatori deputato ; et in quantitate juxta solitum, et exacta per Petrum Leonium præter morem est restituenda : *Pacen., Juris visitandi de Zafra*, 29 *januar.* 1729, *dub.* 5.

63. Episcopo Guardiensi visitanti parochialem ecclesiam S. Joannis oppidi Aquavivæ, cujus rector a commendatario religionis Hierosolymitanæ nominari solet, et Episcopo minime subjectum se esse obfirmat, necnon procurationem ab eo exigenti S. C. refragatur : *Guardien.*, 14 *novem.* 1733, *dub.* 3. Deinde recessit a decisis, 3 *martii* 1736. Ac in de Episcopo supra clerum, et populum ordinariam jurisdictionem, et supra ecclesiam delegatam tantum adjudicavit : 25 *febr.* 1741.

64. Presbyteri domicilium habentes in oppido Adamante demonstrarunt, Episcopis ipsum oppidum visitantibus ex veteri more per centum, et amplius annos servato, dari consuevisse titulo procurationis scuta tria, quæ ab Archipresbytero tantum enumerabantur. Hodiernus vero Episcopus paucis abhinc annis summam numerum majorem exigere cœpit, cogendo omnes presbyteros ad ejus pecuniæ contributionem, quamvis nullum ipsi ecclesiasticum beneficium possideant, sed tenui solum patrimonio ducatorum 24 fruuntur ; ob id examen meretur, quomodo, et in quanam quantitate Episcopo visitanti debeatur procuratio ? responsum fuit : Dilata, et scribatur vicinioribus juxta instructionem : *Sancti Marci, Visitat.*, 8 *aug.* 1733, *dub.* 1. Cassanensi,

[353] Vide præsenti § num. 49.

[354] Sess. 24, cap. 3, *de Reform.*, ubi habetur : « Quæ ut facilius, feliciusque succedant, monentur prædicti omnes, et singuli, ad quos visitatio spectat, ut paterna charitate, christianoque zelo omnes amplectantur, ideoque modesto contenti equitatu famulatuque studeant, quam celerrime, debita tamen cum diligentia, visitationem ipsam absolvere. » Hinc Gallemart *in Concil. Trid.* cit. cap. num. 10, ait : « Nullum certum tempus ab Episcopo observandum ad visitationem est præscriptum, sed relictum est arbitrio Episcopi : quod debet esse moderatum, et discretum. Dum ipse Episcopus visitat, debet continenter visitationem prosequi, neque ad extraneos actus divertere, sed quam primum, legitimo impedimento cessante, ut perficiatur, incumbere. »

Bisinianensique respondentibus Episcopis, deque respectivarum eorum diœcesum more instruentibus, resolutum fuit, deberi quoad Archipresbyterum ad formam conventionis anni 1645 [355] : Quo vero ad alias ecclesias, et societates doceatur de tempore fundationis : 9 *januar.* 1734.

65. Perpensum postea fuit, an idem Episcopus debeat restituere pecuniam exactam præter taxam antiquam? et responsum est, ut scriberetur Episcopo juxta mentem : *Ibid.*, *dub.* 3.

66. Omnes beneficiati, societates, et loca pia oppidi Gallesii tenentur ad procurationem rependendam Episcopo visitanti juxta divisionem ab eo approbatam : *Civitatis Castellanæ*, *Procurat.*, 9 *januar.* 1734, *dub.* 1.

67. Nec obstet contraria consuetudo, qua illud onus semper capitulum subivit : *Ibid.*, *dub.* 2.

68. Locus fuit capitulo collegiatæ ecclesiæ S. Agathæ oppidi Proxeudis expostulandi cum Episcopo, quod procurationem in scutis septem, vel novem antiquitus persolvendis, hodie ampliorem nimis ille reddit, si ratio habenda de omnibus, quæ rependere debet capitulum, sive pro vecturis decem equorum, sive copia victualium, sive pro stipendio notarii, et secretarii, sive demum pro muneribus, quæ ab aliis ejusdem Episcopi familiaribus exiguntur ; ideo omnis sua spes auctoritate S. C. nititur, quæ declaravit taxandam esse procurationem Episcopo visitanti in scutis septem, quatenus visitandi nolint præstare victualia danda in quantitate moderata ad formam Concilii [356] : *Ferentina*, 26 *martii* 1735, *dub.* 2.

69. Impensis victualium occasione visitationis pastoralis Episcopi in oppido Massæ non tenentur contribuere societates laicorum, et alia pia loca, et obtinentes capellanias in dicta terra Massæ, ejusque territorio, in casu tamen de quo agitur. Nam Episcopus consulens indemnitati Archipresbyteri de summa expensa scut. 20 præcepit, ut scut. 10 a communitate, et a piis locis visitantibus persolverentur : *Tudertina*, *Procurat.*, 30 *julii* 1735, *dub.* 2.

70. Policastri Episcopus in actu visitationis exigere nequit procurationem ab archipresbytero, et clericis participantibus ecclesiæ S. Nicolai terræ Laureæ : *Policastren.*, *Procurat.*, 1 *junii* 1737, *dub.* 1.

71. Neque etiam exigere debet ab eodem archipresbytero, et clericis præter procurationem ducat. 15 in pecunia, victualia, et vecturas equorum pro se, et sua familia : *Ibid.*, *dub.* 2.

72. Et quamvis idem Episcopus, non completo anno ab ultima visitatione, possit iterum eamdem ecclesiam visitare, non tamen valet aliam procurationem a visitandis repetere : *Ibid.*, *dub.* 3.

73. Utrum vero præfatus Episcopus, dictam procurationem exigere non valens, ad jam exactum restituendum cogi possit? et ad mentem S. C. respondit : *Ibid.*, *dub.* 4.

74. Inde archipresbyter exposuit, Episcopum moram traxisse in oppido prædicto, atque posthabita resolutione enunciata procurationem singulis annis exigere voluisse ; ob id S. C. rescripsit eum exegisse procurationem contra formam prædictarum resolutionum : 7 *april.* 1742, *dub.* 1.

75. Episcopo Bisacciarum, qui capitulum cathedralis ecclesiæ, quæ a Leone X, Pont. Max., alteri cathedrali S. Angeli Lombardorum unita fuit, in occasione pastoralis visitationis ad procurationem sibi solvendam, et ad sibi, convisitatoribus, aliisque ministris, ac famulis habitationem parandam adigere volebat, et jamdiu victualia, et pecunias in visitatione anni 1736 exegerat ; responsum fuit protelatum, et reproponi una cum dubio, an Episcopus teneatur aliqua parte anni residere in civitate Bisacciarum? mandavit : *Bisacciarum*, 15 *martii* 1738, *dub.* 4 et 5.

76. Amalphi Archiepiscopo ab abbate commendatario parochialis ecclesiæ S Mariæ oppidi Positani procurationem tradi debere resolutum fuit : *Amalphitana*, *Cathed. et procurat.*, 14 *martii* 1739, *dub.* 3.

77. Visitationem die 19 januar. anni 1734 in oppido Terlitii aggressus Juvenacii Episcopus, eamque usque ad diem 7 martii prosequutus, repetiit die 1 martii insequentis anni, ac tandem insumptis ex proprio ære pro sui, aliarumque decem personarum victu ducatis 164, sub die 15 ejusdem mensis complevit. Postremam autem visitationem, quam die 20 maii 1737 indixerat aggressus est, absolvitque, acceptis a Terliciensi capitulo pro victualibus ducatis septem supra decem. At quoniam capitulum istud quidquam aliud solvere recusavit, Episcopus antequam novam adoriatur visitationem, interrogat matrem et magistram omnium Ecclesiarum, an, et in qua summa, seu quantitate sibi debeatur procuratio pro visitationibus ecclesiarum, et locorum piorum ejusdem oppidi annis 1734, 1735 et 1737 expletis? deberi pro utraque visitatione in ducatis bis centum, non comprehensis ducatis 17 jam solutis, S. C. respondit : *Juvenacen.*, *Procurat.*, 3 *sept.* 1740, confirmata 20 *januar.* 1742.

[355] Ecclesia parochialis in oppido Adamantis fundata fuit anno 1645 : in ipso fundationis instrumento cautum fuit Episcopo visitaturo solvendos esse ducatos tres : *Ead. causa* 8 aug. 1733, § 7.

[356] Vide not. 220 supra.

78. Episcopum Maceratæ a clerico Licinio Assortati rectore ecclesiastici beneficii, quod in ecclesia Sanctissimæ Trinitatis extra mœnia Montis Milonis jurispatronatus illius communitatis, erectum reperitur, procurationem in actu sacræ visitationis præbere detrectante, et exemptionem sibi ob Constitutionem tam Bonifacii IX, Pont. Max., qui ecclesias in solo Lateranensi fundatas ab Ordinarii jurisdictione exemit, et Sixti V, Sum. Pont., qui eam redintegravit, competere exponente, procurationem exigere posse resolutio prodiit : *Maceraten., Cathed. et Procurat.*, 10 *junii* 1741.

79. Soræ Episcopum ecclesiam collegiatam S. Simonis oppidi Albeti non modo ad consuetam solutionem annuorum ducatorum octo, et carolenorum quatuor titulo procurationis Episcopo supralaudato faciendam, verum etiam ad subeundas expensas necessarias occasione visitationis compellere posse S. C. putavit : *Sorana, Procurat.*, 12 *aug.* 1741, *dub.* 1 et 2.

80. Inde ambiguum quum esset, an ad integras expensas dictæ visitationis teneatur tantum dicta ecclesia collegiata, sive pro rata parte contribuere alii parochi, beneficiati, et loca pia ejusdem loci teneantur? protelata est definitio, ut coadjuventur probationes : *Ibid.*, *dub.* 3.

81. Policastri Episcopum in actu visitationis a parocho, et clero S. Jacobi oppidi Laureæ inferioris procurationem exigere non posse concluditur. Nam quum resideret in oppido Laureæ superioris tempore æstivo visitare potest Lauream inferiorem et commode reverti ad domum episcopalem Laureæ superioris : *Policastren.*, *Procurat.*, 28 *sept.* 1743, *dub.* 1.

82. Idcirco non tria prandia, et vecturas equorum pro se, et familia idem percipere valet, neque prædictus clerus et parochus pabula pro Episcopi equis, ejusque familiæ toto tempore sacræ visitationis eidem subministrare tenentur : *Ibid.*, *dub.* 2.

83. Eumdem Episcopum omnia prædicta exegisse S. C. constare visum fuit, ita ut hucusque exactum ad formam cap. *Exigit de censibus*, in 6, et S. C. Tridentini sess. 24, cap. 3, *de Reform.*[357] restituere teneatur : *Ibid.*, *dub.* 3.

84. Quin etiam prohibitum fuit eidem Episcopo, ne inconsulta S. C. procedat ad actus irretractabiles contra eosdem sacerdotes S. Jacobi, quibus procurationem in nulla re solvere mandatum fuit ; et pro tempore arbitrio S. C. etiam injunctum fuit : *Ibid.*, *dub.* 6.

85. Omnes visitationi subjectos, et signanter societates, necnon beneficia simplicia, ac capellas perpetuas possidentes in castro Carticeto procurationem per contributum Episcopo præstare debere S. C. decrevit : *Fanen., Procurat.*, 24 *aug.* 1743, *dub.* 1. Ad novum examen hac definitione vocata, recessit S. C. a decisis, et societates comparentes non teneri, fuit insuper injunctum : 28 *maii* 1746.

86. Josephum Bellutium plebanum, seu rectorem parochialis ecclesiæ SS. Apostolorum Petri, et Pauli oppidi ejusdem Carticeti, qui totum procurationis pondus in retroactis visitationibus sustinuit, redintegrandum proportione servata pro procurationibus ab anno 1735 circa persolutis S. C. definivit : *Ibid.*, *dub.* 2. Inde recessit a decisis : *Ibid.*

87. Cuncti visitationi Episcopi Spoletani subjecti, et signanter monasterium monialium S. Catharinæ, ecclesiæ, societates, necnon beneficia simplicia, ac capellas perpetuas possidentes in territorio Montis Leonis diœceseos Spoletanæ, an teneantur per contributum ad procurationem Episcopo solvendam? solitum in casu, de quo agitur, servari fuit demandatum : *Spoletana*, *Procurat. super contribut.*, 30 *april.* 1746, *dub.* 1.

88. Episcopum Cassani adversa laborantem valetudine per seipsum explere non valentem visitationem, sed per delegatum, seu vicarium generalem exequi facientem, integram concordatam sive absente, sive præsente Episcopo, singulis duobus annis procurationem a clero ecclesiæ S. Nicolai oppidi Castelluccio, exigere posse ad formam concordiæ S. C. decernere minime hæsitavit : *Cassanen.*, *Visitat.*, 14 *junii* 1749, *dub.* 1.

89. Nec ad restituendum id, quod in denis visitationibus laudatus Episcopus ab eodem clero exegerat præter partem dimidiam, quæ debita erat vicario visitanti, procurationis nomine, compellendum esse, S. C. credidit : *Ibid.*, *dub.* 2.

90. Parochos regulares cujuscumque Ordinis illi sint, et præsertim Præmonstratenses, Cistercienses, et Benedictinos curam animarum personarum secularium exercentes, Episcopo procurationem subministrare teneri sancitur, sive Episcopus visitet per se, sive per alium non obstantibus privilegiis

[357] Nam in dicto cap. ***Exigit*** confirmatur decretalis Innoc. IV in eo, quo perceperat procurationes in victualibus non in pecunia recipi, et munera non recipi, nec etiam procurationes in victualibus a locis non visitatis ; ac pœnæ adjiciuntur, videlicet Episcopis dupli restitutio, alioquin interdictum, ac inferioribus ab officio, ac beneficio suspensio, quousque de duplo satisfecerint. Et in Concil. Trid. cit. cap. legitur : « Quod si quisquam, quod absit, aliquid amplius in supradictis omnibus casibus accipere præsumpserit ; is, præter dupli restitutionem infra mensem faciendam, aliis etiam pœnis juxta Const. Concilii generalis Lugdunensis, quæ incipit ***Exigit*** : nec non et aliis pœnis, in synodo provinciali, arbitrio synodi, absque ulla spe veniæ multetur. »

dictorum monasteriorum : *Olomucen.*, *Jurisdict.*, 7 *junii* 1655, *dub.* 2, confirmata 2 *aug. ejusd. anni*, *dub.* 1.

91. Universos Episcopi Amerini visitationi subjectos, et signanter societates, beneficia simplicia, necnon capellas, aliaque loca castri Guardeæ ad procurationem Episcopo per contributum suppeditandum teneri non ambigitur : *Amerina*, *Procurat.*, 20 *decem.* 1755, *dub.* 1.

92. Communitatem vero dicti castri ad contribuendum non teneri definitur : *Ibid.*, *dub.* 2.

93. In Constitutionibus capitularibus collegiatæ ecclesiæ Scrophiani cautum est, ut expensæ faciendæ in visitationibus, et aliis necessitatibus ecclesiæ fiant a præposito et canonicis pro rata parte. Sed consuetudo invaluit, et hoc onus soli præposito incubuit. Modo præpositus Matthias Simoncellus renuit solus procurationem Episcopo visitandi præstare; ideo S. C. occasionem habuit decidendi capitulum, et canonicos prædictæ ecclesiæ teneri contribuere in favorem præpositi ad formam constitutionis synodalis [358] : *Pientina*, *Procurat.*, 20 *novem.* 1756.

94. Onus sumptuum sacræ visitationis impositum communitati villæ Belloculorum, sustineri debere S. C. statuit. Nam eadem communitas convenerat super hoc onere cum capellano curato ecclesiæ S. Sebastiani, de qua jure patronatus gaudet : *Fanen.*, *Exequut. decret. sacræ visitat.*, 22 *nov.* 1760, *dub.* 3, confirmata 28 *febr.* 1761.

95. Terracinencis Episcopus procurationem et cathedraticum simul postulans a beneficiatis omnibus suæ ditioni subjectis, et in procurationis solutione etiam cathedraticum comprehendi consuevisse præsumentibus, responsum a S. C. retulit, illam deberi in specie, vel quantitate moderata pro victualibus tantum arbitrio visitandorum ad formam Concilii [359] : *Setina*, *Procurat.*, *et cathedratici*, 27 *junii* 1761, *dub.* 1.

96. Episcopo Pientino visitanti ecclesiam collegiatam Sancti Quirici Etruriæ oppidi procurationis impensas solvendas pro rata fructuum parte beneficiorum, non autem pro æquali parte dividendas esse S. C. præcepit : *Pientina*, *Procurat.*, 17 *dec.* 1763.

97. Episcopo Senogalliensi procurationes esse præstandas per contributum ab abbate S. Mariæ, priore S. Severi, monasterio monialium, societatibus laicalibus, Monte Pietatis, et possessoribus beneficiorum etiam simplicium, aliisque locis piis terræ Montis Novi, quæ subsunt visitationi Episcopi, S. C. dubium nullum fecit : *Senogallien.*, *Procur.*, 11 *januar.* 1766.

98. Episcopo Vasionensi in comitatu Venaisino communitas hominum loci S. Ceciliæ ad contributionem expensarum in actu visitationis faciendæ, procurationemque ei subministrandam minime tenetur : *Vasionen.*, *Procurat.*, 30 *aug.* 1766.

99. Nomine Archiepiscopi Valentiæ vicarius generalis visitavit ecclesiam parochialem S. Catharinæ dictæ civitatis, ac sodalitium divinæ Pastoræ erectum in ecclesia PP. Cappuccinorum. Ecclesia parochialis coacta fuit ad solvendum nomine procurationis libras 770 monetæ illius regni, ac lib. 104, solid. 4 secretario visitationis et sodalitium lib. 39, solid. 16. De hoc æquam habent querimoniam parochus, ac clerus illius ecclesiæ, necnon sodales, et S. C. perspicuum fecit, in visitatione ecclesiarum, ac locorum piorum Valentiæ solvendam non esse procurationem Archiepiscopo, vel ejus delegato, etiam sub nomine emolumenti : *Valentina*, 30 *jan.* 1768, *dub.* 1.

100. Et esse locum restitutioni pro summa tantum exacta decidit : *Ibid.*, *dub.* 2.

101. Episcopus Perusinus sacram agens visitationem in castro Castiglionis filiorum Tusci, ad contermina loca ob itineris incommoda visitatores deputavit, permanens quinque dierum spatio in dicto castro. Hanc ob causam parochus S. Crucis ejusdem castri, Desiderius Giusti, majores expensas subire debuit. Propterea Episcopus suo decreto mandavit, ut quilibet ceterorum locorum parochus pro rata parte contribueret in juliis decem infra octo dies, et parocho Giusti rependeret. Reclamarunt parochi; at S. C. eos ad solutionem procurationis ad formam decreti condemnavit : *Perusina*, *Visitat.*, 7 *julii* 1770.

102. Episcopo Ferentino visitanti diœcesim, et sacramentum Chrismatis in visitatione administranti S. C. vetuit, ne quid procurationis nomine a communitatibus, licet sponte, etsi ab immemorabili consuetudine septem scuta, aut paulo majorem summam exhibentibus, acciperet ex causa administrationis sacramenti Confirmationis : *Ferentina*, *Visitat. sacr. Liminum*, 20 *april.* 1782.

103. Anno 1660, Aquipendii Episcopus decreverat in sacra visitatione, quod ad procurationes, seu victualia, quæ in visitatione erunt ministranda ab iis qui visitantur, etiam beneficia simplicia, societates laicorum, et loca pia, non tamen hospitalia,

[358] Synodus diœcesana cap. 6 hæc habet : « Beneficiati simplices solvant procurationem in actu visitationis juxta reditum sui beneficii ad rationem trium pro centenario, et ex dicta solutione subleventur curati pauperiores juxta prudentem distributionem arbitrio Ordinarii. » *Ead. causa* 20 nov. 1756.

[359] Sess. 24, cap. 3, *de Reform.* Vide not. 220 supra.

pro eorum parte rata concurrere deberent. Ab eo nihilominus tempore nonnisi parochum tantum S. Crucis, ac tres supranumerarios canonicos collegiatæ ecclesiæ SS. Joannis et Andræ, qui distinctam a reliquis canonicis habent præbendam contribuisse constat. Capitulares, qui integrum fere onus subibant, protestati sunt de contributione procurationis ad formam antiqui decreti. Immemorabilem loca pia præseferebant nihil solvendi observantiam. Beneficiatis manutentionem dedit Episcopus Verum ponderato dubio, quomodo, et a quibus esset Episcopo visitanti contribuendum? ad formam decreti 1660, juxta liquidationem faciendam coram Episcopo contribuendum responsum prodiit : *Aquipendien.*, 21 *april.* 1787, *dub.* 1.

104. Redintegrationem proinde capitulum exquisivit pro procurationibus præteritis solutis, sed nonnisi pro ultima procuratione potuit obtinere : *Ibid.*, *dub.* 2.

105. S. C. plane explicavit suum consilium, procurationem Archiepiscopo Camerini visitationem gerenti suppeditandam esse per contributum a cunctis etiam beneficiatis, confraternitatibus, et ecclesiarum patronis vicariatus castri Flastræ, quamquam soli parochi præbere eam soliti erant : *Camerinen.*, *Procurat.*, 23 *novem.* 1793.

§ XX.

Episcopus quoad quartam decimarum.

1. Sententia stat S. C. posse Anglonæ Episcopum pro quarta decimarum juxta solitum annuatim a clero terræ Claramontis certam quantitatem pecuniarum exigere : *Anglonen.*, *Prætens. exact.*, 20 *decem.* 1704, *dub.* 1.

2. Et ad dubium, an potius liceat clero prædicto quartam decimarum tradere in ipsa specie tritici, et aliorum fructuum? S. C. rescripsit, ut solitum servaretur : *Ibid.*, *dub.* 2.

3. Rodulphus Paulinus bina beneficia in diœcesi Reatina possidens, ab Episcopo Reatino taxatus fuit pro summa excessiva ratione cathedratici, et hoc ad S. C. retulit, quæ planum fecit etiam de solutione decimarum, deberi nempe decimas quoad beneficium SS. Salvatoris, et Laurentii in summa quartarum duarum Speltæ, et quoad aliud beneficium S. Nicolai et Joannis ad rationem unius cum dimidio frumenti quartæ unius Speltæ in omnibus juxta mensuram antiquam : *Reatina*, *Cathedral.*, 8 *julii* 1713, *dub.* 2, confirmata 13 *jan.* 1714.

4. Episcopo Anglonæ præstandam esse quartam decimarum a clero terræ Carbonis, quum esset in, et de diœcesi sua, contraria non obstante consuetudine fuit a S. C. firmatum : *Anglonen.*, *Cathed. decimarum, et quartæ funer.*, 30 *januar.* 1732, *dub.* 2 [360].

5. Episcopum non posse cogere capitulum et canonicos ecclesiæ collegiatæ terræ Trebii ad præstationem decimarum sub pœna interdicti, vel aliarum censurarum, servatis servandis a S. C. emanavit resolutio : *Spoletana*, *Decimar.*, 30 *martii* 1726, *dub.* 1.

6. Et ad quæsitum inde, an, et in qua quantitate, et qualitate debeatur Episcopo decima frumenti? respondit pro concessione remissoriæ et compulsoriæ præfixo termino duorum mensium : *Ibid.*, *dub.* 2.

7. Atque ad dubium, an constet de excessiva solutione, seu suppeditatione decimæ in præteritum, ita ut sit locus repetitioni? non esse locum repetitioni censuit ead. S. C. : *Ibidem*, *dubio* 3. Deinde resolvit decimam deberi Episcopo in medietate tam in frumento, quam in pecunia juxta qualitatem exigendam a capitulo : 20 *novem.* 1728.

8. Episcopo Bisacciarum a capitulo cathedralis ecclesiæ a Leone X, Pont. Max., alteri cathedrali S. Angeli Lombardorum unitæ, decimas pro medietate juxta solitum, non vero pro quarta parte, exigere licere rescriptum est : *Bisacciarum*, 15 *martii* 1738, *dub.* 8.

9. Pro quarta decumana Episcopo Cassanensi debita a clero parochialis ecclesiæ S. Mariæ Majoris Maratheæ inferioris tribuendi sunt modii seu tumuli 50 frumenti juxta veterem consuetudinem ex annuo cumulo decimarum, quas in medietate unius modii tritici a singulis familiis sub parœcia degentibus idem clerus colligit. In hac annua præstatione ipsum clerum pergere debere resolvitur : *Cassanen.*, *Quartæ decimar.*, 27 *sept.* 1738, confirmata 4 *julii* 1739, *dub.* 1.

§ XXI.

Episcopus quoad residentiam vel absentiam [361].

1. Posito decreto Concilii, cap. 1, sess. 6, et cap. 1, sess. 23 [362], dubitatur, an Episcopi tem-

[360] Vide not. 223 supra.

[361] Vide Introductionem operis, § X.

[362] In quibus cautum est Episcopos etiamsi S. R. E. Cardinales sint, non residentes minime posse suum ministerium implere, idcirco obligantur ad residentiam, pœnis contra non residentes statutis, et prius latis a Pio IV, Const. *De salute*, 4 sept. 1560. (*Bull. Rom.*, tom. 4, part. 2, pag. 36). Nonnullæ deinde decretis Concilii Tridentini prædictis constitutiones, ac decreta relata a Giraldi, *Exposit. jur. pont.*, tom. 3, pag 978 seq. accesserunt.

poribus præscriptis in dicto cap. 1, sess. 23, vers. *Eosdem interim admonet* [363], in ecclesia sua residere teneantur? an vero satis sit, ut in diœcesi resideant? S. C. articulo hujusmodi accurate discusso, censuit Episcopos temporibus, ut supra præscriptis teneri in ecclesia sua cathedrali residere, nec satis esse, ut in diœcesi maneant; nisi episcopalia munia in sua diœcesi eos alio vocent: *Dubium*, 24 *sept.* 1622.

2. Episcopum in aliqua parte alterius ex suis diœcesibus residentem suæ obligationi circa residentiam utique satisfacere, dum tamen in aliqua ex suis cathedralibus permaneat temporibus ab eodem Concilio præscriptis decreto cap. 1, vers. *Eosdem interim admonet*, sess. 23 [364], S. C. decrevit: *Hortana*, 18 *junii* 1624, *dub.* 1.

3. Decere, ut Episcopus in solemnioribus anni festivitatibus apud suam cathedralem ecclesiam resideat, ei tamen hac de causa procurationem non debere decidit S. C.: *Acernen.*, 17 *maii* 1636, *dub.* 5.

4. Episcopus Urgellæ in terra Guissonæ per 12 leucas, seu duos dies a civitate distante ab octo circiter annis continuo fere degens, precibusque capituli ad residendum temporibus saltem a Concilio Tridentino præscriptis [365] apud ecclesiam cathedralem per procurationem vocatus, insalubritatem aeris, et assiduas cum eo capitulo dissentiones exposuit. Re in S. C. deducta nulla edita fuit resolutio ut Episcopus justificet exposita, addendo ad mentem: *Urgellen., Residentiæ*, 20 *decem.* 1704. Deinde iterum protelata est definitio, et ad mentem rescriptum: 5 *sept.* 1705.

5. In consultationem venit, an, et quomodo Episcopus Gerundæ, et Cariati teneatur residere in ecclesia cathedrali Gerundæ? rescribitur *negative*, addendo, et Episcopus curet manere etiam in ecclesia Gerundæ saltem in aliquibus diebus solemnioribus: *Geruntinen., et Cariaten., Synodi, et gravaminum*, 2 *octob.* 1706, *dub.* 4, confirmata 2 *febr.* 1708.

6. Episcopo Cremonensi supplices exhibenti preces pro prorogatione termini unius mensis ab Urbano VIII, Pont. Max., præscripti ad arripiendum iter ad residendum, et probanti se propter hyemis rigorem non potuisse antea iter facere, ac propterea uti non posse mensibus a sacro Concilio Tridentino indultis, impertitum fuit spatium duorum mensium antequam ad residentiam se conferret: *Cremonen.*, 19 *febr.* 1718.

7. Episcopo Gurci permittendum non esse, ut præter tres menses a sacro Tridentino Concilio præfixos, tribus aliis mensibus in quodam palatio a se cum aliis bonis empto, quod dicitur *Mayoreffen.*; quodque est suæ diœcesis conterminum, in diœcesi situm Episcopi Salisburgensis, habitare possit, resolutum fuit, additum ad mentem [366]: *Gurcen.*, 19 *febr.* 1718.

8. Episcopo Segnensi in Croatia præferenti se infirmitate, et ægritudine corripi quotiescumque diœcesim suam ingreditur, et addenti sanitatem, et vires aliter recuperare non posse, nisi e diœcesi egrediendo, et ad alios locos clementioris aeris se transferendo, concessum fuit abesse posse a residentia ad sex menses: *Segnen., febr.* 1718.

9. Controversiis inter capitulum Calceatense, et Episcopum factis, Calceatensi relicta civitate, is se Lucronium contulit, ubi ad biennium permanendi a Sum. Pont. Benedicto XIII, valetudinis suæ gratia habuit indultum. Hujus prorogationem postea a Benedicto laudato, Pont. Max., ob graves, quas exposuerat infirmitates, impetravit. Cardinalis deinde Origo S. C. præfectus ex facultate a Pontifice sibi tributa ea sub conditione extendit indultum, ut diebus majoris hebdomadæ, et festis paschalibus apud alterutram ex suis Calaguritana, et Calceatensi cathedralibus resideret. Verum nec iis quoque diebus residente Episcopo, capitulum resolutionem urgendi animum adplicuit. Deliberatum quippe fuit, eumdem Episcopum in diebus saltem a Concilio Tridentino, sess. 23, *de Reform.*, cap. 1 [367], præscriptis in alterutra ex cathedralibus morari, ibique sacras functiones explere debere: *Calaguritana, et Calceaten., Residentiæ*, 3 *sept.* 1740, *dub.* 1.

10. Postulatum exinde fuit, an, et quomodo esset concedendum novum indultum saltem ad cautelam? et resolutum concedendum esse ad biennium juxta mentem [368]: *Ibid.*, *dub.* 3.

11. Quum quæreretur, utrum Episcopus, qui

[363] Ibi « Eosdem interim admonet, et in Domino hortatur, ne per illius temporis spatium, Dominici Adventus, Quadragesimæ, Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes, item Corporis Christi diebus, quibus refici maxime, et in Domino gaudere pastoris præsentia oves debeant, ipsi ab ecclesia sua cathedrali ullo pacto absint, nisi episcopalia munia in sua diœcesi eos alio vocent. » Fagnanus in cap. *Qualiter, de Cleric. non resident.*, lib. 3, pag 51, quæstionem expendit, an Episcopi temporibus præscriptis in cap. 1, vers. *Eosdem interim admonet* sess. 23 Concil. Trid. in ecclesia cathedrali residere teneantur; an vero satis, ut in diœcesi resideant.

[364] Vide not. præced.

[365] Vide not. 364 præced.

[366] Et mens est, ut recurrat ad Sanctissimum in casibus particularibus: *Ead. causa* 19 febr. 1718.

[367] Vide not. 363 supra.

[368] Nempe per biennium si tamdiu duraverint expositæ infirmitates residere valeat in dicta civitate Lucronii etiam pro tempore Adventus, Nativitatis Domini, Quadragesimæ, expressa tamen adjecta conditione, ut nimirum pro hebdomada majori, et Paschate Resurrectionis, et Pente-

duas habet cathedrales, consistere teneretur in urbe Tuscaniæ per aliquod temporis spatium singulis annis, rescriptum exinde fuit, arbitrio, et prudentiæ Episcopi, et ad mentem: *Viterbien., seu Tuscanen.*, 11 *januar.* 1783, *dub.* 4.

§ XXII.

Episcopus quoad sacramentum Confirmationis.

1. Quamdiu prælatus inferior legitime non probaverit, se omnimodam jurisdictionem quasi episcopalem habere, ad Archiepiscopum Theatinum dumtaxat spectare sacramentum Chrismatis ministrare: *Theatina*, 26 *sept.* 1615, *dub.* 3.

2. Collatio sacramenti Confirmationis privative ad Episcopum quoad bajulivum in locis Rhodii, et S. Mauri religionis Hierosolymitanæ, spectat: *Caputaquen.*, 2 *aug.* 1760, *dub.* 5, confirmata 17 *januar.* 1761.

3. Causa quæstionis excitatæ inter Episcopum Anglonæ, et abbatem commendatarium monasterii S. Eliæ ordinis S. Basilii oppidi Carboni, qui non est nullius, nec habet territorium separatum, S. C. Episcopo in dicta terra jus administrandi sacramentum Confirmationis adjudicavit: *Anglonen., Jurisdict.*, 30 *januar.* 1717, *dub.* 4 [369].

§ XXIII.

Episcopus quoad strenam seu xenia, et alia emolumenta.

1. Episcopus a provisis de beneficiis a Sede apostolica in forma extorquet pro collatione in vim mandati apostolici duos julios pro quolibet scuto valoris dicti beneficii?

2. Item pro collationibus beneficiorum, quæ ipse jure ordinario scut. 6 et aliquando 7, et hoc idem vult extorquere a provisis ab inferioribus, ad quos collatio spectat. Si vero collationes fiant ab abbatibus, vel aliis inferioribus a sua jurisdictione exemptis, ipse Episcopus vult, ut collationes ab ipso, vel ejus vicario approbentur, ac ratæ, et gratæ fiant, et tantumdem persolvant, alioquin non vult, ut possint gaudere dictis beneficiis. Ad utrumque S. C. respondit, pro collatione, aut institutione ecclesiarum, et præsertim curatarum cancellarium posse in singulis accipere mercedem suo labori convenientem, quæ tamen scriptura, sigillo, et ceteris computatis omnibus unum aureum non excedat, et dummodo ipsi cancellario salarium nullum pro suo officio exercendo constitutum sit, et ex pecunia, quam accipiet, nihil prorsus emolumenti collatores, aut institutores ullo modo directe, vel indirecte percipiant: *Gerunden.*, *Extortionum*, *febr.* 1588, *dub.* 1 et 2.

3. Insuper pro litteris dimissoriis, seu testimonialibus, aut commendatitiis Episcopus exigit undecim grossos, et unum nummum contra formam Concil. Tridentini, cap. 1, sess. 21, *de Reform.* [370]. Nihil exigendum pro collatione Ordinum esse juxta cap. 1, sess. 21 [371] rescribitur: *Ibidem*, *dubio* 3.

4. Item curat solutionem faciendam a clericis, qui ordinem sacrum suscipere exoptant, pro litteris publicatoriis duos grossos, et quatuor denarios, et id repetit in quolibet ordine suscipiendo. Sancitur id prohiberi eodem cap. 1, sess. 21, vers. *Nec alia quacumque de causa* [372]: *Ibid.*, *dub.* 4.

5. Item pro licentiis exercendi curam animarum, et confessiones audiendi sive coadjutoriis exiguntur undecim grossi pro qualibet, quæ quomodolibet an-

costes, necnon festo sanctissimi Corporis Christi ad alterutram ex suis cathedralibus omnino accedat, neque ab hujusmodi obligatione se eximere possit, nisi ex causa veræ impotentiæ, vel ob manifestum vitæ discrimen stricte desuper onerata ejus conscientia: *Regist. lit.*, lib. 29, die 3 sept. 1749.

[369] Advocatus Dominicus Ursaya pro hac causa peroravit in favorem Episcopi Anglonæ, ut videre est *Discept. Eccl. IX*, tom. 1, part. 1, *per tot*, et *Discept. V*, tom. 2, part. 1, *per tot*.

[370] Quo statuitur Episcopos nihil recipere debere pro collatione quorumcumque Ordinum, etiam clericalis tonsuræ, necnon pro litteris dimissoriis, aut testimonialibus, neque ministros pro hujusmodi litterarum sigillo aliquid, nec sponte oblatum accipere. Ubi vero consuetudo est aliquid accipiendi pro litteris, nihil capiatur a notariis pro officio ultra decimam unius aurei partem, modo aliunde iis non suppetat salarium, dantes, et accipientes a jure inflictas pœnas incurrendo. Quoad pœnas accessit Const. S. Pii V, *Cum primum*, 1 april 1566 (*Bull. Rom.*, tom. 4, part. 2, pag. 284, § 8) et Const. *Sanctum.* Sixti V, 5 januar. 1588. (*Bull. Rom.*, tom. 5, part. 1, pag 40). Sed omnibus sanctionibus Episcopo prohibentibus receptionem cujuscumque rei, etiam sponte oblatæ, pro collatione Ordinum, et primæ tonsuræ accessit taxa Innocentiana, confecta 1 oct. 1678, a Congr. particulari deputata ab Innoc. XI, edita 8 ejusd. mensis et anni, injuncta illius observantia eidem Congreg. privative quoad alia quælibet tribunalia, et judices, in qua, confirmatis decretis sacrorum canonum, et SS. Congr., damnatisque contrariis consuetudinibus, expresse prohibetur Episcopis, eorumque officialibus, familiaribus, et famulis receptio forficum, pectinum, et mapparum, excepto cereo, illius qualitatis, et ponderis statuendi arbitrio Ordinarii, exceptaque mappa in ordinandis in presbyteros offerenda, juxta permissionem pontificalis romani.

[371] Vide not. præced.

[372] « Nec alia quacumque de causa, etiam sponte oblatum, Episcopi, et alii Ordinum collatores, aut eorum ministri, quovis prætextu accipiant. Vide not. præc. »

no, sive alio examine renovari debent, et iterum persolvi contra formam cap. 15, sess. 23 [373], ubi expresse cavetur, ut gratis concedantur. Gratis oportere concedi firmatur hujusmodi licentias juxta cap. 15, sess. 23 [374] : *Ibid., dub.* 5.

6. Pariter pro dispensationibus matrimonialibus, quæ in vim litterarum apostolicarum conceduntur, unum marchum argenti, quod est valoris trium ducatorum, et ultra contra formam ipsarum litterarum apostolicarum, in quibus Sum. Pontifex mandat, ut nihil percipiat, a sponte offerentibus. Decretum est pro dispensationibus matrimonialibus non licere Episcopo, vel ejus vicario, quicquam accipere, nec ratione taxæ, etiam ex immemorabili consuetudine, nec ratione sigilli, vel alicujus alterius rei. Quapropter decretum illud, quod solet poni in litteris dispensationum matrimonialium, ut nihil muneris, aut præmii sponte accipi possit pro illarum exequutione, ita intelligendum est, ut neque ordinarius ipse, nec vicarius ejus quicquam prorsus etiam pro mercede laboris, quem ea in re susciperent, capere possent. Notarius vero pro examine testium quartam aurei licite accipere potest : *Ibidem, dubio* 6.

7. Denique quum exposita fuisset consuetudo ecclesiæ Gerundæ, ut Episcopi in eorum ingressu solerent exigere a personis ecclesiasticis quoddam donativum, quod Episcopus illius temporis ampliare studebat ad beneficiatos etiam post ejus ingressum provisos. S. C. respondit istam consuetudinem esse sublatam per Concilium Trid., cap. 14, sess. 24 [375] : *Ibid., dub.* 8.

8. Quoad Episcopum, qui pro licentiis commorandi extra residentiam in causis necessariis exigit a canonicis, et presbyteris carolenos duos pro qualibet licentia, S. C. jussit nihil omnino esse solvendum, sed licentiam esse omnibus gratis concedendam : *Guardien.*, 8 *maii* 1649, *dub.* 1.

9. Quum presbyter Carolus Guarinus utrique diœcesi Castrensi, et Hydruntinæ ratione originis, et domicilii subjectus esset, inops consilii est, an teneatur concurrere ad solutionem spolii cum clero utriusque diœcesis? respondetur, teneri, ubi possidet beneficium : *Castren., seu Hydruntina, Subjectionis*, 2 *dec.* 1693, *dub.* 5.

10. Dubio ponderato, an posset Episcopus exigere carolenos quatuor pro quolibet ex licentiis iterum investiendi census, et vendendi animalia ad ad loca pia spectantia? mandat S. C. ut Episcopus transmittat taxam curiæ metropolitanæ : *Larinen.*, 23 *martii* 1697, *dub.* 4 et 5.

11. Mota controversia inter Archiepiscopum, ejusque officiales, clerum, parochos, et universitatem oppidi Tramontis, S. C. consilio nituntur, an Archiepiscopi pro tempore potuerint, et in futurum possint pro præstatione consensus in reservatione jurispatronatus, et fundatione capellaniarum in recognitionem auctoritatis sibi ipsi reservare annuum censum in cera, pernis, vel similibus, vel pecuniam loco earumdem rerum ab ipsis taxatam exigere? S. C. censuit dandam esse resolutionem in casibus particularibus quoad præterita, et proponatur causa in ultima Quadragesima respondit : *Amalphitana*, 6 *febr.* 1700, *dub.* 1.

12. Ac deinde confirmavit decretum, nempe parochos, et beneficiatos, qui non reperiuntur pro aliqua recognitione obligati, non teneri in die Paschatis munera in tot pernis, et ovis Archiepiscopo deferre, vel pretium illorum solvere vigore assertæ consuetudinis : *Ibid.*

13. Necnon aliud decretum confirmavit, nempe Archiepiscopum non posse dictum clerum sive congregationem ecclesiasticorum loci Tramontis cogere ad tradenda tempore Paschatis, et Bacchanalium munera, quæ Congregatio prædicta dare consuevit in pernis, et carnibus, ut dicitur, *longhe*, et dicta munera ad pecuniam reducere in summa ducatorum quinque : *Ibid.*

14. Demum adducta in disquisitionem hæc dubia, an pro investimento pecuniarum locorum piorum, et ecclesiarum requiratur licentia, et beneplacitum Archiepiscopi? et quatenus affirmative?

15. An possit curia Archiepiscopi pro concessione dictæ licentiæ infra summam ducat. 18, carolenos 15, et pro aliis investimentis dictam summam excedentibus carolenos 30 exigere? S. C. respondit, affirmative, sed licentiam præstandam esse gratis ; modo confirmat : *Ibid., dub.* 2.

16. Episcopo Anglonæ præter quartam decimarum, et funerum aliquam summam haud deberi in festo Natalis, Purificationis, seu aliis festivitatibus S. C. constituit : *Anglonen., Prætens. exact.*, 20 *dec.* 1004, *dub.* 3.

[373] ***De Reform.***, in quo cautum est : « Quamvis presbyteri in sua ordinatione a peccatis absolvendi potestatem accipiant ; decernit tamen S. Synodus, nullum, etiam regularem posse confessiones secularium, etiam sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium, aut ab Episcopis, per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus judicetur, et approbationem, quæ gratis detur, obtineat ; privilegiis, et consuetudine quacumque etiam immemorabili, non obstantibus. »

[374] Vide not. præcedentem.

[375] ***De Reform.***, ubi cautum est, in nulla provisiones seu admissione in possessionem cujuscumque beneficii, aut distributionum, fiant ullæ fructuum deductiones, convertibiles in usus non pios ; consuetudinibus laudabilibus exceptis, et per Episcopum probatis ; cujus est cognoscere de statutis, constitutionibus, etc. contrariis. Vid. not. 158, verb. *Canonici*, § IV.

17. Ac dubio perpenso, an, et sub quo titulo Episcopus possit annuatim a prædicto clero exigere carolenos quatuor pro quolibet sacerdote? negative respondit: *Ibid.*, 20 *dec.* 1704, *dub.* 5.

18. Deinde quoad præfatum decretum in comperto non erat, an interdicta veniat oblatio candelarum fieri in die Purificationis solita? et S. C. Episcopum licere candelas oblatas eo die recipere resolvit: *Ead.*, 9 *januar.* 1706, *dub.* 2.

19. Renuentibus hæredibus presbyteri Joannis Novelli terræ Belvederii tradere Episcopo superpelliceum, et breviarium ejusdem defuncti juxta ejus præceptum sub pœna excommunicationis injunctum, Episcopus fretus consuetudine immemorabili, uti prætendit, illos excommunicatos declaravit. Re in S. C. delata, decretum est non licere Episcopo exigere ab hæredibus presbyterorum breviarium, et superpelliceum [376]: *Sancti Marci, Exact.*, 31 *julii* 1706, *dub.* 1.

20. Hæc dubia: An competat Episcopo Rubensi jus exigendi, seu percipiendi quartam portionem punctaturarum, quæ fiunt in anno in ecclesia cathedrali? et quatenus affirmative?

21. An eadem quarta portio debeatur dicto Episcopo servata proportione punctaturarum, quæ fiunt, vel in quantitate certa? detulit pro definitione S. C. ad S. C. Episcoporum [377]: *Ruben., Punctatur.*, 18 *aug.* 1708, *dub.* 3 et 4.

22. Ad jurgia refugienda ad examen in S. C. positum fuit dubium, an præstanda sit in futurum per capitulum Ostunense Episcopo dictæ civitatis summa ducatorum centum in die Circumcisionis Domini? et placuit rescribere, ut probationes coadjuvarentur juxta instructionem [378] non retardata interim solutione juxta solitum: *Ostunen., Strenæ*, 16 *januar.* 1712. Deinde affirmativum dedit responsum [379]: 28 *april.* 1714, *dub.* 1.

23. An præstanda sit in futurum per capitulum collegiatæ loci Rotundi Episcopo prædicto summa ducatorum decem in die Circumcisionis Domini? rescripsit: *Dilata, et coadjuventur probationes* [380]: *Ibid., dub.* 2.

24. Episcopus S. Marci ea, quæ indebite exegit in recipienda redditione rationis administrationis locorum piorum restituere debet, et restituere prout de jure: *Sancti Marci, Plurium*, 16 *januar.* 1633, *dub.* 15.

25. Archiepiscopus Compsanus in antiqua, et immemorabili possessione reperitur exigendi ab hæredibus, et bonis archipresbyterorum, ac parochorum decedentium cujuslibet loci suæ diœcesis summam ducatorum 100. Sed quum vacatio cujusdam parœciæ contigisset, disputatum est de hujusmodi consuetudine, et præfigi terminum curiæ archiepiscopali ad sua jura deducenda in S. C. fuit mandatum: *Compsana*, 1 *decem.* 1725, *dub.* 1 et 2.

26. Exponit Archiepiscopus se esse in possessione exigendi a capitulo ecclesiæ Medunei duc. 23, 90, titulo cathedratici, et totidem nummos kalendis januarii nomine strenæ; id probat ex libris mensæ anni 1552, ex testimonio 43 presbyterorum dictæ ecclesiæ, et aliorum capitulorum diœcesis, et ex libris nuntiaturæ Neapolitonæ; idcirco interrogat S. C., quæ judicium per cunctas ecclesias exercet, an præstanda sit in futurum per capitulum majoris ecclesiæ Archiepiscopo strena ducat. 23, 90, die Circumcisionis Domini? respondit: Dilata, et coadjuventur probationes juxta instructionem [384]: *Baren., Strenæ, et cathedr.*, 20 *decem.* 1732, *dub.* 1.

27. Episcopo Constantiensi non debentur taxæ ex quinque ecclesiis parochialibus magno priori Alemaniæ ordinis Hierosolymitani subjectis; etiamsi in medio proferat transactionem anni 1612 initam ad componenda dissidia super hac solutione, easque in pios usus erogare testimonium perhibet: *Constantien.*, 20 *novem.* 1734, *dub.* 3.

28. Clerus oppidi Mormanni Episcopo strenam ducatorum sex, atque carolenorum 20 vicario

[376] « Cum ergo agitur de exactionibus impositis ab ipsis Episcopis, nullo modo sunt permittendæ in futurum quidquid sit, ut pro præterito non teneantur restituere, si impositio fuerit facta ab antecessoribus: sed si concurrat exacto immemorabilis temporis, vel quadragenaria cum titulo colorato, tunc posset dubitari, quod debeat continuari præstatio. Sed in casu, de quo agimus, ut agatur de impositione facta ab Episcopo, et sic concurrente titulo infecto, quatenus illum productum sit, nullo modo potest inducere bonam fidem in præscriptione. » Ita de hac causa loquutus est Card. Petra, *Comment. ad Const. II Pauli II*, num. 38, tom. 5, pag. 205.

[377] Vide not. 670, verb. *Congregatio*, § II.

[378] Qua jussum fuit vicario capitulari Tarentino, quatenus citatis partibus a libro, seu platea redituum mensæ episcopalis juxta formam in qua descriptæ comperiuntur, ac testium utriusque inducendorum examen formiter reciperet, præsertim super antiquis, et continuis, ut asseritur, solutionibus, ac quantitate, aliisque pro partium libito ad se probandis: *Ead. causa*, 16 januar. 1712.

[379] « Ratio enim resolutionis primi dubii fuit, quia ex processu remissoriali consistit de uniformi solutione facta per capitulum Ostunen. annuorum ducat. 100 per centum et ultra annos Episcopis, et descriptione in plateis mensæ episcopalis antiquissimis, nec obstare visum fuit, agi de actibus facultativis, quodque proinde non sit locus coactioni, etsi fuisset facti per mille annos, et requiritur denegatio, et coactio secuta. » Card. Petra, *Comment. ad Const. III Pauli II*, num. 35, tom. 5, pag. 204.

[380] « Quoad vero secundum dubium, quia concurrebat difformitas solutionum in quantitate, et non continua, et alia, quæ sapiebant actum mere donationis, ideo S. C. voluit coadjuvari probationes. » Card. Petra, cit. loc.

[384] Vide not. 224 supra.

generali singulis annis solvendi onus non habet : *Cassanen.*, 15 *decem.* 1736, *dub.* 10.

29. Capitulum cathedralis ecclesiæ Bisacciarum, quæ unita fuit a Leone X, Pont. Max., alteri cathedrali S. Angeli Lombardorum, contendit Episcopum penes mox dictam ecclesiam S. Angeli residentem non posse quamdam annuam strenam in summa ducatorum 10, in festivitate Nativitatis Sanctissimi Domini nostri exigere. S. C. requisita capituli sententiam decreto comprobavit : *Bisacciarum*, 15 *martii* 1738, *dub.* 1.

30. Idem capitulum in festivitate Purificationis B. M. V. cereum Episcopo absenti largiri tenetur : *Ibid.*, *dub.* 9.

31. Episcopus non potest reposcere a capitulo ecclesiæ collegiatæ S. Simonis oppidi Albeti strenas, et ad solutionem adstringere canonicos. Nam annuam summam ducatorum 8 et carolenorum 4, nomine procurationis persolvebant : *Sorana*, *Procurationis*, 12 *aug.* 1741, *dub.* 7.

32. Episcopum Alexani de communi massa capituli ecclesiæ cathedralis participare posse permittitur : *Alexanen.*, 1 *sept.* 1742, *dub.* 1.

33. Idem Episcopus postulans, an ipsius portio immunis esse debeat a sumptibus litium, quæ contra ipsum fuerint intentatæ, ut videatur in casibus particularibus, responsum habuit : *Ibid.*, *dub.* 4.

34. Et quærens, an ad dictam portionem redintegrandam de expensis dictarum litium usque adhuc detractis ab eadem massa cogendum sit capitulum, resolutionem item tulit prout supra, in casibus nempe videri particularibus : *Ibid.*, *dub.* 5.

35. Eidem Episcopo nullam de eleemosynis pro Missis cum cantu defunctorum præsente cadavere, et pro anniversariis adventitiis, choro non intervenienti portionem deberi æquum est : *Ibid.*, *dub.* 7.

36. Neque etiam de emolumentis anniversariorum perpetuorum de præcepto testatorum canonicis præsentibus distribuendis, participare idem Episcopus valet : *Ibid.*, *dub.* 8.

37. Præfatus Episcopus multas ab eo indictas in decreto, quo in antecessum Missas celebrare vetuit, sibimet applicare non potest : *Ibid.*, *dub.* 10.

38. Archiepiscopus Rossani participare potest de massa capitulari ecclesiæ cathedralis juxta solitum, etiamsi servitio chori, et horis canonicis non intersit. Ipse enim ait eas ratas partes inter jura et reditus archiepiscopatus descriptas fuisse : *Rossan.*, *Juris participandi*, 20 *martii* 1745, *dub.* 1, confirmatur, et additur comprehensa etiam hæreditate Archiepiscopi Adeodati : 9 *julii* 1746.

39. Episcopo Castellanetæ in distributione, sive adjudicatione subsidiorum dotalium extrajudicialiter, vel judicialiter procedente, aliqua ipsi, sive ejus ministris debentur emolumenta juxta taxam Innocentianam [382] : *Castellaneten.*, 27 *april.* 1748, *dub.* 5.

40. Quæsitum est, an aliquid exigi possit ab Episcopo in causam, et pro labore redditionis rationis, seu librorum revisionis, quoad bona, et reditus ecclesiæ S. Nicolai, et S. Stephani, et congregationis presbyterorum, quæ nuncupatur capitulum? S. C. definitionem dubii S. C. Episcop. et regular. commisit [383] : *Piscien.*, 35 *julii* 1753, *dub.* 3.

41. Communitas villæ Belloculorum, quæ jure-patronatus potitur ecclesiæ S. Sebastiani, onus canonem annuatim solvendi, et promissum in prima ecclesiæ cathedralis fundatione mensæ episcopali in consecratione ecclesiæ, refundit in capellanum curatum ; ideo Episcopus declaravit esse communitati impositum dictum onus, et S. C. Episcopi decreto adhæsit : *Fanen.*, *Exequut. decret. sacr. visitat.*, 3 *novem* 1760, *dub.* 3, confirmata 28 *febr.* 1761.

42. Capitulum collegiatæ ecclesiæ terræ Molæ lamentatur de strenis in annua summa ducatorum 33, 60. Archiepiscopo Barensi, illiusque familiæ persolutis, ob id postulat, an debeat illas amplius solvere ; et an possit exactas exquirere. Verum S. C. causæ definitionem protelando, voluit coadjuvari probationes, et ad mentem [384] : *Boren.*, 16 *maii* 1767, *dub.* 2 et 3.

43. Et exposcit ulterius, an quolibet anno cathedralis archidiacono debeat præstare strenas in carolenis decem? Et ad hanc præstationem teneri haudquaquam posse S. C. definivit : *Ibid.*, *dub.* 5.

44. Neque vero eumdem archidiaconum ad easdem jam more solito exactas capitulo restituendas esse S. ead. C. resolvit : *Ibid.*, *dub.* 6.

§ XXIV.

Episcopus quoad subsidium charitativum.

1. Diligenter dubiis excussis S. C. aperte indicat, Episcopos pingues reditus habentes, quia videlicet nedum congruam ipsi juxta formam sacri Concilii Tridentini assignatam, verum etiam duplicatam, et longe majorem habent, non posse exigere charitativum subsidium a suis diœcesanis : *Gerunden.*, *Subsidii charit.*, 17 *febr.* 1663, *dub.* 1.

2. Ac Episcopos, quibus pro exigendo charitativo subsidio non obstat sufficientia sive exuberantia redituum, minime posse illud exigere, nulla

[382] Vide not. 177 supra.

[383] Vide not. 673, verb. *Congregatio*, § II.

[384] Vide not. 230 supra.

urgente causa, et inconsultis eorum capitulis : *Ibid., dub.* 11.

3. Neque posse illud exigere a clericis beneficiatis, qui licet aliquos reditus habent non consistentes in distributionibus quotidianis, nihil tamen eis superest præter honestam conservationem : *Ibid., dub.* 3.

4. Sed ad dubium, an posito, quod consultis eorum capitulis dictum charitativum subsidium exigere valeant, possint illud exigere a suis clericis beneficiatis non habentibus alios reditus, quam distributiones quotidianas? respondetur, ut explicetur natura harum distributionum [385] : *Ibid., dub.* 4.

5. Insuper decidit S. C. in casibus, in quibus est permissum exigere charitativum subsidium, quantitatem debere esse arbitrariam pro qualitate indigentiæ, dummodo moderatam, et non onerosam : *Ibid., dub.* 5.

6. Ad trutinam ponitur, an ex reditibus canonicatuum, parochialium, et beneficiorum, quæ vacabant tempore, quo clerus imposuit collectam pro subsidio charitativo, solvenda sit rata pars dictæ collectæ, ex quo tempore impositionis reditus nondum fuerant avulsi a solo, vel percepti? perpensis etiam deductis per thesaurarium pro jure cameræ solvere teneri censuit [386] : *Venafrana, Subsidii charit.*, 2 *april.* 1672.

7. Quum presbyter Carolus Guarinus utrique diœcesi Castrensi, et Hydruntinæ ratione originis, et domicilii subjaceret, quærit, an si casus hujusmodi inciderit, teneatur solvere subsidium charitativum utrique Episcopo? ubi possidet beneficium teneri rescribitur : *Castren., seu Hydruntina, Subject.*, 2 *decem.* 1673, *dub.* 4.

8. Judicium quæritur, an statutum a clero Urgellensi sede episcopali vacante conditum super minori quantitate subsidii charitativi sustineatur? negative respondetur [387] : *Urgellen., Subsid. charit.*, 26 *januar.* 1692, *dub.* 1.

9. Et an, et in qua quantitate sibi solvendum charitativum subsidium moderno Episcopo, et successoribus? Subsidium deberi resolvitur [388] : *Ibid., dub.* 2.

10. Archiepiscopus sub pœna censurarum cogere non potuit in casu de quo agitur, præpositum, et presbyteros ecclesiæ S. Petri terræ Vasti ad solutionem subsidii charitativi : *Theatina*, 9 *aug.* 1704, *dub.* 5.

11. Et res est dubia, an Episcopo Marianensi debeatur subsidium charitativum ex rectoriis di *Belgodere*, e di *Rustino*, ut prætenditur, spectantibus ad monachos Olivetanos, vel obstet prætensa exemptio dictorum patrum ex privilegiis pontificum dimanans? S. C. negativum quoad primam, affirmativum quoad secundam partem responsum retulit : *Marianen., Subsid. charit.*, 11 *martii* 1713.

12. Episcopum Guardiæ subsidium charitativum ab ecclesia S. Joannis oppidi Aquævivæ, quod ad religionem Hierosolymitanam pertinet, exigere non posse firmatur : *Guardien.*, 14 *novem.* 1733, *dub.* 1. Deinde recedit S. C. a decisis : 3 *martii* 1736. Atque demum Episcopo quoad clerum, et populum ordinaria, et quoad ecclesiam delegata tantum jurisdictio adjudicatur : 27 *febr.* 1741.

13. Matthæus de Bertollis hodiernus Episcopus Algarensis, quum ob ingentes episcopatus obtenti, bullarumque, et itineris sumptus, plurimo ære alieno gravatus esset, suorum prædecessorum animatus exemplo ab ecclesia cathedrali consensum petiit pro impositione subsidii charitativi a canonicis, præbendatis, parochis, beneficiatis, aliisque reditus ecclesiasticos in sua diœcesi possidentibus juxta veterem consuetudinem exigendi, cujus ope æs alienum aliqua ex parte solvere posset. Capitulo renuente, Episcopus jussit promulgari edictum, quo in summa scutis 100 indictum fuit subsidium charitativum. Ab ejusmodi edicto provocavit ad S. C. capitulum, ostendens juste a se recusatum assensum

[385] « Unde cum multoties distributiones cadant loco præbendæ; ut alibi dicam, eo casu certum est, uti fructus præbendæ subjici iisdem contributionibus, ut quoad contributionem seminario faciendam censuit eadem S. C. *in Narnien., Contributionis*, 28 *martii* 1661, ubi, quod si reditus canonicorum omnes in distributionibus consistant, canonici tenentur ad contribuendum seminario pro ea rata distributionum, quam absentes ex juxta causa percipiunt. » Card. Petra, *Comment. ad Const. II Urbani VI*, num. 30, tom. 4, pag. 188, hæc super dicta causa verba facit.

[386] « Adeo autem verum est, contributionem esse faciendam ex omnibus beneficiis diœcesis, ut quoad hoc non attendatur, an beneficiati sint diœcesani, vel exteri, et in aliena diœcesi degentes, sed tantum locus beneficii, » ait Card. Petra, de hac causa *Comment. ad Const. II Urbani VI*, num. 25, tom. 4, pag. 187.

[387] Super hac causa Card. Petra ait : « Hæc quidem procedunt jure communi attento, et quoad loca, in quibus non viget taxa Innocentiana, ut supra dixi; alioquin autem intra Italiam servanda est taxa Innocentiana, quæ quoad quantitatem subsidii charitativi omnino servari voluit taxam solitam; hanc porro eam esse declaravit, quæ ante quadraginta annos præcedentes ipsam taxam Innocentianam, de anno 1678 editam practicata fuit: ita ut major summa exigi non possit sub quocumque prætextu etiam voluntarii donativi. » *Comment. ad Const. II Urbani VI*, num. 21, tom. 4, pag. 187.

[388] « Cum tamen litigium dirimere voluisset rescribendo, quod servaretur taxa Innocentiana, etenim in ea expresse decernitur, ut quoad quantitatem solitum desumendum sit ex eo, quod ante quadraginta annos fuit servatum, ut infra dicam. » Card. Petra, *Comment. ad Const. II Urbani VI*, num. 17, tom. 4, pag. 186, ait dictam resolutionem perpendens.

petitæ impositioni subsidii charitativi, tum quia reditus mitræ satis superque sint ad nomina asserta explicanda, tum quia e converso capituli, beneficiatorumque tenues omnino fructus reperiantur. S. C. autem respondit ad Card. Rezzonicum, qui dignetur rem perpendere, auditis partibus etiam cum facultate agendi pro concordia, et S. C. referre: *Algaren., Subsid. charit.*, 2 *aug.* 1738, *dub.* 1.

14. Et hac occasione prolata fuerunt dubia sequentia: An idem Episcopus illud restituere teneretur?

15. Et an laudatus Episcopus potuerit dictum subsidium charitativum exigere non solum a parochis, sed etiam a vicariis perpetuis, et in qua summa?

16. An licuerit prælaudato Episcopo exigere dictum subsidium tam ab ecclesiis, et sodalitiis habentibus beneficium unitum, aut alios reditus, quam a sodalitiis nullum beneficium unitum possidentibus, aut nullos, aut ad summum modicos reditus piis oneribus gravatos habentibus.

17. Et an demum potuerit ab Episcopo confici taxa controversi subsidii charitativi post requisitum, sed non obtentum capituli consensum, illudque exigi in summa taxata? et idem responsum ad singula fuit, ut supra memoravimus: *Ibid.*, *dub.* 2, 3, 4 et 5.

18. Episcopo Gerundæ rector ecclesiæ de Vilahur, aliique litis consortes subsidium charitativum in levamen impensarum factarum occasione promotionis, et in prima diœcesana synodo solvere tenentur; neque ei obstare ullo modo possit S. C. Concilii anni 1663 resolutio [389]: *Gerunden., Carit. subsid.*, 22 *martii* 1760.

19. Capitulum collegiatæ ecclesiæ terræ Molæ justam habet querelam de subsidio charitativo ducatorum 80, quod ab Archiepiscopo Barensi exigi est consuetum in novo ejus ingressu; ita ut sit locus jam exacti restitutioni. Verum S. C. non movit, et coadjuvari probationes mandavit: *Baren.*, 16 *maii* 1767, *dub.* 4.

§ XXV.

Episcopus quando visitationem peragere jure ordinario, vel jure delegato valeat, necne.

1. Declaravit S. C. posse Episcopum visitare ecclesiam S. Agathæ ex decretis Concilii sess. 6, cap. 4, et sess. 25, cap. 6, *de Reform.* [390], non obstantibus etiam privilegiis ex fundatione competentibus, et consuetudine immemorabili, quatenus de jure appareret: *Cremonen.*, 15 *maii* 1574.

2. Episcopus Spoletanus retulit ad Romanam Sedem, ut ad caput ecclesiarum, an ipse jure delegato posset visitare loca abbatiæ Ferentilli? ita respondit S. C., præsupposito abbatiam Ferentilli, et loca, de quorum visitatione agitur, esse intra fines diœcesis Spoletanæ, Episcopum Spoletanum posse ex cap. 9, sess. 24 [391], illa visitare: *Spoletana, anni* 1583.

3. Quum essent nullius diœcesis loca nonnulla, ac ut præfertur, libera exempta Cassinensibus abbatibus plenarie quoad jurisdictionem spiritualem tantum subjecta; plane non est, an liceat Episcopis, intra quorum diœcesis fines consistunt, vel qui locis nullius diœcesis propinquiores sunt, castra, et loca hujusmodi, illorumque ecclesias, et in eis divinis deservientes, visitare, corrigere, et reformare, et teneantur abbates, ac eorum officiales, et subditi eosdem Episcopos ad munus visitationis, reformationis, et correctionis illic adimplendum libere admittere? respondit S. C. quoad primam partem licere ex decreto Concilii cap. 8, sess. 7, et cap. 9, sess. 24 [392], ad secundam partem teneri: *Cassinen., febr.* 1588, *dub.* 1.

4. Dubioque prolato, an liceat eisdem Episcopis præmissa eorum ordinaria auctoritate facere, an vero apostolica dumtaxat facultate sibi delegata, adeo ut nisi prius expresse declaraverint, se tanquam Apostolica auctoritate delegatos, et non alias ea facere velle, admitti nequaquam ad munus pernarratum debeant, sed repelli possint, libereque et licite sibi resistere valeant? rescribitur licere Episcopis delegata tantum potestate visitare, idque expresse ab eis declarandum: *Ibid.*, *dub.* 2.

5. Insuper si ad visitationem, et auctoritatem ibidem exercendam admitti debeat; an in his dumtaxat, quæ attinent ad curam animarum, et administrationem sacramentorum, vel extra hujusmodi duos casus; in aliis etiam casibus, ac in quibus, et quomodo præsertim contra non exercentes curam animarum, et sacramentorum ecclesiasticam non

[389] Vide præs. § num. 1, 2, 3, 4 et 5.

[390] Vide not. 379, verb. *Capitulum*, § III.

[391] *De Reform.* ubi legitur: « Quæ alias sub Paulo III, et nuper sub beatissimo domino nostro Pio IV, in hoc eodum concilio de adhidenda ab Ordinariis diligentia, in beneficiorum etiam exemptorum visitatione constituta sunt; eadem etiam in iis ecclesiis secularibus observentur, quæ in nullius diœcesi esse dicuntur: ut ab Episcopo, cujus cathedralis ecclesia est proximior, si id constet, alioquin ab eo, qui semel in concil. provinciali a prælato loci illius electus fuerit, tanquam Sedis apostolicæ delegato visitentur, non obstantibus privilegiis, et consuetudinibus quibuscumque etiam immemorabilibus. »

[392] In primo cap. statuitur, Episcopum visitare posse ecclesias quascumque quomodolibet exemptas, auctoritate Apostolica; et in secundo, ecclesias seculares, quæ nullius sunt diœcesis, ab Episcopo proximiori, vel ab eo qui semel in concil. provinciali a prælato loci illius electus fuerit, visitari mandatur.

administrantes, visitatione, reformatione, correctione, jurisdictione, et auctoritate uti tanquam, ut præfertur apostolica potestate delegati valeant? Decretum fuit, admitti debere ad visitationem plenariam, præterquam in locis, in quibus vigeret regularis observantia, et cura animarum immineret ecclesiæ monasterii juxta cap. 11, sess. 25, *de Regul.* [393], et tunc restringi visitationem ad ea quæ tangunt curam animarum, et sacramentorum administrationem : *Ibid.*, *dub.* 4.

6. Episcopus Treventi ad tuendam integram disciplinam judicium S. C. quærit, exponens : « Nella mia diocesi si trova una chiesa parochiale grancia di una commenda di Malta, la quale si serve adesso da un prete, che tiene la croce di quella religione ; si dimanda se nella visita si può astringere a dar conto dell' amministrazione de' sacramenti, ed osservare li sinodi ; dicendo colui non essere obligato a questo. » S. C. respondit posse Episcopum visitare quoad sacramentorum administrationem, et compellere ad observantiam synodi, quatenus curam animarum, et dictam sacramentorum administrationem respiciunt juxta bullam S. Pii V, Pont. Max. : *Triventina*, *febr.* 1588, *dub.* 1.

7. Inde retulit : « Gli Preti di Castropegnano terra di questa diocesi, che realmente pretendono esserne esenti, dubito, che al tempo della visita non si troverà alcuno di loro nella terra. Perilchè non si potrà fare il servizio di Dio conforme l'obligo pastorale, si dimanda il modo, che s' ha da tenere per fuggire questo disordine, dicendole, che oltre l'autorità datami dal Concilio di Trento, la Santità di nostro signore per lettere particolari mi ha commesso la correzione di quei Preti, mentre che dura la lite, che tra noi verte innanzi l'auditore, della camera » Respondit S. C. id pertinere ad jus commune, et Episcopum posse procedere jure suo : *Ibid.*, *dub.* 5.

8. Quum multi prætensi clerici diversa monasteria regni Poloniæ asseruissent se in commendam obtinere, tamen visitationem Ordinariorum subire, et litteras quæsitarum commendarum hujusmodi eisdem Ordinariis ostendere recusant, ne Ordinarii prædicti eos tanquam nobiles, et potentes molestare audent ; et inde magnum monasteriis inferatur detrimentum, et via laicis invadendi bona ecclesiastica aperiatur ; ipsi Ordinarii a doctrina S. C. consilium, et ab ejus auctoritate auxilium postulant, ut aliqua salubri ratione præmissis provideatur. S. C. respondit, Episcopum posse visitare beneficia commendata etiam regularia ex cap. 8, sess. 21, tuncque compellere posse commendatarios ad titulorum exhibitionem : *Gnesnen.*, *febr.* 1590, *dub.* 8.

9. S. C. veritatem inquirenti respondit, posse Episcopum visitare ecclesias quascumque seculares intra fines suæ diœcesis existentes vigore cap. 8, sess. 7 [394] ; etiamsi ad regulares pertineant, et ab eis dependeant, dum tamen per seculares eis deserviantur : *Taurinen.*, 15 *febr.* 1596, *dub.* 1.

10. Item monasteria quæcumque commendata, in quibus non viget regularis observantia, ac beneficia tam curata, quam non curata secularia, et regularia qualitercumque commendata vigore cap. 8, sess. 21 [395] : *Ibid.*, *dub.* 2.

11. Præterea tam beneficia curata unita quibuscunque monasteriis, et locis piis ex cap. 7, sessione 7 [396], quam etiam personas exercentes curam animarum in monasteriis regularium, quibus ea cura imminet juxta cap. 11, sess. 25, *de Regul.* [397] : *Ibid.*, *dub.* 3.

12. Ecclesias autem militum Hierosolymitano-

[393] Vide not. 397.

[394] *De Reform.*, in quo statuitur, ut Ordinarii, tanquam delegati Sedis apostolicæ singulis annis teneantur visitare quascumque ecclesias, quomodolibet exemptas, et juris remediis providere, et quæ reparatione indigent, reparentur, animarumque cura, si quæ illis imminet, sollicite, et exacte exerceatur.

[395] *De Reform.*, quod mandat Episcopis, tanquam delegatis Sedis apostolicæ, ut singulis annis visitent monasteria commendata, in quibus non viget regularis observantia, extensum est ab Innoc. X decreto ***Ut in parvis***, 10 febr. 1654 (*Bull. Rom.*, tom. 6, part. 3, pag. 270) ad omnes regulares, quorum conventus nunquam suppressi, fundati fuerint intra Italiam, et insulas adjacentes ante decretum Urbani VIII, nempe ante diem 21 junii 1625, hos personasque tam regulares, quam seculares in ipsis degentes subjiciendo visitationi, correctioni, et omnimodæ jurisdictioni Ordinarii loci tanquam Sedis apostolicæ delegati, si ibi actu non alantur saltem sex religiosi probatæ vitæ, quorum ad minus quatuor sint sacerdotes maturæ ætatis, sicut, et conventus erectos post dictam diem, in quibus degunt religiosi minori numero, quam duodecim.

[396] Vide not. 78, verb. ***Ecclesia parochialis***, § II.

[397] In quo statuitur tam seculares, quam regulares exercentes in seculares personas animarum curam in iis ecclesiis, quæ monasteriis, seu domibus regularium virorum, aut mulierum annexæ sunt immediate subesse debere in pertinentibus ad dictam curam, et sacramentorum administrationem jurisdictioni, visitationi, et correctioni Episcopi diœcesani ; ad tollendam sinistram ejusdem decreti interpretationem illud afficere non solos parochos, sed omnes regulares, et seculares quomodolibet exemptos, qui aliqua sacramenta ad parochum pertinentia sine Episcopi, et ejusdem parochi licentia administrarent, declaravit, ampliavitque Gregorius XV, Const. *Inscrutabili*, 5 febr. 1622 (*Bull. Rom.*, tom. 5, part. 5, pag. 1), § 4. Et S. Pius V, Const. *Exposcit*, 22 sept. 1571 (*Bull. Rom.*, tom. 4, part. 3, pag. 180) Episcopi jurisdictioni subjecit parochiales ecclesias etiam fratrum militum S. Joan. Hierosolymitani quoad animarum curam, et administrationem sacramentorum, quos etiam idem S. Pontifex excepit in confirmatione eorum privilegiorum Const. *Etsi cuncta*, 29 nov. 1568 (*Bull. Rom.*, tom. ibid., pag. 49.)

rum esse exemptas privilegiis Summ. Pontificum a visitatione Episcopi, præterquam si fuerint curata; tunc enim cum hujusmodi privilegia excipiant ea, quæ respiciunt curam animarum, et sacramentorum administrationem; quoad hæc posse utique visitari ab Episcopo: *Ibid., dub.* 4.

13. Episcopus potestatem habet visitandi societates personarum secularium in ecclesiis regularium exemptorum existentes, non autem earum capellas, et altaria, quæ intra easdem ecclesias consistunt: *Nullius, januar.* 1598, *dub.* 11.

14. Censuit S. C. personas, sive seculares, sive regulares animarum curam exercentes in ecclesiis sive domibus regularium etiam Ordinum militarium vigore cap. 11. sess. 25, *de Regul.* [398], subesse immediate in his, quæ ad dictam curam, et sacramentorum administrationem pertinent, visitationi Episcopi: *Guardien.*, 22 *sept.* 1600, *dub.* 1.

15. Ac Episcopo facultas est visitandi societates laicorum in ecclesiis regularium quamvis exemptorum, existentes, atque etiam capellas dictorum sodalium inibi sitas, quatenus eorumdem sodalium administrationem respiciant, atque etiam a societatum administratoribus rationem administrationis exigere: *Ibid., dub.* 2.

16. S. C. audito Episcopo, inhærensque decisioni a se alias editæ, quod Concilii decretum cap. 8, sess. 22, tribuens Episcopis facultatem visitandi hospitalia, et alia loca pia non sustulerit fundationes excludentes Episcopum a jure visitandi; perpensoque tenore exhibitarum fundationum, censuit, Episcopum Abulensem collegium S. Bernardi, hospitale, aliaque pia opera, de quibus agitur, a Francisco de Toleto erecta, nequaquam visitare, aut alias se in eis ingerere pollere: *Abulen.*, 6 *april.* 1606.

17. Archiepiscopo hujusmodi castrum visitare liberum esse, si est intra fines Theatinæ diœcesis, quemadmodum proponitur, S. C. præcepit: *Theatina*, 11 *sept.* 1610, *dub.* 1.

18. S. C. respondit licere Archiepiscopo visitare societatem, nisi secus in fundatione ipsius confraternitatis cautum esset: *Turritana*, 8 *junii* 1619, *dub.* 3.

19. Ac hujusmodi hospitalia posse similiter ab Archiepiscopo visitari, nisi in fundatione exempta fuerint ab ejus jurisdictione: *Ibid., dub.* 4.

20. Censuit S. C. Episcopum visitare debere non tanquam Ordinarium, sed tanquam apostolicæ Sedis delegatum: *Veronen.*, 29 *julii* 1628, *dub.* 1.

21. Non privative, sed cumulative cum superioribus regularibus: *Ibid., dub.* 2.

22. S. C. inhærendo declarationibus alias factis, censuit confraternitates laicorum in ecclesiis regularium exemptorum institutas subesse visitationi Episcopi, illasque ab eo visitari posse, necnon illorum capellas in iisdem ecclesiis regularium existentes, in his tamen, quæ confraternitatum administrationem respiciunt; etsi societatibus incumbat onus manutenendi altare, et illius cultum, Episcopum posse visitare circa ea, quæ respiciunt ipsam manutentionem, cultum, et ornamenta altaris, seu capellæ, onera Missarum, ac divinorum officiorum ibidem celebrandorum, et circa ea omnia, quæ ad obligationem eorumdem sodalium pertinent: *Nucerina Paganorum*, 23 *junii* 1629.

23. Domus piæ sub invocatione S. Mariæ de Misericordia ab ordinaria visitatione exemptæ sunt, dummodo vere constet de illarum exemptione, et legitima regia subjectione: *Leyrien.*, 7 *sept.* 1630, *dub.* 2.

24. Requiritur, utrum visitatio ecclesiæ cathedralis, et personarum illius valeat impediri, vel retardari interposita appellatione si non docetur de aliqua particulari exemptione? decrevit S. C. a visitatione ecclesiæ cathedralis, et personarum ipsius ab Episcopo facienda non admitti appellationem ad effectum suspensivum, nec ideo illam appellationem impedimentum inferre potestate valere: *Oriolen.*, 27 *martii* 1632, *dub.* 6.

25. Optatur perspicuum facere, an in Episcopi potestate est visitandi archivum ecclesiæ cathedralis, et recognoscere jura, et scripturas respicientes statum ecclesiæ ipsius? arbitrata est S. C. si archivum sit proprium ecclesiæ cathedralis posse Episcopum illud visitare, et jura, et scripturas respicientes statum ipsius ecclesiæ recognoscere, adhibitis tamen aliquibus ejusdem ecclesiæ canonicis: *Ibid., dub.* 9.

26. Episcopus potest visitare societates Sedis apostolicæ, vel Ordinarii auctoritate erectas; quo vero ad alias absque hujusmodi auctoritate erectas, rem fusius explicandam, et postea deliberandum esse deciditur: *Derthusen.*, 27 *maii* 1634, *dub.* 7.

27. Censuit S. C. visitationi Episcopi in his, quæ ad curam, et sacramentorum administrationem pertinent, parochos regulares subesse: *Colimbien.*, 16 *julii* 1639, *dub.* 1.

28. Et consulta S. C. an Episcopus potis est visitare, et rationes invisere administrationis a societatibus erectis in ecclesiis et monasteriis regularium? posse visitare societates erectas in ecclesiis, et monasteriis regularium? posse visitare societates erectas in ecclesiis et monasteriis regularium modo, et forma præscriptis in declaratione alias edita tenoris seq. *in Lunen. Sarzanen*, 6 *maii* 1617. S. C. censuit Episcopum hujusmodi societates tam in secula-

[398] Vide not. præcedentem.

ribus, quam in regularibus ecclesiis existentes, earumque administratores ad reddendam rationem administrationis compellere facultatem habere : *Ibid.*, *dub.* 3.

29. Censuit S. C. societatem Sanctissimæ Annuntiatæ, illiusque oratorium subesse visitationi Episcopi Comi; etiamsi intra septa monachorum Celestinorum existant; necnon per eumdem Episcopum visitari posse altare ejusdem oratorii, si eidem societati incumbat illud manutenendi onus, et illius cultum, et ornatum ipsius altaris, onera Missarum, ac divinorum officiorum ibidem celebrandorum, et circa ea omnia, quæ ad obligationem eorumdem sodalium officium, et onera pertinent : *Comen.*, *Visitationis*, 14 *febr.* 1642, *et Pistorien.*, 7 *sept.* 1652, 6 *julii* 1658.

30. Quæstione agitata, an valeat Episcopus societates laicorum virorum, seu mulierum, seu utriusque sexus in ecclesiis regularium erectas visitare? respondit Episcopum posse visitare juxta resolutiones S. C. Concilii alias editas, in quibus S. C. censuit societates laicorum in ecclesiis regularium exemptorum institutas subesse jurisdictioni, etiam visitationi Episcopi, illaque ab eo visitari posse, necnon illarum capellas in ecclesiis regularium existentes, et in his tamen, quæ societatum administrationem respiciunt. Etsi societatibus incumbat onus manutenendi altare, seu capellam, et illius cultum, et ornatum, Episcopo facultatem esse visitandi circa ea, quæ respiciunt ipsam manutentionem, cultum, et ornatum altaris, seu capellæ, necnon onera Missarum, atque divinorum officiorum ibidem celebrandorum, et circa ea cuncta, quæ ad obligationem eorumdem sodalium relationem habent: *Perusina*, *Episcopatus*, 2 *april.* 1650, *dub.* 1.

31. Et dubio expenso, an Episcopus possit visitare ecclesias rurales, quæ sine cura existunt, nec in eis viget observantia regularis, unitas, seu membra monasteriorum regularium, seu militarium exemptorum etiam Joannis Hierosolymitani? Episcopo facultatem datam non esse visitandi hujusmodi ecclesias rurales, nisi adhuc remanserint seculares, vel sint commendatæ, vel habeant curam animarum : *Ibid.*, *dub.* 2.

32. Prior Baruli religionis Hierosolymitanæ impugnans jurisdictionem delegatam Episcopo prætendit sibi competere omnimodam jurisdictionem quasi episcopalem cum qualitate nullius, et territorio separato, sed re in S. C. delata rescriptum est, Episcopum Vulturariensem potuisse, et posse uti Sedis apostolicæ delegatum visitare ecclesiam parochialem S. Mariæ terræ Alberonæ religionis Hierosolymitanæ, et in visitatione decreta edere in respicientibus curam animarum, administrationem sacramentorum, implementum onerum Missarum ex piis dispositionibus provenientium, illaque esse exequutioni demandanda : *Vulturarien.*, *Jurisdict.*, 24 *febr.* 1652. Deinde dubio iterum disceptato, S. C. sancivit præfatum Episcopum uti Episcopum viciniorem facultatem habere visitandi saltem tanquam Sedis apostolicæ delegatum ecclesias dicti prioratus in respicientibus curam animarum, et administrationem sacramentorum, et decreta desuper edere ex dispositione sacr. Concilii, et Const. S. Pii V, et Gregorii XV, Pont. Max. [399], necnon circa implementum onerum Missarum, et anniversariorum ex piis dispositionibus circa seras, portas, sacella, sacrarium, et sacra, et circa alia spectantia ad materiam peccati, et rationem administrationis a fratre capellano exigere, non tamen posse decreta edere circa restaurationem ecclesiæ, et cultum altarium in eadem ecclesia existentium, sed in his præfigendum terminum priori, qui infra quem omnino providere non omittat : 17 *maii* 1653, *dub.* 1. Demum discusso dubio, an ex noviter deductis sit a declarationibus alias editis recedendum? S. C. causam ad Rotam [400] remisit : 23 *januar.* 1666.

33. S. C. inhærens declarationibus alias editis, censuit Concilii decretum cap. 8, sess. 22, *de Reform.* [401], tribuens Episcopis facultatem visitandi non sustulisse fundationes, nisi specifice excludentes Episcopum etiam a jure visitandi : *Abulen.*, 4 *febr.* 1653.

34. Quæritur, an Episcopus teneatur singulis annis totam diœcesim lustrare incipiendo visitationem ab ecclesia collegiata Campobassi? Episcopum debere omnino quotannis propriam diœcesim per seipsum, aut si legitime impeditus fuerit, per suum vicarium generalem, aut visitatorem idoneum invisere, et si quolibet anno totam visitare non possit saltem majorem illius partem; ita ut tota biennio visitatio absolvatur. Visitationem vero incipere non debere a collegiata Campobassi : *Bojanen.*, 14 *nov.* 1654, *dub.* 1.

35. Quoad monasteria, sive prioratus claustrales, in quibus divinum cultum negligi, et regularem disciplinam collapsam esse narratur, S. C. sæpe alias respondit; nisi hujusmodi monasteria, sive prioratus suorum ordinum capitibus subsint, ac sese in congregationem redigere neglexerint; adeo ut propriis regularibus visitatoribus careant posse juxta cap. 8, sess. 25, *de Regul.* [402], ab Ordinariis

[399] Vide not. præcedentem 397

[400] Vide not. 259 supra.

[401] Vide not. 87, verb. *Administratio*, § II.

[402] In quo sancitur, quod monasteria non habentia Ordinarios regulares visitatores, et non subdita Episcopis, singulis triennis sese in congregatione unius, vel diversæ

locorum visitari, et corrigi : *Suessionen.*, 16 *sept.* 1662, *dub.* 19.

36. Prioratus vero, sive monasteria commendata in quibus non viget regularis observantia, Episcopi tanquam apostolicæ Sedis delegati visitationi subesse, prout ab eodem Concilio in cap. 8, sess. 21, *de Reform.* [403] cavetur, sancitur : *Ibid.*, *dub.* 20.

37. Reliquiæ sanctorum existentes in ecclesiis regularium, quæ exponuntur publicæ venerationi fidelium non possunt ab Archiepiscopo visitari, quia non constat unquam fuisse visitatas, aut approbatas juxta dispositionem S. Concilii Trid. sess. 25, *de Invoc. vener., et reliq. sanctor.* [404] *Urbinaten.*, *Visit. SS. Liminum*, 10 *martii* 1663, *dub.* 21.

38. Postulatur, an Episcopus visitare possit collegium Casinum administratum a collegio PP. Jesuitarum Maceratæ? censuit posse visitare : *Maceraten.*, *Visit. sacr. Liminum*, 26 *april.* 1664, *dub.* 26.

39. Et ecclesias, et loca pia simpliciter aggregata basilicæ Lateranensi possit Episcopus visitare tanquam delegatus Sedis apostolicæ ad præscriptum Concilii; quodsi jure ordinario visitare intendat audiendos esse illos, quorum interest, deciditur : *Ibid.*, *dub.* 34.

40. Item Episcopus potest visitare, et ex rationabili causa indultum oratorii privati in sua diœcesi a Pontifice Max. concessum cum clausula (duraturum ad beneplaciium Episcopi), quamvis ab antecessore dictum beneplacitum perpetuum sit declaratum, revocare : *Ibid.*, *dub.* 38.

41. Episcopum seu visitatorem ab Episcopo deputatum posse visitare parochos etiam regulares monasteriorum ordinis Cisterciensis S. Benedicti, Charthusianorum etiam, quamvis exemptorum, qui exercent curam animarum personarum secularium in parochiis in sua diœcesi existentibus, licet illæ monasteriis exemptis sint annexæ, aut de jurepatronatus, non obstantibus privilegiis dictorum monasteriorum S. C. statuit : *Olomucen.*, *Jurisdict.*, 11 *julii* 1665, *dub.* 1.

42. Mota quæstione, an Episcopus possit in ecclesia parochiali regularium præter sanctissimum Sacramentum, fontem baptismalem, Olea sacra, et libros ad curam animarum spectantes, lustrare omnia altaria, exedras ad confessiones excipiendas, sacram turrim, sepulcra, cœmeterium, ubi seculares parochiæ incolæ humantur, et ædituum circa paramenta, et ornamenta necessaria tam pro Missæ celebratione, quam pro exercitio curæ? dandas esse declarationes alias editas *in Vulturarien.* 17 *maii* 1653, *dub.* 1, S. C. declaravit : *Narnien.*, *Jur.*, 13 *julii* 1669, *dub.* 2.

43. Declaravit S. C. non licere Episcopum visitare ecclesias non parochiales ordinis Hierosolymitani, quamvis a prædecessoribus Episcopis visitatæ fuissent : *Mantuana*, *Jur. visit.*, 17 *junii* 1690.

44. Quum controversia esset inter Episcopum, et monachos Cassinenses monasterii S. Mariæ in monte de ecclesiis ruralibus S. Mariæ de Ronta, et S. Martini in flumine, quæ animarum habent curam annexam, et monasterio sunt unitæ; ac de oratorio posito in prædio *della Bagnarola* dubia exhibita S. C. fuerunt, an decreta facta in visitatione duarum ecclesiarum parochialium respicientia simplicem ornatum ecclesiæ, et non curam animarum valida sint, maxime sub pœna sequestri fructuum bonorum monasterii? aperuit S. C. re-

provinciæ redigant, et deputati ibidem reforment reformanda, et visitent : negligentia omittentium id facere, digna est, cui annectatur subjectio respectu Episcopi illius diœcesis. Hoc decreto innovata, ac ampliata est decretalis cap. *In singulis, de Stat. monac.*, statuens, formam instituendi regiminis in monasteriis Cisterciensium, et canonicorum regularium immediate subjectis Sedi apostolicæ, non habentibus regulares visitatores ordinarios. Circa intellectum hujus decretalis, et Tridentini Vide Fagnan. ad hanc decretalem.

[403] Vide not. 395.

[404] Ubi præcipitur, ut nullæ falsi dogmatis imagines statuantur, et in fine cautum est : « Hæc ut fidelius observentur, statuit S. Synodus, nemini licere ullo in loco, vel ecclesia, etiam quomodolibet exempta, ullum insolitam ponere, vel ponendam curare imaginem, nisi ab Episcopo approbata fuerit, nulla etiam admittenda esse nova miracula, nec novas reliquias recipiendas, nisi eodem recognoscente, et approbante Episcopo. » Hoc decreto derogatum est decretali cap. *Cum ex eo, de reliq., et vener. Sanct.*, prohibenti ne de novo inventas quis publice venerari præsumat, antequam apostolicæ Sedis fuerint auctoritate probatæ, et in cit. decreto Episcopo facultas tribuitur. Quæ cognitio, seu approbatio ad Episcopum spectat, etiamsi agatur de reliquiis exponendis in ecclesiis regularium, quas donec recognoverit potest mandare, custodiendas esse in loco sibi beneviso, et apud se clavem retinere ex decreto S. C. Concil. *in Viterbien.*, 25 *junii* 1627, lib. 3, *Decret.*, fol. 288. Si autem jam publicæ veneratioui expositæ fuerint, non potest has visitare, licet constet, nunquam fuisse visitatas ex decreto ejusd. S. C. *in Cæsaraugustana* lib. 3, *Decret.*, fol. 16, *in Albinganen.*, 14 *martii* 1648, lib. 18, *Decret.*, fol. 456, et *in Albanen.*, *Visitationis*, 3 *martii* 1688, *dub.* 4, lib. 25, *Decret.*, fol. 550. Pius VI, Pont. Max., Const. *Auctorem fidei*, 28 aug. 1794, doctrinam, ac præscriptionem generatim reprobantem omnem specialem cultum, quem alicui speciatim imagini solent fideles impendere, et ad ipsam potius quam ad aliam confugere, in synodo Pistoriensi expositam damnavit tamquam *temerariam, perniciosam, pio per ecclesiam frequentato mori, tum et illi providentiæ ordini injuriosam, quo* « ita Deus nec in omnibus memoriis Sanctorum ista fieri voluit, qui dividit propria unicuique prout vult. » Ex. *S. August. Ep.* 78, *clero, senioribus, et universæ plebi ecclesiæ Hipponen.*

spondens *affirmative*, scilicet potuisse visitare auctoritate ordinaria, et consueta. De oratorio autem rescriptum est dandas esse litteras remissoriales hinc inde ad effectum probandi, an oratorium sit publicum, vel privatum : *Cæsenaten., Jurisdict.*, 23 *sept.* 1690, *dub.* 1 et 4.

45. Intus ecclesiam S. Mariæ PP. Servorum Urbaniæ sita, et erecta est societas Sanctissimi Crucifixi cum capella dictæ S. imaginis, annexam habens mansionem pro sacra supellectili, et congressu sodalium, ambiguum est, an valeat Episcopus visitare dictum altare cum mansione annexa? posse juxta decretum *Nucerina*, 23 junii 1629 [405] S. C. explicavit *Urbanien., Visit. capellæ*, 23 *sept.* 1690.

46. Adjudicata Episcopo Laudensi totali, et omnimoda jurisdictione spirituali ordinaria in populum et parochiæ incolas ecclesiæ parochialis Hospitaletti, visitare illam ecclesiam in omnibus, quæ curam animarum, et sacramentorum administrationem respiciunt, posse S. C. decernit : *Lauden., Jurisd.*, 1 *decem.* 1691, *dub.* 2, confirmata 20 *sept.* 1692.

47. Inter diœceseon, et in oppido Castri veteris adest monasterum monialium B. M. Vallis viridis subjectum jurisdictioni priorissæ Messanen., et pro tali a S. C. reputatum anno 1589 in contradictorio judicio inter dictam priorissam, et tunc temporis Episcopum Hieracensem. Ad visitationem hujus monasterii curavit accedere anno 1690 modernus Episcopus, et visitatione quoad clausuram absoluta volens eam perficere quoad singulas moniales et fuit impeditus : quare allegata a monialibus asserta exemptione, fuit dubium S. C. exhibitum, an Episcopus visitare possit dictum monasterium S. M. *di Valverde* in rebus quæ respiciunt clausuram? et affirmativum protulit responsum : *Hieracen., Visit.*, 26 *januar.* 1692, *dub.* 1.

48. Episcopo competit jus visitandi collegium seu domum Frisiam oppidi Lugi refragante communitate dicti loci, cui testator visitationem commisit : *Imolen., Juris visitandi*, 29 *novem.* 1692.

49. De quadam sacra ædicula monasterii S. Ægidii, quam Eremitæ Camaldulenses dicebant ab antiquo tempore suo monasterio unitam, et commendatam, ideoque exemptam a visitatione, et jurisdictione Episcopi ; Episcopus autem, qui eam visitaverat, antiquitus fuisse parochialem unitam æque principaliter alteri ecclesiæ S. Joannis de Tuorgnia commendatæ similiter eidem monasterio, et quæ procul dubio semper subjecta fuerat visitationi Ordinarii, disceptatum est, an ecclesia S. Ægidii potuerit, et possit ab Episcopo visitari, et quatenus negative ; an decreta facta in visitatione Episcopi pro sacrarum supellectilium provisione sustineantur ? prodiit rescriptum esse Episcopum manutenendum in quasi possessione visitandi ecclesiam S. Ægidii : *Cortonen., Visit.*, 20 *april.* 1697, *dub.* 1 et 2.

50. Decretum emanatum a S. C. sub die 26 septem. 1699, quo sancitur licuisse, et licere Episcopo visitare capellam S. Augustini sitam in claustro collegiatæ ecclesiæ oppidi Minorissæ, modo confirmatur : *Vicen., Juris visitandi*, 16 *januar.* 1700, *dub.* 1.

51. Quum archiepiscopus Firmanus sectando prædecessorum vestigia, exoptasset ad actum visitationis sanctissimæ spinæ Coronæ D. N. J. C. devenire, quæ asservatur in ecclesia patrum Eremitarum S. Augustini Firmi, tribus in tabernaculo clavibus occlusa, quarum unam civitas præfata, alteram sodalitas inibi erecta, alteram patres retinent, ei iidem patres impedimentum intulerunt. S. C., cui quæstio relata est, rescripsit, competere in casu de quo agitur Archiepiscopo jus visitandi, etiam ad effectum manutentionis : *Firmana, Visit. sanctissimæ spinæ*, 5 *junii* 1700, *dub.* 1.

52. Episcopo Portucallensi asserenti, se propriam cathedralem, et totum capituli corpus ab infirmitate detentum non posse personaliter visitare, credere æquum esse S. C. putavit, ut suum valeat vicarium generalem ad visitandum deputare ; neque proinde legitimi impedimenti causam assignare ille tenetur : *Portucallen., Visitat.*, 29 *januar.* 1701.

53. Necesse haudquaquam esse, ut impedimentum ad visitandam personaliter cathedralem et totum capituli corpus, sit continuum, toto nempe duret tempore a Concilio Tridentino præscripto pro visitatione peragenda ; sed id ejusdem Portucallensis Episcopi conscientiæ remittendum S. C. censuit : *Ibid., dub.* 3.

54. Dubio disputato, an competat jus visitandi ecclesiam S. Nicolai sitam in territorio Molphæ, et an interdictum, et censuræ sustineantur? S. C. ut coadjuventur probationes rescripsit. Nam territorium Molphæ ab Episcopo Caputaquensi prætenditur esse in, et de sua diœcesi, econtra capitulum basilicæ Vaticanæ se obfirmabat illud esse unum de membris, ac dependentiis abbatiarum S. Petri de Cusatis, et S. Nazarii olim regularium Cisterciensium : *Caputaquen., Juris visit.*, 19 *maii* 1703.

55. Ratione controversiæ vigentis inter Card. abbatem commendatarium monasterii S. Mariæ Farfensis, et Card. Archiepiscopum Firmanum super jure, et modo visitandi complures ecclesias positas in castris, seu oppidis montis Falconis, Montis S. Mariæ in Georgio, et S. Victoriæ dismembratis ab abbatia Farfensi, et applicatis diœcesi Firmanæ ;

[405] Vide num. 22, præsenti §.

ac quoad quinque alias non comprehensas in dicta dismembratione, placuit Innoc. XI, Pont. Max., committere instantias S. C. Concilii, ut procederet cum voto Rotæ. Hoc voto emanato [406] Archiepiscopus instat pro exequutione, et ead. S. C. esse exequendum statuit : *Firmana*, *Jurisdict.*, 7 *julii* 1703, confirmata 18 *aug. ejusd. anni.*

56. Episcopum Miletensem ecclesias parochiales in solo Lateranense fundatas jure Ordinario visitare minime valere S. C. constituit : *Mileten.*, 17 *novem.* 1703, *dub.* 5.

57. Capellanus arcis Ferrariæ edictum Episcopi, qui ei una cum omnibus confessariis, ut novo examini sese subjiceret, novamque acciperet approbationem, præceperat, exhaurire renuit, se ab illius jurisdictione exemptum esse autumans. Card. legatus capellani favebat instantiæ ; sed S. C. capellanum hunc Card. Episcopi visitationi subjectum esse definivit : *Ferrarien.*, *Jurisdict.*, 12 *januar.* 1704, *dub.* 1.

58. Denunciatæ per Episcopum visitationi personali sese subjicere nonnulli ex canonicis, aliique de clero recusarunt. Hos Episcopus indutus cappa magna frustra per plures horas expectavit. Et interim illi S. C. adierunt, quæ capitulum non valere defugere personalem visitationem ab Episcopo indictam sub pœnis etiam censurarum statuit : *Aprutina*, *Visitat.*, 18 *julii* 1705.

59. Dubium S. C. subjicitur, an omnes, seu quot, et quales capellas, et altaria existentia in ecclesia collegiata S. Ambrosii majoris ex latere monachorum Cisterciensium, in qua canonici seculares, et præfati monachi intra limites singulis constitutos distincte ministrantes sacras functiones peragunt, et divina officia persolvunt, liceat Card. Archiepiscopo visitare ? S. C. respondit, licere Card. Archiepiscopo lustrare capellas sanctissimi Sacramenti, S. Bartholomæi parvi, et altare S. Catharinæ tantum : nam pluries fuerunt a prædecessoribus visitatæ : *Mediolanen.*, *Visitat.*, 28 *novem.* 1705.

60. Episcopus jure ordinario, non delegato tam ecclesiam S. Joannis Baptistæ extra mœnia Foggiæ positam, cujus religio Hierosolymitana subjectionem sibi vindicat, quam societatem sanctissimæ Annunciatæ in dicta ecclesia existentem visitare valet : *Trojana*, *Jurisdict.*, 24 *aug.* 1709, *dub.* 3.

61. Ob controversias inter Episcopum Anglonæ, et abbatem Rapacciolum commendatarium monasterii S. Eliæ ordinis S. Basilii oppidi Carboni exortas circa ejus ecclesiæ visitationem in iis quæ ad animarum curam spectant, examinatum fuit dubium in S. C., an stantibus rationibus in facto, et in jure per informantes deducendis, liceat præfato Episcopo visitare prædicti monasterii ecclesiam in omnibus, quæ animarum curam respiciunt, confessarios approbare, Ordines conferre, et in ea sacris concionatoribus licentiam impertiri ? et die 24 januar. 1660, citato abbate S. C. censuit competere Episcopo Anglonæ facultatem prædicta faciendi ; donec per rem judicatam constiterit, præfatam abbatiam esse nullius, et cum territorio separato, et jurisdictione quasi episcopali. Modo instantia reproducta quæsitum est, an sit standum, vel recedendum a decisis ? et S. C. distulit resolutionem, ut dentur litteræ compulsoriales, et remissoriales cum præfixione termini quatuor mensium : *Anglonen.*, *Jurisdict.*, 24 *aug.* 1709, *dub.* 1. Litteris expeditis, et fabricato processu iterum decretum protelavit, ut coadjuvarentur probationes, non retardata interim exequutione decreti S. C. anni 1660 : 16 *maii* 1711, tandem in decisis respondit : 17 *novem.* 1614 [407].

62. Et quum decrevisset S. C. ex deductis non esse dictam abbatiam nullius, nec habere territorium separatum, ac jurisdictionem quasi episcopalem, inde sanxit, ut præter visitationem delegatam competentem Episcopo in ecclesia abbatiali spectat

[406] Votum Rotale in hac controversia vertente inter Archiepiscopum Firmanum, et abbatem Farfensem, an per dismembrationem a jurisdictione abbatiæ Farfensis aliquorum castrorum cum annexis ecclesiis, et monasteriis, et unitarum archidiœcesi Firmanæ, plena super eis acquisita fuerit jurisdictio Archiepiscopo Firmano, ita ut potuerit visitare ecclesias ad monachos exemptos spectantes, evincitur ex *Decis.* 676 *cor. Molines*, tom. 3, qua resolvitur quod per unionem factam non remanserunt præjudicata privilegia alias monasteriis concessa, et quod non possit visitare easdem ecclesias præterquam in respicientibus animarum curam, et hinc intricata sese offert quæstio, an in respicientibus animarum curam Episcopi possint visitare jure ordinario, vel delegato, et cum jurisdictio Episcopis tributa a Concilio sit immediata, et nulla nova ab eodem Concilio detur jurisdictio Episcopis, sed solum excitetur illa quæ jam de jure ipsis competebat, posse Episcopos visitare jure ordinario fundamentaliter respondetur. Postmodum in *Decis.* 769 *cor. eod.* sacra Rota super modo visitandi monasteria exempta in respicientibus animarum curam, et sacramentorum administrationem, decidit Episcopos posse visitationes explere jure ordinario, vel utramque jurisdictionem cumulative exercere prout necessitas exegerit. Vigore autem *Decis.* 771 *cor. eod.* monasteria monialium exempta possunt ab Episcopo visitari in respicientibus clausuram jure delegato ; ecclesiæ dependentes a monasterio pollente jurisdictione quasi episcopali visitari possunt respectu animarum curæ jure ordinario. Antea etiam controversiæ inter eosdem exarserant jurisdictionales, quæ per concordiam fuerunt sopitæ, de qua agit Card. de Luca, *disc.* 14 *de Jurisdictione*, p. 1, t. 3.

[407] Hanc causam patrocinatus est advocatus Dominicus Ursaya cujus jura habentur in *Discept. Eccl.* IX, tom. 1, part. 1 *per tot.* et *Discept.* V, tom. 2, part. 1, *per tot.*

ad eumdem jus faciendi visitationem localem, et personalem aliarum ecclesiarum, et cleri terræ Carbonis auctoritate ordinaria, non autem spectat ad Card. abbatem : *Ead.*, 6 *junii* 1716, *dub.* 1.

63. Sed cumulative, non privative ad formam Clusinæ [408] spectare S. C. declaravit : *Ibid.*, *dub.* 2, confirmata *ibid.*

64. Ecclesia B. V. de templo modo vero S. Mariæ Sanitatis nuncupata civitatis Lycii, quoniam reputatur Grangia commendæ Marrubii sac. religionis Hierosolymitanæ, quum in pluribus locis apposita conspiciantur arma seu religionis prædictæ insignia, ab Ordinarii visitatione exempta est : *Lycien., Visitat., et jurisdict.*, 30 *aug.* 1710.

65. Ecclesia S. Mariæ de Lacu cum domo adnexa ad patres Camaldulenses monasterii S. Mariæ de Urano pertinet. Dicti patres intendunt esse exemptam ab Episcopi visitatione vigore cujusdam donationis olim ab Episcopo Populiensi factæ anno 1228 ; sed S. C. cui res delata fuit, primum extrahi formaliter donationem mandavit : *Brictinorien., Exempt., et eleemos.*, 5 *sept.* 1711. Deinde esse ab Episcopi visitatione exemptam exceptis mansionibus inservientibus pro colonis firmavit : 12 *decem. ejusd. anni.*

66. Visitatio ecclesiæ S. Mariæ de Perno, cujus positio ex decreto S. C. est in diœcesi Melphiensi, spectat ad Episcopum Melphiensem seu Rapollensem, non autem ad Episcopum Muranum : *Melphien., Jurisdict., et censur.*, 16 *julii* 1712, *dub.* 2.

67. Dissidium factum, an subjectæ sint visitationi Episcopi ecclesiæ villæ S. Antonii, S. Crucis et S. Mariæ Gratiarum terræ Vissi ratione assertæ aggregationis basilicæ Lateranensi ? S. C. dirimit affirmativa responsione : *Spoletana*, *Prætensæ exempt.*, 12 *novem.* 1712, *dub.* 1.

68. Episcopus Anagninus visitare volens civitatem, et diœcesim, assumere potest unum, vel duos canonicos visitatores, et secum habere quousque visitatio perdurat : *Anagnina, Distribut.*, 27 *maii* 1713, *dub.* 2.

69. Episcopum visitationis munus obeuntem in oppido Nursiæ sistitit Andreas Ferretti procurator equitis commendatarii Platamonii, atque contestatus est, ne iniret ecclesiam S. Jacobi, annexamque domum, quam incolunt patres congregationis Oratorii S. Philippi Nerii, quum sub pleno dominii jure esset Hierosolymitanæ religionis. Episcopus verum visitavit eam tamquam apostolicus delegatus ; hac de causa rectum judicium fecit S. C., haud posse visitare : *Spoletana, Visitat.*, 28 *julii* 1713, *dub.* 1. Confirmavit addendo quoad materialem ecclesiæ ; in reliquis spectare ad Episcopum : 16 *decem. ejusd. anni.*

70. Episcopus Spoletanus sollicitudine pastorali sacram visitationem prosequens in ducatu Ferentilli mandatum dedit canonico Guerræ perlustrandi abbatialem ecclesiam S. Petri. Se opposuit sacerdos Augustinus Placidi dictæ ecclesiæ vicecuratus, qui fores, jussum Petri de Ancajanis abbatis allegante, clausit ; propterea justo libravit examine S. C., an Episcopo prædicto competeret jurisdictio delegata ? et affirmativum quoad visitationem emanavit responsum : *Spoletana, Jurisdict., et censurar.*, 30 *sept.* 1713, *dub.* 1.

71. Archiepiscopus Firmanus valet visitare societatem Sanctissimi Rosarii in conventu PP. Minorum conventualium S. Francisci terræ S. Elpidii erectam : *Firmana, Jurisdict.*, 4 *aug.* 1714, *dub.* 1.

72. Episcopo Ugentino non competit jus visitandi conventum Sanctissimæ Annuntiationis patrum Carmelitarum oppidi Murciani ecclesiam, ac religiosos, dummodo adsint sex religiosi ad formam decreti *Ut in parvis* [409] : *Ugentina, Jurisdict., et censur.*, 16 *martii* 1715, *dub.* 2.

73. Dubio considerato, an Episcopus Ripanus, seu vicarius generalis altare Sanctissimi existens in ecclesia S. Dominici patrum Prædicatorum urbis Ripæ transonis, ac ad societatem Sanctissimi Rosarii pertinens lustrare possit ? respondit S. C., ut dentur decreta [410] : *Ripana, Confrater.*, 30 *martii* 1715, *dub.* 5.

74. Episcopo Minervii competit jus visitandi jure delegato terram Cerignolam in Apulia, quam exemptam esse contendit archipresbyter, et capitulum collegiatæ S. Petri dictæ terræ *Nullius, seu Minerbien., Jurisdict., et attentat.*, 16 *novem.* 1715, *dub.* 4.

75. Licet Episcopo Sutrino visitare oratorium societatis Disciplinatorum castri Roncilionis, quod exemptum esse putabatur : *Sutrina, Jurisdict.*, 7 *decem.* 1715, *dub.* 1.

76. Jure ordinario, non jure delegato id peragere valet : *Ibid.*, *dub.* 2.

77. Episcopo Asculano ecclesiam non parochialem S. Joannis ad templum, quæ est commenda sacræ religionis Hierosolymitanæ visitare volenti, tanquam apostolicæ Sedis delegato, inhibitum fuit

[408] Vide num. 1, 2. Verb. *Abbas*, § VIII.

[409] Vide not. 395.

[410] Nempe alias hac de re edita, et signanter *in causa Comen., Visitationis*, inter Episcopum Comensem, et monachos Cœlestinos, ac confraternitatem Sanctissimæ Annunciatæ sub die 15 febr. 1642. Vide num. 22.

a S. C.; etiamsi sui in episcopatu prædecessores eam visitaverint : *Asculana, Visitat.*, 4 *martii* 1719.

78. Archiepiscopo Bononiæ ecclesias unitas, et adnexas collegio Montato visitare delegationis jure liberum esse nulla suboriri potest difficultas : *Bononien., Jurisdict. visitandi,* 2 *octob.* 1721.

79. Contenditur, in cujusnam diœcesi, Camerinensis nempe, seu Episcopi Auximani, sitæ sint ecclesiæ S. Mariæ *dell' Ospedaletto*, et S. Sergii; hinc exorto dubio, an saltem Episcopus Camerinensis possit illas visitare, quatenus sint in diœcesi Auximana; et quatenus sint in diœcesi Camerinensi possit illas visitare Episcopus Auximanus? S. Congr. mandavit, probationes hinc inde juxta instructionem coadjuvari : *Auximana, seu Camerinen., Jurisdict.*, 12 *julii* 1721, *dub.* 2. Sed quum inter utrumque Episcopum fuisset inita concordia, pro hujus adprobatione S. C. stetit : 5 *decem.* 1722.

80. Archiepiscopus Mexicanus suum negotiorum gestorem ad Urbem, ubi residet universæ Ecclesiæ administratio, delegavit, ut ad nonnullos abusus qui in sua diœcesi invaluerunt, removendos niteretur. Idcirco inter cetera hoc definiendum dubium ad S. C. retulit, an, et quomodo competat Archiepiscopo jus visitandi societates erectas in ecclesiis regularium, et presertim illas SS. Deiparæ Rosarii, et Montis Carmeli? Verum causæ definitione minime edita, mandatum fuit, ut scriberetur Nuntio juxta instructionem [411] : *Mexicana*, 8 *aug.* 1722, *dub.* 5.

81. Episcopum S. Marci posse per semetipsum quotannis visitare omnes ecclesias, omniaque loca suæ diœcesis; et intra annum absque tamen ulla procuratione plures peragendi visitationes potestatem habere in ambiguo non est : *Sancti Marci, plurium*, 16 *januar.* 1723, *dub.* 1.

82. Episcopo Lyciensi ecclesiam ruralem S. Mariæ Galliani, quam monachi Olivetani monasterii SS. Nicolai, et Cataldi ab Ordinarii visitatione exemptam prædicant, subjectam esse firmatur : *Lycien., Visitationis, et censurarum*, 29 *januar.* 1724, *dub.* 1, confirmatum et additum fuit *jure tamen delegato :* 23 *junii* 1725.

83. Episcopus Poliniani in visitatorem apostolicum terræ Fasani, quæ est nullius, a S. C. fuit deputatus. Per subdelegatum vicarium generalem Fasani visitationem peregit, qui illustravit ecclesias subjectas, et inde accessit ad ecclesiam B. M. de Rosario, ac S. M. de Madia in agro *Torre Spaccata*, quæ prætendebantur subjectæ Ordinario Monopolitano. Ibi ita repressus ille fuit, ut dimicatum est. Quæstio hujusmodi ad S. C. pervenit docens Episcopus Monopolitanus de plurimis actibus jurisdictionis peractis, ad examen posito, num dictus Episcopus haberet jus illas privative visitandi? S. C. dum distulit resolutionem ut coadjuventur probationes, ac simul Episcopum prædictum manuteri in exercitio jurisdictionis ordinariæ voluit : *Monopolitana*, 20 *sept.* 1727, *dub.* 1.

84. Episcopus Neocastri cupiens accedere ad visitandum conventum PP. Minimorum loci Sancti Blasi, illis opponentibus ad censuras processit; hinc in S. C. fuerunt expensa hæc dubia : An conventus dictorum PP. S. Francisci de Paula ordinis Minimorum dictæ terræ esset subjectus visitationi Episcopi Neocastri tempore, quo fuit ab eodem Episcopo indicta?

85. An censuræ, et interdictum ecclesiæ ab eodem Episcopo respective latæ sustineantur?

86. An PP. ob Missas, et divina officia celebrata tempore interdicti incurrerint irregularitatem, vel quas pœnas?

87. An edicta affixa, et processus fabricati contra patres Minimos per eumdem Episcopum sustineantur, et quatenus negative, an sint abolendi?

88. An, et quis incurrerit in excommunicationem ob attentatam fratris Petri de Amato in carcerem ejectionem?

89. An sit locus restitutioni cadaverum, et emolumentorum illorum, qui electo sepulcro in ecclesia PP. alibi propter interdictum fuerunt humati? S. C. ad singula respondit : Dilata, et ad mentem [412] : *Neocastren.*, 17 *januar.* 1728, *dub.* 1, 2, 3, 4, 5 et 6.

90. Postulatum fuit, num Episcopo Spoletano competeret jurisdictio visitandi capellam in ecclesia PP. Minorum conventualium terræ Montis Leonis sitam, ac in solo Lateranensi extructam, ubi pia mulierum societas sine sacco reperitur? competere ad formam decreti *in Nucerina Paganorum*,

[411] Vide not. 86, verb. *Ecclesia parochialis*, § II.

[412] Et mens fuit, ut patres Minimi ad Episcopum accedere, et excusationem, et veniam præteritorum petere debeant, quodque idcirco eos humane et charitative Episcopus recipiat, unicoque contextu interdictum ipsorum ecclesiæ impositum removeat, et alios quoscumque processus factos adversus eosdem deleri mandet. Patres siquidem rei quoad censuras inflictas, et irregularitem petierunt, et obtinuerunt respective absolutionem, et dispensationem.

Quum ex actis colligatur Episcopum demandasse in vinculis conjectionem patrum, eamque violenter exequutioni demandari in ecclesia, S. C. censuit Episcopum censuris ecclesiasticis esse obnoxium, proinde suæ conscientiæ consulendum, mandatque etiam exequutoribus ut ad S. Sedem recurrant pro absolutione : *Regist. Lit.*, lib. 27, die 17 januar. 1728.

23 *julii* 1629 [413] : *Spoletana, Juris visitandi,* 30 *sept.* 1730, *dub.* 2.

91. In ecclesia S. Appollinaris Patrum Minimorum S. Francisci de Observantia, sodalitium residet S. Antonii Patavini, quod in eo altari plurima pietatis opera exercet, ac varia ad altaris ornamentum supellectilia construxerat. Ravennas Archiepiscopus sibi arrogat capellam, et altare illud suæ esse visitationi subjectum, et S. C. in favorem Archiepiscopi, et ad formam Nucerinæ [414], dum fuit consulta, rescripsit : *Ravennaten., Visitat.,* 7 *april.* 1731, *dub.* 1.

92. Insuper secundum ea quæ proponebantur, S. ead. C. respondit, Archiepiscopum prædictum ornamenta, et supellectilia ejusdem altaris, et capellæ spectantia ad eosdem patres, visitare minime posse : *Ibid., dub.* 2.

93. Non patet, an ea, quæ ad societatem eamdem spectant, et in actu visitationis servantur in arca, aut in alio loco, visitari debeant in locis, in quibus asservantur ; sive asportanda potius sint intra capellam præfatam, ibique visitari? resolutum est, Archiepiscopum ubicumque ea servantur, visitare posse : *Ibid., dub.* 3.

94. Ecclesiam sub titulo S. Mariæ de Madia in prædio vulgo nuncupata *Torre Spaccata*, et alteram sub invocatione B. M. de Rosario, erectam in agro enunciato *Torre Longa*, in diœcesi Monopolitana esse, ita ut illas visitandi jus ad Ordinarium Monopolitanum debeat privative spectare, S. C. definivit. Ex documentis evincebatur eas pluries visitasse : *Monopolitana, Juris visitandi,* 1 *sept.* 1731. Curia Fasani, quæ sibi jus visitandi arrogare cupiebat, et jura sua edocere neglexerat, appellationem postulavit, et suspensa definitio fuit, non retardata tamen interim exequutione jam editæ resolutionis, 17 *novem. ejusdem. anni.* Dictum tandem fuit in decisis : 26 *januar.* 1732.

95. Episcopus Muranus visitare potest ad formam resolutionis *in Nucerina Paganorum* [415] altaria Sanctissimi Rosarii, et S. Francisci existentia in ecclesia PP. Minorum conventualium oppidi S. Felicis ; etiamsi in altare S. Francisci sublata de medio fuerit societas, quæ ibi fuerat instituta, quamque guardianus cœnobii fratrum Minorum conventualium opinabatur esse causam visitationis : *Murana, Visitat.,* 21 *junii* 1732, *dub.* 2.

96. Episcopus Larinensis anno 1653 petiit declarari a S. C. an ei jus esset visitandi ecclesiam existentem in abbatia sanctæ Agathæ, quæ esse dicitur Grancia monasterii Tremitani canonicorum regularium Lateranasium ? responsnm est, sacrum Concilium assistere Episcopo, necnon Constitutionem Gregorii XV, Sum. Pont., *de Exempt. privileg.* [416] ideo exequendum : 20 *decem. ejusd. anni.* Modo quæritur, an liceat dicto Episcopo visitare illam ecclesiam quoad sacramenta, et sacramentalia, ita ut sit standum, vel recedendum a decisis diei 20 decem.? S. C. rescripsit : Dilata, et interim canonici regulares se abstineant ab exercitio curæ animarum in ecclesia S. Agathæ : *Larinen., Visitat.,* 27 *junii* 1733. Deinde affirmativum præbuit responsum : 23 *januar.* 1734.

97. Declaravit S. C. licuisse Archiepiscopo Lanciani die 16 aug. 1733 indicere, et omnino ad visitationem procedere localem, et personalem in terra Castrinovi ; etiamsi clerus ipsius terræ exhibuerit S. C. libellum, quo postulaverat, ut præciperetur Archiepiscopo, ne personali visitationi extra generalem eum subjiceret : *Lancianen., Visitat.,* 26 *sept.* 1734, *dub.* 1.

98. Episcopo Vercellensi ecclesiam parochialem, et abbatialem SS. Nazarii, et Celsi ordinis S. Benedicti ab Ordinarii jurisdictione se exemptam esse putantem, in iis omnibus, quæ respiciunt curam animarum, et sacramentorum administrationem visitare, necnon quoad ea jus habere in universum clerum, et populum laicum ipsius abbatiæ, prodiit responsum : *Vercellen., Jurisdict.*, 9 *julii* 1735, *dub.* 1 et 3.

99. An capellam S. Mariæ de Monte Carmelo in ecclesia patrum Minorum S. Francisci civitatis Maratheæ erectam ; de jurepatronatus quoad jus honorificum in favorem hæredum Pomponii Jordani visitandi facultas sit Ordinario Cassanensi ; seu vero visitare iidem regulares illam deberent? ad hoc dubium S. C. rescripsit, ut servarentur decreta [417] : *Cassanen.,* 28 *april.* 1736, *dub.* 8, confirmata 1 *sept. ejusd. anni.*

100. Episcopum Policastri, etiam non completo anno ab ultima visitatione ecclesiam S. Nicolai terræ Laureæ denuo visitare valere, rescribitur : *Policastren., Procurat.,* 1 *junii* 1737, *dub.* 3.

101. Quum in consultationem venisset, an etiam ecclesia sub titulo S. Joannis nuncupata *delle Fosse* esset in diœcesi Monopolitana, ita ut illam visitandi ad Ordinarium Monopolitanum privative spectaret, curia ecclesiastica Fasani intra suos limites sitam esse contendente ; S. C. causæ decisionem suspendit, et voluit coadjuvari probationes : *Monopolitana, Juris visitandi,* 2 *sept.* 1737.

[413] Vide num. 22 præsenti §.

[414] Vide ut supra.

[415] Vide ut supra.

[416] Const. *Inscrutabili,* 5 febr. 1622 (*Bull. Rom.*, tom. 5, part. 5, pag. 1), ubi de exemptorum privilegiis circa animarum curam, sacramentorum administrationem et sanctimonialium monasteria, et prædicationem verbi Dei.

[417] Vide præsenti § num. 22.

102. Amalphi Archiepiscopo abbatialem seu parochialem ecclesiam Sanctæ Mariæ oppidi Positani visitare fas esse rescriptum fuit : *Amalphitana, Cathed., et procurat.*, 14 *martii* 1739, *dub.* 2.

103. Archiepiscopus Neapolitanus visitare valet jure delegato ecclesiam S. Angeli ad Midum, et hospitale adnexum pariter jure delegato circa spiritualia; in reliquis ad formam concordatorum planum S. C. fecit; quamvis rector ipsius ecclesiæ privilegia suæ exemptionis exhiberet : *Neapolitana*, 21 *julii* 1742, *dub.* 7 [418].

104. Ac idem Archiepiscopus eodem jure visitando ecclesiam prædictam potest visitare quoque altaria, sacras vestes, supellectilia, aliaque necessaria pro materiali custodia sacramentorum : *Ibid.*, *dub.* 8 [419].

105. Insuper idem Archiepiscopus eodem jure delegato valet visitare ecclesiæ ædituum seu rectorem, ac capellanos quoad scientiam, mores, vestesque tum sacras, tum profanas, ac decreta opportuna edere pro eorum vitæ honestate, ac institutione : *Ibid.*, *dub.* 9 [420].

106. Episcopo Tuderti jus visitandi ecclesiam S. Mariæ Consolationis privilegio exemptionis a Clem. VII, Pont. Max., impertito gaudentis in iis quæ respiciunt tantum divinum cultum, non autem in iis, quæ ad œconomiam spectant, competere decernitur; ita ut rectores, aliique administratores dictæ ecclesiæ eidem Episcopo rationem reddere non tenentur : *Tudertina, Censur.*, 22 *sept.* 1742, *dub.* 1.

107. Non commendatarios religionis Hierosolymitanæ, cui in temporalibus subjecta sunt oppida Melicucca, et Drusium nuncupata, sed Episcopum Miletensem, in cujus diœceseos fines illa comprehenduntur, manutenendum esse in jure visitandi ecclesias parochiales, aliasque cunctas commendarum ecclesias, S. C. pandit : *Mileten., Jurisdict.*, 3 *aug.* 1743, *dub.* 7, confirmata 23 *novem. ejusd. anni.*

108. Necnon manutenendum eumdem esse Episcopum, non vero commendatarios prælaudatæ religionis in jure visitandi clerum earundem commendarum, quoad scientiam, mores, et vestes sacras, et profanas, ac desuper edendi decreta pro honestate vitæ clericorum, eorumque institutione, S. C. aperte pariter reddit : *Ibid.*, *dub.* 8, confirmata *ibid.*

109. Episcopus, uti mos est, altare S. Mariæ Gratiarum existens in templo divini Nicolai urbis Ravennæ, quod traditum fuit a PP. Augustinianis sodalibus B. M. Gratiarum, facultatem visitandi habet : *Ravennaten.*, *Altaris*, 29 *maii* 1745, *dub.* 2.

110. Episcopo Placentino competit jus visitandi capellam, seu altare S. Ægidii, in quo implentur tantum onera commendæ religionis Hierosolymitanæ, ac extat in ecclesia parochiali S. Jacobi Majoris, cujus religio nullum habet dominium, sed tantum usum : *Placentina, Jurisdict.*, 4 *decem.* 1745, *dub.* 4.

111. Episcopum Nolanum, sive per se, sive, eo justis ex causis impedito, per convisitatores ab eodem deputandos, in possessione visitandi parochum, et ecclesiam parochialem terræ S. Petri ad Scafatum, quam omnes, retroactis temporibus visitarunt antecessores, Nolani Episcopi, manutenendum esse S. C. duxit : *Nolana*, 20 *junii* 1750, *dub.* 1, confirmata 11 *martii* 1752.

112. Patres Reformati de nullitate visitationis ab Episcopo Novariensi in ecclesiis, et capellis sacri Montis Varalli peractæ querentes, et quomodo de illa in posterum sit providendum S. C. consulentes, ad Card. præfectum cum Sanctissimo juxta mentem [421] rescriptum tulere : *Novarien., Juris visitandi*, 8 *maii* 1751, *dub.* 2.

113. Leo X, Pont. Max., monasterium, et ecclesiam S. Mariæ de Ripa ob redituum inopiam subjective univit monasterio vallis Piæ Finarii congregationis Olivetanæ. Nulla inter monachos Olivetanos, et Episcopos Naulenses facta controversia fuit. Episcopus inde sub umbra Constitutionis *Instaurandæ* ab Innocentio X, Pont. Max., latæ [422] jurisdictionem acquirere tentavit, sed graviter objurgatus a S. Episcoporum C. fuit. Hoc exemplo non deterritus modernus Episcopus clam monachos hos visitare primus voluit; at protestatus contra

[418] Huic dispositioni accessit Const. *Præclarum*, 4 oct. 1755 (*Bull. ejusd. Pont.*, tom. 4, pag. 152) Bened. XIV qua § 4 ecclesiam, et hospitale prædictum, bona, jura, ac pertinentias ab ordinaria, ac delegata jurisdictione eximitur, et § 19 declaratur dictam exemptionem esse intelligendam, salva reverentia eidem Archiepiscopo de jure debita ab omnibus exemptis, non solum extra, sed etiam intra ipsum hospitale, ejusque ecclesiam, atque oratorium.

[419] Vide not. præcedentem.

[420] Vide not. ut supra.

[421] Qua vetitæ fuerunt patribus functiones, et conciones nocturnæ, ipsis præcriptum, ut bini sacerdotes alter Germanicæ, alter Gallicæ linguæ periti pro confessionibus ibi resideant, præter alios pro Italis, ut prope meridiem qualibet die sacrum celebretur, ut sacerdotibus omnibus celebrantibus sacra supellectilia subministrentur, ut clero collegiatæ Varallæ licitum sit Missam canere diebus Assumptionis, Nativitatis B. M. et D. Lucæ, salva tamen dictæ ecclesiæ exemptione, incolas dicti montis qui extra eremitorium degunt subjectos esse parocho Varalli, cui licitum sit sacramenta ministrare, eaque a dicta ecclesia sumere prævia licentia, in reliquis confirmatum fuit breve Sixti V, lib. 102 decret. pag. 7.

[422] Die 15 octob. 1652 (*Bull. Rom.* tom. 6, part. 3, pag. 233), super extinctione, et suppressione parvorum conventuum, eorumque reductione ad statum secularem, et bonorum applicatione, et prohibitione erigendi nova loca regularia in Italia, et insulis adjacentibus, emanata.

est abbas, petiitque declarari, num Episcopus Naulensis possit visitare ecclesiam S. Mariæ de Ripa, vulgo S. Benedicti? Non posse S. C. respondit : *Naulen., Visitat.*, 2 *decem.* 1752.

114. Episcopum Liparensem hospitale S. Bartholomæi a pio testatore Bartholomæo Russio ædificari jussum, et constructum sine altare, sine capella, sine ære tinnullo, et absque etiam beneficio immunitatis, et auctoritate Ordinarii, posse visitare, et ab administratoribus rationes exigere, quamvis nunquam antea visitatum fuerit, et a fundatore sit exclusus Episcopus, responsum fuit : *Liparen., Exempt. hospit.*, 6 *junii* 1750, *dub.* 1 et 2, confirmata 11 *julii ejusd. anni.*

115. Episcopo Regiensi ecclesiam patrum Minorum S. Francisci conventualium, quæ in oppido Saxoli Regiensis diœcesis posita est, visitare non licet : *Regien., Visitat.*, 14 *decem.* 1754, *dub.* 1.

116. Loca pia Montis Elpari, Hospitale scilicet, montem Pietatis, montem Frumentarium visitationi Episcopi Montis Alti subsunt ex decreto S. C.: *Montis Alti*, 24 *januar.* 1755, *dub.* 1.

117. Parochi regulares, cujuscumque Ordinis illi sint, et præsertim Præmonstratenses, Cistercienses, et Benedicti exercentes curam animarum personarum secularium, et non commensalium in parochiis diœcesis Olomucensis, licet illæ monasteriis exemptis sint unitæ, et annexæ, sive sint de jurepatronatus; etiamsi cura animarum residere dicatur in abbatibus, visitationem Episcopi subire tenentur in iis quæ pertinent ad curam animarum, sive Episcopus visitet per seipsum, sive per alium, non obstantibus privilegiis dictorum monasteriorum : *Olomucen., Jurisdict.*, 7 *junii* 1755, *dub.* 1, confirmata 2 *aug. ejusd. anni.*

118. Episcopum Salutiarum visitandi ecclesiam, seu capellam S. Antonii Patavini Carmignolæ, extra claustra, et districtum conventus sitam, quam guardianus Minorum observantium S. Francisci ob sua privilegia esse exemptam defendit, minime jus habere declaratum fuit : *Salutiarum, Juris visitandi*, 7 *aug.* 1756, *dub.* 1.

119. Episcopum Ariminensem cumulative cum patribus conventualibus, sive ejus guardiano, quoad ea tantum, quæ spectant ad sodalitium S. Josephi intra ambitum conventus dictorum patrum ædificatum, duo oratoria, eorumque altaria, et omnia adnexa visitare posse definitum fuit : *Ariminen.*, 7 *aug.* 1756, *dub.* 1, confirmata 22 *januar.* 1757.

120. Res dubitanda ponitur in contentione, utrum jus visitandi, exigendique rationes quatuor piorum locorum, quæ Urceani sunt, et quorum administratio apud decuriones est ejusdem terræ, Hospitalis nempe, montis Frumentarii, et duarum hæreditatum Salvi, et Cevaloni spectet ad Episcopum, vel ad præsidem provinciæ? quum Episcopus urgeret sacrorum canonum, et præsertim Tridentini dispositionem; decuriones litteram brevis pontificii, quo tribuitur legationi : S. C. competere jus visitandi loca pia, de quibus agitur, Episcopo ad formam Concilii [423] salva auctoritate curiæ legationis in exercendis administrationibus œconomicis, affirmavit : *Fanen., Jurisdict.*, 8 *junii* 1757, confirmata 4 *martii* 1758.

121. Capella publicorum carcerum urbis Montis Alti posita subtus apostolicum palatium præsulis est. Hanc sodalitium sanctissimi Sacramenti custodit, ac rebus omnibus necessariis instruit, et semper Episcopi eam visitarunt. Eamdem esse subjectam (facta controversia) ejusdem Episcopi visitationi S. C. resolvit : *Montis Alti, Visitat.*, 19 *novem.* 1757, confirmata 28 *januar.* 1758.

122. Hospitale nuncupatum S. Rocchi oppidi Viqueriæ Sum. Pont. Alexander VI, anno 1497, univit monasterio S. Mariæ Pietatis familiæ Dominicanæ, hisce verbis : *Quod propter unionem, annexionem, et incorporationem prædictas hospitale prædictum debitis non fraudetur obsequiis, sed ejus congruæ supportentur onera consueta.* Hinc de visitatione ejusdem disceptatum est, et S. C. definiit Episcopum Derthonæ posse tanquam delegatum apostolicum visitare una cum hospitale S. Rocchi etiam montem Frumentarium, et sodalitium Sanctissimi Nominis Jesu in oratorio ejusdem erectum, non autem visitationem factam anno 1754 esse circumscribendam : *Derthonen., Visitat.*, 26 *januar.* 1760, *dub.* 1.

123. Ac patres S. Mariæ Pietatis per consensum ab ipsis præstitum dictæ visitationi, et præsertim interdicto lato contra dictam ecclesiam, non male se gesserint, ideoque nulla pœna sunt puniendi : *Ibid., dub.* 2.

124. Episcopo Palentiæ pastoralem visitationem facere cupienti in parochiali ecclesia S. Mariæ Magdalenæ, unita regio monasterio Benedictorum, sive regulari illorum ecclesiæ sub titulo S. Zoili in villa de Carrion, ordinis Cluniacensis, et cunctos etiam actus ad visitationem pertinentes explere volenti, et desuper S. C. oraculum interpellanti, responsum fuit : Dilata, et ad Card. præfectum juxta mentem [424] : *Palentina, Juris visit.*, 4 *junii* 1763, *dub.* 1. Reproposita dein cum iisdem dubiis causa

[423] Sess. 22, cap. 8 et 9 *de Reform.* Vide not. 85, verb. *Administratio*, § II.

[424] Mens fuit, ut moneretur procurator generalis Ordinis, ut a paranda amplius defensione desisteret, nihilque de causa ageret : *Ead. causa*, 18 febr. 1764.

firmatum fuit, Episcopum visitandi dictam ecclesiam in iis, quæ curam animarum, et sacramentorum administrationem respiciunt, potestatem habere : 28 *febr.* 1764.

125. In obscuro quum esset, an oratorium existens in Grancia loci Goyen patrum Carthusianorum monasterii in Snals subjiciendum sit visitationi pastorali Episcopi Tridentini ; dilata resolutio fuit, et dictum ad mentem : *Tridentina, Juris visit.*, 13 *febr.* 1773.

126. Episcopo Nucerino ecclesiam S. Leonardi ruralem, et in territorio oppidi Gualdi sitam, et ad commendam S. Justini Perusiæ ordinis Hierosolymitani spectantem visitare minime licere rescriptum fuit : *Nucerina, Juris visit.*, 25 *januar.* 1783, *dub.* 1.

127. Quin et visitationem ab eodem Episcopo in dicta rurali ecclesia factam omnino circumscribendam esse ex defectu jurisdictionis, minimeque esse attendendam, et nullum fuisse sequestrum de ejus mandato colonis commendæ indictum, S. C. dijudicavit : *Ibid.*, *dub.* 2.

128. Episcopo Perusino ecclesias non parochiales, quæ de juribus sunt commendæ S. Justini ordinis Hierosolymitani visitare non licet, etiamsi ab ejus prædecessoribus visitæ eæ fuerint : *Perusina, Juris visit.*, 25 *januar.* 1783, *dub.* 1.

129. Neque etiam visitationem in præfatis non parochialibus ecclesiis ab eodem Episcopo peractam esse attendendam, resolvitur : *Ibid.*, *dub.* 1.

§ XXVI.

Episcopus quoad jura, et potestatem tempore visitationis.

1. Nequit Episcopus, nec archidiaconus, nec alius in visitatione aliquos clericos deponere, vel beneficiis privare, nec pœnas ordinarias imponere, sed eas tantum, quæ morum emendationem, et correctionem respiciunt : *Dertusen.*, 2 *aug.* 1605, *dub.* 5.

2. Ad dubium, an Episcopus teneatur accedere ad locum capitularem pro visitandis singulis canonicis in particulari, quemadmodum onus habet accedendi pro visitatione totius capituli, et ecclesiæ cathedralis, vel possit illos singulariter vocando visitare ? respondetur non teneri accedere ad locum capitularem pro visitandis singulis canonicis, sed posse singulariter illos ad se vocando visitare : *Oriolen.*, 27 *martii* 1632, *dub.* 4.

3. Num similiter possit Episcopus in visitatione cathedralis rationes exigere a capitulo de applicatione, et divisione distributionum quotidianarum, aliorumque emolumentorum duplorum et anniversariorum dictæ ecclesiæ præsupposito maxime quod de fructibus canonicorum, beneficiatorum, et capellanorum dictæ ecclesiæ una sit communis massa, et loculus, cujus administrationem ad ipsum solum capitulum ex consuetudine prætenditur spectare ? hoc dubium planum fecit S. C. firmans, posse similiter exigere rationes hujusmodi a capitulo cathedralis ecclesiæ, de applicatione et divisione distributionum quotidianarum, aliorumque emolumentorum duplorum, et anniversariorum : *Ibid.*, *dub.* 8.

4. Demum ad quæsitum an Episcopus possit visitando corrigere, et moderari statuta ecclesiæ, quæ apostolica auctoritate non sunt confirmata ? respondit S. C. resolutionem non a dispositione sacr. Concil. Trid., sed a jure communi [425] esse petendam : *Ibid.*, *dub.* 10.

5. Circa visitationem hospitalium, et aliorum locorum piorum, necnon rationem administrationis exigendam Episcopus se conformare debet cum responsis, et declarationibus S. C., quum essent manu Card. præfecti, et secretarii signatæ, et sigillo munitæ, licet typis non impressæ, sunt omnino servandæ : *Neapolitana*, 7 *febr.* 1637, *dub.* 1.

6. Et dubio disceptato, rationes invisere administrationis a societatibus erectis in ecclesiis, et monasteriis regularium ? censuit Episcopum hujusmodi societates tam in secularibus, quam in regularibus ecclesiis existentes earumque administratores ad reddendam rationem administrationis compellere posse : *Colimbrien.*, 16 *julii* 1639, *dub.* 3.

7. Et cum veritas in occulto lateret, an cogi ad visitationem personalem quotannis presbyter Carolus Guarinus utrique diœcesi Castrensi, et Hydruntinæ ratione originis, et domicilii subjectus, possit; quum quotannis ab Archiepiscopo etiam visitaretur ? S. C. aperuit, in illa diœcesi in qua reperitur definiens : *Castren.*, *seu Hydruntina*, *Subject.*, 2 *dec.* 1673, *dub.* 2.

8. Postulat Episcopus, ut pro visitatione diœcesis valeat ultra tempus a Concilio præscriptum adhibere parochos præsertim tres, quos nominat, dum illos fidos, prudentes, ac amore flagrantes comperiit, in illisque partibus non habet aptiores ? respondit S. C. pro concessione durante vita Episcopi : *Canarien.*, 30 *maii* 1676, *dub.* 1.

[425] Pignatel. *Cons.* 65, ait in causa *Abulen*, *Juris visitandi*, 25 januar. 1580, in ultima propositione proposita in S. C. Concilii circa statuta administratorum, et tunc S. C. articulum non definivit expresse, sed dixit, ut Episcopus se contineret intra limites visitationis : quasi diceret, non posse hoc facere, quia hoc non pertinet ad correctionem ; et quidem merito, quia cum facultas statuendi proveniat a jurisdictione, quod quodlibet collegium habet in rebus suis de jure communi, non potest Episcopus derogare juri communi, et tollere jus tertii, sed hoc soli principi permittitur, alias visitatio serviret non ad ædificationem, sed ad destructionem.

9. Quum actum fuisset inter Episcopum, et monachos Cassinenses monasterii S. Mariæ in Monte de ecclesiis ruralibus S. Mariæ de Ronta, et S. Martini in flumine, quæ curam animarum habebant adnexam, et monasterio erant unitæ ; ac de oratorio sito *in agro della Bagnarola;* expensis dubiis, an decreta facta in visitatione duarum ecclesiarum parochialium respicientia simplicem ornatum ecclesiæ, et non curam animarum sustineantur, maxime sub pœna sequestri fructuum bonorum monasterii? censuit potuisse visitare auctoritate ordinaria, et consueta. De oratorio autem rescriptum est, dandas esse litteras remissoriales, hinc inde directas Episcopo viciniori ad effectum probandi ; an oratorium sit publicum, vel privatum : *Cæsenaten., Jurisdict.*, 23 *sept.* 1690, *dub.* 1 et 4.

10. Et dubio discusso, an Archiepiscopus assistentes a capitulo deputandos ad formam concordiæ adhibere teneatur in scrutinio auriculari visitationis personalis, seu potius solus Archiepiscopus debeat in hoc secreto scrutinio procedere? respondit S. C. affirmative in actu, et figura visitationis, negative vero extra actum, et figuram visitationis, et in forma extrajudiciali, etiam durante tempore visitationis : *Hispalen., Visitat.*, 18 *aug.* 1696.

11. Dubitatur inde, an, ex quo circa consilium hujusmodi in visitatione præstanda dicitur *in eo actu, seu oretenus sive in scriptis*, an iis largienda sit dilatio ad aliud tempus, ita ut alias Archiepiscopus possit solus procedere, ubi tunc eorum consilium non proferunt? affirmativum datum est responsum in arduis ad tempus determinatum arbitrio, et conscientia Archiepiscopi, non retardata interim in aliis prosequutione visitationis · *Ibid.*, *dub.* 3.

12. Ac ad postulatum, an Archiepiscopus in actu visitationis possit cogere capitulum sive ejus officiales ad transferendos libros ad palatium archiepiscopale, ut eos ipse Archiepiscopus possit inspicere, et recognoscere? affirmative quoad libros, et documenta respicientia negotia particularia juxta exigentiam visitationis, rescribitur : *Ibid.*, *dub.* 4.

13. Dum inquiritur declarari, an in visitatione cleri, capitulique ecclesiæ parochialis S. Mariæ in Sylvis terræ Serræ Capriolæ posset Episcopus revisere Bullas, et patentes alias visas? respondit S. C. posse uti jure suo ad formam Concilii [426] : *Larinen.*, 23 *martii* 1697, *dub.* 3.

14. An similiter pro invisendis rationibus locorum piorum posset deputare ratiocinatorem cum facultate exigendi pro ejus labore carolenos quinque pro quolibet loco? ad hoc rogatum rescribit, ut Episcopus transmittat taxam curiæ metropolitanæ : *Ibid.*, *dub.* 4.

15. Venit in consultationem, an Episcopus Pacensis, seu visitator ab eo deputatus visitando ecclesiam collegiatam de Zafra, tam jure ordinario, quam jure delegato ad formam concordiæ possit non solum decreta, et ordinationes opportunas facere, sed etiam completa visitatione, ipsi jurisdictio competat pro eorumdem decretorum, et ordinationum exequutione, et observantia ; seu potius ad abbatem dictæ collegiatæ spectet? decretum prodiit affirmativum in omnibus juxta modum [427] : *Pacen., seu nullius Jurisdict.*, 18 *decem.* 1728, *dub.* 1.

16. Episcopum Cremonensem in visitatione peragenda in collegiata ecclesia S. Agathæ capitulum ad redditionis rationem cogendi potestate valere, S. C. resolvit : *Cremonen., Synodi,* 5 *april.* 1725, *dub. ult.;* confirmata 29 *aug.* 1733.

17. Episcopi Novariensis actus visitationis contra transactionis, et rerum judicatarum formam exercitos in ecclesiis, et capellis sacri Montis Varalli, non sustineri declaratum fuit : *Novarien., Juris visitandi,* 8 *maii* 1751, *dub.* 1.

18. Episcopi Regiensis visitationis actus in ecclesia patrum conventualium expletos, irritos faciendos, et circumscribendos esse definitur : *Regien., Visitat.*, 14 *decem.* 1754, *dub.* 2.

19. At in peculio, quod a Julio Costa anno 1635 ordinatum fuit, ut agricolis pauperrimis subveniretur ; quodque a dictis patribus administrabatur, et idem Episcopus in visitatione nonnulla de illo decreta ediderat, eidem præsuli prout de jure servatis servandis procedere posse datur facultas : *Ibid.*, *dub.* 4.

Reliqua. Vide præced. §§, verb. *Episcopus*.

§ XXVII.

Episcopus quomodo indicere, et quomodo et ubi incipere visitationem debeat.

1. Consulta S. C., an pro generali visitatione diœcesis indicenda possit Episcopus per se solum facere edicta generalia, vel potius adhibere debeat consilium, seu capituli consensum? pro visitatione

[426] Nempe sess. 6, cap. 4, *de Reform*, ubi cautum est « capitula cathedralium, et aliarum majorum ecclesiarum, illorumque personæ, nullis exemptionibus, consuetudinibus, sententiis, juramentis, concordiis, quæ tantum suos obligent auctores, non etiam successores, tueri se possint, quominus a suis Episcopis, et aliis majoribus prælatis per seipsos solos, vel illis, quibus sibi videbitur adjunctis, juxta canonicas sanctiones, toties, quoties opus fuerit, visitari, corrigi, et emendari etiam auctoritate apostolica possint, et valeant. » Idem cautum est sess. 14, cap. 4 et sess. 24, cap. 10, *de Reform.*

[427] Vide not. 218, supra.

diœcesis decreto cap. 3 Concil. sess. 24, *de Reform.* [428] demandata posse Episcopum per se solum facere edicta generalia absque consilio, seu consensu capituli censuit S. C.: *Oriolen.*, 26 *martii* 1632, *dub.* 2.

2. Et ad dubium an hujusmodi edictis generalibus, et præparatoriis ad visitationem diœcesis possit Episcopus præcipue in virtute sanctæ obedientiæ, ut quilibet de populo teneatur revelare ea, quæ correctione, vel emendatione digna judicabit? rescribitur Episcopum in edictis generalibus, et præparatoriis ad dictam visitationem diœcesis non debere præcipere in virtute sanctæ obedientiæ ut Paulus denunciet ea, quæ correctione, et emendatione digna judicabit: *Ibid.*, *dub.* 3.

3. Declaratur, Archiepiscopum in edicenda visitatione, et determinanda die illius, et aliis actibus præparatoriis ejusdem non teneri exquirere consilium assistentium deputandorum a capitulo ad formam concordiæ: *Hispalen.*, *Visitat.*, 18 *aug.* 1696.

4. Præpositus, et presbyteri ecclesiæ S. Petri terræ Vasti ab Archiepiscopo moniti sub pœna excommunicationis, quatenus visitationi sese submitterentur in ecclesia S. Mariæ Majoris prælibati oppidi; quum contenderent ex immemorabili asserta consuetudine extrahi non posse ab eorum ecclesia, ideo S. C. decrevit dictum clerum S. Petri non teneri præstare obedientiam in actu visitationis Archiepiscopo Theatino in eadem propria ecclesia S. Petri: *Theatina, Præstat.*, 9 *aug.* 1704, *dub.* 1.

5. Sed teneri præstare eamdem obedientiam in ecclesia S. Mariæ Majoris dictæ terræ statutum est: *Ibid.*, *dub.* 2.

6. Deinde ad dubium: An super primo, et secundo dubio sit standum, vel recedendum a decisis, sub die 9 aug. 1704, quoad primum solemnem ingressum tantum Archiepiscopi in terra Vasti, seu etiam quoad omnes alias visitationes ab Archiepiscopo faciendas? S. C. respondit, Archiepiscopum posse incipere solemnem visitationem a quacumque ecclesia sibi benevisa, ibique obedientiam exigere ab universo clero: *Ead.*, 10 *april.* 1717, *dub.* 1.

7. Ac occasione aliarum omnium visitationum capitulum, et clerus S. Petri tenetur præstare obedientiam Archiepiscopo in ecclesia S. Petri, non autem in alia ecclesia Archiepiscopo benevisa: *Ibid.*, *dub.* 2.

§ XXVIII.

Episcopus quando per alium, et cui visitationem delegare possit.

1. Ad disquisitionem vocatur, si Episcopis non solum per seipsos, sed eorum in spiritualibus vicarios generales munus visitationis, reformationis, et correctionis exercere permittendum esset, et quatenus in animum inducitur hoc eis tribui, an ab eis vicarii in id speciali facultate in scriptis suffulti esse debeant, de illaque prius per authentica documenta abbatibus superioribus, vel eorum officialibus, et subditis dimisso sibi illorum exemplo de verbo ad verbum cum originali conlato fidem facere teneantur, et donec istud fecerint, eos admittere ad visitandum recusare licite possint? rescribitur posse, nisi expresse prohibitum sit, et quoad vicarios opus esse speciali in scriptis facultate, deque in hujusmodi fidem faciendam esse: *Cassinen.*, *feb.*, 1588, *dub.* 3.

2. Ordinarium (S. C. decrevit) volentem visitare in vim cap. 4, sess. 6 [429], teneri per seipsum; volentem autem visitare ex cap. 3, sess. 24 [430], posse per suum generalem vicarium, aut visitatorem, si tamen legitime impeditus fuerit: *Hispalen.*, 12 *martii* 1593.

3. Episcopus legitime impeditus potest per alium diœcesim, et civitatem visitare juxta præscriptum cap. 3, sess. 24, *de Reform.* [431]: *Acernen.*, 17 *maii* 1636, *dub.* 1.

4. Episcopo Portucallensi infirmitate detento propriam cathedralem, et totum corpus capituli personaliter visitare non valenti, suum in spiritualibus et temporalibus vicarium generalem sacerdotem Carolum de Rocca Pereira doctorem, et canonicum cathedralis ad visitationem istam peragendam depu-

[428] Quo visitationem diœcesis Episcopis, aliisque superioribus certa servata forma præcipitur Pignatel. *Cons.* 58, hæc exponit ad dubium, an pro generali visitatione indicenda possit Episcopus solus facere edicta generalia absque consensu et consilio capituli? respondit affirmative. Ita ex mente S. Congreg. Concilii pluries dixit Rota præsertim *in Illerden.*, *Visitationis*, 21 *april.* 1606, et 28 *ejusd.* 1608 *coram Justo*, et sub die 10 maii 1613 *coram Ubaldo*. « Ea ratione, quia neque de jure, neque ex Concilio Trid. reperitur impositum tale onus Episcopis. Id tamen moneo non procedere simpliciter, sed in edictis dumtaxat, quæ fiunt pro præparatione visitationis, et quæ præire solent visitationem generalem, quæ sit sine inquisitione solemni, secus vero in edictis, quæ fiunt pro visitatione generali, quæ fieri debet in forma judicii, et per inquisitionem solemnem, ut bene declaratur in *d. Illerden.*, *cor. Ubaldo*.

[429] Vide not. 426.

[430] Vide not. 431 seq.

[431] Ubi mandatur « Patriarchæ, Primates, Metropolitani, et Episcopi propriam diœcesim per seipsos, aut si legitime impediti fuerint per suum generalem vicarium, aut visitatorem... visitare non prætermittant.

tare licere, decretum fuit: *Portucallen., Visitat.*, 29 *januar.* 1701, *dub.* 1.

5. Episcopo Miletensi, tanquam delegato apostolico suum vicarium generalem, vel aliam dignitatem ecclesiasticam sibi benevisam subdelegare posse in visitatione diœcesis, et præcipue ecclesiarum, quæ in solo Lateranensi sitæ prætenduntur, permissum, concessumque fuit: *Mileten.*, 23 *april.* 1701, *dub.* 1, confirmata 13 *maii* 1702.

6. Ab Episcopo præfato subdelegatum sine speciali subdelegatione ad lustrandam diœcesim, societates, ac loca pia in solo Lateranensi visitare non posse; etiamsi dictæ societates sint erectæ a capitulo S. C. sententia fuit: *Ead.*, 17 *novem.* 1703, *dub.* 1.

7. Præfatamque subdelegationem specialem a subdelegato ostendi, et actis visitationis inseri debere decernitur: *Ibid., dub.* 2.

8. Necnon Episcopum eumdem, vel ab eo subdelegatum, expresse declarare, se jure delegato visitare astringendum esse, æquum putatur: *Ibid., dub.* 3.

§ XXIX.

Episcopus quoad tempus, modum, et comitatum visitationis.

1. Clerus oppidi Campli querelas jecit de mora trium mensium, quam Episcopus visitans in singulis locis, facit; hinc S. C. voluit, esse admonendum Episcopum, ne in visitatione diutius immoretur, sed eam, quam celerrime, quamque diligenter absolvat, ne videlicet gravis iis, quos visitaverit, existat: *Aprutina, decem.* 1584.

2. Consuetudo servanda est circa modum, quo Episcopus a syndicis, et officialibus locorum, seu arcium tam in prima, quam in successivis visitationibus veniat excipiendus: *Nicien., ad Visit. sacr. Liminum*, 6 *aug.* 1677, *dub.* 14.

3. Difficultas, an possit Archiepiscopus præfigere terminum capitulo ad terminandam visitationem cumulativam, quam idem capitulum habet a concordia a Sanctissimo confirmata? affirmative arbitrio Archiepiscopi, dummodo terminus non sit minor duobus mensibus, explicatur: *Hispalen., Visitat.*, 18 *aug.* 1696, *dub.* 5.

4. Archiepiscopo Turritano non licet integro anno retinere apertam visitationem, tam in ipsa cathedrali, quam in tota diœcesi, sed servetur forma Concilii [432]: *Turritana*, 15 *novem.* 1704, *dub.* 5.

5. Et quoad tempus, quo debeat visitationem explere, arbitrio, et conscientiæ Ordinarii ad formam Concilii [433] remisit S. C.: *Ibid., dub.* 2.

6. Inspecta Episcopi Potentini senectute eumdem posse pro suo arbitrio, et conscientia augere numerum, et quantitatem famulorum, qui sibi commodius inservire valeant in peragenda visitatione deliberatur, et additur ad mentem: *Potentina, Procurat.*, 24 *januar.* 1705, *dub.* 4.

7. Expostulante capitulo collegiatæ ecclesiæ terræ Terlitii, quod Episcopus, qui jus visitandi cum archipresbytero ejusdem terræ cumulativum habere dicitur, solus ad visitationem accedens moram ibidem per 40 continuos dies visitando traxerit, nec visitationem ipsam, dum discessit, adhuc explevisse declaraverit, ob id S. C. censuit visitationem perdurare debere arbitrio visitatoris ad formam Concilii [434]; non autem esse præscribendum certum, et determinatum tempus: *Juvenacen., seu nullius Terlicii, Visitat.*, 23 *januar.* 1706.

8. Dubiis expositis, an, et per quot dies liceat Episcopo visitanti terram Belvederium protrahere visitationem?

9. An, et quot personas possit secum ducere Episcopus occasione dictæ visitationis? rescribitur, *dentur decreta* [435]: *Sancti Marci, Procurat.*, 7 *julii* 1708, *dub.* 3 et 4, confirmata 13 *april.* 1709.

10. Episcopo Acerrarum petenti, quanto tempore se expedire debeat a sacra visitatione peragenda, responsum datum fuit, se curare debere, ut quanto citius se expediat a sancta visitatione ad formam Concilii [436]: *Acerrarum*, 23 *aug.* 1727, *dub.* 7.

11. Quum judicium S. C. imploratum esset, utrum occasione visitationis capituli, et cathedralis Episcopus Gerundæ eam determinare teneretur quam citius, nisi fuerit legitime impeditus; seu potius, postquam fuit incepta, procedendo ad extraneos actus, eamdem differre valeret ad libitum? responsum ab eadem prodiit affirmativum ad utramque partem, servatis tamen finibus moderati, et prudentis arbitrii: *Gerunden., Exempt.*, 19 *decem.* 1739, *dub.* 3.

§ XXX.

Episcopus quando visitare, et procedere cum adjunctis debeat, necne [437].

1. Formam procedendi præscriptam Episcopo

[432] Vide not. 354 supra.

[433] Vide not. 354, ut sup.

[434] Vide not. ut supra.

[435] « Danda esse decreta alias edita, et signanter *in Turritana*, 15 novem. 1704 ad *dub.* 6 et *in Forosempronien.*, nov. 1587, hic est, videlicet ad 3 *dubium* arbitrio, et conscientiæ Ordinarii ad formam Concilii; ad 4 Episcopum modesto equitatu, et famulatu oportere contentum esse. » Rel. *in S. Marci, Visitationis*, 8 aug. 1733, § 3 seq.

[436] Vide not. 354 supra.

[437] Extat Const. *Exponi*, 5 aug. 1648 (*Bull. Rom.*,

Cremonensi sess. 25 [438], ut scilicet adhibeat duos de capitulo, quando procedere voluerit contra aliquem ex ipsis, non debere servari etiam in capitulis, quæ non sunt exempta, decisum est : *Cremonen.*, *anno circiter* 1573, *dub.* 1.

2. Quæstio habita est, si canonicus ecclesiæ

tom. 6, part. 3, pag. 165), qua Innoc. X confirmat aliquot resolutiones S. C. Concilii ad dubia quædam per capitulum ecclesiæ Conchen. proposita circa visitationem Episcopi, adhibitionem adjunctorum contra canonicos, et capitulares dictæ ecclesiæ, prout sequitur, videlicet :

I. An Episcopus ex decreto S. C. Trid. teneatur adhibere adjunctos conjudices contra canonicos, et capitulares suæ ecclesiæ cathedralis in revisione computorum, et administrationis operum piorum ; seu potius per seipsum tam in actu visitationis, quam extra in eos animadvertere juris ordine servato, et processu compilato ?

II. An Episcopus, sive ejus vicarius, vel alius visitator generalis ab Episcopo delegatus, teneatur, dum visitat ecclesiam cathedralem, et personas capitulares adhibere adjunctos conjudices a capitulo, quotannis eligendos ; vel potius soli possint per seipsos in concernendis visitationem procedere, informationes sumere, corrigere et punire, nulla tamen servata forma judicii, seu processu compilato ?

III. An ubi in actu visitationis dirimendum est crimen incontinentiæ inveteratæ, seu concubinatus inter aliquem ex capitularibus, et mulierem solutam perpetratum, possit Episcopus, sive ejus vicarius, seu visitator generalis contradictam mulierem procedere, eamque juris ordine servato, ac processu compilato punire, non obstante quod correus criminis sit persona capitularis, et a dicto sacro Concilio in causis criminalibus privilegiata, ne contra ipsam sine adjunctis conjudicibus procedatur.

IV. An in casu discordiæ inter Episcopum, et adjunctos conjudices a capitulo deputatos eligendus est tertius infra sex dierum spatium, debeat dictus tertius esse unus de capitularibus ejusdem ecclesiæ; vel potius quilibet alius extraneus deputari possit. Die 23 novem. 1647 S. C. Eminentissimorum Cardinalium Conc. Trid. interpretum ad supradicta dubia respondit ut sequitur.

Ad I. Episcopum posse sine coadjutoribus adjunctis computa, et administrationem operum piorum a personis capitularibus exigere, si criminaliter in forma judicis contra eos non procedat.

Ad II. Episcopum posse in visitatione absque adjunctis conjudicibus ecclesiam cathedralem et capitulares visitare, eisque pœnas imponere extraordinarias, quæ magis morum correctionem, quam punitionem respiciant, non autem extra visitationem, nec quando contra capitulares ad pœnas extraordinarias procederet.

Ad III. Contra mulierem in crimine incontinentiæ, seu concubinatus, ut supra expresso, posse per Episcopum in actu visitationis absque conjudicibus adjunctis procedi.

Ad IV. Tertium eligendum in casu discordiæ debere omnino esse capitularem.

Et alia præcesserat Const. *Decet*, 3 novem. 1623 (*Bull. Rom.* tom. 5, part. 3, pag. 166). Urbani VIII qua confirmavit decreta S. C. Concilii, quibus deletis capituli Atrebatensis assertis privilegiis, competens Episcopo asseritur jurisdictio ad formam Concilii Trid. nempe die 20 febr. 1623 ad dubium, an asserta concordia seu concessio Fortigarii olim Episcopi Atrebatensis ab Eugenio IV confirmata fuerit a Concilio ex decretis cap. 4, sess. 6 et cap. 6, sess. 25 sublata, necne ? S. C. censuit, fuisse sublatum ; quum nudum privilegium ipsius Episcopi, seu pactum gratuitum fuisse, quod Concilium non præservavit, imo expresse sustulit dictis cap. 4 et 6. Et die 17 maii 1623 ead. S. C. declaravit, Episcopum Atrebatensem posse ecclesiam suam cathedralem, ejusque capitulum, ac personas visitare, et extra visitationem causas criminales capitularium una cum adjunctis : aliorum vero, qui nec dignitates obtinent, nec sunt de capitulo, per seipsum cognoscere, ac definire, non obstante asserta concordia, privilegiis, exemptionibus, vel consuetudinibus, etiam immemorabilibus, eidemque Episcopo, quominus prædicta exequi possit, minime obstare juramentum, ut proponitur præstitum de observandis juribus, consuetudinibus, privilegiis, atque libertatibus ecclesiæ suæ, quod decretum S. C. confirmavit 1 julii 1623.

Deinde quum quæsitum esset ab eadem S. C., ad quem spectet cognitio causarum criminalium ceterorum clericorum civitatis, et diœcesis Atrebatensis ? die 26 maii 1623 S. C. censuit ejusmodi cognitionem ad solum Episcopum, privilegiis quibuscumque non obstantibus spectare ; quod si id jus ex immemorabili consuetudine capitulo competat, eam consuetudinem non esse quidem a Concilio sublatam decreto cap. 20, sess. 24, verum donec capitulum illam legitime probaverit per tres sententias conformes, vel unicam, quæ in rem judicatam transierit, ejusmodi causas ab Episcopo tantum esse cognoscendas. Hanc vero resolutionem idem Sum. Pont. Urbanus VIII confirmavit Const. *Cum sicut accepimus*, 30 januar. 1624 (*Bull. Rom.*, loc. cit. pag. 188).

[438] Bened. XIV, *de Synodo diœces.* lib. 13, cap. 9 edit. an. 1753, num. 8, ait: « Alter de hac ipsa re Concil. Trident. textus continetur in cap. 6, sess. 25, *de Reform.*, ubi post confirmationem eorum omnium, quæ in antedicto cap. 4, sess. 6 statuta fuerant, eamdem materiam de capitulis, et canonicis ab Episcopi jurisdictione exemptis prosequendo, transitus fit ad alium casum, quo Episcopus *extra visitationem* contra aliquem de capitulo procedere velit : idque ab Episcopo fieri non posse statuitur sine consilio, et assensu duorum capitularium, quos anno quolibet ineunte tenetur capitulum designare, ut possint Episcopo semper adesse, si is extra actum visitationis in aliquem ex canonicis procedere velit. Quia vero, cum Episcopus solus sit, canonici autem duo, facile evenire posset, ut hi inter se conspirarent, unitisque sententiis contrariam Episcopi opinionem eluderent, ideo Concilium provide statuit, ut duorum canonicorum sententiæ simul junctæ unius tantummodo suffragii vim habeant, et ut Episcopi quidem sententia prævaleat, si alter ex canonicis suum illi judicium adjungat : si autem canonici ambo in contraria sententia juncti perseverent, nec Episcopus a sua dimoveatur, tunc intra sex dierum spatium ad tertii electionem procedendum fore decernit, præscripta etiam hujusmodi electionis forma, sicuti fusius legitur in dicto cap. 8, sess. 25, ubi etiam prudenter statuitur, quid faciendum sit, si timeatur, ne certorum criminum reus fugam arripiat : nimirum, posse tunc Episcopum solum, etiam extra visitationis actum, ad necessariam personæ detentionem procedere ; firma tamen remanente obligatione adhibendi adjunctos in causæ prosecutione. » Et discordantibus Adjunctis ab Episcopo tertius debeat necessario ex eodem

cathedralis extra civitatem delinquat, maxime degens in aliquo loco, ut puta, in loco sui beneficii, utrum a solo Episcopo possit corrigi, et puniri? censuit S. C. non posse, sed cum adjunctis de Capitulo juxta cap. 6, sess. 25 [439] : *Astoricen.*, 29 *apr.* 1578, *dub.* 2.

3. Quum magister capellæ, ceterique cantores, et organista non essent de capitulo, an istos Episcopus solus sine adjunctis punire possit? censuit nisi hæ personæ comprehendantur in confirmationibus apostolicis, ex Concilio, sess. 25, cap. 6 [440], omnes, qui non obtinent dignitates, nec sunt de capitulo in causis ecclesiasticis subjici Episcopo : *Abulen.*, *anno circiter* 1582, *dub.* 7.

4. Interrogata S. C., an Episcopus possit in visitatione exigere rationes administrationum a capitulo, saltem earum, quarum commodum non ad canonicos tantum, sed ad beneficiatos, et ministros ecclesiæ spectat; item an hujusmodi rationum exactio possit fieri per ipsum Episcopum tantum, et non una cum duobus canonicis adjunctis?

5. An etiam possit Episcopus solus visitare fabricam ecclesiæ cathedralis, et rationes ejus exigere? S. C. respondit ad primum, Episcopum solum, vel his, quibus sibi videbitur, adjunctis posse capitulares, ac bona, rerumque, et bonorum administrationem visitare : ad secundum itidem posse : *Segobricen.*, *januar.* 1590, *dub.* 10 et 11.

6. Declaravit S. C. valere quidem Archiepiscopum delegare exactionem rationum fabricæ ecclesiæ a capitulo reddendam. Verum tam hujusmodi delegationem, quam etiam Archiepiscopum non habere facultatem solum procedendi, nisi ubi civiliter agatur. Quod si forte ob commissas fraudes, vel alia de causa criminaliter sit agendum teneri, utique adversus capitulares, utpote exemptos, adhibere adjunctos juxta decretum cap. 6, sess. 25 [441] : *Hispalen.*, 11 *januar.* 1596, *dub.* 1.

7. In quæstione versatur, an Episcopus in generali visitatione possit solus sine conjudicibus imponere pœnam canonicis extraordinariam, quæ magis ad morum correctionem, quam ad formalem punitionem tendat? in generali visitatione Episcopum solum sine conjudicibus procedere posse contra canonicos, eisque pœnam imponere extraordinariam quæ magis morum emendationem, quam punitionem respiciat, S. C. sententiam dicit : *Oriolen.*, 27 *martii* 1632, *dub.* 5.

8. Et ad dubium, an in visitatione ecclesiæ cathedralis possit Episcopus solus sine conjudicibus rationem exigere administrationis ecclesiæ, quam capitulum administrat, et aliorum operum ad curam dicti capituli existentium? censuit posse Episcopum solum sine conjudicibus exigere rationem administrationis operum piorum ad curam capituli existentium, dummodo non procedat ad privationem, vel alias criminaliter in forma judicii : *Ibid.*, *dub.* 7.

9. Instituitur quæstio, an Episcopus procedens contra canonicum delinquentem super non residentia teneatur adhibere conjudices, dum non procedit ad privationem canonicatus, seu beneficiorum? enucleatur, Episcopum procedentem contra canonicum ob non residentiam, dum non procedit ad privationem, sed ad pœnas a sacr. Concilio præscriptas non teneri conjudices adhibere : *Ibidem*, *dubio* 13.

10. Et an quando eorum capitulum delinquit, possit Episcopus procedere contra singulos canonicos sine conjudicibus, et casu quo id non possit, quid tandem desuper agere debeat? servandum esse laudum a Clem. VIII, Pont., Max., motu proprio confirmatum, responsum est : *Ibid.*, *dub.* 20.

11. Facultas est Episcopo soli sine conjudicibus exigere rationem operum piorum ad curam capituli etiam exempti existentium, dummodo non procedat ad privationem, vel aliter criminaliter in forma judicis : *Suessionen.*, 16 *sept.* 1662, *dub.* 16.

12. Episcopus Urgellæ potis est sine adjunctis capituli visitare ecclesiam cathedralem, illiusque capitulum, dignitates, canonicos, aliosque dictæ ecclesiæ : *Urgellen.*, *Visitat.*, 5 *sept.* 1705, *dub.* 1.

13. Ac valet parochiales ecclesias intra claustrum, et ambitum ejusdem cathedralis sitas visitare : *Ibid.*, *dub.* 2.

14. Necnon capellam B. M. de Pietate in claustro ejusdem ecclesiæ positam pariter potest Episcopus visitare : *Ibid.*, *dub.* 3.

15. Capitulum, et canonici metropolitanæ ecclesiæ se ab Ordinarii jurisdictione per apostolica privilegia, per concordias, et nonnullos actus exemptum esse ita prætendebant, ut ille contra capitulares criminaliter procedere nequiret. Excipiebat Archiepiscopus exemptionem hanc non probari, sibi juris favere dispositionem, et curiam jam in antiquissima esse possessione in eosdem sine adjunctis animadvertere. Res ponitur in contentione, et decretum

capitulo esse, quod probat Card. de Lugo *Respons. moral.* lib. 5, litt. 23, num. 2 et sequen. Et Episcopus procedere cum adjunctis potest non obstante contrario statuto tum contraria consuetudine. Scarfant. *ad Ceccoper.* addit. 41, num. 19, ubi refert hanc sacri Concilii resolutionem *in Corduben.* 2 martii 1595 ad secundum dubium » si hujusmodi statutum, vel concordia revera non fuerint confirmata a Sede apostolica ex certa scientia et cum causæ cognitione esse sublatam ex decreto d. cap. 6, sess. 25 ; ideoque Episcopum dicto statuto vel concordia non obstante posse contra capitulares procedere cum adjunctis juxta formam a Concilio d. cap. 6 traditam. » Vide not. 379, verb. *Capitulum ecclesiasticum*, § III.

[439] Vide not. præcedentem.

[440] Vide not. præcedentem.

[441] Vide not. præcedentem.

est, constare de bono jure Card. Archiepiscopi procedendi in criminalibus contra canonicos sine adjunctis etiam ad effectum manutentionis : *Januen., Jurisdict.*, 4 *julii* 1722.

16. Archiepiscopus Gnesnæ petens redditionem rationis a canonicis deputatis in administratores bonorum mensæ archiepiscopalis tempore sedis vacantis non tenetur cum adjunctis procedere : *Gnesnen.*, 14 *april.* 1725.

17. Capituli ecclesiæ cathedralis generali exemptione ab ordinaria Episcopi jurisdictione minime vindicata, Episcopum Gerundæ contra capitulares extra visitationem cum duobus adjunctis ad formam cap. 6, sess. 25, *de Reform.* [442] et in visitatione cathedralis, dictorumque capitularium per seipsum dumtaxat ad formam cap. 4, sess. 6, *de Reform.* [443] procedere non teneri rescriptum fuit : *Gerunden., Exempt.*, 19 *decem.* 1739, *dub.* 1. Inde recessit S. C. a decisis, teneri cum iisdem adjunctis procedere statuit : 16 *martii* 1748.

18. Eumdemque Episcopum in atrocioribus delictis etiam sine adjunctis contra dictos capitulares procedere posse, statuitur ; non vero Vicensi Episcopo contra eosdem procedendi datur facultas : *Ibid., dub.* 2.

Reliqua quoad visitationem Episcopi. Vide *Hospitale*, § II ; *Monasterium monialium*, § IV ; *Seminarium*, § VII ; *Vicarius capitularis*, § III.

Equites Hierosolymitani. Vide *Religio militaris ordinis Hierosolymitani*, § IV.

Erectio. Vide *Archidiaconatus dignitas, beneficia ecclesiastica*, § V ; *Canonicatus*, §§ IV et VII ; *Capellania*, § IV ; *Clericatus, ecclesia collegiata*, § II ; *Ecclesia archipresbyteralis, ecclesia parochialis*, § IV ; *Ecclesia plebana, baptismalis fons, hebdomadariatus erectio, hospitale*, § I ; *Hospitium, mansionaria*, § II ; *Monasterium monialium*, § III ; *Portionariatus regularium monasterium*, § II ; *Seminarium*, § IV ; *Sodalitium*, § V ; *Vicaria perpetua*, § I.

EREMITA, EREMUS.

1. Capellana S. Sebastiani habet suas ædes pro eremita, communitas castri Gandulphi consuevit eum deputare, sed Episcopus facta contentione dubium exhibuit, an deputatio eremitæ ad nutum amovibilis in dicta capella spectat ad Card. Ordinarium, vel ad communitatem ? rescribitur : Dilata, et esse exhibendas litteras patentes communitatis : *Albanen., Deputat. eremitæ, et administr.*, 29 *martii* 1692, *dub.* 2. Deinde spectare ad communitatem cum approbatione Ordinarii, 10 *maii ejusd. anni ;* confirmata 21 *junii ejusd. anni.*

2. Eremitæ in eremo S. Antonii a seminario vendito Laureto Sanctino, deputationem eisdem fratribus de Sanctinis emptoribus competere decisum primum fuit : *Spoletana, Capellæ*, 9 *sept.* 1730, *dub.* 2. Verum reclamante communitate castri Vallis, quæ ejusdem eremi juspatronatus habebat, nullam, et invalidam fuisse venditionem, dictum fuit : 17 *nov.* 1731 ; confirmata 12 *febr.* 1725.

3. Eremus, et ruralis ecclesia cum suis adnexis sub titulo S. Mariæ Gratiarum nuncupatæ *la Cona del Poggio* in districtu civitatis Hadriæ, a Dominico Carosino eremita de novo ædificata est, et ab ipso in suo testamento canonicis, et capitulo ecclesiæ cathedralis commendata, ad hoc ut capellanos, ac eremitas probos eligerent. Hæc una cum ejusdem eremi, et ecclesiæ directione etiam œconomica, ac receptione redditionis ab eremitis, quamvis hæc omnia antea egerit capitulum, independenter ad Episcopum spectare, deciditur : *Hadrien.*, 19 *januar.* 1754, *dub.* 1. Inde reproposita causa recessit S. C. a decisis, et ad capitulum spectare salvo jure Episcopi petendi redditionem rationis a capitulo statuitur : 16 *martii ejusd. anni.*

4. Edictum insuper Episcopi factum circa mores eremitarum sustineri debere decernitur ; ita ut revisio, et adprobatio requisitorum, concessio habitus, et traditio litterarum patentium eisdem eremitis ad effectum quæstuandi ad eumdem Episcopum debeat spectare, non ad capitulum : *Ibid., dub.* 2 ; confirmata *ibid.*

5. Electionem autem, et nominationem eremitarum præfatæ ecclesiæ faciendam esse a capitulo enunciato, et adprobationem ab Episcopo, rescriptum est : *Ibid., dub.* 2.

Erogatio. Vide *Eleemosynæ*, § II ; *Fructus*, § II ; *Pecunia.*

Erroris impedimentum. Vide *Matrimonium*, § XIII.

Eucharistia. Vide *Sacramentum Eucharistiæ.*

Evictio. Vide *Bona ecclesiastica*, § V.

[442] Vide not. præcedentem.

[443] Vide not. præced.

EXAMEN [444].

1. Statuit S. C. provisos de beneficiis simplicibus, quorum collatio libere pertinet ad inferiores, non teneri ex Concilio subjacere se examini Episcopi, provisos de dignitatibus examinandos, etiam si existant liberæ collationis inferiorum, in simplicibus autem beneficiis sufficere illam approbationem per quam Episcopus ordines requisitos contulit : *Avenionen.*, *martii* 1586, *dub.* 1.

2. In quibus casibus est necessarium examen, illud debet præcedere collationem : *Ibid.*, *dub.* 2.

3. Ita examinandos omnino esse ab Episcopo per cap. 18, sess. 24 [445], ubi disponitur præsentatos, et nominatos a quibusvis ecclesiasticis personis non esse admittendos ad quævis beneficia, nisi prævio examine Episcopi : *Ibid.*, *dub.* 3.

4. Concilium non sustulit institutiones legitime alioqui pertinentes ad inferiores cap. 9, *Quod si* sess. 25 [446], et quatenus in cap. 13, sess. 14 [447], decernitur præsentationem faciendam esse soli Episcopo intelligendum de præsentatione ad effectum examinis dumtaxat : *Ibid.*, *dub.* 4.

5. Dubitatur, utrum in parochialibus vacantibus in mensibus reservatis Summo Pontifici fieri debeat examen per concursum ab Ordinario? resolvitur affirmative, fidemque adprobationis cum judicio examinatorum, et Episcopi electione transmittendam ad primum : *Avenionen.*, 25 *octob.* 1586, *dub.* 5.

6. Idem dicendum de beneficiis curam animarum habentibus reservatis per regulas cancellariæ : *Ibid.*, *dub.* 6.

7. Declaravit S. C. examen factum intra terminum dierum decem, non esse nullum, si nemo post examen comparuit, qui se læsum propterea prætendit : *Montis Regalis*, 2 *aug.* 1607, *dub.* 3.

8. Episcopus S. C. consuluit, an sit audiendus non descriptus petens admitti ad examen jam peractum, sed beneficii nondum facta collatione?

9. Et quid, si non est factum examen, sed terminus tantum lapsus? respondit ad primum non esse audiendum, ad secundum itidem non esse audiendum : *Cassanen.*, 17 *febr.* 1624, *dub.* 1, et 2.

10. Dubio perpenso, an examen factum sine examinatoribus synodalibus in concursu collationis parochialium jurispatronatus laicalis, seu ecclesiastici, vel mixti, quando plures præsentantur, sit contra dispositionem, cap. 18, sess. 24 [448], *de Reform.*? definitur si plures fuerint præsentati ad parochialem de jurepatronatus laicalis, vel ecclesiastici,

[444] Quoad examen habendum in concursu parochialium ecclesiarum modum decernit Bened. XIV, Const. ***Cum illud***, 14 decem. 1742. ***Bull. ejusd.*** tom. 1; pag. 98.

[445] *De Reform.* ubi habetur « Si vero jurispatronatus ecclesiastici erit (parochialis nempe), ac institutio ad Episcopum, et non alium pertineat; is quem patronus digniorem inter probatos ab examinatoribus judicabit, Episcopo præsentare teneatur, ut ab eo instituatur. » Quoad præsentatos a patronis ecclesiasticis faciunt responsa Bened. XIV ad postulata sibi facta ab Archiepiscopo Florentino, ut in ejus epistola decretali ***Redditæ nobis***, eidem rescripta sub die 9 april. 1476 (***Bull. ejusd.*** tom. 2, pag. 11) : Et summa responsorum hæc est. Ad I. Patronum ecclesiasticum teneri in foro externo præsentare ad beneficium curatum magis idoneum, et magis dignum inter approbatos ab examinatoribus. Ad II. Episcopum debere beneficium conferre præsentato a patrono, absque eo quod inquirat de illius judicio, si inter examinatos nemo de hoc queratur ; si vero sit, qui queratur, teneri in dictum judicium inquirere. Ad III. Admittendam esse appellationem in devolutivo tantum interpositam ab eo, qui se digniorem existimat, et est posthabitus, non retardata possessione præsentati, si Episcopi, si patroni judicium de magis digno conveniat : si vero non conveniat, tunc si quis ex approbatis ab examinatoribus, et tanquam magis dignus prælectus a patrono putet, se gravatum esse ab Episcopo, et ideo appellat, ejus appellationem operari debere ad effectum suspensionis ; et interim ecclesiam parochialem remanere sub Episcopo, donec lis finiatur.

[446] *De Reform.* ubi legitur : « Quod si ad inferiores institutio pertineat, ab Episcopo tamen, juxta alias statuta ab hac sancta Synodo examinentur : alioquin institutio ab inferioribus facta irrita sit, et inanis, » Gallemart ad hoc caput, num. 10, pag. 328 ad verb. ***Quod si ad inferiores institutio***, ait : « quando Concilium hic se remittit ad statuta, alias in hac S. Synodo, intelligit textum sess. 7, cap. 13, ut sit sensus : Beneficium jurispatronatus, quando est simplex licet possit ab inferiore institui, tamen semper Episcopi requirit examen. » Et dictum cap. 9, pag. ibid. ad verb. ***Ab Episcopo examinentur***, loquitur in casu, quo præsentatio, electio, vel nominatio fiat aliis, quam Episcopo, ac proinde ad præservandam ipsius jurisdictionem, jubet præsentatum, electum vel nominatum non aliter confirmandum, vel instituendum, quam prævio Episcopi examine.

[447] *De Reform.*, in quo declaratur ; « Non licebat præterea patrono cujusvis privilegii prætextu, aliquem ad beneficia sui jurispatronatus, nisi Episcopo loci ordinario, ad quem provisio, seu institutio ipsius beneficii, cessante privilegio, jure pertineret quoquo modo præsentare : alias præsentatio, ac institutio forsan secutæ, nullæ sint, et esse intelligantur. »

[448] Quod decernit : « Ex hisque (qui nempe idonei ab examinatoribus judicati fuerint) Episcopus eum eligat, quem ceteris magis idoneum judicaverit, atque illi, et non alteri collatio ecclesiæ ab eo fiat, ad quem spectabit eam conferre. »

seu mixti examen per concursum ab examinatoribus synodalibus esse faciendum : *Vercellen.*, 21 *martii* 1643, *dub.* 3.

11. Examen per concursum ad parochiales ecclesias, quamvis earum juspatronatus ad dicta capitula exempta pertineret, coram Episcopo esse faciendum, idemque faciendum esse etiamsi collatio ad ipsa capitula spectaret : *Suessionen.*, 16 *septem.* 1622, *dub.* 9.

12. Clericos ordinandos, quamvis a capitulis exemptis præsentatos posse ab Episcopo examinari, qui ipsius capituli assertioni circa ordinandorum probitatem, et scientiam deferre minime tenetur, declaratum est : *Ibid.*, *dub.* 10.

13. Matthæus de Augustino sacerdos civitatis Ravellensis a patronis præsentatus ad curatum beneficium terræ Angriæ inhabilis ab Ordinario repertus, institui non valuit. Appellavit hic ad S. C.; et hæc decrevit locum esse novo examini : *Nucerina Paganorum, paroch.*, 20 *sept.* 1704, *dub.* 1.

14. Ad dubium autem, an novum examen esset delegandum? responsum est, ut fieret in curia : *Ibid.*, *dub.* 2.

15. Examen concurrentium est faciendum privative ab examinatoribus synodalibus urbis Tusciæ, in qua vacavit archipresbyteratus ecclesiæ cathedralis; nam vicarius apostolicus concursum convocaverat in civitate Viterbii, et coram ejusdem examinatoribus : *Tuscanen.*, *Concursus*, 16 *martii* 1771, *dub.* 2.

16. Et ad effectum recipiendi dictum examen intervenire, et privative subscribere debet cancellarius episcopalis dictæ civitatis : *Ibid.*, *dub.* 3.

17. In concursu ad vacantem canonicatum pœnitentiarium ecclesiæ cathedralis Episcopus canonicum Dominicum Giacobbi laurea doctorali nondum insignitum præelegit. Alter actu doctor Antonius Matra sese opposuit sed nil fecit, quum Episcopus senem emeritum, in Ecclesiæ Dei servitio per annos 40 mancipatum, ac omnibus acceptum, ac benevisum esse dictum Giacobbi enunciavisset. Re in S. C. relata, præelectionem Episcopi hæc approbando, non esse locum novo examini declaravit : *Alerien.*, *Canon. pœnitent.*, 10 *maii* 1777.

18. Quum nominatus fuisset ad canonicatum ecclesiæ S. Mariæ Assumptæ oppidi Montis Cassiani clericus Gervasius Andreani, Episcopus eum examini subjecit. Sed minus idoneo reperto institutionem ei denegavit. Re in S. C. delata locum esse novo examini statutum est : *Lauretana*, 24 *april.* 1784. Postea institutionem concessit : 27 *novem. ejusd. anni.*

19. Declaravit S. C. non esse locum novo examini sacerdotis Antonii Pierucci, qui ab irrationabili judicio Episcopi provocavit, quum in concursu ad vacantem ecclesiam parochialem S. Luciæ civitatis Auximanæ reprobationem habuisset causa illius ignorantiæ, quam in responsionibus ad propositos morales casus ostendit : *Auximana*, *Parochiæ*, 6 *maii* 1797, *dub.* 2.

Reliqua. Vide *Concursus*, § v ; *Episcopus*, § xiii ; *Presbyteri*, § ii.

EXAMINATORES SYNODALES.

1. Expenditur, an examinatores ad parochiales per concursum debeant suffragia sua palam dare, aut per suffragia secreta, et quid magis expediat? respondit, nihil de hoc Concilium expressit, vero tamen magis expedire, quod singuli palam inter se sententias suas dicant, deinde jubeant notario, ut simpliciter in actis suis scribat, *Titium approbatum fuisse*, *Sejum reprobatum*, prout Romæ fieri dicitur : *Cremonen.*, *anni circiter* 1575, *dub.* 2.

2. Inde resolvitur, eum, cujus mores noti, probatique sint, præferendum illi, cujus vita ignoretur prorsus, licet doctior sit : *Ibid.*, *dub.* 3.

3. Et examinatores, quot in examine per concursum, adhibendi? rescripsit S. C. Concilium satis clare expressit, quot adhibendi sint sess. 24, cap. 18, vers. *Advenienteque vacatione*[449], et eumdem numerum servandum esse in omnibus examinibus : *Ibid.*, *dub.* 4.

4. Pro examine in concursu faciendo ad obtinendas ecclesias parochiales quocumque mense vacantes solvuntur ab examinatis, et approbatis cuilibet examinatori julii quatuor contra formam cap. 18, § *Expedit*, sess. 24[450] : Sancitur non debere examinatores occasione examinis ad parochiales quicquam accipere, alioquin puniendi arbitrio Ordinarii : *Gerunden.*, *Extort.*, *febr.* 1588, *dub.* 7.

5. Declaratur examinatores debere denunciare quot idonei reperti fuerint, Episcopum suo judicio

[449] » Advenienteque vacatione cujuslibet ecclesiæ, tres ex illis eligat Episcopus, qui cum eo examen perficiant, indeque succedente alia vacatione, aut eosdem, aut alios tres, quos maluerit, ex prædictis illis sex eligat. »

[450] Ubi prohibetur examinatoribus aliquid accipere : « Caveantque ne quidquam prorsus occasione hujus examinis nec ante, nec post accipiant, alioquin simoniæ vitium tam ipsi, quam alii dantes incurrant, a qua absolvi nequeant, nisi dimissis beneficiis, quæ quomodocumque etiam antea obtinebant, et ad alia in posterum inhabiles reddantur. »

debere eligere digniorem : *Abulen.*, 1 *decem.* 1593, *dub.* 4.

6. Relatione examinatorum renunciantium unum ex approbatis idoneum quoad scientiam tantum, et quoad vitam, et mores approbandum resrejicientium ad vicarium Archiepiscopi, non esse satisfactum decret. cap. 18, sess. 24, vers *Peracto* [451] : *Urbinaten.*, 24 *maii* 1601.

7. Censuit S. C. si examinatores aliquem idoneum quoad litteras tantum, non autem quoad omnes qualitates renuncient, ut puta, si quoad mores dicant *se eos non nosse*, vel in ipsum Episcopum hanc notitiam rejiciant, non esse satisfactum formæ præscriptæ decreto Trid. Concil. cap. 18, sess. 24 [452] : *Verulana*, 23 *junii* 1605.

8. Respondit consulta S. C. debuisse quidem eligi examinatores, qui sint magistri, sive doctores, aut licentiati in theologia, aut jure canonico. Ceterum etiamsi his qualitatibus careant, concursum esse propterea nullum sancitur : *Montis Regalis*, 2 *aug.* 1607, *dub.* 2.

9. Examinatores referre debent idoneos quoad omnes qualitates, prout requirit Concilium, aliter nullus est concursus : *Ibid.*, *dub.* 5.

10. Censuit S. C. cum celebratione synodi quolibet anno deputationem examinatorum ; nam si a die ultimæ synodi sex examinatores non supersint, ceterorum facultates expirant, et concursus fieri nequeunt, aliasque facti non valent : *Leyrien.*, 7 *sept.* 1630, *dub.* 4.

11. Declaravit S. C. dandas esse resolutiones antiquas, nempe, examinatores synodales debere renunciare quotquot idoneos repererint ad vacantem parochialem ecclesiam gubernandam, sed ad Episcopum non autem ad eosdem examinatores pertinere judicare quis inter eos sit magis idoneus : *Hydruntina*, 19 *junii* 1638, *dub.* 1.

12. Insuper sæpius decernit, examinatores adhibitos in concursu parochialium vacantium debere suffragari de idoneitate cujusvis examinati, ac de omnibus ejus qualitatibus circumspectis, et propterea formæ ab eodem Concilio requisitæ non esse satisfactum, si aliquis ex examinatoribus referat aliquem esse idoneum, quoad aliquam qualitatem tantum, non autem quoad omnes, vel sè remittat Episcopo, vel Sedi apostolicæ : *Ibid.*, *dub.* 2.

13. Alias respondit, si eo anno, quo concursus instituitur non sit celebrata synodus valere concursum habitum coram examinatoribus in ultima synodo diœcesana deputatis, dummodo saltem sex supersint : *Ibid.*, *dub.* 3.

14. Solutione dubii petita, an in diœcesi, in qua sunt duæ cathedrales unitæ, sint deputandi in qualibet civitate examinatores synodales distincti ab illis, qui deputantur in altera urbe ? responsum dedit S. C. affirmativum : *Valven.*, *et Sulmonen.*, 3 *sept.* 1630.

15. Ad quæsitum, an examinatores synodales in ultimo synodo ante annum celebrata deputati possint adhiberi, quamvis unus ex iis obierit, dum tamen sex eorum supersint ? respondit dandam esse declarationem *in Hydruntina* 19 *junii* 1638 [453] : *Lucerina*, *Concursus*, 26 *novem.* 1661, *dub.* 2.

16. Et ad alterum quæsitum, an Joseph de Cicco potuerit duos ex ipsis examinatoribus, ut supra allegare suspectos, adeo ut per vicarium sit deferendum hujusmodi suspicioni ? rescripsit sine causa legitime probata non potuisse : *Ibid.*, *dub.* 3.

17. Card. Archiepiscopus Januæ anceps de facultate in casu, si aliquis interim mori contigerit judicum synodalium substituendi alium in ejus locum, reverenter recurrit ad S. C. pro declaratione, an valeat uti dicta facultate ; et si synodus tam provincialis, quam diœcesana non fuerit infra tempus a Concilio præscriptum [454] celebrata ; et responsum prodiit, in casu de quo agitur, detur Card. Archiepiscopo facultas substituendi cum consilio capituli : *Januen.*, *Dubium jud. synod.*, 1 *junii* 1709.

18. Episcopus Aversanus, qui cum potestate antea sibi facta a S. C. Concilii quemdam sacerdotem proposuisset suo capitulo, in examinatorem synodalem approbandum, quem tamen capitulum probare noluit, supplex adiit eamdem S. C. exposcens, ut consensum a suo capitulo irrationabiliter denegatum, ipsa suppleret. Sed nil S. C. respondit [455] *Aversana*, *Elect. examinat. synod.*, 16 *maii* 1739.

[451] In quo statuitur : « Peracto deinde examine, renuntientur quotcunque ab his (examinatoribus) idonei judicati fuerint, ætate, moribus, doctrina, prudentia et aliis rebus ad vacantem ecclesiam gubernandam opportunis. » Hoc decretum declaratum est a Benedicto XIV in litteris encyclicis ad omnes Episcopos, *Cum illud*, 14 decem. 1742 (*Bull. ejusd.* tom. 1, pag. 98), decernente § 10 eosdem examinatores suo deesse muneri, si doctrinæ tantum judices essent : ideoque juxta etiam plura decreta, ab ipso relata lib. 4 *de synod. diœc.* cap. 8, num. 3, tom. 12, pag. 148, nullum esse concursum, si non retulerint idoneos quoad omnes qualitates.

[452] Vide not. præcedentem.

[453] Vide num. 13 præsenti §.

[454] Sess. 24, cap. 2 *de Reform.* Ubi synodum diœcesanam quotannis cogi præcipit. Vide not. 326, 334.

[455] Sed, cum perpensum fuerit, jam tum « elapsum fuisse annum, quo præfatus sacerdos exercere potuisset examinatoris munus, juxta ea, quæ supra diximus, S. C. supervacaneum duxit causam definire, ab ejusque propterea discussione supersedit. » Bened. XIV, *de Synod. diœces.* lib. 9, cap. 7, num. 10, pag. 103 edit. Rom. 1755.

19. Quum capitulum ecclesiæ cathedralis reprobasset examinatores tres synodales viros selectos ab Episcopo vigore indulti pontificii, S. C. tamen eos confirmavit, etiamsi ab ipso capitulo opponeretur, tum de cumulativa potestate eligendi, tum de nimia familiaritate Episcopi eorumdem et nec satis contentum esse de eorum idoneitate : *Cæsenaten.*, 15 *decem.* 1770.

EXCESSUS.

1. Declaravit S. C. constare de excessibus capituli collegiatæ ecclesiæ S. Mariæ civitatis Tudelæ contra D. Junguitum provisum apostolicum de canonicatu ac thesauraria ejusdem collegiatæ : *Nullius Tudelæ*, 22 *novem.* 1727, *dub.* 1. Deinde reproducta causa, eadem remittitur ad Card. Bellugam, ut partes ad concordiam inducat, et renuentes eam ex officio faciat : 13 *martii* 1728.

2. Postulatum a S. C. fuit, num abbatissa, et canonissa seu domina S. Petri Romaricomontis in Lotharingia possit capitulariter congregata privative, et sine interventu presbyterorum canonicorum altaris majoris nuncupatorum punire excessus graves alicujus delinquentis ex eisdem canonicis? dari decretum artic. 46 [456], Card. Rohan visitatoris mandavit S. ead. C. : *Tullen. seu Nullius S. Petri Romaricomontis, Visit.*, 13 *januar.* 1731, *dub.* 2.

3. Nomine populi villæ Frassinelli libellus Archiepiscopo fuit porrectus contra Jacobum Antonium Mutium parochum prædictæ villæ, plures defectus illius exponentis; hac occasione parochus contendit Joannem Baptistam Fontana, Lazarum, et Angelum Mariam Poire decuriones villæ, nedum sibi præstitisse impedimentum, quominus decimas, et primitias colligeret; verum etiam istas exegisse, pluribusque insuper violentiis tam in ecclesia, quam in domo parochiali patratis, ita jurisdictionem ecclesiasticam perturbasse, ut in censuras Pontifici Summo reservatas inciderint; ob id ad dubium, an constaret de excessibus? utique constare respondit : *Januen.*, 9 *febr.* 1737, *dub.* 1.

4. Quæsitum quum esset, an constet de prætensis excessibus P. Antonii a S. Bartholomæo, F. Lucæ a Vulturara Minorum strictioris observantiæ oppidi Collis Torti, qui occasione supplicationis S. Mariæ clerum secularem æmulabantur, et quomodo sit providendum? ad mentem (nempe *ut removeantur a conventu*) tantum dixit S. C. : *Larinen.*, 14 *maii* 1746, *dub.* 7 ; confirmata 9 *julii ejusd. anni.*

EXCOMMUNICATIONIS CENSURA [457].

1. Excommunicationes ad finem revelationis, si loca pia abbatiæ nullius diœcesis sint, licet intra fines diœcesis Spoletanæ, petendæ sunt a Sede apostolica, nec possunt ab Episcopo Spoletano decerni : *Spoletana, anni* 1583, *dub.* 3.

2. Compertum non est, an matrimonium dicen-

[456] Vide not. 39, verb. *Abbatissa*, § I.

[457] Pro hujus censuræ comminatione habemus recentes litteras monitorias Pont. Max. Pii VI die 19 martii 1792 datas, quibus 60 dies pro secunda, et alii 60 dies pro tertia monitione assignantur Episcopis consecratoribus, et adsistentibus, pseudo-Episcopis consecratis, ac intrusis, eorumque vicariis, Episcopis juratis, parochis intrusis, vicariis, ceterisque presbyteris ab Episcopis intrusis delegatis in regno Galliarum. Tenor hic est :

I. Sacrilegos Episcoporum intrusorum consecratores, seu assistentes, *Carolum Mauritium Episcopum Augustodunensem, Joannem Baptistam Episcopum Babylonis, et Josephum Episcopum Liddæ*, qui quemadmodum funestissimi schismatis auctores, ob primas, quas facere sunt ausi pseudo-Episcoporum consecrationes, ceteris omnibus atrocitate criminis præiverunt, ita æquum est, ut primi omnium moneantur, et ad debitam emendationem excitentur.

II. *Omnes pseudo-Episcopos intrusos*, qui absque electione, ordinatione, et missione legitima episcopales sedes cum veteris, tum novæ et illegitimæ erectionis invaserunt, quarum pleræque legitimis occupantur præsulibus, quæ vero vacuæ erant, per vicarios capitulares regebantur ad leges a Tridentino Concilio præscriptas.

III. *Archiepiscopum Senonensem, Episcopum Aurelianensem, Episcopum Vivariensem, et Petrum Franciscum Marcellum Senonensis Archiepiscopi coadjutorem*, quorum primi tres, etsi canonico episcopatum acceperint, ausi sunt tamen alienarum ecclesiarum diœcesium partes invadere, et partes suarum diœcesium relinquere juxta conventus nationalis decreta ; omnes autem, quemadmodum etiam Episcopi consecratores, seu assistentes, cunctique Episcopi intrusi, veriti non sunt se subjicere civili constitutioni cleri per civicum sacramentum pure, et simpliciter præstitum, quod nos in litteris diei 13 aprilis datis *errorum omnium venenatum fontem, et originem* esse declaravimus.

IV. *Parochos, et alios quovis nomine curam animarum exercentes in titulo*, qui, præterquam quod sacrilego illo se jurejurando polluerunt, sive integras inva-

dum esset clandestinum, utpote contractum omissis denunciationibus, et multo magis cum in synodalibus constitutionibus contra sic contrahentes imposita esset pœna excommunicationis; S. C. interrogata, an omissis edictis hujusmodi matrimonium dicatur clandestinum, prolesque illegitima, veluti si sine testibus, et parocho contraheretur? respondit, non dici, sed contrahentes incidere in pœnam excommunicationis in constitutionibus synodalibus propositam: *Hieracen.*, *mense sept.* 1587.

3. Supplicatur concedi, ut si contingat aliqua homicidia a capitulorum cathedralium, et collegiatarum militibus capitaneis præfectis, et aulicis, ubi habent capitula dominium temporale, in reprimendis hæreticorum, schismaticorum, et sectariorum injuriis committi, Archiepiscopum, Episcopos, capitula, et clerum excommunicationis censuram non incurrisse? minime S. C. hoc concedendum putavit: *Gnesnen.*, *febr.* 1590, *dub.* 1.

4. Præpositus, et canonici ecclesiæ collegiatæ oppidi Minorissæ armata etiam manu visitationi capellæ S. Augustini in claustro dictæ ecclesiæ sitæ opponentes per Episcopum excommunicationi suppositi fuere. Hanc censuram eos incurrisse S. C. requisita declaravit *die* 26 *sept.* 1699. Modo confirmat decretum: *Vicen.*, *Juris visitandi*, 16 *jan.* 1700, *dub.* 2.

5. Quum pater Angelus Lucina monacus Olivetanus, et vicarius monasterii Montis Oliveti Neapolis absque licentia parochi sacramentum extremæ unctionis cuidam viro nobili septa dicti monasterii incolenti ministrasset, ob ejusdem contumaciam incurrisse excommunicationem fuit denunciatum. De hoc S. C. interrogata putavit censuram sustinendam, et dandam facultatem Ordinario absolvendi in forma privata: *Neapolitana*, *Censur.*, 5 *junii* 1700.

6. Archidiaconus major ecclesiæ cathedralis, et vicarii ab illo deputati sede vacante, quod confugerunt ad judices laicos, fidelium communione disjuncti sunt; ita ut absolutione indigeant, quæ est eis concedenda. Hoc decrevit S. C. *die* 5 *sept.* 1699, confirmavitque: *Gerunden.*, *Deputat. vicarii*, 5 *junii* 1700.

7. Pro satisfactione cujusdam tenuis legati annui in favorem pauperum orphanorum S. Andreæ civitatis Laudæ a Mutio Blasio relicti in judicium patres conventuales hæredes legatarii rector congregationis Somaschæ vocavit. Patres vero prævia declinatoria jurisdictione vicarii generalis, electionem judicis conservatoris fecerunt, et sententiam solutionis legati passi sunt; quanquam antea protestati sint de nullitate processus, et de interposita appellatione ad Sedem apostolicam. Vicarius vero prædictus ad suam jurisdictionem tuendam judicem conservatorem excommunicatum declaravit; idcirco res relata ad S. C. resolvitur, processum vicarii usque ad sententiam inclusive, et excommunicationem ab eo latam contra assertum conservatorem sustineri; cetera vero hinc inde gesta non subsistere: *Lauden.*, *Censur.*, 5 *junii* 1700. Deinde recedendum esse a decisis quoad censuras latas a vicario generali tantum putavit: 4 *sept. ejusd. anni* [458].

8. Antonio Rennæ titulari ecclesiæ S. Antonii Viennensis, et vicario basilicæ Lateranensis, qui a jurisdictione Ordinarii exemptum esse opinatur, non licuit anathemate percellere abbatem generalem, et ministros curiæ abbatialis Montis Virginis. Nam illum suspensum a divinis abbas generalis abbatiæ prædictæ causa resistentiæ in visitatione factæ pro notula satisfactionis onerum ejusdem ecclesiæ S. Antonii enunciavit. Hujusmodi decretum emanatum a S. C. *die* 14 *novem.* 1699, *dub.* 2, confirmatur in *Nullius*, *seu Montis Virginis*, *Censurar.*, 26 *junii* 1700.

9. Quum curia episcopalis Trojanæ excommunicationem contra communitatem, seu regimen urbis Foggiæ solvendi eleemosynam concionatori ab Episcopo electo abnuentem, non considerata contestata denunciatione a dicta communitate emissa in actis dictæ curiæ super recursu ad S. C. Concili

serunt parochias tam veteris, quam novæ et illegitimæ erectionis, sive earum partes, per institutionem nulliter receptam vel ab intrusis Episcopis, vel ab Archiepiscopo Senonensi, et ab Episcopo Arelianensi, et Vivariensi, legitimis quidem, sed civico juramento obstrictis, extra pristinos fines respectivarum diœcesium, etiamsi aliqui ex ipsis rite antea ad parochiale munus assumpti fuissent.

V. Denique *vicarios omnes*, *aliosque presbyteros* quocumque nomine appellentur, ad jurisdictionis actus exercendos vel ad munia ecclesiastica obeunda delegatos, sive approbatos ab intrusis Episcopis, qui in alios transferre nequeunt jus, quod ipsi non habent.

Quos omnes ita monitos nisi nobis constiterit, intra præfinitum illud temporis spatium, quod superius assignavimus, pro suo quemque crimine, debita, ut par est, emendatione Ecclesiæ satisfecisse: tum sane etsi *dolebimus, et deflebimus, et plangemus, et visceribus dissecabimur, ut qui privemur propriis membris; tamen non ita dolebimus* (S. Joan. Chrysost. *Homil.* XI, cap. 4. *Epist. ad Ephes.* tom. 11, pag. 87, edit. Paris 1734), quin in causa tam gravi, pro criminum acerbitate, pro delinquentium multitudine, pro contagionis periculo, eo tandem deveniamus, quod apostolicæ servitutis, et canonicæ providentiæ ratio a nobis postulat, ut scilicet excommunicationis sententiam in eos feramus, eosque edicamus, atque mandemus ab Ecclesiæ communione segregatos, et tanquam schismaticos pervicaces habendos, et vitandos, esse declaremus.

[458] Hanc causam in favorem judicis conservatoris patrocinatus est advocatus Dominicus Ursaya, qui *Discept. Eccl. XV*, tom. 2, part. 2, *per tot*, exhibet sua jura.

facto, relaxasset; non patuit ejusdem censuræ validitas, et eam non esse validam S. C. firmavit: *Trojana, Eleemos. concionat.*, 14 *aug.* 1700, *dub.* 2.

10. Gerardus de Escalar eques de Calatrana corpus filii clam ad sepeliendum in ecclesiam patrum S. Augustini in contemptum synodalis constitutionis, et Episcopi deferri curavit. Nam Episcopus ei dictam delationem noctu, ac sine parocho vetaverat; ideo declaratus est excommunicatione irretitus, quamvis ab Episcopi jurisdictione sese exemptum jactaverit. Et pariter Episcopus conservatorem privilegiorum Joannem Dametum, quem ille elegit, excommunicavit. De validitate censurarum fuit S. C. interrogata, quæ protelavit responsum suspensis censuris: *Majoricen., Censur.*, 25 *sept.* 1700.

11. Sub pœna excommunicationis Archiepiscopus Claritanus cunctos canonicos, et capitulum primitialis ecclesiæ ipsi concionanti assistere debere declaravit. Illi vero abnuerunt id agere, et Archiepiscopus litteras regias possessionis suæ manutentionis obtinuit. Decanus nihilominus, ac duo canonici haud interfuerunt; hac de causa primum excommunicatum denunciavit Archiepiscopus, et contra alios jus sibi reservavit. De validitate excommunicationis in decanum promulgatæ S. C. quæsita, nullo exposito decreto jussit, ut Episcopus Arborensis ad ulteriora procedat [459] : *Calaritana, Censur.*, 26 *novem.* 1701, *dub.* 1.

12. Quum Nicolaus Ferdinandus Incancaro contra licentiam Ordinarii, qui esse eum notorie excommunicatum ob læsam immunitatem ecclesiasticam credebat, matrimonium cum Catharina Trombilla noctu coram thesaurario cathedralis ecclesiæ curam animarum exercente contrahere attentasset; Episcopus infra terminum unius diei, ut Nicolaus sub pœna excommunicationis majoris latæ sententiæ mulierem e domo dimitteret, præcepit. Ille mandatum non exhausit, et elapso termino censuræ schedulæ affixæ fuerunt. S. C., quam invocavit, primum matrimonium esse validum, dein censuram latam non sustineri censuit : *Castellaneten., Matrim., et Censur.*, 29 *april.* 1702, *dub.* 2.

13. Censuram excommunicationis latam a vicario capitulari curiæ Amalphitanæ in canonicos ecclesiæ S. Mariæ ad Mare oppidi Majoris, qui concionatorem pro dicta ecclesia a curia eadem deputatum rejecerunt, exemptionem a præfatæ curiæ jurisdictione sibi sumentes, de qua postea transactum inter partes fuit, sustinere S. C. mandavit: *Amalphitana, Jurisdict.*, 30 *sept.* 1702, *dub.* 3; confirmata 2 *decem. ejusd. anni.*

14. Quum præpositus, et presbyteri ecclesiæ S. Petri terræ Vasti sub pœna excommunicationis majoris ad præstandam obedientiam in ecclesia S. Mariæ Majoris dictæ terræ Archiepiscopo visitanti moniti fuissent; idem Archiepiscopus ipsos, qui contendebant obedientiam semper detulisse in ecclesia S. Petri, et appellationem interposuerant, excommunicatos, vitandosque declaravit. Sed S. C. desuper requisita, censuram ratam non habuit : *Theatina*, 8 *aug.* 1704, *dub.* 3.

15. Antonius Sotgiu delegatus apostolicus super litteris reservationis cujusdam pensionis deputatus in Joannem Antonium Piras a secretis curiæ archiepiscopalis ob denegatam quamdam fidem censuras tulit. Archiepiscopus e contra tum Sotgiu, tum alios canonicos eidem assistentes excommunicavit in vim can. 17 Bullæ *Cœnæ* [460]; et rursus idem canonicus Sotgiu Archiepiscopum censuris subjecit. S. C., cujus consilio partes nituntur, censuras latas ab Archiepiscopo sustineri, a canonicis vero intentatas nullas, ac temerarias esse statuit *anno* 1703; et pro absolutione Joannis archipresbytero cathedralis potestatem tribuit. Dicti canonici assistentes petierunt postea absolutionem, et S. C. ut adeant Archiepiscopum, et eidem concedatur facultas absolvendi cum reincidentia ejus arbitrio, respondit *anno* 1704. Modo iidem canonici una cum canonico Sotgiu licet absoluti instantiam instaurant dubio an sit recedendum a decisis sub die 25 septem. 1703, et S. C. stetit in decisis præterquam quoad censuras latas tantum ob non exhibitionem litterarum prætensæ suæ delegationis : *Turritana, Censur.*, 10 *januar.* 1705.

16. Quum Episcopus occasione visitationis decrevisset, ut ab œconomis, seu administratoribus ecclesiarum S. Catharinæ, et S. Mariæ Novæ sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ rationum libri exhiberentur, iidem ab hoc decreto ad Tribunal AC provocarunt. Quoad censuras instituitur consultatio, et S. C. esse nullas judicavit : *Aliphana, Administrat. pior. locor.*, 18 *julii* 1705, *dub.* 4.

17. Posteaquam Episcopus suo decreto omnes officiales, ac administratores societatum, atque piorum locorum admonuerat, ut novos officiales,

[459] Defendit hanc causam advocatus Dominicus Ursaya, qui rationes ostendit in *Discept. Eccles.* VIII, tom. 4, part. 1, *per tot.*

[460] *Domini die lœgi solitæ*, in quo legitur: « Quive jurisdictiones, seu fructus redditus, et proventus ad nos, et Sedem apostolicam, et quascumque ecclesiasticas personas, ratione ecclesiarum, monasteriorum, et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum pertinentes usurpant, vel etiam quavis occasione, vel causa, sine Romani Pontificis, vel aliorum ad id legitimam facultatem habentium expressa licentia sequestrant. »

ac depositarium seligerent, edixit, nisi dicti officiales fecisse mandata docuissent, eos censuras in edicto intentatas incurrisse declaraturum. Illi imperio non obsequuti sunt; idcirco excommunicati fuerunt denunciati. Re in S. C. exposita, non sustineri censuras decisum est. Deficiebat enim legitima citatio, nec de vera contumacia constabat : *Ferentina, Censur.*, 8 *aug.* 1705.

18. Nonnulli canonici ecclesiæ cathedralis contra præceptum vicarii generalis sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ ante horæ 24 lapsum ab emissione spiritus cadaver quoddam detulerunt. Vicarius ad comparendum, dicendumque causam quare dicta censura irretiri non deberent, monere eos curavit. Illi autem ad Metropolitanum, ad S. C. Concilii, et Episcoporum regulariumque appellarunt. Interim vero vicarius prædictus excommunicatos pronunciavit. Ejusdem censuræ validitas fuit in ambiguo, et S. C. non sustinendam censuit : *Ortonen., Censur.*, 3 *octob.* 1705, *dub.* 2.

19. Georgius Cugurra ob assertam clerici Michaelis Satta percussionem excommunicatus a curia Algarensi appellavit ad Metropolitanum Turritanum. Hic concessis litteris inhibitorialibus mandavit ut curia Algarensis acta transmitteret. Curia prædicta ad delegatum apostolicum judicem appellationum recursum habuit, qui ad Episcopatum Bossanensem evectus procedi inhibuit Archiepiscopo Turritano, et ob suorum mandatorum spretum ecclesiæ ingressum ei interdixit, dictum Archiepiscopum ad S. Sedem appellantem inde excommunicavit. Res ad S. C. rejecta, interdictum, ac censuras latas ab Episcopo Bossanensi haud sustineri decernitur, addendo, ut idem suæ conscientiæ consulet : *Turritana, Nullit. censurar.*, 5 *junii* 1706.

20. Sententia fuit S. C. censuram excommunicationis contra hæredes presbyteri Joannis Novelli ab Episcopo latam validam haud esse. Ii enim eidem Episcopo juxta ejusdem præceptum consuetudine fultum breviarium, et defuncti superpelliceum dare abnuerant : *Sancti Marci, Exact.*, 31 *julii* 1706, *dub.* 1.

21. Quum occasione sepulturæ cadaveris Alvari de Luna Myrtillus de Barricellis syndicus civitatis Cotronæ depositarius bonorum defuncti summas statutas a capitularibus ecclesiæ cathedralis, qui funere interfuerunt, veluti immodicas, profusasque exsolvere obtrectasset, excommunicatione a curia episcopali percussus fuit. Rem S. C. examinavit, et ratam illam non habuit. Ille enim post monitionem ad Sedem apostolicam appellaverat [461] : *Cotronen., Jur., funer.*, 3 *sept.* 1707, *dub.* 6.

22. Clericus Horatius Saracenius ad instantiam puellæ Dominicæ Grottolæ ob prætensum stuprum cum ipsa patratum fuit anno 1691 excommunicatus, et deinde tanquam innocens ab attributo crimine tantum, nulla ratione habita ad censuram, absolutus. Idem clericus ad sacros Ordines promotus canonicatum ecclesiæ cathedralis assequutus est. Dubio orto de censura excommunicationis, an illa sustineatur? esse absolvendum ad cautelam S. C. respondit : *Juvenacen., Censur. irregul.*, 23 *febr.* 1709, *dub.* 1.

23. Instante clerico Nicolao Stamadia adversus sacerdotem Petrum Assandri capellanum majorem ecclesiæ S. Jacobi Hispanorum Neapolis de alapa sibi in faciem ducta prope dictæ ecclesiæ sacrarium, vicarius generalis eum comparere in curia archiepiscopali, nonnullosque clericos, quos ad testimonium perhibendum vocaverat, abnuentes excommunicavit. Nuntius apostolicus eosdem sibi esse subjectos putans causa privilegiorum, quæ Clem. VII, Gregorius XIII et Sixtus V, Pont. Max., concesserunt, reclamavit. Et dubio examinato S. C. declaratoriam non sustineri in casu, de quo agitur, et curia archiepiscopalis ut procedat prout de jure ad denunciationem rescripsit : *Neapolitana, Censurar.*, 23 *febr.* 1709, *dub.* 1.

24. Ac Card. Archiepiscopus, seu ejus curia non potuit denunciare, seu declarare excommunicatos dictos clericos, et inservientes ejusdem ecclesiæ in vim dicti præcepti (judicium S. C. fuit) : *Ibid., dub.* 3.

25. Occasione redditionis rationum de proventibus, ac eleemosynis fabricæ parochialis ecclesiæ loci Vogtareith, contentio inter parochum dictæ ecclesiæ ex una, et Ferdinandum Jeremiam Strolb præpositum laicum loci præfati, a quo ex more pervetusto descripti redditus administrantur, ex altera partibus super præcedentia in assidendo, subscribendisque rationibus exarsit. Consistorium archiepiscopale Salisburgense sub pœna censurarum nullo præfixo termino præcedentium parocho deberi judicium fecit. Inde terminum constituit, quo elapso præpositum non obtemperantem excommunicatione irretivit. S. C. audita de ejusdem validitate, non sustineri eam declaravit : *Salisburgen., Censur. et Præced.*, 11 *maii* 1709, *dub.* 1.

26. Censura excommunicationis, et gesta per Donatum Picardellum, uti conservatorem privilegiorum religionis Hierosolymitanæ contra Martinum de Arco, et alios officiales societatis Sanctissimæ Annunciatæ existentis in ecclesia S. Joannis Baptistæ extra mœnia Foggiæ non exempta, sed Episcopo subjecta, valida non sunt : *Trojana, Jurisd.*, 24 *aug.* 1709, *dub.* 9.

[461] Vide not. 8, verb. *Cadaver*, § III.

27. Neque validæ sunt aliæ censuræ excommunicationis intentatæ causa recusationis reddendarum rationum piæ hæreditatis sodalitio prædicto donatæ, et respective gesta per curiam episcopalem contra Carminum de Sanctis, aliosque: *Ibid.*, *dub.* 10.

28. Quum Archiepiscopus Anxani præceptum tulisset adversus præfectum, aliosque quatuor officiales administratores societatis mortis Anxani, ut sub excommunicationis pœna intra terminum peremptorium trium dierum proferrent rationes, inde alias horarum dilationes tribuit, et cum una monitione canonica contra eos cedulones relaxandos præcepit, posteaquam officiales ad tribunal AC appellationem in curia episcopali interposuerant. S. C. sententiam pronunciavit de censurarum nullitate, et ut Archiepiscopus ex integro servatis servandis procedat: *Lancianen.*, *Confrater.*, 20 *sept.* 1710, *dub.* 11 et 12.

29. Fugitivi, et desertores congregationis presbyterorum secularium B. Virginis *de Necessitatibus* nuncupatæ in loco de Tumina erectæ, qui juramentum de perseverandi eliciunt; non justificata causa primum coram Ordinario Elborensi incurrere excommunicationem ipso jure ordinario prædicto, sive superiori pro tempore ejusdem congregationis reservatam, necnon alias pœnas adversus fugitivos, seu apostatas, et incorrigibiles de jure intentatas minime debent: *Elboren.*, *Fugitivorum*, 14 *nov.* 1711.

30. Quum curia episcopalis Insulana ob pœnam ducatorum 100, solvendam a sacerdote Felice de Soda causa ejusdem discessus a diœcesi contra visitationis edictum, animalia ad dictum sacerdotem spectantia sequestro subjici voluisset, nepos Franciscus de Bona ei obstitit. Hunc Episcopus nulla monitione, seu citatione præhabita, uti contemptorem suæ jurisdictionis, et armata vi eam impedientem excommunicavit. Hanc censuram ratam non habuit S. C.; etiamsi dictum sacerdotem incurrisse in pecuniariam pœnam prædictam jam antea eadem S. C. decreverat: *Insulana*, *Edicti*, *et Censur.*, 14 *novem.* 1711, *dub.* 2.

31. Instante clerico Joanne Josepho Faraglia penes curiam episcopalem, eo quod sacerdos Joan. Jacobus Germanus in eum manus injecisset, nihil reputatis censuris, in quas incurrit, inde celebrasset; vicarius generalis cum testibus juratis, qui rixæ interfuerunt, excommunicatum significavit; sed dictus sacerdos S. C. adiit, factumque inficiatus est. Adsunt itaque testes quinque, qui tantum alternas injurias audierunt; idcirco latet excommunicationis validitas, et rescribit S. C. esse locum absolutioni ad cautelam: *Civitatis Ducalis*, *Censur.*, *et Irreg.*, 12 *dec.* 1711, *dub.* 1.

32. Occasione postremæ obsidionis civitatis Gerundæ fere omnia ad vitæ conservationem necessaria defecerunt. Moniales Cistercienses, et ordinis Minimorum S. Francisci superioribus eorum ordinum subjectæ obtenta ab Episcopo licentia a monasteriis egressæ sunt, et in patriis laribus, vel in aliis cœnobiis commodioribus sese receperunt. Absoluta inde obsidione illæ paucis exceptis ad earum monasteria redire abnuunt; propterea Episcopus, de apostolico fonte judicium quærit, an moniales prædictæ in præsenti manentes extra propria monasteria inciderint in excommunicationem latam a bulla S. Pii V. [462], Pont. Max., saltem posteaquam extrajudicialiter ab Ordinario monitæ fuerint?.

33. An incurrerint excommunicationes moniales, etiamsi maneant in aliis monasteriis ejusdem, vel alterius ordinis? S. C. respondit, ut Episcopus cogat juris remediis ad redeundum: *Gerunden.*, *Claus.*, 18 *novem.* 1713, *dub.* 1 et 2.

34. Quum Episcopus Ugentinus ad suppressionem conventus Carmelitarum oppidi Murciani devenisset, putans obnoxium illum constitutioni *Instaurandæ* Innoc. X [463] esse, quatenus restitutionis gratia ex decreto *Ut in parvis* [464] obtenta ab ipsis patribus non fuerit. Inde ob eorum contumaciam ad censuram excommunicationis, et interdicti relaxationem processit. Suppressio invalida fuit declarata. Modo censuras latas, ac per eum gesta non sustineri S. C. edixit. Patres enim de numero re-

[462] Quæ incipit *Decori*, 1 feb. 1570, in qua Concil. Trid. cap. 5, sess. 25, *de Regul.*, statuens non licere monialibus post professionem exire a monasterio, etiam ad breve tempus, nisi ex aliqua legitima causa ab Episcopo approbanda, declaravit Sum. Pontifex, reducens hanc causam ad tres tantum casus, nempe magni incendii, lepræ, et epidemiæ, cum licentia, et approbatione prælati monasterii, si hoc sit subjectum regularibus, et Episcopi simul; et quidem in scriptis, cum de infirmitate agatur, sub pœna excommunicationis ipso facto Papæ reservatæ, tam in aliter egredientes, quam in licentiam concedentes, comitantes, et receptantes, ac privationis ipso facto officiorum, administrationum, et inhabilitatis ad illa, et alia hujusmodi obtinenda in ipsas aliter egressas, præsidentes, et alias superiores licentiam dantes.

[463] Die 15 octob. 1652 (*Bull. Rom.* tom. 6, part. 3, pag. 233) editæ, ubi § 2 omnes conventus, in quibus ob parvum numerum religiosorum regularis disciplina juxta pecularia cujusque Ordinis instituta servari non potest, auctoritate apostolica supprimuntur, atque extinguuntur.

[464] Innocentii X, die 10 febr. 1654 (*Bull. Rom.* tom. 6, part. 3, pag. 270), in quo sancivit, § 1 « ut in eorum singulis ali debeant, et reipsa alantur sex saltem religiosi probatæ vitæ, ex quibus quatuor ad minus sint sacerdotes maturæ ætatis: alioquin gratia restitutionis, et concessionis hujusmodi nulla sit, et invalida, et Ordinarii locorum in illis exequi possint, ac debeant ea omnia, quæ in aliis conventibus itidem suppressis per eamdem constitutionem ipsis demandantur, perinde ac si gratia prædictæ restitutionis, et concessionis non emanasset. »

ligiosorum, ac de præventiva contestata denunciatione cum appellatione in manibus vicarii generalis præsentata docuerant: *Ugentina, Jurisdict., et Censurar.*, 16 *martii* 1715, *dub.* 3.

35. Censura excommunicationis lata fuit ab Episcopo, nullo per fiscum exhibito documento, contra archipresbyterum Alexandrum Protopapa, et Leonardum Pizzolanti, qui in visitatione moniti, ut ostenderent libros rationum Montium pietatis, ac Frumentarii, aliorumque locorum piorum, comparuerunt, ac non esse administratores, nec librorum detentores protestati sunt. Valor censuræ judicium subiit S. C., quæ ratam illam non agnovit: *Ugentina, Censurar.*, 14 *martii* 1716, *dub.* 1.

36. Exequutionem dispensationis super quarto gradu consanguinitatis Georgius Giura, et Clara Musacchio, consecuti sunt. Sed quum hæc facta fuisset absque venia vicarii capitularis, et non ab Episcopo viciniori, idem vicarius nullum fuisse matrimonium contractum prætendit; inhibuitque propterea sponsis, ne sub pœna excommunicationis cohabitarent; et ob causam contraventionis censuram promulgavit. Interrogata S. C. de hac pœna, ab ea validate matrimonii firmata, absolvendos eos esse respondit: *Venusina, Matrim.*, 3 *octob.* 1716, *dub.* 2.

37. Curia episcopalis non solum Josephum Jaquinto, qui matrimonium clandestinum contraxit, sed etiam ejusdem fautores, et consultores Franciscum patrem, ac canonicum Roccum priorem patruum in censuras a synodo diœcesano intentatas incurrisse opinatur. Ii vero ignorantiam allegarunt eorum juramento; et S. C. appellarunt, quæ non incurrisse censuras censuit, addiditque, ut Episcopus ad alias pœnas, prout de jure, procedat: *Casertana, Censur., et Irregular.*, 11 *sept.* 1717, *dub.* 1.

38. Sacerdos Joannes Turi Dominicum Bofanum subdiaconum vulneravit. Eum proinde Episcopus Caputaquei excommunicatum denunciavit. Sed quum ille subditus abbati Cavensi esset, idem abbas institit in S. C. quoad validitatem censuræ, et decisum fuit censuram esse nullam, et ut Episcopus ex integro procedat; quamquam ipse Episcopus presbyterum Joannem percussisse subdiaconum in loco, qui dicitur *lo Vigillito*, qui est haud dubie suæ jurisdictioni subjectus, dictitaret: *Caven., seu Caputaquen., Jurisdict.*, 23 *aug.* 1721.

39. Canonicus Joan. Baptista Palazzescus canonicum Pompilium Giannellium ignea ballista explosa sauciaverat in femore. Obiit ille ex illa plaga, et reus arripuit fugam, condemnatus ab Episcopo ad quinquennalem relegationem, et excommunicatus. Curia metropolitana relegationem in exilium commutavit. Mulieres nonnullæ deposuerant primum malitiosum fuisse homicidium, et postea eamdem fidem retractarunt. Verum publica vox, et fama eum homicidii reum renunciabant. Petiit hinc dispensari, et non obtinuit; modo petit, num sustineantur censuræ, et easdem validas S. C. judicavit: *Cajacen., Irregular., et censurar.*, 23 *maii* 1722, *dub.* 3.

40. Archiepiscopus oratorium claustro S. Mariæ Lauretanæ ordinis Minorum S. Francisci de Paula adjectum, in quo erecta erat quædam sarcinatorum societas, visitare volens, fuit ab iisdem patribus impeditus. At Archiepiscopus eos suspendit, excommunicavit, interdixitque. Controversia proinde facta est tam super jure visitandi, quam super harum censurarum validitate. Sed neutrum fuit ad definitionem deductum. Suspensæ vero hæ fuerunt censuræ usque ad exitum causæ, amotis interim cedulonibus: *Consentina, Visitat., et Censur.*, 19 *sept.* 1722, *dub.* 1 et 2.

41. Quum monachi Olivetani monasterii SS. Nicolai, et Cataldi sese opposuissent visitationi pastorali ecclesiæ ruralis in loco Galliani positæ sub obtentu exemptionis dictæ ecclesiæ, et pertinentiæ ad suum monasterium, et nonnulli conversi vi illata visitatores ab ecclesia expulissent; curia episcopalis percussores excommunicatos vitandos declaravit. S. C., cui res nunciata fuit, posse Episcopum jure delegato illam ecclesiam visitare, censuras haud sustineri judicium fecit: *Lycien. Visit., et Censur.*, 23 *junii* 1725, *dub.* 2.

42. In sacerdotem Joan. Andream Sacajonium officialem rationarium ecclesiæ cathedralis tanta violentia irruit Franciscus Maria Sigue canonicus Turritanus, ut ille sanguinem ex ore exspuit. Institit hinc in S. C., quæ respondit primum ut vicarius generalis, quatenus opus esset auctoritate etiam ejusdem S. C. declararet canonicum illum excommunicatum, et ab omnibus vitandum, necnon irregularem, addendo ad mentem [465]. Ad Urbem canonicus accessit, exquirens, num standum, vel recedendum esset a decisis? S. C. vero respondit in censuras incurrisse, et dari facultatem vicario generali absolvendi inspecta remissione partis, et ad mentem: *Turritana*, 30 *martii* 1726.

43. Quum vicarius generalis terræ Fasani, quæ dicitur *nullius*, subdelegatus per apostolicum visitatorem dictæ terræ ab Episcopo Poliniani, a S. C. electo ad visitandas ecclesias B. M. de Rosario, et S. M. de Madia erectas in loco nuncupato *Torre*

[465] Quæ fuit, ut scriberetur vicario, ut quatenus instaret pro absolutione, eum absolveret ab excommunicatione, satisfactis parte, et fisco: *Ead. causa*, 30 martii 1726, § 3.

spaccata, qui Episcopo monopolitano subjectus putatur, visitationem causa oppositionis fieri non valuisset, imo in conflictu pectus sacerdotis cujusdam Fasani ignea ballista percussum fuisset; opositores excommunicatos, imo percussorem in excommunicationem Summo Pontifici reservatam incidisse demonstravit. Consulta S. C. censuras hasce non sustineri censuit; et mandat ut Episcopus monopolitanus prout de jure in percussorem procedat: *Monopolitana*, 20 *sept.* 1727, *dub.* 2.

44. Quoad electionem officialium societatis Sanctissimi Crucifixi, olim S. Mariæ pietatis Belvederii Episcopus jus sibi devolutum esse propter sodalium negligentiam minime dubitabat, dictamque electionem explevit, et sodales vero ad aliam devenerunt, quæ sub pœna excommunicationis ab Episcopo vetita ipsis fuerat. Curia episcopalis vadimonium ad dicendum causam quare excommunicari non deberent, ei constituit, ac inde sodales, postquam appellationem interposuerant, excommunicatos pronunciavit. Dissidium relatum ad S. C., rescriptum prodiit haud censuras sustineri: *Sancti Marci*, 13 *april.* 1726, *dub.* 3.

45. Johanna Lambucci parochiæ ecclesiæ collegiatæ S. Mariæ in plano terræ Montellæ sibi sepulcrum in ecclesia patrum reformatorum S. Francisci elegit. Patres in ea hora, qua capitulum divino officio in choro incumbebat, post sex tantum a morte elapsas horas, ad eorum ecclesiam cadaver non monito capitulo detulerunt contra immemorabilem illius terræ consuetudinem, et contra mandatum vicarii generalis, quod in itinere supervenit, conceptum ne, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, cadaver e finibus parochiæ amoverent. Trinam deinde monitionem patres sprevere, et numquam in curia comparuere, ob id excommunicati denunciati fuerunt. Quæsito igitur, num licitum patri guardiano fuerit non obstante Episcopi inhibitione deferre cadaver; et num proinde censuræ sustineantur? S. C. responsum edidit, ut suspensis censuris, patres in posterum a similibus se abstineant: *Nuscana, Funeris*, 14 *januar.* 1730.

46. Franciscus Corradus Bomezshome canonicus ecclesiæ collegiatæ Aquensis coram Nuntio Coloniæ exposuit Willelmum Moers seniorem canonicum violentas manus in eum injecisse. E contra canonicus Moers asseruit, quod ille leva manu in pectore eum repellendo invadit, et pugnis contundit, humique evertit, qui a terra surgens, baculo, quem ratione ætatis deferebat, cedere comminatus est tantum. Curia nuntiaturæ absolvit canonicum Moers, et ad expensas omnes condemnavit alterum. Ob id S. C. consulta, an canonicus Moers in pœnas canonicas *Si quis suadente* [466] incurrerit? negative relatum est responsum: *Leodien., seu Nullius, Censur.*, 16 *decem.* 1739, *dub.* 1.

47. Censura excommunicationis ab Episcopo lata contra rectorem, qui vocatur *guardiano* cœnobii fratrum minorum conventualium oppidi S. Felicis visitationi ecclesiæ propriæ contradicentem clausis foribus, quæ nec etiam pluries monitus aperire voluit, sustinetur: licet idem rector contendat eo animo fuisse Episcopum non solum altaria ratione societatum ibidem institutarum, sed ecclesiam quoque visitare: *Nurana, Visit.*, 21 *junii* 1732, *dub.* 1.

48. Pœnam ipso facto incurrendam, excommunicationis nempe in clericos, et constitutos in sacris Ordinibus, sub qua emptio codicis constitutionum synodalium soluto pretio carolenorum quinque demandata fuit, ratam haud S. C. habuit: *Larinen., Decret. synod.*, 30 *aug.* 1732, *dub.* 12.

49. Quidam parochus ecclesiæ suæ servitio clericum minorem Josephum Malet Hispanum addictum habebat, hic ei famulatus operam navare renuens in capite semel, iterumque percussus a parocho fuit, contumeliisque vexatus; altera autem die adhuc clerico voluntati parochi adversante post plura convicia primum pugnis contudit, deinde baculo eum verberavit. Perpensum fuit in S. C. excommunicationis dubium. Aiebat parochus eum ad corrigendum cædisse. Clericus, qui adhuc illi famulabatur, deposuit a dicto parocho tanquam ejus patre, et magistro fuisse verberatum. S. C. tamen parochum excommunicatum esse decidit: *Callien.*, 16 *maii* 1733.

50. Pater Joseph Neccus prior conventus Carmelitarum, et Angelus Maria Alegrantia ædituus detrectantes solvere quartam funerum parochis portionariis S. Carpophori auctoritate S. C. debitam, eo quod isti medietatem candelarum et intortitiorum, quæ in parochiali ecclesia accensa erant, pariter tradere abnuebant, fuerunt a vicario civili archiepiscopalis curiæ censuris innodati. Vicario a patribus in suspicione posito, omnia acta nullitatis illi arguunt; hac de causa in occulto latet censurarum validitas, et sic S. C. aperuit, consignato deposito, esse absolvendos ad cautelam: *Mediolanen., Censur.*, 14 *decem.* 1734. Tradito revera deposito, plane credebant patres, censuras neutiquam sustineri posse, et petierunt iterum audiri, sed confirmatum fuit præcedens rescriptum, et dictum ad mentem [467]: 23 *april.* 1735.

51. Comminatio censuræ excommunicationis

[466] Vide not. 21, verb. *Abbas*, § IV.

[467] Commissum fuit Archiepiscopo, ut absolutionem ad cautelam impertiret « Lib. 85 *Decret.* pag. 143.

contenta in edicto diei 22 aug. 1733, arctavit sacerdotes Petrum Crognale, Petrum de Fario, Julianum Crognale, Benjaminum Virgilii, et clericum Antonium Caporale terræ Castrinovi, qui visitationi locali, et personali Archiepiscopi obstiterunt : *Lancianen., Visitat.*, 25 *sept.* 1734, *dub.* 2.

52. Quum ecclesias parochiales SS. Sixti, et Baccaritii deseruisset Dominicus Perrone curatus abbas, Neapolisque, ut in alchimiæ, lapisve philosophorum confectione laboraret, mansisset, Episcopus prævia monitione illum non redeuntem, neque sese præsentantem excommunicavit, privavitque beneficio curato, et ad omnes restituendos perceptos in sua absentia fructus damnavit. Referebat tamen abbas curam neque actualem, neque habitualem habere, et se valitudinis curandæ causa commemorari Neapolis gratis dictitabat. Postulato igitur num Episcopi sustineretur decretum illud? S. C. resolvit, ut Ordinarius procedat ex integro servatis servandis : *Consentina, Privat., et censurat.*, 1 *decem.* 1736.

53. Massarii castri Milonis Jovini officio administratorum fungentes, quod capellanum ecclesiæ S. Mariæ amoverunt, censura excommunicationis irretiti declarandi non sunt. Hanc enim pœnam Episcopus in perturbantes, capellanumque prædictum removentes intentavit. Massarii vero in possessione juris deputandi illum pariterque amovendi esse ostendunt : *Civitatis plebis*, 19 *januar.* 1737, *dub.* 3; confirmata 29 *martii* 1738.

54. Censura excommunicationis lata ab Episcopo Calium in Josephum Lana rectorem ecclesiæ parochialis S. Germani in pago *del Pizzone* jurisdictioni Archiepiscopi Capuani subjectæ, et in ejus presbyterum Franciscum Pane ob furtivam, violentamque delationem cadaveris Crescentii Leonis in locum *Arvalone* intra limites parœciæ *Ciambrisco* diœcesis Calvensis repentina morte correpti, valida non est. Erat enim in quæstione posita pertinentia illius pagi l'*Arvalone*, ejusdem idcirco Episcopi Calium ordinaria jurisdictio : *Capuana, seu Calven., Jurisdict.*, 7 *sept.* 1737, *dub.* 2.

55. Necnon decretum seu sententia Archiepiscopi Capuani, in qua censuras illas non afficere prædictos declaravit, ac contra contumeliosos in suam jurisdictionem excommunicationem denunciandam post oraculum S. C. Episcoporum, et regularium reservavit ex capite nullitatis non sustineri S. C. statuit : *Ibid., dub.* 3.

56. Occasione dissidii super deputatione œconomi ad ecclesiam parochialem vacantem S. Eulaliæ de Villadonia, quam ad seipsum spectare autumabat prior monasterii S. Mariæ de Rivipullo ratione unionis sui monasterii, idem prior mandatum expedivit contra œconomum ab Episcopo deputatum sub pœna excommunicationis, ut coram ipso causa deputationis reportandæ se præsentaret. Episcopus e contra læsam suam jurisdictionem putavit, jussitque, ut prior mandatum revocaret, alioquin in sua curia ad videndum se declarari incurrisse censuras per sacros canones impositas contra perturbatores ecclesiasticæ jurisdictionis sisteret. Sed prior ministrum ab Episcopo missum abbatialibus carceribus mancipavit. Eum propterea Episcopus incurrisse in censuras significavit, ac Episcopum in locis publicis Rivipulli prior excommunicatum vitandum denunciavit. De harum validitate S. C. consulta, respondit censuras latas ab Episcopo, non a priore sustineri : *Vicen. seu Rivipullen., Jurisdict.*, 23 *aug.* 1738, *dub.* 2.

57. Quum fuisset a vicario generali Cortonensi suspensus a divinis, excommunicatus, ac irregularis pronunciatus Vincentius Amalphitanus ecclesiæ cathedralis coadjutor canonicus, quod in privilegio festi Sanctissimi Corporis Christi, et insequenti die functionibus interesse noluit, necnon coram illo sistere ad causam dicendam non curavit S. C. (ad quam res rejecta fuit) putat illas non sustineri, mandatque, ut scribatur Episcopo pro abrogatione pœnæ suspensionis contentæ in constitutione synodali, et provideat ad formam Concilii [468]. Probavit enim prædictus canonicus illo tempore ab affectionibus ex rheumatismo eum ita fuisse vexatum, ut absque vitæ discrimine interesse officiis divinis, supplicationi non valeret, et curia episcopalis e contra censurarum validitatem tueri conatur quod canonicus eo die Missam in alia commodiori ecclesia celebravit : *Cortonen., Censur.*, 28 *januar.* 1741.

58. Excommunicatio relaxata in Ubaldum Paulinum secretarium communitatis oppidi Maceratæ non sustinetur. Hic etiamsi intra triduum personaliter ad exhibendos libros consiliorum, ac congregationum ut partitæ extrahantur pro asserta electione concionatoris tempore adventus, juxta præceptum non comparuerit, tamen libros ab antecessore a secretis servari exposuit, et exequutionem cunctari rogavit : *Firmana, Concionatoris*, 2 *aug.* 1742, *dub.* 5.

59. Excommunicatio ab Episcopo urbis veteris lata adversus Josephum Zampium rectorem hospitalis S. Mariæ de Stella valida non est. Hic enim rejecit Lazzarinium ordinis Servorum B. M. ab Episcopo in confessarium extraordinarium electum

[468] Nempe Sess. 21, cap. 3, sess. 22, cap. 3, *de Reform.* in quibus pœna amissionum distributionum absentibus statuitur.

in favorem puellarum, quæ in dicto hospitali aluntur; quia idem confessarius doctrinam christianam ipsis exponere volebat, quod onus in ipsa deputatione non recensetur; ideoque Episcopus rectorem perturbatorem ordinariæ jurisdictionis judicavit, ac absque trina monitione censuras relaxavit: *Urbevetana, Censurar.*, 28 *martii* 1744.

60. Horatius Rostagnius suspectum habens famosi cujusdam carminis sacerdotem Petrum Mariam Secundum Sinesium, et ira tumens quærebat illum per oppidum Mentoni, in quo invenit. Minis, conviciis primum, deinde apprehenso pectore fuste eum percussit. Rem ex mandato Episcopi vicarius foraneus cognovit, processuque confecto, ac examinatis testibus excommunicatum absque citatione declaravit, publicavitque. Appellavit a fidelium communione sejunctus S. C., quæ non sustineri censuram judicio decrevit, necnon, ut Episcopus ex integro procedat, jussit: *Albintimilien.*, *Censur.*, 18 *junii* 1746.

61. Liberator Piccirillus baro castri Guardiæ Brunæ non solum prædia ecclesiastica invasit, verum terminos amovit, fines disturbavit, ut signa dominii ecclesiæ delerentur, nullumque remaneret vestigium; procuratorem parochi illius obluctantem convertit in fugam; peculium tandem, omne frumentum, et quidquid æris, fructumque, et animalium supererat, occupavit; nudam ecclesiam, et lugentem parochum super desolata sua sponsa reliquit, qui victum, stipemque quæritabat. Episcopus de his omnibus certior factus, baronem opilionem antea anathematis fulmine rite percussit, appellavit tamen hic bonorum prædo ad S. C., quæ non constare de nullitate sententiæ declaratoriæ excommunicationis edixit: *Triventina, Censur.*, 28 *januar.* 1747.

62. Excommunicationis pœna ab Episcopo intentata ac relaxata in Cajetanum Fenoglia, nisi in suo privato oratorio a Missæ celebratione desisteret, et infra sex horas supellectiles sacras cum petra sacrata vicario generali traderet, non sustineri S. C. dijudicavit. Nam nulla aderat causa hujusce præcepti, imo Episcopus familiæ infensus erat necnon Cajetanus appellationem, quæ ab Episcopo spreta fuit, intra terminum injunctum interposuerat: *Albintimilien.*, *Suspens. orat. et censur.*, 20 *maii* 1747, *dub.* 2.

63. Patres conventuales S. Francisci Castrivillarum quum non valuissent ab Episcopo obtinere, ut pœnam censurarum in lædentem prædia monasterii infligeret, funebri sonitu sacrorum ærium in hora secunda noctis populum contristare, et illius quietem pertubare, et offensioni esse non destiterunt. Monuit eos Episcopus sub pœna interdicti, sed ab hac monitione patres appellarunt. Ecclesia vero interdicta fuit, patresque excommunicati fuerunt declarati. Res nunciata est S. C.; judicium fuit excommunicationis censuram non sustineri addendo ad mentem [469], quum jam interdictum esse nullum firmaverit. Nam prædicti patres, ex defectu jurisdictionis, ordinis judiciarii, et justæ causæ nullitatem censurarum redarguerant: *Cassanen. Censur.*, 7 *aug.* 1745, *dub.* 2.

64. Quum Joan. Baptista Borsani, et Carolus Lombardinius Burgi Glareæ præceptum paschale in ecclesia collegiata, et parochiali oppidi Piceleonis, et non in adjutrici ecclesia SS. Sebastiani, et Rocchi implevissent, a curia episcopali fuerunt excommunicati. Nullas hi modo postulant declarari latas ab Episcopo censuras. Sed quum ab altera super laudo ab eodem Episcopo de juribus capellani curati ecclesiæ SS. Sebastiani, et Rocchi, edito originem duceret, et illa resoluta non fuit, sic etiam hanc protendit S. C., ut audiatur novus Episcopus, suspensis interim censuris: *Cremonen.*, *Laudi, et Nullit. cens.*, 6 *decem.* 1749, *dub.* 2.

65. Excommunicationem a convisitatoribus Episcopi Nolæ visitationem justis ex causis per se explere non valentis contra parochum Thomam Antonium de Cortone prohibentem illam sacram delegatam visitationem, fulminatam sustinendam esse S. C. putavit: *Nolana*, 20 *junii* 1750, *dub.* 2; confirmata 11 *martii* 1752, *dub.* 1.

66. Censura excommunicationis ab Episcopo Minorensi lata contra canonicum Palumbum, qui appellationem ab Ordinario tempore habili interposuit, nulla fuit a S. C. indicta. Nam etiam acta ab Ordinarii curia patrata attentata judicata, ac circumscripta jam fuerant: *Minoren.*, *seu Amalphitana, Censur.*, 11 *julii* 1750, *dub.* 3.

67. Quum Petrus Rivera de Quiroga parochus S. Juliani de la Vega, et S. Mariæ de Rubin ob multam senectutem inhabilis videretur suo obeundo muneri, vicarius generalis, seu provisor Lucensis jussit, ut vicarium curatum nominaret, qui vices sui gereret. Ac vicarius spreta nominatione duorum sacerdotum a parocho facta sacerdotem Josephum Puneiro deputavit. Ad curiam metropolitanam Compostellæ parochus provocavit, et obtinuit litteras citatoriales; sed provisor nullum edidit decretum, nec appellationem rejecit, mandavitque vero, ut parochus in urbe Lucensi sisteret, et continuo promotor fiscalis illum de criminibus carnis accusavit, eamdemque urbem loco carceris constituit.

[469] Et mens est, ut patres conventuales petant veniam ab Episcopo, et removeatur guardianus, et pro exequutione ad Card. præfectum cum procuratore generali: *Ead. causa*, 7 aug. 1745.

Dum testes criminum perquirerentur, opem imploravit denuo parochus a curia metropolitana, quæ ei favit, et sub pœna excommunicationis redintegrationem parochi provisori injunxit, qui tamen plura eidem parocho minatus est, domusque, et bona, ut venundarentur, curavit; ob hanc causam eadem curia excommunicatum provisorem pronunciavit, sed ille latitans, et jubens cedulones avelli, personaliter citari non potuit, et interim sacra egit, choro intervenit, nec absolutionem petiit. Interim curia metropolitana in jus vocavit eum coram auditore Sanctissimi qui ad S. C. rem remisit. Hæc censuras non sustineri, nec locum esse novæ censurarum declaratoriæ sancivit; sed provisor moneatur juxta mentem : *Compostellana, seu Lucen., Censur.* 24 *april.* 1751, *dub.* 1 et 2.

68. Joseph Narduccius prior ecclesiæ parochialis castri S. Restitutæ querimoniis sacerdotis Francisci Bernardini provocatus eum conviciis sectavit, manibusque offendit, sive percussit aut in venarum pulsu, aut brachio, non enim testes conveniunt; incertumque est, an animo lædendi, aut naturaliter gesticulando id fecerit. Nunciavit tamen ei vicarius generalis in censuram excommunicationis incidisse; sed S. C. consilio requisito, an incurrerit in censuras canonis *Si quis suadente* [470], non constare judicium interposuit : *Tudertina, Censurar., et Irregular.*, 19 *aug.* 1752, *dub.* 1.

69. Sententia excommunicationis lata per curiam episcopalem contra mulierem Catharinam Angelam Generali uxorem Joan. Pauli Bastiani, quod intra præfinitum tempus ad obsequia viri non rediisset, quum mulier postulasset, an sustineantur? S. C. respondit primum : Dilata, et ad mentem [471]. *Pientina, seu Montis Politiani, Separat. thori*, 21 *maii* 1757. Mulier enim abnuerat, metuens ne post eversam rem omnem familiarem, et dotem, etiam bona extradotalia, quæ sita erant in territorio Montis Politiani, ubi vir lares transtulerat, distraheret. Vir autem rediit in terram Montis Chisii suam mulierem petens, quæ ob sævitias ejusdem, honorem læsum, gravissimasque exortas inimicitias separationem imploravit, quam S. C. denegavit, et etiam sententiam excommunicationis latam sustinendam censuit : 2 *decem.* 1758.

70. Archidiaconus ecclesiæ cathedralis, qui prima dignitas est, primam tenet sedem, neque loco cedit hebdomadario parato in vesperis. Inde de Episcopi ordine canonico hebdomadario celebranti primus locus fuit constitutus, ac Episcopus archidiacono Boncompagni obtrectanti præcepit, ut locum hebdomadario parato relinqueret. Venit dies festus, et archidiaconus suam sedem servavit. Egressus e sacrario hebdomadarius canonicus sacris vestibus indutus irrupit in sedem archidiaconalem, et stetit medius inter genuflexorium, et archidiaconum licet arcto loco, ut humeris suis pectus, ventremque illius premeret ac inde sedit super archidiaconi genua; ambigitur ob id, an canonicus hebdomadarius in censuras excommunicationis a canone latæ inciderit? S. C. respondit, ut canonicus Joseph Papinius consulat suæ conscientiæ, et petita venia in publico choro Archidiacono expleat exercitia spiritualia per quindecim dies in aliqua religiosa domo ab Episcopo designanda, qui S. C. de exequutione certiorem faciat : *Balneoregien., Censurar.*, 17 *sept.* 1757.

71. Edictum ab Episcopo Anglonensi latum die 12 martii 1753, in quo Episcopus nullam, irritam, attentatam deputationem in vicarium capitularem in favorem abbatis Brunetti a monachis monasterii S. Eliæ ordinis S. Basilii oppidi Carbonis factam Episcopus pronunciavit, et monachos in excommunicationem latæ sententiæ incurrisse, cujus absolutio soli Pontifici est reservata, declaravit, indixitque sub eadem pœna sibi reservata, ut ab exercitio vicarii capitularis cessaret, nullosque præterquam in monachos jurisdictionis actus gereret, validum S. C. agnovit : *Anglonen., Juris deput. vicar. capit.* 1 *sept.* 1753, *dub.* 2.

72. In excommunicationis pœnam ab Episcopo Vilnæ intentatam incidisse parochum Olkoviensem, qui cadaver Constantiæ Volodkoviesz contra episcopale præceptum in sua ecclesia tumulavit una cum prædefuncto illius viro, licet sibi Constantia sepulcrum in ecclesia PP. Carmelitarum conventus Olkoviensis præelegisset, S. C. judicium fecit : *Vilnen. Sepult.*, 15 *decem.* 1792, *dub.* 2.

Excommunicatio quoad absolutionem. Vide *Absolutio*, § iv.

Exemptio. Vide *Abbatia, Clerici*, § i; *Episcopus*, § vii, viii et ix; *Hospitale*, § ii; *Monasterium monialium*, § iv; *Quarta funerea*, § i; *Regularium monasterium*, § iii; *Seminarium*, § vii.

[470] Vide not. 21, Verb. *Abbas*, § IV.

[471] Quæ fuit, ut transmittantur acta curiæ Pientinæ, et scribatur Nuntio apostolico, et Episcopis Pientino, et montis Politiani, et interim coadjuventur probationes super prætensis sævitiis. *Ead. causa*, 14 januar. 1758.

EXEQUUTIO.

1. Quoad dignitatem archipresbyteratus ecclesiæ cathedralis, ea quæ injuncta fuerunt per S. C., quum minime fuisse exequuta narraretur, mandatur Episcopo, eodem capitulo legitime audito, et novo constituto termino eo elapso prout juris fuerit antedictas litteras exequi : *Adjacen.*, 8 *febr.* 1659.

2. Occasione controversiæ inter capitulares, et presbyteros participantes ecclesiæ cathedralis excitatæ super Missa conventuali, ac rationum redditione S. C. judicium petitum fuit, quid præterea demandandum sit pro exacta decretorum, quæ emanarunt diebus 24 sept. 1712, et 10 martii 1713, exequutione, ac implemento? uti suo jure rescripsit : *Squillacen.*, *Attentat.*, *et Missæ convent.*, 17 *maii* 1714, *dub.* 3.

3. Abbas monasterii S. Mariæ Rivipulli studens consulere indemnitati parochialis ecclesiæ S. Petri cui grave detrimentum obvenire autumabat ex improvida gubernatione nonnullorum ex presbyteris societatis inibi erectæ administratorum nomen sibi assumentium die 22 martii 1732 obtinuit a S. C. delegari Archiepiscopo Tarraconensi facultatem condendi decreta, quibus opportunum pararetur remedium, quæ esse exequenda sine præjudicio jurium pendentium in Rota [472] sancitur : *Vicen.*, 18 *julii* 1735, *dub.* 1.

4. Post judiciariam disceptationem fœderis matrimonii inter comitem Joannem de Sollohub magni ducatus Lithuaniæ thesaurarium, et comitissam Constantiam de Kryszpin dicti ducatus vexilliferam initi vicarius generalis consistorii Vilnensis tulit sententiam super controversi matrimonii nullitate. Inde comitissa in quadam syngrapha sponsionem emisit a sponso confirmata, de se non provocando a sententia consistorii prædicti sub vadio centum millium florenorum. At quum eadem comitissa veterem postea de sui matrimonii viribus quæstionem instaurasset coram S. C., comes adversus eam egit coram judicibus laicalibus, et obtinuit ei interdici, ne amplius contra Vilnensis consistorii sententiam reclamare sibi arrogaret, et ad summam condemnari centum millium florenorum cum duplo in vim acceptæ summæ sortis ob fidem violatam, necnon ad alia 85 millia floren. pro expensis. Qua de causa comitissa S. C. exoravit, dubio exhibito, an, et in qua parte sit locus exequutioni apocæ, et quæ summa sit restituenda, vel solvenda a dicta comitissa? negativum tulit responsum : *Vilnen*, 25 *jan.* 1743 ; confirmata 16 *martii ejusd. anni.*

5. Litteras apostolicas, quas expediri fecit Cajetanus Pereira possessor dignitatis cantoratus ecclesiæ collegiatæ oppidi de Barcellos pro dispensatione a residentia, et choro, silentio servata litis pendentis penes S. C., minime esse exequendas S. C. existimavit : *Bracharen.*, 21 *junii* 1788, *dub.* 2.

Reliqua. Vide *Dispositio testamentaria*, § 1 ; *Donatio*, § 1 ; *Episcopus*, § XIV ; *Sponsalia*, § 1 ; *Synodus*, § II.

EXEQUUTIO LITTERARUM DISPENSATIONUM MATRIMONIALIUM. Vide *Dispensatio*, § X, XI et XII.

EXEQUUTOR APOSTOLICUS.

1. Ad custodiam reliquiarum ecclesiæ cathedralis Episcopus de consensu canonicorum, ut asseritur, honorifico constructo sacello, illoque duabus ferreis cratibus, duplicibusque serris munito, binis clavibus apud se retentis, aliisque binis canonico thesaurario traditis, anno proxime elapso synodali

[472] Sub die 4 febr. 1735 binæ decisiones emanarunt a sacra Rota Cor. De Viis, super jure admittendi presbyteros una super attentatis, altera super remissoria, et compulsoria. Non constare de attentatis resolutum fuit, in quibus prætendebatur abbatem prædicti monasterii incidisse excedendo fines mandatorum, et executorialium rotalium, quia ille admiserit ad confraternitatem ecclesiæ S. Petri aliquos presbyteros non versatos in cantu Gregoriano, et affigi jusserit proprio jure cedulones excommunicationis contra eamdem societatem renuentem eos crepere. Attamen sacrum tribunal instantibus presbyteris ecclesiæ S. Petri oppidi Rivipulli ad enervandam vim duarum decisionum editarum in confirmatione sententiæ rotalis decernentis spectare ad abbatem dicti monasterii jus admittendi presbyteros ad confraternitatem existentem in dicta ecclesia S. Petri, concessit remissoriam, et compulsoriam in altera decisione præfixo termino octo mensium, et cum conditione, ut resecarentur articuli respicientes merum jus veluti sunt interrogationes, an presbyteri constituant unicum, et conjunctum corpus cum hebdomadariis, et an ecclesia sit receptitia.

constitutione sancivit, ut custodiantur in dicto sacello sub duabus diversis clavibus, una per Episcopum, altera per thesaurarium retinendis. Ab hoc decreto appellationem interposuerunt canonici. Interea Fabricius Bonnicius provisus de thesauraria prætendere cœpit privative custodiam reliquiarum, et institit coram pœnitentiario exequutore deputato in litteris apostolicis. Hunc non potuisse procedi S. C. decrevit ad instantiam thesaurarii contra Episcopum pro prætensa traditione clavium ex defectu jurisdictionis : *Milevitana, Attentat.*, 28 *junii* 1704, *dub.* 1.

2. Exequutores deputati in litteris apostolicis procedere valent absque illarum exhibitione in cancellaria archiepiscopali : *Turritana*, 15 *novem.* 1704, *dub.* 2.

3. Ac Archiepiscopus contra illos procedere nequit in casu contraventionis : *Ibid.*, *dub.* 3.

4. Ac rescripta apostolica emanata contra Archiepiscopum, ejusque officiales certis exequutoribus directa non sunt exhibenda in ejus cancellaria : *Ibid.*, *dub.* 4.

5. Litteræ apostolicæ dispensationis obtentæ a Francisco Cimino, et Hieronyma Spataro sorore Victoriæ, cum qua contraxit matrimonium, super impedimento primi gradus publicæ honestatis proveniente ex sponsalibus, non sunt exequendæ. Nam agebatur de matrimonio contracto cum impubere, quod validum fuerat declaratum : *Rosanen.*, *seu Bisinianen.*, *Dispensat.*, 24 *april.* 1717, *dub.* 2.

6. Sede Ugentina viduata pastore vicarius Alexani litteras apostolicas obtinuit pro exequutione dispensationis relatæ a Dominico Valentino, et Maria de Alemano super tertio consanguinitatis gradu. Sed tempore exequutionis provisa fuit ecclesia illa Præsulis, quo audito vicarius prædictus demandavit archipresbytero terræ Salvi sponsorum parocho, ut præmissis consuetis proclamationibus eorum matrimonio assisteret. Id causa fuit litis contra vicarium a curia Ugentina promotæ. S. C. autem sancivit licentiam, seu mandatum denunciandi, atque celebrandi matrimonium spectare ad Ordinarium Ugentinum : *Ugentina, seu Alexanen., Dispensat.*, 28 *sept.* 1737.

EXERCITIUM. Vide *Administratio*, § II; *Ars aromataria*.

EXERCITIUM CURÆ ANIMARUM. Vide *Canonici*, § I; *Capellanus curatus*.

EXERCITIUM ORDINUM. Vide *Sacramentum ordinis*.

EXERCITUS VICARIUS. Vide *Capellanus* seu *Vicarius exercitus*, etc.

EXHUMATIO. Vide *Cadaver*, § II.

EXPENSÆ IN GENERE.

§ I.

Expensæ in genere.

1. In dubium vocatur, an expensæ circa refectionem campanæ majoris, et reparationem recintus cœmeterii spectet ad monachos Cassinenses, vel ad incolas parochiæ, quæ unita monasterio dictorum monachorum est? respondetur audiendos esse interesse habentes : *Cæsenaten.*, *Jurisdict.*, 23 *sept.* 1790, *dub.* 2 et 3.

2. Disquiritur, an, et ad quem spectent sumptus expeditionis litterarum apostolicarum occasione erectionis archidiaconatus ecclesiæ cathedralis Malleani? censuit expensas erectionis faciendas sumptibus hæreditatis esse : *Sabinen.*, *Erect. archid.*, 26 *novem.* 1695, *dub.* 2.

3. Post discessum societatis Sanctissimi Redemptoris ab ecclesia S. Andreæ de Valle patres Theatini non sunt condemnandi ad refectionem expensarum constructionis capellæ Sanctissimi Crucifixi in eadem ecclesia sitæ, et a confratribus peractæ, sed danda est licentia societati prædictæ eamdem capellam personis sibi benevisis vendendi : *Romanæ*, *Capellæ*, 28 *junii* 1704, *dub.* 2.

4. Quum S. C. non sustineri unionem factam ecclesiæ parochialis S. Adhœni ad ecclesiam parochialem S. Andreæ, necnon reficiendam, ac restaurandam esse illam S. Adhœni declarasset; modo quæritur, an, et quis, et pro qua rata parte teneatur ad expensas factas pro fabrica illius ecclesiæ S. Adhœni, quam perfici parœciæ incolæ acceptis mutuis pecuniis in summa ducat 587 curarunt. Et S. C. rescripsit, parochum teneri ad solutionem ducat. 40 quolibet anno a die sequutæ unionis, et quoad alios Episcopos procedat prout de jure : *Aversana*, *Dissolut. unionis*, 3 *octob.* 1705, *dub.* 1.

5. Ecclesia cathedralis ob terræ motum eversa fuit a fundamentis reædificata. Episcopus suæ familiæ stemmata gentilitia expensis fabricæ apposuit. S. C. vero locum esse illorum remotioni censuit, ac inde mandavit teneri ad expensas factas pro illis stemmatibus eos, qui ordines subscripse-

runt : *Milevitana, Insignium,* 12 *decem.* 1705, *dub.* 2, confirmata 11 *sept.* 1706, ac 29 *januar.* 1707.

6. Inter marchionem Joannem Paulum de Lupis, et marchionissam Octaviam de Rubeis conjuges dissidiis ortis a domo viri marchionissa discessit, et monasterium ingressa est. Alimentorum inde præstationem uxor intentavit, necnon expensarum refectionem. Sed S. C. distulit resolutionem, donec marchionissa ad monasterium reverteretur. Quum autem monasterium nunc illa ingressa esset, dictam petitionem integrat, et responsum tulit virum teneri ad expensas factas pro ingressu in ultimo monasterio : *Parmen., Alimen.,* 1 *decem.* 1714, confirmata 6 *junii* 1716.

7. Præter expensas in tabella descriptas officialibus societatis Disciplinatorum Roncilionis alias in eadem tabella signatas absque Ordinarii consensu facere licitum est, non autem absque sodalium Congregationis assensione : *Sutrina, Jurisdict.,* 7 *decem.* 1715. *dub.* 4.

8. Expensæ factæ ab emptore Stregapede in domibus beneficialibus eidem venditis a Carolo Martiano rectore, et ad suum beneficium spectantibus, declarata nullitate contractus emptionis, et venditionis, et redintegratione obtenta a Martiano, ab eodem refici debent juxta liquidationem ab Episcopo factam : *Ruben., Nullit. alienat.,* 28 *aug.* 1723, *dub.* 4.

9. Quoad binas dotes relictas a Nicolao collaterali in favorem puellarum miserabilium, et a communitate terræ Murri Vallium distribuendas, S. C. censuit, ut primum detraherentur expensæ, et aliqua merces ab Archiepiscopo statuenda, et solvenda administratori bonorum a communitate eligendo : *Firmana,* 22 *novem.* 1727.

10. Expensæ necessariæ pro erectione beneficiorum, seu capellaniarum, quæ ex testamento Joannis Carafini erigi debebant, faciendæ sunt ab hærede ipsius fundatoris, minime vero ab ejus legatario : *Burgi S. Domnini,* 30 *april.* 1729, *dub.* 5.

11. Translato Episcopo Lanfreschio ad ecclesiam metropolitanam Matheranensem instante capitulo cathedralis Cajetanæ, a S. C. reprobata fuit ejus dispositio, seu distributio super spolio antecessoris præsulis Jacobi Pinaque, licet assereret idem Lanfreschius hujusmodi esse Jacobi mentem. Hinc eodem instante capitulo quæsitum est, quomodo sit providendum pro expensis, ac salariis, solutis? « Ad Episcopum prout de jure » rescriptum est : *Cajetana, Spolii,* 19 *novem.* 1740, *dub.* 3.

12. Petrus Franciscus Nardius canonicus ecclesiæ cathedralis testamento jussit, ut altera dignitas in ea ecclesia archipresbyteratus nomine erigeretur datis nonnullis prædiis. Nominatus a Nardio erectionem urgebat, eam autem detrectabat exequutor testamento datus, fructusque ante erectionem ad hæreditatem pertinere intendebat, et suis propterea haud esse faciendas erectionis archipresbyteratus expensas autumabat. Verum proposito dubio, a quonam fieri deberent hujusmodi expensæ? S. C. placuit respondere faciendas esse sumptibus hæreditatis comprehenso etiam stallo, et scribi Episcopo juxta instructionem [473] : *Tolentina, Erect. archipresbyt.,* 5 *decem.* 1744, *dub.* 1.

13. Monasterium Marien-Munster ordinis Cisterciensis occasione interventus et præsidentiæ electionibus abbatissarum, et redditionis rationis bonorum, nec non explorationis voluntatis puellarum admittendarum tam ad habitum, quam ad professionem, ad aliquam expensam pro ministris curiæ episcopalis Wormatiæ, sive ex quocumque alio titulo, minime teneri S. C. firmavit : *Wormatien., Jurisd.,* 9 *julii* 1746, *dub.* 5, confirmata 17 *sept. ejusd. anni, dub.* 1.

14. Episcopus Policastri non tenetur ad expensas, et interesse ob suspensionem latam contra Eugenium Imbellonum sacerdotem ecclesiæ S. Jacobi oppidi Laureæ ; licet S. C. invaliditatem censuræ ejusdem declaraverit : *Policastren., Nullit. suspens.,* 15 *april.* 1747, *dub.* 2.

15. Ad expensas, et interesse tenetur Archiepiscopus Sipontinus, qui absque præcedenti citatione, ac legitima causa suspensionem a divinis inflixit adversus Josephum Valentem canonicum pœnitentiarium, et vicarium curatum cathedralis ecclesiæ, eumque removit ab exercitio curæ. Nam morbo detinebatur, quando obiit miles stationarius arcis Sipontinæ sine sacerdotis ope, et absque ecclesiasticis sacramentis : *Sipontina, Nullit. suspens.,* 11 *maii* 1748, *dub.* 2.

16. Quum quæsitum fuisset, an ad expensas factas pro introductione piarum mulierum ad ministrandum, et inserviendum in hospitali in civitate Melaucenæ teneretur idem hospitale, seu potius communitas, seu deputati? responsum est, ad mentem [474] : *Vasionen., Jurisdict.,* 11 *aug.* 1753, *dub.* 8.

[473] Nempe, ut Episcopus super faciem loci adhibito consilio peritorum tantum alium exquirat, et S. C. suggerat modum, quo stallum prædictum sine deformitate, et minori, qua poterit impensa, confici queat. *Regist. Lit.* lib. 29, die 5 decem. 1744.

[474] Mens est, ut quatenus communitas acquiescat, reficerentur expensæ factæ ab eadem communitate pro introductione mulierum in hospitali, sin minus teneatur communitas, vel ejus deputatus : Lib. 103 *Decret.* pag. 340.

17. Ecclesia S. Salvatoris de Oriolo in cathedralem erecta est. Episcopus capitulo mandavit ordinum susceptionem, aliaque onera. Sed canonici non paruerunt, hinc lis est agitata in S. C., ad quam Episcopus auditus scripturas omnes tam ab ædituo secunda dignitate, quam a duobus canonicis in episcopali audientia editas una cum litteris suis transmisit. Et ipse curavit sua pecunia ex hispano sermone plura in italicam linguam convertere, animo impensam repetendi. Lis fuit absoluta in favorem Episcopi decreti. Deinde efflagitatum fuit, quis teneatur reficere expensas translationis, et traductionis scripturarum? ab ædituo esse reficiendas arbitrata est : *Oriolen.*, 7 *febr.* 1756, confirmata 28 *aug. ejusd. anni.*

18. Bona vendi, et nonnulla legata pia præstari jusserunt sorores Zitelliæ. Reliquum pretium in decore, ornatuque ecclesiæ B. M. V. de Carmelo Suessæ impendi voluerunt. Carmelitæ patres putantes in eorum favorem exaratam fuisse a dictis sororibus quamdam donationem, sententiam a laicali curia retulerunt, qua bona testatricibus vendi jussa conventui eorum adjudicarentur, et in possessionem iidem patres mitterentur. Quum autem S. C. edixisset non esse locum dictæ applicationi, sed venditioni, quam sorores exoptaverant; egerunt patres pro redintegratione de expensis, quas fecerant pro quodam ecclesiæ muro ædificando. Et obtinuerunt, ut sequuta bonorum venditione, et impletis oneribus pro expensis ultimo factis in beneficium ecclesiæ, reintegrarentur in ducatis 100: *Suessana*, 20 *novem.* 1756, *dub.* 2.

19. Juxta canonici Joannis Savinii testamentum erectum fuit beneficium, et institutus fuit canonicus Sardonius primus ab illo nominatus data eidem possessione bonorum. Sed fratres Savinii Senenses, qui ex antiquo fideicommisso jus in illis bonis habere putabant, proposuerunt querelam nullitatis erectionis, et institutionis ob non servatam formam publicæ affixionis edictorum. Exequutores sanationem litteris apostolicis obtinuerunt. Fratres Savinii ex fideicommisso egerunt, et succubuerunt. Finitis litibus Raymundus Rolius exequutor petiit, ut reficerentur impensæ quas ipse fecerat ab hæreditate testatoris, inter quas illæ erant litterarum apostolicarum. Hinc S. C. rescripsit, expensas bullarum beneficii reficiendas esse per hæreditatem : *Aquipendien.*, *Expensarum*, 23 *sept.* 1758.

20. Anna Ricci ab Episcopo Beneventano collocata in conservatorio Sanctissimæ Annuntiatæ fugam arripuit, seque recepit in civitate Neapolis apud advocatum Thomam Simonetti, ut inde matrimonium contraheret cum Vincentio Re Neapoli degente; inde vero ab eodem Simonetti posita fuit in conservatorium Neapolitanum ; ambiguum igitur fuit, an expensæ pro collocatione prædicta solvi deberent a patre Annæ? et rescriptum affirmativum juxta modum [475] prodiit : *Beneventana*, *Matrimonii*, 20 *sept.* 1760, *dub.* 4.

21. Rescissis sponsalibus inter Ludovicam Alaleonam, et Joannem Baptistam Corvi initis ob detectam viri paupertatem, clam erat, an sint reficiendæ expensæ? et S. C. utique respondit esse reficiendas illas factas intuitu matrimonii juxta liquidationem faciendam ab Card. præfecto : *Maceraten.*, *seu Asculana*, *Sponsalium*, 28 *aug.* 1773, *dub.* 4.

22. Imminutas ita reperiit capellaniæ ab Aloysio Pantalupi in altari S. Catharinæ V. et M. in ecclesia S. Petronii Castri Bononiensis fundatæ sortes, ejusque fructus, ut oneris Missarum reductionem obtinuerit sacerdos Paulus Naldius. Summam præterea scut. 81, pro domus capellani, et viæ constructione eamdem superiorum jussu impendit Alia nunc scuta 50 supersunt pro necessaria domus ulteriori reparatione eroganda. Postulavit ille suspensionem Missarum pro redintegratione expensarum, et non obtinuit Postulat nunc, an, et quomodo sit providendum pro aliis expensis necessariis pro totali reparatione ejusdem domus? et nequaquam obtinuit : *Iuriolen , Reduct. et suspens. onerum Miss.*, 14 *febr.* 1778, *dub* 4.

23. Adductum quum esset, an, et omnes, singulique canonici collegiatæ ecclesiæ S. Michaelis teneantur contribuere pro expensis utensilium parochialium, seu ad dictas expensas teneantur solummodo prior, et sub-prior animarum curam habentes? respondetur, affirmative ; ita tamen, ut unusquisque contribuat pro rata parte suæ congruæ : *Firmana*, 6 *sept.* 1783, *dub.* 3.

24. Et ad alterum dubium, an, et qui onus habent expensarum pro exequutione rescripti S. C. editi diei 17 aug. anni 1779, quoad remotionem, et expurgationem sepulchrorum? affirmativum datum est responsum, ut ad proximum : *Ibid. dub.* 4.

25. Quum Episcopus Balneoregii ecclesiam cathedralem fatiscentem invenisset, et illius instaurationem aggredi voluisset, oportuit ornamenta omnia, et basem ipsam altaris majoris S. Bonaventuræ, ac gentilitium stemma familiæ Vittori a suo loco movere, ut opus perfici posset. Completis instaurationibus, Joannes Baptista Vittori, cujus pater Nicolaus instrumento onus sibi sumpsit conficiendi propriis sumptibus altare majus, quin de legato 100 scut., et de pecuniis a capitulo cumulatis aliquid perciperet,

[475] Nempe pro summa, quæ solvi debuisset pro victu, et vestibus in conservatorio Beneventano, et ad gubernatorem Beneventi pro liquidatione, et exequutione : *Ead. caus.* 20 sep. 1760, dub. 4.

dicti altaris patronus petiit, ut propriis Episcopi expensis altare majus, et suæ familiæ stemma in pristinum locum collocaretur; sed S. C. ejus petitioni non est assensa : *Balneoregien.*, 29 *novem.* 1783, *dub.* 1.

26. A fructibus hæreditariis pio canonico Jacobo Ghilini capitulo cathedralis ecclesiæ relictis præter litium expensas, separandas quoque esse impensas instrumentorum, taxarum archivi, visitatorum, et ratiocinatoris, S. C. firmavit : *Alexandrina*, 10 *decem.* 1785, *dub.* 7.

27. Quum hæreditas Laurentii Marisi, qui canonicatum, et tres mansionariatus in collegiata ecclesia terræ S. Joannis in Persiceto erigi jusserat, reperta esset impar huic oneri; confecta est transactio, quam S. C. confirmavit. Inde postulatio facta est, a quibusnam essent subeundæ expensæ pro absolvenda illa transactione, ac obtinenda voluntatis commutatione usque ad planam illius exequutionem. Respondendum S. eadem C. censuit, expensas omnes subeundas ex fructibus elapsis, et deinde a beneficiis erigendis, prout de jure : *Bononien., Commutat. volunt., et Transact.*, 17 *junii* 1786, *dub.* 2, confirmata, 18 *april.* 1787.

28. Duplex in ecclesia cathedrali adest patrimonium, capituli unum, fabricæ alterum. At canonicis utroque promiscue utentibus, in dubitationem venit ejus destinatio. Sed fuit resolutum non licere canonicis, et capitulo ex pecuniis, seu reditibus fabricæ ejusdem ecclesiæ conficere sumptus rerum, quæ spectant ad capitulum, et ipsius ecclesiam, et fabricam non tangunt, sed fieri debere ex reditibus ipsius capituli, et canonicorum jussum fuit : *Asculana*, 12 *julii* 1788, *dub.* 1, confirmata 7 *febr.* 1789.

29. Disceptatum etiam fuit, an constare, quod canonici, et capitulum prædictum ex pecuniis, seu reditibus ecclesiæ, vel fabricæ ejusdem ecclesiæ confecerint expensas, quæ spectant ad ipsum capitulum, et non attingunt interesse ipsius ecclesiæ, seu fabricæ, et capta fuit resolutio, ut ab Episcopo præfigeretur terminus canonicis ad reddendam rationem coram eodem : *Ibid.*, *dub.* 2, confirmatum et additum juxta modum [476], *ibid.*

30. Bona simplicis beneficii S. Angeli in ecclesia S. Margaritæ villæ Maltignani fundati in emphyteusim ad tertiam generationem masculinam concedendi facultatem obtinuit beneficiatus Julius Nuvoletti, et contractus deliberatus fuit in favorem Hieronymi Ercoli pro summa scut. 17 annua. Sed in eodem contractu cautum haud fuit de bullæ expensis solvendis; etsi beneficiatus protestatus sit in supplici primo libello, *che l'Enfiteuta debba soccombere a tutte le spese necessarie.* Res examinanda in S. C. proponitur, quæ respondit litteras apostolicas esse exequendas sumptibus utriusque pro medietate; nam contractus utilis fuit beneficiato, et deliberatario : *Spoletana, Emphyt.*, 18 *junii* 1796, *dub.* 2.

31. Quum ex fructibus census ab hæredibus creati in favorem legati pii relicti a Josepho Stropeno summa scut. 18, 15 deposita in Monte Pietatis Arimini superextaret ob intermissam nonnullis annis Missarum celebrationem; idcirco S. C. consulta respondit, fructibus erogatis ad formam fundationis, detrahi debere expensas pro constituendo legato necessarias, ab Ordinario liquidandas : *Ariminen., Legati*, 11 *febr.* 1797, *dub.* 3.

§ II.

Expensæ litis, seu judiciales, et extrajudiciales.

1. Ea verba, quæ habentur decreto cap. 20, sess. 24, vers. *Nisi aliter ex loci consuetudine servetur* [477], referre tantum ad partem posteriorem quæ subsequitur versum, si subsit consuetudo *ut ad appellantem integrum hoc onus pertinent.* Ideoque appellatum actis translatis uti nolentem, nullo pacto cogendum esse eorum expensam subire decisum est : *Vicen.*, 7 *octob.* 1694, *dub.* 7.

2. Quum translata fuissent integra acta ad judicem appellationis expensis appellantis, si promotor fiscalis istius curiæ voluerit, maxime in causis censurarum ob violatam immunitatem ecclesiasticam latarum sententiam prolatam tueri, expensas prædictorum actorum pro portione appellati solvere teneri fuit decretum : *Arianen.*, 28 *april.* 1635, *dub.* 8.

3. Expensæ factæ, ac faciendæ a canonicis ecclesiæ cathedralis pro tuendis litibus coram S. C., et aliis tribunalibus adversus beneficiatos ejusdem ecclesiæ non sunt ex massa communi extrahenda : *Cavallicen.*, *Resid. et distribut*, 30 *sept.* 1702, *dub.* 2.

4. De controversiis inter PP. congregationis Oratorii S. Philippi Nerii et parochos de Consortio tractatis super admissione in idem Consortium vicarii amovibilis ab iisdem patribus deputati ad curæ animarum exercitium in ecclesia parochiali S. Jacobi, ambæ partes in Episcopum compromiserunt observare quidquid ab eo declaratum fuisset etiam sub clausula nimirum refectionis sumptuum, etc.

[476] Nempe præfigendum esse ab Episcopo terminum capitulo ad reddendam pro nunc rationem ultimi decennii coram eodem : *Ead. causa*, 7 febr. 1789, dub. 1.

[477] « Quod si appellatus compareat, cogatur tunc is quoque actorum, quæ translata sunt, expensas pro proportione sua, si illis uti voluerit, subire : Nisi aliter ex loci consuetudine servetur, ut scilicet ad appellantem integrum hoc onus pertineat. »

Episcopus laudum protulit in favorem vicarii, quod S. C. confirmavit. Inde proposito dubio : An, quæ et a quibus sint reficiendæ expensæ? rescriptum est *ad Judices suos : Conen.*, 27 *febr.* 1706, *dub.* 2.

5. Expensas litium in defendendis juribus sui officii contra capitulum, et canonicos ecclesiæ cathedralis, vel alios, dictæ ecclesiæ operarius, qui ex illius institutione officii sui præest fabricæ, de proprio facere, debet, in casu de quo agitur, non ex reditibus fabricæ ab ipso administrandis : *Cavallicen.*, 6 *febr.* 1706, *dub.* 2.

6. Post absolutas diutinas, atque acerrimas quæstiones in S. C. discussas inter canonicos ecclesiæ cathedralis ex una, et promotorem fiscalem illius curiæ episcopalis ex altera partibus in binis causis sub titulis : *Milevitana, Insignium*, et *Milevitana, Synodi ;* requisiverunt canonici quoad expensas, a quibus sint subministrandæ, S. C. respondit, quoad expensas litis insignium esse faciendas a fabrica, et quoad causam *Synodi* esse præstandas a capitulo juxta mentem declarandam a Card. præfecto : *Milevitana, Expens.*, 5 *maii* 1708.

7. Ad disquisitionem vocatur : Num præpositus collegiatæ ecclesiæ S. Georgii terræ Modicæ teneatur contribuere ad impensas litium, et quanam rata parte?

8. Et an teneatur pariter suas vires conferre in litium expensas etiam cum congrua sibi ratione curæ animarum spectante? rescriptum exiit, ut daretur responsio in casibus particularibus : *Syracusana, Præposit.*, 15 *junii* 1709, *dub.* 6 et 7.

9. Impensæ factæ, atque faciendæ in causa vertente inter capitulum et canonicos metropolitanæ ecclesiæ Firmi, ac præbendatos ejusdem ecclesiæ in S. C, ac coram judice seu judicibus ab ea delegatis non sunt sumendæ ex massa communi capitulo, ac præbendatis, imo præbendatus Fabricius litis agendæ causa in urbe degens, redeat ad residentiam omnino : *Firmana, Distribut.*, 3 *martii* 1714, *dub.* 6.

10. Facta controversia occasione tumulationis comitis Cæsaris de Manellis de electione sepulcri inter patres Cappuccinos, et parochum S. Nicolai vicarius generalis definitive decretum ad sedandam quæstionem in favorem patrum pronunciavit, ac inde per caput separatum victos ab expensis absolvit, præterquam ab honorario suo, quod persolvi a victrice, ac victis mandavit. Parte autem succumbente reclamante S. C. censuit decretum validum esse et quoad expensas ad mentem : *Æsina, Sepult.*, 22 *sept.* 1714.

11. Beneficiatis graduatis, et non graduatis, cathedralis ecclesiæ, qui unum corpus constituunt, non licet educere a massa Communi sumptus litis, quæ nec contra tertium, nec contra interesse communitatis, sed inter ipsos graduatos, et non graduatos agebatur : *Gerunden., Expens.*, 11 *januar.*, 1721, *dub.* 1 et 2.

12. Et dictæ ecclesiæ non graduati quum de massa communi eruissent litis expensas obstricti fuerunt ad redintegrationem : *Ibid., dub.* 3.

13. Joannes Antonius Trincanus canonicus ecclesiæ collegiatæ S. Euphemiæ Insulæ prætendit se non teneri ad contribuendum pro expensis a capitulo factis in quibusdam controversiis, quæ agitatæ fuerunt in sacrorum Rituum Congregatione. Sed S. C. rem totam remisit ad Ordinarium, qui procedat in omnibus, prout de jure : *Comen.*, 30 *sept.* 1724, *dub.* 1 et 2.

14. Joanna Lucilla de Blondis hæredes sibi moniales SS. Bernardini, et Marthæ scribens, jussit eis, ut nobili puellæ civi Bononiensi, quæ religiosum in earum monasterio habitum suscipere vellet, et subsidio aliquo indigeret supplementum, familia de Bosellis prælata, darent. Plures in hujus legati exequutione litis expertæ sunt moniales. Ideo absolutis compluribus super prælatione puellarum quæstionibus postulatum fuit an cum eveniret lis super prælatione, personarum legitimatione, aliisque de causis tam opinatis, quam inopinatis, licitum sit monialibus litem sustinere, expensis depositi tunc facti, vel faciendi, seu potius expensis propriis monasterii?

15. An idem dicendum, et faciendum sit de expensis aliarum litium usque nunc a monialibus?

16. An idem dicendum, et faciendum sit de præsenti lite? S. C. respondit ad judices suos : *Bononien., Suppl. dot.*, 8 *junii* 1726, *dub.* 11, 12 et 13.

17. Impendia litis intentatæ a capellanis, et aliis sacerdotibus de clero collegiatæ ecclesiæ oppidi Pontis Curoni, et archipresbyterum dictæ ecclesiæ in S. C. super prætensa a capellanis utensilium præstatione non sunt reficienda, et quoad alias factas in utraque curia ordinaria nempe, et metropolitana, S. C. remisit ad Card. Metropolitanum prout de jure : *Derthonen.*, 6 *julii* 1726, *dub.* 4, confirmatum et additum teneri pro virili : 28 *sept. ejusd. anni.*

18. Acta fuit lis in S. C. inter capitulum ecclesiæ collegiatæ, et parochialis S. Mariæ Pedonis, et præpositum ejusdem ecclesiæ super cura animarum penes quem resideat actualiter, et habitualiter ; inde quæsitum de expensis hujus litis factis, et faciendis? et S. C. decrevit solvi non debere ex massa capitulari : *Mediolanen.*, 26 *april.* 1732, *dub.* 20.

19. Archipresbyter, et unus ex duobus canonicis, ac alii quidem ex antiquioribus presbyteris par-

ticipantibus ecclesiæ cathedralis litteris nonnullas cum Episcopo habentes, super erectione præbendarum theologalis, et pœnitentiariæ, ab eo facta, et super decretis ab eodem promulgatis, et in S. C. discutiendas pronunciarunt, licitum sibi esse pro sumptibus ad lites has necessariis, pecunias detrahere ex communi massa. Alii capitulares, qui præfatis litibus assensi non sunt, ægre tulerunt hoc communis massæ detrimentum, et postularunt, num has expensas communis massa subire deberet et non teneri S. C. duxit, et voluit insuper, ut Episcopus mandaret redintegrari massam capitularem de pecuniis extractis : *Ruben., Expens.*, 23 *sept.* 1734, confirmata 20 *novem. ejusd. anni.*

20. Expensas, quæ fiunt pro exequutione resolutionum S. C. petendas esse ex communi massa capitulari, reliquas vero agere de proprio canonicos contradictores, S. C. decernit. Nam actum fuit in causa de coacervandis reditibus collegiatæ ecclesiæ S. Mariæ civitatis Foggiæ pro reparandis ruinis, quas domus pleræque passæ sunt, in qua causa tres canonici, qui nullum detrimentum in præbendis habuerunt, oppugnatores fuerunt : *Trojana, Præbend.*, 6 *decem.* 1739, *dub.* 2.

21. Expensæ litis in S. C. agitatæ super electione in œconomum canonici contestabili ab Episcopo facta, qui renuebat hoc onus recipere, sunt hauriendæ ex reditibus totius capituli ; quum ageretur de oneribus novis imponendis canonicis ecclesiæ collegiatæ, et parochialis SS. Faustini, et Jovitæ : *Viterbien.*, 28 *sept.* 1737, *dub.* 5.

22. Impendia litis pro causis vertentibus in S. C. inter priorem, et nonnullos canonicos ecclesiæ collegiatæ S. Jacobi Tolentini insumere debent canonici Benaduccius, Serenius, et Dyonisius, adeoque subministranda non sunt a canonicis collitigantibus tantum : *Tolentina, Missæ paroch. et profess. fidei* 16 *maii* 1739, *dub.* 7.

23. Expensis, et sumptibus litis, quam super exactione decimarum sustinet clerus parochialis ecclesiæ S. Mariæ Majoris Maratheæ inferioris contra communitatem ejusdem Maratheæ, nihil esse ab Episcopo, quamvis ille quartam earumdem decimarum percipiat, contribuendum statuitur a S. C. : *Cassanen., Quartæ decimar.*, 4 *julii* 1739, *dub.* 2.

24. Expensæ litium, quas dignitates, et canonici ecclesiæ cathedralis pro eorum utilitate privata tantum sustinent, et in futurum sustinebunt, desumi nequeunt ex massa communi cum presbyteris participantibus, seu mansionariis, sed ex earumdem dignitatum, et canonicorum ratis partibus, etiam quoad expensas præsentis litis, quæ ad contentiones inter omnes de capitulo dirimendas in S. C. fuit agitata : *Bituntina.*, 26 *sept.* 1739, *dub.* 4.

25. Mercurius Lætus Sermoscatus bis mille scuta in tot censibus collocata legati jure reliquit fabricæ insignis collegiatæ S. Petri urbis Spoleti, duplici adjecto onere, altero nimirum erogandi scuta 50, in dotale subsidium unius puellæ, et altero impendendi reliquum in restaurationem dictæ fabricæ. Administrationem vero sive computum fructuum penes quosdam vocatos operarios ecclesiæ collegiatæ S. Petri reliquit, et onus puellam anno quolibet nuptui tradendi dictos florenos 100, ex causa prædicta, incumbere voluit priori, et canonicis dictæ ecclesiæ, et operariis pro tempore deputandis. Factis inter operarios, et priorem, et canonicos super modum dotandi puellas controversiis, Episcopus mandavit, ne administrator quicumque alias præterquam usitatas facere expensas auderet ; et id ambiguum fuit, at præfatis operariis licere reditus operæ impendere exceptis sumptibus litis circa modum dotandi puellas, factis ante transitum sententiæ AC. Furietti in rem judicatam, responsum est : *Spoletana, Expens.*, 16 *sept.* 1739.

26. Impensæ litium, quæ prævia capitulari Alexanensi conclusione introducuntur, elici nequeunt ex communi massa pro distributionibus destinata : *Alexanen.*, 1 *sept.* 1742, *dub.* 3.

27. Expensas litis, quæ agitari debuit inter canonicos ecclesiæ cathedralis, ac presbyteros, seu capellanos quarumdam confraternitatum detrectantes aliquod ecclesiæ prædictæ præstare servitium, S. C. mandat promendas esse ex massa capitulari. Nam totius capituli commodum respiciebat : *Trojana, Servitii*, 23 *junii* 1742, *dub.* 3.

28. Dionysium de Nardellis presbyterum, qui cantoratus officium obtinuerat, et primum locum sibi ad normam diœcesanæ synodi competere contenderat supra ceteros portionarios tempore antiquiores, ad litis hujusce expensas minime teneri S. C. definivit : *Larinen., Præcedentiæ*, 21 *julii* 1742, *dub.* 3.

29. Quum actum fuisset de erigenda capellania, quam Catharina Zagarolia ordinavit, cujus bona imminuta ex deductionibus legitimæ, ac incrementi dotis reperta sunt, causa fuit agitata in S. C., quæ inde quæsita de expensis litis ejusdem, prodiit decretum, fructus interim elapsos sortis capellaniæ adhuc non erectæ esse erogandos in litis expensas, necnon remissam esse ad secretarium earumdem taxationem : *Viterbien., Capellaniæ*, 11 *januar.* 1744, *dub.* 2.

30. Decanus, canonici, ac plures insignis collegiatæ ecclesiæ Terlitii capitulares in jus vocarunt primicerium, ac canonicos deputatos, ut distributiones quotidianas solverent quolibet quadrimestri, prout leges, constitutionesque capitulares, ac visitator apostolicus jam ante decreverant ; et eorum voti compotes facti sunt. Inquirunt modo, an ex-

pensæ futurarum litium depromi possunt ex distributionibus quotidianis, seu quomodonam sit providendum? prima dubii pars fuit absolute negata; ad posteriorem vero partem, dictum fuit, ut recurrerent in casibus particularibus : *Juvenacen., Distribut. quotid.*, 3 *april.* 1745, *dub.* 2, confirmata 29 *maii ejusd. anni.*

31. Carolus Franciscus Rossi Liboy canonicus ecclesiæ collegiatæ S. Petri Leodii hæredem scripsit canonicum de Moraichen ejusdem ecclesiæ decanum sanguine sibi conjunctum, ut una cum capitulo proventus fundationis per eum factæ in dicta ecclesia applicentur. Statim exarsit gravis contentio in eum, et capitulum, quæ composita fuit transactione; inde in dubium venit : an expensæ in causa hactenus factæ, aliæque in posterum faciendæ subministrandæ sint ex massa communi? S. C. rescripsit esse subministrandas hactenus factas ex proventibus causæ piæ : *Leodien., Confirmat. concordiæ*, 15 *julii* 1747, *dub.* 2.

32. Exortis inter capitulum, et archidiaconum ecclesiæ cathedralis controversiis, coacta fuit congregatio capitularis ad decernendum, quid inde esset agendum. Hæc statuit, ut nomine capituli, et cleri tuendæ essent in judicio præeminentiæ, aliaque jura collegii, quæ ab archidiacono impetebantur. Partes devenerunt exinde ad S. C., ut declararet, num resolutio illa capitularis firma esset, et firmam esse putavit : *Tarentina, Præeminen. super Exequut. resolut. capit.*, 13 *febr.* 1751, *dub.* 1.

33. Expensæ litis contra Episcopum per exequutores Pii Montis a sacerdote Juvenatio fundati ad dotandas puellas erogatæ, debent desumi ex reditibus Pii Montis ejusdem pro rata parte taxanda coram secretario : *Castellaneten.*, *Dotis*, 22 *maii* 1751, *dub.* 2, confirmata 10 *julii ejusd. anni.*

34. Impendia litis agitatæ in S. C. quoad canonicum Thomam Philips, qui indulto absentandi gaudebat, super emolumentis anniversariorum eximi minime debent de massa capitulari, sed tenentur canonici collegiatæ ecclesiæ oppidi Tungrensis, qui litem moverunt : *Leodien.*, *Indulti*, 28 *aug.* 1751, *dub.* 2, confirmata 15 *april.* 1752.

35. Quum Benedictus Fabrius possessor canonicatus noviter in basilica Lauretana fundatus a Thoma Balduccio jactavisset nullas, ac irritas esse nonnullas conditiones, cum quibus fuit acceptus, lis acta fuit in S. C., de cujus expensis inde requisita, hæc sancivit non teneri eumdem canonicum ad easdem contribuere : *Lauretana*, *Canonicatus*, 20 *julii* 1754, *dub.* 8.

36. Volumnia Angeletti prævia donatione erigi canonicalem præbendam in ecclesia collegiata terræ Fontii mandavit. Lucas hæres donationem Volumniæ matris impugnavit coram rev. fabricæ commissario, et succubuit. Appellavit Lucas sed paulo post discessit, scriptis hæredibus patribus Conventualibus, qui appellationis causam prosequuti sunt, et canonicatum alterum erigi definitum est. Expensas hujus diutinæ litis subiit Pascuccius canonicus a donatrice primum electus. Post canonicatum erectum Camilla Evangelisti nurus Volumniæ tradidit canonico Francisco Pascucci summam scut. 235, quæ provenire dicuntur a Volumnia, alteri unienda canonicatui. Verum Pascuccius pecuniam hanc nunquam erogavit in fundum novi canonicatus; et canonicus Paschalis Rampazzius, qui secundum possidet canonicatum, in jus vocavit Joannem Baptistam Pascuccium canonici Francisci hæredem, ut summam illam una cum fructibus elapsis solveret. Sed S. C. statuit, quoad sortem 235 esse locum restitutioni, neque vero esse retentioni locum pro expensis, et quo denique ad fructus placere de concordia ad mentem : *Montis-Albi, Expens.*, 23 *novem.* 1754, confirmata 22 *martii* 1755.

37. Expensæ translationis, et traductionis scripturarum litis agitatæ a canonico ædituo secunda dignitate cathedralis ecclesiæ S. Salvatoris de Oriolo adversus edictum Episcopi, cui renuit parere, sunt ab eodem ædituo reficiendæ : *Oriolen.*, 7 *febr.* 1756, *dub.* 5, confirmata 28 *aug. ejusd. anni.*

38. Sumptus litis agitatæ in S. C. quoad erectionem canonicatus, quam Antonius Testa tenet in ecclesia cathedrali certis sub conditionibus, sunt desumendæ ex bonis hæreditariis. Nam erectioni minimæ esse locum fuit demandatum, quia conditiones a testatore volitas canonici improbarunt : *Asculana, Erect. canonicatus*, 7 *aug.* 1756, *dub.* 2, confirmata 18 *sept. ejusd. anni.*

39. Negotiorum gestor capituli S. Urbani terræ Apiri litem cum capitulo iniit super salarii incremento, et super sui officii remotione, et vicit. Hinc quidam canonici aliam excitarunt quæstionem super expensis causæ, et quæsierunt : an hæreditas Baldini, qui erectionem in insignem collegiatam ecclesiæ archypresbyteralis S. Urbani jussit, qua de causa fuit Romæ gestor negotiorum constitutus, teneri deberet ad expensas litis factas? et teneri statutum fuit : *Camerinen., Expens.*, 12 *martii* 1757, *dub.* 1. Proposita iterum causa, confirmata resolutio fuit, juxta tamen modum : 30 *april. ejusd. anni.*

40. Ac quæsierunt ulterius, ad quas expensas eadem hæreditas teneretur? cui S. C. respondit, taxationem faciendam esse coram secretario : *Ibid. dub.* 2, confirmat. ad formam primi dubii : *Ibid. dub.* 2.

41. Quoad expensas in causa nullitatis professionis per vim, et metum a patre illatum emissæ a

P. Æmiliano Gerlinks monacho monasterii Cremifaniensi ordinis S. Benedicti, qui Romam venerat, ut dicta causa a S. C. cognosceretur, S. C. mandavit uti jure suo ad formam Bullæ [478] : *Passavien., Profess.*, 18 *junii* 1757.

42. Baptista Rosana Zivillia dolose egressa e monasterio matrimonium contraxit cum Johanne Bernardino Ciotti, non obstante mandato S. C. traducendæ puellæ in aliud monasterium, ut exploretur ejus voluntas. Idcirco S. C. sicut resolvit constare de attentatis, modo decrevit esse reficiendas expensas tam judiciales, quam extrajudiciales taxandas a domino secretario : *Civitatis Castellonæ, Matrim. cland., et Attent.*, 3 *decem.* 1757, *dub.* 2.

43. Expensæ pro agenda causa super exequutione matrimonii, quod celebrare spoponderant Vincentius Re, et Anna Ricci postulatæ fuerunt contra Nicolaum Annæ patrem, qui matrimonio sese opposuit, et S. C. putavit non esse locum præstationi earum reservatis partium juribus pro refectione expensarum in fine litis prout de jure : *Beneventana, Matrimonii*, 20 *sept.* 1760, *dub.* 3.

44. Prætendebant collegiatæ ecclesiæ terræ Galatonæ portionarii irritas, attentatasque esse conclusiones capitulares de expensis litis inter eos, et canonicos, dignitatesque super oneribus, et honoribus habitæ a communi massa detrahendis. Sed suadebant canonici, ut quum illi ex pluralitate suffragiorum capitularium cum interventu etiam portionariorum processissent, dubitari vix potest de illarum efficacia. Proposita igitur decidenda controversia, S. C. resolvit sustinendas haud esse conclusiones illas capitulares, sed ut quisque de proprio teneretur : *Neritonen., Plurium*, 7 *junii* 1760, *dub.* 19.

45. Expensæ in toto causæ decursu tam factæ, quam faciendæ sunt promendæ a massa capitulari ecclesiæ collegiatæ terræ Nojæ, non autem erogandæ a canonicis particularibus; etiamsi litem eamdem nonnulli canonici excitarint; causa enim capituli utilitatem respiciebat : *Baren., Congruæ et expens.*, 9 *febr.* 1760, *dub.* 2.

46. Quum a nonnullis capitularibus ecclesiæ cathedralis impugnata fuerit resolutio capitularis diei 17 junii 1757, ac per breve apostolicum confirmatorium ejusdem, lis fuit tractata super aperitione oris; inde quæsitum est quoad expensas litis, quibus competat jus detrahendi ex massa capituli? et S. C. decidit competere canonicis instantibus pro exequutione Brevium jus detrahendi expensas dictæ litis ex massa capitulari : *Tridentina*, 14 *febr.* 1761, *dub.* 3.

47. Atque canonicos opponentes teneri ad redintegrationem massæ ejusdem de pecuniis de promptis statuitur : *Ibid., dub.* 2.

48. Decano, ejusque adhærentibus canonicis ecclesiæ collegiatæ oppidi Tungrensis non licuit litem sustinere sumptibus massæ capitularis, sed tenentur illam redintegrare. Nam lis illa absque ulla ecclesiæ, capitulique utilitate agitabatur contra statuti censuram, ac contra quinque capitularium utilitatem : *Leodien., Residentiæ*, 12 *junii* 1762, *dub.* 2.

49 Ac expensæ factæ occasione litis in S. C. non sunt reficiendæ, et quoad alias ad nuntium apostolicum prout de jure res remittitur : *Ibid , dub.* 3.

50. Litis sumptus factos ad defendendam fundatoris Matthæi Bartolacci voluntatem a mansionariis cathedralis ecclesiæ hæredibus institutis, et de dote puellæ religiosum statum electuræ præstanda gravatis, desumi debere ex reditibus piæ hæreditatis in summa liquidanda per secretarium, S. C. definivit : *Imolen., Subs. dot.*, 11 *sept.* 1762, *dub.* 3.

51. Sumptus litis, qui facti, ac faciendi sunt a Gismundo, ac Sanfigio occasione erectionis duorum canonicatuum ecclesia collegiata S. Christinæ Eugubii ex dispositione Gabrielis Triangoli sunt præstandi ex reditibus ejus hæreditatis : *Eugubina, Erect canon.*, 26 *martii* 1763, *dub.* 7.

42. Expensæ litis non sunt insumendæ ex fructibus bonorum capellaniarum, quæ in ecclesia parochiali terræ Alviati erectæ fuerunt, promotori fiscali litiganti non ad exequendam sed in sui favorem ad voluntatem testatoris deflectendam : *Amerina, Capellan.*, 12 *martii* 1763, *dub.* 3,

53. Sumptuum litis agitatæ pro vindicandis juribus, ac excellentia capituli ecclesiæ cathedralis particeps esse debet pro rata parte aliarum dignitatum archipresbyter dignitas capituli ejusdem ecclesiæ; licet minime de distributionibus participet : *Faventina*, 15 *sept.* 1764.

[478] Quæ incipit *Si datam* 4 martii 1748 Bened. XIV (*ejusd. Bull.*, t. 2, p. 178), in qua §, *Sub eadem* decernit : « Id solum peculiariter pro defensore professionis in præsentibus statuentes, ut scilicet quidquid pro ipsius honorario, aut mercede, sive pro expensis in defensione causæ occurrentibus, eidem præstandum esse judex prudenter arbitratus fuerit, id omne ab illis exsolvi debeat, quibus a professo renunciata fuerunt bona in religionis ingressu dimissa; si vero hi non existant, aut si professus nihil renunciandum habuerit, ipsa religio, quatenus ex illis sit, quæ temporalia bona possidet, ad hujusmodi solutiones teneatur : si autem nec adsint bona renunciata, nec ordo regularis, de quo agitur, quidquam possideat, tunc defensori professionis satisfiat ex pecuniis mulctarum illius tribunalis, in quo causa agitata fuerit, sive alterius, prout in aliis prædictis litteris nostris de matrimonii defensore statuimus. »

54. Dubitatum quum fuisset, an multæ, et expensæ litis a curia archiepiscopali Colonensi exactæ veniant restituendæ? responsum fuit ad mentem [479]: *Colonien.*, 14 *febr.* 1767, *dub.* 23.

55. Ad expensas litis quæ in S. C. intentata fuit inter hodiernum possessorem capellaniæ fundatæ a Sernutio Ciccolinio in ecclesia collegiata SS. Faustini, et Jovitæ, sancteses, id est administratores ejusdem capellaniæ, atque capitulum dictæ collegiatæ, nec capitulum, neque sancteses tenentur, sed sunt faciendæ ex reditibus capellaniæ: *Viterbien., Capellaniæ*, 30 *maii* 1767, *dub.* 9, confirmata 21 *novem. ejusd. anni.*

56. Erecta ex bonis Barbaræ Alfonsi capellania in ecclesia S. Blasii terræ Martæ, Philippus, aliique fratres de Monte ad patronatum vocati in capellanum præsentarunt clericum Joannem Vincentium de Monte ab Ordinario etiam institutum. At quum bona Barbaræ Alfonsi capellaniæ assignata detinerentur a nonnullis tertiis possessoribus, hinc patroni pro immissione egerunt in curia episcopali, quæ possessoribus retentionem concessit. Lite ad AC. perducta, et ad Rotæ mox tribunal lata patronis expetere visum fuit, an expensæ tantæ litis essent detrahendæ a bonis recuperandis pro dote capellaniæ? et feliciter eisdem postulatio cessit: *Montis Falisci, Expens. litis.*, 17 *sept.* 1768.

57. Quæstio orta est, an ad contributionem expensarum litis actæ adversus synodales constitutiones anni 1762 teneantur universus clerus secularis, et regularis, cujus nomine mota fuit, vel tantum ii, qui liti consenserunt, et ad eamdem agendam se obstinxerunt? S. C. controversiam dirimit decernendo eos, qui expresse in litem consenserunt, teneri: *Viterbien., Expens. litis*, 28 *januar* 1769.

58. Expensas litis factæ in S. C. pro tuendis juribus societatis Misericordiæ oppidi Polimartii pati non debent sodales, sed fieri debent ex reditibus ipsius societatis, etiamsi aliqua dubia ad officiales ejusdem spectabant, qui nullum emolumentum ab ipsa percipiunt: *Palneoregien., Elect. alumni*, 16 *sept.* 1769, *dub.* 4.

56. Impensis litis, quæ peracta fuit in commodum, et utilitatem operis pii inter capitulum, et canonicum Matioli, et priorem, ac duos canonicos collegiatæ ecclesiæ S. Christinæ civitatis Eugubii mulctari quatuor canonici non debent, sed ex reditibus hæreditatis Triangoli, circa cujus dispositionem implendam versabatur; ita ut sint exequendæ resolutiones capitulares dierum 24 julii, 24 sept. 1769: *Eugubina, Canonicatus*, 7 *julii* 1770, *dub.* 2.

60. Et expensæ, quæ faciendæ a priore, duobus canonicis, et puellis sunt, ab hæreditate Triangoli non sunt reficiendæ: *Ibid. dub.* 3.

61. Querebantur pauperes Brixichellæ, ut eleemosynæ a pio nobilique fundatore marchione Spada relictæ eis non distribuerentur. Faventinus hinc Episcopus lustrans diœcesim libros administrationis a deputatis, seu vocalibus congregationis Paulinæ exequisivit; renuerunt hi, tanquam ab Episcopo exempti, illos exhibere libros. Hinc ad quæstiones omnes inter vocales, et Episcopum excitatas necesse fuit plura enodare dubia. Inter cetera fuit, num lis illa esset congregationis Paulinæ, seu vocalium illius sumptibus agenda? Paulinæ congregationis expensis faciendam esse S. C. resolvit: *Faventina, Reddit. rationis*, 19 *sept.* 1772, *dub.* 8.

62. Dum vocales iidem Episcopo librorum exhibitionem postulanti restiterunt, S. C. Episcopum monuit, ne interim permitteret expensas fieri sumptibus congregationis: propterea in obscuro fuit, num etiam expensæ hucusque factæ essent a præfatis vocalibus eidem Congregationi reficiendæ? et non esse reficiendas decisum est: *Ibid.*, *dub.* 9.

63. Non ex fructibus elapsis, et decurrendis duarum domunculârum sodalitio S. Hieronymi Arimini cessarum ab hæredibus Petri Ciucci, litis super hujus hæreditatis declaratione factæ expensæ, et pecuniæ pro compositione cum rev. fabrica inita erogatæ, solvendæ sunt, sed ex propriis sortibus, et fructibus ab ipsa societate supplendum esse statuitur: *Ariminen., Reduct.*, 8 *maii* 1773, *dub.* 2.

64. Jacturam impensarum litis agitatæ de juribus particularibus præpositum ecclesiæ cathedralis inter, et camerarium pati debent, qui in litem consenserunt. Nam judicio actum fuit, cui competebat jus convocandi capitulum, illudque aperiendi: *Imolen., Juris conv. capit.*, 14 *maii* 1774, *dub.* 3.

65. Expensæ litis, quæ in S. C. agitatur a sacerdote Nicolao Bartolini canonico ecclesiæ collegiatæ parochialis S. Stephani oppidi Castri Fidardi ob capitularium dissensum pro obtinendo jubilationis indulto admittendæ non sunt a capitulo ex pecuniis massæ capitularis: *Lauretana, Jubilat.*, 2 *decem.* 1775, *dub.* 3.

66. De sua pia hæreditate Jacobus de Comitibus commutationem voluntatis vetuit exequutoribus testamentariis. Episcopus commutationem impetravit, ac exequutores aperitionem oris adversus breve ab Episcopo obtentum impetrantes obloquuti sunt. Causa proinde instituta est; postea de expensis in hac causa solutis disquisitio facta est, an ab hæreditate de comitibus sint promendæ aut ab eorum pecuniis? et responsum est, sumptibus hæreditatis

[479] Vide not. 254, tom. 1, verb. *Attentata.*

esse litem peragendam: *Asculana, Commut. Volunt.*, 20 *januor.* 1776, *dub.* 3.

67. Impendia litis in S. C. actæ ad effectum propugnandam assignationem bonorum factam ab abbate S. Pauli extra Urbis mœnia pro implendis legatis piis a Joanne Francisco Malatesta relictis super bonis Mariæ Theresiæ ejusdem legantis ex filio neptis, detrahi non debent ex eisdem bonis, utpote implemento prædicto non sunt obnoxia: *Nullius, Leprignani legat.* 7 *julii* 1781, *dub.* 2.

68. Beneficiati, et clerici beneficiati ecclesiæ cathedralis contribuendi onus habent in expensas litis peractas in agenda causa in S. C. super jure reformandi horarium, an scilicet ad capitulum spectare posset: *Lauretana, Horarii*, 8 *junii* 1782, *dub.* 2.

69. Ad litis expensas non tenetur societas Sanctissimi Sacramenti terræ Bondeni, sed Carolus Bonatti, aliique subscripti in mandato procuræ; etiamsi causa sodalitium universum respiciebat: *Ferrarien., Confrater.*, 14 *sept.* 1782, *dub.* 11.

70. Ad expensas litis devinctus est archipresbyter, et canonici ecclesiæ collegiatæ oppidi erecti vulgo *Monte Rotundo*, qui ipsi liti consenserunt. Nam qui assensum suum præstarunt in electionem causam præbuerunt, et in causa fuerunt contradictores: *Sabinen.*, 31 *maii* 1783, *dub.* 3.

71. Expensas litis, quæ a beneficiatis cathedralis ecclesiæ acta fuit in S. C. de jure interveniendi, ac suffragandi in iis, quæ pro administratione bonorum ecclesiæ S. Mariæ de Ponte perpetuo cathedrali mensæ unitæ fiunt, faciendas esse a capitulo, non a singulis canonicis sancitum est, et additum. Ad secretarium juxta mentem [480]: *Narnien., Juris inter., et votandi*, 8 *febr.* 1783, *dub.* 2.

72. Impensas litis a collatoribus subsidiorum dotalium a pio fundatore Jacobo Fornaciari ex oppido Carticeti ad explanandas puellarum admittendarum qualitates, et prælationem factas sumptibus hæreditatis ejusdem testatoris faciendas esse judicium S. C. fuit: *Fanen., Subsid., dot.*, 9 *april.* 1785, *dub.* 5.

73. Quum Romani Boari opera pia essent neglecta, reclamatum fuit, et super instrumento beneplacito apostolico carente, et super ratione implementi. Omnia contra emphyteutam possessorem ceciderunt contraria fata. Quæsitum ultimo fuit, cujusnam sumptibus faciendæ essent expensæ hujusce litis pro opere pio peractæ? et ejusdem pii operis sumptibus faciendas esse S. C. existimavit: *Ferrarien.*, 15 *sept.* 1787, *dub.* 4, confirmata, 16 *febr.* 1788.

74. Conservatores S. Mariæ de Misericordia civitatis Callii litem egerunt pro sustinenda dote a duobus ex iis puellæ Biscaccianti per suffragia in summa 600 collata, et quæsierunt deinde cujusnam sumptibus sint litis expensæ conficiendæ? quibus S. C. respondit, conficiendas esse propriis sumptibus conservatorum, qui liti consenserunt: *Callien., Subsid. dotal.*, 15 *decem.* 1787, *dub.* 3, confirmata, 7 *junii* 1788.

75. Duplex in cathedrali ecclesia adest patrimonium, capituli unum, fabricæ alterum. At canonicis utroque promiscue utentibus, in dubitationem venit ejus destinatio. Sed fuit resolutum non licere canonicis, et capitulo ex pecuniis, seu reditibus fabricæ ejusdem ecclesiæ conficere sumptus litium, quæ spectant ad ipsum capitulum, et ipsius ecclesiam, et fabricam non tangunt; sed faciendos esse ex reditibus ipsius capituli, et canonicorum S. C. præcepit: *Asculana*, 12 *julii* 1788, *dub.* 1. confirmata, 7 *febr.* 1789.

76. Quæsitum hinc etiam fuit, an constaret, quod canonici, et capitulum prædictum ex pecuniis, seu reditibus ecclesiæ, vel fabricæ ejusdem ecclesiæ confecerint sumptus litium, quæ spectant ad ipsum capitulum, et non tangunt interesse ipsius ecclesiæ, seu fabricæ? et capta fuit resolutio, ut ab Episcopo præfigeretur terminus canonicis ad reddendam rationem coram eodem: *Ibid., dub.* 2, confirmatum et additum fuit juxta modum [481]: *Ibid.*

77. Expensæ litis actæ a canonicis Montis Martiani pro vindicandis juribus capituli, contribui etiam debent a dissentientibus pro virili excepto archipresbytero eorum adversario: *Senogallien.*, 13 *junii* 1789, *dub.* 20.

78. Non permittitur alienatio vinearum ad redintegrandum de sumptibus litis procuratorem causæ piæ Philippi Rosas, qui eas cum oliveto post sexagenariam usurpationem a consanguineis mulieribus vindicavit. Sed expensarum redintegrationem faciendam esse decernitur ex collectis, et colligendis fructibus: *Tunitana*, 28 *maii* 1791, *dub.* 3.

79. Expensas litis actæ in S. C. diei 19 junii et 21 aug. 1790 inter comites de Giliuccis, et plerosque parochiæ incolas collegiatæ ecclesiæ S. Michaelis Archangeli Firmi de activo eorum patronatu, seu modo nominandi canonicos, et in qua resolutum fuit, canonicorum præsentationem faciendam esse collegialiter, et in parochialibus comitiis intervenire debere parochiæ incolas patresfamilias, reficiendas non esse decernitur a canonicis, et beneficiatis ejusdem collegiatæ: *Firmana, Jurispatr. super expensis litis*, 18 *aug.* 1792, *dub.* 1.

[480] Et mens est, ut universitas canonicorum contribuere debeat non comprehensis capellanis, seu beneficiatis. *Ead. causa* 8 feb. 1783.

[481] Vide not. 435.

80. Sed illarum contributionem faciendam esse pro virili, exceptis vere pauperibus, arbitrio Archiepiscopi : *Ibid.*, *dub.* 2.

81. Expensæ litis in scutis 190, 50, actæ pro vindicanda hæreditate Michaelis Raffanelli, qui legatum Missarum reliquit sodalibus Sanctissimi Nominis Jesu ecclesiæ S. Joannis Decollati, sunt detrahendæ ex fundo dicti legati : *Parmen.*, *Reduct. oner.*, 16 *aug.* 1791, *dub.* 1, 2 et 3.

82. Ecclesia parochialis S. Bartholomæi oppidi Murrivallium erecta in collegiatam constat canonicis mansionariis ac clericis choralibus. Inter illos lite exorta de jure interveniendi, ac suffragium ferendi in comitiis capitularibus, ac absoluta, quæsitum est de litis expensis. Canonici ex massa communi eas faciendas esse putant, at S. C. expensis canonicorum singulorum, qui nomen liti dederunt, sustinendam esse litem decidit : *Firmana*, *Vocis in cap.*, *nov.* 1797, *dub.* 3.

Expensæ funerum. Vide *Emolumenta*, § II; *Quarta Funerum*.

Expensæ in matrimonio. Vide *Matrimonium*, § I.

Experimentum cohabitationis triennalis. Vide *Matrimonium*, § XV.

Expositio. Vide *Sacramentum Eucharistiæ*, § III.

Expositus. Vide *Hospitale*, § VIII.

Expulsio. Vide *Sodalitium*, § IX.

Extensio. Vide *Applicatio*, § III.

Extinctio. Vide *Census*, § I. *Pensio ecclesiastica*, § I.

Extrajudiciales expensæ. Vide *Expensæ*, § II.

Extrema unctio. V. *Sacramentum Olei sancti*.

Fabrica. — *De Fabricis in genere statuta.* Vide *Seminarium*, § V.

FABRICA BASILICÆ S. PETRI [1].

1. Quum Archiepiscopus de jure nequiret compellere regulares conventuales S. Francisci ad exhibendos libros sacrarii, in quibus celebrationes Missarum adnotantur; quod facere posse ipse pu-

[1] « Quanta cura (ait Benedictus XIV in Const. ***Quanta cura num.***, 15 novem. 1751, *Bull. ejusd.* tom. 3, pag. 185), et expensarum mole prædecessores Nostri Romani Pontifices, alii quidem ad reædificandam B. Petri basilicam, alii vero ad perficiendam, atque ornandam, alii demum ad eamdem conservandam, opportuneque restaurandam incubuerint; universus novit terrarum orbis, quem hujusce augusti, et pulcherrimi templi, ac religiosæ eorumdem Pontificum magnificentiæ fama pervasit. Ad quæ omnia in Dei honorem, ac beatissimi apostolorum Principis venerationem agenda, ac perficienda necesse ipsis fuit, tam pro exactione reddituum, ac proventuum in opus fabricæ ejusdem basilicæ assignatorum, quam pro fideli ac provida eorumdem erogatione in ipsum opus, ad quod unice destinati sunt, pari diligentia ac studio advigilare. » Et revera ab anno 1370, Pontifices concesserunt Episcopo Portuensi oblationes factas die Palmarum, feria quinta, et sexta, ac sabbato majoris hebdomadæ, et Dominica Resurrectionis; et Urbanus V. Const. ***In Charitatis*** 10 julii ejusd. anni (*Bull. Rom.*, tom. 3, part. 2, pag. 330) mandat altarario dictæ basilicæ, ut ipse eas colligat, et detractis expensis insumantur illæ in fabricam dictæ basilicæ. Cupiens insuper Julius II Basilicam præfatam restaurare magnificentius proposuit Const. ***Liquet omnibus*** 11 januarii 1510 (*Bull. Rom.* tom. 3, part. 3, pag. 313) indulgentiam iis, qui vel per se, vel per alium intra annum deponent eleemosynas in capsa posita in eadem basilica. Ac in regionibus ultramontanis commissarium elegit, qui nomine Pontificis, eas elargientibus indulgentias distribuat. Quod autem Julius II inceperat voluit absolvere Leo X, novas idcirco elargitur indulgentias eleemosynas præbentibus in favorem dictæ fabricæ, ut ex Const. ***Postquam ad Apostolatus*** 18 kal. oct. 1517. (*Guerra, Epit. Const.* tom. 3, pag. 91) colligitur, hac occasione Martini Lutheri impietas mundo apparuit, qui et sui asseclæ falsissime innumeris repugnantibus ecclesiæ monumentis christianorum templorum non Apostolicis temporibus, verum Constantini ævo corruptis jam ecclesiæ rebus, uti blaterant, referendam esse contendunt. Denique Clemens VII. Const. ***Admonet nos***, 12 decem. 1523 (*Bull. Rom.*, tom. 4, part. 1, pag. 31) instituit collegium 60 virorum ab jurisdictione cujusque exemptum, ad curandam perfectionem fabricæ basilicæ S. Petri, cum facultate deputandi judicem ad cognitionem causarum interesse dictæ fabricæ respicientium. Idem Pontifex alia Const. ***Dudum admonentes***, 1 junii 1525 (*Bull.*, ibid. pag. 49) dictas facultates ampliavit; nempe ut dictum collegium posset componere pro subventione dictæ fabricæ lites super legatis loco pio, vel personæ incertæ, aut ignotæ, et pro malis ablatis, maleve ablatorum restitutione relictis, ac bonis ecclesiarum, et beneficiorum occupatis; necnon posset dare confessores iis, qui eleemosynæ fabricæ dabunt cum facultate confessariis absolvendi vota, dispensandi, et alia hujusmodi. Paulus III. Const. ***Nuper postquam*** 25 januar. 1540 (*Bull.*, tom. 4, part. 1, pag. 170) jussit, ut collectas a quæstoribus locorum piorum pecunias, si nondum in eorumdem usum insumptæ sint, deputati fabricæ dictæ basilicæ capiant, et in eam adhibeant. Idem Pon-

tabat et vigore facultatis pontificiæ instar privilegiorum fabricæ Metropolitanæ annua debita ex quacumque pia dispositione hactenus non impleta videre, consulendo etiam executioni pro futuro; S. C. de dicta asserta potestate ex delegatione retulit examen ad S. Congr. fabricæ [2]: *Ubinaten., Visit. sacr. Liminum*, 10 *martii* 1663, *dub.* 20.

2. Dubium, an officiales fabricæ S. Petri sint exempti a foro ecclesiastico tam in foro juris, quam in foro conscientiæ? S. C. remisit ad S. Congr. fabricæ [3]: *Maceraten., Visit. sacr. Liminum*, 26 *april.* 1661, *dub.* 32.

3. Postulatur, ut aboleantur, seu nullæ declarentur alienationes bonorum ecclesiæ tantummodo commissarii S. Petri factæ, S. C. respondit Episcopum debere instare in S. Congr. fabricæ [4]: *Ibid., dub.* 39.

4. Quoad attributionem unius ferculi præstandi patribus Cappuccinis terræ Muticianæ, servanda sunt decreta Congr. rev. fabricæ diei 14 febr. 1633 [5]: *Faventina, Leg.*, 2 *martii* 1697, *dub.* 2.

5. Capitulo collegiatæ ecclesiæ S. Salvatoris erectionem unius canonicatus, cujus collatio erat facienda ignobilibus, a Francisco Blancone de-

tifex Const. *Dum ad universas*, 3 febr. 1542. (*Bull.* ibid., pag. 195) comprobavit gratias, jurisdictiones, ac indulta præfati collegii fabricæ S. Petri. Julius III, cum audisset multas donationes, inter vivos factas fabricæ S. Petri, multa legata relicta, et nihilominus hæredes, et commissarios nolle legata, et donationes solvere, dat vigore Const. *Accepimus vos*, 31 julii 1551 (*Bull.* ibid. pag. 286) œconomo, et præfecto fabricæ facultatem consequendi legata et donationes viis, et remediis a Pontificibus illis concessis. Ad hunc effectum inde Pius IV motu proprio incipien. *Et si per diversas*, 18 decem. 1562 (*Bull.*, tom 4, part. 2, pag. 151), fabricæ deputatis, ut notarius, qui ad declinandam executionem voluntatum piarum testamenta non aperiebant, cogere possint ad ea aperienda, data tamen iis debita mercede.

S. Pius V variis constitutionibus fabricæ S. Petri consuluit. Const. *Ad Romani*, 10 martii 1568 (*Bull.*, tom. 4, part. 3, pag. 8) de legatis domui Lauretanæ relictis, quarum exactio negligitur, quintam partem fabricæ applicat, quod extendit Const. *Decet nos*, 22 decem. 1569. (*Bull.* ibid. pag. 89) ad cetera legata pia; ac Const. *Exigit incumbentis* eod anno et die pag. 91 medietatem legatorum adjudicat, si intra triennium non impleta remaneant. Facultatem fabricæ concessit idem Pontifex rescindendi contractus nullos super ecclesiarum bonis, et de his tertium partem fabricæ applicare vigore Const. *Etsi de singulis* 1 januar. 1569 (*Bull.* ibid., pag. 55), necnon agnoscendi causas de his contractibus pendentibus Const. *Exigit incumbentis* 11 sept. 1570. (*Bull.* ibid. pag. 124), fructusque applicandi Const. *Ex debito* 1 febr. 1570. (*Bull.* ibid. pag. 127). Ac denique super his post duas sententias uniformes deputatorum nullam dari appellationem sancivit Const. *Etsi omnium*, 22 decem. 1569 (*Bull.* ibid. pag. 88).

Alexander VII binis Const. *Superni dispositione* 30 aug. 1655 (*Bull.* tom. 6, part. 4, pag. 59) et Const. *Decet Romanum*, 16 novem. 1660, moderavit facultates fabricæ circa legata pauperibus in genere facta, ne cedet in fabricæ utilitatem, si negligentia sit in executione, sed in favorem pauperum.

Denique Bened. XIV. Const. *Quanta curarum* in initio citatæ primum summatim recensitis, quæ prædecessores Pontifices statuerunt de hac fabrica, instituit congregationem particularem super rebus œconomicis ejusdem fabricæ.

Advocatus Dominicus Ursaya compendium exaravit privilegiorum rev. fabricæ, et illa explicat diserte, et casus enumerat, in quibus locum habeant in fine tom. 1, part. 2 operum. Hieronymus Baldassini compendium privilegiorum rev. fabricæ S. Petri a Joan. Carolo Vespignano judice ordinario confecto in-4° Romæ anno 1762 publicavit.

[2] Vide not. 265, verb. *Episcopus*, § IX.

[3] In compendio privileg. fabricæ S. Petri, quod edidit Dominicus Ursaya tom. 2, part. 2. *Discep. Eccl.* num. 131 habetur, quod ministri, et officiales fabricæ exempti sunt ab omni aliorum judicum jurisdictione, tam civili, quam criminali, ex privilegio Pont. Max. Pauli III apud Vespignan fol. 115 relato, ubi hujusmodi exemptio attribuitur etiam illorum familiaribus actu eis inservientibus. Et num. 122 ait, quod commissarii fabricæ post servitium eidem præstitum laudabiliter privilegium fori retinent.

[4] Pius V. Const. *Etsi* 1 januar. 1569 (*Bull. Rom.* tom. 4, part. 3, pag. 55) dedit facultatem collegio deputatorum fabricæ S. Petri de Urbe revidendi quascumque alienationes bonorum ecclesiæ contra jus, et constitutiones Pontificias factas; cum applicatione tertiæ partis bonorum recuperatorum ipsi fabricæ, cum facultate avocandi causas ab omnibus judicibus. Ita Dominicus Ursaya in compendio privileg. fabricæ S. Petri exarato inter suas *Discept. Eccl.* tom. 1, part. 2 in fin. num. 45. « Quæres XVI. An commissarii fabricæ habeant facultates revidendi quascumque alienationes rerum ecclesiæ, perperam factas, et condemnandi venditores ad restitutionem bonorum male alienatorum. Resp. *Affirmative*, imo possunt etiam recuperare omnes fructus, qui ex illis fuerint percepti, et percipi potuerint, et causas super hujusmodi alienationibus ad se avocandi et incorporandi ad beneficium fabricæ 3 partem bonorum, et fructuum, quæ, et qui fuerunt recuperata necnon desuper concordandi, prout late determinatur in Const. 98 *S. Pii V cum duabus aliis Const. ejusd. extensivis*, impressis immediate post illam, et prius in Const. *Clem. VII*, § 17; Barbos. *in suum Apost. dec. collect.* 350, n. 1 *in medio.* »

[5] Super legatis relictis PP. Minoribus de observantia S. Francisci de Urbe ten. seq. « Cum sæpius fuerit habitus recursus ad S. C. ven. fabricæ S. Petri super annuis legatis factis, seu faciendis ad favorem fratrum S. Francisci Min. deobservantia, cum onere Missarum, seu officiorum, sive gratis, sive alio modo.

Prætendente ven. fabricæ S. Petri ad illam spectare, propter dictorum fratrum incapacitatem hujusmodi legatorum.

Dictis autem fratribus allegantibus, posse annua legata hujusmodi recipere tuta conscientia, quatenus hæres ex sua libera voluntate voluerit illa dare in eleemosynam, et committere fratribus dictas Missas, et officia juxta sen-

mandatam, detrectante, acta fuit causa in Rota Maceratensi. Commissarius rev. fabricæ S. Petri post hujusce tribunalis in favorem erectionis editum judicatum, curavit præfigi terminum pro commutatione voluntatis a succumbentibus obtinenda; et illo elapso fundum canonicatus applicavit fabricæ. Instante capitulo pro commutatione S. C. rescripsit ut audiatur rev. fabricæ S. Petri [6] : *Maceraten.*,

tentiam S. Bonaventuræ, et decreta S. C. a Sanctissimo Domino Nostro fratrum Min. de observantia S. Francisci Cismontanæ familiæ consultationibus præpositæ sub die 4 junii 1628, publicata.

Eadem S. C. pro opportuna præmissorum provisione, facta prius relatione Sanctissimo Domino Nostro Urbano Papæ VIII, ac de illius expresso ordine, et mandato decrevit in futurum super hujusmodi legatis observari, ut infra.

Quod hujusmodi legata per debitores, hæredes non extinguantur, vel reducantur per compositionem cum ministris fabricæ faciendam, vel alio quovis modo, sed illorum capitale, sive sors principalis, vel proprietas absque aliqua diminutione conservetur, semper, et perpetuo ad effectum, ut in usus Romano Pontifici pro tempore existenti benevisos possint applicari. Ita tamen, ut quamdiu applicationem specialem auctoritate apostolica fieri non contigerit, hæredes, vel debitores possint libere, si velint, dictis fratribus dare dicta annua legata per eosdem fratres recipienda in eleemosynam, non autem per eos exigenda. Et quod quævis extinctio, reductio, seu diminutio capitalis, seu proprietatis, aliter absque speciali Romani Pontificis permissione facta, eo ipso nulla sit, nec debitoribus, aut aliis quibuscumque suffragetur.

Quodque commissarii, aliisque ministri ven. fabricæ super hujusmodi capitale, seu proprietate supradicta, se de cetero non intromittant, nec dictos hæredes, seu debitores aliquo modo molestent, nisi ad effectum reinvestiendi in casu reinvestimenti, seu providendi, ut conservetur, ut supra, aut alias in executionem applicationis auctoritate apostolica factæ, vel faciendæ.

Et quod nolentibus dictis hæredibus, vel debitoribus dare supradictis fratribus dictas eleemosynas, seu annuas præstationes, sive legata, ut supra solvere, vel illas, seu illa non solventibus, tunc, et eo casu lapsis duobus annis a die obitus testatorum, si fuerit maturatum legatum, vel a die maturatæ illius solutionis, eadem fabrica et illius commissarii, et ministri id totum quod solutum non fuerit pro præterito, pro rata tamen, in qua fuerit, ut supra elapsum biennium, vel ultra possit, et valeat annuas præstationes hujusmodi exigere, exigique facere ad sui beneficium, juxta suas facultates, et privilegia, salvo semper capitali, seu proprietate, ut supra ad effectum, quod hæredes, vel debitores (dummodo de eis per Romanum Pontificem pro tempore existentem aliter non fuerit dispositum, nec prædicta legata in alios usus ejus auctoritate applicata fuerint, vel applicari contigerit) possint, si velint, etiam quandocumque futuris temporibus, et sic deinceps in perpetuum dare dictis fratribus dicta annua legata in eleemosynam, ut supra, nec fabrica eosdem hæredes, vel debitores molestare possit, et valeat toties, et quoties casus contigerit, nisi pro præterito, et tunc in illis terminis tantum post quorum maturationem fuerit elapsum biennium, vel ultra, ut supra; salva semper erectione beneficiorum, et applicatione legatorum, seu quorumcumque bonorum, et redituum, ac jurium eisdem beneficiis, seu aliis usibus piis auctoritate apostolica facta, vel in posterum quandocumque, et quomodocumque faciendа, et executione litterarum apostalicarum desuper expeditarum, seu expediendarum; ita ut præfata decreta ad illas nequaquam se extendant, sed illæ semper firmæ, et illæsæ remaneant, ac suos plenarios, et integros effectus sortiri debeant, ita quod neque fabrica, neque hæredes, vel debitores præfati, ullo modo illas impedire, retractare, vel convertere valeant, et salvis semper Sedis Apostolicæ auctoritate et facultatibus competentibus dictæ S. C. ven. Fabricæ.

Prohibuit tamen eadem S. C. fratribus supradictis sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda, ne audeant, seu præsumant, nec quilibet eorum audeat, seu præsumat per se, nec per alios syndicos, ministros, seu procuratores tam seculares, quam regulares dictas annuas prestationes, seu legata, nec judicialiter tam coram quocumque judice ecclesiastico, quam seculari ordinario, vel delegato, nec alias, nisi juxta formam dicti decreti Congregationis Fratrum Min. de observantia S. Francisci Cismontanæ familiæ a Sanctissimo Domino Nostro deputatæ ab hæredibus, seu quibusvis aliis eorum debitoribus petere, minusve dictis hæredibus, seu debitoribus facere aliquas receptas pro dictis annuis præstationibus, nisi pro rata, et pecunia, seu eleemosynis supradictis cum effectu, ac vere, et realiter eisdem fratribus data, vel soluta, seu datis, vel solutis, nec sub alia data, nisi sub ea, quæ fuerit iisdem patribus, aut aliis pro eis facta realis satisfactio, et insuper, ne provisos apostolicos pro tempore de beneficiis, quibus legata supradicta fuerint applicata, vel eorum procuratores, et ministros super exactione dictorum legatorum directe, vel indirecte impedire, vel molestare quovis quæsito colore, vel prætextu audeant, vel præsumant. In quorum fidem, etc. Dat. Romæ ex collegio S. C. die 14 febr. 1633. *Rel.* in commentariis ejusd. S. C. tom. ab an. 1629, ad an. 1636, pag. 118, seqq.

[6] In declarationibus Congr. Fabricæ § *Præterea* impressis apud Quaranta *in Sum. Bull.* verb. *Fabricæ S. Petri* habetur. « Præterea, quia sæpe contingit pia hujusmodi legata, et dispositiones pro constructione monasteriorum, hospitalium, seu ecclesiarum, et similium relictorum; debitæ executioni demandari non posse, propter aliquod facti, seu juris impedimentum, quia nempe pecunia relicta ad constituendum monasterium non sufficit, aut in loco a testatore designato ædificari non potest, seu etiam licentiam ab Episcopo, aut alio superiore obtineri nequit: cum æquum non sit, ut pium opus hujusmodi propterea deseratur, sed potius in aliud de jure commutandum veniat, declaramus, ut gravatis certus competens terminus præfigatur, arbitrio judicum pro impedimentis hujusmodi realiter, et cum effectu removendis, aut pro obtinenda a Sede apostolica commutatione talis pii relicti, et dispositionis. Quod si terminus elapsus, et impedimenta remota non fuerint, aut commutatio obtenda non sit, tunc legatum ipsam integraliter fabrica exigatur, proinde ac si ad fabricæ utilitatem devolutio fecta fuisset. » Quando autem minime probatur insufficientia bonorum pii legati, et non præcessit præfixio termini pro obtinenda commutatione voluntatis non intrent privilegia fabricæ, ut firmavit

Com. Vol. 31 *maii* 1704. Deinde decrevit, non intrare privilegia rev. fabricæ, et petitam concessit commutationem : 30 *aug. ejusd. anni.*

6. Renuerunt patres Carmelitæ discalceati demandatas à Fabritio Pinto testatore eleemosynas patribus Cappuccinis legatariis elargiri, tanquam incapacibus, freti Constitutionibus apostolicis Nicolai III, Clem. V, in cap. *Exiit, de Verb. signif.* [7] et decretis Urbani VIII relatis a Fagnan. in cap. *Nimis parva, de Excess. Prælat.* n. 54 [8], S. C. sancivit servari decreta Congr. Fabricæ diei 14 febr. 1633 [9] : *Salernitana, Elee. et Leg.* 14 *junii* 1704.

7. Quum provincia monastica Aragoniæ ordinis Prædicatorum in Regnis Aragoniæ, Valentiæ, principatu Cathalauniæ, et Insulis Balearibus monasteria 83 possideret, et ob bellum ultimum tanta damna passa esset, ut legatorum Missarum fundi vel perierint, vel fuerint imminuti, ita ut eorum implementum effici non potuerit, præsertim quia religiosi ad victum comparandum manualem eleemosynam recipiunt, preces pro condonatione quoad præteritum exhibuit, quas S. C. rev. Fabricæ [10] commisit : *Ordinis S. Dominici*, 27 *nov.* 1717.

8. Indulsit Summus Pontifex Hospitali Spiritus Sancti civitatis Elborensis, ut legata omnia pia in eadem urbe, et diœcesi a testatoribus relicta, et in posterum relinquenda, quæ intra tempus pro executione statutorum non fuerant executioni mandata, eidem Hospitali applicata censerentur, dummodo tamen legata non fuissent certis personis relicta. Hinc ambigitur, an legata Missarum tam perpetuarum, quam manualium in indulto seu brevi, de quo agitur, comprehendantur?

9. An et qui terminus præter designatum a testatoribus hæredibus, aut executoribus testamentariis antequam legata pia non impleta Hospitali Expositorum Eboræ applicentur, sit præfigendus?

10. An et quomodo sit Sum. Pontificem consulendum pro moderatione brevis, seu indulti, de quo agitur? Ad singula S. C. dixit, audiantur ministri Rev. Fabricæ et ad mentem [11] : *Elboren., Decl. ind.*, 21 *maii* 1718, *dub.* 1, 2 et 3.

11. Quoad legatum pium unius ferculi præstandi singulis hebdomadis patribus Cappuccinis relictum a Joanne Baptista Bini, rescriptum est, servari decretum rev. Fabricæ anni 1633 [12] : *Lucana, Leg. pii*, 31 *julii* 1728, *dub.* 2.

12. Quum ortæ fuissent quæstiones nonnullæ super fructibus neglecti multiplici ordinati a Joanne Luca Fabiani presbytero Oratorii S. Philippi, S. C. declaravit non esse transferendam sortem in creditum legatorum piorum, sed fructus investiendos esse ad formam testamenti, reservato rev. fabricæ jure agendi contra executores testamentarios, aut hæredes, quatenus de jure, et prout de jure : *Januen., Erect. coll.*, 18 *decem.* 1734.

13. Decedente sine filiis Joan. Baptista de Dominis locus factus fuit erectioni monasterii monialium in oppido Pontiani a canonico Martino de Dominis demandati ; idcirco idem Joan. a rev. fabrica S. Petri impetravit compositionem super hæreditate patris cum jurium cessione; et de ipsa hæreditate disposuit. At impugnata dispositio hæc fuit, et re ad S. C. delata, decisum est, validam non esse compositionem illam factam a rev. fabrica in favorem Joan. Baptistæ dè Dominis : *Nullius terræ, Pontiani, Com. vol.*, 5 *maii* 1742, *dub.* 1, confirmata 21 *julii ejusd. anni.*

14. Fructus pensionis assignatæ in annuis scutis novem a sacerdote Jocobo Nance in dotem capellaniæ institutæ in ecclesia collegiata, et parochiali S. Petri Avenionensis die procedente reducti fuerunt. Accedit, quod illos debitor non solvit, imo anno

Rota coram Celso decis. 78, num. 2 et asserit Ursaya *in Comp. Priv. Fabr. S. Petri*, tom. 1, part. 2 *in fin.* num. 72 et 113 ».

[7] Nam cap. 3 *Exiit.* tit. *de Verb. signif. in* 6° habetur constitutio amplissima declarans hæsitationes quæ circa divi Francisci regulam contingere possunt, præsertim an Fratres Minores (quos Cordigeros vocant) illius regulæ professores sint ad omnia Evangelii consilia obligati. Et utrum aliquid proprium habere, et pecuniam recipere, legataque sibi relicta agnoscere valeant, cum multis aliis ambiguitatibus luculentissime resolutis. — Et *Clem. I. Exivi tit. eod.* declaratur in aliquibus cap. *Exiit*, præsertim an fratres Minores teneantur ad observationem eorum omnium quæ in regula sub verbis imperativi modi pronunciatur : deinde multa inseruntur, ad quæ fratres ipsi obligantur. Et consequenter eorum novem excessibus prolixe discussis, de electione ministri ipsorum luculentissime tractatur.

[8] Ubi nonnullas declarationes exhibet Fagnanus editas in Congr. ab Urbano VIII Fratrum Min. S. Francisci, tam de Observantia, quam ex Reformatione negotiis præposita; quum ille dictæ Congr. a secretis fuerit : Et num. 54, lib. V, pag. 225, ita legitur : Et primum articulum, Fratres Minores tam observantes, quam reformatos non esse capaces legatorum annuorum, quæ fiunt sine aliquo onere, aut modo adjecto, nisi ad effectum illa extinguendi, seu illorum proprietatem, et pretium convertendi in usus fabricæ, vel sacristiæ.

[9] Vide not. 5.

[10] Vide note 56, tom. 1, verb. *Absolutio*, § III.

[11] Quibus auditis S. C. censuit breve non comprehendere legata pia relicta certis personis, et locis, nec minus legata pro quibus impetratæ sunt compositiones, aut obtineri possunt a rev. fabrica S. Petri; et Hospitale non posse facere compositiones, et condonationes cum debitoribus piorum legatorum.

[12] Vide not. 5.

1779, clam a rev. fabrica S. Petri compositionem quoad præteritum obtinuit. Sed S. C. interrogata, prædictos fructus capellano ab anno supradicto, quo tempore vacavit capellania in posterum deberi censuit; et quoad annos præcedentes deducet jura sua ut iterum omnino audiatur rev. fabrica S. Petri [13] : *Avenionen.*, *Cap.* 16 *sept.* 1780.

15. Quum erectio canonicatus demandata primum a canonico Josepho Piciocchi, deinde a Catharina Barbarassia, et aliis assignatis bonis postea a Josepho Silvestrelli post mortem Cæsaris germani fratris facienda in ecclesia cathedrali neglecta fuisset per an. 80 et ultra; rev. fabrica S. Petri possessionem bonorum iniit, at ob litis cum capitulo pendentiam judicium progressum non habuit. Definiit autem S. C. mandatam canonicatus erectionem ad formam testamenti Josephi Silvestrelli, fructus deberi fabricæ S. Petri quoad bona Cæsaris detracta elemosyna erogata in Missarum celebrationem : *Viterbien.*, *Erect. can.*, 28 *maii* 1796, *dub.* 2, confirmata juxta modum [14] : 21 *januar.* 1797.

Facultas. Vide *Jus*, *Jura*, *Potestas*.

Facultas alienandi. Vide *Alienatio*, § I.

Facultas concedendi litteras dimissoriales, et testimoniales. Vide *Abbas*, § V; *Episcopus*, § V.

Facultas exercendi curam animarum. Vide *Abbas*, § III; *Canonici* § I; *Capitulum Ecclesiasticum*, § II; *Cura Animarum*, etc.

Facultas testandi. Vide *Moniales*, § II.

FALCIDIA.

1. Ecclesia S. Petri Apostoli civitatis Prænesti hærede a Josepho Leonio instituta ad hoc, ut ex tota sua hæreditate beneficium laicalis jurispatronatus in eadem ecclesia erigeretur, falcidiam ex hæreditate prius detrahi prætendit hæredis institutæ ecclesiæ archipresbyter, beneficium erigendum vocans legatarium. Verum illi Falcidiam haud competere S. C. sancivit : *Prænestina*, *Fun. ben.* 4 *decem.* 1745, *dub.* 1.

2. Non licet patribus, et conventui S. Marcelli Urbis detrahere Falcidiam ex dimidio hæreditatis Annibalis Bertoni, a quo fuerat conventus institutus in quantitate unius loci Montium S. Petri pro anniversario a testatore præscripto : *Romana*, 8 *julii* 1752.

Ex multiplico vero ab eodem hæreditatis dimidio pro in superum numero relatione B. Philippi Jacobi Bertoni, juxta testatoris præceptum efficiendo, Falcidiæ detractioni locum non esse eadem S. C. firmavit, licet ab eo multiplico tota absorberetur hæreditas : *Ead.*, 2 *decem.*, *ejusd. anni*.

FALSUM, FALSIFICANS.

Chrysostomus Szezycinski duos tenens canonicatus, et Romam profectus litis agendæ causa, fructus unius canonicatus percipiendi indultum nullo de altero canonicatu facto verbo, et bis etiam prorogationem obtinuit. Hoc indulto fructus habuit canonicatus unius; sed eodem vitiato, corruptoque alterius canonicatus fructus quoque est assecutus. Habito deinde capitulo fuit commissarius renunciatus, et futuræ optionis præstimonii capax declaratus. Facto optioni loco, capitulum ipsum Chrysostomum, ut de falsitate diffamatum rejecit, prætulitque Josephum Gorzenscki. Appellavit Chrysostomus, et definiri impetravit, quod falsum rescriptum S. C. sibi non obstare ad præstimonium præfatum optandum : *Posnanien.*, *Jur. opt.*, 2 *aug.* 1755.

FENESTRA, FENESTRÆ.

1. Quum aliquæ fenestræ, et viridarium monasterii Sanctissimæ Trinitatis Jesuatorum supereminent monasterio monialium S. Luciæ; ita ut fratres in eis commode introspiciant nonnullas fenestras et totum viridarium earumdem monialium, quæritur an dicti fratres compelli possint extollere murum viridarii super altitudinem hominis et conspectum monasterii dictarum monialium, et dictas fenestras claudere? Censuit S. C. Archiepiscopum debere prænarratis prospectibus consulere, sed expensis cujus de jure : *Urbinaten.*, *Visit. sacr. Liminum*, 10 *martii* 1663, *dub.* 18.

[13] Audiri præcepit S. C. rev. fabricam S. Petri, apud quam forsan haud validam compositionem debitor pensionis reportaverat.

[14] Vide not. 60, verb. *Canonicatus*, § IV.

2. Interrogata S. C. an possit tribui patrono ecclesiæ, ut habeat fenestras ipsis parietibus ecclesiæ, ex quibus possit in ecclesia prospicere, et etiam parochus hoc jus habeat? respondit ipsi patrono fundatori posse concedi : *Ibid.*, *dub.* 25.

3. Cum tubæ ligneæ, quæ fuerunt appositæ ab episcopo Zaulo, ne moniales monasterii S. Joannis Baptistæ terræ Babuci in ædes vicinorum respicere possent, e fenestris monasterii exciderint, neque fuerint repositæ, facta controversia fuit cum illis de Ressis, qui domum habent e conspectu monasterii, super retentione fenestrarum in superioribus domus mansionibus existentium; quæsito itaque an tubæ hæ ligneæ collapsæ reponendæ sint? et quatenus affirmative.

4. An in superiori domus de Ressis diæta licitum iis sit retinere superiores fenestras prospectum habentes in viam publicam? S. C. rescripsit, dilata, et conficiatur planta elevata judicialis cum assistentia personali Episcopi : *Verulana, Dom.*, 23 *maii* 1722, *dub.* 1 et 2. Deinde respondit, ut fiat accessus per secretarium S. Congr.: 17 *julii* 1723.

5. Permittendum haud est comiti Theodosio Panizzæ Delphinio parvam quamdam mansionem ædificare a latere sinistro ecclesiæ parochiali S. Cathaldi, et duas in hac fenestras versus altare majus prospicientes aperire, ut ipse una cum familia divinis officiis interesse possit, quamvis idem comes plura in oppido bona possideat, multaque in ecclesia utilitatem contulerit, et sacras etiam suppellectiles fuerit elargitus : *Mantuana*, 18 *maii* 1726.

6. Marianus Vecchiarellius, cujus domus finitima est parochialis ecclesiæ S. Petri plura etiam ultro pro istius reædificatione contribuit, passusque est graves domui suæ servitutes imponi pro ecclesiæ reparatæ commodo. Postea facultatem annuente rectore obtinuit aperiendi in ecclesiæ pariete fenestram, per quam ipse una cum sua familia posset audire Missam; sed ea lege assequutus est facultatem, ut repaculum ferrarum cratium fenestræ insereret. Insurrexit inde parochus indultum Mariano contendens, eo quod patronus ille non sit, neque eximia in ecclesia beneficia contulerit; examinato hinc dubio, an fenestra claudenda esset? responsum prodiit negativum, solutis tamen scutis 200 in subsidium fabricæ ecclesiæ; et moderata fenestra juxta formam a Card. præfecto approbandam, necnon cum declaratione, quod indultum suffragetur dumtaxat Mariano, ejusque uxore, et filiis durante vita ipsius Mariani, et uxoris tantum; *Reatina.*, *Ind.*, 24 *maii* 1732.

7. Eques Julius Orlandinius *del Becuto* indultum postulans aperiendi fenestram in pariete ecclesiæ S. Mariæ Majoris fratrum Carmelitarum, per quam medio quodam ponte supra viam publicam construendo, liceret sibi, suæque familiæ Missam, ceteraque divina officia audire, negativum accepit rescriptum, quin hunc juvaret, quod ex nobili *del Becuto* familia proficisceretur, quæ jurepatronatus in eadem ecclesia gaudebat, quæque ob plura simplicia beneficia, aliaque in ecclesiæ populique bonum collata optime de ea merita est; et quod capellam, in qua fenestram aperiri petebat, in elegantiorem formam restituere in actis promiserat : *Florentina*, *Ind.*, 23 *aug.* 1738.

8. Publicum oratorium in honorem divi Josephi in civitate Campaniæ juxta proprias ædes a solo erexit Gherardus Copetus, constituta dote ducatorum millium, datoque onere trium sacrorum singulis hebdomadis. Juspatronatus familiæ suæ reservavit, legemque in fundatione adjecit, ut liceret habere fenestram, e qua in oratorium hoc prospici posset; atque ita filii, et hæredes in perpetuum domum habitantes sacrum commodius audirent. Disquisitione itaque facta, an juxta hanc conditionem fenestram ibidem illi retinere liceat? responsum est, ut supplicaret Episcopo, et ad mentem : *Campanien.*, 16 *dec.* 1747, *dub.* 2.

9. Decretum Episcopi Uxenti in sacra visitatione editum, in quo Francisco Vernaleonio baroni terræ Muggiani duas habere fenestras in muris lateralibus ecclesiæ, sive capellæ S. Antonii Patavini suo palatio conterminæ, et januam cum scalis pro descensu ad ecclesiam a superioribus palatii istius mansionibus inhibuit, et interdicto supposuit ecclesiam, usquequo clauderetur janua, et altera ex fenestris, quæ constructa erat ad usum odei in ecclesiam protendentis, implendum esse una cum publico edicto id confirmante, salvo ei tamen jure retinendi unicam fenestram tantum S. C. sancivit : *Ugentina*, 9 *febr.* 1760, confirmata 10 *maii ejusd. anni.*

10. Fenestram apertam, uti jam olim fuit, servandi facultas denegatur fratribus de Vincis, quorum palatium cohæret immediate collegiatæ et parochiali ecclesiæ S. Michaelis Archangeli civitatis Firmi, quorumque familia plurima in ipsam ecclesiam beneficia contulerat, atque in ea tertiæ partis canonicatuum patronatu gaudebat. Nec iisdem prodest offerre ecclesiæ, et capitulo cessionem capellaniæ una cum jurepatronatus eorum familiæ, et cum capellaniæ fundo annui reditus scutorum viginti et octo, cum onere nonnullarum annuarum Missarum : *Firmana*, *Servit.*, 8 *junii* 1782.

11. Fenestræ aperitio ad vitam tantum oratoris, et ejus matris cum solitis clausulis indulgetur, dum a Josepho Telesphoro Catanio fundatoris ecclesiæ S. Annæ in oppido *le Preci* filio, postulatur in dextero istius ecclesiæ latere januam aperiendi facultas, qua sibi, viduæ matri, et aliis

familiaribus hyberno præsertim tempore pateret aditus ad audiendum Missæ sacrificium, et ad aliis ecclesiasticis functionibus interveniendum. Familia hæc habet patronatum ecclesiæ, et fundator multa tum pro illius manutentione, tum pro institutione capellaniæ cum onere Missarum in ea celebrandarum bona assignavit : *Spoletana*, 24 *julii* 1784.

12. Marchio Laurentius Centurionius nobilis Januensis, et inde Bononiensis, indultum a Pont. Max. Clem. XIV, obtinuerat audiendi sacrum ex odeis palatio suo adhærentibus. Hoc defuncto palatium jure venditionis transit in Carolum Linerium civem non nobilem Bononiensem, qui supplicavit pro perpetua concessione privilegii, quo marchio Centurionius fruebatur, et non impetravit : *Bononien.*, 15 *januar.* 1785.

FESTIVITAS. Vide *Festum*.

FESTORUM DIERUM OBSERVANTIA.

1. Ad Episcopum spectare declarationem casuum necessitatis, vel pietatis, ut diebus festis possit operam dari rebus necessariis statuitur ; sed hujusmodi tamen declaratio, et licentia est ab Episcopo gratis concedenda : *Strongolen.*, 17 *junii* 1645, *dub* 2.

2. Quoad arma, quæ a finalibus, seu officialibus super observantia festorum deputatis gestari vellent, S. C. injunxit secretario, ut S. C. mentem Episcopo significet : *Nicien., ab Visit. sacr. Liminum*, 6 *aug.* 1677, *dub.* 9.

3. Communitati, civibus, et Incolis Ripæ non licet habere mercatum die sabbati intus, et extra civitatem quando eveniat ut sabbatum sit dies festus. Episcopus edictum super dierum festorum observantia promulgaverat, et communitas consuetudinem quolibet sabbato habendi mercatum ostendebat immemorabilem : *Ripana, Merc.*, 2 *maii* 1711 [15].

4. Oppidanis S. Felicis de Guixols, qui ut plurimum sunt piscatores, concessum a Rom. Pontifice fuerat, ut singulis diebus sabbati, et vigiliis, singulorum festorum a media nocte usque ad auroram, et dominicis, aliisque festis diebus post Missam, et meridiem, piscari possent in mari, quod est oppido proximum ; impetrata tamen ab abbate monasterii S. Benedicti venia, et dummodo lucri pars tertia in ecclesiæ reparationem, et fabricam eroganda abbati traderetur. Indultum hoc conscientias illaqueavit piscatorum, qui detractis sumptibus, et tertia parte, nihil reliquum pro ipsis erat. Agebatur autem de ecclesia parochiali quæ reparatione indigebat. Opinati hinc sunt de indulti ampliatione hoc modo, ut ipsis liceat piscari diebus sabbati, et vigiliis festivitatum a solis occasu usque ad mediam noctem, diebus dominicis, et festis mane ante Missam, et vespere post Missam, exceptis tamen principalioribus festivitatibus, et ut septima lucri pars cedat in commodum, et restaurationem ecclesiæ et suppellectilium sacrarum. Responsum exiit, ut consuleret Pontificem pro confirmatione brevis cum reductione a tertia parte ad septimam, et additum fuit ad mentem : *Gerunden.*, 24 *aug.* 1720.

FESTUM, FESTIVITAS.

1. In ecclesia sodalitii S. Josephi in terra Lutiorum nuper ædificata celebratum fuit ejusdem Sancti festum. Festum hoc etiam in ecclesia parochiali S. Michaelis Archangeli, quæ per jactum lapidis est illi disjuncta, et in qua laudati Sancti imago in quadam capella asservabatur, quotannis solemni pompa colitur. Episcopus in visitatione ad arcendas dissensiones, ac populi offensiones, quæ propter ignitorum tormentorum, ac tintinnabulorum fragorem divina alterius ecclesia officia perturbantem oriebantur, per modum provisionis decrevit, ut parochialis ecclesiæ presbyteri celebritatis rumorem temperarent. Delata ad S. C. querela, hæc definiit, ut festum S. Josephi majori pompa ac exteriori so-

[15] Hoc decretum Benedictus XIV, Const. *Ab eo tempore*, 5 novem. 1745 (*Bull. ejusd.* tom. 1, pag. 260), confirmat hisce verbis. « Quod decretum Apostolica auctoritate Nostra comprobante instar regulæ esse volumus ac in omnibus temporalis ditionis Nostræ provinciis, urbibus, ac locis Sanctæ Sedi apostolicæ mediate, vel immediate subjectis, inviolabiliter observari præcipimus. » In hac enim Const. diebus festis prohibentur haberi *mercatus* rerum venalium ; tolerantur vero *nundinæ* sub certis conditionibus.

lemnitate celebraretur in ecclesia sodalitii, quam in parochiali : *Bisinianen., Fest.*, 22 *febr.* 1710, *dub.* 1 [16].

2. Franciscus Physicus quinque in sacello S. Blasio ecclesiæ S. Crucis oppidi Montis Bodii dicato erigi jussit capellanias, et in instrumento onera omnibus festis anni diebus interveniendi choro capellanis imposuit. In testamento exinde facto onus illud taxavit in omnibus præfati sacelli S. Blasii festivitatibus. In dubium vocatur, quibusnam festivitatibus testatoris intelligi mens debeat? resolutum fuit, capellanos teneri omnibus diebus festis in ecclesia S. Crucis, ubi sita est capella celebrandis : *Senogallien., Cap.*, 9 *sept.* 1713, *dub.* 1.

3. Diem Expectationis B. M. V. festum esse juxta Episcopi preces S.C. declaravit : *Antequeren., in Indiis Occid.*, 22 *april.* 1719.

4. Solemnis almæ Domus Lauretanæ festivitas ab anno 1626 ad hæc usque tempora celebrata fuit in ecclesia Sanctissimæ Conceptionis societatis S. Josephi civitatis Vadensis ad normam dispositionis, et juxta reditus Hippolyti Vernatii. Huic festo capitulum ecclesiæ cathedralis una cum clero tam seculari quam regulari, necnon magistratus civitatis semper interesse consueverunt. Nuper autem Patres S. Francisci ordinis minorum Conventualium ejusdem civitatis autumarunt, se non teneri ad celebrationem prædictæ festivitatis. Succubuerunt hi coram vicario generali, et coram A. C. supplicarunt inde Sum. Pontificem Clem. XII, pro ejusdem festivitatis ab ecclesia Sanctissimæ Conceptionis ad eorum ecclesiam translatione, et obtinuerunt. Reclamarunt ab hac translatione societatis ecclesiæ S. Josephi officiales, et definiri meruerunt, ut in eorum ecclesia festivitas almæ Domus Lauretanæ celebraretur : *Sancti Angeli in Vado*, 20 *nov.* 1734.

5. Monasterium in oppido Collis Torti impensis marchionis Rotæ oppidi Domini extructum, una cum aliis adjacentibus traditum fuit patribus Minoribus strictioris observantiæ. His patribus illic receptis, plures inter eos, et clerum secularem factæ sunt controversiæ, et prima fuit, an et cui competeret jus celebrandi festivitatem S. Mariæ de Monte Carmelo cum solemniori cultu die 16 julii, necnon festivitates SS. Antonii abbatis, Antonii Patavini, Januarii, et Francisci Xaverii, et in qua ecclesia? responsum est, ut servaretur pactum conventionis : *Larinen.*, 14 *maii* 1746, *dub.* 1.

6. Quum Epimenides Ursius inter cetera legata patribus Minoribus conventualibus S. Francisci civitatis Auximi reliquerit censum cum onere celebrandi duo officia defunctorum, instituit quoque capellaniam in casu mortis sui filii, hanc capellano indicendo legem, ut nempe quotannis anniversarium pro anima Dei famuli fratris Josephi a Cupertino in ecclesia S. Francisci celebraret; et ut illius in superum numero relatione eveniente, suum solemniter in die obitus in perpetuum celebraretur festum. Evenit casus et petitum fuit, an festivitas B. Josephi a Cupertino sit celebranda quolibet anno eadem impensa, qua retroactis annis celebratum fuit anniversarium pro anima juxta testatoris dispositionem? et responsum prodiit negativum : *Auximana*, 20 *decem.* 1760, *dub.* 1, confirmata 25 *sept.* 1762.

7. Quæsito autem, an et ad quæ solemnia, et sumptus hæreditas Epimenidis Ursii occasione recurrentis prædicti Beati festivitatis teneatur? S. C. censuit teneri juxta votum Episcopi [17] : *Ibid., dub.* 2, confirmata, *ibid.*

8. Familia Testa in oppido Castri Novi Foliani ruri, quod in oppidi agro possidet, oratorium habet SS. Francisco et Wenceslao dicatum, quod commodo etiam accolarum patet, et mille circiter passibus distat ab ecclesia parochiali, quæ est intra oppidum. Archipresbyter juri consentaneum esse propugnat, ut ad solemnia celebranda invitetur parochus, qui est dux gregis, et in parochia dignior. Sed resolutum est, patronos publici oratorii prælaudati S. Francisci occasione ejus festivitatis non teneri invitare archipresbyterum ecclesiæ parochialis Castri prædicti pro celebratione Missæ cum cantu, et interventu sacerdotum in choro sine tamen assistentia diaconi, et subdiaconi : *Placentina, Fest.*, 14 *apr.* 1764, *dub.* 1.

9. Neque iidem in prima dominica octobris, in qua celebratur festum B. M. V. Sanctissimi Rosarii in parochiali ecclesia, occurrente festo S. Francisci celebrando in prædicto oratorio tenentur illud in aliam diem transferre : *Ibid., dub.* 2.

10. Præbendarii ecclesiæ parochialis villæ de Reis, qui omnibus diebus festis a choro vacare non possunt, sciscitati sunt, num dierum festorum nomine comprehendantur dies festi, in quibus cum onere audiendi sacrum opera servilia permissa sunt? et affirmativum retulerunt responsum : *Tarraconen.*, 23 *mar.* 1765, *dub.* 2.

[16] Vide not. 599, verb. *Concio* § I.

[17] Episcopus enim in sua relatione censet capellanum gravari posse ad contribuendum pro celebranda festivitate annua summa scut. 7 vel paulo plus ; quum in die festo S. M. ad Nives, quem Card. Spada, olim Episcopus Auximanus anno 1621 injunxit parocho, et ministro ecclesiæ S. Mariæ de Misericordia, *Solennizzare ogni anno*, æqualis summa impendi soleat, ita ut exemplum allatum congruam præbere valeat interpretationem verbi *solennizzare* juxta morem regionis : *Ead. causa*, 6 decem. 1760, § V.

11. In ecclesia divæ Catharinæ virginis, et martyris oppidi S. Ginnessii erectum reperitur simplex, et perantiquum beneficium, de quo deficiente fundatione in quadam visitatione anni 1624, onus duarum Missarum quolibet mense adnotatur. In quodam vero bonorum inventario tantum celebratio ejusdem sanctæ festivitatis legitur ; ob id possessor ejusdem S. C. exorat suum declarare onus, et rescriptum est, non teneri, nisi ad festum S. Catharinæ celebrandum : *Camerinen.*, 12 *junii* 1773.

12. Festivitas in honorem divi Peregrini Latiosi, cujus corpus in ecclesia Patrum servorum B. M. V. Forolivii asservatur die I maii quotannis habenda, in eadem ecclesia a communitate quoad functiones ecclesiasticas celebrari debet, servata forma decretorum S. C. Rituum, et constitutionum synodalium : *Forovilii*, 11 *sept.* 1784, *dub.* 2.

13. Inde quæsitum est, an dictæ communitati competat jus celebrandi in capella divi Peregrini alias solemnitates, ac functiones sacras? et quatenus affirmative.

14. An, quo tempore, quibus modis et formis, quorum consensu, et facultatibus dictæ functiones, et solemnitates sint celebrandæ? affirmativum datur ad utrumque responsum, de consensu religiosorum, et cum licentiis Episcopi juxta modum, et formam ab Episcopo eodem præscribendam : *Ibid.*, *dub.* 3 *et* 4.

15. Sub nomine solemnitatum Sanctissimi Natalis non comprehenduntur dies tres consequentes; sed sub nomine solemnitatis Paschatis comprehenduntur duo dies, qui primum consequuntur. Et solemnitas incipere debet a primis vesperis festivitatum, et in Sabbato sancto : *Romana*, 2 *julii* 1785, *dub.* 9.

16. Sub primis autem vesperis Paschatis comprehendi debet Missa solemnis sabbati Sancti non vero ejusdem diei functiones. *Ead.*, 27 *febr.* 1790.

17. Ad tramites piæ dispositionis sacerdotis Petri Mariæ Bosii extructum fuit oratorium, ut dicaretur S. Bernardo, et in quo festum illius quotannis celebraretur. Præ illius angustia in diversum usum conversum est, et festum fuit in alia ecclesia celebratum, collegium hodie doctorum theologiæ civitatis Parmæ præfati fundatoris hæres supplicat pro facultate decentem aliquam alterius ecclesiæ capellam in locum oratorii subrogandi. Assentitur Episcopus, cujus mensa substituta est collegio, et S. C. annuit juxta votum Episcopi : *Parmen.*, 7 *junii* 1788.

18. Patribus de Observantia conventus Siroli in propria ecclesia celebrare non licet festum sanctissimæ Crucis eodem die, quo in ecclesia SS. Crucifixi celebratur : *Anconitana*, *Trans. Miss.* 14 *martii* 1789, *dub.* 2.

Feudum. Vide *Emphyteusis*, § 1.

FIDEICOMMISSUM QUOAD DEROGATIONEM.

Quum nonnullæ nubiles puellæ aliæque viduæ descendentes ab Isabella Haber, quæ perpetuum ordinavit fideicommissum, ac post hæredes institutos absque prole defunctos substituit patres Carmelitas civitatis Valeriæ, gravi paupertate, onerosaque premeretur familia, derogationem hujusce fideicommissi a magno Melitensi magistro, auditis patribus prædictis, qui cuicumque juri sibi ipsis competenti renunciarunt, impetrarunt; ideo operam consumunt pro apostolica confirmatione referenda, ut nempe derogatio illa firma et rata permaneat. S. C. rescripsit pro gratia directa Inquisitori Apostolico in forma commissaria : *Milevitana*, *Confir. Apost.*, 3 *decem.* 1712.

Fidei Professio. Vide *Professio Fidei.*

FIDES SEU TESTIMONIA.

1. Explanatio optatur, an instantibus interesse habentibus eis tradenda sit fides authentica matrimonii contracti secreti, seu conscientiæ? rescriptum est ad mentem [18] : *Dubium matr.*, 2 *decem.* 1724, *dub.* 2.

2. Quum servitii chori in ecclesia collegiata

[18] Benedictus XIV. Const. *Satis nobis*, 17 novem. 1741 decernit, ut sacerdos, qui matrimonio secreto, seu conscientiæ assistit, det documentum Episcopo hujus initi matrimonii temporis, loci testium ; et hic liber matrimoniorum sic contractorum obsignatus sigillo retineatur in cancellaria episcopali. Hac de causa parochus nullum documentum authenticum potest edere; immo et parochus, et testes arcani silentii lege obstringuntur.

S. Agricolæ imminutio ex blandientium medicorum testimoniis irrepsisset, capitulum nonnullas sanctiones condere, quas beneficiati ægre tulerunt, putavit. Id occasio fuit S. C. decernendi medicorum fides ad eos excusandos, qui interesse non solent horis matutinis, in posterum recipi non debere, prout resolutio capitularis declaraverat : *Avenionem., Ser. ch.*, 20 *januar.* 1787, *dub.* 1.

3. Inde S. C. fuit requisita quoad alias capitulares resolutiones, quas non sustineri decrevit, nempe ne binæ fides consecutivæ in favorem unius, ejusdemque recipiantur, nisi infirmitas hujusmodi sit, quæ a Missæ celebratione detineat : *Ibid., dub.* 2.

4. Nec aliam resolutionem validam esse putavit, videlicet ne testimonia admittantur, quæ habitualiter, ac periodice exhibentur, nisi infirmitas sit probe cognita, et declarata : *Ibid.*, § 3.

5. Item validam non esse illam, qua fides suscipiantur pro exemptione ab omnibus officiis, nisi infirmitas talis sit, quæ a Missæ celebratione detineat, fuit placitum S. C. respondere, quæ addidit ad singula ad mentem [19] : *Ibid., dub.* 4.

Filiorum familias matrimonium. Vide *Matrimonium*, § vii.

Filius, Filii quoad legitimationem. Vide *Matrimonium*, § xxv.

Fines seu confinia. Vide *Ecclesia in genere*, § v ; *Ecclesia parochialis*, § iii.

FIRMATIO STATUS HÆREDITARII.

1. Venit in disceptationem, an procedere possit, ac debeat ad erectionem duorum canonicatuum, non obstante capituli consensu, vel capellaniarum cum onere servitii chori? S. C. firmari statum hæreditatis, et redituum canonicatuum erigendorum, et canonicatuum erectorum putavit : *Amerina, Erect. can.*, 25 *junii* 1695.

2. Quum ageretur de divisione distributionum quotidianarum ecclesiæ cathedralis, quumque a canonicis ejusdem cathedralis Episcopi Sarmienti statutum quoad has distributiones observari prætenderetur ; S. C. præcepit perfici firmationem status tam redituum, quam onerum, et expensarum : *Giennen., Distr.*, 16 *febr.* 1704, *dub.* 1 et 2.

3. Patres S. Mariæ congregationis Matris Dei, et sodales Confraternitatis B. Virginis a succursu, hæredes substituti supplicarunt, ut prævia commutatione voluntatis Stephani Leonardi, locus fieret transactioni in aliqua congrua summa cum hæredibus fiduciariis ob difficultatem perficiendi tot demandata multiplica, propter quæ nunquam oratoribus aliquod obvenit emolumentum. In his rerum circumstantiis S. C. firmationem status injunxit : *Lucana, Com. vol.*, 10 *julii* 1706.

4. Ad preces, et ad dubium, an locus esset redintegrationi seminarii ad mediam decimam, et fructus beneficiorum insulæ Melitæ vigore brevis Clem. VIII, Pont. Max., jam per modum provisionis addictorum collegio societatis Jesu ; S. C., die 12 dec. 1699, demandavit firmationem status. Inde resolvit locum esse redintegrationi præfatæ pro nunc quoad quatuor beneficia primo loco unita, necnon quoad taxam debitam ab Episcopo, et beneficiatis, et præcepit omnino firmari statum coram inquisitore, præfixo termino quatuor mensium : *Milevitana, Sem.*, 31 *julii* 1706.

5. Quanquam S. C. inficiata esset approbationem concordiæ initæ inter Claram Bonitiam, quæ alteras contrahere nuptias cupiens caducitatem legati timebat, et societatem S. Josephi fabrorum lignariorum ; tamen causa reproducta, dilata, et firmari statum bonorum coram Card. præfecto rescripsit : *Romana, Benep.*, 7 *decem.* 1709.

6. Aloysius Panizza exercitus regis catholici in statu Mediolani generalis locum tenens in pluribus instrumentis cum pio loco charitatis Mediolani stipulatis, multa ac varia dum vivebat, opera pietatis ordinavit. At quum temporum calamitate reditus notabiliter imminuti reperirentur, deputati loci pii exorant pro reductione onerum impositorum, et S. C. mandat, ut firmetur status juxta instructionem faciendam a Card. præfecto [20] : *Mediolanen., seu Comen. red. on.*, 8 *aug.* 1711, *dub.* 1 et 2.

7. Hospitalia Sanctissimi Crucifixi, et S. Tobiæ urbis Cæsenæ egerunt, ut a contributione, quam illis Summus Pontifiex imperaverat in favorem in-

[19] Et mens est, fides, ac testimonia a medicis esse cum juramento subscribendas, et recipiendas a capitulo ; etiamsi periodice, et habitualiter exhibeantur ; in posterum tamen esse ejusdem capituli per aliquem canonicum infirmum visitare, et quatenus dubium existeret, Archiepiscopus utatur jure suo. *Ead. causa*, 20 januar. 1787.

[20] Cujus summa fuit, ut firmaretur distinctus status sortium singulis oneribus separatim assignatarum per Panizzam institutorem plurium operum piorum cum expressione quantitatis fructuum cujuscumque sortis, injuncta ulterius redditione rationis omnium bonorum hæreditariorum dicti Panizzæ : *Ead. causa*, 8 aug. 1716.

validorum hospitii nuper erecti eximerentur, et in medio protulerunt diminutionem redituum. Sed S. C. non retardata præfata contributione firmari statum bonorum hospitalium, et hospitii juxta instructionem [21] voluit : *Cæsenaten., Ann. præst.*, 3 *octob.* 1711.

8. Rector, ac deputati ecclesiæ collegiatæ sanctissimæ Virginis de Provezano annuam solutionem scut. 100 in favorem præpositi, ac 50 pro quolibet canonico a Lælio Taja pro distributione illis relictam, continuare renuerunt; petieruntque perspecta redituum diminutione reduci, vel præposito, et canonicis sortes ab illo relictas restitui, ecclesiamque a præfata solutione eximi. At S. C. denegavit reductionem, et decrevit firmari statum bonorum ecclesiæ: *Senen., Red. fruct. can.*, 3 *oct.* 1711, *dub.* 1 et 2, confirmata 20 *febr.* 1712.

9. Quum legata pia a Francisco Riccio relicta cum reditibus hæreditariis non convenirent, eo quod illorum onera minime sustinere valet hæreditas, petita hinc fuit legatorum reductio; et præceptum a S. C. est, ut firmaretur status bonorum hæreditariorum, auditis interesse habentibus : *Placentina, Erect. can. et leg.*, 20 *febr.* 1712, *dub.* 2.

10. Joannes Franciscus Rosatus voluntatem Sebastiani Venturelli, qui ecclesiam, et congregationem Oratorii S. Philippi Nerii de Urbe in civitate Ameriæ erigi mandaverat, exequi cupiens, et idoneos pro hac erectione sacerdotes invenire non valens, desiderat subrogari presbyteros congregationis Missionis ex domo Romana, et obtinuit ab Innocentio XI. At quum erectio, licet sequuta sit applicatio bonorum in favorem Patrum Missionis, protracta fuisset, decreverunt reditus. Instante ideo promotore fiscali pro exequutione pii operis S. C. jussit firmari statum bonorum cujuscumque hæreditatis coram Ordinario : *Amerina., App. hær.*, 12 *nov.* 1712, *dub.* 1 et 2.

11. Franciscus Physicus capellanis præter onus singulis diebus festis choro ecclesiæ S. Crucis oppidi Montis Podii, ubi capellaniæ ab eo fundatæ sunt, interveniendi, imposuit etiam onus Missarum hebdomadalium. Capellani inspecta tenuitate redituum exorarunt S. C. ut reductionis gratiam impertiret. At hæc de redituum diligenti calculo haud certior facta sancivit, ut a vicario apostolico firmaretur status redituum capellaniarum citatis parocho, et patronis : *Senogallien, Cap.* 9 *sept.* 1713, *dub.* 2.

12. Dum exquireretur, an sit exequendum edictum S. C. 10 jan. 1699 editum, quo præcipiebatur erectio congregationis Oratorii S. Philippi Nerii in terra Mevaniæ, a canonico Mathiolio demandata, ac exponeretur redituum hæreditatis exiguitas, S. eadem C. Episcopo, qui firmaret statum juxta modum [22], rem committendam censuit: *Spoletana, Erect. congr. Orat.*, 17 *martii* 1714.

13. Quum vigore imminutionis assis hæreditarii fratres de Ciccolinis hæredes Annibalis Giardini postulassent reductionem temporariam oneris subsidii dotalis scut. 100 ad scut. 25 jam obtentam, et prorogatam, perpetuam effici, S. C. ut firmetur status bonorum juxta instructionem [23] præcepit: *Maceraten., Subs. dot.*, 30 *martii* 1715.

14. Patres Oratorii S. Philippi Nerii, quibus Victoria Bagliona jus tribuit nominandi sex puellas, ut ab orphanotrophio, quam hæredem reliquit, admitterentur, ac tam in ingressu, quam in progressu de omnibus necessariis utensilibus providerentur, petierunt, ut hoc exequi deberent deputati piæ domus, qui tum ob redituum insufficientiam, tum perspecta decretorum observantia, necessaria sex puellis a patribus illis nuper nominatis subministrare detrectarunt, ob id instantibus iisdem patribus consultum a S. C. fuit, ut firmaretur status ab hæredibus bonorum hæreditariorum testatoris Victoriæ, citatis interesse habentibus, præfixo termino, et interim mandatum est servari solitum : *Fanen., Pior. on.*, 18 *maii* 1715.

15. Quum fuisset obscurum, quomodonam facienda sit divisio redituum canonicalium ecclesiæ

[21] Ad cujus formam datæ fuerunt litteræ Episcopo Fori Livii, quatenus edito Episcopo Cæsenatensi, ac officialibus mox dictorum locorum piorum, distincte eorum statum firmaret, et præsertim super quantitate panis, aliorumque comestibilium, quæ dietim invalidis subministrantur; instructam quoque S. C. redderet, quoad pauperum numerum, qui in hospitio aluntur, anve hospitale S. Tobiæ in controversiam revocare velit contributionem scut. 40 quæ deberi asseritur jam dicto hospitio, ac quænam subsidia aliunde idem ipsum habeat : *Ead. causa*, 13 januar. 1714.

[22] Videlicet injungendum esse S. C. duxit: « Quatenus confici curet distinctum statum bonorum relictorum a testatore tam quoad capitale, quam quoad fructus, et onera, necnon recognoscat, an fideliter fuerit factum multiplicum demandatum, vel cujus culpa integre peractum non fuerit, ac ulterius cogat, quos de jure ad reddendam rationem, atque ad solvendum, et respective redintegrandum. Rursus in casu sequutæ alienationis bonorum recognoscat qua de causa, et an id factum fuerit cum beneplacito apostolico, vel de licentia Episcopi; si vero alienatio nulliter facta reperiatur, procedat contra quos de jure pro redintegratione facienda. » *Regist. Lit.* lib. 25, *die* 17 *martii* 1714.

[23] Quæ hujusmodi fuit, ut liquidarentur fructus bonorum hæreditariorum jam dicti Annibalis, eorumque asserta onera, et expensæ : comprobaretur sanguinis conjunctio, qua oratores ad ipsum disponentem attinent; exhiberetur transactio enunciata cum uxore testatoris, audito in omnibus magistratu civitatis, cui præterea tempus constitueretur ad deducenda jura, si quæ habet in S. C. *Ead. causa*, 24 *aug.* 1715.

cathedralis tam pro distributionibus, quam pro expensis? S. C. antequam ullam ediderit resolutionem edixit firmari statum bonorum ab Episcopo : *Perusina, Distr.*, 22 *junii* 1715, *dub.* 1.

16. Populares villæ Vallis Longæ et Capitis Aquæ Episcopo supplicarunt, ut erectio fieret ecclesiæ S. Nicolai in parochiam, et dismembratio ab antiqua parochia S. Mariæ et S. Donati oppidi Leonissæ quæ tertio lapide a nova distat. Dismembrationem sub nonnullis obtinuerunt conditionibus. Iidem hodie habitatores, et novus parochus aliqua pacta uti minus æqua abolenda esse contendunt ; ac propterea postulant, num cum præfatis conditionibus dismembratio sustineri possit? S. C. protelata decisione, status utriusque parochiæ firmationem imperavit, non retardata interim executione dismembrationis : *Spoletana, Dism.*, 3 *octob.* 1716.

17. Suppresso parvo conventu S. Augustini de Plano Mileti, erecta fuit per perpetua capellania, et capellanus gravatus fuit onere residentiæ personalis celebrationis, adjuvandi parochum, docendi pueros, ac solvendi scut. 20 seminario, quæ redacta inde fuerunt ad scut. 10. Hodie rector hujusce capellaniæ exponit, quod reditus in scutis 20 et ob. 50, consistant ; petitque contributionis scutorum decem exemptionem, vel onerum reductionem ; S. C. antequam quidquam decerneret, præcepit, ut firmaretur status, et testes examinarentur formaliter, auditis interesse habentibus : *Feretrana, Red. oner.*, 3 *sept.* 1718. Deinde jussit, rectorem teneri ad dictam solutionem, iterumque mandavit, ut melius firmaretur status, ut onerum reductio perficeretur : 7 *sept.* 1720.

18. Tria monialium monasteria erigenda mandavit Julianus de Orsuciis, postquam absolutum fuisset multiplicum 20 annorum spatio. Hoc exacto conflata fuit summa scut. 28,220, qua vix erigi potest unum monasterium ; idcirco efflagitata fuit commutatio voluntatis ad erigendum tantummodo unum Pisciæ testatoris patriæ. Sed S. C. demandavit firmationem status hæreditarii juxta instructionem [24], et indixit, ut Ordinarius interim incumberet monasterii, et ecclesiæ constructioni, et ut post transmissam rationum reditionem supplicaretur pro commutatione : *Nullius, Piscien., Com. vol.*, 13 *julii* 1720.

19. Capitulum, et canonici cathedralis exposuerunt, quod eis ratione unionis beneficiorum evenerit gravamen propter taxæ seminario debitæ solutionem, quæ in scutis duobus pro quolibet centenario imposita fuerat ; ideo poscunt reductionem, et S. C. rem omnem remisit ad Card. præfectum, qui eligeret peritum ad effectum firmandi statum super reditu canonicatuum, detractis distributionibus et aliis oneribus : *Prænestina, Tax. sem.*, 29 *januar.* 1724.

20. Nicolaus Gentilis accepit archipresbyteratum ecclesiæ Castri Turritæ cum onere annuæ pensionis scut. 15 persolvendæ, anceps inde fuit num ei deberetur congrua ab oneribus pensionis exempta? et destitit a solutione pensionis. Sed S. C. consulta resolutionem protelando, firmationem status redituum parochiæ cum Ordinario, auditis interesse habentibus, præcepit : *Nepesina*, 18 *apr.* 1722, *dub.* 1. Quum inde Episcopus mandaverat dari album peritorum, ut eligeretur, qui statum firmaret, album hoc exhibitum nunquam fuit ; unde nihil aliud super status firmatione fieri potuit. At S. C. iterum status firmationem præcepit : 9 *febr.* 1726.

21. Facta inter executores testamentarios Joannis Carafini, et moniales Carmelitas discalceatas hæredes ab Carafinio institutas, quæstione super constitutione dotis pro erectione duorum beneficiorum seu capellaniarum, num scilicet assignandæ forent pecuniæ, seu fructus terrarum frugiferarum ac super earumdem fructuum quantitate? S. C. voluit firmari statum hæreditarium : *Burgi S. Domnini*, 24 *maii* 1727, *dub.* 1, 2, 3 et 4.

22. Episcopus in collegiata ecclesia S. Nicolai oppidi Montis Prandoni sex in visitatione canonicatus instituit, quorum duobus dotem assignavit ex dimidia proventuum præposituræ parte cum onere adjuvandi præpositum in cura animarum. Assignationem hanc ratam habuit S. C., et approbavit Urbanus VIII. Sed postea præpositura vacata, institit capitulum, ut redintegraretur status anterior, eo quod nimis tenuem ex ea divisione fructuum præposituræ futuram esse dotem probatur. S. C. status præposituræ firmationem jussit : *Ripana, Præpos.*, 17 *nov.* 1731.

23. Quum fratres de Capponis, qui in emphyteusim acceperant plura prædia a rectore commendatario parochialis ecclesiæ S. Petri in Campo, multasque ibi meliorationes peregerant, implorassent affrancationem, eo quod prædia illa erant cum bonis familiæ de Capponis confusa ; eis indicta fuit

[24] Qua fuit demandatum, ut firmaretur status hæreditarius Juliani, vel per exhibitionem inventarii, quatenus adesset, vel per alium quemcumque possibilem modum, si inventarium confectum non fuisset. Iterum ut ex libris administrationis doceretur, qualis fuerit annuus reditus bonorum, et an aliqua contigerit bonorum diminutio, sive in sorte, sive in annuo reditu ; et demum, ut statuta bonorum quantitate, una cum annuo reditu, doceretur de multiplico, hoc est de ejus initio, et progressu, necnon de personis, qui multiplici confectioni incubuerunt, et tandem, ut valor bonorum multiplicatorum de præsenti existens, una cum annuo præsenti reditu S. C. notificaretur : *Ead. causa*, 21 *junii* 1721, § 5.

a S. C. firmatio status bonorum, de quibus agebatur coram judice subdelegato, sumptibus suis : *Piscien., Affran.*, 13 *junii* 1733, *dub.* 1, 2.

24. Possessores prædiorum, quæ intra fines parœciæ S. Francisci patrum B. Petri de Pisis in Monte Mario, contributionem ad tramites constitutionis Benedicti XIII, S. M. solvere detrectantes, ne patribus congrua sufficiens deesse possit, contenderunt tum pro aperitione oris adversus constitutionem, tum an præfata sustineretur contributio? S. C. distulit resolutionem, et status firmationem conventus octavit. Nam asserebatur, quod proventus a Bartholomæo Nerio pro spiritualibus agricolarum illius regionis subsidiis, essent iisdem patribus congrui : *Romana, seu Aper., or. et congr.*, 27 *junii* 1733, *dub.* 1 et 2.

25. Franciscus Lucarinus e Trebio hæreditatem suam partim sex dotandis puellis, partim fundationi collegii destinavit. Diminutis postea annuis reditibus obtenta fuit dotium reductio. Quæritur hodie; num de reductionis hujusce invaliditate constet? S. C. bis respondit, dilata, et interim Episcopus auctoritate S. C. mandet firmari statum hæreditatis, et cogat administratores ad redditionem rationum juxta instructionem [25]; necnon, quod dicta firmatio facienda sit coram Card. Gentili protectore collegii cum omnibus facultatibus necessariis, et opportunis, non retardata interim collatione dotium promissarum, aliarumque distributione pro nunc ad formam brevis : *Spoletana, Collegii, et dot.*, 24 *maii* 1732 et 4 *aug.* 1736.

26. Officiales sanctissimæ Annuntiatæ hæredes Francisci Surcii flagitarunt oris aperitionem adversus chirographum Benedicti XIII, qui concessit cumulum dotium scut. 400, pro singulis filiabus quinque Septimii Alberti a testatore descendentis, eo quod subreptionis et obreptionis vitio laboraret, ex suppositione præsertim assis hæreditarii scut. 6,000, quod constabat scut. 10,930. Verum S. C. distulit resolutionem rescribendo ad Card. Urbis Vicarium pro firmatione status : *Romana, Aper. Or., et Sub. dot.*, 21 *maii* 1735.

27. S. C. decrevit statum monasterii S. Claræ civitatis Setiæ firmari, quum ab eo requisita fuisset exemptionem a solutione taxæ, quæ antea solvebatur seminario in scut. 12 jam obtentam, validam esse : *Setina, Tax. sem.*, 24 *sept.* 1735.

28. Actum in S. C. fuit super commutatione voluntatis Pier-Sanctis Fanti, qui dotes puellis maritandis distribuendas reliquit. Harum dotium cumulum sperabat Philippus Bezeius testatori consanguineus pro filia, ac neptibus; S. C. jussit Episcopo, ut firmaretur status, ac tam super summa, quæ ex reditibus hæreditariis superextare deberet, quam super numero puellarum jam extractarum habentium requisita a testatore mandata referret : *Camerinen., Subs. dot.*, 17 *aug.* 1737.

29. Exoptata fuit ratione redituum tenuitatis reductio ad unum ex duobus canonicatibus in ecclesia collegiata S. Pauli terræ Fortii a Volumnia Angeletti fundatis. S. C. antequam ad illam deveniret, jussit, ut firmaretur status hæreditarius coram vicario generali Card. abbatis, deputata ab eodem persona sibi benevisa pro creditorum exactione, sumptibus hæreditatis : *Nullius, seu Farfen., Un. can.*, 21 *nov.* 1739.

30. Volens hodiernus Episcopus irritam facere quamdam Missarum reductionem, quam canonici fundationis Lucatelli ecclesiæ cathedralis, anno 1693, consecuti erant, ipsis canonicis expostulantibus firmari statum redituum S. C. mandavit : *Senogallien., Red. Miss.*, 16 *decem.* 1741.

31. Quum haud executioni mandari valeret voluntas canonici Martini de Dominis, qui monasterium monialium in oppido Portiani ordinaverat, ex deficientia hæreditatis, petita fuit voluntatis commutatio, at S. C. voluit, ut status firmaretur hæreditatis canonici prædicti coram vicario apostolico, qui procedat etiam pro redditione rationum adversus hæreditatem quamdam Joan. Baptistæ de Dominis junioris, et hæredis dicti Martini : *Nullius Terræ Pontiani, Com. vol.*, 5 *maii* 1742, *dub.* 2.

32. Dum ambiguum fuit, an esset locus reductioni Missarum, vel admittendæ oblationi Jacobi Veneril pro fundo Missarum celebrandarum, seu potius reservandæ testatoris dispositionis? S. C. sanxit firmationem status hæreditatis testatoris coram Ordinario, qui auditis partibus, servatis servandis procedat prout de jure ad declarationem quantitatis bonorum, quæ detractis detrahendis remanent libera pro oneris Missarum implemento : *Mantuana, Red. Miss.* 2 *julii* 1742, *dub.* 1 et 2.

33. Ad examen positum dubium, an reditus bonorum nuncupatorum *Procura de' Beneficii* impendi deberent pro supellectili, et ornamentis ecclesiæ cathedralis sartis tectis juxta benefactorum mentem servandis; vel an dividi deberent inter canonicos una cum aliis massæ communis? S. C. statuit firmationem status tam redituum bonorum supranarratorum, quam mensæ episcopalis, et mensæ capi-

[25] Nempe, ante illius decisionem scribendum esse Episcopo Spoletano, ut auctoritate S. C. statum hæreditatis sedum tempore obitus testatoris sed etiam tempore præsenti coram se, utraque parte audita firmari juberet, idoneum exactorem, qui excuteret debitorum nomina, deputaret; necnon ad rationis redditionem cogeret eos, qui præterito tempore montem frumentarium, aliaque bona hæreditaria administrarunt : *Ead. causa*, 7 *julii* 1736, § 3.

tularis; et coadjuvarentur hinc inde probationes super consuetudine : *Melphicten.*, 30 *martii* 1743, *dub.* 1, *usque ad.* 11.

34. Capitulum ecclesiæ cathedralis causa reparationis ipsius ecclesiæ violenti terræ motu concussæ suspensionem pii operis Ansuini Cambii postulavit, et S. C. ei annuit, sed eodem tempore jussit, ut Episcopus incumberet firmationi status ejusdem hæreditatis, eumque ad S. C. transmitteret : *Camerinen. Rep. eccl.*, 18 *apr.* 1744.

35. Petita a populo Montis Milonis pro erectione ecclesiæ parochialis in collegiatam applicatio scut. 3000 summæ cujusdam multiplici ab Accursio pro annua panis distributione pauperibus eroganda relicti, et nunc ad summam usque 6000 scut. aucti; S. C. distulit resolutionem et interim præcepit, ut firmaretur status multiplici, et transmitteretur : *Macerat., Appl.*, 5 *julii* 1749.

36. Confecta a card. Corradinio fuit taxa pro seminario Setiæ, et per apostolicum breve approbata. Sed eam abnuerunt abbas commendatarius S. Mariæ Fossæ Novæ, et monasterium, ac monachi ordinis Cisterciensis civitatis Piverni. S. C. vero demandata pro præterito solutione taxæ ad formam brevis, statum pro futuro firmandum censuit : *Terracinen. seu Setina, Taxæ*, 9 *sept.* 1752, *dub.* 3.

37. Quum patres S. Augustini urbis Faventiæ in obscuro habebant, num ad applicationem Missæ in donatione a Bartolo Fornario ad commodum sodalium societatis S. Ursulæ, demandatæ tenerentur; et a quonam tempore cogendi sint ad satisfaciendum in præteritum? S. C. constituit statum firmari : *Faventina, Appl. Miss.*, 12 *maii* 1753, *dub.* 1 et 2.

38. Episcopus in ultima synodo propter æs alienum, et expensas, quibus seminarium premebatur, taxam pro tota diœcesi ad rationem duorum scutorum cum dimidio confecit, ita ut cuncti de beneficiis provisi illam exsolvere tenerentur. Episcopo autem obtemperare beneficiati recusaruut. Acta in S. C. causa fuit super hac controversia, et illa mandavit firmari statum seminarii, taxæ interim solutione minime retardata : *Brictinorien., Taxæ*, 7 *april.* 1753, *dub.* 1 usque ad 9.

39. Marianus Vetuli-Narius cathedralis ecclesiæ canonicus theologalis quum unionem beneficiorum pro incremento suæ præbendæ, quæ 34 tantummodo ducatos regni reddit, obtinere non valuisset, post munus jam per 15 fere annos expletum destitit a lectionibus populo peragendis, passusque est sequestro poni præbendæ fructus. Re ad S. C. delata, respondit ut firmaretur status, et interim canonicus theologalis lectiones explicare pergeret : *Civitatis Ducalis, Præb. theol.*, 18 *januar.* 1757, *dub.* 1.

40. S. C. cavit ut Archiepiscopus conficeret statum juxta instructionem [26], dum Thecla Ruffo ex familiis tertio ordine vocatis ab Angela Eleonora Moroni, quæ ex fructibus hæreditariis suorum censuum reliquit quasdam monasticas dotes, dotem secundum testamenti legem petit : *Firmana, Subs. dot.*, 28 *febr.* 1761. Novam iterum status firmationem juxta instructionem [27] injunxit : 18 *aug.* 1764.

41. Agitata quum fuisset quæstio, an bona a Salvatore Pecorella suo proximiori Raphaeli Musolino sua vita durante capellaniæ titulo relicta cum onere Missæ quotidianæ; et an aliarum capellaniarum erectiones ob expensas litis pro vindicandis dictis bonis suspensæ remaneant? imperavit S. C. firmari statum : *Panormitana*, 22 *sept.* 1763.

42. Status firmationem voluit S. C. ad dignoscendum, an sit locus incremento distributionis capellanis faciendo ex reditibus bonorum quæ a card. Ludovico Ludovisio Bononiensi archiepiscopo metropolitanæ ecclesiæ capitulo ad sex capellanias legata fuerunt? *Bononien.*, 13 *julii* 1765.

43. Ut numerus beneficiorum erigendorum juxta Virginii Turchi fundationem recte statueretur ad quæsitum responsum fuit, ut firmaretur status coram Ordinario citatis interesse habentibus : *Fulginaten.*, 27 *apr.* 1765, *dub.* 3.

44. Quum considerata archipresbyteri Montis Portii recusatione præstandi salarium capellano curato noviter deputato in ecclesia rurali S. Mariæ de Molara, disceptatum fuisset, an et a quo, et quomodo, et in qua quantitate deberetur eidem capellano salarium? S. C. responsum dedit ut firmaretur status servatis servandis coram Ordinario : *Tusculana*, 8 *junii* 1765, *dub.* 2.

45. Canonicus Jacobus Pomeranus erectionem ecclesiæ parochialis S. Mariæ ab Ulmo in collegiatam demandavit. Sed collegiata hæc nunquam fuit erecta, et capellani a longo tempore addicti fuerant ecclesiæ cathedrali per modum provisionis, quotidianum in ea cum ceteris de capitulo præstantes servitium. Hi nihil de distributionibus partici-

[26] Nempe, ut clarius, et distinctius referat super statu hæreditario Eleonoræ Moroni, ejusque reditibus, et pecuniis extantibus etiam ab anno 1754, antequam instantiæ supplicationis ad S. C. delatæ fuerunt, usque ad hoc tempus : *Regist. Lit.* lib. 32, *die* 18 *aug.* 1764.

[27] Videlicet, ut mandet firmari statum activum, passivumque sortis relictæ ad effectum de quo agitur cum respectiva judiciali æstimatione præcisi valoris ipsiusmet fundi una cum annuo reditu, qui modo percipitur, et percipi poterit casu, quo meliorari contingat. Ulteriusque referat, an hujusmodi fundatio utilis sit, vel necessaria signate in loco demandato, et in ista diœcesi respective exquirendo a communitate, an illa valeat assensum ad memoratum effectum reponere : *Regist. Lit.*, lib. 32, *die* 24 *sept.* 1764.

pantes, supplicant pro reductione servitii chori ad dies festos tantum. S. C. firmari statum præcepit resolutionem protelando: *Alexandrina*, 21 *nov.* 1767.

46. Capitulum ecclesiæ collegiatæ civitatis Cerreti exponens se gravari S. Martini oneribus, quibus gravabantur parochiales, et beneficia illi unita, ab onere Missæ conventualis eximi optabat. S. C. ei definitione protelata, statum coram Ordinario servatis servandis firmari injunxit: *Thelesina*, *Miss. conv.*, 4 *junii* 1768.

47. Archihospitale ecclesiæ S. Jacobi incurabilium hæreditatem Ceciliæ Merisi legatis piis onustam habuit cum beneficio legis et inventarii. Imminutam inde et oneribus gravatam ita comperiit, ut iis impletis grave in scut. 1077, ob. 86 damnum subierit, hac de causa non solum inquirebat redintegrationem, sed onerum etiam reductionem postulabat. S. C. firmandum primum statum a perito a secretario deputando juxta instructionem [28] putavit: *Romana*, *Red. leg.*, 16 *decem.* 1769.

48. Imminuta ex variis locorum Montium extractionibus capellaniarum ab Alexandro Valtrinio fundatarum dote, imminuti sunt etiam fructus earum. Quæritur hinc, num archiconfraternitas Sanctissimæ Annuntiatæ penes quam dotes existunt, cogi valeat ad supplendum capellanorum reditibus, et quomodonam sit pro summis deficientibus tam præteritis quam in posterum decurrendis providendum? Responsum est firmetur status integræ hæreditatis juxta mentem [29]: *Romana*, *Cap.*, 10 *febr.* 1770.

49. Ludovicus Sarra plurima legata ordinavit solvenda a possessore canonicatus, quem erigendum voluit. Canonicus Dominicus Frangarozzius a testatore nominatus animadvertens reditus bonorum canonicatui unitorum longe impares esse ad tot tantaque superaddita onera implenda, supplicat pro reductione legatorum. S. C. nulla data definitione statum juxta instructionem firmari sancivit: *Bononien.*, *Red.*, 28 *julii* 1770.

50. In ultimam inopiam mons pietatis Consolini urbis Perusiæ incidit, temporale indultum apostolicum recipiendi scut. 3 pro quolibet centenario assecutus est. At absoluta facultate, ejusque prorogatione, perpetua postulatur, et S. C. firmandum esse statum redituum Montis censuit: *Perusina*, *Mon. Piet.*, 20 *apr.* 1771.

51. Quum capitulum ecclesiæ cathedralis Setiæ, et episcopalis mensa ob redituum inopiam fabricæ reparationi refragaretur, quæsitum est, quisnam ad reparandam cathedralem cogendus esset. Sed nulla a S. C. edita definitione, voluit prius ut firmetur status redituum mensæ Terracinensis, Privernensis et Setiæ juxta instructionem [30]: *Terracinen. et Setina*, 14 *decem.* 1771, *dub.* 5.

52. Deinde dubitatum fuit de conspicuis reditibus ecclesiæ sacrarii, et firmari statum redituum ejusdem sacrarii pariter mandavit: *Ead. causa*, 9 *maii* 1772.

53. Optata a capitulo ecclesiæ collegiatæ SS. Petri et Dalmatii civitatis Alexandriæ fuit gratia exemptionis ab onere applicationis Missæ conventualis, et a S. C. rescriptum est dilata, et firmetur status: *Alexandrina*, *Miss. conv.*, 22 *januar.* 1774, *dub.* 2.

54. Capellaniarum ab Hilario Mauro in basilica Lateranensi ob fortuitas bonorum vicissitudines imminuti sunt reditus, implorata ob id est onerum reductio, et respondit S. C. eligendum prius peritum judicialem pro firmatione status: *Romana Cap.*, 17 *julii* 1775.

55. Domus Veliternæ ad capellanias a Joanne Baptista Stacconio fundatas spectantis instauratio causa fuit petendi a S. C. suspensionem Missarum, donec scutis 154 in ea instauratione erogatis redintegrari posset hæres. S. C. nullam edens decisionem, ut status firmetur mandavit: *Romana*, *Susp. Miss.*, 17 *junii* 1775.

56. Jacobus de Comitibus animam suam recitavit hæredem, et suis executoribus testamentariis, ne sua unquam mutaretur voluntas, vetuit. Commutata tamen illius voluntas fuit, ut ex superextantibus hæreditatis reditibus desumerentur annua scuta 200 pro constructione et erectione. Conservatorii pro ibi fovendis recipiendisque periclitantibus puellis. Necesse fuit exquirere, num locus sit aperitioni oris adversus Breve pontificium ab Episcopo pro commutatione obtentum. S. C. nullam definitionem proferens, statum conservatorii et hæreditatis firmari existimavit. *Asculana*, *Com. vol.*, 20 *januar.* 1776, *dub.* 1.

57. Cadit in deliberationem, num dos a Joanne Baruffio in summa scut. 25 in favorem puellarum relicta sit in ea quantitate distribuenda, quæ detractis oneribus de reditibus hæreditatis superest, dummodo summam scut. 25 non excedat? S. C. quin aliquid resolveret, statum hæreditarium a perito curiali firmari decrevit: *Romana*, *Sub. dot.*, 27 *apr.* 1776.

58. Status firmatio a S. C. præcipitur dum legatorum a Juditta, Josepho Gabrieli, Maria Amaliæ et Michaeli Angelo Foglianio, et a Jacobo San-

[28] Id est, firmandum esse statum hæreditarium de decennio in decennium a perito, ut singula luculentius appareant: *Ead. causa*, 14 *maii* 1774.

[29] Vide not. 280, verb. *Capellania*, § III.

[30] Vide not. 22, verb. *Ecclesia in genere*, § VI.

tillio relictorum commutatio imploratur, et firmatio hæc fieri debet uniuscujusque legati, et hæreditatis respective testatorum et ad mentem [31]. *Cajetana, Com. vol.*, 13 *julii* 1776.

59. Patres conventuales civitatis Vadensis, qui tanquam administratores hæreditatis tam Corneliæ, quam Vincentii Vernazzi legata ob impares hæreditatis vires præstare renuebant, propriis pro nunc sumptibus, et deinde cujus de jure status hæreditarii firmationem explere teneri sancitur: *Vaden., Leg.*, 13 *martii* 1780.

60. Peracta erectione collegiatæ ecclesiæ S. Angeli in civitate Anagniæ a Joanne Baptista et ab ejus consobrina Matthia Rauli testamento demandata, capitulum hæres institutum ab onere tum quotidianæ trium Missarum celebrationis, tum Missæ conventualis se gravatam sentiens postulat quotidianas Missas ad unam reduci. S. C. decisionem protelando, ut hæreditatis utriusque status firmaretur, deque reditibus et oneribus capituli doceretur, decernit: *Anagnina*, 10 *febr.* 1781.

61. Capitulum et canonici S. Gregorii Magni Spoletti temporariam Missarum reductionem ejusdemque prorogationem obtinuerunt. Postmodum ad eorum preces fuit ad aliud biennium gratia prorogata, sed etiam jussum ut interim ad firmationem status deveniat: *Spoletana*, 15 *sept.* 1781.

62. Dum Joannes Dominicus Perillius parochus S. Michaelis archangeli juris remedio ad solvendam cathedrali mediam annatam cogebatur, allegavit suæ parochiæ paupertatem, utpote quæ reditus scut. 100 non attingit, ideo re in S. C. deducta hæc statum parochiæ firmari demandavit: *Verulana, Mediæ ann.*, 29 *nov.* 1788.

63. Status hæreditatis Mancini firmatio a S. C. mandatur, antequam ad sanciendum, an abolitioni vel reductioni oneris Missarum sit locus? deveniatur. Prima enim et secunda Mancini uxor, illum gravarunt onere Missarum, tributa viro facultate bonorum medietatem alienandi, et quatenus non alienasset tot Missarum reliquit legatum, quot ad rationem obolorum decem pro quolibet, reditus ferrent: *Asculana, Cap.*, 31 *julii* 1790, *dub.* 1 et 2.

Fons baptismalis. Vide *Baptismalis Fons.*
Foraneus Vicarius. Vide *Vicarius foraneus.*
Fori Privilegium. Vide *Clerici*, § III.
Forma. Vide *Concursus*, § III.

FORUM.

Pro comperto non habetur, an administratores confraternitatum laicalium agendo contra debitores earumdem possint illos convenire tam in foro ecclesiastico quam in foro laicali? S. C. censuit recurrendum esse in casibus particularibus: *Ferentina Jur.*, 15 *martii* 1704, *dub.* 1.

Frigiditas ad copulam. Vide *Matrimonium*, § XV.
Fructus quoad applicationem. Vide *Applicatio.*

FRUCTUS.

§ I.

Fructus quoad condonationem.

1. S. C. oratorii condonavit omnes fructus, quos ob non emissam fidei professionem suos non fecit, ita tamen ut eleemosynam arbitrio Episcopi pauperibus erogaret, et eamdem fidei professionem ad sacri Concilii Trid. præscriptum [32] quamprimum emitteret: *Novarien.*, 16 *martii* 1630.

[31] Et mens est, ut scribatur Episcopo juxta instructionem: *Ead. causa*, 13 *julii* 1776.

[32] Sess. 24, cap. 12, *de Reformat.*, ubi decernitur. « Cum dignitates. . . . provisi etiam de beneficiis quibuscumque curam animarum habentibus, teneantur a die adeptæ possessionis ad minus intra duos menses, in manibus ipsius Episcopi, vel eo impedito, coram generali ejus vicario, seu officiali, orthodoxæ suæ fidei publicam facere professionem, et in Romanæ Ecclesiæ obedientia se permansuros spondeant, ac jurent. Provisi autem de canonicatibus, et dignitatibus in ecclesiis cathedralibus, non solum coram Episcopo, seu ejus officiali, sed etiam in capitulo, idem facere teneantur: alioquin prædicti omnes provisi, ut supra, fructus non faciant suos, nec illis possessio suffragetur. » Huic dispositioni conciliari accessit Const. *In Sacrosancta*, 13 novem. 1564 (*Bull Rom.* tom. 4, part. 2, pag. 201.) Pii IV, ubi forma professionis fidei catholicæ observanda a quibuscumque promotis, et promovendis ad aliquam liberalium artium facultatem, electisque, et eligendis ad cathedras, lecturas, et regimen publicorum gymnasiorum sive clerici sint, sive laici præscribitur; et altera Const. ejusd. Pont. *Injunctum nobis*

2. Perspecta bona oratoris fide, S. C. ei benigne condonavit cunctos fructus hactenus perceptos; ita tamen ut aliquid eleemosynæ arbitrio sui confessarii Christi pauperibus elargiretur: *Bisignanen*, 17 *aug.* 1630.

3. Joachim Provenzalius pii testatoris abnepos, quum ex persona abavi sui esset debitor erga capellaniam laicalem tum pro quantitate librarum 288, tum pro aliis libris 170 et solidis 15 petiit, ut ab utroque præ inopia absolveretur. Obtinuit jam ante suæ paupertatis ratione capellaniæ administrationem suspensa nominatione, modo petitioni responsum habet hoc modo, quod nempe altera medietas eroganda sit in redintegrationem capellaniæ donec ære alieno se eximat, celebratis tribus Missis in singulos annos, facto verbo cum Sanctissimo: *Aquen*., *Cap.*, 3 *febr.* 1787, *dub.* 2.

4. Antonius Amaya in favorem Josephi Sanchez Brioso beneficium ecclesiasticum, cui adnexum erat officium æditui ecclesiæ parochialis villæ *Fuentes de Leon* libere resignavit, sed privatim cum eodem et Eusebio illius patre convenit, ut officii exercitio incumberet resignatarius, et ipse fructus beneficii perciperet; qua de causa Joseph poposcit, et obtinuit absolutionem a censuris, eodemque tempore fructuum condonationem, aliqua summa in pauperum levamen distributa, retulit: *Nullius S. Jacobi de Spatha*, 21 *april.* 1792, *dub.* 1.

5. Capellaniam collativam a Francisco Ercolani in ecclesia S. Silvestri terræ Constantii institutam qui in erectione appellata fuit beneficium, retinet a quadriennio Petrus Corradini patroni filius in conjugali statu per alium oneribus impletis. Monitus ab Episcopo exorat S. C. quoad præteritum pro absolutione, et fructuum perceptorum condonatione, et S. C. annuit: *Fanen.*, *Ben.* 15 *julii* 1797, *dub.* 2.

§ II.

Fructus quoad erogationem, investimentum, ac multiplicum.

1. Perpetuam Joannes de Bussis prælaturam instituens mandavit, ut primus hæres quotannis investiret scut. 500 et ut alii in ea prælatura successores investire tenerentur scuta mille, cujus tamen investimenti fructibus frui valeret. Initio investimentum hoc scuta ter millia reddebat; nunc vix summam attingit scutorum 1787. Quum ex Const. Alexandrina pro alendo Romanæ Curiæ prælato necessaria sit summa 1500 scutorum in annuo reditu; opus est definire, in quanam summa fieri debeat quolibet anno investimentum? S. C. decidit esse investienda, et multiplicanda quolibet anno scuta biscentum juxta modum, in reliquis ad mentem: *Romana*, 6 *decem.* 1721.

2. Fructus, ac pecuniæ, deductis oneribus superextantes et hæreditate Hyacinthi Sgambæ in celebrationem aliarum Missarum præter taxatas a testatore, et ab Ordinario sunt erogandæ: *Firmana*, *Legat*, 12 *febr.* 1729, *dub.* 2.

3. Ac Missarum oneri etiam fructus bonorum valoris scut. 1500 ad ecclesiam hæredem post obitum legatarii sine filiis reversorum subjacere debet: *Ibid.*, *dub.* 4.

4. Quum patroni capellaniæ institutæ ab Addetio Martelli in ecclesia parochiali S. Nicolai oppidi Aquævivæ nominassent tantum sacerdotem pro celebratione Missarum assignata eleemosyna julii unius; S. C. ei præfixit terminum ad nominandum capellanum ad formam testamenti: et ad quæsitum de reditibus superextantibus capellaniæ sub sequestro positis quid faciendum sit, S. C. esse investiendos in favorem capellaniæ respondit: *Ripana.*, *Cap.*, 7 *maii* 1791, *dub.* 3.

3. In distributione subsidiorum dotalium erogandos esse fructus sortis superlucratæ a sodalibus S. Appolloniæ urbis ex investimento promissarum dotium decernitur: redintegrato prius ex eadem sorte fundo legati Egidii in duobus locis montium, et deductis ex ejus fructibus expensis sodalitii pro administratione bonorum, necnon celebrato quotannis anniversario pro fundatoribus, et benefactoribus: *Romana*, *Subs. dot.* 31 *maii* 1794, *dub.* 1.

6. Ex legato pio relicto a Josepho Stropeno, ac inde ab hæredibus declarato summa scut. 18, 15, fructuum census creati in favorem ejusdem legati deposita in Monte Pietatis Arimini supererat ob intermissam aliquibus annis Missarum celebrationem, ideo obscurum est, an, et quomodo hi fructus erogari debeant? rescribitur, erogandos esse ad formam fundationis in Missarum celebratione ad taxam ob. $12\frac{1}{2}$, deductis expensis pro constituendo legato necessariis ab Ordinario liquidandis: *Ariminen*, *Leg.* 11 *febr.* 1797, *dub.* 3.

eod. die et anno (*Ibid.* pag. 204), qua exhibetur forma professionis fidei observanda a provisis de beneficiis ecclesiasticis curatis, ac dignitatibus, ecclesiis, monasteriis, et aliis locis ordinum regularium, et militarium. Hæc tamen non est usu recepta quoad illos prælatos, qui regularium regimini præficiuntur, a capitulis, seu a suis superioribus, non a Sancta Sede, ut notat Thesaurus *de Pœnis Eccles. Verb. fidei*, cap. 1, num. 4, pag. 186. Denique Concilium Rom. celebratum a Bened. XIII, anno 1725, tit. 1, cap. 1 et 2, declarat quando, et a quibus emittenda est professio fidei sub pœnis in præfata Pii IV Const. latis, aliisque Episcoporum arbitrio statuendis.

7. Hæredem suam animam Matthæus Restagno instituit, mandavitque prioribus societatis Suffragii in parochiali ecclesia *di Niella del Tanaro* erectæ ut pretium suarum rerum mobilium, necnon fructus bonorum stabilium in tot erogaretur Missas. Vendita autem hæc bona stabilia fuerunt, et pretio occupato in montibus Augustæ Taurinorum crevit reditus ex scut. 77 ad scut. 133. Propterea applicatio auctæ summæ petita fuit in manutentionem vice-curati, ut rectius onerosum curare gregem dictæ parœciæ posset; et ad dubium exhibitum, an et quomodo reditus hæreditatis Restagno erogandi sint? respondit S. C. affirmative ad formam testamenti, detracta tamen in favorem vice-curati summa ab Episcopo designanda : *Mon. Reg.*, *Appl.* 9 *sept.* 1797.

8. Quum ea omnia, quæ testator Card. Petrus Paulus de Comitibus ejus executor testamentarius P. Tomas germanus frater, et subsitutus canonicus Valenti trium ecclesiarum de jurepatronatus familiæ præscripserunt, impleta fuissent usque ad annum 1790, quo canonicus Valenti administrationem dimisit, ideo inexacti fructus locorum Montium, sacra, aliaque neglecta sunt; et ad dubium quoad eorumdem fructuum erogationem prolatum, rescriptum est erogandos esse juxta votum Archiepiscopi [33] : *Camerinen.*, 18 *novem.* 1797, *dub.* 4.

§ III.

Fructus, cui et a quo tempore debeantur, et sint restituendi.

1. Præcepit Maria de Aquilera erectionem conventus ordinis S. Francisci Recolectorum provinciæ Granatensis, vel monasterium monialium minimarum infra sexennium, et in defectu erectionis vocavit Hospitale, atque eremos oppidi de Areonilla. Perdiu voluntas prædicta haud executa fuit. Imo regius assensus, et oppidanorum pro conventus constructione negatus fuit, sed pro erectione monasterii monialium datus, cujus vix incepta fuit ædificatio, vicarius generalis administratorem ad restitutionem omnium bonorum, ac fructuum in favorem eremitarum damnavit. Consulta S. C. censuit hæreditatem Mariæ una cum fructibus esse restituendam tertio loco vocatis ad formam testamenti, et codicilli : *Giennen.*, *Com. vol.*, 12 *januar.* 1704, *dub.* 2.

2. In dubium venit, an omnes fructus mensæ archiepiscopalis Turritanæ pendentes ante *præconizationem*, et post eam maturati, integre spectent ad Archiepiscopum, vel sint pro rata parte inter ipsum, et ecclesiam cathedralem dividendi? responsum extitit, ut probationes super asserta consuetudine hinc inde probarentur, distinguereturque quantitas fructuum præfixo termino trium mensium : *Turritana.*, 15 *novem.* 1704, *dub.* 1.

3. Marchio Cæsar Vidonius, deficientibus suæ familiæ masculis, mandavit, ut patribus ordinis Eremitarum conventus, et ecclesia construeretur : disposuitque, ut ex nonnullis suis reditibus in parochiali ecclesia S. Joannis de Cruce feudi sui erigeretur collegiata. Voluntas hæc ob redituum paucitatem executioni committi nequivit. Card. Petrus Vidonius hujus collegiatæ erectionem ter mille additis insuper scutis expediri moriens jussit. Quum hanc hæredes erectionem omisissent, precati sunt, ut pia utriusque Vidonii voluntas commutaretur : Sed S. C. causam cunctando jussit, ut Ordinarius interim juris remedio cogeret quos de jure ad promptam fructuum restitutionem utriusque legati tam marchionis Cæsaris, quam Card. Petri, illosque penes ædem sacram deponi curaret : *Cremonen.*, *Com. vol.*, 31 *maii* 1704 decrevit inde, ut fructus a die obitus Card. Vidonii deberentur : 23 *julii* 1707, *dub.* 4, confirmata 19 *novem. ejusd. ann.*

4. Beneficii residentialis a sacerdote Antonio Lacingula in ecclesia archipresbyterali oppidi Serræ Capriolæ possessi fructus tempore non peractæ residentiæ amissos ei deberi, sed aliis, qui sunt præsentes, accrescere S. C. definiit : *Larinen.*, *Priv.*, 2 *maii* 1711, *dub.* 2.

5. Franciscus, et Tarquinius de Leoninis hæredem nuncupavit Petrum Germanum, ad hoc ut seminarium pro educandis in ecclesiasticis disciplinis adolescentibus erigeret. Petrus presbyteris congregationis Missionis Montis Citatorii urbis et sua, et a fratribus provenientia bona donavit, ut in cantu, ritibusque sacris adultos erudirent ecclesiasticos Amerinos. S. C. postquam de fratrum non de propriis bonis donationem infirmaverat, præcepit, ut donatarii presbyteri seminario puerorum ab ipso etiam Petro ante donationem in ultimis tabulis instituto, nedum bona ab hæredibus fratrum derivantia, sed omnes etiam fructus a die obitus Petri usque ad præsentem diem elapsos, et ex bonis præfatis perceptos, multiplicatos, investitos, et in sortes

[33] Qui ait. « Æque conveniens esse, ac summopere expediens, quod fructus dictorum locorum Montium elapsi, et decurrendi, qui supererunt, factis dumtaxat necessariis expensis juxta mentem, ac expressam voluntatem testatoris, iterum impendantur pro summa saltem scut. 200 in augendos in perpetuum annuos reditus parochi pro tempore prædictæ ecclesiæ S. Mauri; præsertim quia parochus ex bonis hujusmodi ecclesiæ vix annuatim percipit scuta 50. « *Ead. causa*, 18 novem. 1797, § 9.

principales conversos, restituerent : *Amerina, Præt. erect. sem.*, 12 *novem.* 1712, *dub.* 2.

6. Fructus autem ab ipso Petro a die obitus Francisci, et Tarquinii fratrum, ex bonis eorum hæreditariis perceptos seminario erigendo restituendos nequaquam esse, sententiam protulit : *Ead. causa*, 1 *decem.* 1714.

7. Quum capellaniam laicalem a Petro Falconetto institutam per matrimonium Virgilii de Vigiliis vacasse S. C. decrevisset; disputatum quoque fuit, an et a quo tempore fructuum capellaniæ a Virgilio possessæ restitutio deberetur? et responsum prodiit deberi a die motæ litis : *Reatina, Cap.*, 22 *sept.* 1714, *dub.* 2, confirmata 9 *febr.* 1715.

8. Matthæo Francisco Ciancio capellaniæ habitu sacerdotalis a Joan. Baptista Altovito institutæ, possessori die 10 octobris anni 1713, præfixus de mandato S. C. fuit terminus unius anni ad recipiendum presbyteratum, et ut fieret depositum summæ fructuum capellaniæ. Pro istius capellaniæ fructuum consecutione a præfata die 10 octob. instantias renovat Ciancius; et responsum habet, ut instet postquam a tempore præscripto factus fuerit sacerdos : *Romana, Cap.* 6 *junii* 1716, *dub.* 1. Pro dictorum fructuum consecutione ad sacerdotium quamvis promotus non fuerit, institit inde, eo quod capellania non sufficiat pro sacro patrimonio, et ipse supplementum aliunde habere non valeat. S. C. resolvit deberi fructus, et celebrandas esse Missas a die, qua Ciancius constitutus fuit in ætate, qua promoveri potuit ad sacerdotium, et in futurum juxta mentem testatoris : 10 *julii* 1717, confirmata 27 *novem. ejusd. anni.*

9. Petrus Paulus Brandus nonnulla Montium Cameralium loca archiconfraternitati SS. Stigmatum S. Francisci legavit, ut in eorum ecclesiæ, ac capellæ fabricam erogarentur fructus, perpetuoque multiplico investirentur. Jacobus hæres institutus magna pressus paupertate, supplicavit, ut filiabus suis illa loca Montium applicarentur. S. C. resolvit ut traderentur fructus investiti, et usque ad præsens elapsi locorum sorte integra remanente. Percunctatus post quinque annos a S. C. est, num archiconfraternitas ad fructus, qui percipi potuerunt, et exacti, ac investiti non fuerunt, teneretur, illique essent oratoris filiabus consignandi? et responsum tulit negativum, salvis juribus, si quæ in capellæ favorem competunt : *Romana, Mult.*, 5 *junii* 1717.

10. Alexander de Calvis signaturæ justitiæ votans ab Innocentio XII, Pont. Max., obtinuit Breve, quo multiplicum a Laurentio de Calvis ordinatum pro suæ dignitatis conservatione suspendebatur. Breve hoc ratum habuit S. C., sancivit inde fructus a tempore, quo hoc Breve expiravit, haud esse restituendos : *Romana, seu Praten., Ind.* 11 *junii* 1718, *dub.* 2.

11. Otho a Malsburg canonicatum obtinuit in ecclesia S. Petri extra muros civitatis Moguntiæ una cum dispensatione retinendi canonicatum etiam in ecclesia metropolitana ejusdem urbis, et alium canonicatum, et decanatum collegiatæ. Capitulum cœpit ei fructus canonicatus controvertere, eo quod ad formam antiqui statuti non habitabat in ædibus ecclesiæ claustralibus. Moritur canonicus, et ejus hæredes probantes plura adesse statuta, quæ huic adversantur, et probantes statutum illud non fuisse a Summo Pontifice confirmatum, quinimmo nec olim, nec hodie illud observari ostendentes, fructus auctoris vita durante elapsos postularunt, et habuerunt : *Moguntina, Con. fruct. can.*, 15 *maii* 1723.

12. Declarata nullitate contractus emptionis venditionis nonnullarum beneficialium domorum a rectore peractæ, capitulum cathedralis fructuum ab emptore Stregapede perceptorum restitutionem postulavit; et responsum accepit fructus rei non melioratæ a die motæ litis deberi, fructus vero meliorationum deberi nullos, reservatis juribus hæredibus Stregapede agendi pro damnis et interesse passis ob non factum investimentum, quod a beneficiato fieri oportebat, prout de jure et contra quos de jure : *Ruben., Null. alien.*, 28 *aug.* 1723, *dub.* 3.

13. Et hoc decretum servandum esse ad effectum imputandi in computum expensarum, et meliorationum eosdem fructus perceptos, deciditur : *Ibid., dub.* 4.

14. Joannes Lucas Fabianus presbyter oratorii S. Philippi multiplicum de tota sua hæreditate tum pro constructione collegiatæ in oppido S. Romuli, tum pro institutione primogenituræ in favorem familiæ Arconatæ, instituit. Senatus Januensis bona hæreditaria divisit, et partem Josepho Antonio Arconato ratione primogenituræ dedit, partem ad multiplicum Januæ conficiendum juxta testatoris votum reliquit. Hanc senatus provisionem infregit S. C. et ad dubium, an, a quibus, et super quibus bonis deberentur fructus, et fructus fructuum neglecti multiplici in favorem erigendæ collegiatæ? responsum prodiit, scribendum esse Archiepiscopo juxta instructionem [34] : *Januen., Erect. coll.*, 23 *januar.* 1734, *dub.* 3. Deinde sancivit, marchionem Arconatum ad perceptorum fructuum restitu-

[34] Quæ fuit, ut idem Archiepiscopus, auditis etiam executoribus, vel etiam hæredibus, aliisque interesse habentibus S. C. distincte redderet instructam circa quantitatem patrimonii relicti, et circa alienationes, quando, et a quibus factæ fuerint : *Ead. causa*, 18 decem. 1734, § 1.

tionem teneri ad effectum investiendi in tot locis Montium in Urbe ad formam testamenti, necnon esse in creditum legatorum piorum ad formam ejusdem testamenti sortem transferendam, reservato rev. fabricæ jure agendi contra executores testamentarios, aut hæredes quatenus de jure, et prout de jure : 18 *decem. ejusd. anni*. Tandem Arconato, qui succubuit, instante, S. C. mandavit, ut exquireretur votum Rotæ [35] : 21 *maii* 1735.

15. Fructus et ducatorum 1500 sortem a Pompeio Sarnellio episcopo Vigiliensi, dum vitam colebat, in chyrographo relictam ad hoc, ut construeretur novum seminarium pro recta puerorum educatione, non legatariis, qui voluntatem inter vivos declaratam, revocatam in codicillis fuisse contendebant; sed pro jussi seminarii erectione dispositam, destinatamque fuisse S. C. judicavit : *Vigilien.*, 14 *april.* 1736, *dub.* 1, confirmata 7 *julii ejusd. anni*.

16. Nuntius Baccarius episcopus Bojanensis in Urbe vices vicarii gerens, et Pontificio solio assistens, ex bonis, quæ in diœcesi manebant, animam suam scripsit hæredem. Promotor fiscalis testamentum dixit irritum, ex solemnitatum destitutione et ex vi Constitutionis Innocentianæ *Inscrutabili* [36], quæ bona illa in beneficium cathedræ erogari jubet. Nullum quippe testamentum pronunciavit S. C. Modo autem definiit, ut fructus hæreditatis istius, quos canonici, et mansionarii fiduciarii hæredes pro Missarum satisfactione impenderant, assignentur in favorem ejusdem cathedralis : *Bojanen.*, *Spol.* 10 *martii* 1742, *dub.* 2.

17. Ab œconomo parochialis ecclesiæ S. Bartholomæi pagi Fucis ab Episcopo nulliter ab altera parochiali D. Andreæ sejunctæ fructus omnes perceptos esse restituendos, deductis expensis, et mercede ipsius œconomi, S. C. resolvit: *Montis Alti*, *Diss. union. eccl.*, 5 *decem.* 1744, *dub.* 3.

18. Erectionem dignitatis archipresbyteratus in ecclesia cathedrali fieri jussit Petrus Franciscus Nardius. Protracta erectio fuit, eo quod testamentarius executor de istius expensis contenderet. Factum hinc est, ut quæri opportuerit, num fructus bonorum specialiter pro demandata erectione designatorum, spectarent ad hæreditatem testatoris, vel ad archipresbyterum a die obitus testatoris? S. C. resolvit, fructus post obitum hæredis usufructuariæ usque ad diem petitionis judicialis erogandos esse in expensas constructionis sedilis; reliquos vero spectare ad archipresbyterum : *Tolentina*, *Erect. arch.*, 5 *dec.* 1744, *dub.* 2.

19. Sacerdoti Jacobo Simiæ ecclesiæ cathedralis participanti, qui ab ea participatione, postquam perpetuam archipresbyteri præfatæ ecclesiæ coadjutoriam obtinuerat, remotus fuit, a S. C. edicitur, ut ipse non teneatur ad restitutionem fructuum post acquisitam coadjutoriæ possessionem perceptorum : *Ruben.*, 30 *martii* 1748, *dub.* 3.

20. Diuturna in collegiata ecclesia oppidi Proxeudis consuetudo vigebat, qua præscribebatur, ut annui reditus archipresbyteri, aut canonici, beneficiative mortui in duodecim dispertirentur partes, et rata portio pro præstito servitio illi debita reservaretur hæredibus; et ut annus a mense septembris inciperet. Hinc Joseph Graselius hæres archipresbyteri die 24 martii anni 1748 mortui fructuum, et redituum partem, quæ septem mensibus responderet, petiit a successore archipresbytero, qui possessionem die 23 april. est nactus. Disserendi locus datus est super fructuum pertinentia, et S. C. sancivit, septem mensium fructuum ratam partem non

[35] Constans opinio fuit sacri Rotæ tribunalis ut investimentum facere negligens, ad quod sciebat se esse obligatum, teneatur ad quanti interest, investimentum non esse factum, etiam si non fuisset interpellatus, quod constat ex decis. 6 et 7 *per tot. cor. Falconier.* tit. 46 *de Usur. et Fruct.* Et multiplici natura essentialiter hæc est, quod fructus coacerventur, et in augmentum patrimonii convertantur usque ad præfinitum terminum, ut ex decis. 30 *cor. eod.* cit. loc. n. 19. Et fructus non debentur ratione moræ sed tanquam incrementum intrinsecum rei legatæ, cujus dominium a die mortis testatoris, fictione juris transit in legatarium, vel ratione damnorum, et interesse, si hæres pecuniam non impendit juxta præceptum testatoris, Rota decis. 143, num. 7, part. 8, recen. Et inter fructus, et fructus fructuum verbalis est distinctio, quia cum testator voluerit, fructus investimenti in augmentum sortis suæ hæreditatis, cum fructus augeant hæreditatem non est agendum amplius de fructibus fructuum, sed de fructibus hæreditatis, quia tales sunt effecti isti fructus de mandato testatoris, qui ita potuit disponere, quod firmatur ex decis. 682, num. 3, part. 11 recen. Maxime cum augmentum recipiat naturam principalis accti. Excludi insuper debet bona fides Arconati, quia nemo sibi persuadet senatum Januensem potuisse piam testatoris commutare voluntatem.

[36] Innocentii XII 28 januar. 1694 in qua eximuntur prælati regni Neapolis a jure Cameræ Apostolicæ assequendi spolia, et fructus suarum ecclesiarum, in harum tamen utilitatem convertenda, et illis non indigentibus, ad parochiales ecclesias eorum regimini commissas applicanda. Hanc ampliavit Bened. XIII etiamsi prædicti moriantur extra residentiam. Const. *Sacrosancti Apostolatus*, 11 julii 1724, § 3 necnon § 5 voluit, ut ex spoliis fiant dotes applicandæ dumtaxat ecclesiarum fabricæ a Præsule cum consilio capituli, excepta tantum ecclesia metropolitana Beneventana dote non indigente. Iterum ampliatur Const. altera *Romanum decet*, 12 octob. 1726, § 3 quoad bona etiam, de quibus Præsules per donationem, aut alium contractum inter vivos cum reservatione usus ad sui vitam commoditatem disposuerint. Quibus Const. demum accessit Const. *Pastoralis sollicitudo*, 28 april. 1756 qua Sum. Pont. Bened. XIV quoad spoliorum applicationem novas superaddidit cautiones.

moderno archipresbytero sed hæredi mortui archipresbyteri deberi : *Ferentina.*, *Fruct.*, 2 *aug.* 1749.

21. Patres congregationis S. Philippi Nerii sacerdotem Joan. Antonium Luchinium ex hæreditatis a Joanne Nellio relictæ vi admissum, ob nimiam morum censuram fastiditi removerunt. Remotio hæc neglectis ipsis ordinis constitutionibus facta reprobata fuit a S. C. ; deinde decretum est, ut præfati patres eidem P. Lucchinio omnes fructus ex asse Joannis Nellii perceptos, pro toto tempore, quo ipse absens fuit, tradere deberent : *Forolivien.*, 11 *julii* 1750, *dub.* 3.

22. Nonnullæ mulieres, quæ induunt habitum tertii ordinis Carmelitarum, accesserunt ad excolendas puellas oppidi Arcis Priorum ; ac annua scuta 36 a Sum. Pontifice, ac nonnulla subsidia dotalia, ut conservatorium erigerent, obtinuerunt ; et istæ ex pecunia subsidiorum dotalium 4 cum dimidio loca Montium emerunt. At nolentes Episcopi jurisdictioni subesse urbem repetierunt, et perplexæ sunt, an fructus locorum Montium transferri in earum favorem ? S. C. decidit minime eosdem fructus eis deberi, sed domui, seu scholæ magistrarum piarum prædicti oppidi ad formam rescripti Sum. Pontificis deberi : *Tusculana*, 30 *januar.* 1768, *dub.* 3, confirmata 23 *april. ejusd. anni.*

23. Testator defendens Brusatius capellaniam erigi jussit ; at hæres Camilla unica filia ob æs alienum, quo gravabatur hæreditas, erectionem prætermisit, et concilio theologorum Missas nonnullas celebrare curavit, quia aliter Camillæ ipsi legitima de jure debita super bonis paternis omnino defecisset. Modo hodiernus hæres dictæ Camillæ quærit, num prænuncupati testatoris hæredes teneantur fructus perceptos a fundis capellaniæ erigendæ detractis expensis, et in cujus favorem, et in quos usus sint illi erogandi ? S. C. rescripsit, quoad præteritum in omnibus ad secretarium cum Sanctissimo, et quoad futurum ad secretarium cum Sanctissimo pro observatione contractus anni 1750 et 1751 [37], et orator acquiescat : *Novarien.*, 7 *aug.* 1779, *dub.* 2.

24. Franciscus Basilius duas erigi capellanias mandavit, primam testamento in ecclesia cathedrali, alteram codicillis in ecclesia monialium S. Luciæ, prioris non facta mentione ; immo bona alteri assignavit, quæ in favorem primæ disposuerat. Primam non secundam erigi voluit S. C., et quoad fructus locus est restitutioni contra quos de jure a mense januarii 1757, quo tempore detentori bonorum integra concidit fides : *Civitatis Plebis*, *Erect. cap.*, 27 *novem.* 1784, *dub.* 3.

25. Diu multumque neglecta erectio fuit annis nempe 80, et ultra canonicatus a canonico Josepho Piciocchi illegali testamento ordinata in ecclesia cathedrali, quam Catharina Barbarassia usufructuaria voluit statim perfici post ejus obitum ; ac Joseph Silvestrelli filius Jacobi executoris testamentarii nonnullis Missis statutis jussit dictam erectionem aliis attributis bonis post mortem germani ejus fratris Cæsaris faciendam. Ob id rev. fabrica S. Petri comparuit, sed instante capitulo dictæ ecclesiæ demandata fuit erectio ad formam testamenti Silvestrelli ; et quoad fructus responsum est negative : *Viterbien.*, *Erection. can.*, 21 *junii* 1783, *dub.* 2. Postmodum recessit a decisis et deberi fructus rev. fabricæ quoad bona Barbarassiæ ab anno 1783 ; quo vero ad bona Josephi Silvestrelli a die obitus Cæsaris, detracta eleemosyna erogata in celebratione Missarum : 28 *maii* 1796, *dub.* 2. Denique confirmata juxta modum [38] : 21 *jan.* 1797.

26. Ex duobus piis sodalitiis, altero nimirum Sanctissimi Sacramenti, et altero S. Mariæ Suffragii, quæ inter cetera in oppido S. Elpidii ad Mare diœceseos Firmanæ enumerantur, unum composuit Archiepiscopus. Suffragii confratres obtenta redintegratione, percontati etiam fuere, an, et a quo tempore, et in qua summa restituendi essent fructus ? et responsum tulerunt ad secretarium cum Sanctissimo pro condonatione : *Firmana*, 10 *dec.* 1785, *dub.* 3.

27. Patroni capellaniæ Peretti Carolum Peretti sub ea nominarunt conditione, ut si congruo postea is ecclesiastico beneficio provideretur, patroni alterum nominarent. Parochialem revera ecclesiam Petrealtæ assecutus est, et post decennium dimisit. Dum hanc retinebat, M. Aurelius alter ex compatronis novem capellaniæ prædiola alienavit, et domum vendidit. Carolus novit se ob hanc alienationem esse sine patrimonio sacro, et ad bona redintegrari petiit. Obtinuit redintegrari ; et petiit inde fructus, quos etiam obtinuit a possessoribus bonorum illi restituendos a die dimissæ parochiæ in summa coram Episcopo liquidanda : *Asculana*, *Cap.*, 2 *decem.* 1786, *dub.* 3.

28. Franciscus Mastronius, et Anna Pomponia conjuges vicissim sese testamento scripserunt hæredes usufructuarios, proprietariam vero nuncuparunt capellaniam ad altare S. Vincentii Ferreri in ecclesia sanctissimi Rosarii montis Fortini erigendam. Anna vidua priori voluntate mutata sibi secundum

[37] In quo Joan. Petrus, et Camilla mater fundatoris hæredes cum capitulo ecclesiæ cathedralis Notariæ inierunt, cui bona quædam cesserunt, ut onus Missarum adimpleret. *Ead. causa*, 7 aug. 1779.

[38] Vide not. 60, verb. *Canonicatus*, § III.

virum, et nepotes in proprietate scripsit hæredes cum onere menstrui sacri. Actum hinc, quæsitumque fuit de fructibus bonorum Mastronii, quos Anna ex primo testamento percepit; et decisum est, hos Annam restituere non teneri quum suos recte fecisse videretur : *Signina,* 29 *nov.* 1788, *dub.* 2.

29. Antonius Assortati detentor canonicatus ecclesiæ collegiatæ S. Blasii terræ montis Milonis una cum rectoratu Immaculatæ Conceptionis ejusdem terræ non obstante incompatibilitate a S. C. jam declarata absolvitur a restitutione fructuum prædicti rectoratus : *Maceraten., Dispens.,* 12 *julii* 1788, *dub.* 2.

30. Contractum inter Conservatorium oblatarum sacræ Familiæ Setiæ, et inter Joachim Benedictum Pacifici ex venia card. protectoris initum, S. C. invalidum recensuit; et quoad fructuum restitutionem respondit, ad secretarium pro liquidatione juxta mentem ; necnon ad eumdem cum Sanctissimo pro absolutione ; *Terracinen., et Setina,* 23 *jan.* 1790, *dub.* 2.

31. Sacerdos Joannes Bernardius Morichus beneficiatus Lauretanæ basilicæ absque beneplaciti apostolici reservatione vendidit jus et commodum exigendi pensiones domus choralis beneficio Morichii adnexæ, et cum pacto vendidit redimendi semper, et quandocumque. Pœnitentia postea ductus querelam detulit nullitatis contractus, postulavitque restitutionem fructuum quos sacerdos Joan. Ginamius emptor perceperit, et obtinuit utrumque : *Lauretana, Null. contr.,* 30 *aug.* 1788, confirmata 17 *jan.* 1789 ubi addita declaratio fuit, et cui sint restituendi fructus, ad secretarium cum Sanctissimo. Integratis deinde precibus, rescriptum est, fructus restituendos esse a die initi contractus, compensata sorte, fructus quippe extantes. *Die tandem* 11 *febr.*, Sanctitas Sua fructus superextantes relaxari mandavit in favorem Joan. Gimanii. Hic autem hodie contendit, sibi esse restituendos fructus superextantes non usque ad diem primæ resolutionis, sed ad diem 11 febr., et factus est sui voti compos, quum gratiam pontificiam ad diem 30 aug. primæ resolutionis retrotrahendam esse S. C. existimaverit : 18 *dec.* 1790, *dub.* 1.

32. Quæsitum vero quum fuisset, cuinam fructus essent restituendi a Laurentio Breccia, ex jam resoluto contractu percepti, alienationis nempe juris exigendi pensiones alterius beneficialis domus Vincentii Belardi, remissum est ad secretarium cum Sanctissimo juxta mentem : *Ibid., dub.* 3.

33. Quum ex pia hæreditate Petri Jacobi Beccari detracto sumptu musicæ, et capellani de omnibus fructibus bonorum quidquid superest esset distribuendum juxta donationem testatoris in dotes, quæ solutæ non fuerunt, dubium proponitur, an, et qua summa, et a quo tempore debeantur fructus, et in cujus favorem sint consignandi? respondetur affirmative ab anno 1773, juxta liquidationem faciendam coram Ordinario ad formam instructionis, reliquis dilata: *Cæsenaten., Sub. dot.,* 19 *febr.* 1791, *dub.* 2.

34. Præcipitur Valentino restitutionem fructuum perceptorum in spretum administratoris ab Episcopo deputati capellaniæ institutæ a Petro Andrea Marinucci. Nam dictus Valentinus pendente inhibitione bona occupaverat: *Montis Alti, cap.* 22 *aug.* 1795, *dub.* 5.

Reliqua quoad Fructus. Vide *Abbas,* § VI ; *Archidiaconus,* § III ; *Archipresbyter,* § IV ; *Beneficiati,* § I ; *Canonici,* § III ; *Capellanus,* § II ; *Capitulum ecclesiasticum,* § IV ; *Census,* § II ; *Dignitates ecclesiasticæ,* § II ; *Hospitale,* § II ; *Legatum pium,* § IX ; *Parochus,* § VI ; *Præpositus,* § II ; *Presbyteri,* § III ; *Prior,* § II ; *Seminarium,* § II.

FRUMENTARIUS MONS. Vide *Mons,* § I.

FUNCTIONES ECCLESIASTICÆ.

1. Non constat de aliquo jure capituli ecclesiæ cathedalis ad peragendas functiones ecclesiasticas occasione cadaverum tumulationis, et die festo S. Margaritæ in ecclesia ejusdem Sanctæ nuncupata de Suffragio, quam ei subjectam esse prædicat, sed jus faciendi easdem functiones privative ad rectores, et capellanos ejusdem ecclesiæ salvis juribus parochialibus spectat: *Ortonen.,* 29 *januar.* 1735.

2. Functiones quascumque ecclesiasticas peragere intendunt sodales ecclesiæ S. Joan. Baptistæ in atrio absque dependentia a præposito, et canonicis ecclesiæ collegiatæ, et parochialis S. Fidelis. Sed S. C. ad allatam controversiam monuit, ut proponatur dubium super matricitate : *Comen., Adn. et jur. par.,* 27 *julii* 1737, *dub.* 4, *usque ad dub.* 8.

3. Presbyteri parochialis ecclesiæ S. Petri urbis Vasti in insignem nuper collegiatam erectæ S. C. percontati sunt; num separationi eorum ecclesiæ ab ecclesia parochiali, et collegiata S. Mariæ Majoris ejusdem civitatis, quoad supplicationes, omnesque alias functiones locum esse possit ; ita ut

quælibet ecclesia illas exercere debeat in suo proprio territorio? S. C. definitionem protelavit, et scribi Archiepiscopo juxta instructionem [39] mandavit: *Theatina, Erect. coll.* 6 *julii* 1737, *dub.* 2. et inde negativum suum judicium edidit: 19 *april.* 1738.

4. A sodalibus Sanctissimi Suffragii oppidi Stronconii officia generalia cujuslibet mensis tum in ecclesia collegiata S. Michaelis Archangeli, tum in altera S. Nicolai celebranda sunt alternatim. Celebratio enim hujusmodi vicissim peragenda erat consuetudine innixa, quæ adprobata ab Episcopo visitante fuerat: *Narnien.*, 11 *april.* 1752, *dub.* 1, confirmata, 8 *julii ejusd. anni.*

5. Celebratio autem officiorum occasione obitus alicujus ex confratribus facienda in posterum est in ecclesia parochiali cujuslibet respective defuncti: *Ibid.*, *dub.* 2, confirmata *ibid.*

6. Patres conventuales in terra Mottæ Bruneaturi degentes ab Episcopo moniti non debent a celebrandis Missis aliisque peragendis functionibus cum sonitu tintinnabulorum ante Missam parochialem, vel donec illa absolvatur, se abstinere: *Squillacen., Celebr. Miss. et Funct. conv.*, 28 *febr.* 1761, *dub.* 1, confirmata 8 *aug. ejusd. anni.*

7. Quoad assignationem functionum in ecclesia cathedrali peragendarum, S. C. singulis capitularibus mandavit observari tabellas capitulares, dummodo tamen non adversantur Cæremoniali Episcoporum: *Camerinen., Præem.*, 7 *april.* 1781, *dub.* 2.

8. Postquam parochialis ecclesia S. Petri Montis Martiani in collegiatam fuerat erecta, plurimæ inter archipresbyterum, et canonicos controversiæ emerserunt. Quæsitum inter cetera fuit; an et cui competat jus celebrandi in eadem ecclesia sacras omnes functiones, choralibus, et parochialibus exceptis: S. C. respondit, servandum esse decretum tertium Card. Episcopi anni 1781. *Senogalien.*, 13 *junii* 1782, *dub.* 6.

9. Distinguendas vero esse mandavit functiones parochiales a non parochialibus juxta decreta generalia Sacræ Congr. Rituum anni 1703 [40]: *Ibid.*, *dub.* 7.

Reliqua. Vide *Capellanus sodalitii*, § I; *Oratorium*, § V.

Functiones parochiales. Vide *Archipresbyter*, § IX; *Capellanus Curatus*, § I; *Parochus*, § IV.

Functiones Pontificales. Vide *Episcopus*, § XV.

FUNDATIO, FUNDATIONES.

1. Michael Romaguera piam Missarum annuarum 35 in perpetuum a dignitatibus cathedralis in ecclesia, seu capella iis benevisa, intra tamen civitatem existenti, celebrandarum fundationem instituit. Alteram quoque 12 Missarum fundationem fecit Benedictus Vadella, Ordinarii approbatione reservata, quam Ordinarius concedere renuit, tum quia dignitates motivum desumerent habendi corpus et collegium extra ecclesiam, tum quia nullus pro implemento deputatus administrator fuerat. Attamen fundationes hæ a S. C. approbatæ fuerunt: *Gerunden.*, *Fund.*, 24 *martii* 1703.

2. Cornelius Seulen decanus collegiatæ ecclesiæ S. Castoris, ut suæ familiæ descendentes ad bonarum artium studia, et ad morum honestatem incenderentur, quædam bona valoris sex millium, studiorum universatibus Laurentianæ in Coloniensi urbe existenti, et Carthusianæ in oppido Suliacensi sitæ assignavit mandans, ut fundatio hæc appellaretur coloniensis, voluitque, quod reditus, suis deficientibus antelatis, inter nonnullos juvenes, studiis operam navantes, et in horum defectum, inter alios opificia, vel mercaturam discentes, vel inter puellas in monasteria educationis gratia ingredientes, annuatim distribuerentur. Hujus fundationis petita fuit approbatio, et a S. C. ultro concessa: *Colonien., Ben. et erect. ben.*, 15 *junii* 1709, *dub.* 1.

3. Julianus Dierte, et Josepha de Loxo conjuges quamdam fundarunt capellaniam jurepatronatus passivo consanguineis tributo. Ad jurgia, ac dissidia removenda, quæ inter consanguineos passive vocatos oriri possent, petierunt, ut sibi eam mutare liceret fundationis legem, quæ nominationem respiceret, quod nempe ad capellaniam præsentare possent, quem magis vellent. Petitioni huic obstitit Idelphonsus de Torres passive vocatus, et poscit ad capellaniam vacantem institui, contendens, fundatores passive vocatis, et jus quæsitum habentibus detrimentum inferre non posse. Verum S. C. fundatoribus legem mutare vetuit, et indulsit, ut eorum vita durante, capellanum præsentare eis liceret ad libitum: *Compostellana*, 10 *febr.* 1748, confirmata 11 *maii ejusd. anni.*

[39] Vide not. 47, verb. *Ecclesia collegiata*, § II.

[40] Vide not. 700, verb. *Congregatio*, § V.

4. Pia mulier Margarita Bonvicini in ecclesia collegiata D. Pauli Apostoli civitatis Vallettæ canonicatum erigi jussit. Inde eamdem fundationem confirmavit, titulum canonicatus, in dignitatem cantoratus, qua eadem ecclesia carebat, variando. At capitulo prima placuit voluntas non secunda, et canonicatus erectus est. Re autem a S. C. examinata, hæc variationem in cantoratus prædictæ fundationis ratam habuit : *Milevitana*, *Erect. can. sive cant.*, 11 *aug.* 1753, *dub.* 1.

5. Carolus Hieronymus Palearius fundare cupiens canonicatum in ecclesia collegiata S. Magni terræ Legnani vicarium capitularem Mediolanensem rogavit, ut conditiones approbaret canonicatumque erigeret. Consensit capitulum, et erectus fuit novus canonicatus. Testator mutato consilio voluit, ut ea erectio non amplius executionem suam haberet, sed jussit, ut tot Missæ celebrarentur; ideo petita voluntatis commutatione, Archiepiscopus retulit res esse de pacto, actuque inter vivos, jusque ecclesiæ quæsitum jam esse; et discusso dubio commutationi præfatæ haud locum esse S. C. declaravit. *Mediolanen.*, *Com. vol.*, 15 *dec.* 1753.

6. Piæ fundationes, et capellaniæ institutæ a nonnullis monialibus professis monasterii Matris Dei Vallisoleti, validæ ob immemorabilem observantiam pronunciantur; licet de legitima facultate ab initio non constet : *Vallisoletana*, 17 *aug.* 1793, *dub.* 1.

Reliqua. Vide *Beneficia ecclesiastica*, § v; *Canonicatus*, § iv; *Canonici*, § v; *Capellania*, § iv; *Clericatus*, *Collegium*, § i; *Ecclesia collegiata*, § ii; *Juspatronatus*, § ii; *Mansionaria*, § ii; *Monasterium monialium*, § iii; *Seminarium*, § iv.

Fundus. Vide *Legatum pium*, § viii; *Missa*, § viii.

Funerandi jus. Vide *Cadaver*, § iii; *Parochus*, § iv.

Funeraria emolumenta. Vide *Emolumenta*, § ii; *Parochus*, § vi.

Funeraria emolumenta quoad quartam. Vide *Episcopus*, § xvi; *Parochus*, § vi; *Quarta funeraria*.

Funus. Vide *Cadaver*, § iii.

Furtive ordinatus. Vide *Sacramentum ordinis*, § vi.

Generalis vicarius. Vide *Matrimonium*, § xx; *Vicarius generalis*.

Generationes. Vide *Emphyteusis*, § i.

Gentilitium stemma. Vide *Stemma gentilitium*.

Gradus. Vide *Matrimonium*, § x.

Gratia *perinde valere*. Vide *Sanatoria*.

GRAVAMEN, GRAVAMINA.

Cum disputandum proponeretur de exemptione ab Episcopi jurisdictione, et judicis deputatione in causis capituli, et cleri, desumit capitulum gravamen ex edicto evulgato ab Episcopo, quo alternatim in una ex tribus ecclesiis Urbis ab ipso destinatis instrui debere populum in doctrina christiana cavetur; tum ex alio edicto, in quo sub pœna suspensionis præscribitur delatio SS. Viatici cum tot luminibus, ac cæremoniis tam de die, quam de nocte, quod impossibile implementum est : tum quia ille privavit facultate audiendi confessiones Carmelitas, Paulanos, et Augustinianos civitatis; tum denique ex aliis quamplurimis decretis, de quibus satis responsum fuit ab Episcopo, qua de causa S. C. non constare de gravaminum causis, ita ut sit locus exemptioni et deputationi judicis in causis capituli, et cleri : *Sulmonen.*, 2 *decem.* 1719, *dub.* 2.

Gravatoria. Vide *Pœna*.

Gregorianus cantus. Vide *Cantus Gregorianus*.

Gubernator, sive Administrator. Vide *Administrator*.

Habitatio. Vide *Domicilium*.

Habitus. Vide *Clerici*, § v.

Hæreditarius status quoad firmationem. Vide *Firmatio status hæreditarii*.

HÆREDITAS QUOAD DELATIONEM.

1. Postulatum est, an quidam professus regularis incapax bonorum ad episcopatum assumptus recuperet jus succedendi quoad hæreditates post assumptum episcopatum sibi delatas?

2. An eidem obstet cessio, et renunciatio ejusmodi hæreditatum facta in favorem fratris ad præscriptum Concilii Tridentini sess. 25, cap. 16, *de Regul.* [1]? S. C. ad primum respondit recuperare jus succedendi ad hæreditates post adeptum episcopatum sibi delatas, ad utilitatem suæ ecclesiæ quoad proprietatem, et ad proprium commodum quoad usumfructum. Ad secundum eidem non obstare supradictam cessionem, et renunciationem quoad hæreditates, quæ non sint alteri post adeptum episcopatum acquisitæ [2]: *Neapolitana*, 3 *dec.* 1739, *dub.* 1 et 2.

3. Lucia Tofani disposuit, ut hæredibus sine prole occumbentibus hæreditas sua ad syndicum apostolicum PP. Minorum observantium Montis Barocci pertineat, et ut syndicus ille hæreditatem in ecclesiæ reparationem impenderet. Ultimus hæres Matthæus sine prole decedens donationem prædictæ hæreditatis fecit in favorem PP. S. Marci ordinis Congr. B. Petri de Pisis. Facta hinc inter hæredem, et donatarios est controversia. Dicebant donatarii incapaces esse fratres Minoritas suscipiendæ hæreditatis. Proposita quæstione resolutum fuit, hæreditatem Luciæ non syndico apostolico PP. Minorum Observ., sed Patribus S. Marci esse adjudicandam: *Pisauren.*, *Hæred.*, 25 *januar.* 1727.

4. Antonius Maria Ricciolius nobilis Urbini filium hæredem instituit lege adjecta, ut si uxorem paris gradus, atque conditionis non duceret, ipso facto hæreditatem excepta legitima amitteret. Matrimonium filius contrahere avens cum Elisabetha Ligia honestæ quidem conditionis puella, sed ex gradu civium non nobilium, et putans ob matrimonii libertatem minime paternæ hæreditatis jacturam facere, precatur S. C. ut fontes suorum consiliorum aperiat; et S. C. consulendum esse Sanctissimum pro gratia dispensationis censuit: *Urbinaten.*, *Matrim.*, 10 *maii* 1732.

5. Nicolaus Marrubius parochus ecclesiæ S. Valentini in oppido Carbii jussit, ut usufructuariis defunctis hæredibus, ad congregationem Presbyterorum, quæ erat in ecclesia matre, hæreditas deferretur, dato onere, ut ex illius venditæ, et investitæ fructibus, horas canonicas omnibus diebus festis canerent, et tot sacra, quot habita ratione redituum Narniensis esse judicaturus Episcopus, celebrare tenerentur. Collegiata Carbii ab ecclesia SS. Conceptionis translata fuit ad eamdem ecclesiam matrem. Episcopus satis voluntati Marrubii prospectum censens decrevit, ut hæreditas Marrubii præbendæ theologali erigendæ uniretur. Canonici impares illius reditus ad præbendam theologalem erigendam esse videntes sibi delatam esse hæreditatem illam putarunt, quod ipsi in suppressæ presbyterorum congregationis jura successerint, et facti fuerunt voti compotes: *Narnien.*, 8 *maii* 1745, *dub.* 1.

6. Cæsar Rubeus episcopus Montis Pelusii, post undecim episcopatus annos ad ecclesiam Hieracensem translatus est, et ad honorem Episcopi assistentis solio deinde evectus, fecit testamentum; sed capitula illa duo, quibus præfuit, sibi disputant illius bona hæreditaria. Prima ecclesia bona in prima sede comparata sibi jure vindicare præsumit, altera quæ in secunda sede acquisivit sibi deberi contendit; idcirco disquiritur, quomodo sit illius hæreditas distribuenda? responsum extitit, ut detractis prius legatis vigore indulti relictis in scutis 1000, bona quæ proveniunt ab ecclesia Montis Pelusii juxta inventarium anni 1750, et non fuerunt ab Episcopo in ejus vita distracta, deberentur illi ecclesiæ Montis Pelusii; reliqua vero ecclesiæ Hieracensi, atque ita hæreditatem esse inter dictas ecclesias partiendas: *Montis Pelusii, seu Hieracen.*, 18 *febr.* 1758, *dub.* 2, confirmata 2 *dec. ejusd. anni.*

7. Antonius Fioravanti vocatis ad suam hæreditatem descendentibus masculis tam suis quam Matthæi Resani, inde voluit, ut ad illam familia aliqua a sodalibus Sanctissimi Sacramenti, et Rosarii oppidi Melariæ nominaretur. Omnibus hisce hæredibus opera pia imposuit. Adhuc superstes Bonaventura Resani, seu Reggiani erat et Fabius Borghi, ut ad illam sua familia eligeretur, exoravit. De hac re pendente informatione sodales fami-

[1] Vide not. 210, verb. *Episcopalis dignitas.*

[2] Vide not. 211, verb. *Episcopalis dignitas.*

liam Cagnini absque Bonaventuræ præjudicio nominarunt, inde precati sunt pro electionis confirmatione, et S. C. validam electionem non esse judicavit : *Ferrarien., Hæred.*, 15 *januar.* 1791.

8. Minime S. C. piam hæreditatem Joan. Lunardini nepotibus attribuit, allegata ab eis facultate, ac testamenti nullitate ob defectum testatoris subscriptionis, sed erogandam ad formam dicti testamenti mandavit. Nam illius validitatem habere ambiguam nemo potest, post sententiam tribunalis A.C. in judicatum transactam, et illius tricenariam executionem : *Cæsenaten., Appl. hær.*, 23 *febr.* 1793.

HÆRES.

§ I.

Hæres quoad jura, et potestatem.

1. Angelus de Blanchis disposuit de sua hæreditate in favorem Thomasiæ sororis, ut demptis legatis, dote, ac decenti conservatione, residuum pauperibus invalidis ad sui libitum distribueret. Hæc obiit non facta distributione nec separatione, nec scripto hærede. Unde hæres ab intestato prætendit distributionem ad sui libitum exequi ; et revera S. C. decernit prædictam distributionem spectare ad hæredem hæredis, et non ad Episcopum, nisi quoad consultum, et consensum : *Lunen., Sarzanen. Distrib. hær.*, 6 *febr.* 1700, *dub.* 1.

2. Nec posse declaravit eumdem hæredem hæredis etiam per viam gratiæ illam erogare in erectionem tot capellaniarum cum onere Missarum, et cum reservatione jurispatronatus in favorem suæ familiæ : *Ibid., dub.* 2.

3. Joannes Bartolus mandavit suo hæredi, ut pro unica vice scuta 500 deberet persolvere ad ornatum altaris majoris ecclesiæ Plagarum Sanctissimi Domini, ubi erexerat capellaniam ; at hæres ejusmodi obtulit ecclesiæ scuta 350, præter scuta prædicta 500, pro altaris splendidioris ornatu, et scuta 100, pro constructione depositi dicti testatoris. Renuit Confraternitas incrementum illis conditionibus accipere. S. C. autem decrevit licere hæredi augere legatum pium pro ornamento altaris majoris a testatore ordinatum : *Romana, App. insig.*, 4 *sept.* 1700, *dub.* 1.

4. Inde resolvit societatem posse impedire constructionem depositi testatoris cum inscriptione in ejus ecclesia : *Ibid., dub.* 2.

5. Item posse inhibere appositionem insignium tam dicti testatoris, quam hæredis in lateribus dicti altaris majoris exornandi : *Ibid., dub.* 3.

6. Parochis impedientibus deferre cadavera ad sepeliendum integrum est hæredi post expectatum triduum a morte defuncti ducere funus ad ecclesiam in qua cadaver est humandum, præterquam ante solis ortum, et de nocte : *Novarien., Fun. et jur.*, 15 *martii* 1704, *dub.* 6.

7. Joannes Stampa suo hæredi jussit, ut domum designatam traderet ecclesiæ S. Nazarii cum onere sacri quotidiani in ecclesia prædicta celebrandi hac facultate, quod si ille vellet pro dicta domo tradere sortem ad sacrum quotidianum celebrandum, ei licitum sit in quocumque tempore sacrario dictæ ecclesiæ solvere lib. 8000 imperiales. Consulta S. C. an hæredi hac uti facultate liceret ? respondit licere hæredi assignare libr. 8000, et prædictam domum retinere : *Mediolanen., seu Ferentina, Cap.*, 23 *febr.* 1715, *dub.* 2.

8. Item anceps fuit hæres, an sibi jus sit celebrationem Missarum alibi transferre ? ipsi hanc facultatem non competere decretum adscripti : *Ibid., dub.* 1.

9. Petrus Sanctes Fanti communitatem Campi Rotundi hæredem instituit sub conditione, ut reliqui redituum fructus in assignationem dotium inopum, honestarumque virginum in summa scuta 50 pro qualibet puella erogarentur. In eo pago tres, aut quatuor tantum quotannis puellæ nubunt, et pecuniæ in æde sacra depositæ supersunt ; hinc plures testatoris consanguinei ad hos superextantes reditus lucrandos concurrunt, tum ratione assignationis, ac subsidii ad studia excolenda, tum ratione alimentorum causa inopiæ. Verum contra hos cunctos testatoris consanguineos insurgit communitas hæres, et fructus omnes, qui detractis dotibus redundant, ad publica opera munienda, et reficienda impendere autumat. In consultationem S. C. vocata, an præfata communitas hæres gravata libere disponere possit de dictis fructibus exuberantibus, vel potius an, et in cujus favorem sint applicandi ? primum respondit, dilata, et ad mentem [5] : *Cameri-*

[5] Mens fuit, ut inquireretur de numero dotium, quæ a republica, sive communitate Campi Rotundi collatæ quidem fuissent in puellas inopes, natas, et moram in eodem pago facientes, non tamen hactenus solutas, et de quantitate pecuniarum, quæ superextant : *Ead. causa*, 29 febr. 1744.

nen., *Sub. dot.*, 23 *novem.* 1743. Deinde judicium fecit, communitatem libere dictis fructibus disponere non posse; ac quoad applicationem petitam recurrendum esse in casibus particularibus, quando de superextantia redituum docetur, et inde eadem S. C. subjunxit ad mentem [4]: 29 *febr.* 1744.

§ II.

Hæres quoad onera.

1. Quum inspecta petitione hæredis reductionis primi legati Antonii Sparapani supplendum esset ex rata parte alterius legati, S. C. interrogata minime ab hærede esse supplendum censuit : *Camerinen. Red. Miss.*, 24 *julii* 1677, *dub.* 8.

2. Disposuit testator per hæc verba: Relinquo meis hæredibus statim post meum obitum onus tribuendi tot bona scholæ Sanctissimi Rosarii terræ Ludriani quot satis sint fructibus eorum celebrare curandi Missam quotidianam altari Sanctissimi Rosarii; ac regentes dictæ scholæ habere hanc sollicitudinem debent. Mortuo testatore assignatio facta fuit ab hæredibus, sed inde annui fructus sortis attributæ jacturam passi sunt, ac ambiguum fuit, an hæredes ad supplementum teneantur? et eos non teneri S. C. respondit : *Brixien, Red. Miss.*, 1 *decem.* 1685.

3. Gaspar de Amantibus rector capellaniæ sub titulo Sanctissimæ Annuntiatæ cum onere trium Missarum qualibet hebdomada inspecta redituum tenuitate in scutis octo consistentium appellat S. C. pro reductione. S. C. instantiam rejecit, et oratorem contra hæredes pro supplemento agere debere judicium fuit : *Urbinaten.*, 12 *januar.* 1697.

4. Erectis capellaniis ad formam testamenti Pauli Carcani sacerdos Tholomæus Pila de harum altera provisus, supplicat S. C. pro Missarum reductione perpenso reditu bonorum, qui detracto canone scut. 25 vix sufficit pro implemento Missarum. S. C. indulsit reductionem ad ratam portionem fructuum assignatorum; sed etiam hæredes supplere teneri resolvit : *Commen., Red. Miss.*, 26 *april.* 1698.

5. In comitatu cadaverum ab hærede defuncti non sunt convocandi in æquali numero tot sacerdotes seculares, quot patres Reformati convocantur : *Novarien., Fun. et jur.*, 15 *martii* 1704, *dub.* 9.

6. Post mortem Alvarii de Luna regii gubernatoris urbis Cortonæ, quæ ab intestato in eadem civitate evenit, capitulum cathedralis quæstiones de juribus funereis excitavit, et quæsita S. C. decrevit hæredes idem capitulum in exequiis invitare non teneri : *Cortonen., Jur. fun.*, 3 *sept.* 1706, *dub.* 1 [5].

7. Hæredes Gabrielis Prati non habent onus supplendi deficientiam summæ scut. 55 annuorum, quot ab ipso Prati attributa fuere in tot locis Montium in favorem basilicæ S. Mariæ Transtyberim pro oneribus, quibus ab ipso gravata fuit : *Romana, Sup. et red. on. Miss.*, 11 *maii* 1709, *dub.* 1.

8. Mariam Camisciottam hæredem Feliciani Fiducci usufructuariam a die obitus testatoris usque ad obitum ipsius usufructuariæ Missas celebrari curare teneri ad instantiam hæredis proprietarii S. C. respondit. Nam ignorabatur de initio, et pertinentia oneris : *Reatina, On. Miss.*, 16 *nov.* 1709, *dub.* 1, confirmata 27 *jan.* 1714.

9. Canonici collegiatæ ecclesiæ oppidi Montiscalerii beneficii ab Anna Lingotti in eadem ecclesia erecti, et imparis injunctis oneribus suppressionem rogarunt. Beneficium autem hoc ita Anna instituerat, ut beneficiatus et Missam et divina in choro caneret et unum magistrum de cantu, qui quatuor pueros a suis hæredibus eligendos teneretur instruere. S. C. postulatam denegavit suppressionem, mandavitque ut hæredes ad supplementum cogerentur : *Taurinen., Suppr. ben.*, 12 *april.* 1710.

10. Hæredes Petri Pauli de Avila, qui capellaniam ab illo jussam instituere obstricti erant assignata dote scut. 50 ad supplementum ejusdem non tenentur; quamvis clericus Matthæus Ciani a testatore nominatus cum ad sacerdotii pervenisset ætatem, eam titulo ordinationis imparem invenerit : *Romana, Cap.*, 12 *januar.* 1715, *dub.* 4, confirm. 20 *sept. ejusd. anni, dub.* 2.

11. Quum Ludovicus Ripa hæres Francisci Ripa se liberavisset ab annua pensione libr. 300, quam ei præceperat testator, solutione libr. 6000, sicuti idem testator ei facultatem tribuerat; licet non sufficiant hujus summæ libr. 6000 fructus ad onus Missarum a testatore injunctum, eumdem hæredem nihil adjicere debere S. C. resolvit : *Mediolanen., On. Miss.*, 1 *april.* 1719.

12. Antonius Maria Lancianus scripto hærede legavit ecclesiæ sacrorum stigmatum loca 10 Montium, ut ex eorum fructibus tot Missas celebrari obstringatur. At tres ex his locis ante obitum alienavit idem testator, ac pecuniam deposuit, et ex hac vita decessit. Parum apertum est, an teneatur hæres ad supplementum? S. C. rescripsit Missas non esse celebrandas tantummodo ex fructibus sep-

[4] Mens est ut Episcopus stricte injungat eidem communitati Campi Rotundi, ut ad subsidia dotalia juxta testatoris dispositionem distribuenda puellas eligat omnia requisita ab ipso testatore petita pollentes. *Regist. Lit.*, lib. 29, die 29 febr. 1744.

[5] Vide not. 8, verb. *Cadaver*, § III.

tem locorum Montium, sed locum esse supplemento: *Romana*, *Leg.*, 2 *oct.* 1721.

23. Monachi S. Praxedis de Urbe acceperunt annua scut. 72 relicta a Bernardo Olgiato cum onere quotidiano duarum Missarum, postquam legatum auctum fuerat a Septimio Olgiato ad scut. 100, inde ob redituum decrementum devenerunt ad dimissionem bonorum, et institerunt pro oneris deletione vigore pacti in acceptione appositi; S. C. vero eos non audivit; idcirco modo quærunt, an teneantur hæredes Bernardi supplere? et S. C. putavit habendam esse rationem suis loco et tempore *Romana*, *Leg.*, 21 *novem.* 1722, *dub.* 2.

14. Joan. Paulus de Palazzis donavit inter vivos Thaddeo de Palazzis nepoti inter cetera quoddam prædium onere Missarum imposito. Hoc prædium emit Antonius Ginevri, et institit pro reductione. S. C. autem denegando reductionem decernit Diophæbum de Palazzis hæredem Thaddei, et donatarii successorem ad supplementum astrictum esse. Nam visus fuit testator demonstrative, non taxative loquutus fuisse: *Fanen.*, 6 *decem.* 1727.

15. In publico oratorio SS. Caroli Borromæi, et Aquilini, posito in pago Cassani Christophorus Bentius assignatis bonis, impositisque oneribus beneficium fundavit. Abbas Paulus de Cantiis modernus possessor ob redituum imparilitatem poposcit vel onerum reductionem, vel dotis supplementum, contendens bona non taxative, sed demonstrative assignata fuisse: et quatenus taxative, adhuc supplemento locum esse, ex quo enixe, et determinate exoptaverat fundator onerum implementum. At S. C. respondit non esse locum reductioni, et quoad supplementum, dilata, et scribatur Episcopo juxta instructionem [6]: *Cremonen.*, *Suppl. dot.*, 13 *aug.* 1729, et causa reproducta iterum rescriptum fuit, dilata, et Episcopus deveniat ad electionem alterius periti juxta instructionem [7], non retardata tamen interim celebratione Missarum salvis juribus abbatis. Abbas quippe redintegrationem quoad præteritum ad hæredibus postulaverat: 28 *martii* 1733. Tandem decretum fuit, dotem esse augendam ab omnibus cohæredibus pro virili in scut. 130 annuis præter bona attributa computandis ab anno 1729, et redintegrato hodierno abbate de pecuniis præter fructus perceptos erogatis pro oneribus beneficii ab an. 1713 usque ad dictum an. 1729. habita ratione fructuum perceptorum in annua summa scut. 120, 8 *febr.* 1738.

16. Marchio Prosper Costagutus emit octo loca montium Montis Bentivoli, tredecim loca montium S. Petri, cum tertia parte alterius loci, et quatuor loca montis Gualenghi ad commodum puellarum nubilium. Principis auctoritate fructus sunt imminuti et S. C. decrevit hæredes pii testatoris pro nunc non debere adjicere quantum deest annuæ summæ scut. 60, quæ in dotalia subsidia erogari voluit marchio Prosper ex fructibus octo locorum Montium Bentivoli, et quatuor montis Gualenghi; in reliquis distulit decisionem: *Romana*, *Sub. dot.*, 14 *martii* 1733, *dub.* 1, confirm. 16 *maii ejusd. anni*.

17. Deinde quoad loca Montis S. Petri dictos hæredes non alligari præstare supplementum rescriptum fuit: *Ibid.*, *dub.* 2.

18. Camillus princeps Pamphilius mandavit, ut hæres sortem, quæ annua scut. 400 redderet, ad tot pro anima sua Missas in ecclesia S. Agnetis celebrandas assignaret, eidem data facultate, quot sibi luberet, deputandi propterea capellanos. Centum loca montium tradidit hæres Joan. Baptista Pamphilius. Diminutis horum reditibus ecclesia ipsa primum supplevit, solita unicuique ex quinque capellanis in scut. 72 tradens stipendia. Disputatum vero fuit, num ab hærede supplendum sit? sed nondum definita causa, inita inter partes transactio fuit, qua princeps ipse 500, se soluturum scuta, ut damna sarcirentur, promisit, et alia insuper annua scut. 36 in posterum daturum spopondit. Exitum concordia non habuit, et perpenso, an esset supplemento locus? haud esse S. C. statuit: *Romana*, *Suppl. conc. et reint.*, 28 *nov.* 1733, *dub.* 1.

19. Binas Petrus Rapacciolus fundavit capellanias constituta dote in annuis scut. 75, sed quum loca montium nonnulla de dicta dote extracta fuissent, eorumque fructus imminuti usque ad annua scut. 40, petierunt capellani Missarum reductionem, et S. C. onus supplementi hæredibus imposuit, quod decretum modo confirmat: *Narnien.*, 1 *junii* 1737, *dub.* 1.

20. Quum hæres Joan. Baptista Tucci coram testibus aperta arca, in qua testator enunciaverat ducat. 300 in pecunia numerata asservari invenisset in ea solum duc. 95, nullæ latebræ in quærendo omissæ fuerunt, sed inutiliter; hinc tota summa expressa a testatore duc. 720, redacta fuit ad ducat. 515, 40; et ambigitur, an hæres prædictus summam dumtaxat duc. 213, 40 quæ solutis legatis cunctis superest, persolvere, aut teneatur usque ad summam a testatore scriptam pro implemento Missarum, quo ipse testator eum gravaverat? S. C. nulla edita definitione scribendum Episcopo juxta instructionem mandavit: *Venafrana*, *Leg.*, 19 *april.* 1738. Deinde non teneri ad summam a testatore enunciatam respondit; 20 *dec. ejusd. anni*.

[6] Vide not. 23, tom. 1, verb. *Bona ecclesiastica* § III.

[7] Vide not. 24, tom. 1, verb. *Bona ecclesiastica* § III.

21. Hæredes de Albertis devincti non sunt alium fundum annui reditus scut. 15 præstare pro Missis, et anniversariis pro anima Josephi de Albertis fundatoris celebrandis ; neque inventis debitoribus relictorum censuum solvere non valentibus, onus non habent pro jam celebratis eleemosynam pendere : *Albanen.*, 10 *martii* 1742, *dub.* 1.

22. Fructus capellaniæ erectæ in ecclesia S. Mariæ de Platea terræ Pergulæ diminuti ex temporis injuria non tenetur hæreditas patrona dictæ fundationis, necnon ad illorum redintegrationem usque ad primævam summam supplere. Nam testatrix Artemisia Capocaccia mille scuta legavit, et hanc tantummodo sortem ab hæredibus manuteneri putabat Episcopus : *Eugubina, Cap.*, 28 *sept.* 1743, *dub.* 2.

23. Hæredes Petri Catanei, qui sex a Petro relictorum sacrorum onus patribus S. Bartholomæi Apostoli Montis Imperialis Pisauri transtulerunt facta aureorum 250 monetæ romanæ solutione, ad supplementum pro respondenti quantitate eleemosynæ Missarum præfatarum, adstrictos minime esse statutum fuit : *Pisauren.*, 30 *januar.* 1744, *dub.* 3.

24. Hæredes sibi scripsit Joan. Verzaglius primogenitos masculos fratrum suorum onere adjecto quorumdam sacrorum, indictaque caducitatis pœna, quatenus coram Concilio Cæsenatensi implementi probationes non exhiberentur. Ob mortem hæredis instituti delata fuit hæreditas ad Lucretiam Bologhi hæredis præfati matrem, quæ ut hæres legitima, et non scripta putavit se non teneri ad exhibendas dictas coram Consilio, prout non teneri ceteros hæredes hæredum in perpetuum ; consilium contradixit, et S. C. Lucretiam, aliosque hæredes alligandi ad controversam exhibitionem declaravit : *Cæsenaten.*, 26 *martii* 1746, *dub.* 1.

25. Quoad legatum Hugonis de Pepolis relictum sodalibus Sanctissimi Rosarii, quod fuit intermissum, S. C. primum mandavit, ut ejusdem hæredes sua jura deducerent in S. C., et deinde, ut hæredes Pepoli ad redintegrationem tantum usque ad summam scuta 39, teneantur : *Bononien., Com. vol.*, 15 *maii* 1790.

26. Legatum sacerdotis Laurentii Florentini trium hebdomadalium Missarum in ecclesia SS. Simonis, et Blasii Montis Scutuli implendum esse firmavit jam S. C. ad formam testamenti per hæredes Columbæ Gratiosi, quæ prædium devinctum emit, et onus in se assumpsit ; reprobata cessione sortis sufficientis pro annua celebratione Missarum 30, quot ex rescripto S. C. celebrare sueverunt possessores prædii ob assertam ejus reditus tenuitatem, circumstantia silentio prætermissa, quod illius venditores remisissent Columbæ de justo pretio scuta 400, ratione oneris, prævia revocatione indulti reductionis concessæ ; modo damnantur hæredes Columbæ ad supplendum numerum Missarum a tempore empti prædii : *Ariminen., Leg.* 26 *sept.* 1795, *dub.* 2.

27. Quum Joan. Baptista Ricci in ecclesia patrum Oratorii Æsinorum celebrationem perpetuam 4 officiorum annuatim, Missarum 15, pro quolibet et qualibet die sabbati unam Missam, et libras ceræ quatuor annuatim, et pro omnibus scuta 12 impensam mandasset, legatum impletum fuit. Attamen petita a Patribus Oratorii eleemosyna ob. 12 pro qualibet Missa præter utensilia, hæres postulat Missarum reductionem, quam S. C. denegavit, et ab hærede supplendam eleemosynam esse judicavit : *Æsina, Red. mis.*, 18 *nov.* 1797.

HEBDOMADARIATUS ERECTIO.

Episcopus Castrimaris ad preces dignitatum, ac canonicorum ecclesiæ cathedralis, ut cultus, et ecclesiæ decor eo magis promoveretur, loco presbyterorum, et hebdomadariorum qui antea ad ipsorum nutum erant amovibiles, duodecim perpetua beneficia sub nomine hebdomadariatus fundavit. Legem adjecit, ut inservirent, uti dignitates, ac canonici vicissim in tres divisi hedomadas. Hæc erectio in titulum collativum sub reservatione jurispatronatus in favorem capituli, dum quæritur, an valida sit, validam esse S. C. rescripsit : *Castrimaris*, 7 *julii* 1736, *dub.* 1.

HEBDOMADARIUS, HEBDOMADARII. Vide *Canonicus*, § III ; *Presbyteri*, § I.

HIEROSOLYMITANA RELIGIO. Vide *Religio militaris ordinis Hierosolymitani.*

HOMICIDA, HOMICIDIUM. Vide *Irregularitas*, § III.

HONESTAS PUBLICA. Vide *Matrimonium*, § XIV.

HONORARIUM.

1. Censuit S. C. servandum solitum quoad canonicos administratores massæ capitularis ecclesiæ collegiatæ S. Agricolæ, dum dubium fuit expositum, num una salmata pro centenis salmatis frumenti, necnon honorarium 24 scut. primo ex dictis administratoribus eis rependi debeat? *Avenionen.*, 19 *sept.* 1733, *dub.* 13.

2. Et ad dubium, an canonico pulsanti organa præter distributiones honorarium debeatur, et in qua summa? danda decreta [8] respondit: *Ibid. dub.* 14.

3. Aloysius Pagnius advocatus a vicario capitulari Clusino deputatus fuit ad procurandam collegiatæ in terra Sarteani erectionem. Legales quæstiones, quæ in hoc erectionis negotio oriebantur, respiciebant jus patronorum, parochi, sacerdotum, et Universitatis Sarteani : atque hi omnes mandatum procuræ dederant præfato advocato, qui ad hoc opus operam navaret. Timens vero Pagnius, ne consumeretur depositum, honorarium petiit quod fuit in summa scut. 100, taxatum. At defensor collegiatæ erigendæ prius explorare voluit S. C. oraculum, et hæc respondit, honorarium a collegiata non deberi : *Clusina, Hon.*, 20 *martii* 1756, *dub.* 1 et 2.

Honorarius canonicus. Vide *Canonicus*, § iv.

Hora. Vide *Missa*, § x.

Horæ canonicæ. Vide *Breviarum, seu Officium divinum*.

HOSPITALE.

§ I.

Hospitale quoad erectionem.

1. Congregatio sacerdotum in parochiali ecclesia S. Petri regiæ villæ Matriti sub ejusdem Sancti invocatione instituta novum pro curandis infirmis sacerdotibus erexit hospitale, subindeque Summum Pontificem enixe oravit, ut prævia confirmatione erectionis, plura hospitali privilegia elargiretur. Civitatis Matriti parochi erectioni obstiterunt, hinc res in disceptationem fuit, num confirmanda, vel supprimenda sit hujusmodi erectio? novam informationem juxta instructionem [9] expetivit S. C. : *Toletana, Jur. par.*, 21 *april.* 1742, *dub.* 1. Deinde iterum novi Archiepiscopi informationem et votum juxta instructionem [10] postulavit : 16 *febr.* 1743. Demum resoluit esse confirmandam erectionem, salva auctoritate Ordinarii ad formam Concilii [11], et dummodo reditus prioris instituti erogentur in

[8] S. C. Episcop., et Regul. in causa Nolana 23 sept. 1639, et in Triventina 22 novem. 1641, distributiones canonico pro tempore, quo sine salario organum pulsat, deberi decidit.

[9] Instructio autem in eo versabatur, ut S. C. certior fieret, ad quam summam ascendant reditus, qui debent a congregatione (sacerdotum nimirum S. Petri villæ Matriti) impendi in subsidium pauperum sacerdotum infirmorum degentium in propria domo, et eorum, qui detinentur in carceribus, et quot sint reditus erogandi pro manutentione hospitalis nuper erecti, itidemque an reditus destinati in priorem causam erogentur cuncti in eamdem, et num congregatio parata sit prosequi opera pia prius instituta; etiamsi retineat hospitale pro sacerdotibus infirmis, et præsertim pro invalidis juxta dispositionem sacerdotis Blasii Rodriquez de Carior : *Ead. causa*, 16 *febr.* 1743.

[10] Nempe, ut S. C. instructam reddat distincte ; præcipue vero referat etiam circa ea, quæ postremo in litteris datis vicario generali, et instructione transmissa requisita fuerunt ; ad demum votum, et animi sui sensum exprimere, atque aperire non omittat : *Regist. Lit.*, lib. 29, *die* 16 *febr.* 1743, *dub.* 2.

[11] Sess. 22, cap. 8, *de Reform.*, quo decernitur. « Episcopi, etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegati, in casibus a jure concessis, omnium piarum dispositionum, tam in ultima voluntate, quam inter vivos, sint executores, habeant jus visitandi hospitalia, collegia quæcumque, ac confraternitates laicorum, etiam quas scholas, sive quocumque alio nomine vocant ; non tamen quæ sub regum immediata protectione sunt, sine eorum licentia : eleemosynas Montis Pietatis, sive charitatis, et pia loca omnia, quomodocumque nuncupentur, etiamsi prædictorum locorum cura ad laicos pertineat, atque eadem pia loca exemptionis privilegio sint munita ; ac omnia quæ ad Dei cultum, aut animarum salutem, seu pauperes sustentandos instituta sunt, ipsi ex officio suo, juxta sacrorum canonum statuta cognoscant, et exequantur : non obstantibus, quacumque consuetudine, etiam immemorabili, privilegio, aut statuto. »

ejusdem implementum, et ad quem effectum fiat separatio bonorum, cui Ordinarius incumbat : 20 *nov.* 1745, *dub.* 1, confirmata 18 *maii* 1746.

2. Hieronyma Lega Taroni Faventina hæredibus monasterium substituit erigendum in sua domo pro monialibus discalceatis S. Theresiæ, jussitque filiæ ut donec viveret, depositum faceret quotannis scut. 50, et ita ad effectum facilius voluntas adduceretur. In codicillis autem legatis hæreditatem plurimum exhausit; ob id creditum fuit testatricem mutavisse voluntatem, et rogatum de commutatione, ut nempe vel pro una vice Xenodochio Faventino pauperum ægrotantium summa daretur scut. 600, vel perpetuo subministrarentur annua scut. 12. Sed non annuit commutationi S. C., immo voluit non retardari depositum scut. 50, ad formam dispositionis : *Faventina*, 10 *maii* 1766.

3. Petrus Galassi præpositus ecclesiæ cathedralis hæredem proprietarium recitavit sodalitium S. Crucis cum onere erigendi in sua domo hospitale pro convalescentibus. Sodales peracta pro bonis valoris scut. 9,216 transactione, timentes reditus horum bonorum impares esse prædictæ erectioni, et manutentioni occasionem tenuerunt petendi, ut patrimonium erigendi xenodochium convalescentium uniretur patrimonio alterius jam erecti xenodochii pauperum infirmorum, sed negativum reportarunt responsum et ad mentem [12] *Fanen. Un.*, 15 *april.* 1780. Causa ad novum examen vocata, confirmatum est decretum juxta modum [13] : 16 *sept. ejusdem anni.*

§ II.

Hospitale quoad exemptionem, visitationem, ac redituum administrationem.

1. Privilegium in limine fundationis hospitali concessum ut ab Ordinario visitari non possit, nequaquam esse derogatum decreto cap. 8, sess. 22 [14], statutum est : *Lycien.*, 12 *aug.* 1604, *dub.* 1.

2. S. C. inhærens decisioni a se alias editæ, quod concilium decreto cap. 8, sess. 22 [15], tribuens Episcopis facultatem visitandi hospitalia non sustulerit fundationes excludentes Episcopum a jure visitandi, perpensoque tenore exhibitarum fundationum, censuit Episcopum Abulensem collegium S. Bernardi, hospitale, aliaque pia opera a B. Francisco de Toleto erecta nequaquam visitare, aut alias a se in eis ingerere posse : *Abulen.*, 6 *april.* 1606.

3. Episcopus Augubinus Sedem apostolicam, cui ore Salvatoris cura totius ecclesiæ delegata est, consuluit, quæ sic respondit ; si hospitale S. Mariæ charitatis ab Ordinarii jurisdictione, et visitatione prout ex ipsa relatione supponitur exemptum, existit, non posse ab A. T. visitari præter quam si videre voluerit, an piæ testantium voluntates executioni mandentur. Quo vero ad redditionem, rationis A. T. omnino esse reddendam, quod si privilegio, aut ex consuetudine vel alia aliqua ratione aliis reddenda esset, eisdem reddendam esse adhibita cum illis A. T. nisi in fundatione aliter expresse cautum esset, nempe quod rationes Ordinario reddendæ non essent, nec cum illius interventu : *Eugubina*, 12 *novem.* 1633, *dub.* 4.

4. Episcopus potest, et debet visitare hospitale generale civitatis ad præscriptum cap. 8, sess. 22, *de Reform.* [16], nisi in limine fundationis fuerit ab Ordinarii visitatione exemptum, quo casu nequit visitare, præterquam si idem Episcopus videre voluerit an piæ testantium voluntates executioni demandentur, quo vero ad redditionem rationis ad eumdem Episcopum omnino esse reddendam ; quod si ex privilegiis vel ex consuetudine vel aliqua alia ratione aliis esset reddenda, eisdem edendam esse adhibito Episcopo, nisi in fundatione expresse cautum esset, quod rationes Ordinario non sint referendæ nec cum illius interventu : *Derthusen.*, 27 *maii* 1634, *dub.* 5.

5. Dictumque Episcopum visitare debere, ut in hospitale Collis Balagarii hospitalitas a fundatore ordinata exerceatur, decisum est : *Ibid.*, *dub.* 8.

6. Circa visitationem hospitalium, necnon rationem administrationis exigendam Episcopus se conformare debet cum responsis, ac declarationibus S. Congr. Concilii, quæ, quum sint manu Card. præfecti, et secretarii signatæ et sigillo munitæ, licet typis non impressæ, sunt omnino servandæ : *Neapolitana*, 7 *febr.* 1637, *dub.* 1.

7. An visitationem jure delegato Episcopus peragere possit hospitalis S. Mariæ de Misericordia cui sunt incorporata bona alterius hospitalis exempti in fundatione ? S. C. dubium planum fecit, audiendos esse officiales hospitalis decernens : *Urbinaten.*, *Visit. sacr. Liminum*, 10 *martii* 1663, *dub.* 24.

[12] Et mens est, ut scribatur Episcopo, qui referat, convalescentes retineantur per tres dies tantum, vel limitatum tempus, vel potius per tantum temporis, quantum ex judicio medici necesse est, ut retineantur ad hoc ut perfecte convalescant. *Ead. causa*, 15 *april.* 1780.

[13] « Et modus est, ut Episcopus curet retentionem convalescentium in domo testatoris, donec reconvaluerint judicio medici ; reditus vero adhuc superextantes ex hæreditate testatoris applicentur hospitali infirmorum, etiam in futurum: » *Ead. causa*, 16 *sept.* 1780.

[14] Vide not. 11, præcedentem.

[15] Vide not. 11, præcedentem.

[16] Vide not. 11, præcedentem.

8, Occasione controversiæ inter magistrum religionis Hierosolymitanæ, et Episcopum Melitensem super visitatione hospitalis S. Spiritus in suburbiis civitatis Notabilis, S. C. die 19 junii 1638, censuit, rationes reddendas esse administrationis Episcopo, et juratis civitatis simul, Episcopumque habere votum absolvendi, et condemnandi administratores cum ceteris deputatis, et ad ipsum executionem spectare contra eosdem administratores condemnatos. Denuo a moderno Episcopo excitata quæstione S. C. in decisis respondit, anni 1638, nempe rationes reddendas esse Episcopo una cum juratis tantum, et in domo civitatis Notabilis, et adhibito notario episcopali dumtaxat: *Milevitana*, *Hosp.*, 20 *mart.* 1700.

9. Dubia, an, et quomodo Card. Episcopo Sabinensi competat jus visitandi hospitale terræ Aspræ?

10. An et quomodo ministri seu officiales dicti hospitalis teneantur reddere rationes dicto Card. Episcopo Sabinensi privative quoad omnes alios? non potuit S. C. definire, nisi prius exhibeatur Breve exemptionis Joannis XXII, et ut coadjuventur probationes: *Sabinen.*, *Hosp.*, 4 *sept.* 1700, *dub.* 1 et 2.

11. Licet Episcopo Sutrino visitare hospitale, et oratorium societatis Disciplinatorum Roncillionis, quod exemptum esse putabatur: *Sutrina*, *Jur.*, 7 *decem.* 1715, *dub.* 1.

12. Jure ordinario, non jure delegato dictam visitationem peragere valet: *Ibid.*, *dub* 2.

13. Quoad hospitale Sanctissimæ Trinitatis Narniæ, cui præsunt deputati a communitate electi, in quo recipiuntur infirmi peregrini, et pueri expositi ab anno 1574, censuit S. C. posse Episcopum illud visitare, et visitando statuere ea, quæ ad rectam ejus administrationem pertinent *sub die* 8 *aug.* 1693, successive propositis dubiis, 1° an Episcopo competat jus visitandi dictum hospitale, et invisendi rationes administris? et quatenus affirmative, 2° an et ubi dictæ rationes invisendæ sint? ad 1^um^ affirmative respondit, ad 2^um^ censuit danda esse decreta hac de re edita, et signate in Valentina 11 *maii* 1624, ubi S. C. censuit rationes reddendas in domo Episcopi. Demum sub die 29 *januar.* 1701. S. C. recessit a decisis, et servari decretum anni 1693, mandavit, quod confirmavit *in Narnien.*, *Hosp.*, 28 *maii* 1716, *dub.* 1.

14. Ac statuit hujusmodi decreta respicientia visitationem esse intelligenda quoad temporalia salva administratione penes rectores: *Ibid.*, *dub.* 2.

15. Ad dubia, an Episcopus habeat jus visitandi hospitale B. Mariæ Misericordiæ urbis Senogalliæ, et ab administratoribus, ac ministris exigendi rationes administrationis redituum ejusdem hospitalis tamquam ordinarius, seu tanquam delegatus apostolicus?

16. An administratio temporalis, seu œconomica hospitalis B. Mariæ Misericordiæ Senogalliæ et electio, seu remotio ejus ministrorum, et famulorum spectat ad Episcopum seu ad syndicos ejusdem hospitalis sub clientela legati, seu præsidis pro tempore, ita ut licuerit, et liceat legato, seu præsidi damandare syndicis electionem, et remotionem dictorum ministrorum? S. C. dilata respondit, ut coadjuventur probationes: *Senogallien.*, 18 *maii* 1726, *dub.* 1 et 2.

17. Episcopo Tuderti jus visitandi hospitale ecclesiæ S. Mariæ Consolationis, cui a Clemente VIII, exemptionis privilegium fuerat donatum in iis, quæ spectant tantum ad divinum cultum, non autem in iis, quæ œconomiam respiciunt, competere firmatur. Denegatum vero illi fuit jus redditionem rationum ab illius rectoribus, seu administratoribus exigendi; reservato ei jure incumbendi executioni piarum dispositionum: *Tudertina*, *Cen.*, 22 *sept.* 1742, *dub.* 2.

18. Definivit S. C. fas esse Ordinario visitare ven. hospitale pauperum infirmorum civitatis Vasionis, et pro recto illius regimine, et circa bonorum administrationem decreta condere, licet prætendebatur esse privatum ac laicale: *Vasionen.*, 19 *junii* 1751, *dub.* 1,

19. Adest in oppido Malaucenæ hospitale, in quo Episcopi jurisdictionem gesserunt, et bona ab exconsule oppidi uti rectore hospitalis administrata fuisse constat. Modo factis controversiis, ac dubiis propositis, S. C. decrevit non constare de exemptione dicti hospitalis ab jurisdictione ordinaria Episcopi: *Vasionen.*, *Jurisd.*, 11 *aug.* 1703, *dub.* 1.

20. Et integrum esse Episcopo in visitatione et extra tam quoad spiritualia, quam quoad temporalia decreta condere statutum fuit: *Ibid.*, *dub.* 2.

21. Necnon eidem Episcopo competere jus convocandi congregationem dicti hospitalis, et in ea per se, vel per ejus deputatum præsidendi decernitur: *Ibid.*, *dub.* 3.

22. Ac rectores, aliique administratores bonorum dicti hospitalis eidem Episcopo rationes reddere tenentur: *Ibid.*, *dub.* 4.

23. Administrationem, et gubernium ejusdem hospitalis spectare ad Congregationem ejusdem hospitalis nuncupatam *Bourreau*, non autem ad consilium dictæ urbis planum fuit: *Ibid.*, *dub.* 5.

24. Hospitale nuncupatum S. Rocchi oppidi Vigueriæ Sum. Pont. Alexander VI, anno 1497, univit monasterio S. Mariæ Pietatis familiæ Dominicanæ hisce verbis; *quod propter unionem, annexionem, et incorporationem prædictas hospitale prædictum debitis non fraudetur obsequiis, sed con-*

grua supportentur onera consueta. Hinc de jure visitationis ejusdem controversum est, et S. C. definiit Episcopum Derthonæ posse tanquam delegatum apostolicum visitare hospitale S. Rocchi una cum annexis, nec visitationem factam anno 1754 esse circumscribendam : *Derthonen., Visit.*, 26 *jan.* 1760, *dub.* 1.

25. Regulares prædictæ familiæ etsi habeant sub eorum cura, protectione, ac dominio tam ecclesiam, quam hospitale S. Rocchi una cum annexis ad formam conventionis, tamen a S. C. jus Episcopi visitandi eos, ac rationes invisendi præservatur : *Ibid., dub.* 5.

26. Hospitalis erecti in terra Montis Bodii vigore dispositionis Angeli Sammarani bona non sunt administranda per separatum ministrum ab aliis bonis societatis Mortis, cui hæredi substitutæ testator erigi mandavit. Nam unius semper fuit administer : *Senogallien.*, 13 *julii* 1765, *dub.* 5.

27. Nec administratores prædicti sunt approbandi ab Ordinario, sed cavere tantum debent de bene et fideliter administrando : *Ibid., dub.* 6.

28. Necnon conficiendum est inventarium bonorum mobilium, aliarumque rerum ad hospitale spectantium sine præjudicio qualitatis hæreditariæ prout de jure : *Ibid., dub.* 7.

29. Antiquissimum in oppido Carboneani extat hospitale sub titulo S. Antonii abbatis, cujus administratio est penes communitatem. Quæstiones inde factæ fuerunt de regimine, jurisdictione, ac administratione ejusdem hospitalis. Sopita prima quæstio fuit per rescriptum S. C., quo demandatum fuit, ut congregationibus, quæ fiunt pro administratione hospitalis Carboneani, ejusque bonorum, interesse debeant vicarius Foraneus ad formam synodi diœcesanæ, et soli componentes congregationem ad formam statutorum anni 1682 [17] addendo ad mentem : *Civitatis Castellanæ, Hosp.*, 13 *mar.* 1773, *dub.* 1.

30. Petitum postea fuit, an et a quo sit approbanda electio officialium ejusdem hospitalis ; et cui sint referendæ rationes ? et rescriptum negativum ad primam partem, et quoad secundam, rationes reddendas esse duobus syndicis a consilio eligendis cum præsentia vicarii Foranei salvis Episcopi juribus prodiit : *Ibid., dub.* 2.

31. Denique decisum fuit, ut statuta, et ordinationes præscriptæ usque ad annum 1682 per Episcopum Altini pro recta hujusce hospitalis administratione observandæ sunt : *Ibid., dub.* 3.

32. Ex hæreditate Antonii Gioja relicta xenodochio civitatis Eugubii, quum nullum levamen pauperes infirmi perciperent ex defectu administrationis, nomine eorumdem infirmorum porrectus fuit libellus ad mala præfata avertenda. Nam hospitale sub legati Urbini regimine reperiebatur, et e contra exequutio piæ dispositionis Episcopis pro tempore commissa fuerat. Tota hinc quæstio proposita super jurisdictione, administratione bonorum, ac jure eligendi capellanos, aliosque ministros hospitalis fuit in S. C., quæ ut adjuventur probationes et reformetur primum dubium jussit : *Eugubina., Jur. visit.*, 19 *julii* 1783, *dub.* 1, 2 et 3.

33. Sodalitium sanctissimi Corporis Christi, qui spurios recipere et nutricibus tradere ob defectum brephotrophii consueverat, obtinuit ecclesiam, et collegium ex-jesuitarum Asculi cum reditibus, nonnullis legibus præscriptis statim ac sodales sumptus fecerunt, ut collegium ad usum conservatorii redderetur, curam spuriorum neglexerunt. Ob id zelatores die 5 aug. 1795 consecuti sunt rescriptum Pontificium, cujus vigore constituti sunt deputati pro temporali, et spirituali regimine hospitalis, amoto ejusdem ministro. Id jurgia seminavit inter deputatos, et sodales, qui uno ore ad S. C. confugerunt. Hæc cunctans resolutionem jussit, ut dubium proponatur, an constet de obreptione, et subreptione rescripti Pontificii, et interim ut scribatur Card. Episcopo pro informatione et voto juxta mentem [18] : *Asculana, Brephotr.*, 9 *julii* 1797, *dub.* 1, *usque ad dub.* 11.

§ III.

Hospitale quoad infirmos, invalidos, et expositos.

1. Unio confecta ab Episcopo Montis Falisci card. Barbadico hospitalis ejus civitatis collegio, seu seminario puerorum auxilio fuit hospitali Viterbiensi, ad quod non obstante interdicto transmittebantur infirmi. Sed rectores illius hospitalis obliti legis, conditionisque unionis iterum transmittere cœperunt infirmos ad hospitale Viterbiense. De hoc conquesti administratores in S. C. decretum reportarunt, esse prohibendam transmissionem infirmorum exterorum ab hospitali Montis Falisci ad

[17] Ad illorum formam administratio omnis penes quatuor priores, et sex deputatos extitit, congregationibus ab iis habitis pro hospitalis regimine vicarii Foranei, non prætores semper interfuerunt, omniaque illarum decreta non prætorum sed Episcoporum nomine lata fuerunt. *Ead. causa*, 13 *febr.* 1773, § 2.

[18] « Mens autem est, ut E. V. superadjunctis precibus S. ipsam C. auditis omnibus interesse habentibus, et præsertim deputatis, et parochis, ulteriusque super expositis, eorumque veritate, ac subsistentia instructam reddere, necnon prudentissimum animi sui sensum aperire. » *Regist. Lit.* Lib. 35, 9 *julii* 1796, pag. 374.

hospitale Viterbii : *Viterbien., seu Montis Falisci, Hosp.*, 25 *januar.* 1755, *dub.* 1, confirmata juxta modum [19] : 26 *apr. ejusd. anni.*

2. Et ad dubium alterum, an sit inhibenda transmissio infirmorum ab hospitalibus terræ Martæ, Bolsenæ, et Balneoregii ad hospitale Montis Falisci? jussit S. C. ut proponatur citatis interesse habentibus : *Ibid., dub.* 2. Deinde negativum emanavit a S. C. responsum : 26 *april. ejusd. anni,*

3. Insuper decrevit esse interdicendam transmissionem infirmorum ab hospitalibus Valentani, et Capitis Montis ad illud terræ Martæ : *Ibid., dub.* 5.

4. Demum ad dubium, quomodo sit exequendus modus adjectus resolutioni quoad infirmos, de quibus loquitur cap. XI unionis? S. C. respondit modum esse exequendum juxta mentem [20] : *Ead. causa*, 29 *maii* 1756.

5. Extat in urbe Fori Cornelii hospitale S. Mariæ de Schaletta quod erectum fuit pro curandis infirmis usque dum sanati medicorum judicio omnino fuerint, et pro infantibus expositis, et peregrinis triduo excipiendis. Hoc hospitale recentes a morbo, et peregrinos pedibus viam prosequi non valentes rheda, vel jumento ad proximorum locorum hospitalia deferri curabat. Reclamavit hospitale Castri S. Petri diœcesis Bononiensis, quod primum obtinuit a Benedicto XIV, ne in posterum transmissio fieret sub pœna damnorum refectionis. Pontificiæ hujusce legis abrogationem modo postulant præfati hospitalis S. Petri officiales, et S. C. decrevit esse prohibendam transmissionem peregrinorum, et itinerantium valetudinis non adhuc confirmatæ, et pedibus iter sustinere non valentium, licet non infirmorum ab hospitale S. Mariæ de Schaletta Fori Cornelii, ad hospitale Castri S. Petri : *Bononien., seu Imolen. Hosp.*, 24 *julii* 1762, *dub.* 1.

5. Necnon vetandam esse transmissionem ead. S. C. resolvit ab ipso hospitali Castri S. Petri, necnon Faventiæ et Bononiæ, ceterisque circumstantibus hospitalibus ad dictum hospitale Fori Cornelii, præterquam quod hospitalia destinata tantum pro receptione Peregrinorum, qui in casu infirmitatis transmittantur ad hospitalia infirmorum ejusdem diœcesis : *Ibid., dub.* 2.

7. Duæ puellæ diversis diebus expositæ fuerunt in brephotrophio Urbinatensi, quæ prout inde rectoribus ejusdem brephotrophii nunciatum fuit, in Monte Paganuccio Calliensis diœcesis in lucem prodierunt. Ipsi itaque rectores Episcopum Calliensem rei certiorem fecerunt, ut levarentur ab onere puellas alendi, et cum nihil officia juvassent quia præsertim puellarum matres ab illa diœcesi discesserant, ad S. C. detulerunt querelas postulantes, ut brephotrophium Calliense hasce puellas recipere et alimenta illis tradita Urbinatensi brephotrophio restituere cogeretur ; sed S. C. rescribendum censuit negative, et ad mentem : *Urbinaten., seu Callien.*, 18 *decem.* 1762.

8. Erecto hospitali, ac ecclesia in Monte Bodio vigore piæ dispositionis Angeli Sammarani, qui in universo asse substituit sodalitium Mortis. Sodales exhibuerunt redituum imminutionem, ac expressionem testatoris, qui dixit *in casu necessitatis recolligere pauperes infirmos advenas*, et dubia ad examen detulerunt ; an pauperes tam infirmi, quam non infirmi terræ Montis Bodii sint excipendi in hospitali ibidem erecto ad formam testamenti dicti Angeli ?

9. An eis sint administranda alimenta et respective medelæ, aliaque necessaria? S. C. rescribit ut afferatur codex authographum : *Senogallien*, 13 *julii* 1765, *dub.* 1 et 2.

10. Deinde decrevit, ut retineantur in eo mansiones distinctæ, et separatæ pro terrigenis exteris et mulieribus una cum lectis, seu cubilibus ad tramites Episcopi occasione visitationis emanati decreti quod est honestati, atque etiam voluntati testatoris consentaneum : *Ibid., dub.* 3.

§ IV.

Hospitale quoad jura, ac privilegia.

1. Administratores, ac patroni hospitalis oppidi nuncupati *dell' Areciffe* exemptionem a jurisdictione Ordinarii ac jure parochiali, audito, et consentiente parocho, et capitulo ecclesiæ cathedralis ab Episcopo reportarunt. Hanc exemptionem modo urgent confirmari a Sede Apostolica, et responsum retulerunt, concessionem ab Episcopo factam ratam non esse, et supplicent Pontifici pro concessione

[19] Nempe exceptis iis, quorum fit mentio in cap. 11. Unionis : *Ead. causa*, 26 *april.* 1755, *dub.* 1 : In unionis autem legibus cautum fuit, ut omnes, qui reciperentur, « Nell' Ospedale tanto pæsani, quanto forastieri si infermi, come feriti siano ben trattati, e curati a tutte spese di detto seminario, duranti le loro infermita. » *Ead. causa*, 14 *decem.* 1754, § 1.

[20] Nempe modus est exequendus juxta mentem, et mens est, vetitis omnibus interrogationibns servetur cap. 11. Unionis quoad incurrabiles, et quoad discedere volentes, facto per parochum, et unum ex deputatis testimonio cum juramento de eorum libera voluntate transmittantur, cum schedula subscripta ab Episcopo, vel vicario generali, et idem Episcopus invigilet, ne cura infirmorum negligatur, nec committantur fraudes, stricte onerata ejusdem Episcopi conscientia : *Ead. causa*, 29 *maii* 1756.

privilegii exemptivi a parochiali jurisdictione : *Olidén.*, 14 *martii* 1705.

2. Congregatio sacerdotum in parochiali ecclesia S. Petri regiæ villæ Matriti sub ejusdem Sancti invocatione instituta novum pro curandis infirmis sacerdotibus erexit hospitale, subindeque Summum Pontificem exoravit, ut prævia confirmatione erectionis plura hospitali privilegia elargiretur. Confirmationem erectionis villæ prædictæ parochis contradicentibus obtinuit salva auctoritate Ordinarii ad formam Concilii [21]. Prædictis vero hospitali, et Congregationi indultum respective administrandi sacramenta Pœnitentiæ, Sanctissimæ Eucharistiæ etiam per Viaticum, retinendi Oleum sanctum, illudque administrandi de licentia parochi S. Sebastiani, concedendum esse itidem S. C. firmavit : *Toletana, Jur. par.*, 20 *nov.* 1745, *dub.* 2. Reproposita causa hæc resolutio confirmata bis fuit, et additum, dempta clausula *de licentia parochi* : 28 *maii* et 27 *aug.* 1746.

3. Sub eo autem indulto comprehensos esse ministros, seu inservientes, et familias degentes intra septa dicti hospitalis, et ecclesiæ quoad pariter sacerdotes infirmos de licentia parochi S. Sebastiani S. C. putavit; *Ibid.*, *dub.* 3. At in confirmatione pariter deleta fuit clausula *de licentia parochi : Ibid.*

4. Indultum vero administrandi sacramentum Eucharistiæ pro implemento præcepti paschalis non sacerdotibus, ministris, aliisque supradictis personis intra septa dictæ ecclesiæ, et hospitalis degentibus, sed sacerdotibus infirmis de licentia parochi concedendum esse statutum fuit : *Ibid.*, *dub.* 4, et pariter postea fuit ablata clausula *de licentia parochi*, et confirmata resolutio : *Ibid.*

5. Eidemque congregationi, et hospitali concedendum esse jus sepeliendi tantum sacerdotes infirmos in hospitali decedentes, non tam vero confratres, ministros, aliosque in hospitali occumbentes, quam alios morientes in quacumque parochia, et sepulcrum eligentes in dictis ecclesia, et hospitali, quin subjicerent parocho, seu parochis eorumdem, et absque ipsorum interventu, et cruce tam in associando, quam in humando cadavera, una cum emolumentis competentibus aliis ecclesiis, et hospitalibus exemptis a jurisdictione parochi S. C. resolvit : *Ibid.*, *dub.* 5, confirmata *ibid.*

6. Quæsitum fuit ab eisdem sacerdotibus dictæ Congregationis ; num concedendum esset hospitali, et respective congregationi indultum exponendi in illius ecclesia publicæ venerationi Sanctissimum Eucharistiæ sacramentum, celebrandi divina officia in hebdomada majori, benedicendi candelas, cineres, et ramos olivarum, et celebrandi quamcumque festivitatem, Missas cum cantu, conciones, anniversaria, et officia mortuorum, et peragendi quasvis ecclesiasticas functiones fieri consuetas in ecclesiis aliorum hospitalium exemptorum, fruendique cunctis privilegiis, et prærogativis pariter instar aliorum hospitalium auctoritate Apostolica exemptorum? S. C, respondit ; quoad expositionem Sanctissimi Sacramenti, et concionem arbitrio Ordinarii, in reliquis idem Ordinarius provideat pro sui prudentia, salvis juribus parochialibus : *Ibid.*, *dub.* 7, confirmata *ibid.*

7. Patri ministro Sanctissimæ Trinitatis in archihospitali S. Marthæ urbis Avenionis, quod fundaverat Bernardus Rasca, et ejus uxor, et cujus confirmavit fundationem Innoc. VI, Sum. Pont., nonnullis tributis privilegiis, non competit titulus, et denominatio curati archihospitalis prædicti : *Avenionen.*, 12 *sept.* 1750, *dub.* 1.

8. Neque jus exercendi in cœmeterio archihospitalis quascumque functiones pro exequiis, et humationibus cadaverum decedentium extra dictum archihospitale, et sepulcrum in eo eligentium spectat ad capitulum collegiatæ et parochialis ecclesiæ S. Petri, sed ad P. Ministrum, et religiosum Sanctissimæ Trinitatis : *Ibid.*, *dub.* 2.

9. Non autem in eodem archihospitali degentes familiares, et domestici inservientes præceptum paschale in ecclesia ejusdem explere valent : *Ibid.*, *dub.* 3.

§ V.

Hospitale quoad rectores, et inservientes.

1. Æditui, seu rectoris, aliorumque inservientium hospitali S. Angeli in Platea seu sedi (ut vocant) Nidi civitatis Neapolis ordinatio pertinet ad Archiepiscopum, licet exemptionem omnimodam ab Ordinarii jurisdictione illi allegassent : *Neapolitana*, 21 *julii* 1742, *dub.* 6 [22].

[21] Vide not. 11 præcedentem.

[22] Hoc decretum sequuta est Const. Bened. XIV. *Præclarum*, 4 octob. 1755 (*Bull. ejusd. Pont.*, tom. 4, pag. 152), qua declaratur exemptio hospitalis prædicti ab Archiepiscopi Neapolitani jurisdictione. Et § 6 hæc habentur : « Prædictos duos nobiles, ut supra electos, et in posterum eligendos habere insuper jus, et potestatem deputandi, atque colligendi in sacristam, seu rectorem hospitalis, et ecclesiæ, unum clericum, seu presbyterum, ad nutum, et voluntatem ipsorum quandocumque amovibilem, qui tamen tempore ipso deputationibus hujusmodi sit, ac reperiatur ab Ordinario suo rite, et canonice ordinatus, consuetisque litteris testimonialibus super vita, et honestate ab ipso suo Ordinario debite ac de recenti munitus. » Et § 7 et 8 dictis nobilibus vindicatur pariter electio viginti-quatuor clericorum, seu presbyterorum eidem hospitali inservientium, necnon sedecim ministrorum pro servitio infirmorum.

2. Dignitatibus, et canonicis eccclesiæ cathedralis Vasionis duobus ex rectoribus hospitalis pauperum infirmorum dictæ Urbis competere præcedentiam respectu rectorum laicorum tam in congregationibus, aliisque functionibus dicti hospitalis, quam in subscriptione resolutionum, et mandatorum administrationem bonorum respicientium S. C. sententia fuit : *Vasionen.*, 19 *junii* 1751, *dub.* 3.

3. Non singulis rectoribus, sive ecclesiasticis, sive laicis absque ceterorum consensu licet privative munera dicti hospitalis obire : *Ibid.*, *dub.* 3.

4. Sodalitium Mortis, uti disposuerat Angelus Sammaranus, ecclesiam in hospitale in terra Montis Bodii construxit, atque erexit. Inde ex benignitate ejusdem sodalitii admissi sunt presbyteri Oratorii S. Philippi Nerii, ac ipsi sodales prædicant utilitatem obventuram, si illi hospitali præponantur. S. C. tamen censuit dictos patres degentes pro tempore in dicta terra non esse præficiendos dicto hospitali juxta decretum Episcopi in sacra visitatione interpositum, et addidit ad Card. præfectum ad mentem : *Senogallien.*, 13 *julii* 1765, *dub.* 4,

HOSPITIUM QUOAD ERECTIONEM.

1. Comes Joseph Lucatelli hæres Joannis Antonii, qui demandaverat in substitutionem erectionem hospitii invalidorum pauperum assecutus est litteras Apostolicas in forma Brevis pro exequenda voluntate sui auctoris ; nam ingravescente ætate nulla affulgebat spes filios habendi a testatore contemplatos ; idcirco dismembrata fuit domus, quæ ad hospitale Sanctissimi Crucifixi pertinebat, et assignata fuit pro receptione invalidorum pauperum, ac idem hospitale obligavit Summus Pontifex ad panem quotidie subministrandum, et dimidiam partem annui reditus 80, circiter scutorum per hospitale S. Tobiæ Peregrinorum pauperibus sacerdotibus distribui solitis, eidem hospitio applicavit, donec provisus fuerit dictum hospitium. Modo cum dictus Joseph duos habuerit filios licet senex, evanuit spes substitutionis in favorem hospitii, qua de causa dicta hospitalia cessare exposcunt a subministratione prædicta, præsertim inspecta redituum diminutione S. C. rescriptum edidit, ut non retardata præstatione firmetur status bonorum hospitalium, et hospitii, juxta instructionem [25] : *Cæsenaten.*, *Ann. præst.*, 3 *octob.* 1711. Ac inde respondit teneri dicta hospitalia, dummodo retineantur in hospitio invalidi tantum ad formam Brevis : 13 *januar.* 1713.

2. Erectionem hospitii, et valetudinarii pro religiosis Cappuccinorum villæ de Barcellos infirmis, et convalescentibus reprobavit S. C. Nam ambo laici degentes in quadam eremo fundata tantum pro viris fructuosæ solitudini satagentibus, dictam eremum donaverunt dictis religiosis una cum bonis, ut ad usum hospitii redigatur sub obtentu non inveniendi consocios vitam solitariam traducere volentes : *Bracaren.*, *Erect. hosp.*, 12 *aug.* 1741, *dub.* 2.

HYPOTHECA. Vide *Bona ecclesiastica*, § VI.

[25] Vide not. 21, verb. ***Firmatio status hæreditarii***.

JANUA.

1. Ostium capellæ seu oratorii publici S. Joan. Baptistæ dicati, quod situm intra claustrum atrii palatii Baronalis est, aperiendum in via publica minime esse rescribitur : *Compsana*, *Cap.* 8 *aug.* 1705, *dub.* 1.

2. Ac licet in præsenti casu baroni per palatium ad ecclesiam prædictam descendere : *Ibid.*, *dub.* 2.

3. Oratorium sodalitii sanctissimi Sacramenti erecti in ecclesia cathedrali cohærens capellæ ejusdem tituli, cum esset publicum declaratum, et non privatum ; non est claudenda janua ejusdem exsterior versus viam, nec aperienda, ac construenda janua interior, quæ ad dictam capellam ducat : *Sarnen.*, *Confir.*, 11 *junii* 1712, *dub.* 4.

4. Dum petiit familia de Fontaner, an possit retinere tintinnabulum, et illud pulsare diebus festis in oratorio, quod habet in atrio suæ domus? S. C. diluit dubium præcipiens ut januæ atrii amoveantur : *Barchinonen.*, *Cap.*, 30 *sept.* 1730.

5. Episcopus in visitatione sancivit, ut janua

extructa in cubiculo contiguo sacrario ecclesiæ societatis Lanariorum, qua ingredi poterant fratres de Tundis egredientes e propria domo, claudi deberet. Reclamarunt fratres prædicti asserentes ex transactionibus jam antea cum societate initis, et ex concessione situs ab ipsis facta in favorem ecclesiæ, jus retinendi liberum aditum per eamdem januam derivare; et S. C. consulta ratum habuit præfatum decretum Episcopi. Situm enim donatum fuerat absque ulla reservatione dominii, nec beneplacitum apostolicum in hac servitute intercesserat: *Eugubina*, 2 *junii* 1736, confirmata 4 *aug. ejusd. anni*.

6. Capitulum S. Petri in Vaticano perpetuum abbatem commendatarium abbatiæ S. Rufilli, dum illam visitaret, mandavit, ut fratres Zaulii fenestram, quam in muro ecclesiæ S. Mariæ ad Nives in terra montis *l'Abbate* habebant, et januam, quæ in sacrariam umettebat, intra mensem clauderent. Quæstione de hac re a Zauliis agitata, illud edictum ratum S. C, habuit: Zaulios enim nec barones, nec patronos esse, neque a Sede apostolica indultum quæsivisse capitulum comprobabat: *Nullius, Fori pompilii*, 28 *januar.* 1758.

7. Marchio Laurentius Centurionius nobilis Januensis et inde Bononiensis indultum Pontificium retinendi apertas interiores finitimi oratorii januas obtinuit. Hoc defuncto palatium transiit vigore venditionis in Carolum Ceneri civem non nobilem Bononiensem, quem optima spes passit de perpetua concessione privilegii, quo marchio Centurionius fruebatur, sed S. C. omnem spem ab eo abscindit: *Bononien.*, 15 *januar.* 1785.

8. Communicationem domus archipresbyteralis ecclesiæ collegiatæ S. Petri Montis Martiani in choro, ubi in hyeme sacra faciunt canonici, claudi debere juxta decretum Episcopi anni 1781, reservata Archiepiscopo altera quam habet communicatione cum ecclesia in latere opposito, S. C. visum est: *Senogallien.*, 13 *junii* 1789, *dub.* 2.

Ignis benedictio. Vide *Benedictiones*, etc.

Illegitimitas prolis. Vide *Matrimonium*, § xxv.

Illegitimitas prolis quoad dispensationem. Vide *Dispensatio*, § v.

Immemorabilis consuetudo. V. *Consuetudo*.

IMMUNITAS ECCLESIASTICA.

1. Contra officiales principum secularium immunitatem ecclesiasticam lædentes Episcopus jure sibi competenti uti debet, ac prudenti zelo juris remediis servatis servandis immunitatem ecclesiasticam tueri: *Civitatis Castellanæ*, 26 *aug.* 1628.

2. Censuit S. C. injungendum legato, atque rectori Avenionensi, ut assistere, et præsto esse velint Episcopis, dum pro repetitione bonorum suæ ecclesiæ procedunt contra locumtenentem capitaneum a prædecessore Episcopo ob violationem jurisdictionis, et immunitatis ecclesiasticæ excommunicatum; atque de hoc etiam cum Card. legato agendum esse: *Vasionen.*, *Visit. sacr. Liminum*, 25 *aug.* 1637, *dub.* 1.

3. Ad dubium propositum, an alienatio, seu donatio in clericum secularem, seu regularem, vel locum pium censeatur facta in potentiorem; ita ut bona alienata, vel donata gaudeant ecclesiastica immunitate? respondit S. C. alienationem seu donationem hujusmodi non censeri factam in potentiorem, et bona alienata, seu donata gaudere immunitate ecclesiastica juxta tamen decisionem in Brundusina Gabellæ coram Pœnia, et in Alben. coram Merlino[2]: *Vercellen.*, 21 *mar.* 1643, *dub.* 5.

[1] Vide verb. *Congregatio* § 3.

[2] Prima sub die 13 febr. 1604, decis. 1079, ubi sacrum tribunal Rotæ censuit sententiam curiæ Brundusinæ non esse confirmandam, quia in judicio pronunciaverat: « quod clerici per decennium præteritum tribus tertiis solvere in rebus emptis, et donatis tenerentur, et in futurum quoad possiderent, excepto ad titulum ordinis sacri, non tamen in fraudem, et pro debitis contractis bona empta, et donata, et patrimonialia transivisse cum oneribus suis, et clericos teneri contribuere: non tamen si donatores, et venditores fuissent solvendo: rursus eosdem clericos teneri pro bona tenentibus contribuere, donec pervenirent ad ordines sacros, de bonis donatis ad titulum ordinis. » Voluit enim Rota mature considerate, et intelligere naturam bonorum, super quibus imponuntur dicta onera, et similiter naturam onerum fiscalium; cum ergo impositiones censuum, de quibus agebatur, non essent onera certa, et ordinaria, nec talia, quæ vere, et proprie

4. Et alterum dubium, an donatio, quam facit laicus loco pio, ut effugiat solutionem onerum, et sibi servet ad vitam pensionem fere equivalentem fructibus subsistat; ita ut bona donata ab oneribus extraordinariis sint immunia? rescribtur, prævia declaratione Episcopi super fraude donationis hujusmodi bona donata non esse immunia ab oneribus etiam extraordinariis : *Ibid.*, *dub.* 6.

5. Pro conservatione immunitatis, et jurisdictionis ecclesiasticæ valde conculcatæ petit declarari Episcopus, non posse directe, neque indirecte ecclesiasticos impedire quominus vendant, et extrahant, non autem ex statu ecclesiæ, neque mari, frumenta, aliosque suos proventus.

6. Neque posse exactores camerales executione reales, et personales facere in ecclesiasticos absque Episcopi facultate, et licentia.

7. Inde postulat Episcopus, ut a temporali superiorum, seu gubernatorum satellitum capitaneo detur una vice pro cunctis licentia, ut requisitus de brachio seculari suum præbeat officium absque alia icentiæ petitione, et sine causæ significatione ab Ordinario facienda. S. C. rem remisit ad S. C. super controversiis jurisdictionalibus. *Maceraten.*, *Visit. sacr. Lim.*, 26 *april.* 1664, *dub.* 14, 15, 16 et 17.

8. Ad id quod ad canonum intemerata præcepta servanda Episcopus retulit de eo, qui ad ecclesiam confugerat, exindeque ut diutius servaretur ad carceres, ecclesiæ nomine retinendus delatus fuerat, et nihilominus ad triremes fuit condemnatus, censuit S. C. Episcopum debere facto processu etiam per censuras procedere, ut immunitas ecclesiastica sarta, tectaque servetur. In altero etiam casu, quo seculare tribunal fugitivum ad ecclesiam immunitate gaudere declaravit, debere etiam Episcopum processum conficere, et ecclesiastica immunitate gaudere declarare. Id tam in præmissis, quam in ceteris casibus si obveniant, esse observandum : *Nicien. ad Visit. sacr. Liminum*, 6 *aug.* 1677, *dub.* 6.

9. Et de depositionibus autem degentium in xenodochiis, quæ a seculari judicio requiruntur, habendis, recurrendum erit ad S. C. immunitatis pro licentia : *Ibid.*, *dub.* 11.

10. Quum S. C. declaraverit ecclesiam, seu oratorium S. Mariæ de Areneto esse publicum facta per senatorem imperialem in publico instrumento declaratione se nullum jus habere in area sita ante ecclesiam, necnon quod claves tam ecclesiæ, quam dictæ areæ retineantur a capellano, additum fuit, et ad secretarium cum Sanctissimo pro declaratione, quod area non gaudeat immunitate : *Savonen*, 9 *sept.* 1724.

Reliqua. Vide *Congregatio*, § III.

Impedimenta matrimonialia dirimentia. Vide *Matrimonium a* § VIII, *usque ad* § XXIII.

Impedimenta matrimonialia impedientia. Vide *Matrimonium*, § XXIII.

Impedimenta matrimonialia quoad dispensationem. Vide *Dispensatio*, § X.

Impensa. Vide *Expensæ*.

Imperatio. Vide *Beneficia ecclesiastica*, § II; *Concursus*, § II; *Vicaria perpetua*, § I.

Implementum. Vide *Leg. pium*, § II.

Impositio. Vide *Census*, § I.

Impotentia. Vide *Matrimonium*, § XXVI.

Improbatio. Vide *Consuetudo*, § IV.

Impuberes. Vide *Matrimonium*, § VII ; *Professio religiosa*, § III.

Incisio arborum. Vide *Arborum incisio*.

Incompatibilitas. Vide *Beneficia ecclesiastica*, § VI; *Canonicatus*, § V ; *Capellania*, § V.

Incompatibilitas quoad dispensationem. Vide *Dispensatio*, § VI.

Incorporatio. Vide *Applicatio, Unio*.

Indebiti repetitio. Vide *Repetitio indebiti*.

dicerentur realia clerici, et ecclesiæ, ad quas ista bona pervenerunt, non tenentur ad eorum solutionem. Et idem judicium fuit de solutionibus fiscalibus. Hinc merito fuit Brundusianæ curiæ sententia revocata altera inscribitur : *Alben. Gabellæ seu onerum* 28 junii 1630 cor. Merlino decis. 902 *relat. in fin. tom. II inter decis omissas*, et etiam impressa inter *recent.* part. 4, decis. 339. In hac magistrali et famigerata decisione tractatur, quod bona ecclesiastica, et ecclesiasticorum libera sunt, et immunia a collectis, tributis, et oneribus impositis per communitates, et principes laicos, et demonstratur, quod immunitas ecclesiastica, non a jure positivo, ut quidam minus vere putarunt, sed a jure ipso divino originem suam agnoscit, et traditur docta distinctio, et deciditur, quando ecclesia teneatur, et quando secus, ad solutionem tributorum de bonis, in quibus imposita erant tributa laicalia antequam ad eam transirent. Rota hanc decisionem pluries sequuta est, et præsertim *in Causa Barchinon. Exemptionis* 20 junii 1636 *cor. Coccino* decis. 2196, tom. 5. *Card. de Luca*, lib. 2 *de Regal. disc.* 50, num. 1 loquens de duabus decis. cit. in Brundusina, et Alben., et de distinctione in Romana curia, et Congregatione immunitatis receptissima ait : « ut prædictæ decisionis in materia sunt magistrales, quod scilicet in ecclesiasticos transeunt solum onera vere realia, perpetua, invariabilia, et fixa, quæ principaliter solvuntur propter ipsas res, non propter personas, secus autem mixta, imposita personis propter res, quod desumitur, ubi sunt temporalia, seu variabilia. »

INDULGENTIA PLENARIA, ET PARTIALIS.

1. Non licet Fratribus ordinis Prædicatorum in eorum ecclesiis indulgentias societati Rosarii B. M. V. concessas instar stationum Urbis publicare; sed per Ordinarium loci, adhibitis duobus de capitulo, debitis temporibus populo evulgandas esse ex decreto Concilii sess. 12, cap. ult. [3] mandatur: *Neritonen., anno* 1574, *dub.* 2.

2. Audito Episcopo, et procuratoribus S. Joannis Hierosolymitani de utriusque partium consensu S. C. probavit, annuitque, ut magnus magister, et conventus in eorum ecclesiis dumtaxat possit, absque Episcopi licentia, sub sigillo tamen prioris, promulgare indulgentias tantum sibi, et eorum hospitali concessas; alias vero indulgentias, etiam concessas visitantibus ecclesias militum non possint, sed Episcopus extra militum ecclesias palam facere debeat: *Milevitana*, 24 *aug.* 1619.

3. Publicationem indulgentiarum ad solos Episcopos adhibitis duobus de capitulo pertinere, non obstante ordinaria forsan jurisdictione eorumdem capitulorum, aut quibuscumque illorum privilegiis ante sacrum Concilium Tridentinum obtentis, definitum est: *Suessionen.* 16 *sept.* 1662, *dub.* 7.

4. Quæstione agitata a binis societatibus in duabus PP. Dominicanorum ecclesiis erectis, quæ inter se bismilletercentum, et quatuor passibus distabant, quarum secunda ab antiquitus anno nempe 1619 fuerat erecta; S. C. eo tempore, quo censuit posteriorem esse tolerandam quoad indulgentias, agendum esse cum Sanctissimo putavit: *Valentina, Societ. SS. Ros.*, 2 *aug.* 1687.

5. Quum in concessione indulgentiarum Summus Pontifex soleat præfigere certum numerum Missarum celebrandarum qualibet die in altari privilegiato ad instantiam nonnullorum religiosorum, data occasio est S. C. decidendi proposita dubia, scilicet, an absentibus religiosis ex causa prædicationis tempore Quadragesimæ, et Adventus, vel quando occasione festivitatum, vel funerum, aut similium a superioribus ad celebrandum alibi transmittuntur indulgentiæ concessæ cum certo numero Missarum, qui ob dictas causas impleri non potest prorsus cessent, vel pro eo tempore, quo dictus numerus Missarum non fuerit impletus, sint suspensæ, vel remaneant in suo robore? S. C. rescripsit quoad primam partem pro tempore Adventus, et Quadragesimæ remanere suspensas, non autem in reliquis dummodo raro contingat: *Dubia Indul.*, 30 *julii* 1701, *dub.* 1, [4].

6. Inde ad postulatum, an idem sit statuendum deficiente præfixo numero Missarum ob infirmitatem sacerdotum, tam regularium, quam secularium? respondit suspensas non remanere: *Ibid.*, *dub.* 2.

7. Atque ad dubium, an pariter idem sit statuendum deficiente dicto numero Missarum ob ab-

[3] Nempe cap. 9, *de Reform.*, ubi habetur. « Indulgentias vero, aut alias spirituales gratias, quibus non ideo Christi fideles decet privari, deinceps per Ordinarios locorum, adhibitis duobus de capitulo, debitis temporibus populo publicandas esse decernit: quibus etiam eleemosynas, atque oblata sibi caritatis subsidia, nullo prorsus mercede accepta, fideliter colligendi facultas datur: ut tandem cœlestes hos ecclesiæ thesauros non ad quæstum, sed ad pietatem exerceri, omnes vere intelligant. » Hoc decretum juncto altero contento cap. 2, sess. 5, *de Reform.*, quo prohibetur indulgentiarum publicatio ob quæstum, ampliatum est a S. Pio V. Const. *Et si Dominici* 8 febr. 1567, (*Bull. Rom.* tom. 4, part. 2, pag. 348, *Et quam plenum* 2 januar 1570, *Bull. Rom.* tom. 4. part. 3, pag. 91.) Prohibente, ne quocumque prætextu publicentur indulgentiæ ob quæstum, seu prædicetur, ut ad eas acquirendas solvenda sit aliqua eleemosyna alicui personæ, vel loco, sub pœna in Episcopos, etiam Cardinales, secus facientes, sive attentantes, suspensionis ab ingressu ecclesiæ, et perceptionis fructuum suarum ecclesiarum, donec prævia satisfactione a Sede apostolica, hæc suspensio relaxetur, et in his inferiores excommunicationis Papæ reservatæ. Ex declaratione S. C. Concilii Regulares non possunt publicare indulgentias, aut præ foribus suarum ecclesiarum affigere, nisi postquam fuerint ab Episcopo publicatæ: *in civitatis plebis*, 10 novem. 1640, ad dub 2, Const. *Romani Pontificis*, 1 febr. 1582. A Gregorio XIII, Pont. Max. permittitur Ordini fratrum S. Antonii Viennensis pro eorum hospitalibus eleemosynas colligere.

[4] Super hisce dubiis advocatus dominicus Ursaya fuit interrogatus, ante S. C. Concilii definitionem, qui respondit. « Non cessare indultum, seu indulgentiam, sed solum remanere suspensam pro illis diebus, illoque tempore quatenus tamen breve sit, quibus Missæ in altari privilegiato in determinato numero non celebrantur; ea ratione, quia, quando ex accidenti modus, in aliqua dispositione adjectus non verificatur, non resolvitur dispositio, sed solum illius effectus pro eo tempore suspenditur, juxta late animadversa per Pasqualigum *De Sacram. Nov. Leg.* quæst. 748, *per tot.* » Id habetur *in Discept. Eccl. XXIV*, tom. 3, part. 2, *per tot.*

sentiam ab ecclesiis secularibus canonicorum, et sacerdotum per aliquot dies, et menses? fuit provisum in primo : *Ibid.*, *dub.* 3.

8. Dubitatum est, an stante Const. Pauli V, incipien. *Romanus Pontifex* edita anno 1606 [5], revocatoria indulgentiarum, quæ quibuscumque ordinibus, et institutis regularibus sunt concessæ comprehendat quoque, et intelligenda sit indulgentiis tertio ordini seculari S. Francisci vulgo nuncupato de Pœnitentia Hispaniarum, et Indiarum, S. C. edidit negativum responsum, quod indulgentias directe concessas eidem tertio ordini : *Dubium*, *Indulg.* 24 *martii* 1703.

9. Nutantibus tamen adhuc fratribus prædictis, an indulgentiæ a principio fratribus regularibus, sive monialibus S. Francisci concessæ, et per Summos postea Pontifices (non vero per religiosos observantes) specialibus Constitutionibus ipsi tertio ordini communicatæ dici necne possint directe concessæ. S. C. respondit, exhiberi constitutiones authographas : *Hispaniarum*, *et Indiarum*, 6 *junii* 1805.

10. Summus Pontifex elargitus est in forma Brevis indulgentiam plenariam ad septennium in die commemorationis omnium defunctorum, et qualibet feria sexta ejusdem hebdomadæ Josepho Mariæ Chiesa archipresbytero parochialis ecclesiæ S. Joan. Baptistæ loci Vigulzoni cum clausula, ut *in ipsa ecclesia quinque Missæ quotidie celebrentur*. Hanc conditionem implere ille non valet, quum contingeret ex decem sacerdotibus aliquando duo, vel tres, et rarissime nemo unus accedat ad celebrandum. At ducto calculo Missarum computari possunt in illa ecclesia quinque quotidianæ Missæ, et amplius. S. C. vero respondit, Breve non esse exequendum in casu de quo agitur : *Placentina*, *dub. Ind.* 6 *febr.* 1706.

11. Sodalitium SS. Matthæi, et Francisci de Assisio Neapoli erectum obtenta aggregatione sacrosanctæ basilicæ Lateranensis urbis cum communicatione indulgentiarum Januæ oratorii lapidem hisce verbis, *Visitantibus quotidie pœnæ indulgentur*, *sicut in Lateranensi ecclesia*, affixerunt. Reclamante autem Archiepiscopo contra illam aggregationem occasionem habuit S. C. declarandi, scalam sanctam permittendam non esse, nec pro omnibus illam ascendentibus, et descendentibus indulgentiam adesse : *Neapolitana*, *Ind.*, 19 *junii* 1717, *dub.* 1 et 2 [6].

12. Quamquam in ecclesia PP. ordinis Prædicatorum Ulyssiponis Occidentalis ab antiquis temporibus erecta reperiatur societas sanctissimi Rosarii, tamen anno 1715, alia sub eodem titulo in ecclesia S. Mariæ Conceptionis ejusdem civitatis erecta fuit. Ideo petita, et obtenta ejusdem erectionis convalidatione, quoad indulgentias agendum esse cum Sanctissimo S. C. censuit : *Ulyssiponen.*, *Occid. Confr.*, 7 *decem.* 1720.

13. Pius inolevit mos plures ingrediendi, et visitandi tam capellam Portiunculæ positam in ecclesia S. Mariæ Angelorum, quam reliquas ecclesias ordinis Fratrum S. Francisci a vesperis kalendarum augusti usque ad vesperas sequentis diei, sub obtentu indulgentiarum Portiunculæ lucri faciendi quolibet ex dictis ingressibus. Episcopo Labacensi id absonum visum fuit. Questus deinde est in S. C.

[5] Die 23 maii *Bull. Rom.* tom. 5, part. 5 pag. 207, in qua dum nova fit indulgentiarum concessio, § 19, aliæ revocantur hisce verbis. « Ceterum omnes, et singulas indulgentias quibuscumque ordinibus, et institutis regularibus, et quibuslibet personis regularibus tam vigore privilegiorum, quam vivæ vocis oraculo, aut alios quovis modo per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac nos, et apostolicam Sedem hactenus concessas, confirmatas, approbatas, et innovatas, auctoritate, et tenore prædictis perpetuo revocamus, cassamus, annulamus, et abrogamus, et ad præsentium nostrarum literarum præscriptum reducimus, et moderamus. Hanc Const. declaravit altera Benedicti XIV, 15 martii 1751. *Ad Romanum Bullar. ejusd.* tom. 3, pag. 151, qui indulgentias novas pro fratribus, et sororibus tertii ordinis sæcularis S. Francisci Assisiensis concessit, ac alias concessas abrogavit, quum agitarentur animi tertiariorum S. Francisci super indulgentis, dum Breve Pauli V prædictum indulgentias Ordinum non dari, nisi iis, qui substantialia vota religionis emiserint.

[6] Postmodum a Bened. XIV, Pont. Max., indulgentiæ basilicæ Lateranensis confirmantur, Const. *Assiduæ* 6 maii 1751, § 3 (*Bull. ejusd.* tom. 3, pag. 163). Necnon illæ, quæ ecclesiis ipsius filialibus, seu ipsi aggregatis, hactenus communicatæ fuerunt, in eadem Const. § 8, suspenduntur; et interim eisdem aliæ indulgentiæ, et gratiæ spirituales, § 10, 11, 12, 13, ecclesiis, altaribus, capellis, oratoriis, societatibus, locisque piis dictæ basilicæ membris, hactenus erectis, seu eidem subjectis, et incorporatis, concedentur; nempe : indulgentia plenaria visitantibus in diebus festis Ascensionis Domini, Nativitatis S. Joan. Baptistæ, SS. Apostolorum Petri, et Pauli, et S. Joan. Evangelistæ, et dedicationis ejusdem Lateranensis basilicæ. Indulgentia septem annorum, et totidem quadragenarum in diebus festis SS. Apostolorum Andreæ, Jacobi, Thomæ, Philippi, et Jacobi, Bartholomæi, Matthæi, Simonis, et Judæ, ac Mathiæ. Indulgentiæ quatuor annorum, totidem quadragenarum a Dominica prima Adventus, usque ad festum Nativitatis Domini, et a feria IV. Cinerum usque ad festum Resurrectionis Dominicæ singulis diebus. In reliquis diebus singulis anni centum dies. Indulgentiæ denique stationales in diebus stationum ejusdem ecclesiæ Lateranensis in Missali Romano descriptis, videlicet Dominica prima Quadragesimæ, Dominica Palmarum, feria V in Cœna Domini, Sabbato Sancto, Sabbato in Albis, Feria III Rogationum, et sabbato in Vigilia Pentecostes. Denique § 16, præmissæ novis aliis ecclesiis aggregandis communicari permittuntur.

quæ, die 17 julii 1700, servandum esse solitum respondit. Inde examinato dubio, an prædictum decretum ita sit intelligendum, ut indulgentia Portiunculæ acquiri possit a Christifidelibus a vesperis kalendarum augusti ad vesperas diei sequentis non semel, sed toties, quoties easdem ecclesias dicta die diebus intercedentibus requisitis visitaverint? et denuo ut servaretur solitum fuit mandatum : *Ordinis S. Francisci*, 4 *decem.* 1723.

INDULTUM ABSENTANDI A CHORO. Vide *Dispensatio*, § I.

INDULTUM ABSENTANDI A RESIDENTIA. Vide *Dispensatio*, § II.

INDULTUM ASSEQUENDI BENEFICIUM. Vide *Dispensatio*, § IV.

INDULTUM ASSEQUENDI CAPELLANIAM. Vide *Dispensatio*, § IV.

INDULTUM JUBILATIONIS QUANDO,

ET QUOMODO CONCEDI DEBEAT, NECNON.

1. Statutum vigebat in ecclesia Compostellana ab immemorabili usu firmatum, ut beneficia post annos 40, sine ulla fructuum, acti distributionum jactura vacarent. Sed post Concilium in obscuritate latet, an salva Tridentini Concilii sanctione præmissum statutum quoad concessionem emeritæ requiei post quadragenarios labores inter beneficiatos dictæ ecclesiæ in futurum, prout hactenus, servariqueat? Pont. Max. Gregorius XIII, audita relatione S. C. tolerandum esse hoc statutum, sic dubium aperuit : *Compostellana, anno circiter* 1576.

2. Capitulum cathedralis canonico Nicolao Bretio jubilationem postulanti exposuit : 1° quod ex constitutionibus capitularibus sub anno 1569 confectis, nullus canonicus, nisi infirmus, vel ex justa causa absens a servitio chori excusaretur ; 2° quod in dicta ecclesia, neque consuetudo concedendi jubilationis indultum, neque ullum dicti indulti aliquando impetrati exemplum reperiretur ; 3° quod petita jubilatio in maximum ejusdem ecclesiæ servitii, divinique cultus detrimentum fuisset cessura, inspecto parvo canonicorum numero ; 4° demum quod præfatus canonicus Bretius annum sexagesimum quintum dumtaxat agens posset ecclesiæ commode inservire, dum negotiis domesticis reipsa incumberet ; discusso itaque dubio, an petitum indultum sit concedendum? non esse concedendum S. C. rescripsit : *Civitatis, Castelli*, 17 *aprit.* 1666.

3. Indultum jubilationis suffragatur causa tantum quadragenarii servitii obtentum : *Novarien.*, *Jub.* 2 *octob.* 1677, *dub.* 1.

4. Julius Sala, qui de anno 1642, fuit constitutus coadjutor Paridis Salæ canonici cathedralis cum futura successione, quod munus exercuit usque ad annum 1644, quo decessit coadjutus, impetrare cupit jubilationis indultum, et est assecutus : *Brixien.*, 27 *martii* 1683.

5. Joan. Franciscus Rosatus antiquior canonicus cathedralis, cui ecclesiæ spatio 40 annorum, quinque scilicet uti canonicus coadjutor, et 35, uti simpliciter canonicus continuo, et laudabiliter inservivit, spem collocat in S. C. pro jubilatione, et obtinet : *Novarien.*, 4 *aug.* 1691.

6. Joan. Baptista de Justis inspecto servitio quadraginta annorum, et ultra, uti canonicus, et decanus cathedrali peracto jubilationem consecutus est ; nuper autem collato sibi a Summo Pontifice prioratu ejusdem ecclesiæ supplicat, vel sibi novam jubilationem concedi, vel declarari, eamdem sibi prodesse respectu prioratus? S. C, audita Episcopi relatione, et ponderato quadragenario servitio, et ultra laudabiliter, et continuo præstito in eadem cathedrali, censuit Oratorem nova jubilatione non indigere, sed jam obtentam eidem suffragari etiam respectu prioratus : *Fulginaten.*, 22 *decem* 1691.

7. Alexander Gallitiolus canonicus subdiaconus cathedralis in ætate annorum 62, variis infirmitatibus pressus circumspecto servitio quadragenario præstito preces fudit pro indulto jubilationis assequendo. Indultum habuit, ita tamen ut orator oneribus subdiaconalibus per vices per se ipsum, vel per alios supplere teneatur : *Bergomen.* 11 *febr.* 1696.

8. Sub narrativa servitii ecclesiæ laudabiliter absoluti spatio 40 annorum Ludovicus Carbonus canonicus cathedralis indultum jubilationis obtinuit. At reclamante capitulo propter mendas in eodem quadragenario servitio contractas, S. C. præfatum indultum ratum non habuit : *Maceraten.*, *Jub.*, 8 *martii* 1698.

9. Joan. Vincentius Marchesius quadragenarium absolvit servitium in Lateranensi basilica prius per aliquot annos tanquam clericus beneficiatus, ac deinde uti beneficiatus, ad ejus rogatum responsum habuit a S. C., id non obstare pro indulto jubilationis, et servitii tempora esse conjungenda [7] :

[7] Nam fuit beneficio privatus, et intrusus ejus loco ecclesiæ eidem inservit : inde vero restitutus quadragenarium servitium per se ipsum complevit : Lib. 49, *Decret.*, pag. 412.

et si perbiennium, quo ipse a possessione beneficii ejectus inservire non valuerit, et in ejus locum intrusus servitium fecit: *Romana, Jub.* 12 *decem.* 1699 [8].

10. Ob peractum personale servitium cathedrali ecclesiæ quadraginta annorum spatio canonicus Hieronymus de Auxilio senio confectus, morbisque præpeditus indultum jubilationis exoptat, capitulum retulit interpolate, et parum laudabiliter suo muneri erga ecclesiam illum satisfecisse, ac propterea ab Episcopo ob notas causas fuisse suspensus. S. C. autem ad preces respondit, ut audiatur Episcopus in curia: *Aversana, Jub.*, 3 *april.* 1700.

11. Indultum jubilationis concessum jam sacerdoti Philippo Bonellio archipresbytero ecclesiæ S. Mariæ Majoris civitatis Baruli, sese opponente capitulo, quod prætendit non explevisse integrum quadragenarium servitium, sed 36 annos in qualitate sacerdotis, et primos in qualitate clerici, et subdiaconi inservisse, nec ejusdem infirmitates esse graves, non esse exequendum S. C. sancivit: *Tranen., Jub.*, 13 *januar.* 1703, *dub.* 1.

12. Remissis ad S. C. precibus a capitulo cathedralis super confirmatione cujusdam statuti ab anno 1668, concedentis canonicis post servitium annorum 30, in eadem ecclesia dumtaxat impensum jubilationis indultum cum perceptione omnium fructuum, ac distributionem, quod antea non nisi post 40 annos concedi consueverat, eadem S. C. postulatam confirmationem denegavit: *Segovien.. Stat.*, 15 *decem.* 1703, confirmata, 15 *novem. et* 20 *decem.* 1704.

13. Crucianus Crucettius canonicus collegiatæ Montis Prandoni pro consueto indulto jubilationis considerato servitio 40 annorum et ultra spem in S. C. respondit. S. C. ei indultum concessit. Constabat enim de laudabili, continuoque servitio; et parvus canonicorum numerus dictæ ecclesiæ impedimento gratiæ non fuit: *Ripana, Jub.*, 29 *novem.* 1710.

14. Ad preces Rogerii Minerbietti canonici Metropolitanæ supplicantis pro indulto jubilationis ob servitium quadragenarium in dicta ecclesia laudabiliter ab eo gestum de quo testatur Archiepiscopus, eum, exceptis 12 primis annis, in quibus sacris ordinibus insignitus non erat, varias absentandi prorogationes obtinuisse. S. C. indultum vacationis a servitio chori per triennium concessit: *Florentina, Jub.*, 10 *januar.* 1711.

15. Canonicus cathedralis Joseph Carosellus suæ ecclesiæ per annos 40 servitio præsto fuit, sed ad complementum dicti servitii triennium, quo cum indulto S. C. causa studiorum in Urbe moratus est, fore computandum prætendit. Sed S. C. obstiente capitulo indultum postulatum denegavit, concessitque indultum vacandi a choro per biennium: *Nepesina, Jub.*, 28 *novem.* 1711.

16. Joan. Petrus Strada canonicus ecclesiæ SS. Celsi, et Juliani post servitium quadragenarium, et ultra laudabiliter peractum, indultum jubilationis quæsivit, sed non obtinuit. Hic enim canonicalis præbendæ possessor ab anno 1669, usque ad annum 1792, sedulum impendit servitium, inde ob passam incisionem indultum vacationis ad biennium reportavit, et quinquies illud fuit ei prorogatum: *Romana, Jub.*, 6 *aug.* 1712.

17. Martinus Antonius Guerrinius canonicus subdiaconus ecclesiæ cathedralis servitium ecclesiæ suæ die 4 novem. 1675, uti coadjutor ac die 19 januar. 1684, uti principalis inchoavit, ac usque ad mensem octob. 1705, continuavit, a quo tempore ob habituales nonnullas infirmitates singulis annis vigore indulti a servitio chori horis matutinis, et primæ vacavit. Hic indultum jubilationis petens, reportavit ad formam consensus [9]: *Bergomen., Jub.*, 8 *aug.* 1716.

18. Hæc explanatio dubia jubilationum aperta, ac dilucida reddit. Indulgenda est jubilatio canonicis et beneficiatis, qui spatio 40 annorum ecclesiis servitium impenderunt, licet dicto temporis spatio cum debitis licentiis, et indultis causa infirmitatis abfuerint ab ecclesia, vel pro suæ ecclesiæ servitio, vel cum indultis absentandi pro diebus, et horis, non autem qui dicto tempore recesserint ex causa studiorum, vel ratione munerum pro quibus indulta abscedendi absolute ab ecclesia durante officio consecuti sunt: *Dubia, Jub.*, 17 *decem.* 1718, *dub.* 1.

19. Indulgenda haud est jubilatio illis, qui servitium ecclesiæ exhibuerunt spatio annorum 40, sed partim in una ecclesia, partim in alia, aut tanquam canonici in ambabus, aut tanquam beneficiati in una, et canonici in alia, sed illis quippe, qui in una, et in eadem ecclesia per totum tempus inservierunt, et partim tanquam beneficiati, et partim tanquam clerici beneficiati, et aliquando partim tanquam beneficiati, partim tanquam canonici, vel partim tanquam coadjutores, et partim tanquam principales, et titulares: *Ibid., dub.* 2.

20. Ad dubium autem an sit indulgenda jubilatio illis, qui satis officio suo fecerunt spatio 40 an-

[8] Nempe responsum fuit, ut quando constet de servitio quadragenario, et ultra, jubilatio concedi potest ab archipresbytero: lib. 49. *Decret.*, pag. 435.

[9] Nempe capituli hac conditione limitati: dummodo non intelligatur data exomptio per indultum a functionibus subdiaconalibus solemnibus, quæ vicissim ad eum spectabunt: *Ead. causa*, 4 julii 1716,

norum etsi ad paucitatem ceteri, quibus servitium ecclesiæ incumbit, redacti sint, et quis sit parvus numerus inservientium ad effectum, de quo agitur? S. C. respondit, dabitur resolutio in casibus particularibus : *Ibid.*, *dub.* 3.

21. Jubilationis indultum Aloysio Zeno canonico Feltrensis S. C. elargita est. Hic quadraginta et octo annorum spatio ecclesiæ cathedralis suum munus executus est, et nulla de laudabili ac continuo servitio ab eodem peracto orta est dubitatio, licet parvus numerus inservientium obstaret : *Feltren.*, *Jub.* 11 *januar.* 1721.

22. Matthias Salta canonicus collegiatæ S. Mariæ Mathelicæ jubilationem postulat. Servitium istius est laudabile, et quadragenarium. Assidue choro, et functionibus interfuit. Et licet a Missis, quæ ad ipsum vicissim pertinebant, spatio viginti et octo annorum canendis se abstinuerit propter vocem absonam, et quia ad cantum ineptus erat, onus tamen suum per substitutos implevit ; ob id S. C. indultum ei elargitur : *Camerinen.*, 1 *decem.* 1725.

23. Jubilationis indultum concessum Fabio Ballato olim canonico metropolitanæ eidem suffragatur post obtentam in eadem ecclesia dignitatem decanatus, dummodo in solemnioribus servitium chori colat : *Senen.*, 16 *martii* 1726.

24. Josepho de Miranda canonico cathedralis ad obtinendam jubilationem obstat, quod jam coadjutorem cum futura successione habeat : *Calagurritana*, *Jub.*, 2 *maii* 1733, *dub.* 1.

25. Indultum jubilationis concessum Francisco Leontio Cysat canonico collegiatæ S. Leodegarii Lucernæ in præmium continui, et laudabilis servitii spatio quadraginta et ultra annorum non sustinetur. Ceteri canonici ecclesiæ suæ peracti de vitio obreptionis, et subreptionis illud accusant, affirmantque continuum, et laudabile servitium non præstitisse, quia pluribus ab hinc annis nocturnis horis nunquam, rarissime diurnis interfuit : *Constantien.*, *Jub.*, 4 *maii* 1737, *dub.* 1.

26. Postulante Philippo Ragone canonico collegiatæ S. Petri Montis Corvini exemptionem a choro inspecto assiduo laudabilique servitio præfatæ ecclesiæ ultra quadragenarium completo, et ætate provecta, morbis affecta, S. C. censuit esse locum jubilationi, exemptionique a choro ad effectum obtinendi indultum juxta formam consuetam : etiamsi canonici reclamassent, quod ecclesia servitio destituebatur, quum alii supplicantes eamdem gratiam adessent ; nullumque in dicta ecclesia exemplum haberetur : *Acernen.*, *Distr. Quot. et Jub.*, 11 *apr.* 1739, *dub.* 2.

27. Solitum indultum jubilationis a sacerdote Josepho Maria Capponio equite ordinis SS. Mauritii, et Lazari in gravi ætate annorum constituto S. C. concedere renuit. Ipse etenim exposuit triginta sex annis servitium ecclesiæ S. Mariæ Montis Cassiani una cum aliis capellanis instar canonicorum præstitisse, et annuam celebrationem 50 Missarum a fundatione capellaniarum impositam in casu tantum servitii chori deletionis subire paratum esse : *Lauretana, Ind.*, 10 *junii* 1741, *dub.* 1.

28. Canonico pœnitentiario cathedralis Josepho Cerronio, qui se promptum obfert diebus festis, aliisque, quibus adest frequentia pœnitentium ad sacramentales confessiones excipiendas, indultum jubilationis fuit denegatum ; etiam si doloribus podagræ cruciaretur, ac laudabiliter per annos 38 et menses 6 suæ ecclesiæ munus sustinuerit : *Setina, Disp. a serv. ch.*, 22 *martii* 1760.

29. Vetustissima, imo immemorabilis, uti asseritur, viget consuetudo in capitulo cathedralis, ut qui ex viginti quatuor canonicis ad decanatus, seu canonici antiquioris gradum pervenerit, jubilatus habeatur. S. C. vero Josephum Ribera uti canonicum antiquiorem gaudere jubilationis indulto vigore prætensæ consuetudinis non posse declaravit : *Barchinonen.*, *Jub.*, 19 *april.* 1760, *dub.* 1.

30. Quum quæsitum fuisset, an beneficiatis metropolitanæ Valentinæ indultum jubilationis post continuum ecclesiæ servitium quadraginta annorum sit donandum, tum vigore consuetudinis in eadem ecclesia vigentis, tum ex canonica æquitate? S. C. resolutionem protelando mandat, ut scribatur Archiepiscopo juxta mentem [10] : *Valentina Ind.*, 18 *julii* 1761, *dub.* 2.

31. Panlus Nannius decanus cathedralis ratione senectutis, ac male valetudinis indultum jubilationis efflagitavit ; sed quum in servitio ecclesiæ 38 annis tantum versatus esset, S. C. minime eum audivit. Post annum pene elapsum suas renovat preces, et testibus laudabile, et assiduum fuisse servitium comprobat, deque infecta valetudine, ac grandæva ætate constare affirmat ; et ne hac quidem vice S. C. illius preces excepit : *Hieracen.*, *Disp.*, 27 *martii* 1762.

32. Paulus Samirrima canonicus civitatis Castellanæ post quadragenarium et laudabile servitium pro perpetua a choro vacatione supplicavit. Capitulares concorditer assensum præbuerunt adjectis tamen nonnullis conditionibus ut ille nempe suam hebdomadam facere teneatur, nec fallentias distributionum quotidianarum percipere possit. S. C. autem indultum jubilationis demptis conditioni-

[10] Vide not. 110, verb. *Beneficiatus*, § IX.

bus concessit : *Civitatis Castellanæ*, 29 *novem.* 1766.

33. Julius Felix archidiaconus major cathedralis jam septuagenarius post completum quadragenarium ecclesiæ servitium precatus est pro perpetua a choro vacatione seu indulto jubilationis, ut fructus suæ dignitatis etiam absens lucrari possit : at perspecto obitu oratoris causa non fuit proposita : *Derthusen., Jub.*, 4 *junii* 1768.

34. Per sex supra annos quadraginta ecclesiæ collegiatæ S. Michaelis Archangeli oppidi de Genestreto laudabiliter, et sedulo chori servitii partes obivit canonicus Christophorus Musca. Hic ætate gravis indultum petit jubilationis. Huic postulationi capitulum refragatur, ne novum exemplum cum servitio ecclesiæ detrimento inducretur. S. C. tamen indultum jubilationis elargita est : *Pisauren., Jub.*, 28 *julii* 1770.

35. Ex præbendatis, qui in cura animarum sunt coadjutores collegiatæ S. Michaelis Archangeli oppidi Mevaniæ, unus Andreas Marini post assiduum laudabileque annorum 40 servitium eidem ecclesiæ perfectum, jubilationis indultum efflagitavit. Capitulum assentitur sub nonnullis conditionibus, nempe Missas conventuales alternatim canendi et applicandi, alias Missas sub auroram et meridiem diebus festis celebrandi, et ut exemptus jubilatus non esset ab onere priorem in exercitio animarum cura adjuvandi. S. C. tamen deletis conditionibus petitam gratiam indulsit : *Spoletana, Jub.*, 24 *novem.* 1770.

36. Quum spatio annorum 55 chori servitio functus esset sacerdos Sebastianus Jannotta canonicus collegiatæ S. Joannis terræ Somneni, ac processisset ætate annorum 70, ad assequendum indultum jubilationis preces porrexit, S. C. licet capitulo ob paucitatem canonicorum inservientium dissentiente, ei concessit, et addidit, ut scribatur Episcopo juxta mentem [11] : *Terracinen., Jub.*, 20 *april.* 1771.

37. Joan. Natthæus Lombardi canonicus cathedralis, quum in præmium laboris, et diuturni servitii 40 annorum poposcisset jubilationem, S. C. ob id consuluisset rescriptum primum habuit ut Archiepiscopo scriberetur juxta instructionem [12] : *Lucana, Jub.* 8 *junii* 1771. Postmodum resolutum definitive fuit, ut jubilatio ei donaretur cum facultate tamen revocandi ad servitium, quatenus divini cultus detrimentum pateretur arbitrio Archiepiscopi : 19 *sept.* 1772.

38. Cathedrali ecclesiæ continuum, et laudabile servitium curavit per annos 45 archidiaconus major, et canonicus Isidorus de Orteu, qui jam septuagenarius preces S. C. pro indulto jubilationis reportando obtulit. Sed sicuti in eadem ecclesia adest quoddam statutum, cujus abservantiam in actu capiendæ possessionis unusquisque juvare tenetur, quo cavetur, ne a Sede apostolica, vel a legatis ejusdem privilegia impetrentur percipiendi in absentia fructus, neque quis eis impetratis utatur, denique ne a juramenti vinculo obtineatur absolutio. Primum non obstare statuta ad effectum jubilationem assequendi, et respective prædictum juramentum ; ita ut non indigere absolutione ad cautelam S. C. declaravit : *Gerunden., Jub.*, 15 *feb.* 1772, *dub.* 1, confirmata 9 *maii ejusd. anni.*

39. Deinde esse indultum jubilationis concedendum censuit : *Ibid., dub.* 2.

40. Attho Maria de Alfarolis possessor ultimæ fundatæ dignitatis cathedralis, et a fundatorum familia descendens, per annos supra 40 continuo, et laudabiliter ecclesiæ suæ servitio fecit satis. Huic petenti, cum septuagenario major esset, pluribusque adversæ valetudinis incommodis afficeretur, S. C. indultum jubilationis juxta votum Episcopi [13] tribuit : *Pitorien., Jub.*, 28 *aug.* 1773.

41. Sacerdos Nicolaus Bartolinius collegiatæ, ac parochialis S. Stephani oppidi Castri Fidardi præpositus, ac rector, emenso quadragesimo peracti servitii anno indultum jubilationis poposcit ; ita ut vigore ejusdem absens a choro participare de punctaturis, seu fallentiis, etsi nunquam de his canonici jubilati priusquam ecclesia prædicta in collegiatam erigeretur, participes facti fuerint. Hac de causa ceteri canonici opponuntur. S. C. autem licet Episcopus de servitio quadragenario sedulo, ac laudabili, deque ætate senili, malaque valetudine testetur, tamen distulit resolutionem, ut scriberetur Episcopo juxta instructionem [14] : *Lauretana, Jub.*, 9 *julii*

[11] Scriptum fuit Episcopo, ut (occasione discussionis prædictæ jubilationis) animadversum fuerit in bulla erectionis collegiatæ Clem. VIII quotidianum ecclesiæ servitium præscriptum : hinc Episcopus sedula inquisitione investiget, quanam auctoritate a quotidiano ad alternatim canonici declinaverint servitium, audito igitur capitulo S. C. instructam reddat : *Regist. Litt.* lib. 33 die 20 april. 1771.

[12] S. C. mandavit, ut Archiepiscopus de qualitate servitii, de inservientium numero de sacris peragendis functionibus inquireret, ac referret, an ex oratoris deficientia decor domus Dei imminueretur : *Ead. causa*, 19 sept. 1772, § 1.

[13] Episcopus, qui exposita confirmet, testatur capitulum oratoris precibus assentiri ; ipse vero existimat, eumdem oratorem dignum petita jubilatione cum perceptione omnium fructuum ejus canonicatus, et præbendæ, ac emolumentorum, et distributionum, quæ lucraretur si resideret, et ut antea inserviret, absque onere prædictarum Missarum in casu ejus absentiæ a Pistorio : *Ead. causa*, 7 aug. 1773, § 4.

[14] « Proindeque commisit Episcopo, ut super his om-

1774, *dub.* 1 et 2, deinde in omnibus annuit S. C. 2 *decem.* 1775, *dub.* 1 et 2.

42. Indultum jubilationis capitulo annuente impertivit S. C. Ubaldo Benio præposito cathedralis. Hic sexaginta duorum annorum ætatem attingit, ac quadragenarii servitii curriculum jam confecit, computatis annis absentiæ causa studiorum, et valetudinis, necnon aliqua corporis infirmitate physicorum testimonio comprobata afficit : *Eugubina, Jub.*, 9 *sept.* 1775.

43. Fabricius Ettorris canonicus ecclesiæ S. Mariæ de Populo terræ Leonissæ post exactum quadragenarium, et ultra tempus servitii expleti in dicta ecclesia, ejusque inspecta ætate annorum 66 jubilationem exquirit. Et quamquam nonnullæ conditiones a capitulo fuerint exhibitæ S. C. tamen illas despexit, et cum solitis clausulis jubilationis indultum permisit : *Spoletana, seu Reatina, Jub.*, 28 *aug.* 1779.

44. Sacerdos Carolus Dominicus Valentius canonicus theologus cathedralis, cujus ætas gravis annorum 66, et ægra valitudo a servitio chori illum arcet, causa annorum 44 laudabilis, et assidui servitii jubilationem implorat. Promptum se exhibet præfinitis temporibus lectionem sacræ Scripturæ peragere; et licet obstaret, eum per omnes quotidianas horas canonicas, tempore annorum 15, quo antecessor sacræ theologiæ in Reali collegio Astensi fuit, non inservisse, a S. C. tamen indultum petitum impetravit : *Asten., Jub.*, 26 *aug.* 1780.

45. Sacerdos Benedictus Franciscus Maliere annorum 70, canonicus metropolitanæ post exactum quadragenarium servitii tempus postulat vacare, seu jubilationis indultum. S. C. docta de laudabili servitio, continuoque, deque gravi ætate, ac morbo, quo laborat, beneficium optatum indulsit : *Avenionen., Jub.*, 17 *martii* 1781.

46. Indultum jubilationis contulit S. C. Dominico Pela canonico cathedralis post absolutum quadragenarium servitium demptis conditionibus appositis a capitulo, quod de sufficienti psallentium numero ecclesia destitui significabat, fatebatur tamen spatio quadraginta annorum oratorem continuo, et laudabiliter chori munus perfecisse : *Civitatis Plebis, Jub.*, 23 *novem.* 1782.

47. Sex elapsi sunt anni supra quadraginta, ex quo canonicus Thomas Florentia possessionem canonicatus in collegiata S. Michaelis Archangeli terræ Stronconi nactus fuit : postulat proinde indultum jubilationis. Is servitium per decennium vi coactus, ut se defenderet a capitali crimine, de quo injuste fuit accusatus, interrupit. Ætas gravis est, morboque habituali affecta, laudabiliter, seduloque reliquo tempore servitium præstitit. Ideo ei S. C. gratiam jubilationis præbuit : *Narnien., Jub.*, 3 *aug.* 1782.

48. Sacerdos Nicolaus Sforza canonicus cathedralis emenso quadraginta annorum servitio jubilationis indultum quæsivit. Unus canonicus restitit, non constare de laudabili, et sedulo illius servitio autumans, et S. C. licet gravis ætas, adversaque valetudo extaret, instantiam rejecit. Preces orator proinde integravit. Ex capitularibus libris dictus canonicus Sforza præter 40 dierum vacationem ab ecclesiæ statutis permissam, semper fere centum, et ultra negligentiæ notas, non raro biscentena, quandoque tercenta, et quingenta habuit, in aliquibus annis octingenta excesserunt. S. C. consilium, quod primum inierat, non repudiavit : *Ripana, Jub.*, 8 *febr.* 1783.

49. Franciscus Zandemaria canonicus cathedralis indultum jubilationis expetivit. De quadragenario servitio continuo, et laudabili oris tamen diurnis, et Missæ conventuali, raro autem matutino, et primæ, quæ summo mane decantari solent, peracto docet S. C., quæ primum petitionem non attendit, ac postea a suo proposito non declinavit super novis precibus : *Placentina, Jub.*, 21 *junii* 1783.

50. Postulante Stephano Giorgiolio canonico collegiatæ S. Mariæ oppidi Cavæ jubilationis indultum ob servitium laudabiliter, ac continuo per annos 40 completum, exceptis primis duobus annis, in quibus abfuit a residentia studiorum causa, capitulo contradicente ob parvum in servientium numerum, conceditur cum facultate tamen revocandi ad servitium oratorem, quatenus divinus cultus detrimentum patiatur : *Prænestina, Jub.*, 24 *april.* 1784.

51. Alexander Tedeschius prior capellaniarum cappellæ Burghesianæ basilicæ Liberianæ, cum per 40 et ultra annos inservisset, jubilationis indultum exoravit. Hujusmodi capellani leve habent chori servitium, quod annuatim ad 25 dies cohibetur, in quorum aliquibus soli Missæ cum capitulo, in aliis litaniis pariter cum capitulo, in ceteris nonnullis horis canonicis mane, vesperæ, et Missæ solemni pariter cum capitulo intersint. Sed lex residentiæ eos semper premit. Exhibetur bulla Paulina collegialitatem præseferens S. C. optatum indultum concedere non hæsitavit : *Romana*, 11 *martii* 1786.

52. Sacerdos Bruno Velluccius vir septuagenarius, et ultra servitium præstitit annis tribus, et quadraginta suæ ecclesiæ cathedrali, in qua beneficium tenet. Modo supplex gratiam jubilationis pre-

nibus a capitulo contra præpositum deductis diligentius inquireret, illorumque aut cognovisset subsistentiam, aut fallaciam detegisset. » *Ead. causa*, 9 sept. 1775.

catur. Hic morbis affligitur, fallentias habet 5000 quum dies quilibet 12 constaret fallentiis, quarum partitio si fiat per annos 43 dies novem fallentiarum annus quilibet capit. Et licet capitulum nuncupet beneficia hujusmodi servitoria, sunt nihilominus vera beneficia ecclesiastica, quæ in perpetuum titulum conferentur. Quibus perspectis S. C. cum solitis clausulis arbitrio Episcopi indultum jubilationis tribuit : *Signina, Jub.*, 2 *martii* 1786.

53. Hieronymus Gentilonius possessor unius ex decem capellaniarum, quarum capellani ecclesiæ oppidi Montis Philoptrani more cathedralium et collegiatarum inserviunt, ob servitium annorum 50 laudabiliter, et continuo exactum jubilationis indultum rogitat. Illorum capellanorum congregatio instar collegii esse dicitur. Nam in cujusdam electione suffragium sociorum concurrere debet. Oratorii S. C. beneficium quæsitum cum solitis clausulis contulit : *Auximana, Jub.*, 9 *sept.* 1786.

54. Post servitium 41 et ultra annorum jubilationis indultum mereri putat sacerdos Simeon Perla cathedralis Montis Falisci capellanus. Hujus enim punctaturarum summa notatur in quopiam anno scut. 5, alio scut. 6, alio scut. 8 et alio scut. 9 licet integra unius diei punctatura obolos sex non prægrediatur, qua de causa capitulum de laudabili, ac continuo servitio testimonium perhibere recusavit. Adsunt vero Ordinarii commendatitiæ, ac parochorum testimonia de servitio infirmis peracto. Ideo S. C. ex speciali gratia inspectis circumstantiis, arbitrio Card. Episcopi de jubilationis indulto gratificata ei est : *Montis Falisci, Jub.*, 2 *decem.* 1786.

55. Emenso quadragenario servitio chori jubilationis indultum poposcit comes Cristophorus Nicellius annorum 70 cathedralis canonicus. Eum reddidisse justa, onusque diurnum sustinuisse Episcopus affirmat, sed in nocturno servitio 34 in singulos annos de punctaturis habet, nihilominus Episcopus subjungit, « gratiæ largitionem admodum gratam, et mihi futuram, vir est optimis moribus præditus, veraque pietate, religione, atque integritate perfulgens. » Assentitur capitulum, et S. C pariter annuit indultum petitum concedens : *Placentina, Jub.*, 18 *aug.* 1787.

56. Petiit Antonius Boscolius cathedralis canonicus annorum 60 post expletum servitium quadragenarium jubilationis beneficium. Capitulum contrarium se exhibuit, tum quia leve est onus, ac solius corporalis præsentiæ, tum quia occasione infirmitatis, ac senectutis nihil ammittitur ; tum denique quia nullum in illa ecclesia jubilationis adest exemplum. S. C. tamen indultum jubilationis elargita est : *Parmen., Jub.*, 15 *sept.* 1787.

15. Jubilatio conceditur octogenario Francisco Ronconi collegiatæ Civitellæ ob continuum, et laudabile servitium quadraginta et ultra annorum, non obstante canonicorum dissensu, et exiguo eorumdem numero : *Brictinorien., Jub.*, 12 *maii* 1792.

58. Sacerdos Archangelus Pellegrini collegiatæ Gradulensis canonicus post quadragenarium servitium indultum jubilationis efflagitat. Ei opponitur leve chori servitium diebus tantum festis, ac quod tres alii grandiori, et emeriti sequi possint canonici. S. C. vero indultum præbuit juxta resolutionem ad dubia Jub. 1718 ad III [15] : *Montis, Falisci Jub.*, 6 *decem.* 1794.

59. Conatus omnis pro assequenda jubilationis gratia nihil profuit sacerdoti Philippo Galeotti canonico collegiatæ S. Mariæ Majoris Labicorum, qui per annos 40 canonicatum possedit, sed servitium præstitit, non suæ ecclesiæ, sed rev. fabricæ S. Petri in munere commissarii, qua ratione Episcopus, et capitulum dignum gratia haud esse aiebant : *Signina, Jub.*, 16 *maii* 1795.

60. Retulit indultum jubilationis capellanus cathedralis Philippus Naldini ob lapsum annorum 40 a possessione capellaniæ, licet ille ob habituales morbos ab eo probatos nunquam fere choro interfuerit : *Perusina, Jub.*, 13 *junii* 1795.

61. Sacerdos Carolus Puccisanti capellanus parochialis S. Mariæ, in qua duodecim sunt capellaniæ ad nutum amovibiles de jurepatronatus ecclesiæ metropolitanæ, quarum capellani more canonicorum ecclesiam inserviunt, ob quadragenarium servitium, assiduum, et laudabile, adversamque valetudinem annorum 66 postulavit indultum jubilationis. Archiepiscopus, capitulum capellani ei favent, sed minime S. C. quæ petitum indultum denegavit : *Camerinen., Jub.*, 12 *martii* 1796.

62. Petrus Antonius Gardini Mansionarius collegiatæ S. Rufilli sub spirituali jurisdictione capituli Vaticani ob chorale servitium ultra quadragenarium præsidio nititur S. C. pro gratia jubilationis, quia cuncti capitulares assensi sunt, dummodo onus Missæ conventualis habeat, cui ipse se obligavit. Inde ad dubium in S. C. propositum, an, et quomodo sit dictum indultum concedendum ? affirmative respondit, dempto onere Missæ conventualis, et amplius : *Nullius, seu Foropompilii, Jub.*, 18 *junii* 1796.

63. Sacerdos Paulus Leggi cathedralis canonicus post quadragenarium servitium chori indulti jubilationis spe ducitur. Exhibet is compendium librorum capituli, ex quibus constat, se ab anno 1752 ad 1792 integrum laudabili frequentia præstitisse servitium per duodecim cujusque anni menses,

[15] Vide num. 20.

ita ut juxta capitulares constitutiones b imestri usus non fuerit vacatione; ideo a S. C. beneficium jubilationis assecutus est; etsi Episcopus indignum illum non ob graves defectus in choro, sed ob extranea crimina judicaret: *Anagnina, Jub.*, 9 *sept.* 1797.

INDULTUM RETINENDI BENEFICIUM. Vide *Dispensatio*, § IV.

INDULTUM RETINENDI CAPELLANIAM. Vide *Dispensatio*, § IV.

INFAMIA.

1. Quidam sacerdos propter homicidium infamia laboravit, et quamvis sustinuisset torturæ pœnam, tamen ad exilium fuit condemnatus, et dubitatum est, an infamia laboraret? et S. C. censuit in infamiæ sordibus versari: *Asculana, Irr.*, 8 *julii* 1690, *dub.* 1.

2. Occasione concursus ad vacantem parochialem oppidi Carentini institerunt nonnulli rejiciendum esse Jacobum Philippum Bugatium tanquam adhærentem antecessori dicta ecclesia privato, consocium illius criminis, malisque moribus instructum. Sed habito concursu magis dignus renunciatus Bugattus. Bartholomæus Salius excepit contra illum, sicut publica infamia notatum, ad sacrum senatum relatum est, an constet de diffamatione illius? affirmative respondit: *Mediolanen., seu Alexandrina, Conc.*, 28 *novem.* 1693, *dub.* 1. Inde quoad assertam diffamationem Bugatti ut adeat judices suos [16] rescripsit: 13 *febr.* 1794.

INFERIOR PRÆLATUS. Vide *Abbas, Archiyresbyter, Præpositus.*

INFIRMUS. Vide *Hospitale*, § III,

INHABILITAS. Vide *Beneficium Ecclesiasticum*, § I; *Capellania*, § V; *Legatum Pium*, § XV; *Pensio ecclesiastica*, § II.

INHABITATIONES. Vide *Appellatio.*

INNOCENTIANA TAXA. Vide *Taxa.*

INQUISITIO UNIVERSALIS. Vide *Congregatio*, § VII.

INSCRIPTIO.

1. Collegium S. Severi Martyris donavit capitulo, et basilicæ S. Joan. in Laterano Urbis capellam veterem in cathedrali existentem, necnon aliquas domos ad construendam novam ecclesiam, basilicæ aggregandam, et ab Ordinarii jurisdictione eximendam. Ecclesia hæc nova fuit ædificata a dicto collegio, et ejusdem fronte inscriptio fuit hæc posita, *Sacrosancta ecclesia Lateranensis urbis, et orbis, ecclesiarum mater, et caput.* At Episcopo reclamante S. C. locum esse amotioni insignium, et inscriptionis deliberavit: *Barchinonen., Am. Ins.* 24 *januar.* 1705.

2. Inter Patres oblatos Congregationis S. Caroli, qui in ecclesia S. Christianæ sine præjudicio jurium parochialium recepti fuerant, et inter capitulum ecclesiæ collegiatæ S. Bartolomæi oppidi Burgi Manerii, cui cura animarum illius ecclesiæ incumbit, controversia super inscriptione, quæ ad collegium prædictorum clericorum spectat, exarsit? Hanc quæstionem S. C. explanavit decernens illam inscriptionem esse retinendam in janua, ubi jam opposita fuit: *Novarien.*, 12 *decem.* 1705, *dub.* 11.

3. Sodalitium SS. Matthæi, et Francisci de Assisio Neapoli erecta obtenta aggregatione sacrosanctæ basilicæ Lateranensis Urbis cum communicatione Indulgentiarum Januæ oratorii lapidem hisce verbis, *Visitantibus quotidie pœnæ indulg entur, sicut in Lateranensi ecclesia,* affixerunt. At reclamante Archiepiscopo contra prædictam aggregationem, præfatum lapidem esse amovendum S. C. decernit: *Neapolitana, Ind.*, 19 *junii* 1717, *dub.* 3.

4. Etsi parochialis S. Mariæ da Facta terræ Castelli, et altera ecclesia parochialis S. Joan. Baptistæ, terræ Carifii declarari collegiatas, et parochos dignitates obtinere non valuerint, tamen iisdem instantibus S. C. censuit tolerandum esse, ut dictarum parochialium rectoribus, et presbyteris uti sigillo cum inscriptione *collegium terræ Carifii, collegium terræ Castelli*, jussit: *Trivicana, Coll.*, 2 *sept.* 1731, *dub.* 4.

5. Signum capituli cathedralis, quo idem capi-

[16] Nam antequam excluderetur Bugatti a dignitatibus, et beneficiis ecclesiasticis ex cap. *Infamibus* 87 *de Regulis Juris* in 6° probari deberet ejusdem infamia tum juris, tum facti ad tramites juris communis.

tulum utitur, hanc præsefert titulum, *præpositus, dignitates,* et *canonici* stabilivit : *Urbanien., Ins.,* 18 *decem.* 1745.

6. S. C. declaravit lapides, quibus onera Patrum Carmelitarum conventus Vulturis inscripta fuerunt, et e celebriori loco in obscurum ab ipsis translati, restituendi sunt eodem, quo erant loco usque a fundatore dicti conventus, et ecclesiæ juxta voluntatem, quam germani fratres Joan. Augustinus, et Joan. Baptista de capellis testatores panderunt : *Januen., Cap.,* 25 *april.* 1752, *dub.* 5.

Inservientes. Vide *Clerici,* § iv ; *Hospitale,* § v ; *Monasterium monialium,* § ii ; *Religio Militaris Ordinis Hierosolymitani,* § v.

Insignia Familiæ. Vide *Stemma Gentilitium.*

Institutio. Vide *Beneficia ecclesiastica,* § vii ; *Canonicatus,* § i ; *Capellania,* § vi.

INSTRUMENTUM.

1. Sacerdos Joannes Orlandi publicis exaratis tabulis conquestus fuit, quod notarius Galitius Moranus suam voluntatem inordinate, et confuse exposuerat, idcirco altero declarativo instrumento jurejurando mentem suam non fuisse, ut asseritur in primo instrumento, declaravit, nec voluisse instituere simplex beneficium, sed capellaniam laicalem in ecclesia cathedrali, et alia hujusmodi, quæ omnia Episcopus comprobavit. Ob id S. C. sanxit instrumentum declarativum esse attendendum ex gratia, ac executioni demandandum in forma commissaria : *Montis Pelusii, Erect. cap.,* 12 *maii* 1714.

2. Posteaquam S. C. consilium ceperat constare de excessibus capituli collegiatæ S. Mariæ Urbis Tudelæ in Josephum Antonium Junguitum canonicum thesaurarium, et provisum apostolicum, statuit idem capitulum cogendum esse sub pœnis pecuniariis in quantitate arbitrio Nuntii, et in subsidium suspensionis a divinis ad exhibenda omnia instrumenta, et jura, quæ reditibus, præeminentiis, ac juribus dignitatis thesaurariæ, et canonicatus ejusdem Josephi respectum habent : *Nullius, Tudelæ,* 22 *novem.* 1727, *dub.* 4. Causa reproducta rem S. C. commendavit Card. Bellugæ, qui auctoritate S. C. partes inducat ad concordiam, et quatenus concordare nolint, eam faciat ex officio in S. C. referendam : 13 *martii* 1728.

3. Audita S. C. causa concilii, an instrumenta, quæ celebrari solent occasione vestitionum, et professionum, nempe obligationes, quæ fieri solent ab iis, ad quos pertinet, pro alimentis anni probationis pro paraphernalibus, pro deposito dotis, pro annua præstatione vitalitia, solutione dotis, et pro fine, et renunciatione rogari possint peracta cujuscumque notarii civitatis Mediolani, sive rogari debeant privative per notarium cancellariam curiæ archiepiscopalis? responsio prodiit, dilata, et scribatur Archiepiscopo pro meliori informatione juxta instructionem : *Mediolanen,* 2 *junii* 1736, *dub.* 2.

4. Instante cancellario curiæ Episcopalis Urbaniæ exhibitum fuit in S. C. dubium, an juxta solitum acceptilationes, et extinctiones obligationum deinde rogari debeant per eadem acta, per quæ fuerunt rogata obligationes, prout Franciscus Maria II Urbini dux decreverat? Dilata, et ad mentem S. C. respondit : *Urbanien.,* 4 *maii* 1754, *dub.* 1.

5. Exinde proposuit idem cancellarius dubium, an, et qui formularum libri, ac instrumentorum post obitum cancellariorum, et scribarum quorumcumque Urbaniæ deferri debeant ad archivum publicum Communitatis Urbaniæ, de qua re etiam sancivit præfatus dux? S. C. idem dedit responsum : *Ibid., dub.* 2.

6. Expositum fuit, S. C. definiisse usque ab anno 1625 instrumenta constitutionis patrimonii sacri non esse communitatis publico archivo, sed in cancellaria episcopali asservanda, modo quæritur, ut declaretur in dicto decreto instrumenta etiam comprehendi assignationis bonorum, quæ in titulum patrimonii sacri constituuntur, quum hujusmodi bonorum assignationes essent ad vitam clerici tantum, quo tempore sunt immunia illa bona ab oneribus cameralibus, et S. C. censuit dicta instrumenta ad publicum archivum Communitatis minime esse deferenda : *Sutrina,* 23 *januar.* 1773.

1. Quum declarasset S. C. vicarium, sede vacante, qui concesserat aliter dimissorias, quam præscriptum sit a concilio cap. 10, sess. 7 [17] posse puniri ab Episcopo, qui ad eam ecclesiam vacantem promotus est juxta cap. 16 vers. *Episcopus vero* sess. 24 *de Reform.* [18]; pariter constituit S. C. capitulum incidere in pœnas cap. 10, sess. 7 [19]: *Tarraconen., febr.* 1590, *dub.* 4.

2. Ad dubium, an visitationi Ordinarii subjaceat oratorium in prædio *della Bagnarola*, et nullum sit interdictum illius cum omnibus inde sequutis? S. C. respondit dandas esse remissoriales litteras hinc inde directas Episcopo viciniori ad effectum probandi, an oratorium sit publicum, vel privatum necnon circa notitiam interdicti : *Cæsenaten., Jurisd.*, 23 *sept.* 1690.

3. Quum patres Eremitæ S. Augustini urbis Firmi in Archiepiscopum, prædecessorum vestigia prosequendo, peragere expetentem visitationem SS. Spinæ Domini Nostri Jesu Christi qui in eorumdem patrum ecclesia tribus occlusa clavibus, quas civitas sodalitium inibi erectum, et iidem patres retinent, asservatur, oppugnationem sustinuissent, idem Archiepiscopus ecclesiam illam interdicto supposuit, quod validum esse S. C. agnovit : *Firmana, Visit. SS. Spinæ*, 5 *junii* 1700, *dub.* 2.

4. Lata excommunicationis censura contra decanum ecclesiæ cathedralis assistere Episcopo concionanti abnuentem, idem decanus divinis officiis præsto esse et supplicationibus, aliisque functionibus intervenire voluit. Capitulum id permisit; ideo in dubium venit, an capitulum causa dicti assensus interdicto mulctetur? definitio protelatur, ut Episcopus ad ulteriora procedat : *Calaritana, Cens.*, 26 *novem.* 1701, *dub.* 3.

5. Maximilianus Franciscus Gobertus comes de Rechem parochis locorum sui comitatus religiosum S. Lamberti patroni Urbis, ac diœcesis Leodiensis, diem festo ritu traducere vetavit. Episcopus sub pœna censurarum cum monitorio, ut ille se ab hujusmodi inhibitione abstinerit, præcepit. Comes vero non solum imperium recusavit, sed plurima libere contra sacros canones egit; qua de causa Episcopus processit, et in pœnam interdicti censurasque una cum Ministris eum incurrisse declaravit. Interrogata S. C de validitate censurarum, validas censuras judicavit : *Leodien., Cens.*, 11 *martii* 1702.

6. Etsi vicarius generalis in sacra visitatione oratorium in aula palatii baronis Castri Novi positum, ac fere dirutum, non ædificari iterum, nec sacrum in eo peragi, nisi de legitima apostolica facultate constaret, mandaverit, tamen denuo constructum, Hostiaque divina immolata fuit. Ob id Archiepiscopus ejus demolitionem decernens, interdicto supposuit. At non patuit inde ejusdem valor, et S. C. interdictum emanatum a Visitatore sub fundamento quod oratorium sit privatum, et non publicum, validum non esse putavit. Plura signa publicam erectionem ostendebant, præsertim tintinnabulum, officiatura certis diebus festis per clerum, beneficii ecclesiastici erectio, ac visitatio cum procurationis exactione : *Compsana, Cens.*, 31 *maii* 1704, *dub.* 1.

7. Interdictum appositum in oratorio societatis Mortis, et orationis Casalis Majoris a curia episcopali Cremonensi esse validum S. C. visum est. Prohibuerant enim sodales, ut in dicto oratorio præpositus ecclesiæ parochialis S. Leonardi intra cujus limites situm est, solemni more sacrificaret in festo Nativitatis, qua de causa lumina extinxe-

[17] *De Reform.*, ubi hæc habetur. « Non liceat capitulis ecclesiarum sede vacante, infra annum a die vacationis, ordinandi licentiam, aut litteras dimissorias, seu reverendas, ut aliqui vocant, tam ex juris communis dispositione, quam etiam cujusque privilegii, aut consuetudinis vigore, alicui, qui beneficii ecclesiastici recepti, sive recipiendi occasione arctatus non fuerit, concedere. » Huic dispositioni accedit Epistola S. C. Episc., et Reg. 9 sept. 1701 relata *in Bull. Clem. XI* pag. 526, qua nuntio apostolico in regno Neapolitano jussu Summi Pontificis mandatur, ut omnibus vicariis capitularibus ejusdem regni Pontificio nomine inibeat, ne litteras dimissorias pro prima clericali tonsura, aliisque ordinibus cuicumque concedant; tametsi annus a die vacationis ecclesiarum elapsus sit, absque speciali facultate S. Congr.

[18] « Episcopus vero ad eamdem ecclesiam vacantem promotus ex iis, quæ ad eum spectant, ab eisdem œconomo, vicario, et aliis quibuscumque officialibus, et administratoribus, qui, sede vacante, fuerunt a capitulo, vel ab aliis in ejus locum constituti, etiamsi fuerit ex eodem capitulo, rationem exigat officiorum, jurisdictionis, administrationis, aut cujuscumque eorum muneris, possit eos punire, qui in eorum officio, seu administratione deliquerit; etiamsi prædicti officiales, redditis rationibus a capitulo, vel a deputatis ab eodem absolutionem, aut liberationem obtinuerint. Eidem quoque Episcopo teneatur capitulum de scripturis ad ecclesiam pertinentibus, si quæ ad capitulum pervenerunt, rationem reddere. »

[19] Vide not. 17.

runt, atque altare expoliaverunt: *Cremonen.*, 23 *januar.* 1706, *dub.* 1.

8. Georgius Cugurra ob assertam clerici Michaelis Satta percussionem excommunicatus curia Algarensi ad Metropolitanum Turritanum appellavit, et ab eo litteras inhibitorias, mandatumque, ut curia Algarensis acta transmitteret, obtinuit. Sed curia præfata ad delegatum apostolicum judicem appellationum recursum habuit. Hic ad episcopatum Bossanensem evectus Archiepiscopo Turritano procedi inhibuit, et ob suorum mandatorum spretum ecclesiæ ingressum ei interdixit, dictumque Archiepiscopum ad Sanctam Sedem appellantem excommunicavit. Controversiam desuper ortam S. C. sedavit, decrevitque interdictum, censurasque ab Episcopo Bossanensi latas haud sustinendas sed eumdem suæ conscientiæ consulendum: *Turritana*, *Null. Cens.*, 5 *junii* 1706.

9. Decretum Episcopi super interdicto capellarum ruralium territorii terræ Belvederii, quas non visitavit, sed certior factus fuit esse supellectilibus sacris destitutas, qua de causa ut de legitima fundatione earum, ac dotatione doceretur, præceperat, validum non est, neque est exequendum, sed Episcopus in visitatione singillatim provideat: *Sancti Marci, decreti*, 2 *julii* 1707.

10. Prævia Ordinarii venia construerat Joan. Baptista Antaldus nobilis Urbini oratorium prope suum rurale domicilium in diœcesi Pisaurensi situm. Episcopus autem visitationis occasione sub fundamento, quod illud publici oratorii qualitatibus destitueretur, interdicto supposuit. Antaldus S. C. adiit, quæ rem Card. legato remisit ut mandet plantam judicialem fieri, et cum suo voto transmittat: *Pisauren.*, *Orat.*, 19 *novem.* 1707. Postmodum esse locum remotioni suspensionis, et ecclesiæ interdicti juxta modum [20] definivit: 22 *febr.* 1710,[21].

11. Præceptum a curia episcopali patribus S. Dominici urbis Andriæ injunctum sub pœna localis interdicti, quod iidem servare formam consuetam in supplicatione peragenda in festo S. Dominici ejusdem civitatis patroni abnuebant, validum est: *Andrien.*, *Proc. et Inter.*, 6 *julii* 1709, *dub.* 2.

12. Minime autem firmum est interdictum ab eadem curia appositum causa eorum contumaciæ qui dicta præcepta haud exhaurierunt. Nam Episcopus interposita ad nuntium jam appellatione hanc pœnam relaxavit: *Ibid.*, *dub.* 3.

13. Sodales societatis S. Crucis in ecclesia S. Martini loci de Treppiniana existentis propria auctoritate sacram Imaginem in ara majori ecclesiæ positam amoverunt, ac oppositionem fecerunt, quominus cadaver Joan. Baptistæ Conti dictæ ecclesiæ rectoris nuper defuncti in eadem ecclesia, ubi sepulcrum sibi delegerat, tumularetur. Vicarius generalis præceptum promulgavit, sub pœna interdicti, et suspensionis, quo sodalibus, ut sacram Imaginem reportarent, ac patientiam pro sepeliendo cadavere haberent, injungebatur. Non obtemperarunt sodales, eo quod societas eorum esset laica, ecclesia haud parochialis, hinc ecclesiam, sodalesque interdictos, suspensosque declaravit. Facta controversia rescriptum a S. C. fuit, ut prævia repositione iconis S. Martini in ara majori, et restitutione clavium suspenso interdicto proponatur causa super negotio principali in S. C. *Lucana, Cens.*, 18 *apr.* 1711.

14. Contendens Alexander Angelus rector parochialis villæ S. Angeli, quod Andreas Buccolinus paschale præceptum in propria parœcia non perfecisset, expediri præceptum personale sub interdicti pœna curavit, et postmodum interdictum eum declaravit. S. C. consulta dictam pœnam ratam non habuit. Nam ille a pluribus annis ab ecclesiæ parochialis S. Angeli gremio sese separaverat, et curæ cathedralis fuerat adscriptus, necnon in urbe domicilium urbanum habebat: *Tolentina*, *Inter.*, 30 *april.* 1712.

15. Episcopus Uxentinus conventum Carmelitarum oppidi Marciani obnoxium illum esse Constitutioni Innocentii X, Pont. Max., *Instaurandæ* [22] putans, supprimi intendit, quatenus restitutionis gratia vigore decreti *ut in parvis* [23] ab ipsis patribus obtenta non fuerit. Inde ob eorumdem contumaciam censurarum excommunicationis, et interdicti sententiam pronunciavit. Suppressio facta invalida fuit declarata, modo censuras latas, ac per eumdem gesta nulla esse S. C. edixit. Patres enim de numero religiosorum, ac de præventiva contestata denunciatione una cum appellatione coram vicario generali habita docuerant: *Ugentina*, *Jurisd. et Cens.*, 16 *martii* 1715, *dub.* 3.

[20] Nempe censuit S. C. injungere Episcopo, ut si, et posteaquam DD. De Antaldis publico instrumento in cancellaria episcopali servando se obligaverint, atrium, seu ambulacrum, scalas, situm ante easdem, et viam, quibus itur ad oratorium cuicumque libera in perpetuum servare, atque prædictorum omnium dominio, et juri cum effectu renunciaverint, et apposito in loco omnibus patente lapide cum inscriptione, quod domus cum omnibus supradictis locis nulla gaudet immunitate, præfatum interdictum removeat: lib. 60. *Decret.*, pag, 76.

[21] Advocatus Dominicus Ursaya causam hanc patrocinatus est in favorem Joan. Baptistæ De Antaldis, cujus jura exponit in *Discept. Eccl. XXIII*, tom. part. 2 usq. ad num. 63.

[22] Vide not. 463, verb. ***Excommunicationis censura.***

[23] Vide not. 464, *ibid.*

16. Archiepiscopus Beneventi in sacra visitatione anni 1714, ab Universitate reparari, tectumque reaptari ecclesiæ unius parochialis S. Nicolai terræ Ceppaluni sub pœna interdicti impugnavit. Qui S. C. sensus sint, quæritur: hæc suspendit illud usque ad exitum causæ, quæ præfata reparatione in S. C. agitabatur, quam ex defectu probationum minime S. C. resolvit: *Beneventana, Rep. eccl.*, 28 *martii* 1716, *dub.* 2.

17. Marius Gigli provisus fuit a Sede apostolica de archipresbyteratu cathedralis. Episcopus prætendens concursum nullum fuisse ob non servatam formam Concilii [24], eo quia duo examinatores synodales interfuerint tantum, ac vices tertii vicarius suppleverit generalis, illum citari ad comparendum sub pœna ducat. 300, interdicti etiam ab ecclesia tribus assignatis diebus, ac hisce elapsis decretum tulit, in quo mandatum pro ducat. 300 relaxavit, archipresbyterum interdictum ab ecclesiæ ingressu declaravit, concursum ac bullas nullas, archipresbyteratum vacare pronunciavit. Hoc dubitationi obnoxium fuit; S. C. vero privationem, mandatumque pœnale juxta decretum Episcopi nullum, circumscriptis omnibus ab Episcopo gestis, edixit: *Ugentina, Archip.*, 6 *junii* 1716.

18. Curia archiepiscopalis officialibus sodalitii SS. Matthæi, et Francisci de Assisio Neapoli erecti, sub pœna interdicti, ne ascensum Scalæ Sanctæ permitterent, inhibuit, monuitque sub eadem pœna, ut biduo præcise, et peremptorie tribunal visitationis de assertis indulgentiis, deque aggregatione sacrosanctæ basilicæ Lateranensi edocerent. At sodales prævio monitorio super observantia in usu Scalæ Sanctæ continuarunt, et curia præfata cedulones interdicti affixit. Quæsitum inde fuit, an illud sustineatur? et rescriptum prodiit, audiantur: *Neapolitana, Indul.*, 19 *junii* 1717, *dub.* 4. Deinde negativum emanavit a S. C. responsum. 10 *julii ejusd. an.*

19. Canonici Thomas de Rubeis, et Hieronymus Morini laudum Episcopi observari nolentes, et impositam pœnam solvere recusantes, ab eodem Episcopo fuerunt sacrorum interdictione mulctati. Quæsierunt hi num interdictum hoc sustineretur? et responsum acceperunt, dilata, suspenso interdicto usque ad exitum causæ: *Aquilana*, 18 *april.* 1722, *dub.* 4.

20. Censuras excommunicationis, suspensionis, et interdicti ab Archiepiscopo contra patres S. Francisci de Paula, qui illi visitationem in oratorio S. Mariæ Lauretanæ eorum claustro adjecto, et in quo quædam Sarcinatorum est erecta societas, peragenti restiterunt, latas S. C. suspendit usque ad exitum causæ super jure visitandi propositæ, et interim amoveri cedulones voluit: *Consentina, Visit. et Cens.*, 19 *sept.* 1722, *dub.* 1 et 2.

21. Antiqua est controversia inter Episcopum Caputaquensem et abbatem S. Mariæ Angelorum terræ Centulæ super exercitio jurisdictionis. Hæc quæstio vero vigore S. C. resolutionum composita fuit, et Episcopus visitationem dictæ terræ explevit. In hac autem visitatione duo sacerdotes abnuentes ad examen accedere suspensos a facultate confessiones audiendi declaravit, et edictum ad valvas ecclesiæ affigi voluit. Ob id tumultus in populo concitatus est, ministroque Episcopi contumeliis, verberibusque affecti fuere, imo populus ipsum Episcopum per horam obsessum retinuit qui postea ad oppidum Pixunti confugit, inibi auctoritate ordinaria, ac delegata a S. C. interdicto locali, ac personali contra nominatos dictam terram subjecit. De validitate ejusdem S. C. consulta, validitatem illius agnovit: *Caputaquen., Jurisd.*, 2 *octob.* 1723, *dub.* 1.

22. Etiamsi in constitutionibus synodalibus Missæ celebratio in oratoriis tempore tridui Passionis Domini Nostri Jesu Christi, necnon aliis solemnioribus festivitatibus sub pœna interdicti oratorii, et suspensionis celebranti prohibeatur, tamen sacerdos Petrus Pratrus capellanus ecclesiæ S. Mariæ de Arèneto sacrum in eadem ecclesia perpetravit, nulla reportata licentia, die festo paschalis Resurrectionis. Episcopus oratorium privatum esse putans ecclesiam illam suspensum capellanum enunciavit, ecclesiamque ecclesiastico supposuit interdicto. Sed quum jam antea S. C. ecclesia præfata publica fuisset judicata, hinc de injustitia interdicti sancivit: *Savonen.*, 9 *sept.* 1724, *dub.* 1.

23. Vicarius capituli Portucallensis sede vacante interdicto affecit patronalem capellam, et ædiculam a Margarita Leite de Figueredo dotatam, et B. Joannæ Principissæ Portugalliæ dicatam. Expostulatum ab hoc interdicto fuit, et num validum esset, quæsitum, sed non esse validum S. C. rescripsit: *Portugallen.*, 2 *januar.* 1727, *dub.* 1.

24. Etsi Pompeius Sarnellus Episcopus vigiliensis horariam tabellam pro choro cathedralis confecerit, ac observari mandaverit, tamen per annos 20 eo vivente nunquam servata fuit. Novus Episcopus successor illius tabellæ observantiam

[24] Sess. 24, cap. 18, *de Reform.* quo inter cetera decernitur. « Transacto constituto tempore, omnes, qui descripti fuerint, examinentur ab Episcopo, sive eo impedito ab ejus vicario generali, atque ab aliis examinatoribus non paucioribus, quam tribus; quorum votis, si pares, aut singulares fuerint, accedere possit Episcopus, vel vicarius, quibus magis videbitur. »

exoptans interdixit ab ingressu ecclesiæ nonnullos canonicos, et dignitates obsistentes, donec paruerint. Reclamarunt iidem, et S. C. non validum esse interdictum sententiam attulit. Nam solum imputabatur canonicis absentia a choro, seu non interventus tempore debito, quo in casu imposita est tantum punctaturæ pœna : *Vigillen., Interd.*, 2 *dec.* 1730, *dub.* 1.

25. Patres Augustiniani civitatis Suessæ sacramentum Eucharistiæ die Resurrectionis Christi clerico Antonio de Paulo devotionis causa ministrarunt. Censuit Episcopus patribus licitum non esse illa die sacra Synaxi fideles reficere: interdictum; propterea comminatus est. S. C. ad quam patres ipsi confugerunt, respondit primum, ut præfatis patribus sacramentum Eucharistiæ clerico Antonio ministrare non licuerit; deinde quum sciscitati patres essent, an præfata ecclesia interdicti intentatio valida sit? respondit ad mentem : *Suessana, Jur. par.*, 14 *januar.* 1736, *dub.* 2.

26. Episcopus suo edicto præcepit capitulo collegiatæ, et parochialis oppidi Terlitii sub pœna interdicti ecclesiæ ipso facto incurrenda sibique reservata, ut in posterum servatis ritibus a rubrica præscriptis benedictio, ac candelarum distributio sumptibus ejusdem capituli fieret, expresse vetans cuicumque sacerdoti sub pœna suspensionis a divinis ipso facto incurrenda, ut candelas privatim benediceret, et distribueret. Procurator generalis capituli, ac capituli deputatus in alia ecclesia occulte candelas benedixerunt, ac distribuerunt. Ecclesia itaque interdicto supposita fuit, ac non obedientes suspensione innodati, non obstante appellatione interjecta ab archiepiscopali curia Barensi. Ex animo ob id tractatum est, an censuræ prædictæ latæ post interpositam, ac admissam appellationem a metropolitano validæ sint? S. C. affirmativum dedit responsum addens ad mentem : *Juvenacen.*, 22 *sept.* 1736, *dub.* 3, confirmata pariter ad mentem : 9 *febr.* 1737.

27. Decreverat jam antea S. C. capellanos societatis suffragii Castri Rapagnani absque parochi S. Mariæ licentia, cum venia tamen Achiepiscopi canere posse solemniter Missam in ecclesia seu oratorio dictæ societatis. Putarunt sodales non indigere facultate quum jam in synodalibus constitutionibus prout in sodalitii statuto habita fuisset mentio de celebrationibus prædictis, eæque præscriptæ, quapropter Missas præfatas celebrari absque potestate Archiepiscopi curarunt, qui hac de causa ecclesiam societatis interdicto generali locali multavit, quod an sustineatur? quæsito a S. C. responsum fuit ad mentem : *Firmana, Interdict.*, 29 *martii* 1738.

28. Non valentes patres Conventuales S. Francisci Castri Villarum ut Episcopus pœnam censurarum infligeret adversus illos, qui damnum in prædio monasterii intulerant, funebri sonitu tintinnabulorum in hora secunda noctis magno populi timore, ac offensione incolas mœrore afficere non desinerunt. Episcopus sub pœna interdicti eos monuit, ut a dicta pulsatione desisteret. Patres appellarunt ad S. C. et cedulones, quas Episcopus affigi jussit, lacerarunt, divinaque in templo interdicto officia celebrarunt. Apud S. C. igitur certatum est de interdicti validitate. Patres nullitatem defendunt ex jurisdictionis, ordinis judiciarii, justæque causæ defectu, et eorum sententiam S. C. sequuta est, et addidit ad mentem [25] : *Cassanen., Cens.*, 7 *aug.* 1745, *dub.* 1.

29. Advenit novus Episcopus Albigani visitationis causa in terram Tabiæ. Clerus solemni pompa ei occurrit sed inter clerum defuerunt patres S. Dominici, et Cappuccini. Episcopus eorum ecclesias interdicto supposuit. Sed patres ad S. C. se converterunt exponentes eos cogi non posse ad supplicationibus nisi publicis interveniendum necnon consuetudinem, ac loci distantiam in eorum favorem protulerunt. S. C. oratorum sententiam tenuit, nullitatem interdicti decernens : *Albinganen., Proc. et Null. Int.*, 11 *julii* 1750, *dub.* 2.

30. Interdictum ab Episcopo Elvensi contra abbatem S. Benedicti de Salute civitatis Lisbonæ ecclesiam ruralem in villa de Alandroal sine Episcopi licentia ædificantem, solemniter benedicentem, peragentem sacra, et sacramenta administrantem, latum sustinendum esse rescribitur; ita ut idem Episcopus potest etiam prout de jure procedere contra sacerdotes seculares, et regulares, qui in interdicta ædificata ecclesia celebrarunt, et celebrant : *Elven.*, 9 *febr.* 1754, *dub.* 2.

31. Interdictum ab Episcopo salutiarum contra ecclesiam seu capellam S. Antonii de Padua Carmignolæ extra claustra, et districtum conventus positam, a qua P. Guardianus Minorum observ. S. Francisci ob sua privilegia tanquam exempta Episcopum visitantem prohibuit, declaratum validum non esse decisum fuit : *Salutiarum, Juris. vis.*, 6 *aug.* 1756, *dub.* 2.

32. Ad dubium : an simplices presbyteri civitatis S. Germani compelli possint ad accedendum quotannis ad cœnobium Montis Casini pro obedientia abbatis præstanda sub pœna interdicti vel pecuniaria juxta formam edictorum, et decretorum? respondit

[25] Vide not. 469, verb. *Excommunicationis censura*.

S. C. affirmative moderata tamen pœna ad duos carolenos tamen : *Nullius, Montis Casini*, 6 *nov.* 1757, *dub.* 4.

33. Dubio perpenso, an sustineatur pœna interdicti in edicto Episcopi intentata adversus ecclesias, in quibus formularium doctrinæ christianæ deficere contigerit? negativum datum est responsum : *Neritonen.*, 3 *decem.* 1657, *dub.* 2, confirmata addendo juxta modum [26] 18 *febr.* 1758.

34. Statuta sodalitii Pœnitentium episcopali primum, deinde auctoritate apostolica in urbe Bonjeux erecti, præscribunt modum, quo sodales pietatis opera agere possint. Vicarius generalis Aptense probante Episcopo sodalibus repente vetuit, ne in eorum oratorio sacra canerentur, pompasque, seu supplicationes publicas sodales ducerent et augustissimum Eucharistiæ sacramentum deferrent, populoque benedicerent, non vocato parocho, et sacerdotibus parochialis ecclesiæ. Appellarunt sodales ad prolegatum Avenionensem, qui mandata episcopalia uti statutis sodalitii contraria revocavit, Episcopus suspendit cunctos societatis functiones exercentes, et ipsam capellam interdixit. Sodales hodie nosse cupiunt, num hæc interdictio valida esset? et non esse validam rescripsit S. C. : *Asten.*, 2 *dec.* 1758, *dub.* 1, confirmata 11 *aug.* 1759.

35. Quum sodales sanctissimi Nominis Jesu quoad oratorium S. Rocchi oppidi Vigueriæ dictæ societatis regularibus ordinis Prædicatorum subjectum visitationi Episcopi obstitissent, oratorium illud Episcopus interdicto subjecit. Sodales curiam metropolitanam Mediolanensem adierunt, quæ spreta oppositione oratorium ab interdicto absolvit. Re discussa nullitas interdicti declarata est : *Derthonen.*, *Visit.*, 26 *januar.* 1760, *dub.* 23.

36. Mos est capellanum curatum in capella S. Pancratii, qui curam animarum in finitimis campestribus regionibus *Calvi Villatellæ*, *S. Antonii*, et *Turrium* exercet, deputandi. In ipsius congruam conservationem unaquaque familia publico instrumento quamdam frumenti, ac vini quantitatem subministrare spondet. Et quum homines regionis Turrium Episcopum exorassent pro constructione novæ capellæ quæ ædificata fuit, abnuerunt idcirco promissam præstationem curato S. Pancratii tradere, quamvis eam sub pœna interdicti præceperat Episcopus, qui tempore in mandato præfinito elapso capellam interdicto læsit. Re a S. C. cognita ejusdem validitas fuit pronunciata : *Albintimilien.*, *Int.*, 16 *junii* 1770.

37. Episcopus Firmanus ecclesiam S. Mariæ de Puteo oppidi S. Martini interdixit, decrevitque numerum parochialium translationem ad ecclesiam S. Joannis, donec reficeretur. Populus reclamavit, ac præsertim Antonius Piroli qui actionem popularem sibi competere putabat, ut Episcopo contradiceret. Aiebat Piroli instaurationes non indigere ecclesia, ita ut opus esset onerum parochialium translatione. S. C. autem ratum habuit Episcopi decretum, tum quoad interdictum, tum quoad translationem : *Firmana*, *Inter. et Trans.*, 19 *maii* 1787.

38. Parochialis ecclesia, et Oratorium publicum villæ Arignole plantam quamdam emptam contendebant. Accurata, ac inimicitiis incensa contentio effecta, illa deposita fuit penes judicem secularem, et ab Episcopo per totam diœcesim interdicta. Petitum fuit an sustineatur plantæ interdictum? S. C. suspendit decretum, et scribi mandavit Episcopo juxta instructionem : *Derthonen.*, *Erect. eccl.*, 8 *aug.* 1789, *dub.* 2.

Interdictum quoad absolutionem. Vide *Absolutio*, § v.

Interpositio. Vide *Appellatio*, § iii ; *Concursus*, § ii.

Interesse. Vide *Damna*, etc.

Interpretatio. Vide *Applicatio*, § iii.

Interstitia. Vide *Sacramentum Ordinis*, § ix.

Invalidus. Vide *Hospitale*, § iii.

INVENTARIUM.

1. Modestus de Vecchis administrator animalium, quæ Marcus de Vecchis in favorem capellæ S. Nicolai terræ Morroni legaverat, quum ad rationis redditionem hujus administrationis adstrictus esset, quæsivit, num eorum animalium conficere inventarium teneretur? teneri tradere notulam juratam statutum est : *Larinen.*, *Redd. Pent.*, 10 *maii* 1710, *dub.* 2.

[26] Et modus est, sustineri edictum quoad ecclesias rurales tantum, sublata pœna suspensionis, et Episcopus se gerat ad formam Const. Sanctissimi Domini Nostri : *Ead. causa*, 18 febr. 1758. Hæc Constitutio incip. *Etsi minima*, 7 febr. 1742, qua Benedictus XIV etsi non dubitat, quin Episcopi invigilent, ut populus sibi commissus erudiatur in rebus fidei, sui tamen muneris esse putat illos de hoc episcopali officio admonere. Et inter alias suadet doctrinam Cardinalis Bellarmini addiscendam, et explicandam, ut uniformitas habeatur, docendos, ait, esse actus virtutum theologicarum ; et frequenter pueros in iis eliciendis exercendos.

2. Presbyteri ecclesiæ receptitiæ S. Nicolai terræ Castellucci tenentur conficere inventarium de reditibus ecclesiæ prædictæ : *Cassanen., Visit., 14 junii* 1749, *dub.* 3, confirmata 6 *decem. ejusd. anni.*

3. Ut de cunctis bonis inventarium fieret, Joannes Fabius capellaniæ S. Sebastiani collegiatæ S. Petri Massæ Fiscaleæ fundator jussit. Sodales B. M. V. de Consortio, et capellani, beneficii sumptibus fieri debere contendunt. Neutrum sibi incumbere hoc onus ait capellanus. Posita est quæstio, et confectioni inventarii ad formam testamenti locum esse sumptibus beneficii decisum est : *Cervien., 7 junii* 1788, *dub.* 9.

INVESTIMENTUM. Vide *Bona ecclesiastica*, § VII; *Fructus*, § II; *Legatum Pium*, § IX; *Pecunia.*

INVESTITURA. Vide *Emphyteusis*, § I.

IRRATIONABILITAS ELECTIONIS. Vide *Concursus*, §§ II et V.

IRREGULARITAS.

§ I.

Irregularitas orta ex defectu animi quando incurratur, necne.

1. Supplicatur declarari, quod si contingat aliqua homicidia a capitulorum militibus, capitaneis præfectis, et aulicis, ubi habent capitula dominium temporale, in reprimendis hæreticorum, schismaticorum, et sectariorum insultibus, committi Archiepiscopum, Episcopos, capitula, et clerum propterea non contraxisse irregularitatem. S. C. minime concedere id respondit : *Guesnen., febr.* 1590, *dub.* 1.

2. Episcopus negavit dimissorias ad præsbyteratum Petro Jacobo Caprioli diacono, qui cum quodam clerico homicidio fuerat accusatus; sed inde absolutus cum clausula, nisi nova supervenissent indicia. Nihilominus viget publica adhuc fama, quod ille revera deliquerit, nec argumenta sufficientia de ejus vita, et moribus præbuit; ideo an ipse indigeat dispensatione super nota infamiæ? affirmativo responso S. C. aperte indicat : *Vigilien., Dimis.*, 23 *sept.* 1673, *dub.* 1.

3. Definitione explicavit S. C. irregularem clericum propter accusationem, quam est pœna mortis sequuta : *Dubium, Irr.*, 22 *april.* 1673.

4. Clericum illum, qui consuluit, ut honor defenderetur sanguine, et de facto occisio insequuta fuerit, esse irregularem S. C. judicium fecit : *Dubium, Irr.*, 15 *decem.* 1674.

5. Episcopus ordines sacros conferre renuebat descendentibus ab Indis, seu ut vocantur a *Mulatis* intra quartum gradum. Sed S. C. ad quam hujus rei examen commissum fuit, censuit supplicandum esse Sanctissimum, quatenus Indiarum Episcopos animadvertat, Indos et Nigros, omnesque ab eis per paternam, vel maternam lineam descendentes nullo jure ab ordinum, aliorumque Sacramentorum receptione arcendos esse, dummodo cetera per canones sacros requisita habeant : *Charchien., Ord.*, 13 *febr.* 1683.

6. Quum Franciscus Gomez de Britto reclamasset adversus Archiepiscopum qui detrectabat eidem conferre ordines, quia a Mauris trahebat originem, asserens, hoc vetitum esse suis synodalibus constitutionibus, et supplex institisset Franciscus pro facultate recipiendi ordines a quocumque Episcopo, disputato dubio, an oratoris precibus sit annuendum? in casu de quo agitur, constitutiones synodales non obstare S. C. respondit : *Ulyssip., Ord.*, 13 *januar.* 1685.

7. Scribas exarantes processus, quorum vi rei ad ultimum supplicium damnati fuerunt, irregulares esse fuit statutum : *Dubium, Irr.*, 19 *januar.* 1686.

8. Clericus Petrus de Larriantegni Colon in aula Matritensi evectus ad munus regii auditoratus requirentis causarum criminalium cognitionem obtinuit ab Innoc. XII breve præservativum ab irregularitate ad triennium, dummodo a ferenda sententia in causa sanguinis se abstineat. Verum assumptus postea fuit in eadem curia ad munus *d' Alcaldo*, ut aiunt, qui fert votum in causa sanguinis, et secretarium ex pluralitate decretum extendit et illi non subscribunt. Hinc occulte latet, an vigore prædicti Brevis Innoc. XII tuta conscientia, et quin incurrerit in irregularitatem possit orator modo supra enunciato consulere, et suffragium ferre in causis sanguinis, et mortis pœnam importantibus? pro meliori informatione et ad mentem rescribitur : *Toletana, 4 febr.* 1702, *dub.* 1.

9. Prætendente promotore fiscali curiæ Episcopalis Ripanæ presbyterum Thomam Foliettam terræ Aquæ vivæ ob impulsum datum Birruariis pro detrusione in carcerem Pauli Imperatoris ejusdem terræ graviter in lecto decumbentis ex quo mors dicti Pauli evenit, irregularitatem incurrisse;

idem presbyter S. C. adiit, a qua dilata, et expectetur exitus causæ coram Episcopo, responsum emanavit: *Ripana, Irr.*, 12 *apr.* 1710, *dub.* 1 et 2.

10. Quum ad locum Alberiæ accessisset Dominicus Ridella cum duobus sociis, sacerdos Dominicus Bozzinius præpositus dicti loci, ad quem jure feudi pertinet ejusdem loci jurisdictio temporalis, convocavit plures subditos ut armati carceribus manciparent, nonnullos prætensos facinorosos, inquiens *se fuggissero voi altri sapete quello dovete fare alli furbi*, intelligens *Archibugiate*. Evenit, ut nepos præpositi sacerdos Bozzinius ictum igneæ ballistæ e fenestra exploserit adversus in via stantes quod etiam alii consocii egerunt ex quo vulneratus Ridella obiit. S. C. consulta censuit præpositum incurrisse irregularitatem : *Derthonen.*, *Præt. irr.* 2 *maii* 1711, *dub.* 1, confirmata 3 *oct. ejusd. anni* et 17 *junii* 1713.

11. Guillelmus Melfort origine scotus Londini natus ex genitoribus hæresis labe infectis, qui tamen hæresim abjurarunt, catholicamque religionem subinde amplexi fuerunt, in ætate duorum annorum baptismum ab administro ecclesiæ anglicanæ recepit ; inde quum ad sacros ordines ascendere cuperet, ignorat, an sit irregularis, ex quo baptismum ab hæretico habuit? S. C. non esse irregularem resolvit : *Romana*, 21 *maii* 1717, *dub.* 1.

12. Necnon irregularem non esse eumdem Guillelmum, ex quo natus ille est a parentibus hæreticis eadem S. C. declaravit : *Ibid.*, *dub.* 2.

13. Joan. Baptista Vivier ortus ex parentibus turcis baptismum in ætate infantili suscepit, inde sacris ordinibus una cum presbyteratu fuit insignitus ; postea animo perplexo est, an indigeret absolutione ab irregularitate cum rehabilitatione ad ordines, et non indigere S. C. judicavit. Irregularitas quippe descendens ex neophitatu locum sibi non vindicat in eo, qui in ætate infantili, se qui in adulta fuit baptizatus, quatenus post aliquod temporis intervallum, idoneus ab Episcopo ad suscipiendos ordines reputatus fuerit : *Milevitana*, 13 *aug.* 1718, *dub.* 1.

14. Licet Hieronymus Antonius Bonacina clericus Mediolanensis, qui in ætate annorum 23, constitutus cupit sacris ordinibus initiari, nullam a demone passus fuerit per biennium vexationem, veluti. Card. Archiepiscopus confirmata, eum tamen uti olim energumenum irregularem esse S. C. arbitrata est : *Mediolanen.*, 2 *decem.* 1724.

15. Josephi de Carolis Amerinus clericus in minoribus constitutus ordinibus capellaniam retinet in terra Sublaci diœceseos Interamnensis. Hujus pater, et frater ob furta a sacra Consulta fuerunt ad triremes condemnati. Duo hinc simul proponuntur definienda ; utrum ille in quamdam irregularitatem ob parentis, fratrisque infamiam ratione criminis inciderit, indigeatque dispensatione apostolica ; et num idem Joseph ab Interemnate beneficii, sive ab Amerino originis Episcopo ad sacros ordines promoveri debeat? S. C. nullam contraxisse irregularitatem, et per Episcopum Interamnatem ad sacerdotium promovendum esse definivit : *Amerina, seu Interamnen.*, *Ord.*, 11 *aug.* 1759.

16. Gregorium Donata in civitate Rhodigii ex parentibus Judæis natum in sacro tamen regenerationis lavacro Venetiis ablutum, et in seminario Adriensi militiæ ecclesiasticæ studiis operam navantem, irregularem esse utpote neophytum, et recenter ad fidem conversum, fuit declaratum : *Adrien.*, *Irr.* 31 *maii* 1783, *dub.* 1.

§ II.

Irregularitas orta ex defectu corporis quando incurratur, necne.

1. Irregularem illum pronunciatur, qui pollice in sinistra manu caret : *Caturcen.*, 14 *januar.* 1673.

2. Irregularem dixit S. C. sacerdotem cui duo digiti manus sinistræ deerant : *Baren.*, 16 *dec.* 1673.

3. Quum dubitatum fuisset de quodam novitio, qui erat emisurus professionem, an esset hermaphroditus, et sic, an esset irregularis, et cum eo esset dispensandum? auditi fuerunt medici, qui retulerunt religiosum esse marem, nec in eo considerari posse ullam sexus duplicitatem ; et ideo dubium involutum evolvit S. C. : eumdem non esse irregularem : *Dubium ord.*, 11 *januar.* 1687.

4. Declaratur in irregularitatem incidisse sacerdotem Bernardinum Lopes oppidi Phileni, eo quod ob quamdam læsionem flexibilitate in brachio dextero caret, et ideo neque perfecte signare se potest crucis signo, neque in celebratione Missæ sacram hostiam, et sanguinem sumere valet, nisi ope brachii, et manus sinistræ, quanquam ceteras Missæ cæremonias rite, recteque impleat ; quod ab Archiepiscopo confirmatur, qui de peracto experimento coram cæremoniarum magistro testimonium perhibet : *Consentina*, 3 *julii* 1725, *dub.* 1.

§ III.

Irregularitas orta ex crimine quando incurratur, necne.

1. Clericos seculares abbatiæ Ferentilli ordines accipientes et litteras dimissoriales impetrantes ab Episcopo, intra cujus fine existunt ordinandi, a

susceptorum ordinum executione suspensos esse juxta cap. 8, sess. 23 [27]: et sic suspensos ministrantes irregularitatem incurrere fuit definitum: *Spoletana, anno* 1583, *dub.* 2.

2. Ad dubium, an clericus, qui de homicidio inquisitus indicia causa torturæ diluit, durante nihilominus communi æstimatione populi illum pro homicida reputantis censendus sit irregularis ad effectum, ut promoveri queat? S. C. respondit, in casu, et ad effectum, de quo agitur, legitime fuisse denegatas litteras dimissoriales ad ordines: *Novarien., Dimiss. ad Ord.*, 1 *octob.* 1661.

3. Exponit Hyacinthus Theti qualiter præcedentibus solitis publicationibus, et nullo opponente promotus fuerit ad subdiaconatum, nunc vero pro reliquis ordinibus suscipiendis occasione denunciationum revelatum fuit, quod Hyacinthus interfecerat Franciscam Pizzoniam. E contra constat de bona vita, et fama oratoris; ob id ignoratur, an sit censendus irregularis? et negativum datum est responsum quoad forum externum; quoad forum internum oratorem consulere debere suæ conscientiæ: *Mileten., Irr.*, 10 *novem.* 1674.

4. Quædam puella plagam fronti inflictam accepit, qua immaturam mortem oppetiit. Hujus vulneris per accidens illati suspicio injecta fuit in Joan. Baptistam Coranicium diaconum, qui in aliorum comitatu ludis illo tempore vacabat; tamen comprobari id haud potuit. Quæsita proinde S. C. an orator sit irregularis? et non esse respondit: *Ugentina, Irr.*, 27 *martii* 1677, *dub.* 1.

5. Quidam vir cum sua uxore clericum Palentinum deprehendit, et vulnere eum affecit. Post diuturnum tempus in eodem delicto clericus delinquit, ex quo factum est, ut de noctu cum vir supervenisset, qui videntem clericum fuga salutem petentem, suam uxorem interemit. Clericus modo ordines sacros desiderat, sed Ordinarius hæsitans de irregularitate illum repellit, qui enixe proinde orat S. C. et quærit, an propter hoc incurrerit irregularitatem? et rescribitur negative: *Dubium, Irr.*, 22 *april.* 1679.

6. Expositum fuit, quod capitulum ecclesiæ Zagabriensis juxta leges regni, si ageretur de bello pro catholicæ fidei, et patriæ defensione, mittebat milites, quibus præerat aliquis de gremio capituli. Quum autem eam ob causam anno 1685, capitulum milites misisset, iisque præesset archidiaconus, qui Vexiliiferum turcam necavit, dum se ab exercitu Liburnico opprimi credebat: propositio dubio: an archidiaconus ex causa præfata effectus fuerit irregularis? responsum prodiit affirmativum: *Zagabrien., Disp., sup. Irr.*, 17 *novem.* 1685, *dub.* 1.

7. Postulatur, an clerici, qui post absolutionem obtentam a vicario capitulari exercuerunt ordines illicite susceptos inciderint in irregularitatem? dispensandos esse ad cautelam respondetur: *Neapolitana, Ord.*, 15 *decem.* 1685, dub. 2. Deinde esse dipensandos super irregularitate resolvitur 27 *april.* 1686.

8. Joan. Dominicus Benuccius parochus ecclesiæ S. Eugeniæ supplicavit redintegrari ad facultatem Missam celebrandi, a qua fuit suspensus, eo quod duas Missas eodem die pluries celebravit; ideo ob infamiam in ambiguo fuit, an in irregularitatem inciderit? S. C. censuit Oratorem esse dispensandum intra tempus, quod Archiepiscopo libet: *Senen, Irr.*, 16 *novem.* 1686, *dub.* 1.

9. Casus propositus fuit his verbis. Quidam parochus cujusdam loci interfuerat matrimonio contracto inter vilis conditionis mulierem, et Baronem, qui licet, nullum penitus jus in, et super ecclesia parochiali haberet, attamen jurisdictionis exercitio inter plures condominos per vices diviso, nonnullis anni mensibus in dicto loco fruebatur; dicti Baronis filius ex alia uxore tunc præmortua susceptus parochum prædictum occidit de anno 1677. Hujus homicidæ hactenus viventis filius ante patratum delictum natus ad sacros ordines promoveri desiderat, quo circa preces obtulit S. Pœnitentiariæ, quibus S. C. remissis decernendum proponitur; an præfatum homicidium obstet oratori, quominus ordinari valeat? Oratorem non indigere dispensatione respondit: *Dub., Disp.*, 2 *aug.* 1687.

10. Episcopus ex causis sibi notis suspendit a celebratione, et ordinum exercitio presbyterum Dominicum Guillelmum, quem subinde irregularem declaravit, ex quo iste neglecta suspensione prædicta celebravit. Censuræ validitate firmata opus est explicare: an sit irregularis? et S. C. dilata, et ad mentem [28] rescripsit: *Insernien., Susp. et Irr.*, 20 *decem.* 1687, *dub.* 2.

[27] *De Reform.*, quo præcipitur, neminem ordinandum esse; nisi a proprio Episcopo, quod explicatum est ab Innocentio XII. Const. *Speculatores*, 4 novem. 1694 (*Bull. Rom.* tom. 9, pag. 394) declarante, illum esse proprium Episcopum ordinandi, qui ei subditus sit, vel ratione originis, vel ratione domicilii. Et sacrum Concilium *cit. loc.* quoad pœnas addit « si secus fiat, ordinans a collatione ordinum per annum, et ordinatus a susceptorum ordinum exequutione quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, sit suspensus. »

[28] Mens est, ut in prima Congregatione referatur, an Guillelmus celebraverit ante appellationem, vel post expletum tempus absolutionis cum reincidentia obtentæ a Metropolitano (Lib. 37 *Decret.*, fol. 715). Causa repropo-

11. Sacerdos quidam sese vendidit Batavis pro servitio marittimo, inde egestate pressus arma sumpsit, et in Indiis militiam exercuit, in dubium hinc venit, an orator præmissis ex causis inciderit in irregularitatem? resolutio prodiit esse dispensandum: *Salisburgen., Irr.*, 14 *maii* 1689.

12. Quidam sacerdos propter homicidium nota infamiæ inurit, et quia sustinuit torturam, idcirco condemnatus tantum fuit ad exilium, et dubitatum est; an infamia laboraret, et dici posset irregularis? S. C. illum fama esse diminutum censuit: *Asculana, Irr.*, 8 *julii* 1690, *dub.* 1.

13. Processum subierunt sacerdos *della Polonia*, et duo diaconi Jacobus Anzara, et Joan. Carolus de Rubeis ob partum sacrilegum, qui nocturno, et hiberno tempore devexerunt; qua de causa fœtus occubuit. Modo in dubio ponitur, an isti prætensi rei indigeant dispensatione ab irregularitate? et non indigere dispensatione ad cautelam fuit judicatum: *Brugnaten.*, 11 *julii* 1693.

14. Sacerdos Emmanuel Cohelo quadam nocte anni 1677 permanens in domo Ludovicæ de Barros non sine magna difficultate, et periculo ab illius manibus aufugit relicto gladio, cum quo maritus infelicem uxorem etiam prægnantem pluribus verberibus una cum fœtu inhumaniter interfecit. Ob id orator pendit pro scelere pœnam exilii, et mulctam; inde parti, et fisco præstita satisfactione supplicat pro absolutione cum rehabilitatione ad beneficia. S. C. audita relatione nuntii apostolici, ac re mature perpensa censuit oratorem non incurrisse irregularitatem: *Ulyssiponen*, 14 *april.* 1696.

15. Quum Archiepiscopus Hispalensis prætensionem excitaverit clericum Josephum Fuentes de Lebrixa suum subditum promotum ab Episcopo Samensi, cujus obsequiis addictus erat, ad sacros ordines sine litteris commendatitiis, et ad titulum insufficientis beneficii ipso jure fuisse suspensum, et per exercitium ordinum irregularem evenisse; idem Joseph S. C. adiit, quæ affirmavit esse irregularem, et quoad absolutionem recurrere ad Archiepiscopum debere: 15 *dec.* 1696, modo confirmatur decretum: *Hispalen., Irr.*, 6 *febr.* 1700.

16. Posteaquam decanus ecclesiæ cathedralis onus assistendi Archiepiscopo concionanti respuens, fuerat excommunicatus, præfuit tamen divinis officiis. Quæsita proinde S. C. an in irregularitatem prolapsus sit? dilata, et Episcopus Alborensis procedat ad ulteriora, rescripsit: Nondum enim S. C. Archiepiscopi allegationes acceperat: *Calaritana, Cens.*, 26 *novem.* 1701, *dub.* 2.

17. Angelus Malpicius parochus ecclesiæ S. Nicolai urbis Æsii ab Episcopo suo suspensus ab administratione sacramentorum, eo quod non obtemperaverit cuidam præcepto sibi antea dato de se habenda domo pro carcere sub pœna suspensionis a divinis, recursum habuit sub fundamento nullitatis, et injustitiæ dicti mandati; tum quia elicitum fuit nulla præcedente citatione, et absque expressione causæ; tum quia sibi personaliter præsentatum esse non constat. S. C. vero parochum illum non incidisse in suspensionem nec in irregularitatem decrevit: *Æsina., Susp. et Irr.*, 19 *aug.* 1702, *dub.* 1.

18. Necnon mandavit Episcopo super deductis in ejus informatione, ut parochum prædictum non molestet: *Ibid., dub.* 2.

19. Quum curia metropolitana Aquileiensis revocasset omnia per Episcopum Comensem gesta tanquam nulla, et attentata contra sacerdotem Antonium Gattum; curia episcopalis appellavit ad S. C. Hæc decrevit non constare de irregularitate Gatti, ob celebrationem Missæ non obstante suspensione, ac illius declaratione, etiam per affixionem cedulæ suspensionis: *Comen., Irr. et Grav.*, 9 *septem.* 1702, *dub.* 1, confirmata 1 *martii* 1704.

20. Canonici ecclesiæ S. Mariæ ad Mare oppidi Majoris concionatorem a curia archiepiscopali deputatum rejecerunt, falso putantes se exemptos a jurisdictione Archiepiscopi. Vicarius capitularis censuris eos innodavit; ipsi tamen a celebratione sacrificii sese minime abstinuerunt, absolutionem per mensem inde a S. C. reportarunt; eo jam elapso de ulteriori prorogatione non curarunt, et in exercitio eorum munerum perstiterunt; ipsos itaque irregularitatem incurrisse, S. C. declaravit: *Amalphitana, Jur.*, 30 *sept.* 1702, *dub.* 3, confirmata 2 *decem. ejusd. anni.*

21. Suspensio a divinis lata a vicario generali Episcopi Leodiensi contra Joan. Dominicum Diognies parochum oppidi Marienburgensis S. C. decreto valida est; ideo in irregularitatem incurrisse ob illius contemptum affirmare ead. S. C. non dubitavit, quando constet coram Ordinario, quod parochus in ordinibus administraverit: *Leodien., Cens. et Irr.*, 7 *julii* 1703.

22. Joseph Martinus Nieto de beneficio provisus in ecclesia cathedrali ab Episcopo fuit rejectus a

sita die 10 april. 1688 constet oratorem plures celebrasse post expiratam absolutionem, cum reincidentia post duos menses a Metropolitano obtenta, censetque Episcopus eum in irregularitatem incidisse. Et imposita oratori pœnitentia salutari, et factis prius per ipsum oratorem exercitiis spiritualibus, ut Episcopus dispenset, eumdemque ad exercitium sacrorum ordinum, rehabilitet, jussit S. C. Lib. 38, *Decret.*, fol. 182.

sacrorum ordinum susceptione, nisi obtinuisset dispensationem ab irregularitate contracta, quia in societatem fuit improbi viri, qui homicidium voluntarium patraverat, et fama emanavit illum esse irregularem, ob id pronunciavit irregularem, confirmavitque decretum, *die* 17 *decem.* 1701. Modo rediit orator exhibens quamdam consultationem trium doctorum Universitatis Salamantinæ, qui eum haud incurrisse irregularitatem opinantur; et S. C. meliorem informationem postulavit: *Salamantina, Irr.*, 18 *aug.* 1704, *dub.* 1. Deinde esse irregularem iterum decidit: 26 *januar.* 1704, *dub.* 1.

23. Scipio de Martino, et Angelus Ricciullus celebrantes in oratorio denuo extructo contra decretum visitationis vicarii generalis, qui privatum reputavit, quod situm erat in aula palatii baronis Castri Novi, ac interdicto suppositum, inibi celebrantes suspendendo, non incurrerunt irregularitatem. Nam jam S. C. ante censuras latas minime esse validas firmaverat: *Compsana, Cens.*, 31 *maii* 1704, *dub.* 4.

24. Sacerdos Joan. Antonius Burocchus a curia Vercellensi renuens præceptis suis parere, fuit a divinis suspensus; ausus inde est sacrum celebrare, et confessiones cum totius populi offensione audire. A. S. C. in irregularitatem incurrisse fuit declaratum: *Vercellen., Irr.*, 18 *aug.* 1703.

25. Joanni Ludovico Boctreis parocho Erthali, et in Feurdall nulla designata causa ac nulla prævia monitione a curia abbatiæ Fuldensi censuræ irrogatæ fuerunt; et ob celebrationem postea peractam dubitatum fuit, an in irregularitatem inciderit? et negativum datum est responsum: *Herbipolen., seu Nullius abbatiæ Fuldensis Irr.*, 19 *julii* 1704.

26. Declaratis a S. C. *die* 15 *sept.* 1713, censuris a canonico Antonio Sorgiu prætenso delegato apostolico, tum contra secretarium curiæ archiepiscopalis, tum contra ipsum Archiepiscopum latis nullis; et temerariis, ac illis e contra per Achiepiscopum in illum, et alios canonicos assistentes eidem intentatis validis; inde sub *die* 5 *dec. ejusd. anni* prævia facultate a S. C. archipresbytero indefinite commissa canonicus Sorgiu absolutus fuit; alii canonici putant sibi etiam suffragari illam facultatem, et absolutionem ita ut non sit locus novæ absolutioni, et S. C. contrarium edidit responsum decernens non esse locum novæ absolutioni servata forma Ecclesiæ consueta; et quoad irregularitatem consulant suæ conscientiæ: *Turritana, Cens.*, 18 *julii* 1705.

27. Joan. Felix Pellonus de Castro S. Eliæ ad pœnam triennalis relegationis ad centumcellas damnatus, et deinde ante tempus remissus optavit, ut ad sacros ordines promoveatur et prævia apostolica dispensatione ad illos ascendit ad titulum beneficii. Pro hujus consecutione tamen dispensationem apostolicam minime impetraverat, dictumque beneficium per sex annos retinuit, et per hoc tempus sacrificium celebravit, ac inde a S. C. sciscitatus est, num in irregularitatem inciderit, et dispensatione indigeret? illa non indigere S. C. putavit: *Nepesina, Irr.*, 23 *julii* 1707, *dub.* 1 et 2.

28. Sacerdos Fabius Agosti loci Curtis Majoris exorans pro absolutione ab irregularitate, in quam incidit, eo quod causa duplicem stipem recipiendi duas Missas per duas vices eadem die celebraverit, et ad dubium an ille inciderit in irregularitatem? S. C. voluit, ut expectetur exitus causæ et ut Episcopus Placentinus procedat ad illius absolutionem: *Placentina, Irr.*, 9 *junii* 1708, *dub.* 1, deinde affirmativum in casu de quo agitur responsum pandit: 11 *januar.* 1710.

29. Suborta verbali contentione inter sacerdotem Gabrielem de Gabrielis, et Dominicum Rosati super quadam parva quantitate frumenti ab ipso Gabriele debita capellano curato ecclesiæ loci de Pugliano; et quibusdam ad invicem contumeliosis verbis prolatis, idem Gabriel in ipso calore rixæ adortus Dominicum ejus sinistrum supercillium cultro per obliquum transfixit, ex quo vulnere licet convaluerit, tamen sinistri oculi virtutem, et usum ita amisit, ut objectorum qualitatem, et quantitatem agnoscere minime valeat. S. C. respondit ad quæsitum, an irregularitatem incurrerit? negative: *Feretrana, Irr.*, 5 *maii* 1708, *dub.* 1.

30. Sacerdos Felix Antonius Mutius parochus loci Moriconis exquisivit a S. C. num in irregularitatem incurrerit? in eam enim incidisse prætenditur, eo quod Joseph Mutius dicti Felicis germanus frater, ipso Felice absente, homicidium in Gregorium Pennellam patraverat, cujus cum fratribus paulo ante Felix jurgaverat, et in manu sauciatus fuerat. S. C. absolutionem ad cautelam impertivit: *Aprutina, Irr.*, 15 *decem.* 1708, *dub.* 1.

31. Clericus Horatius Saracenius ad instantiam puellæ Dominicæ Grottolæ ob prætensum stuprum cum ipsa patratum excommunicationis censuram passus est; deinde de crimine insimulato tanquam innocens absolutus, nulla habita ratione ad excommunicationem ad sacros ordines, et ad ecclesiæ cathedralis canonicatum fuit promotus. At ambiguum fuit, an in irregularitatem inciderit? S. C. rescribit esse dispensandum ad cautelam: *Juvenacen., Cens. et Irr.*, 23 *febr.* 1709, *dub.* 2.

32. Clericus Franciscus Galuccius ad sacros ordines ascendere exoptans, rogavit, utrum in irregularitatem inciderit? Nam agens ille ætatem annorum 13, ludebat una cum Cœtaneo Eutizio Ciavatti, eumque vulneravit scalpello librario in dextero latere, qui per spatium 10 dierum curatus e domo discessit, at post alios dies decem maligna præve-

niente febri, obiit. Gubernator Suriani processit contra eumdem, tamen ex medici chirurgi testimonio absolutus fuit S. C. re cognita esse dispensandum ad cautelam censuit : *Hortana, Irr.*, 15 *junii* 1709, *dub.* 1.

33. Subdiaconus Andreas Sette terræ Arenarum postulavit, ne labatur errore, num in irregularitatem inciderit ob internecionem sequutam puellæ Catharinæ Feulæ, cujus retro humeros sese Andreas contexit. Siquidem decurio dictæ terræ ob inimicitiam cum illo habitam explodens igneam ballistam, illam per accidens percussit, ac postea dictum Andream vulneravit. Deficientibus testibus occularibus curia episcopalis tantummodo conjectura ducta fuit ad suspicandum. S. C. rescripsit, ut expectetur exitus causæ coram Episcopo : *Mileten.*, *Irr.*, 8 *febr.* 1710, *dub.* 1 et 2.

34. Paschalis Gioja sacerdos, et parochus S. Mariæ de paradiso terræ Pizzoli monitus ab Archipresbytero ordinario dictæ terræ fuit de irregularitate, in quam incurrit ob homicidium ab eo patratum in Joan. Dominicum de Castellano, dum erat in statu simplicis clerici constitutus. Illius mortem ipse asserebat evenisse ex imperitia chirurgi, quæ sequuta est post 40 dies ab accepta plaga. Confecto processu S. C. irregularis fuit declaratus, et bis instantiam quoad dispensationem rejecit, modo repulsam confirmavit : *Aquilana, Irr.*, 28 *novem.* 1711.

35. Curia episcopalis ad instantiam Joan. Josephi Faraglia allegantis sacerdotem Joan. Jacobum Germanum in eum manus injecisse, et inde celebrasse, contra eumdem processit, et vicarius generalis cum testibus juratis, qui rixæ interfuerant, eum excommunicavit. Succumbens S. C. adiit, num censuræ latæ validæ sint, et an inciderit in irregularitatem? attestans nunquam fratrem pertigisse manibus ; et S. C. rescripsit esse absolvendum, ac dispensandum ad cautelam : *Civitatis Ducalis.*, *Cens. et Ir.*, 12 *dec.* 1711, *dub.* 2

36. Sacerdos Andreas Ravizottus musicas gratulationes cum sociis noctu agens, et a nonnullis ludificatus, et sibilis prosequutus, ipso cum aliis irrisores insequutus est illos objurgans, ut ab injuriis se abstinerent; sed minime valuit, ac jurgia declinandi causa a comitatu sauciatus abscessit. Contentio tamen non finiit et ictu sclopi brevioris Antonius Portius comes Ravizzotti alterum ex irrisoribus interemit. In dubio positum fuit, num sacerdos Ravizzottus inciderit in irregularitatem? et esse dispensandum ad cautelam S. C. respondit : *Novarien.*, *Præt. Irr.*, 16 *julii* 1712 *dub.* 1.

37. Jam ab anno 1691, internecione perpetrata clerici perpetui Josephi Pacerii in loco Viaristii a promotore fiscali curiæ episcopalis compilato processu informativo homicidii, reus factus fuit sacerdos Petrinus Luzana præpositus Altavillæ ex indiciis ; ex quibus innotuit, quod idem Luzana iracundia concitatus fuerat in Christophorum Ripam, cui Pacerius socium se adjunxit, quod sclopi ictus ex domus specula ipsius explosus fuit ; ac quod statim Luzana post delictam fugam arripuit. S. C. quanquam omnes probationes ex conjectura penderent, tamen eum bis rejecit, conatus inde est apud curiam episcopalem infirmare, ac diluere, quæ contra dicebantur, obtinuitque innocentem declarari, nullique irregularitati obnoxium, necnon collationem parochialis consecutus ipse est. Postmodum ad sanctam Sedem confugit, et deputata congregatione particulari, contradicente fiscali substituto, rescriptum est, constare de irregularitate : 30 *aug.* 1709. Modo orator novam audientiam imploravit, et S. C., ad quam res est delata, constare de eadem sententiam tulit : *Asten.*, *Irr.*, 3 *martii* 1714, *dub.* 1.

38. Sacerdos Vitus Malanca in ecclesia parochiali oppidi Bellæ absente parocho baptizavit puellam propter imminens periculum vitæ absque debitis cæremoniis, successive de licentia parochi iterum eamdem puellam in ejus parochiali ecclesia salutis aqua aspersit. S. C. hac de re audita præfatum sacerdotem irregularem declaravit : *Murana*, *Irr.*, 14 *novem.* 1716, *dub.* 1.

39. Canonicus Roccus Jaquinto prior, quum non incidisset in excommunicationem ex decreto S. C., ita ob Missæ celebrationem non incurrit in irregularitatem : *Casertana*, *Cens. et Irr.*, 11 *sept.* 1717, *dub.* 2.

40. Quum Prosper Ascentianus canonicus ecclesiæ cathedralis ordinatus fuisset contra formam constitutionis Innocentianæ [29] ab Episcopo Maceratæ absque testimonialibus Archiepiscopi Firmani, cui subditus ratione originis erat, ac domicilii ; ita eum incurrisse una cum suspensione in irregularitatem firmatum est : *Tolentina*, *Ord.*, 2 *oct.* 1717, *dub.* 2.

41. In irregularitatem incidisse sacerdotem Petrum Jacobum Rampini, a quo fur nocturnus, qui se abdiderat in horreo advocati Vasini, cujus domum sacerdos idem colebat, occisus fuit, S. C. decernit. Sacerdos enim igneam ballistam non explosit, nisi postquam fur extinxerat lumen, ideoque ad suæ vitæ tuitionem illum interfecit præter intentionem · *Casalen.*, *Irr.*, 24 *sept.* 1718.

42. Concedendam esse dispensationem ad cautelam respondit S. C. ad rogatum sacerdotis Joan. Baptistæ Rosini, qui postquam Josephum Sancium

[29] Vide not. 4, verb. *Abbas* § II.

clericum conjugatum suum nepotem, a quo fuerat provocatus, humi straverat, manuque percusserat in platea loci Julianelli, atque ob id a celebranda Missa se abstinuerat. Nam quanquam ille clericus non incessisset in habitu, et tonsura, tamen ipse sacerdos de hoc ambegit, an ipse irregularis evaserit : *Civitatis Castellanæ, Irr.*, 3 *decem.* 1718, *dub.* 1.

43. Paulus Jordanes montis S. Angeli Sipontinæ diœcesis a suo Episcopo ad titulum patrimonii sacri in subdiaconum ordinatus mansionariam quamdam residentialem, quæ dicitur esse amovibilis ad nutum, obtinuit in ecclesia cathedrali Vestana, et ad ejusdem titulum reliquos sacros ordines cum litteris dimissorialibus vicarii capitularis Vestani sine testimonialibus Archiepiscopi Sipontini ab Episcopo Ascolano accepit. S. C. primum Jordanem suspensum, et irregularem esse pronunciavit *die* 4 *maii* 1719. Inde causa reproducta probationes super qualitate mansionariæ, an sit perpetua, vel ad nutum amovibilis? postulavit : *Vestana, seu Sipontina, Ord.*, 11 *maii* 1710.

44. Joan. Baptista Palazzescus canonicus cathedralis, qui canonicum Pompilium Gianellium catapultæ ictu in femore vulneravit, ex quo vulnere ille mortem post 23 dies obierat : nonnullis mulieribus primum malitiosum, deinde per accidens homicidium testantibus, anceps est, num sit irregularis? et esse irregularem S. C. definiit : *Cajacen.*, *Irr.*, *et Cens.*, 23 *maii* 1722, *dub.* 1.

45. Clerici nonnulli patriarchatus Occidentalis Ulyssiponensis origine, et domicilio subditi ad capitulum orientale, et ad vicarium capitularem Tagastensem recurrerunt; qui hos ad titulum nonnullarum capellaniarum in ecclesiis orientalis diœceseos existentium ordinavit. Hæ capellaniæ ecclesiasticæ beneficia esse nequeunt, quia in fundatione Episcopi auctoritas defuit. De his primum ordinationibus dubitatum fuit, et decisum est, fuisse illicitas. Fuit inde quæsitum, num per exercitium ordinum sic ordinati remanserit suspensi, et irregulares? et suspensos, ac irregulares utique factos esse S. C. judicavit, et addidit ad mentem ; *Ulyssiponen.*, *Occid.*, 26 *junii* 1723, *dub.* 2, confirmatur pro nunc quoad Valentinum Pereiram, et Emmanuelem Nunez Colares : 19 *aug.* 1724.

46. Hippolytum Macchiolum præpositum parochialis loci Wadæ suspensum a divinis curia episcopalis Aquensis declaravit, eo quod absque ejus licentia fecerit unam publicationem de patrimonio constituto proprio Filio a Nicolao Molphino, in cujus publicationis sequelam fuit ordinatus ad subdiaconatum ab Archiepiscopo Januensi. Postmodum incidisse in irregularitatem eadem curia decrevit. Præpositus asseruit putasse licentiam habere a curia Aquensi, quia vir probus Nicolaus prædictus id ei significaverat. S. C. vero ad dubium, an suspensio, et irregularitas sustineatur? dilata respondit ut expectetur novus Episcopus, interim concessa relaxione, et ab irregularitate dispensatione ad cautelam : *Aquen.*, 4 *decem.* 1723, *dub.* 3.

47. Dum presbyter Alphonsus Sanchez Garido ex Villa de Quintana nullius diœcesis domi cujusdam mulieris conjugatæ manebat, non obstante paterno monitu sui Ordinarii, contigit, ut Petrus vir prædictæ mulieris domum suam improviso petens eumdem sacerdotem illic invenerit, strictoque pugione in eum irruens uxorem impetientem, quominus sacerdos vulneraretur, per accidens sauciaverit, quæ paulo post obiit. Venit in dubitationem, num sacerdos prædictus in irregularitatem inciderit? et dispensandum esse ad cautelam S. C. putavit : *Nullius*, *Provinciæ Compostellanæ*, 2 *octob.* 1723, *dub.* 1.

48. Super qualitate panis distribuendi pauperibus quoddam jurgium exortum est inter Paulum Pausitanum, ad quem ministerium hujusmodi pertinebat, et Thomam Pausitanum presbyteros participantes ecclesiæ terræ Novarum. Thomas post prolata injuriosa verba adversus Paulum ipsum etiam alapa percussit, minatusque fuit, se velle Paulum ea die interficere, ut constat ex Episcopi informatione; quamque post hæc supervenisset Cajetanus Positanus frater Thomæ, atque hic post nonnulla verba cum prædicto Paulo habita eumdem interfecit. S. C. autem irregularem ipsum Thomam declarat; licet hic homicidium non perpetrasset : *Caputaquen.*, 24 *martii* 1725, *dub.* 1.

49. Sacerdos Marcus Mercadante rector, seu ædituus ecclesiæ S. Angeli ad Nidum minime intervenit supplicationi a curia archiepiscopali Neapolitana occasione sedis vacantis ob obitum Innoc. XIII ad divinum auxilium implorandum pro nova electione Summi Pontificis indicta. Illum in censuras intentatas eadem curia incurrisse publicavit; et hæc attentata minime fuerunt a S. C. judicata. Sed quum ille postea celebraverit, anxius est, an incurrerit irregularitatem? et ad mentem [30] S. C. respondit : *Neapolitana*, 24 *martii* 1725, *dub.* 2, confirmata 21 *julii* 1742, *dub.* 3 [31].

[30] Mens fuit, ut absolutio a censuris una cum dispensatione ab irregularitate impertiretur facultatibus in hunc finem opportunis Card. Archiepiscopo committendis : *Ead. causa*, 21 julii 1742.

[31] Huic decreto accessit Const. *Præclarum*, 4 octob. 1755 (*Bull. ejusd. Pont.* tom. 4, pag. 152), Bened. XIV, qua declaratur qualis conveniat exemptio ab Archiepiscopi Neapolitani jurisdictione; jurisdictione hospitali S. Angeli

50. Quæsitum quum esset, an in irregularitatem inciderit sacerdos Franciscus Carnevale, qui sermonem habens de rebus domesticis cum sacerdote Theodoro Carnevale suo ex fratre nepote ob quasdam inter eos factas contentiones calce percussus ab illo fuit, et videns eumdem Theodorum statim manum ad igneam ballistam admovere, timens ne ille ictum adversus se exploderet, aliam ferream fistulam in eum contorsit, atque in oculo sinistro vulnus illi inflexit. S. C. rescripsit. pro dispensatione ad cautelam, etsi subinde Theodorus convaluerit, et nulla in eodem supersit deformitas, atque solam in oculo læso visus debilitatem patiatur : *Aquinaten*, 12 *januar.* 1726, *dub.* 1.

51. Franciscus Maria Sique canonicus Turritanus in sacerdotem Joan. Andream Sacajoni officialem rationarium ecclesiæ cathedralis tanta violentia irruit, ut humi palam prosternerit, qui sanguinem inde ore exspuit. Prævio testium examine fuit postulatum, ut excommunicatus, et inde ex quo Missam celebraverat, irregularis declararetur. S. C. autem respondit, ut vicarius quatenus opus esset auctoritate etiam ejusdem S. C. denunciet illum excommunicatum, et ab omnibus evitandum, necnon irregularem, et ad mentem. Deinde quæritur, num sit recedendum a decisis ? S. C. incurrisse in censuram, et esse irregularem respondit : *Turritana*, 20 *martii* 1726.

52. Sacerdos Joan. Maria Lenti, qui fratrem germanum occidit, eo quod hic violenter illi manus intulerit, et pecuniæ subriprendæ causa percusserit, precatus est, ut S. C. aperiret, num esset irregularis ? indulgendam esse dispensationem ad cautelam S. C. censuit : *Bapien.*, 18 *maii* 1726, *dub.* 1.

53. Quum occasione visitationis jure delegato, actæ ecclesiæ parochialis terræ Centulæ exemptæ Episcopus vocasset ad examen Dominicum Gabrielem parochum, seu œconomum dictæ ecclesiæ, et ipsum abnuentem servata forma judiciali suspensum pronunciaverit ab officio, inde ob officii exercitium irregularem. Idcirco examinatum fuit dubium de validitate censurarum, ac suspensionis validitate firmata, irregularem S. C. agnovit, quia suum munus exercuit : *Caputaquen.*, 2 *apr.* 1729, *dub.* 1.

54. Irregularem esse sacerdotem Cajetanum Pasetti, qui videns valde iracundia concitatum fratrem Josephum ob controversiam quamdam super nonnullorum bonorum mobilium divisione exortam, illum (non quidem opera data, sed casu, sicuti ipse constanter semper asseruit) ita cultro vulneravit, ut paucas post horas confessus, extremaque unctione munitus ex hac vita migraverit, S. C. judicium fecit : *Vicentina, Irr.*, 19 *apr.* 1738, *dub.* 1.

55. Clericum Antonium de Cagiga, qui post nonnullorum verborum cum fratre Michaele habitam contentionem arrepto baculo per Michaelem, eoque in jocosa rixa dirupto, ense patris fratrem in coxa percussit, atque vix ora elapsa hic syncope correptus ab hac vita migravit, incidisse in irregularitatem S. C. definiit ; licet medicus, et chirurgus formaliter mortem Michaelis non ex tenui vulnere ei a fratre inflicto, sed ex syncope, quæ supervenit, a morbo stomachi, quo Michael sæpe angebatur, producta contigisse deposuerint : *Gualtimalana, Irr.*, 14 *maii* 1729, *dub.* 1.

56. Comprobantibus pluribus testibus in episcopali curia rite interrogatis clericum Antonium Marchiado, exhibita schedula ab ejus patre judicis munus exercente scripta, incitasse satellites ad Demetrium Sisarra in vincula conjiciendum, atque hunc catapultam explodentem quemdam comitem satellitum interfecisse ; contra quos tamen testes tres alii suum testimonium jurejurando apud acta confirmantes asseruerunt, nullam hac in re memorati clerici operam fuisse ; ipse petiit a S. C. an inciderit in irregularitatem, et dispensationem ad cautelam S. C. impertivit : *Rossanen.*, *Irr.*, 20 *martii* 1734, *dub.* 1.

57. Ut a suspecta cujusdam mulieris consuetudine sese abstineret sacerdos Joan. Wolfangus Baumharter pluries paterne monitus ab Episcopo fuit, sed incassum ; hinc voluit Episcopus, ut ille simplex beneficium primiceriatus, quod in urbe Donaverthæ obtinebat, cum altero simplici beneficio in Liechtenau existente, permutaret. Appellavit hic ad Metropolitanum, et tamen fuit a divinis ab Ordinario hac appellatione pendente, suspensus. Suspensionem neglexit Joannes, celebravitque. Expenso dubio, an in irregularitatem incurrerit ? et incurrisse sancitum est : *Augustana*, 12 *febr.* 1735, *dub.* 2

58. Sacerdos Joseph Ronca in ecclesia PP. ordinis Minor. S. Francisci de Observantia oppidi Terlitii Missam inchoavit, multis die Dominica adstantibus, post factam hostiæ oblationem, repertis urceolis vino vacuis, post lapsum circiter horæ quadrantem tædio affectus ab altari discessit, seque eadem die contulit ad celebrandum in collegiata dictæ terræ, perque plures insequentes dies a sacrificio Missæ non se abstinuit. Monitus ab Episcopo opportunam postulavit absolutionem. Inde facta quæstio fuit, num vere orator in pœnam suspensionis inciderit, proindeque ob sequutam celebra-

prædicti ejusdem ecclesiæ, et personis ; et § 15 decernitur rectorem, aliosque presbyteros hospitali addictos non teneri ad processiones ab Archiepiscopo quocumque jure indictas accedere.

tionem contraxerit irregularitatem? verum S. C. oratorem non censuit irregularem, et Episcopo rescribi mandavit, ut imposita aliqua salutari pœna oratorem denuo admittat ad altaris ministerium: *Juvenacen., Susp. et Irr.*, 3 *decem*, 1735.

59. Etiamsi Joseph Lana parochus ecclesiæ S. Germani in pago *del Pizzone*, et sacerdos Franciscus Pane excommunicationis pœna irretiti sint, quam S. C. minime sustineri declaravit; tamen eadem S. C. ob celebrationem, ac sacramentorum administrationem postea ab eis peractam, ad dubium, an incurrerit in irregularitatem, sive aliqua pœna puniendi? respondit pro absolutione, et dispensatione ad cautelam: *Capuana, seu Calven. Jur.*, 7 *sept.* 1737, *dub.* 4.

60. Una cum socio Francisco Blanco iter agente Casimiro Garzia Gil, socius nocturno tempore Rocchum Bustello ex Villa de Grovas interfecit. Archiepiscopus ait Casimirum non fuisse neque aggressorem, neque homicidam, sed tantum socium homicidæ; at ambiguum fuit; an incurrerit in irregularitatem Casimirus? S. C. esse locum dispensationi ad cautelam existimavit: *Compostellana, Ir.*, 14 *junii* 1738, *dub.* 1. Sed quum compertum fuisset non esse simplicem socium, sed auxiliatorem, S. C. consilium mutavit, et decernit breve dispensationis non exequendum: 4 *maii* 1743.

61. Delata est ad episcopalem curiam duplex querela adversus presbyterum Franciscum Pavese, virum fuisse Sclopi ictu ab eo interemptum, et de alterius igneæ ballistæ explosione, qua cujusdam sacerdotis pallium fuit perforatum. A curia vero episcopali obtinuit, ne amplius pro hujusmodi causis molestetur, sed tantum ad tollendas populi offensiones ad cautelam dispensationem impetraret; ideo ad trutinam positum est, an constet de irregularitate? et S. C. dilata respondit, et præcepit, ut transmittantur acta confecta contra oratorem in curia episcopali, necnon scribatur Episcopo pro meliori informatione juxta instructionem [52]: *Bisacciarum., Irr.*, 2 *maii* 1739. Inde eruitur fuisse de prædicto homicidio Pavese participem, et declaratur constare de irregularitate: 10 *junii* 1741, confirmata 22 *sept.* 1742. Præterea appellante Pavese ad Tribunal AC. in criminalibus a decreto Episcopi, et probata negativa coarctata loco, et tempore dictum sacerdotem uti non culpabilem repertum absolvendum fore fuit judicatum, ob id causa reproducta S. C. sententiam rescidit, et illum non indigere dispensatione inspecta sententia AC. pronunciavit: 18 *april.* 1744.

62. Sacerdos Joannes Cæsari e Monte Falisco, qui dum se recipiebat Viterbium solemni festo die S. Rosæ visiturus, ut is asserit, ecclesiam B. M. *della Quercia*, velocit et equitans nullo edito sonitu vocis, quo circumstantes caverentur, ita præceps in quemdam hominem irruit, ut is in terram prostratus, vulneratusque ab equi pedibus in hospitali, cura nondum expleta, febri correptus paucos post dies occubuerit; testantibus tamen medicis, et chirurgis alia ex causa mortem illi obvenisse. Ad dubium, an sit irregularis? dispensationem ad cautelam S. C. donavit: *Montis Falisci, Irr.*, 6 *junii* 1739. *dub.* 1.

63. Jacobus Antonius Mecchi, qui in ætate novem annorum et sex circiter mensium constitutus emit jussu matris venenum pro patre interficiendo, qui tamen alia ex causa occubuit, post acceptam tonsuram, ac ordines usque ad diaconatum, et absolutionis definitivam sententiam ab Episcopo relatam, animi expectatione pendet, an inciderit in irregularitatem? concedendam esse dispensationem ad cautelam S. C. rescripsit: *Alexanen., Irr.*, 12 *decem.* 1740, *dub.* 1.

64. Postquam sacerdos Dominicus Mirri forte videns Joan. Baptistam Gavoni e vinea sua quosdam uvæ racemos subripuisse, summo percitus furore (uti testes deponunt) dictum Joannem percussit, eumque ita impulit manibus, ut idem in vicinam foveam præceps deciderit, indeque 20 dierum spatio obierit. Inquiritur itaque, an constet de irregularitate? esse locum dispensationi ad cautelam S. C. judicavit: *Imolen., Irr.*, 28 *januar.* 1741.

65. Suspenso a divinis, et excommunicato Vincentio Amalphitano ecclesiæ cathedralis canonico coadjutore declarato a vicario generali Cortonensi, illum ob celebrationem Missarum idem vicarius irregularem pronunciavit. Nam noluit canonicus in pervigilio festi Sanctissimi Corporis Christi, et in sequenti die functionibus interesse, ac neglexit alterius comparere coram illo ad dicendam causam. Canonicum vero fuisse illo tempore ab articulari morbo vexatum, ut absque vitæ discrimine divinis officiis, et supplicationi interesse nequiverit, comprobabat. E contra promotor fiscalis aiebat eum celebrasse eo die in alia ecclesia sibi commoda. Re ad S. C. delata, decretum est eum non incurrisse censuras latas, et jussum, ut Epi-

[52] Hoc est, ut Episcopus S. C. instructam reddat super veritate eorum, quæ recentius ab eodem oratore exposita fuerant de Carmine Freda, qui veluti reus enunciati homicidii asserebatur in pœnam reclusionis quinquennalis in quodam præsidio a laicali Luceriæ curia condemnatus, utque præterea curet investigare, num ex actis ejusdem curiæ laicalis hauriatur auctorem fuisse aliqua ratione dicti homicidii; *Ead. causa*, 22 sept. 1742.

scopus abroget a synodali constitutione pœnam suspensionis, et provideat ad formam Concilii [33] : *Cortonen.*, *Cens.*, 28 *januar.* 1741.

66. PP. Conventuales S. Francisci Castrivillarum, quum non potuissent ab Episcopo obtinere, ut pœnam censurarum infligeret adversus illum, qui damnum intulerat in prædiis monasterii, funebri sonitu tintinnabulorum in secunda noctis hora non destiterunt populum constristari, ac perturbari magno ipsius timore, ac offensione. Episcopus eos monuit sub pœna interdicti. Pœnam hanc Patres spreverunt, et divina officia peregerunt. Episcopus inflixit excommunicationem, et irregulares declaravit. Cum autem S. C. judicasset nullas censuras, ita etiam non esse irregulares resolvit addens ad mentem [34]. Nam Patres contendebant de invaliditate censurarum ex defectu jurisdictionis, ordinis judiciarii, et justæ causæ : *Cassanen.*, *Cens.*, 7 *aug.* 1745, *dub.* 2.

67. Hieronymo Sintronich clerico in minoribus dumtaxat ordinibus constituto adscriptum fuit crimen fascinationis, potionumque erotic arum, et a magistratu Spalatensi summo supplicio mactatus fuit. Appellavit ille ab hac pœna, et fuit mortis pœna in exilium commutata, sed mandatum exilii contempsit, ad lares redeundo, et ad triremes per septennium damnatus est. Hanc pœnam pecunia redemit. Fatetur hodie in metu versari irregularitatem incurrisse et petit dispensationem. Episcopus Spalatensis pessimos illius mores diserte recenset, minimeque dubitat, quin illum, qui fama, ac existimatione decidit, ab altari sit repellendus. Proposito dubio S. C. respondit constare de irregularitate : *Spalaten* , 22 *januar.* 1743, *dub.* 1. Deinde impertita est ei dispensationem ad cautelam : 28 *aug.* 1745.

68. Episcopus Hieracensis ita Antonium Mari parochum SS. Blasii, et Leonis Castriviteris quæsito rixæ cum clerico colore vexavit, ut suspensum a divinis, ac irregularem declaraverit, insuper ecclesiæ, ejusque bonis œconomum præposuit? Parochus exhibuit in S. C. testimonia gestorum Episcopi injustitiam comprobantia. S. C. autem Episcopi decretum minime esse approbandum, ac exequendum firmavit : *Hieracen.*, *Cens.*, 13 *jan.* 1748, *dub.* 1.

69. Dum Thomas Andreassi diaconus parvo tormento bellico venationis gratia armatus operis rusticis suorum prædiorum præerat, ob fundi fratris damni emendationem petiit a pastoribus pignus, quo negato rixa facta est, et pastores baculo, securique armati in dictum diaconum irruentes ipsum contunderunt, atque uno ex pastoribus tormenti vectem movente, explosus est ictus, et alter pastor occisus est. Nonnulli tamen asserunt diaconum ictum explosisse, unde homicidium evenit. Quæritur, an constet de irregularitate? et concedendam esse dispensationem S. C. respondit : *Cassanen.*, *Irr.*, 14 *decem.* 1748, *dub.* 1.

70. Parochum Thomam Antonium de Cortone convisitatores ab Episcopo Nolano justis ex causis impedito ad visitationem gerendam deputatos ab ecclesia parochiali S. Petri ad Scafatum Arcentem, et ab iisdem propterea excommunicatum, in irregularitatem incidisse S. C. non dubitavit. Nam ille spreta censura non solum sacris operatus est, sed etiam visitatores excommunicavit : *Nolana*, 20 *junii* 1750, *dub* 3, confirmata 11 *martii* 1752, *dub.* 1.

71. Franciscum Zappieri ad sacros ordines a Cremonensi Episcopo promotum cum Ordinarii sui Burgensis litteris testimonialibus absque expressione ætatis natalium, ac morum ejusdem, in pœnas bullæ *Speculatores* [35], et in irregularitatem incidisse compertum est : *Burgi S. Domnini, seu Cremonen.*, *Ord.* 1 *aug.* 1750, *dub.* 2.

72. Parochus ecclesiæ Castri S. Restitutæ Joseph Narduccius, qui sacerdotem Franciscum Bernardini manibus sive tetigit, sive percussit, aut pulsu, vel in brachio, non enim testes conveniunt necnon incertum est; an animo offendendi, vel causali manuum motu non incurrit suspensionem ; postmodumi etiamsi officia parochi exercuerit spreta Episcop monitione, et sacra egerit, non esse irregularem S. C. censuit, et addidit ad mentem : *Tudertina Cens. et Irr.*, 19 *aug* 1752, *dub.* 2.

73. Episcopus suspendit priorem Franciscum Clelium, et Petrum Simium congregationis Presbyterorum seu capituli civitatis Pisciæ exactores, qui exhibere codices accepti, et expensi, in archivo jam capitulari reconditos, renuerant. S. C. consulta postquam nullam suspensionem declaraverit; quoque non incurrisse illos in irregularitatem judicavit : *Piscien.*, 24 *martii* 1753, *dub.* 7.

74. Declarat S. C. irregularem esse sacerdotem Josephum Calvi canonicum seniorem collegiatæ Uneliæ virum septuagenario majorem, eo quod quum in suspicionem venisset curia episcopalis eum frequentem esse cum quadam fœmina quinquagenaria, ipsi præceperat, ne sub pœna suspensionis ipso facto incurrendæ amplius illi consuescere sed idem, uti curiæ relatum fuit, cum illa fœmina alloquutus fuit sacrumque egit. Nec valuit apud S. C. defecisse formam judiciariam asserere : *Albinganen.*, *Irr.*, 7 *apr.* 1753.

[33] Nempe sess. 21, cap. 3, sess. 22, cap. 3 *de Reform.*, et sess. 24, cap. 12 *de Reform.*, in quibus pœna amissionis distributionum absentibus statuitur.

[34] Vide not. 469, verb. *Excommunicationis censura.*

[35] Vide not. 75, verb. *Absolutio* § X.

75. P. Humbertum Pslaundler, qui inconsulto Episcopo Basileensi, ejusque monitione posthabita, monialium monasterii Olsberg ordinis Cisterciensis in diœcesi Basileensi siti, et abbati subjecti monasterii Salernitani diœcesis Constantiensis sacramentales confessiones excepit, suspensionem a divinis, et irregularitatem etiam incurrisse S. C. sancivit : *Basileen.*, 9 *febr.* 1754, *dub.* 9.

76. Decedente Cæcilia papa terræ Porciliorum Cilenti ex lethali vulnere parvi tormenti bellici ei inflicto, sacerdos Joseph Bartolini plagæ auctor assertus fuit. Hic aufugit, et sequenti anno petiit a S. C., an constaret de homicidio, ita ut inciderit in irregularitatem? et affirmativum reportavit responsum; quum jam irregularis ab Episcopo fuisset declaratus, a qua sententia non appellavit : *Caputaquen., Dispens.*, 10 *maii* 1755, *dub.* 1.

77. Cum subdiaconus Antonius Cacciapuoti terræ Juliani in Macello cum lanione jurgasset, qui ira excandescens arrepta Macelli securi eum vultu minaci insectatus est, tunc Antonius, ut illius impetum retardaret, obversa ignea ballista, quam ferebat, fistulæ summitate dictum lanionem sub ter costas spurias percussit, ex quo ictu humi ille prostatus fuit, et post horæ quadrantem decessit. Ideo clam est, an constet de irregularitate? S. C. aperuit esse consulendum Sanctissimum pro dispensatione resolvens : *Aversana, Irr.*, 2 *aug.* 1755.

78. Alexander Repettus vir perditus, et trucis incidit in sacerdotem Joan. Baptistam Carboni, quem necare ille cupiebat; sed videns sacerdos illum manum apponere brevi, quod gerebat, tormento bellico, imminenti vitæ suæ discrimini ipsa suadente natura prospiciens impresso alterius tormenti in ipsius pectus ictu eumdem humi stravit, qui paulo post e vita excessit. Postulatum est, an constet de irregularitate? et constare decisum est : *Derthonen., Irr.*, 8 *maii* 1756, *dub.* 1.

79. Infantem jam baptizatum quum rursus sacro profuderit lavacro Lucas Antonius Fabri canonicus et vicarius collegiatæ SS. Petronii, et Prosperi terræ Lugi, consilium a S. C. capit, an in irregularitatem inciderit? S. C. dispensationem ad cautelam impertivit : etiamsi non satis probetur collatum fuisse sacramentum ab obstetrice : *Imolen., Irr.*, 11 *decem.* 1756.

80. Irregularitatis nota infectum esse clericum Michaelem Angelum Marini, qui ad fratris jam vulnerati defensionem duos ictus igneæ ballistæ noctu exploserat, ob quorum alterum quemdam rusticum hominem, qui occisus mane repertus fuit, necasse dubitabatur, S. C. respondit : *Fulginaten., Irr.*, 4 *martii* 1758, *dub.* 1.

81. Canonicus Bernardus Evangelista obtinuit a S. C. indultum Apostolicum exercendi artem medicam *per annum tantum si tamdiu penuria medicorum perduraverit*, in civitate S. Germani. Cum tamen post annum ab exercitio præfato non sese abstinuerit, ancipiti cura jactatur, an incidisset in irregularitatem? S. C. dispensandum esse ad cautelam putavit : *Nullius, Montis Casini*, 19 *decem.* 1761, *dub.* 1.

82. Constare de irregularitate sacerdotis Gasparis Giannella Taurinensis, qui Antonium Falla manibus pedibusque quum percussisset, hic postquam tota die absque ullo dolore, et incommodo urbem incederat, noctu sua domo se recipiens, atque conquerens in aliqua corporis parte dolores sentire, biduo post occubuit, S. C. declaravit : *Taurinen., Irr.*, 14 *apr.* 1764, *dub.* 1.

83. Putavit S. C. irregularem esse diaconum Michaelem Angelum Fasanum, qui Magentiæ loco vices absentis prætoris gerens sine Apostolica auctoritate duos e proximo Carpineto accersivit satellites, quibus una cum suæ curiæ apparitore armato mandavit, ut ob litem natam inter juvenes quosdam noctu cantando cursitantes, caperent, si quos invenirent noctu per oppidum vagantes, et in carceres traherent, et hac occasione alter leviter vulneratus cultro fuit, alter occubuit : *Terracinen.*, 10 *maii* 1766, *dub.* 1.

84. Incidisse in irregularitatem sacerdotem Januarium Pacella de oppido Balvani, qui dum se conferens cum ministris curiæ ad prædium Octavii Passavante sui debitoris, ut iis indicaret, super quibus vaccis mandatum exequi deberent, quæ erant aliis commixtæ, ad propriæ vitæ defensionem interfecit Petrum debitoris filium, S. C. rescribit : *Murana, Irr.*, 12 *martii* 1763, *dub.* 1.

85. Sacerdos Bernardus Marini ex oppidi Dragonerii curati vices gerebat in Villanovetta, qui locus subest abbati SS. Victoris, et Constantiæ ; ipse dum forte erat in ecclesia Dragonerii, mulierem extraneam occupantem suæ familiæ scamnum deturbavit, dejecitque. Regressus Villamnovettam monitus a curia Salutiarum, ut ad episcopalem audientiam accederet, paruit ; sed quia coram Episcopo introduci non potuit, sine venia, re prorsus infecta, discessit. Denuo judicialiter monitus fuit, ut infra triduum sub pœna suspensionis ipso facto incurrendæ judicio se sisteret, et non obtemperavit. Eadem curia incidisse in pœnam intentatam censuit. Curia tamen abbatialis sua jura lædi credidit, et edicta episcopalis curiæ irrita declaravit. Actum est, an constet de irregularitate? et conceditur dispensatio ad cautelam : *Salutiarum, Irr.*, 13 *julii* 1765.

86. Quum ex lethali cultri plaga Laurentius Mugnani secunda ferre hora noctis inflicta aliquot post menses occubuisset, illius vulneris auctor sa-

cerdos Cosmus Robertus capellanus in ecclesia regii Nosocomii Incurabilium Neapolis fuit autumatus. Ipse sacerdos confugit ad S. S. probans testibus omni fide dignis se ante dictam horam ejusdem diei, quo id evenerat, in Nosocomium redivisse, petiitque declarari, an constet de irregularitate? et non constare S. C. respondit : *Neapolitana, seu Bojanen.*, 16 *januar.* 1768.

87. Abortum faciente puella Antonia Goderico oppidi Montis Sarculi sacerdos Raphael Paradiso, qui cum illa frequentissime agebat, hujus delicti auctor putatus est, quomodo a tribus fœminis fuit confirmatum, et nonnulli de illius prava consuetudine cum aliis etiam mulieribus testati sunt. Sacerdos itaque S. C. adiit, quærens, an esset ipse irregularis? et esse habuit responsum : *Beneventina, Irr.*, 28 *novem.* 1769, *dub.* 1.

88. Rixa ob dicteria facta est inter sacerdotem Michaelem Jannelli, et Angelum famulum, qui Petronillam uxorem Francisci Jannelli fratris comitabatur, dictaque Petronilla media stetit inter rixantes et obsecravit sacerdotem ut ab incepta objurgatione desisteret. Angelus interim igneum tormentum in ipsum sacerdotem explosit, et pro eo Petronillæ vulnus inflixit, ex quo paulo post illa occubuit, Angelus saucius vulnere fuit inventus. Modo conatus est sacerdos, an constet de irregularitate? et de ea constare definitum est : *Salernitana, Irr.*, 4 *maii* 1771.

89. Sacerdos Vincentius Morelli causa damni in quodam horto illati Rosariam Carino objurgare cœpit, et mulier a maledictis non cessavit. Hinc Vincentius furore succensus Rosariam, quæ utero gravis erat fugientem insecutus est securim habens præ manibus, et ictum vibrare minatus est. Mulier sequenti die abortum passa est, quæ tamen fassa est, eam abortioni causam non dedisse. Dictus sacerdos adiit S. C., an constet de irregularitate? et constare decernitur : *Sancti Marci, Irr.*, 8 *junii* 1771, *dub.* 1.

90. Metuens sacerdos Lucas Baldini, qui in Castro Montis Portii capellani munus gerebat, ne ob vulgatum rumorem infantis ex illicito actu suscepti ab infami fœmina, qui in suo famulatu erat, occisi molestias ab ecclesiastica curia pateretur, sollicitus, adiit ejusdem oppidi baronem, eique innuit personam, et locum, ad quem ea confugerat, atque mox fœmina capta, capitisque pœna mulctata fuit. Ille sacerdos in summa sollicitudine fuit, ut declaretur, an ille sit irregularis? et S. C. dispensationem ad cautelam impertita est : *Senogallien.*, *Irr.*, 15 *febr.* 1772, *dub.* 1.

91. Quum sacerdos Bernardus Fernandez della Fuente in alterius presbyteri defunctum, uti idem affirmat, bis missæ celebrationem iterasset, S. C. invocavit, an in irregularitatem inciderit? et esse locum dispensationi ad cautelam arbitrio Ordinarii rescriptum fuit : *Toletana, Irr.*, 15 *febr.* 1772, *dub.* 1.

92. Dum clericus Joseph Morandi ætate 18 annorum parabat in sacrario ecclesiæ, cui inserviebat urceolos pro missis, fuit ab adolescentulo minoris ætatis verbis provocatus, et calce etiam, alapaque percusus ; et quum ipse clericus eumdem adolescentulum fugientem insequeretur, atque calcis ictu vellet percutere, statim conversus juvenis, evenit, quod calcis ictus per accidens illius anteriorem corporis partem percussit, et post sex menses adolescentulus mortem oppetiit. Planum non est, an clericus sit irregularis? et S. C. esse irregularem dubium explicavit : *Senen.*, *Disp.*, 30 *martii* 1776, *dub.* 1.

93. Joan. Baptistæ Mazzapioti canonicus collegiatæ Casciæ, et monialium dicti oppidi confessarius cuidam fabro murario mandavit, ut columbam ab eo interfectam e turris foramine educeret. Hic dum jussum exequebatur, cecidit, et post biduum decessit : Dubio itaque agitato de irregularitate, rescribitur pro dispensatione ad cautelam : *Spoletana*, 21 *junii* 1776, *dub.* 1.

94. Subdiaconus Vitus Scattaglia Vitum Angiulum conviciis in publica platea redarguens, et ad manus deveniens provocatus, ter ictum ei in humeros injecit. Percrebuit illico rumor Angiulum ex tot vulneribus cito moriturum. Evolavit ad Catharinam uxorem utero gravem fama percussi viri quæ post 12 dies fecit abortionem. Vir recognitus fuit, et compertum trinos ictus in irritum cessisse, vixque vestem penetrasse. Medici, et chirurgi abortum plurimis ex causis obvenire potuisse probant. Sciscitatur tamen subdiaconus, num ullam contraxerit irregularitatis notam? et nullam contraxisse S. C. existimavit : *Baren.*, *Irr.*, 17 *julii* 1779.

95. Questus est sacerdos Franciscus Apa, quod in curia archiepiscopali inquisitus ipse fuerit, quia ementitis dimissioralibus sui Ordinarii litteris, absque legitima constitutione patrimonii sacros ordines a Cajacensi Episcopo ante præscriptum tempus susceperit, et cuncta falsissima esse comprobans, petiit, ut ab irregularitate innoxius renuncietur ; sed S. C. irregularem denunciavit : *S. Severinæ*, *Irr.*, 24 *januar.* 1784, *dub.* 1.

96. In nono ætatis anno, constitutus Antonius Tranquillini parochiæ Murii, dum cum aliis pueris ad montem quemdam pervenerat, atque unus alterum lapidibus percutere ludendo inceperat, ut mos puerorum est, accidit, ut ex ictu lapidis post paucos dies puer sexennis virenti ætate obiret, atque idem Antonius ictus auctor assertus fuit, qui tamen annum ætatis 18 attingens clericali tonsura, quatuor primis ordinibus minoribus nulla obtenta apostolica dispensatione fuit insignitus. Sed postea exoravit,

ut declaretur an ipse sit irregularis? S. C. dispensavit ad cautelam : *Tridentina, Irr.*, 27 *martii* 1784, *dub.* 1

97. Ambiguum est, an inciderint in irregularitatem canonici extra capitulares nuncupati ecclesiæ collegiatæ S. Michaelis Archangeli Caprarolæ suspensi ab Episcopo, quia dimissionem tertiæ partis fructuum pro distributionibus assignandam impugnarunt. Quum hi juxta antiquas constitutiones capituli, et veterem consuetudinem immunes esse punctaturis autumarent. S. C. rescribens consulendum esse Sanctissimum pro dispensatione planum fecit : *Civitatis Castellanæ, Punct.*, 16 *maii* 1795, *dub.* 10.

Irregularitas quoad Dispensationem. Vide *Dispensatio*, § vii, viii et ix ; *Episcopus*, § viii.

Iteratio. Vide *Concursus*, § v ; *Examen*.

Jubilationis Indultum. Vide *Indultum jubilationis*.

Jubilatus. Vide *Beneficiatus*, etc., *Canonicus*, § v.

JUDEX.

1. Interrogata S. C. fuit an electio vicarii capitularis in favorem Hieronymi Mazlichii prioris cathedralis peracta valida fuerit ; et an sit locus petitæ deputationi alterius judicis ? S. C. valida judicata electione, injungendum capitulo censuit, ut deputet alium judicem juxta petita : *Assisien.*, *Elect. Vic. cap.*, 11 *martii* 1669, *dub.* 2.

2. Putabant canonici cathedralis medietatem fructuum, quæ amittebatur a canonicis sacerdotali ordine nondum insignitis adjudicandam ceteris tantum canonicis, neque participare de ea posse beneficiatos, et dubium in S. C. exposuerunt, cujus solutio ad judices suos [36] fuit remissa : *Reatina*, *Jur. Auct.*, 13 *sept.* 1675.

3. Cum in S. C. relatum esset de controversia, an constet de publica infamia sacerdotis Jacobi Philippi Bugatti, qui licet in concursu ecclesiæ parochialis oppidi Carentini magis dignus fuerit renunciatus, tamen sicut adhærens antecessori parœciæ privato, et consocius illius criminis, perditisque moribus inquinatus in infamiam erat adductus. S. C. primum censuit constare de infamia illius, dein quoad assertam infamiam, ut ad judices suos [37] adeat, rescripsit : *Mediolanen. seu Alexandrina*, *Conc.*, 13 *febr.* 1694.

4. Disceptatio dubii, an judex deputari solitus a nuntiatura pro causis civilibus subcollectorum debeat esse alicujus publicæ universitatis doctor, vel saltem sit ei dandus assessor ? Arbitrio et prudentiæ nuntii apostolici commendatur : *Bituntina*, *Dep. sub. Coll.*, 4 *maii* 1697, *dub.* 5.

5. Robertus Spinola clam cum Maria Theresia Gabi disparis conditionis matrimonium contraxit, deinde ad evadendam indignationem Joan. Baptistæ Lercarii ducis Januæ consanguinei clericalem habitum assumpsit, et Mariam Theresiam in monasterium Mantuæ ingredi curavit, ut post obitum Joannis denuo reciperet, ac palam faceret matrimonium. Ex hoc conjugio duo orti fuerunt filii, ideo dum de eorum legitimate sermo fuit, S. C. rescripsit ad judices suos [38] : *Januen.*, *Leg.*, 14 *aug.* 1700.

6. Compertum non est an ecclesia seu publicum oratorium nuncupatum Trium Magorum existens intra parochiæ S. Mariæ loci Rezzonici limites sit de jurepatronatus Joan. Antonii, Andreæ et aliorum de familia Tricana, remittitur ad judices suos [39] decisio : *Comen.*, *Jur. par.*, 21 *aug.* 1706, *dub.* 1.

7. Canonicus Joseph Accetta detrimentum habere exponit ex quadam specie contractus, qui dicitur vulgo a *Capo salvo*, et fit sub specie locationis cum sortis cautione, quia ille receperat a nonnullis locis piis ad triennium fructuum gregis ovium, aliarumque pecudum pro annua responsione gran. 15 pro quolibet capite earumdem pecudum, quod an-

[36] Qui ad tramites juris quæstionem solverent.

[37] Vide not. 16.

[38] Nullum examen assumere voluit S. C., quum hæc quæstio extranea a matrimonii validitate esset.

[39] Cum ecclesia, et beneficia præsumantur libera, alleganti juspatronatus, onus illud probandi incumbit ; ita rota *in Romana* decrevit *inter recent.* part. 4, tom. 2, decis. 59, num. 9, Concil. Trid. sess. 25, cap. 9, *de Reform.*, nihil innovavit quoad hujusmodi probationes, quæ a personis privatis requiruntur, sed eam reliquit in terminis juris communis, ad cujus tramites judices causam disceptare debent.

nuos carolenos decem efficit. Ideo discusso dubio super validitate dicti contractus, S. C. eodem tempore, quo non esse usurarium respondit; quoad læsionem prætensam ad judices suos rem detulit: *Montis Pelusii Præl. Null. Contr.*, 39 *april.* 1712. *dub.* 1.

8. Locus disserendi datus est de exemptione ab Episcopi jurisdictione, et judicis deputatione in causis capituli et cleri. Nam capitulum gravamina complura a nuperrimis Episcopi edictis desumit. Sed Episcopus suam responsionem ad singula gravaminum capita S. C. tradidit, ideo non constare de causis gravaminum, ita ut sit locus exemptioni, ac deputationi judicis in causis capituli et cleri decisum fuit: *Sulmonen.*, 2 *decem* 1719, *dub.* 2.

9. Joan. Andreas de rubeis prædium ecclesiæ se constructæ legavit usufructu reservato quatuor filiis masculis eorumque uxoribus; item scuta 40 ex domorum pensionibus retrahenda capellano cum onere quotidianæ Missæ tribuit. Filiis masculis fato functis, unica tantum uxore Francisci superstite, postulatum fuit an a die obitus Francisci factus sit locus traditioni prædii una cum fructibus in favorem ecclesiæ, ita ut onera capellano injuncta sint implenda sive supplendum sit tam ex reditibus prædii præfati, quam aliorum bonorum quæ in ejus testamento fuerunt assignata? S. C. rem ad judices suos commendavit: *Urbinaten.* 2 *octob.* 1723.

10. Dubium exhibitum, an jus præsentandi ad capellaniam seu abbatiam ab Hercule Murgia in ecclesia S. Mariæ de Platea Coriolani fundatam privative ad familiam Murgia seu cumulative etiam ad familiam Interzato et Mannarino spectet? S. C. ad judices suos [40] pro definitione remisit: *Rossanen.*, 13 *januar.* 1725, *dub.* 1.

11. Cum firmata fuisset validitas sponsalium, quæ iniit Salvator Calce cum Beatrice Fortunata, ac facta fuisset facultas mulieri resilire a dictis sponsalibus, quæsitum est, an sponsus Salvator restituere teneatur duc. 700, in dotis computum recepta? definitionem suis judicibus [41] commisit: *Salernitana, Spon.*, 13 *julii* 1725, *dub.* 3.

12. Pluries in S. C. agitata fuit quæstio quoad canonicum ecclesiæ collegiatæ S. Mariæ oppidi Novarum, an carente ecclesia ædibus parochialibus in domo intra fines alterius parœciæ idem habitans in ultima infirmitate sacramenta ab ecclesia collegiata, vel a parochia domicilii debeat recipere? tandem decisione protelata, subdelegatur judex in partibus pro recognitione scripturarum, et interim servetur solitum: *Derthonen.*, *Jur. par.*, 15 *dec.* 1725, *dub.* 2.

13. De pia dispositione Joannæ Lucillæ de Blondis, quæ hæredes scripsit moniales SS. Bernardini, et Marthæ urbis Bononiæ cum onere dotium distributionis, plures super legati executione factæ fuerunt quæstiones quæ versabantur de prælatione puellarum ac de litium expensis. S. C. ad singula dixit ad judices suos [42]: *Bononien.*, *Supp. dot.*, 8 *junii* 1726, *dub.* 2, *usque ad* 13.

14. Non admissa suspensione electionis duorum capellanorum cœtus presbyterorum fundati a Cæsare Armanni in parochiali oppidi Meldulæ, ut reditus ad restaurandum, atque ampliandum sacrarium, comparandamque sacram suppellectilem impendantur, præcipitur judicibus suis redditio rationis referenda de administratione ab œconomo gesta, et ut Ordinarius certiorem S. C. reddat: *Nullius, Foro-Pompilii capellan.*, 18 *april.* 1733, *dub.* 1.

15. Petrus senior di Rapaciolis duas capellanias dote constituta in scut. 75, fundavit. Eadem dote imminuta implorata reductio Missarum fuit, sed S. C. denegando reductionem hæredes teneri ad supplementum declaravit. Modo planum non est, an competat actio adversus bona hæreditaria prædicti Petri a tertiis possessoribus retenta? rescriptum prodiit ad judices suos [43]: *Narnien.*, 1 *junii* 1737, *dub.* 2.

16. Denegata dissolutione matrimonii initi inter viduas personas Adam Szamockium, et Barbaram Szymanouskia, quam Barbara poposcerat, ex quo Adæ virilis hasta deficiebat, et S. C. thori separationem concessit, tamen firma remanente obligatione cohabitandi et quoad exequutionem mandat, ut ad judices suos adeat [44]: *Placen.*, *Separat. thori.*, 12 *febr.* 1746.

[40] Nam examen prædicti dubii confectionem processus et qualitatis jurispatronatus investigationem postulat, an subinde immutaverit naturam, et gentilitium evaserit? ac hujusmodi discussio a S. C. Concilii fieri non potest juxta decretum Innocentii XII, incipien. *Ut debitus*, 9 aug. 1693, relatum a Guerra *in Epitome Bull. Rom.* tom. 1, pag. 398: quo ille confirmata Const. *Immensa æterni*, 22 januar. 1587 (*Bull. Rom.* tom. 4, part. 4, pag. 392), emanatam a Sixto V, super institutione quindecim congregationum S. R. E. Cardinalium, ubi non debere admittere lites contentiosas, quæ sunt eæ, quæ requirunt probationes, acta, examina testium, scripturas etc., decernit; posse tamen ab his Congregationibus cognosci has causas, si pars utraque consentiat. vel si Pontifex aliquas audiendas iis demandet; causas vero criminales regularium deferendas esse ad judices ordinarios voluit. Et ita dicendum est de aliis hujusmodi causis ad judices suos commissis.

[41] Quum quæstio esset difficilis indaginis, ideo S. C. censuit examinandam pro ut de jure.

[42] Nam de prædicta dispositione testamentaria pluries lites moniales contra judices ordinarios expertæ jam antea fuerant.

[43] Vide not. 82, verb. *Actio judicialis*.

[44] Ad quos remittendæ sunt omnes causæ, et controversiæ, quæ in S. C. Concilii fuerunt definitæ pro illarum

17. Joannes Franciscus Marx primarias preces obtinuit ab imperatore Francisco I, ad assequendum unum ex duobus beneficiis erectis in ecclesia monialium veteris Cellæ primo vacaturum. Archiepiscopus Moguntinus illas exequendas minime duxit. Prædictorum enim beneficiorum collatio ad abbatissam pertinebat, ac indultum Apostolicum in favorem imperatoris locus haberet tantum quoad collatores saltem aliorum beneficiorum, minime vero quoad duorum abbatissæ, et S. C. interrogata, utrum essent illæ exequendæ preces; seu ad abbatissam collatio libera pertineat? solutionem ad judices suos [45] S. C. remisit: *Moguntina, Primarum precum*, 14 *decem.* 1748.

18. Consultum est an sint restituendi, ac assignandi fructus parochiales Thomæ Moscoso in carcerem ab Episcopo detento?

19. Et an sint eidem parocho nonnullis criminibus accusato restituenda omnia mobilia supellectilia, ac fructus ab eodem Episcopo nulliter distracta. S. C. ad judicem delegatum omnia remisit: *Nindonien., Par.*, 13 *aug.* 1749, *dub.* 1 et 2, confirmata; et additum, ut judex delegatus procedat cum omnibus facultatibus necessariis, et opportunis: 13 *sept. ejusd. anni.*

20. Dum exposita fuerunt dubia in S. C. occasione, qua Dominicus Andreas Cameti parochus ecclesiæ S. Stephani Villæ Pontis Sigestri sibi coadjutorem cum futura successione Andream Luceti elegit: an et quomodo sit providendum in re administrationis etiam in temporalibus, ne bona ecclesiæ ulterioribus detrimentis subjiciantur?

21. An, et quomodo sit providendum coadjuto, ne litigare continuo cogatur alimenta sua in summa 36 ducatorum auri de Camera sibi in Bulla reservata addita obligatione camerali, ac fidejussione ad ejus placitum pro eisdem alimentis in tuto ponere? rescriptum est, ut partes utantur jure suo coram suis judicibus: *Brugnaten., Coadj.*, 17 *januar.* 1756, *dub.* 4 et 5.

22. Occasione controversiæ a Marianna Malekouski, et Theophilo Rozdrazenki factæ in S. C. super nullitate matrimonii inter illos contracti, fuit ab illis etiam quæstio excitata super quantitate alimentorum, sed quum partes decreto secretarii S. C. non acquievissent, ead. S. C. ut partes utantur jure suo coram judicibus competentibus sancivit: *Posnanien., Matrim.*, 23 *aug.* 1760.

23. Coram suis judicibus partes uti suo jure S. C. declaravit quando actum est de causa redintegrationis in favorem cujusdam capellaniæ, cujus onerum minus recte reductio obtenta fuit, et ab administratoribus non rite bona nonnulla vendita fuerunt: ac simul actum fuit de causa fructuum restitutionis, ac damnorum refectionis: *Faventina, Reduct., Miss., seu Redintegr.*, 27 *aug.* 1763, *dub.* 2.

24. Maximum dissidium factum fuit inter Card. Episcopum, capitulum, et parochum collegiatæ et parochialis SS. Faustini, et Jovitæ, civitatis Viterbii ex una, et incolas ejusdem parœciæ ex altera partibus super jure, et modo eligendi Sanctenses curam animarum habentes; et resolutum fuit a S. C. incolis parœciæ una cum parocho electionem officialium vulgo Sanctensium competere; et parochum unam tantum vocem habere, cæteras parœciæ incolas, et in casu discordiæ ad judices suos prout de jure adire debent: *Viterbien., Juris., elig.*, 30 *maii* 1767, *dub.* 2.

25. Nicolaus Castracane sub jurata promissione futuri matrimonii Vincentiam Fabrini famulam suam compressit, indeque utero gestans una cum Nicolao coram vicario generali matrimonium clandestine contraxit præsentibus testibus. Filium peperit Vincentia, cui Philippi nomen impositum est. Declarata matrimonii validitate, quærebatur; num Philippus censeri debere filius legitimus, et naturalis Nicolai? et respondit S. C. ut partes utantur jure suo coram judice competenti: *Gallien., Matr.* 7 *sept.* 1776, *dub.* 2.

26. Contractum Matrimonium a puella angela Ferrarini an. 18 vi, metuque, ut ipsa testatur, cum Hyacintho Londinelli, inde fuit consummatum. Episcopus non servata constitutione Benedictina validum per sententiam declaravit. Hinc puella appellavit S. C., et exoravit pro subrogatione alterius judicis in locum Episcopi in suspicionem allegati, et S. C. committi præcepit Episcopo Brugnatensi confectionem processus ad formam Const. Bened. XIV *Dei Miseratione* [46] cum facultatibus etiam subdelegandi: *Lunen., Sarzanen., Matr.*, 17 *sept.* 1796.

JUDEX APPELLATIONIS. Vide *Appellatio*, § III; *Concursus*, § V.

JUDEX CONSERVATOR PRIVILEGIORUM. Vide *Moniales*, § I; *Regulares*, § II; *Religio militaris ordinis Hierosolymitani*, § V.

JUDEX SYNODALIS. Vide *Causa judicialis.*

JUDICIALES EXPENSÆ. Vide *Expensæ*, § II; *Matrimonium*, § I.

JUDICIALIS ACTIO. Vide *Actio judicialis.*

JUDICIALIS CAUSA. Vide *Causa judicialis.*

executione S. ead. C. minime exequendi declarationes habet facultatem. Vide introductionem.

[45] Vide not. 40, tom. 1, verb. *Abbatissa*, § II.

[46] 3 Novem. 1741, in qua præter dispositiones emanatas in litteris encyclicis incipien. *Quamvis paternæ*, 26 aug. ejusd. anni providet egregie Summus Pontifex causis matrimonialibus.

JUDICIUM EPISCOPI. Vide *Concursus*, § V.

JURA. Vide *Administrator*, § III ; *Archipresbyter*, § IX; *Beneficiati*, § II , *Canonici*, § II; *Capellanus curatus*, § I ; *Capellanus sodalitii*, § I ; *Capellanus, seu Vicarius exercitus*, *Clerus*, § II ; *Confessarius*, § III ; *Dignitates ecclesiasticæ*, § III ; *Hæres*, § I ; *Hospitale*, § IV ; *Mansionarius*, § II ; *Œconomus curatus*, § III ; *Præpositus*, § III ; *Presbyteri*, § IV ; *Prior*, § III ; *Regulares*, § III; *Sodalitium*, § VII ; *Vicarius curatus*, § III.

JURA PAROCHIALIA. Vide *Archipresbyter*, § IX ; *Capellanus curatus*, § I; *Parochus*, § IV.

JURAMENTI ABSOLUTIO. Vide *Absolutio*, § VI.

JURAMENTUM [47].

Vacante Sede archiepiscopali metropolitanæ ecclesiæ capitulum antequam deveniret ad electionem occurrere volens pluribus defectibus capitulationes quasdam concorditer stabilivit, quas omnes obser-

[47] Juvat hic referre nonnulla responsa data die 1 april. 1794, a Pio VI. Pont. Max. de consilio selectæ cardinalium Congregationis diversis quæstionibus eidem Pontifici propositis, *ut in ecclesiarum statu quoquomodo interim componendo, servetur ab omnibus una et fida consensio* (*S. Cyprianus* epist. 52, edit. Balutii), super juramento civico regni Galliarum.

[1] Num fidelibus liceat diebus ferialibus sacrificio Eucharistico assistere celebrato a parocho, aut simplici presbytero, qui civicum juramentum emiserint ?

[2] Num fidelibus liceat dominicis, aliisque festis de præcepto diebus Eucharistico sacrificio assistere a præmemoratis sacerdotibus celebrato?

[3] Num fidelibus liceat assistere vesperis quæ celebrantur, aliisque publicis precibus, quæ recitantur sub directione parochi, aut presbyteri jurati ? His tribus quæstionibus responsum est, ut sequitur : Non licere fidelibus, sive diebus ferialibus, sive dominicis, aliisque festis de præcepto diebus Missæ assistere celebratæ a parocho, vel simplici presbytero, qui civicum juramentum emiserint ; neque eisdem fidelibus licere vesperis, publicisque precibus assistere, quibus parochus, vel simplex presbyter juratus præest. Cum enim vetita expresse fuerit ab eodem Pontifice per litteras Apostolicas in forma brevis diei 19 martii superioris anni quævis communicatio *præsertim in divinis cum Intrusis, et Refractariis quocumque nomine appellentur*, evidens profecto est vetitam eo ipso fuisse communicationem in divinis cum parochis, simplicibusque presbyteris juratis, quos Refractariorum nomine venire nemo prudens ambiget. Jam vero si fideles assisterent Missæ sacrificio celebrato a presbyteris juratis, sive ferialibus diebus, sive diebus festis de præcepto, aut si assisterent Vesperis, aliisque publicis precibus, quæ recitantur sub directione parochi, aut presbyteri jurati, cum ipsis profecto in divinis communicarent. Ex quo illud consequitur abstinere fideles debere ab assistendo tum diebus ferialibus, tum diebus festis de præcepto, Missæ sacrificio celebrato a parochis, et simplicibus presbyteris juratis, atque ab assistendo vesperis, ac aliis publicis precibus, quæ recitantur sub assistentia parochi, aut simplicis presbyteri juramento civico obstricti.

[4] Num absolutionem, et communionem quovis anni tempore, præsertim vero tempore Paschali a parocho jurato petere fidelibus liceat?

Resp. Eadem prorsus ratione ac ad præcedentes.

[5] Num parochum juramentum fideles adire licite possint pro sacramentis Baptismatis et Matrimonii ?

Resp. Non licere excepto tamen (ubi res sit de baptismo) casu extremæ necessitatis, in quo non adesset alius valens baptizare.

[6] Num catholicis licitum sit patrini munere fungi in baptismate administrato a parocho, sive presbytero jurato?

Resp. Non licere fidelibus patrini munere fungi in baptismate administrato a parocho, sive presbytero jurato, ne cum ipso in divinis communicent.

[7] Num fidelibus liceat patrini munere fungi in baptismate collato a parocho intruso ?

Resp. Num licere fidelibus munere patrini fungi in baptismate a parocho intruso administrato : cum enim parochus intrusus schismaticus profecto sit, ejusque schisma evidentissime constet, ex eo fit, ut actio catholici infantem de sacro fonte levantis in baptismate a parocho intruso administrato, quacumque ex parte spectetur, vitiosa, mala, et prohibita deprehendatur. Nam catholicus hac sua actione cooperatur in schismate, immo schismatis crimen ipso suo facto approbat, intrusumque pro legitimo parocho agnoscit, et colit : ut fusius declaratur in instructione Sanctitatis Suæ jussu exarata die 26 sept. anni 1791 super baptismo, matrimonio, et sepulturis.

[8] Num mulieribus post puerperium fas sit præsentes se sistere parocho, aut presbytero jurato, ut benedictionem ab ipso accipiant, quæ in Rituali Romano præscripta legitur : Pro benedictione mulieris post partum, itemque Missæ assistere a parocho, aut presbytero jurato celebratæ ?

Resp. Non licere mulieribus puerperio expleto præfatam accipere benedictionem a parocho, seu presbytero jurato, quoniam id esset cum ipso in divinis communicare : eo vel magis quod nullo adstringuntur præcepto mulieres, accipere post partum benedictionem, sed præstare id solent solumodo *ex pia, ac laudabili consuetudine*, ut legitur in Rituali Romano : neque ferendum esse mulieres ea occasione assistere Missæ celebratæ a parocho, vel presbytero jurato, ob rationem sæpe sæpius indicatam.

[9] Num licite fideles in articulo, vel periculo mortis possint absolutionem recipere a sacerdote jurato, et parocho intruso ?

Resp. Non esse improbandam rationem, quam inierunt nonnulli Gallicani Præsules, qui in articulo, vel periculo mortis, Pœnitentiæ sacramentum, quod est secunda post naufragium tabula, a sacerdotibus juratis, ac etiam a parochis intrusis recipi posse permiserunt, deficiente quovis alio catholico sacerdote.

[10] Num licitum sit sacerdotibus non jejunis hostias

vare, et exequi jurarunt. At quum ob promulgatam per Innoc. XII, specialem Constitutionem abrogantem omni a statuta, et capitulationes a sancta Sede apostolica non approbatas prætendere cœperit ipsum amplius non teneri ad illarum observationem, ideoque prævio recursu S. C. decrevit juramentum validum non esse : *Salisburgen., cap.*, 5 *martii* 1701, confirmata 9 *julii ejusd. anni*. Deinde causa iterum producta in decisis respondit : 11 *martii* 1702.

Jurisdictio. Vide *Abbas*, § iv ; *Archidiaconus*, § ii ; *Archiepiscopus seu Metropolitanus*, § i ; *Archipresbyter*, § iii ; *Capitulum ecclesiasticum*, § iii; *Episcopus*, §§ vii, viii et ix ; *Parochus*, § iv.

Jus Alimentorum. Vide *Alimenta, Matrimonia*, § i.

Jus conferendi Beneficium. Vide *Episcopus*, § x.

Jus convocandi Synodum. Vide *Archimandrita*.

Jus eligendi. Vide *Subsidium dotale*, § ix.

Jus ferendi Censuras. Vide *Episcopus*, § xi.

Jus ferendi Suffragium. Vide *Regulares*, § iv ; *Sodalitium*, § ii.

Jus nominandi. Vide *Patronus*, § i ; *Subsidium dotale*, § ix.

Jus quæstuandi. Vide *Eleemosynæ*.

Jus sepeliendi. Vide *Cadaver*, § iv.

Jus visitandi. Vide *Archiepiscopus, seu Metropolitanus*, § i ; *Episcopus*, §§ xxv *usq. ad* xxx ; *Hospitale*, § ii ; *Seminarium*, § vii ; *Vicarius capitularis*, § iii.

JUSPATRONATUS.

§ I.

Juspatronatus quoad amissionem, privationem, et caducitatem.

1. Simplici beneficio de jure patronatus familiæ de Claruccis vacato, Petrus Paulus Claruccius patronus nominavit clericum Philippum Antonium Bonifacium ; istius tamen admissionem contendit, seu impugnavit promotor fiscalis ; quod prædictus Petrus ob homicidium commmissum in rectorem ecclesiæ ceciderit ab omni jurepatronatus ; ideo S. C. quæsita, an Petrus Paulus habeat jus nominandi? rescripsit, ut exhibeatur instrumentum fundationis : *Nullius, seu Foro-Pompilii Ben.*, 14 *maii* 1729.

2. Consiliarios, aliosque officiales, et ministros communitatis oppidi S. Genesii, qui habent juspatronatus, et administrant bona capellæ B. M. V. Gratiarum in collegiata S. Mariæ dicti oppidi per alienationem bona fide factam non cecidisse a jurepatronatus dictæ capellæ, S. C. decrevit : *Camerinen.*, 11 *julii* 1767, *dub.* 3.

§ II.

Juspatronatus quoad fundationem, reservationem, et concessionem.

1. Quum dubitaretur, an exequutio gratiæ super erectione jurispatronatus ecclesiæ S. Mariæ de Pinna in favorem Didaci de Avalos terræ Vasti marchionis cum omnibus subsequutis valida sit, ex quo præpositus parochialis S. Petri dictæ terræ, intra cujus limites adest ecclesia, contendit gratiam fuisse nullam, ac exequutionem, tum propter omissam sui vocationem, tum quia exequutor excessit facultates tributas admittendo incrementum dotis in stabilibus non tutis, et securis? S. C. rescripsit, dilata, et citentur interesse habentes etiam per edictum : *Theatina*, 15 *novem.* 1704, *dub.* 1.

2. Instante Peregrino Pallotta viro, et hærede

consummare a sacerdotibus catholicis consecratas, ne in manus deveniant Intrusorum ?

Resp. Licere sacerdotibus non jejunis hostias consummare a catholicis sacerdotibus consecratas, ne in manus Intrusorum veniant, quoties alius sacerdos jejunus non adsit, nec alia ratione consuli possit reverentiæ iisdem hostiis debitæ.

[11] Num Fidelibus liceat genua flectere coram hostiis consecratis ab Intrusis ?

Resp. Fideles genua flectere debere coram hostiis consecratis ab Intrusis, cum in iis contineatur vere realiter, et substantialiter Corpus, et Sanguis, una cum Anima, et Divinitate Domini Nostri Jesu Christi. Ne vero in ejusmodi cultu præstando immiscere se videantur catholici cum schismaticis, curabunt iidem catholici occasiones declinare occursus schismaticorum, cum Sacramentum deferunt.

[12] Quibus pœnis subjiciendi sint sive ecclesiastici, sive laici, qui præstiterunt juramentum de libertate, et æqualitate servanda ?

Resp. Non esse locum pro nunc pœnis canonicis, nondum edito per Pontificem Domini Nostri judicio super præfato juramento, sed monendos esse et laicos, et ecclesiasticos, qui idem juramentum præstiterunt, ut consulant conscientiæ suæ, cum in dubio jurare non liceat.

Cæciliæ Angelæ de Vaglientibus in collegiata terræ Luniani, qui canonicatum erigendum demandavit arbitrio hæredis sui dote relicta in scut. 1500, S. C. resolvit licere ei in fundatione hujus canonicatus reservare juspatronatus pro se, hæredibus suis, ac etiam extraneis per eum nominandis cum conditionibus sacris canonibus, et Concilio Tridentino [48] non contrariis: *Amerina, Erect. canon.*, 6 *junii* 1705, *dub.* 1.

3. Universitas loci Atrani supplicavit, ut parochialis, et receptitia ecclesiæ S. Mariæ Magdalenæ erigeretur in collegiatam. Quatuor ex duodecim canonicatibus jurispatronatus nomine, et titulo fundationis præfatæ fuit Universitati reservatum, postquam annuos ducatos 405 ea assignaverat. Universitas vero tantum ducat. 100 donavit, reditusque ecclesiæ parochialis pro nova erectione computavit. Quum ad unum vacantem canonicatum quemdam nominaverit Universitas, statim nominationi contradixerunt, eo quod collegiatæ erectio, et jurispatronatus reservatio ob integram non solutam dotem nulla reputabatur; devenit lis ad judicium S. C., quæ resolvit de jurepatronatus Universitatis omnimode constare; ita ut ab illa nominato esset supplicatio relaxanda: *Amalphitana, Can.*, 10 *april.* 1717.

4. Obtenta a Card. Gozzadino dismembratione paroeciæ, ac nova erectione, sacerdos Franciscus Belletti proprio ære ecclesiam a fundamentis, et domum pro novo parocho construxit, paratusque esset ad congruam in favorem novi parochi assignandam una cum annua suppeditatione corbarum septem frumenti in favorem parochi S. Bernardini ad damni reparationem perpensa dismembratione prædicta. Inde incertum fuit, an et in cujus favorem juspatronatus sit, reservandum? S. C. rescripsit, juspatronatus pertinere ad sacerdotem Belletti solutis corbis septem frumenti annuis a novo parocho ecclesiæ matrici, et reservato competenti honore ab ecclesia filiali exhibendo erga matricem arbitrio Card. Episcopi: *Imolen., Dism.*, 21 *junii* 1721, *dub.* 2.

5. Antiqua intra limites parochialis terræ Zebuggi ruralis adest ecclesia, et cujusnam fuerit impensis reædificata, non liquet. Hujus cura tamen, et administratio fuit semper penes clericum Bartholomæum Magro, qui etiam eidem ecclesiæ locum domorum pro usu, et commodo sacrarii, necnon bona stabilia, ac censum annui reditus 50 scutorum Missarum onere donavit. Mortuo donante in curam successit ejus frater, qui offerens augere dotem in annuis scut. 17, supplicat pro erectione ecclesiæ in beneficium simplex cum reservatione jurispatronatus laicalis sui, ac in successorum favorem. S. C. super hoc consulta respondit, firmo remanente dominio, et jure parochi super ecclesia, et firmis remanentibus legibus conditionibus in donationibus quondam Bartholomæi præscriptis in favorem parochi, consulendum Sanctissimum pro concessione jurispatronatus juxta modum: *Milevitana, Jurisp.*, 2 *decem.* 1730.

6. Concessa dismembratione villæ de Jorcas ab ecclesia cathedrali fuit reservatum a S. C. juxta modum juspatronatus in favorem Joan. Baptistæ Castelvi ejusdem villæ domini, et ejus successorum, eo quod se obligavit ad præstanda cuncta ornamenta dictæ ecclesiæ necessaria, erectionem fontis baptismalis, et custodiam pro sanctissimo Sacramento, ac denique lampadis manutentionem: *Segobricen*, *Dism.*, 30 *januar.* 1740, *dub.* 2.

7. Capellaniam a Barbara Alfonsi Ægidii Fanelli uxore relictam erigendam esse cum reservatione jurispatronatus omnibus descendentibus masculis de Benedictis facta ad formam testamenti non fundatricis, quæ nihil præcise de capellania loquuta est, sed Gabriellæ unius ex substitutis filiabus, quæ de numero Missarum de jurepatronatus, deque erectione providit, S. C. constituit: *Montis Falisci, Erect. cap.*, 23 *aug.* 1760.

8. Quum vigore codicilli suam voluntatem ostendisset Joan. Baptista Mordinius plebanæ ecclesiæ Castri Illicis archipresbyter, relicta suorum bonorum usufructuaria quadam sua famula; exequutores tamen testamentarii inter quos testatoris frater tumultuarie ex condicto cum famula inventarium confecerunt, et juspatronatum stipulato instrumento erexerunt, reservatum Hieronymo Mastinio, ejusque filiis, et descendentibus, deinde Josepho Mondonio, et tertio in favorem ipsius notarii stipulantis. Sed postmodum contra voluntatem fratris gesti pœnitens factus Mordinius postulavit: an valida sit erectio jurispatronatus confecta virtute dicti instrumenti? non esse validam S. C. sanxit, et addidit ad mentem [49] *Feretrana*, 18 *sept.* 1779, *dub.* 2.

9. Parochialis ecclesiæ S. Felicitatis villæ Casachiæ laicalis juspatronatus, ob auctos in præteritum tenues ejus reditus, novas oblatas largitiones, et futurarum spem, conceditur comitissæ Antoniæ Riccheri Montanari prout erat in votis Episcopi: *Parmen.*, *Jurisp.*, 6 *aug.* 1791.

10. Juspatronatus capellaniæ erectæ in ecclesia S. Sebastiani oppidi Lupiani conceditur marchioni Borbon del Monte ob desponsam illius ecclesiæ

[48] Vide not. 547, verb. *Clausulæ in specie.*

[49] Vide not. 93, verb. *Dispositio testamentaria.*

reparationem ; sub lege tamen præsentandi tres sacerdotes Episcopo, ad quem pertinebat deputatio capellani. Nam dictus marchio dominus est oppidi, et jus conferendi capellaniam, nisi in favorem sacerdotis patronis feudi accepti, et benevisi exerceri non expediebat : *Civitatis Castelli, Cap.*, 16 *aug.* 1794.

§ III.

Juspatronatus quoad probationem, et vocationem.

1. Ecclesia sub titulo Assumptionis B. M. V. loci Puglianelli olim parochialis, cujus bona ob ejusdem depopulationem Episcopus univit alteri ecclesiæ, non est de jurepatronatus Boronis ejusdem loci. Nam in litteris collationis anni 1627 et 1645 nulla fit mentio jurispatronatus : *Thelesina, Union.*, 7 *julii* 1703, *dub.* 1, confirmata 9 *aug.* 1704.

2. Propositum dubium : an ecclesia seu publicum oratorium nuncupatum Trium Magorum existens intra limites parochiæ S. Mariæ Loci Rezzonici sit de jurepatronatus Joanni Antonii, Andreæ, et aliorum de familia Trincana? S. C. judicibus suis commendavit : *Comen., Jur. par.*, 21 *aug.* 1706, *dub.* 1.

3. Franciscus Maria Ludovicus de Ruvere, quum supplicasset pro confirmatione patronatus parochialis ecclesiæ monasterii Aquensis allata, bulla Alexandri VI. Pont. Max. in qua præcedentes concessiones Sixti IV, et Innocentii VIII in favorem Joannis de Ruvere, et ejus successorum Apostolica auctoritate fuerunt iterum roboratæ, deficientibus præcedentibus præsentationibus ex injuria temporum, atque bellorum deperditis, et absumptis, dictam confirmationem S. C. denegavit ; etsi annui tenues scut. 14 reditus parochialis Franciscus augere ad scut. 30 paratus esset : *Aquen.*, 8 *julii* 1719.

4. Universitas civitatis Majoris præpositurum collegiatæ dictæ urbis in annuis ducatis 60 auxit cum reservatione jurispatronatus ; ita tamen ut alternius vicibus ad præpositurum præsentasset capitulum, et Universitas, accessitque capituli consensus ; exinde vero contradicente capitulo S. C. rescripsit constare de jurepatronatus in favorem Universitatis ; dummodo intra terminum trium mensium persolvantur ab Universitate annualitates huc usque elapsæ, et dummodo intra eumdem terminum fiat redintegratio in forma valida assignationis usque ab initio factæ, elapsoque termino, et non adimpletis dictis conditionibus cesset juspatronatus : *Amalphitana, Præpos.*, 24 *febr.* 1720.

5. De controversia exorta inter communitatem oppidi S. Clementis, quæ prætendit se habere juspatronatus ecclesiæ S. Agathæ in dicto oppidi existentis, et parochum S. Clementis, intra cujus parœciæ fines dicta ecclesia posita est, quem controversia dirimi potuisset si ecclesia parochialis S. Clementis transferretur ad ecclesiam S. Agatæ, ut visitatores censuerint, et Card. Ordinarius approbaverit ; perpensa fuerunt nonnulla dubia ; sed S. C. nulla capta definitione, censuit scribendum Card. Ordinario juxta instructionem [50] : *Ariminen., Jur. paroch.*, 18 *april.* 1722, *dub.* 1, *usque ad* 9. Denuo producta causa quoad translationem prædictam, ea remittitur ad Card. Ordinarium juxta mentem : 6 *julii* 1726, *dub.* 1.

6. Erecto beneficio simplici a sacerdote Francisco Biffi in parochiali S. Stephani oppidi Casalis Majoris, de jurepatronatus suæ familiæ, qua deficiente in favorem beneficiatorum dictæ ecclesiæ, et inde voluit expresse fundator, ut — *portando in caso, che sia erecta la collegiata di S. Stephano, voglio che il juspatronato s' aspetti subito ai canonici.* — Erectio collegiatæ licet adhuc actu, et cum effectu sequuta prævia signaturæ, ac litterarum Apostolicarum expeditione non fuerit ; tamen S. C. illud beneficium posse erigi in canonicatum simplicem mandaverat ; et modo juspatronatus continuare debere in ipsa familia de Biffis decernit : *Cremonen., Erect. præb. theol.*, 2 *julii* 1729, *dub.* 3.

7. Ecclesia S. Sebastiani extra muros terræ Rendarum posita constructa ex eleemosynis, et oblationibus populi fuisse creditur. Juspatronatus ejusdem vindicare communitas dictæ terræ sibi arrogabat. Liberam esse ecclesiam societas S. Mariæ Constantinopolis inibi admissa asserebat ; tum quia acquiri non potest ex donatione Clausorii valoris ducat. 34 ; tum quia concessum communitati fuerat juspatronatus ab Ordinario sub conditione, si ecclesia alios reditus tunc non haberet, quando de facto possidebat bona a Dianora de Stephano donata ; ob id S. C. haud constare de jurepatronatus in favorem communitatis putavit : *Consentina, Cap.*, 3 *decem.* 1729, *dub.* 1.

8. Quum Joannes Antonius de Alma in testamento vocasset in jure successionis patronatus capellaniæ ab eo fundatæ in perpetuum, et indiscri-

[50] Et instructio redacta fuit ad capita sequentia : 1° fuit, ut doceretur, an communitas haberet juspatronatus in ecclesia S. Agathæ ; 2 quomodo indemnitati communitatis consuli posset, in hypothesi, in qua constaret de ejus patronatu ; 3 an supposita translatione remanere possit in ecclesia S. Agathæ confraternitas, quæ nunc in ea existit ; 4 an ecclesia parochialis S. Clementis in hypothesi translationis destrui, et profanari debeat, vel potius remanere in statu ecclesiæ. » *Ead. causa*, 14 april. 1725.

minatim omnes masculos descendentes a Balthasare, Melchiore, et Gaspare de Alma, non sollicitus de medio sive masculino, sive fœminino, et in casu deficientiæ lineæ masculinæ substituisset mensam archiepiscopalem; Dominicus Mezzopreti agnatus dictæ familiæ, sed ex sorore ortus quæsivit a S. C.; an is comprehensus sit inter vocatos ad capellaniam? responsum est dilata, et ad Card. præfectum pro concordia : *Firmana, Cap.*, 1 *sept.* 1731. Concordia haud fuit inita; hinc S. C. negativam præbuit responsionem : 12 *januar.* 1732, demum recessit a decisis, et jussit concordiam juxta modum declarandum a Card. præfecto fiat : 27 *sept. ejusd. anni.*

9. Hæredes Pomponii Jordani contendunt sibi vindicare juspatronatus capellæ S. Mariæ de Monte Carmelo existentis in ecclesia S. Mariæ de Misericordia patrum Minorum S. Francisci de Observantia civitatis Marathæ una cum gentilitio sepulcro ibidem constructo, ubi tumulari sit licitum sibi suorum consanguineorum cadavera. Idem enim Pomponius reliquit manutenendi obligationem hæredibus propriis sumptibus dictum altare, et festum ipsius jurispatronatus solemni pompa celebrandi, quod hæredes impugnant. Ideo S. C. decrevit constare de jurepatronatus dictæ capellæ in favorem hæredum Pomponii quoad jus honorificum : *Cassanen.*, 28 *april* 1736, *dub.* 3, confirmata 1 *sept. ejusd. anni.*

10. Erecta a Paulo IV cathedrali, eaque cum juribus omnibus adsignata Episcopo, capitulo, canonicis; et personis ipsius ecclesiæ, iternmque a fundamentis extructa est non solum ex publica pecunia civitatis, sed etiam ære Episcopi, collegiorum, et privatorum civium. Communitas juspatronatus ecclesiæ habere intendit; at S. C. dicto juri animo præsumpto non adhæsit : *Savonen.*, 29 *febr.* 1744, *dub.* 1.

11. Juspatronatus passivum beneficii sub titulo S. Mariæ erecti in parochiali Caggiani coarctandum est ad unum ex clericis de familia, quæ patronatum activum possidet : his tamen deficientibus, patroni regimen; et curam beneficii cum facultate deputandi capellanum amovibilem habere non debent; quemadmodum ipsi obsecrarunt, ea ratione ducti, quod beneficiati extranei bona beneficii dissipaverant, et quod ipsi dotem ejusdem auxerant : *Sutrianen., seu Campanien., Jurisp.*, 23 *nov.* 1748, confirmata 1 *martii* 1749.

12. Juspatronatus passivum ad capellaniam mere laicalem, ad quam testator comes Raynerius Montemarte filios Blasi Leonardi, eorumque filios, et descendentes in infinitum vocavit, deberi filiis Magdalenæ Leonardi, licet per medium fœminæ, descendentibus a Blasio; et licet unus ex iis bimus, et alter minoris etiam ætatis esset ad exclusionem aliorum substitutorum a testatore in defectu dictæ familiæ Leonardi vocatorum, stabilitum est : *Civitatis Castelli, Capel.*, 29 *aug.* 1661, *dub.* 2, confirmata 16 *jan.* 1762, *et* 1 *martii* 1766, *dub.* 1.

13. Juspatronatus ecclesiæ S. Mariæ *dell' Incoronata* possidere civitas Anconæ putabat. Proferebat documentum veteris historici, ex quo constabat illam anno 1470. Hospitale construxisse prope ecclesiam S. Thomæ, ibique ex piis fidelium eleemosynis oratorium erexisse in honorem B. M. V. Incoronatæ, ac concessionem reservationis patronatus dicti hospitalis, et oratorii a Sixto IV tributam; denique marmoream inscriptionem super januam ecclesiæ appositam, in qua civitatis Anconæ sumptibus templum fuisse ornatum legebatur. Sed S. C. dictæ civitati juspatronatus minime vindicavit. Constabat enim vigore instrumenti concessionis situs factæ sodalitio Sanctissimi Rosarii anno 1578, eo patrum S. Dominici conventum potiri : *Anconitana, Benep.*, 27 *martii* 1762, *dub.* 2.

14. Quum Patres S. Augustini contra familiam Angelini impugnarent juspatronatum capellæ S. Nicolai Tolentini in eorum ecclesia castri S. Angeli erectæ, et e contra familia prædicta sibi vindicaret ex enunciativa patronatus deprompta ex instrumento donationis stipulato cum patribus dicti castri anno 1705, et ex testimonio vicarii Apostolici testantis de constructione, et dotatione præfatæ capellæ sumptibus Frederici Angelini, confectæ aucta a Josepho Angelini, qua de causa eadem familia pluribus prærogativis gaudebat, idcirco S. C. dictum juspatronatum familiæ Angelini adjudicavit : *Firmana, Erect. cap.*, 22 *januar.* 1763, *dub.* 1.

15. Dum quæstio agitabatur : quis teneatur ad reparandam collegiatam, et parochialem S. Stephani oppidi Fiani, S. C. voluit, ut dubium proponeretur de pertinentia jurispatronatus dictæ ecclesiæ. Communitas dicti oppidi exhibet acta visitationum, ex quibus desumitur onus restaurationis eidem, uti patronæ fuisse injunctum, accessionem ipsius patronatus in favorem ducis Petri Gregorii Boncompagni factam, quæ cessio irrita fuit inde declarata. E contra Baro jure præsentandi archipresbyterum, canonicos gaudet, et ejus stemma organum, ac ecclesiæ facies, ostendit. S. C. autem rescripsit, inspectis peculiaribus circumstantiis, *in casu de quo agitur*, placere de concordia, et fiat etiam ex officio per Card. præfectum juxta instructionem facto verbo cum Sanctissimo : *Nepesina, Rest. eccl.*, 18 *sept.* 1773, *dub.* 2.

16. Diu certatum fuit inter communitatem Fiani, ac ducem Ottobonum Baronem, ad quem onus restaurationis collegiatæ ejusdem oppidi spectaret. Urgebat communitas ducem Marcum Ottobonum

emisse fundum Fiani, et in eum translata fuisse jura patronatus, seu patronatum, et præsentandi ad quæcumque beneficia ecclesiastica, et Baronem reapse jus hoc exercere, dum canonicatus et beneficia ibi vacare contingant. Respondebat Baro aliud esse ecclesiam, et aliud beneficium in ecclesia, ita ut argumentum inductionis valere nequiret; ac cessionem ecclesiæ eum non acceptasse. Examinato itaque dubio, resolutum fuit patronatum ecclesiæ præfatæ spectare ad communitatem: *Nepesina, Jurisp.*, 13 *sept.* 1777.

17. Etiamsi in ædificatione altaris divi Augustini ecclesiæ archipresbyteralis oppidi Scarpæ apposita fuerit inscriptio: *D. O. M. Sinibaldus de Nicolais archipresbyter propriis sumptibus anno* 1751, tamen S. C. minime pertinere juspatronatus ad dictam familiam de Nicolais, sed esse liberum ejusdem ecclesiæ judicavit. Nam oblationibus fidelium quoque erectum fuit, nec dictus Sinibaldus illud dotavit: *Tyburtina, Juris.*, 4 *april.* 1778.

18. Ecclesia, et capella B. M. V. Gratiarum Frusinonis est de jurepatronatus Scholasticæ Quartucci. Nam etsi prorsus ignoretur dotatio, et nominatio capellanorum facta a dicta familia, in pluribus visitationibus tamen asseritur esse dictæ familiæ de jurepatronatus: *Verulana, Jurisp.*, 16 *januar.* 1779, *dub.* 1.

19. Ecclesiæ parochialis S. Michaelis, quæ modo est collegiata jurepatronatus potiuntur parœciæ incolæ pro duabus ex tribus, pro tertia comites de Giliuccis, licet constans parochi fidelibus non fuerit nominandi modus, sæpiusque sunt collegialiter in prædicta ecclesia cum interventu quandoque illorum de Gil uccis congregati quos illi postea reppuerunt in electionibus. Inde facta transactione inter dictos comites, ac parœciæ incolas, uti singulos, S. C. consulta eam reprobavit: *Firmana, Juris.*, 19 *junii* 1790, *dub.* 1.

20. Necnon præsentationem faciendam esse collegialiter; et quoad parœciæ incolas vero qui intervenire debeant, iterum causa proponi mandavit: *Ibid., dub.* 2. Deinde sancivit, ut interesse debeant parochiæ incolæ patresfamilias in parœciali conventu: 21 *aug. ejusd. anni.*

21. Matthæus Uguccionus fundator cujusdam capellaniæ de activo jurepatronatus sollicitus mandavit, ut major descendentium natu *sia sempre l' elettore del capellano*; nilque ambigua saltem verba de passivo disposuit; hac de re in S. C. ponderato dubio; an, et in cujus favorem constet de jurepatronatu passivo? negativum in omnibus emanavit a S. C. responsum: *Fanen., Cap.*, 29 *jan.* 1791, *dub.* 3.

22. Juspatronatus capellaniarum SS. Rocci, et Olivæ, earumque administrationem competere decernitur solis hominibus castri S. Olivæ, qui earumdem capellaniarum dotes constituerunt; licet in temporalibus suppositum sit inde castrum jurisdictioni communitatis Pontis Curvi, quæ sive per usurpationem, vel per oppidanorum conniventiam pium opus administravit: *Pontis Curvi, Jurisp., et Admin.*, 23 *novem.* 1793.

23. Matthæus Uguccioni e Cartyceto fundata capellania in eodem loco activum constituit juspatronatus, *nelli discendenti del Q. Tommaso Abondi, ed il maggiore di essi discendenti sia sempre l' elettore del capellano*, voluitque postremo, quod *mancando la discendenza, l' ultimo dei discendenti possa liberamente disporre, e nominare altra casata per tal effetto.* Hinc ter Thomas jun. Abondi capellanum nominavit, licet plures extarent agnatæ, natuque majores fœminæ modo vero hoc activum juspatronatum impugnat Antonius Gradarius, et spectare ad suam cognatam familiam prætendit; sed S. C. constare de jurepatronatus activo in favorem Mariæ Abondi decrevit: *Fanen., Jusp.*, 20 *januar.* 1798, *dub.* 1.

§ IV.

Juspatronatus quoad reservationes apostolicas.

Juspatronatus præposituræ, quæ in secundam dignitatem post archipresbyteratum in ecclesia S. Laurentii terræ Sarteani est erigenda una cum quatuor canonicatibus, tanquam reversatum ab Antonio Gabriellio, qui ad dictum patronatum invitavit filios, et descendentes a filiabus suorum hæredum, qui bona pro fundatione et dote assignaverati; S. C. rescripsit spectare ad Nicolaum Fortiguerra, licet per duplex medium fœmininum a testatore ortum duceret; nec sub reservationibus regularum cancellariæ posse comprehendi, prout Card. relator in suo voto suum consilium ostenderat: *Clusina, Erect. colleg.*, 10 *maii* 1755.

§ V.

Juspatronatus quoad suspensionem.

1. Decreverat Episcopus ut communitas et officiales villæ Belloculorum de jurepatronatus privarentur parochialis et capellæ *Gioventu* ob simoniacos quosdam contractus cum amovibili capellano initos, nisi intra tres menses legitimam a censuris absolutionem impetrassent eamdemque non dotassent ecclesiam. Reclamavit adversus hoc decretum communitas et proponi curavit; an valida sit suspensio prædicta? Non esse validam S. C. edixit: *Fanen., Exeq. decr., S. Visit.*, 22 *novem.* 1760, *dub.* 5, confirmata 28 *febr.* 1761.

2. Neque etiam suspensionem interinamque jurispatronatus capellæ *Gioventu* devolutionem validam esse decisum est: *Ibid.*, *dub.* 7, confirmata *ibid.*

§ VI.

Juspatronatus, quomodo transeat cum donatione, cessione et venditione.

1. Ad effectum securum reddendi juspatronatus cujusdem capellaniæ ad præsentationem perpetuam PP. Congregationis Missionis Januario Bassario descendenti masculo titulo concordiæ offerunt duc. 230 pro unica vice tantum et jura reperta in hæreditate Joan. Baptistæ Balsamo, cujus sunt hæredes. At S. C. petito beneplacito concordiæ preventive esse locum censuit: *Neapolitana, Benep.*, 4 *martii* 1690, confirmata 6 *maii ejusd. anni.*

2. Petrus de Rappaciolis patribus Augustinianis excalceatis donavit juspatronatus sibi in ecclesia S. Mariæ de Colle competens, ecclesiam et juspatronatus aliorum duorum beneficiorum. Hujus donationis intuitu Patres conventum seu suæ congretionis hospitium fundare promiserunt. Ante conventus erectionem vacarunt beneficia, et unus a patribus, alter a Rappaciolo præsentatus est. In præsentatos orta controversia et donatione de nullitate ex defectu consensus ab Episcopo non quæsiti redarguita. S. C. censuit ut religioni præfigeretur terminus unius mensis ad faciendam legitimam renunciationem: *Narnien.*, *Jurisprud.*, 19 *novem.* 1718. Donationi renunciare religione nolente, decretum fuit, ut exhiberetur actus definitorius, in quo dedit facultatem provinciali ad nominandum: 1 *apr.* 1719; et tandem decisum est sustineri nominationem a Rappaciolo factam: 6 *maii*, confirmata 5 *aug. ejusd. anni.*

3. Antonius Franzone fundavit prioratum seu commendam ordinis Canonicorum S. Spiritus in Saxia annui reditus scut. 100, reservata nominatione, dum vixerit, et post obitum masculis domus Fimiæ. Cajetanus ultimus dictæ familiæ illam donavit inter vivos Antonio Cardellæ, reservato generalis præceptoris Ordinis consensu. Hinc Antonius prædictus dissentiente dicti Ordinis præceptore supplicavit pro consensus supplemento, sed inutiliter, negativum accipiens responsum: *Panormitana, Jurisp.*, 29 *martii* 1738.

4. Donatio patronatus ecclesiastici simplicis beneficii sub titulo S. Mariæ Lauretanæ erecti in cathedrali, in favorem sacerdotis Michaelis Tollemeto facta, et a vicario capitulari approbata, quum nulla prætenderetur, confirmata deinde fuit per concessionem beneplaciti apostolici: *Neritonen.*, *Benep.*, 20 *decem.* 1755, *dub.* 1.

5. Ac hujusmodi beneplacitum retrotrahendum esse ad diem donationis decretum insuper fuit: *Ibid.*, *dub.* 2.

6. Simon Sensini capellania laicali instituta jus nominandi capellanum tribuit Josepho Valle, suisque masculis filiis, et his deficientibus dedit Caroli Sensini filiis. Prole masculina carente Joseph Valle jus hoc nominandi cedere exoptabat in favorem Caroli Sensini, qui ea propter obtulit scut. 1000 ad effectum illa erogandi in dotationem quinque filiarum Josephi Valle et Catharinæ Cerroni conjugum. Hac tamen lege, ut in casu molestiæ inferendæ a nasciturisfiliis masculis Josephi, qui paterna cessione impugnata jure proprio regressum ad jus hoc obtinerent, ipse Joseph ejusque hæreditas tantum Carolo scut. 700 restituere teneretur. Oblatæ hinc sunt preces pro facienda cessionis adprobatione, sed nihil est impetratum: *Tudertina*, 3 *julii* 1762.

7. Bonaventura Ansaldus patronus capellaniæ fundatæ in parochiali oppidi Cogoletti prædium subrogatum loco domus pro fundo ejusdem pretio 3,450 vendidit cum cessione jurispatronatus capellaniæ, et cum reservatione beneplaciti apostolici, hac vero conditione, ut emptor retineret scut. 2,018 pro fundo capellaniæ in tot Bononiæ, Romæ, sive Januæ montibus impendenda; propterea disputatur: an confirmanda sit cessio cum conditione subrogandi alium fundum pro dote juxta investimenta a fundatrice ordinata? et non esse confirmandam S. C. respondit: *Savonen.*, 26 *novem.* 1763.

8. Donationem jurispatronatus, quod Franciscus Georgius Harsewinkel trium, vel quatuor beneficiorum simplicium in cathedrali ecclesia juxta ejusdem voluntatem erigendorum fœminæ primogenitæ ex descendentibus Henrici Christiani fratris reliquit, factam Francisco Ludovico Meyer a Maria Anna Harsewinkel, in quam jus patronatus devenit, confirmandam esse censet S. C., quamvis objiciatur dictum juspatronatus non hæreditarium esse, sed quodammodo gentilitium, ac familiare in familia fœminæ primogenitæ, et Franciscus sit persona extranea. *Paderbonen.*, *App.*, 19 *decem.* 1772, *dub.* 2.

9. Jus nominandi rectorem, qui Lubrianensi populo sacra ministret, animarumque curam exerceat propter graves expensas abbatissa monasterii S. Bernardini civitatis urbis veteris, non audito capitulo, proprioque arbitratu renunciare penes sacrum senatum præmeditabatur: sed moderna abbatissa una cum omnibus monialibus capitulariter congregatis dimissionem ab antecedente abbatissa factam reprobavit, et ad nominationem rectoris curati sacerdotis Jacobi Vœunæ devenit. Modo quæritur; utrum admittenda sit renunciatio, an retractatio, et quæ congrua danda sit instituto? S. C. re-

scripsit esse admittendam retractationem, et institutionem cum congrua sacerdoti a monasterio præsentato, prævio tamen examine ab Episcopo Balneoregiensi faciendo, et addidit ad mentem [51] : *Balneoregien., seu Urbevetana*, 7 *julii* 1777, *dub.* 1 et 2.

10. Familia Caccialupi, et Raccamadori ad rectoratum in ecclesia SS. Conceptionis Montis Milonis fundatum nominavit sacerdotem Antonium Affortati, qui aliam capellaniam ejusdem fundationis, et contra ipsius mentem possidebat. Monitus hic, ut rectoratum dimitteret, fecit, ut Dominicus ejus frater activum patronatus rectoratus emeret, eique cesserunt patroni illius fundum, ut cum bonorum universitate translatus videretur. Et Dominicus nominavit inde rectorem. Sed quum Cajetanus Caccialupi, et canonicus Joseph Raccamadori venditores supplicaverint pro concessione reservati beneplaciti apostolici, et, favente quamvis Episcopo, nequaquam obtinere meruerunt : *Maceraten.*, *Jurisp.*, 18 *julii* 1789. *dub.* 1.

11. Jacobus Sepretti omnia sua bona, et juspatronatus donavit Petro Podaliri, et instituit fideicommissum in favorem descendentium donatarii, reservavitque sibi usumfructum, et quartam partem bonorum ad effectum testandi cum dimidio jure nominandi ad gentilitia beneficia. In compensationem solvit Petrus donanti scut. 600 alia despondit 400, et æs alienum scut. 692, 50 in se assumpsit. Inde facta est quæstio, super liquidatione quartæ reservatæ Ulpiano, qui per transactionem vendidit donatario pro scut. 300 excepta jurispatronatus voce, quam liberaliter absque pretio cessit. Hujus liberalis cessionis approbationem postulat, et obtinet Podalirius : *Recineten.*, *Jurisp.*, 9 *julii* 1796.

[51] Et mens est, ut urgeat Episcopus pro executione decretorum respicientium restaurationem pavimenti ecclesiæ, et aliorum divinum cultum respicientium : *Ead. causa*, 7 junii 1777.

LÆSIO.

P. Vincentius Ugolinus Congregationis B. Petri de Pisis, ut procurator sui monasterii, prævia superioris licentia, perpetuam assumpsit obligationem celebrationis Missarum sex qualibet hebdomada, receptis, pro eleemosyna scutis 375 monetæ Urbini. Onus prædictum ad duas missas in hebdomada, et unam in mense reduxit minister generalis Ordinis ; sed reductionem invalidam declaravit commissarius rev. fabricæ : hinc egit contra monasterium, et contra hæredes Petri Cattanei, qui scuta 375 solverant, eosque pro Missis non celebratis post reductionem damnavit ad solutionem scut. 1,100. Re composita perpendere placuit ; num contractus obligationis Missarum de læsione redargui posset ; ita ut locus esset rescissioni ? Et de læsione nequaquam constare fuit resolutum : *Pisauren.*, *Rescis. con.*, 15 *martii* 1762.

Lapis. Vide *Stemma gentilitium*.

Lateranensis Basilicæ Urbis Vicarius. Vide *Vicarius*, etc.

Laudemium. Vide *Emphyteusis*, § 1.

LAUDUM.

1. Laudum ab Episcopo latum vigore compromissi in eum facti a parochorum consortio, atque a PP. Congr. Oratorii Comi acceptum, et longo tempore executioni demandatum validum est in omnibus partibus. Nam consortium parochorum detrectabat admittere inter eosdem vicarium amovibilem deputatum ab eadem Congr. pro ecclesia parochiali S. Jacobi ; et in favorem vicarii amovibilis fuit laudum præfatum emanatum : *Comen.*, 7 *febr.* 1705, *dub.* 1, 2 et 3, confirmata 27 *martii* 1706, *dub.* 1 [1].

2. Post discrimen agitatum inter archidiaconum cathedralis, abbatem ecclesiarum parochialium S. Jacobi villæ Pontis Reginæ, et illarum paro-

[1] In favorem congregationis præfatæ Oratorii scripsit sua jura advocatus Dominicus Ursaya, quæ exhibet : *Disceptat. Eccl. XVIII*, tom. 2, part. 1, *per tot.*

chiarum portionarios ex una, et priorem, ac religiosos conventus Sanctissimi Crucifixi ordinis Hierosolymitani ex altera partibus super jure decimas percipiendi; causam partes compromiserunt in arbitros, reservato beneplacito apostolico. Sententia prolata, licet Episcopus læsivam juribus archidiaconi, et capituli Portioniariorum putaret, S. C. petitum beneplacitum indulsit, *Pampilonen., Ben.*, 3 *mart.* 1708.

3. Ecclesia Pratensi in cathedralem erecta, et Pistoriensi æque principaliter unita, inter utrumque capitulum complures factæ fuerunt quæstiones circa diœcesis utriusque limites. Pistoriensis et Pratensis Episcopus in compromissarium judicem electus auctoritate S. C. interposita, territorium, edito laudo, divisit; etiam ex laudi interpretatione dissidia emerserunt, sed exhibito laudo, ut probaretur, S. C. respondit ad secretarium juxta mentem [2]: *Pistorien. et Praten.*, 2 *aug.* 1721. Reproducta instantia laudum fuit approbatum et quoad postulatam declarationem laudi recurratur in casibus particularibus: 2 *octob. ejusd. anni.* Inde quinque proposita dubia super jurisdictionalibus actibus S. C. dixit, ut denuo proponeretur causa super approbatione laudi: 9 *julii* 1725. Tandem adprobandum esse juxta modum [3], et quoad reliqua dubia satis provisum esse in præcedentibus et ad mentem Card. præfecti: 31 *julii* 1728, confirmata 2 *april.* 1729.

4. Judicium coram Episcopo institutum fuit inter sacerdotem Josephum Scocchera conductorem et societatem SS. Sacramenti oppidi Vastigirardi super pensionum remissione et animalium de mortuorum refectione. Ad refugienda jurgia, utraque parte consentiente, et S. C. probante romanæ curiæ Prælatus in judicem compromissarium electus fuit, qui omnibus auditis laudum edidit. S. C. imploratum beneplacitum apostolicum largiendum esse juxta modum præscribendum a Card. præfecto declaravit: *Triventina, Laud.*, 3 *maii* 1725.

5. S. C. impertita est facultatem, ut duo ecclesiastici viri in arbitros eligerentur, ut quæstiones omnes inter piam domum Convictricum SS. Infantis Jesu et Joan. Baptistam Bavarum (prima hæres a matre, secundus a filio fuit institutus) exortas super bonorum identitate suo judicio dirimerent. Idcirco duo, qui advocati munere fungebantur, electi fuere, quique circa nonnulla capita concordes, circa cætera convenientia illorum non fuit; ob id tertius auctoritate S. C. additus fuit. Edito laudo obscurum est, an in ea parte, in qua cuncti convenerunt probandum foret vel etiam in ea parte, in qua duo ex tribus arbitris fuerunt consentientes, alio dissentiente? S. C. exquiri votum Rotæ [4] prævis duabus decisionibus tantum placuit definire: *Romana seu S. Severin, Appr. Lau.*, 22 *novem.* 1732, *dub.* 1 et 2.

6. Contentio inter commendatarium abbatiæ monasterii Saxivi et Episcopum Fulgin., quoad jus indicendi concursum ad ecclesias nonnullas parochiales ad idem monasterium spectantes, et intra limites diœcesis Fulginatensis existentes compromissa fuit laudo. Judex laudum pronunciavit in favorem abbatis. At Episcopus se executioni opposuit, injustitiæ censura illud notavit. S. C. haud esse exequendum interrogata respondit: *Fulginaten. Jur.*, 1 *martii* 1738, *dub.* 1, confirmata 27 *sept. ejusd. an.*

7. Incolæ loci *della Gerra* ecclesiam SS. Seba-

[2] Et mens fuit, ut licet laudum ab Episcopo prolatum bonis rationibus innixum esse videretur, et signate cum editum fuisset juxta normam insinuatam in suffragio pro veritate exarato a Card. Sperellio, dum advocati munere fungebatur in urbe, necessarium nihilominus visum fuit, quod ante laudi approbationem, nonnulla explanarentur, cum ad tramites suffragii mox dicti Card. Sperellii, Episcopus in laudo prolato censuerit Ordinarium Pratensem, privative quoad Pistoriensem spectare, jurisdictionem super parochos trium parochialium civitatis Prati habentes populum in diœcesi Pistoriensi, et ad eum pertinere illorum approbationem, institutionem, et punitionem, quatenus in exercitio curæ animarum deliquissent, remanente de cætero eodem populo exceptis iis, quæ pertinent ad curam animarum sub jurisdictione Ordinarii Pistoriensis, ad præcavendas futuras lites, operæ pretium existimatum fuit, ante laudi approbationem, perpendere, ad quem ex dictis Ordinariis, hoc est, an ad Pratensem, vel ad Pistoriensem, pertineat examen quoad status liberos eorum parœciæ incolarum, qui degunt extra urbem, et qui subduntur parochiis in urbe existentibus, ad quem pariter ex ipsis Ordinariis pertineat executio dispensationum matrimonialium, cognitio de matrimonialibus causis, judicandi facultas in causis dependentibus a cura animarum, aut a jure parochiali, puta si ageretur de puniendis concubinariis, vel de quarta funerum, et consimilibus rebus: 2 octob. 1721, 8 *Pistorien.*

[3] Modus est, ut prævia reformatione laudi in ea parte tantum, in qua decernit populum degentem extra muros civitatis Prati, et subjectum parochis ecclesiarum existentium intra muros ejusdem civitatis Prati, esse subditum in respicientibus curam animarum, et administrationem Sacramentorum Episcopo Pratensi, declaretur in prædictum populum competere omnimodam jurisdictionem Episcopo Pistoriensi, sicuti etiam in præfatos parochos respectu illius populi, in reliquis vero laudum approbetur: *Ead. causa*, 25 sept. 1728.

[4] Putavit sacrum tribunal Rotæ, quod laudum non potest pro parte acceptari, et in alia impugnari, quod in sententia fieri potest, et ratio diversitatis est, quia sententia judicis redditur in invitos, et quando compromissum est, voluntarium laudum trahit originem a voluntate compromittentium, quæ est individua, ut notat Rota ipsa *in Decis.* 218, *cor. Bichio* num. 10, neque laudum potest esse pro una parte obligatorium, et pro alia non: *ex Decis.* 248, num. 3 *cor. eod.*

stiani et Rocchi in parochialem erigi optarunt, eorumque instantia rejecta fuit. Capellanus tamen præfatæ ecclesiæ schedulas, quæ paschali tempore distribuuntur, imprimi curavit, novo itaque instaurato certamine cum capitulo collegiatæ S. Bassiani Piceleonis. Episcopus arbiter electus laudo cuncta composuit, et expetito, num laudum exequendum esset? S. C. definitio protelavit, ut audiatur Episcopus: *Cremonen. Laud. et Null. cens.*, 6 *decem.* 1749, *dub.* 1.

Laurea doctoralis. Vide *Doctoratus, Doctores, Primiceratus dignitas ecclesiastica.*

LECTOR.

Legitima declaratur remotio Innocentii Mariani parochi cathedralis a munere lectoris theologi moralis, ad quod fuit nominatus a clero secretis suffragiis; quia justis de causis hoc officium suppressum erat; licet Marianus in culpa ac in causa privationis non fuerit: *Tudertina*, 15 *sept.* 1702, *dub.* 2.

Lector sacræ Scripturæ. V. *Canonicus*, § ix.

Lectoratus ordo. Vide *Sacramentum Ordinis.*

Legalis Cognatio. Vide *Matrimonium*, § x.

LEGATUM PIUM.

§ I.

Legatum pium seu opera pia quoad acceptionem, agnitionem et renunciationem.

1. In disquisitione positum est, an acceptio legatorum pro certo numero Missarum annuarum, ad quarum celebrationem fructus relicti non sunt sufficientes, et nomine rev. fabricæ interpellantur legatarii, an velint illa legata excipere, et ipsi respondent, se velle accipere animo obtinendi reductionem sit de jure admittenda? Respondit S. C. acceptionem ut supra expressam de jure admittendam esse: *Romana*, 16 *januar.* 1644, *dub.* 1.

2. Atque acceptiones hujusmodi factas non esse invalidas, sed recipientes incurrere pœnas in decreto expressas definitur: *Ibid.*, *dub.* 2.

3. Marchio Cæsar Vidonus, filiis improlibus decedentibus, legavit, ut ecclesia, conventusque in feudo familiæ Vidonis construeretur, et dotaretur in favorem PP. ordinis Eremitarum; istis autem excipere abnuentibus, alios subrogavit religiosos. Cunctæ familiæ religiosæ vocatæ ob fructuum tenuitatem legatum admittere noluerunt, ob id Vidoni hæredes precati sunt pro voluntatis commutatione. At obstantibus prædictis familiis, dubitatum est, an præfata renunciatio obstaret? utique obstare quoad PP. S. Bernardi ultimo loco vocatos in casu de quo agitur: *Cremonen., Com, Vol.*, 23 *julii* 1702, *dub.* 1, confirmata, 19 *novem. ejusd. an.*

4. Censum in sorte scut 1000, fructus 5, pro quolibet centenario reliquit Joan. Minelli societati SS. Sacramenti de Aricia cum onere annuatim dotem scut. 40 elargiendi. Hoc legatum a p rædicto sodalitio acceptum, impletumque fuit. Sed censu restituto, ac summa pecuniæ erogata, fructus diminuerunt, idcirco quæritur, an societas habeat facultatem illud legatum renunciandi? et utique habere rescriptum fuit. *Albanen., Sub. dot.*, 24 *sept.* 1707, *dub.* 2; confirmata 18 *aug.* 1708.

5. Francisca de Constantinis Fr. Joan. Bartolucci Augustianæ familiæ nepoti suo prædium legavit, cujus usumfructum ad ipsum pertinere voluit; eo autem ab humanis erepto, prædium devolvi jussit ad Augustinianum cœnobium cum onere celebrationis Missarum. Quum autem reditus imminuti fuissent, suscipiendi legatum potestatem postularunt sub conditione, ut onus reducatur, et S. C. respondit sequuta acceptione, vel repudiatione recurrant: *Nucerina, Leg. pii*, 5 *apr.* 1732, *dub.* 1 *et* 2.

6. Legata pia sub perpetuo onere Missarum, anniversariorum, et similium recipere nequeunt absque Ordinarii licentia communitas presbyterorum, et sodalitia defunctorum erecta in ecclesia parochiali S. Eulaliæ loci de Berga; quamvis vetustissima in eorum favorem consuetudo teneretur: *Celsonen.*, 22 *julii* 1741, *dub.* 1.

7. Legati pii a Francisco M. Bianchi hæredibus relicti acceptio stipulata a parocho, aliisque PP. Scholarum piarum collegii Lugi de venia eorum provincialis cum promissione evictionis fundi, valida est; rejecta oblatione dimittendi sortem, fructus, et onera in manibus hæredis: *Imolen., Leg. pii*, 20 *sept.* 1794, *dub.* 1

§ II.

Legatum pium, seu opera pia quoad implementum.

1. Quum ageretur de testamento sequentibus verbis concepto : « Relinquo ut mei nominati hæredes celebrare curent 40 Missas annuatim altari S. Mariæ Magdalenæ in ecclesia S. Mariæ Gratiarum PP. min. Observ. ab illis PP., qui assistentes supradicto conventui erunt ; immo, ut eis traderentur a dictis hæredibus 4 ducata annuatim quæ indigentiis dictæ cappellæ inserviant » perspicum non fuit, an præter ducata 4 annua pro indigentiis capellæ hæredes tenerentur separatim persolvere eleemosynam pro celebratione Missarum, et in qua quantitate ? S. C. hoc explanat, hæredes teneri saltem solvere ad rationem eleemosynæ manualis : *Isernien. Leg.*, 10 *junii* 1684.

2. Voluit Angelus de Blanchis, ut hæres sua, et germana soror, demptis legatis, dote, et decenti conservatione residuum hæreditatis pauperibus invalidis ad sui libitum distribueret. Obiit hæc nec facta distributione, nec sortium assignatione, nec hærede sibi scripto ; unde nepos ab intestato hæres legatum ad sui libitum implere voluit : S. C. rescripsit distributionem hæreditatis in usus a testatore præscriptos, et ab hærede non factam spectare ad hæredem hæredis, non ad Episcopum, cui tantum sua concilia aperire, et ab eo consensum petere debet : *Lunen. Sarzanen., Distr. Hær.*, 6 *febr.* 1700, *dub.* 1.

3. Quoad legata pia relicta a card. Joan. Baptista de Luca decreta ab Episcopo in visitatione edita super modo conferendi dotes, necnon super modo præstandi subsidium adolescentibus ratione studiorum, et super ratione distribuendi eleemosynam pauperibus exequenda non sunt, sed est præcise forma servanda statuta a testatore : *Venusina, Leg.*, 15 *novem.* 1704, *dub.* 2, 3, 4.

4. Quum hactenus rationes omnium redituum archiconfraternitatis S. Hieronymi charitatis Urbis tam liberorum quam oneribus obnoxiorum inordinate extitissent, ita ut aliquatenus omissum, fuit implementum in nonnullis piis operibus, ac in aliis sumptus præter reditus assignatos factus est : quod considerata temporis vetustate haud omnia solidare permissum est, ac nulla compensatio ex notaria sodalitii maxima inopia obtineri potest ; ideo officiales ejusdem S. C. exorant pro sanatione gestorum in præteritum, et pro eorum approbatione ; et sanationem assequi valuerunt : *Romana, Op. pior.*, 7 *julii* 1708.

5. Fructus hæreditarii legati Ivonis Cattoli, qui ait, *instituisco eredi le monache di Neme, e povere di Neme in SS. Quattro*, erogari possunt in favorem puellarum castri Nemoris tempore, quo monasterium in ætate præscripta a statuto ejusdem ingrediuntur, non autem expectandum tempus, quo Deo illæ virgines vovent : *Rom., Subs. dot.*, 27 *apr.* 1709, *dub.* 1.

6. Demandavit Joan. Andreas de Restis, ut ex reditibus annuis scut 138 ædificaretur ecclesia cum domo pro capellano, qui quotidie celebrare teneretur ; deinde multiplicum conficeretur usque ad reditum ducat 80 vel 100 pro congrua capellani. Testatore vita privato, reditus assignati fuere Andreæ de Restis capellano a testatore nominato, qui multiplico neglecto absque hæredibus inops occubuit. Unus ex vocatis ad capellaniam testatoris voluntatem exequi poposcit, ita ut sibi assignaretur medietas annui reditus scut 138 cum onere Missarum ad rationem manualis, altera medietate tradita pro multiplico. S. C. annuit juxta modum [5] : *Ragusina, Ben.*, 22 *febr.* 1710.

7. Quidam vir catholicus in Hollandia legatum, quo hæredes adstrinxit ad annuam solutionem flor. 500 pro alimentis sacerdotis in quodam pastoratu, seu sacellania, ad populi catholici utilitatem in perpetuum constituto, instituit. Post primorum hæredum obitum hæreditas in quatuor partes divisa fuit, et diminuta, ac gravata propter bellica onera, ob id dubium emersit, an in hisce circumstantiis tenerentur hæredes testatoris dispositionem servare ? Eos teneri S. C. aperte ponit : *Hollandiæ, Past.*, 22 *febr.* 1710, *dub.* 1.

8. Excessit Nicolaus de Angelis princeps Mesapiæ sequenti dispositione exarata « declarat ipse testator, ut in toto suo statu habet 12 millia *tomoli* tritici, et vult, et jubet, ut tertia pars dicti tritici 4 millia *tomoli* debet vendi, et de pecunia ipsius impendenda sunt alia ducata tria millia in fabricis monasterii S. Petri de Alcantara in suo statu existentis. » Quantitas enunciata minime reperta fuit, sed dumtaxat 6,780, facta igitur est quæstio super implemento legati, et deberi illud in summa ducat. 3,000. *Brundusina, Com. leg.*, 12 *decem.* 1711, *dub.* 1, confirmata 3 *martii* 1214.

9. Sebastianus Venturelli sacerdos congregationis Oratorii S. Philippi Nerii de Urbe ecclesiam construendam, et Congregationem dicti Oratorii instituendam jussit. Ecclesia ædificata, Congregatio institui nequit ex deficientia sacerdotum ; ideo presbyteri Congregationis Missionis ex domo Romana substituti fuere ab Innocent. XI, capta ab ipsis bo-

[5] Nempe, ut reliqua medietas redituum fideliter ponatur ad multiplicum præstita per eumdem oratorem idonea cautione de hujusmodi multiplico facendo : *Libr. Decr.* 60, fol. 76.

norum possessione. Domus vero non instituebatur; et causa fuit dubia exhibendi: an scilicet PP. Missionis terminus a S. C. sit præfigendus ad fundandam domum eorum Instituti in urbe Amerina loco Congregationis Oratorii subtitutam, ac subrogatam, et quatenus affirmative.

10. An si intra terminum præfixum prædicti PP. domum non fundaverint, ecclesia S. Philippi et bona, et mobilia, ac stabilia Sebastiani Venturelli applicata domui Missionis fundandæ in usum consentaneum voluntati dicti Sebastiani, et in quem converti debeant? firmari statum bonorum cujuscumque hæreditatis coram Ordinario S. C. respondit: *Amerina, Appl. Hær.*, 12 *novem.* 1712, *dub.* 1 et 2.

11. Sacri quotidiani celebrationem, et dotalis subsidii distributionem jussit Pompeius Barba hisce legatis hæreditatem suam onerando. Reditibus iminutis sacrum quolibet die festo celebratum fuit, ac subsidium dotale in duc. 15 distributum, prout ferebat hæreditas; adaucti inde reditus fuere; ita ut hæreditas par sit ad quotidianam celebrationem, et subsidium in duc. 25 distribuendum, adeoque exquisita fuit S. C., num reditus prælative erogari deberent in celebrationem, vel coæqualiter in causam dotis? et pro prælatione celebrationis decrevit: *Nolana, Red. leg. pior.*, 11 *martii* 1713.

12. Felicianus Finucci suos hæredes adstrinxit ad celebrationem sacrorum faciendam a sacerdote ab ipsis designando, instituitque in suo testamento hæredem usufructuariam suam conjugem, nominavitque hæredes proprietarios. Ignorabatur vero oneris initium, et onus prædictum ab hæredis usufructuariæ, minime vero a testatoris obitu incipere, et ad hæredes proprietarios spectare S. C. declaravit: *Reatina, On. Miss.*, 27 *april.* 1709. Deinde legatum prædictum a morte testatoris usque ad hæredis usufructuariæ mortem ad ipsam spectare decernit: 16 *novem. ejusd., anni, dub.* 1, confirmata, 27 *januar.* 1714.

13. Modernus equitis Joan. Baptistæ Guazzi hæres contendit, quod destructo altari ejusdem disponentis in antiqua ecclesia S. Georgii PP. Ordinis S. Augustini legata pia, recolendi nempe festivitates, manutenendi lampadem accensam saltem suspensa remaneant, donec altera subrogetur ara sub patronatu familiari in nova ecclesia ædificanda? S. C. autem suspensionem non admisit, sed esse implenda in oratorio publico, jam erecto cum facultate Episcopi, in quo regulares celebrant, præcepit: *Cervien., Trans. prior. on.* 1 *junii* 1715, *dub.* 2.

14. Monti Pietatis hæredi suo Joan. Antonius de Magna passis oppidi Lugi solutionem solid. 20 qualibet hebdomada in favorem religiosorum pauperiorum dictæ terræ pro obsonio comparando mandavit. Legatum hoc persolutum fuit PP. Carmelitis, licet isti annuos reditus scut. 1000 habeant; et in dicto oppido aderant PP. Prædicatores, Min. Conv., ac Cappuccini. Præsidentes Montis legatum implere cogitarunt in favorem Cappuccinorum, non obstante centenaria consuetudine in favorem Carmelitarum. Hanc rem explicavit S. C. non deberi legatum PP. Carmelitis, sed exequi posse ad libitum præsidentium, vel pro PP. Cappuccinis, vel pro aliis regularibus, servata forma testamenti, decernens: *Imolen. Leg. pii*, 27 *novem.* 1717.

15. Legatum relictum a Joan. Vincentio Vitali PP. S. Francisci de Paula terræ Liberani, quomodo implendum sit? consilium petiit universalis ejus hæres, cum iidem PP. illud excipere nequeant; strictioris enim observantiæ S. Francisci sunt; et S. C. suam sententiam aperuit, hæredem posse censum creare, et assignare pro onere Missarum cum auctoritate Archiepiscopi, cui scribatur juxta mentem [6]: *Brundusina, Adim.* 26 *aug.* 1719, *dub.* 3.

16. Legatum perpetuum Missarum 80 fidenter quædam persona indixit Joan. Francisco de Laurentiis, tradita ei pecunia in scut. 230 in censibus, vel bonis stabilibus investienda, prout ille in publico instrumento fassus est. Suo tamen testamento jussit ipse de Laurentiis annuas Missas 80 assignato peculiari fundo, aliasque Missas 6 hebdomadales aliis attributis bonis. Aliquid latebat, quod planum ita S. C. fecit, in hisce legatis comprehensum esse etiam legatum ab illa pia persona indictum: *Civitatis Castelli, Leg.*, 18 *april.* 1722, *dub.* 1.

17. Alexander Ghislerius annuas libras 60 reliquit cum onere Missarum 100, quæ ad 30 reductæ fuere. Andreas vero Giglius Missam hebdomadalem præcepit. Hector Ghislerius, ad quem onera prædicta pervenerant, in suo testamento investimentum librarum 6,000 mandavit, et sortis consignationem congregationi Domus Catechumeni Bononiæ cum obligatione Missarum juxta mandata Andreæ Giglio; et ut *reliquum impendatur pro una capellania Missæ quotidianæ*, quam perpetuam esse voluit. In dubitationem executionis legati venerunt gubernatores Domus prædictæ, et S. C. patefecit, satis esse, ut consignetur sors librarum 6,000, nequaquam vero opus esse, ut traderetur sors, ex cujus reditu nedum celebrari valerent 30 Missæ relictæ ab Alexandro Ghislerio Missa celebranda ex

[6] Et mens est, ut novus censuarius se obliget solvere PP. eleemosynam ad formam testamenti: *Ead. causa*, 26 aug. 1719.

dispositione Andreæ, et alia Missa quotidiana perpetua : *Bononien.*, 19 *sept.* 1722.

18. Prædium legavit ecclesiæ a se constructæ Joan. Andreas de Rubeis, reservato usufructu quatuor filiis masculis, eorumque uxoribus ; item alia scut. 40 ex domorum pensionibus retrahenda capellano assignavit cum onere sacri quotidiani. Filiis masculis morte functis unica tantum uxor Francisci superstes est ; incertum ideo fuit, an a die obitus Francisci factus sit locus traditioni prædii una cum fructibus in favorem ecclesiæ : ita ut onera capellano injuncta sint implenda, sive supplenda tam ex reditibus prædii, quam aliorum bonorum in ejus testamento designatorum ? et S. C. rem ad judices suos commendavit pro definitione : *Urbinaten.*, 2 *octob.* 1723.

19. Hæredem universalem sibi instituit capellam SS. Conceptionis ecclesiæ S. Cæciliæ loci Spetiæ Jacobus Barbarossa, qui capellam erexerat, et dotaverat, onere tamen in testamento adjecto quamplurima implendi legata pia, tum Missarum, tum accensionis candelarum, et lampadis, tum novendialium precum occasione Nativitatis Domini festi. Oneribus impar hæreditas comperta fuit, itaque Franciscus Oldoinus capellæ patronus, et executor testamentarius declarari postularunt, quænam legata explenda essent ? et S. C. rescripsit eleemosynam Missarum deberi ad rationem manualis, et implenda esse omnia legata pia, et quatenus reditus hæreditarii non sufficiant, diminuendum esse legatum relictum capellano. Eidem enim assignationem auxerat testator : *Lunen. Sarzanen.*, 5 *junii* 1728.

20. Legatum unius ferculi hebdomadalis præstandi PP. Cappuccinis jussit Joan. Baptista Beni, ac etiam rogavit Annam Mariam filiam suam, et hæredem, ut capellaniam cum onere Missæ quotidianæ fundaret, qua expleta cessationem sacrorum hæredibus, et successoribus injunctorum voluit. Fundationem neglexit Anna Maria, ejusque hæres paratus ad capellaniæ fundationem contendit se non teneri ad implementum legati ferculi ; in ejusque favorem respondit S. C. consulta juxta votum Episcopi, et firma remanente obligatione bonorum hæreditariorum in casu diminutionis : *Lucana*, *Leg. pii*, 31 *julii* 1728, *dub.* 3.

21. Anna Maria Giusiana hæredem nominavit Cæciliam sororem suam, onere eidem fiduciaiiter indicto restituendi semisse hæreditarium monialibus SS. Annuntiationis civitatis Cunei post obitum suum. Cæcilia duas exaravit declarationes, in prima hæredes suos ad dictam restitutionem obligavit, nullo adjecto monialibus onere, in altera non immutata testamentaria dispositione ad realem assignationem medietatis hæreditatis devenit, monialibusque celebrationis duorum sacrorum qualibet hebdomada onus imposuit, quod etiam per viam contractus injunctum, exceptumque a monialibus fuit, ac etiam impletum. Putarunt modo Cæciliam onus præfatum imponere minime potuisse, sed eas ad implementum teneri S. C. consilium cepit : *Montis Regalis*, 30 *apr.* 1729.

22. Resolutiones editæ a S. C. die 20 sept. 1700 et 3 martii 1703 [7], super implemento legati pii a Bernardo de villa Fredario relicti pro comparandis vestibus in pauperum subsidium, et pro reparatione ecclesiæ cathedralis ab Episcopo applicati exequendæ sunt juxta modum : *Gerunden*, *Vest.*, 7 *julii* 1731, *dub.* 3.

23. Hæredi suo imperavit Anna Maria Yveglia, ut gemmas venderet, fundumque pro onerum, legatorumque, ab ipsa relictorum satisfactione emeret. Hujusmodi gemmæ evictionem in majori earum parte passæ sunt, adeoque hæres ad rationem residualis portionis onera explere optat, ac quonam pacto inter legatarios contributum fieri debeat ? postulat, et S. C. respondit, dilata, et ad secretarium juxta mentem : *Neapolitana*, *Leg.*, 10 *jan.* 1733, *dub.* 1 et 2.

24. S. C. decrevit quod perpensa Missarum reductione ab ipsa expleta anno 1711, sublatum censetur onus annuæ præstationis tum olei PP. Cappuccinis, tum ceræ, prout mandaverat Franciscus Tinellus, cujus hæres mediatus sub expositione, quod fructus hæreditatis adeo essent imminuti, ut vix sufficerent pro stipe Missarum, et ut ipse de suo ad supplendum non teneretur, sub die 5 sept. prædicti anni obtinuit rescribi Episcopo Asculano, ut veris existentibus narratis, et vocatis, si qui fuerint vocandi, ac soluta eleemosyna annui anniversarii, reliquos reditus in celebratione tot Missarum ad rationem eleemosynæ manualis inspecto regionis more, pro suo arbitrio, et conscientia gratis erogari mandet : *Asculana*, *Leg.*, 24 *julii* 1734, *dub.* 3.

25. Matthæus Maria Ghirlandari hæredem universalem instituit archiconfraternitatem Confalonis de Urbe nonnullis legatis indictis. Inter administratores quædem exorta fuerunt dubia, quæ S. C. hoc modo enucleavit, exactori scilicet, non competere integram mercedem scut. 100, sed ex his detrahendam esse ratiocinatoris mercedem : *Romana*, *Decl. vol.*, 23 *apr.* 1735, *dub.* 2.

26. Bona mobilia, vero reperta domi urbis Albani, quatenus dicta domus vendatur, comprehensa remanere non debent in legato in favorem pauperum ejusdem civitatis instituto ; *Ibid.*, *dub.* 3.

27. Et ex hæreditatis reliquatu aliqua certa

[7] Vide not. 142, tom. 1, verb. *Aperitio oris*.

portio non est eroganda in pauperum eleemosynam quolibet anno, sed mens testatoris exequi debet, quotiescumque redemptionis captivorum casu evenerit, arbitrio administratorum : *Ibid.*, *dub.* 4.

28. Anno 1700, Pomponius Jordanus sese, suosque hæredes obligavit ad annuam solutionem ducator. 36 PP. Min. S. Francisci indicta celebratione sacri quotidiani necnon ad solutionem duc. 4, pro celebratione festi B. M. V. de Monte Carmelo, reservata sibi facultate assignandi bona reditus præfati. Facti autem pœnitens Pomponius a S. C. assecutus est, ut Episcopo tribueretur potestas, qua eidem licitum foret conventionem inire non cum PP., quos præstationis incapaces esse asserebat, sed cum eorum syndico, et onus Missæ quotidianæ ad unam hebdomadalem reducere. Pomponii hæredes conventionem impugnant, et contendunt, ipsos deputare posse sacerdotes, qui celebrarent præfatam Missam, exclusis PP., sed S. C. mandat conventionem initam servandam esse : *Cassanen.*, 28 *apr.* 1736, *dub.* 1, confirmata 1 *sept. ejusd. anni.*

29. Quum rector collegii Scholarum Piarum oppidi Castrinovi, qui pro collegii erectione, et alumnorum manutentione delata fuit hæreditas Josephi Perelli, exposuisset bona hæreditaria gravium, et frequentium jurgiorum sumptibus fuisse obnoxia, et ex iis nec alumnos, nec etiam plures, quam sex religiosos ad hæc usque tempora nutriri potuisse; S. C. decrevit ex hactenus deductis non constare de sufficientia redituum ; ita ut PP. Scholarum Piarum teneantur manutenere alumnos : *Nullius, Farfen., Alum.*, 18 *maii* 1743.

30. Hæredes sibi scripsit Joseph Verzaglius primogenitos masculos fratrum suorum onere adjecto quorumdam sacrorum, indictaque caducitatis pœna, quatenus coram concilio Cœsenatensi implementi probationes non exhiberentur. Ob mortem hæredis instituti delata fuit hæreditas ad Lucretiam Bologhi hæredis præfati matrem, quæ ut hæres legitima, et non scripta putavit se non teneri ad exhibendas dictas probationes coram concilio, prout nec teneri cæteros hæredes hæredum in perpetuum. Concilium contradixit, et S. C. Lucretiam, aliosque hæredes ad controversam exhibitionem teneri declaravit : *Cæsenaten.*, 26 *martii* 1746, *dub.* 1.

41. Hæreditatem Joannis Nelli acciperunt PP. Oratorii S. Philippi Nerii cum onere gratis retinendi unum sacerdotem ecclesiæ servitio addictum, presbyter Joan. Antonius Lucchini hac de causa inter ipsos cooptatus fuit, quem inde PP. e congregatione ejecerunt ex redituum imminutione; quum ab ipso postulassent solutionem annuorum scut 18, quæ tamen solvere renuit Lucchinius ; expulsioni etiam obstabant constitutiones Congregationis, et S. C. expulsionem ratam non habuit : *Forolivien.*, 11 *julii* 1750, *dub.* 1.

32. Sodalitium sanctissimæ Spinæ hæredem sibi scripsit Alcides Galassi cum onere aram exstruendi in ecclesia PP. ordinis S. Augustini eamque dotandi in summa scut. 1000 jussitque ut PP. ad celebrationem bis in hebdomada adstricti forent in dicto altari pro ipsius anima. Pro sacrorum eleemosyna a sodalitio publicis tabulis conventa fuit summa scut. 12 quotannis PP. præstanda. Ast Card. Ginnettus præscripsit ut sodalitium fundum scut. 100 assignaret, et a præstatione prædicta liberaretur. Id tamen gestum non fuit; nunc vero sodales investimento præsto sunt, ita tamen, ut a solutione scut. 12 immunes evadant. Sed S. C. ipsos minime liberari ab annua præstatione ex hoc investimento judicavit: *Firmana, Leg.*, 17 *julii* 1756, *dub.* 1.

33. Ob pessimam administrationem bonorum relictorum a Silverio Piccolomineo pro alimentis juvenum Celanensium in urbe causa studiorum, et ob redituum imminutionem, juvenes præfati manutenendi sunt in seminario Marsorum cum reditus satis non esset ad alendos eosdem juvenes in urbe : *Marsorum, Leg. pii*, 4 *martii* 1758, *dub.* 1.

34. Qua de causa nominationem clerici Andreæ Santucci ad effectum commorandi in seminario Marsorum validam esse mandatur: *Ibid.*, *dub.* 3.

35. Perpetuum legatum annuarum lib. 100 relictum ab Antonio M. de Aventiis pro duabus pauperibus puellis habitantibus in communi S. Laurentii in collina impleri debet a die cessationis, quæ evenit ex gratia S. C. ob suppositam redituum deficientiam concessa, licet emptores prædiorum, qui onus assumpserunt, docerent de eorum in pejus mutatione et respectiva redituum imminutione. Onus enim universæ hæreditati impositum fuerat : *Bononien, Red. leg.*, 22 *martii* 1760, *dub.* 2.

36. Necnon annuum hoc legatum deponi debet quotannis in sacro Monte Pietatis ad effectum consignandi pecunias puellis nominatis in casu, quo Deo vovere aut matrimonium inire vellent, postquam dies solutionis cesserit : *Ibid.*, *dub.* 3.

37. Ac idem legatum quatenus puellæ nominatæ nec in Domino, nec in sæculo nubant, distribuendum est inter pauperes ad formam testamenti : *Ibid.*, *dub.* 5.

38. Antequam S. C. quidquam decerneret super augendis et partiendis dotationibus piorum operum a Petro Gonzalo institutorum jussit, ut interim Archiepiscopus incumberet deposito et investimento pecuniarum hæreditatis, et curaret etiam ex illarum fructibus compleri voluntatem testatoris: *Burgen.*, *Op. pior.*, 21 *aug.* 1762, *dub.* 1.

39. Joan. Baptista Pagliari hæredem sibi scri-

psit hospitale pauperum infirmorum in portu S. Mauritii existens, ita ut capellanus amovibilis haberetur, qui ibidem sacrum quotidie ageret; et sacramenta ministraret certo constituto stipendio; ex reliquis reditibus infirmorum adjumentum jussit, liberum tamen fecit suis executoribus testamentariis hospitale in ampliorem formam redigere et utensilia parare, dummodo provisum primum fuerit infirmis. Anno sequenti vero præcepit ut ex reditibus redundantibus tertia pars in celebrationem Missarum pro anima sua impenderetur, altera pars in hospitalis reparatione, extrema vero in distributione panis in favorem pauperum, maxime tamen optans, prout in testamento quod infirmis provideretur; ob id quæsitum est, quomodo consulendum foret legatis in codicillo relictis, et responsum fuit; erogatis in conservationem pauperum infirmorum antiquis hospitalis reditibus, erogentur in subsidium pro eadem causa reditus hæreditatis Pagliari, soluto capellano stipendio; de reliquis vero fructibus impleri testatoris legata ad formam codicillorum et ad secretarium ad mentem[8]: *Albiganen.*, 28 *sept.* 1765.

40. Dotis nomine prædium rusticum cessit Arsilia forti sacello B. M. Misericordiæ in ecclesia Min. conv. oppidi Mollani extructo. PP. vero Arsiliæ cesserunt sacellum ipsum una cum tribus sepulcris ac promiserunt sacrum quotidie inibi celebrare pro Arsiliæ ejusque consanguineorum anima, tria insuper officia quolibet anno peragere, lampadem accensam in sacello perpetuo servare; ac super his publicum instrumentum confectum fuit. Arsiliæ hæredibus compertum inde fuit capellam amplius non existere, ac tria tantum annua sacrificia celebrari, institerunt itaque pro capellæ nova ædificatione vel alterius subrogatione; et pro onerum implemento S. C. sententiam tulit esse conficienda omnia ad formam instrumenti: *Firmana*, 4 *maii* 1771.

41. In priori testamento Petrus Dominicus Marini Missas 12 perpetuo celebrandas injunxit et alteram cum cantu in die festo S. Francisci Xaverii, in secundo testamento vero propria manu subscripto signo parochialis ecclesiæ munito, et in quodam scrinio reposito, notario consignando, celebrationem sacrorum 4 tantum et alterius cum cantu ordinavit. Hujusmodi legatum S. C. consulta juxta ultimam dispositionem explendum esse deliberavit: *Anconitana, Leg. Pii*, 23 *nov.* 1771.

42. Executor voluntatis Petri Calcioni, qui animam suam de suis omnibus bonis recitavit hæredem et celebrationem Missarum faciendam edixit *in illis ecclesiis et ab illis sacerdotibus, qui designato executori testamentario placebunt*, bona magis offerenti vendidit pretio 900, ex conditione, ut solvat numerata scuta 500, de reliquis scut. 400 celebrarentur in qualibet benevisa ecclesia spatio decennii tot Missæ quot eidem summæ responderent. At dubitans executor Moretti cathedralis ecclesiæ prior, ne quid minus recte egerit quoad voluntatis defuncti implementum postulat, ut, an de eo implemento constet? dijudicetur; et de eo constare rescriptum est: *Fulginaten.*, 8 *aug.* 1772, *dub.* 1.

43. Multa pietatis ergo legata fecit mobilis vir marchio Spada in pauperum levamen singulis annis distribuenda. Familiæ suæ descendentibus et vocalibus Paulinæ congregationis administrationem relinquens voluit, ut si opus esset, aliquid mutaretur vel adderetur. Virgilius fundatoris filius decrevit, ut eleemosynæ non quotannis, sed tantum dum ingravescit annona, distribuerentur, idque a S. C. probatum fuit; ac inde etiam iisdem vocalibus privative spectare indicationem et determinationem anni, quo rei frumentariæ tanta sit difficultas, judicatum fuit: *Faventina, Red. rat.*, 19 *sept.* 1772, *dub.* 7.

44. Astolphus Galloppi postquam altare majus B. M. V. Lauretanæ dicatum marmoribus extruxerat, fundum etiam pro dote constituit, et optavit, ut PP. Min. conv. accensam lampadem ante præfatum altare retinerent, et tria quolibet mense sacra operarentur. Theresia Astolphi filia animadvertens, quod PP. unicam tantum lampadem, quæ jam ante tabernaculum sui altaris aderat, retinebant, secundæ lampadis accessione penitus neglecta, postulavit, ut PP. ad alterius etiam accensionem compellerentur; sed S. C. suos sensus exposuit, PP. non teneri ad duplicem lampadem accedendam: *Sabinen.*, *On.*, 3 *junii* 1780, *dub.* 1.

45. Joan. Baptista Rubinus legati solutionem annuam duc. 50 mandavit, ut Missæ in ecclesia metropolitana celebrarentur pro ejusdem anima. Hujusmodi legatum inita transactione redactum fuit ad annua duc. 25. Hæreditas Rubini pervenit ad familiam Margiaccam, quæ solutionem prædictam faciendam recusavit. Auxilio S. C. petito, dictam familiam ad illud onus a die omissæ solutionis teneri statutum fuit: *Beneventana*, 24 *jan.* 1784, *dub.* 2.

46. Parochus Joan. Maria Minis nepotem suum hæredem in testamento instituit hac declaratione, ut *le robbe di mobiliet cioè panni di dosso, biancheria, casse tavolini ferramenti esistenti di mia ragione nella casa parochiale di S. Leo*, hic a mar-

[8] Mens est, ut Episcopus curet exactionem scut. 1,277 adhuc non solutorum cum distinctione partitarum spectant. ad hæreditatem Pagliari, et referat de earum quantitate, ut S. C. providere possit, quid de his agendum sit: *Lib.* 115, *Decret.*, fol. 383.

ginali nota oratio intercipitur, sequentibus additis verbis, *con tutt'altro, che trovasi di mia rogione, e che passa sotto in nome di mobilio*, mox vero prosequitur, *si facciano stimare da persone perite, indi si vendano, e col prezzo si facciano celebrare tante messe*. Hæres putavit in legato contineri ea tantum bona mobilia, quæ expressa sunt, non autem libros, vinum, frumentum, oleum, et alia hujusmodi; et S. C. prædicta non contineri existimavit: *Feretrana, Leg.*, 17 *junii* 1786.

47. Administratoribus suæ hæreditatis legem fecit Romanus Boari, ut annuis scutis 40 pro eorum stipendio retentis, reliqui reditus in constructione sacelli in honorem SS. Annuntiatæ in ampliationem parochialis villæ S. Nicolai, Missarum celebratione, subsidiorum dotalium præstatione, aliorumque piorum operum ab ipso designatorum implemento impenderentur. Emphyteuta, qui pro annuis scut. 180 ratione canonis obligatus extiterat, legata omnia neglexit clam itaque fuit, quomodonam pia hæc opera implementa essent? eaque juxta votum Card. Archiepiscopi [9] implenda esse S. C. sensit: *Ferrarien.*, 15 *sept.* 1787, *dub.* 2, confirmata juxta modum [10]: 16 febr. 1788.

48. Legatum scut. 40 *de juliis quatuordecim pro singulo scuto monetæ Pontremoli*, in celebrationem quotidianæ Missæ, relictum per sacerdotem Camillum Coppini, et cujus hodie imminutus est valor, solvendum esse decernitur in moneta, quæ in usu est, juxta valorem scut 40, quæ in usu erant tempore conditi testamenti: *Apuana., Red., Miss.*, 24 *novem.* 1792, *dub.* 1.

49. Legatum de rebus cibariis hisce verbis expressum, *e pane, e vino, ed altro, che pereranno ad essi miei eredi per la rifezione de' Padri*, per Hyacinthum Carosi patribus Cappuccinis Auximi relictum in die celebrationis duplicis annui officii, nempe applicationis Missarum, oratorium piorumque operum sacerdotum, et laicorum, præstandum esse rescribitur, ad taxam Card. Lanfredini olim Episcopi Auximani, in scut. nempe tribus pro quolibet officio; quum antea erat in scut. 6, et modo religiosam familiam constituunt sacerdotes octo, et septem laici: *Auximana, Leg.*, 12 *julii* 1794.

50. Cum validum sit instrumentum acceptionis legati Francisci Mariæ Bianchi hæredibus relicti a PP. Scholarum Piarum collegii Lugi de licentia eorum provincialis cum promissione evictionis fundi confectum, ideo statuitur PP. teneri quoad futurum exequi legatum prædictum ad formam testamenti, et successivi instrumenti: *Imolen., Leg. pii*, 20 *sept.* 1794, *dub.* 2.

51. Ac quoad præteritum esse implendum a PP. supradictis ad formam fundationis, detractis expensis in summa liquidanda a Card. Episcopo: *Ibid., dub.* 5.

52. Legata pia onerum, et Missarum, quibus gravati erant hæredes testamentarii Joan. Baptistæ senioris Pessani perpensa renunciatione hæreditatis persolvenda esset juxta mentem [11] S. C. arbitrata est: *Savonen., Leg.*, 14 *martii* 1795, *dub.* 1.

53. Legatum Missarum annuum 50 addictum anno 1661 per hæredes Baptistæ Guazzi ipsorum oratorio, declaratur idem, ac illud totidem Missarum relictum an. 1651 a Baptista cum facultate celebrandi ubique: ac distincte non esse implendum S. C. stabilivit. Nam hæredes Baptistæ circumscripserunt ad unum prædium generalem bonorum hæreditatis hypothecam, quod Baptista voluit pro suo legato: *Cervien., Leg. pii*, 18 *apr.* 1795, *dub.* 1.

54. Sodalitium S. Mariæ Misericordiæ Calli, qui quatuor constat patrimoniis, et hospitale habet annexum, visitatores Apostolici Card. nempe Antonellius, et Carniensis Episcopus plurima ad res componendas, ac moderandas ediderunt decreta, sed in quibusdam dissentientes conservatores ejusdem sodalitii, oraculum efflagitarunt a S. C., quæ declaravit supprimendam non esse largitionem panis in pauperes ad annua summa scut 20, 31, ne rei novitate excitetur illorum tumultus; sed retinendum pro pauperibus parochi testimonium de sua inopia offerentibus juxta votum card. Antonellii: *Callien., Sup. dot.*, 28 *novem.* 1795, *dub.* 1.

55. Et erogandum fuit resolutum reditum hæreditatis Ranaldi annuæ summæ scut. 136, 38 pro infantibus expositis juxta votum ipsius Card. non ex ea hæreditate distribuenda, tamen quolibet triennio dos monastica scut. 100. Nam illa hæreditas utrique oneri impar est: *Ibid., dub.* 3.

[9] Card. Archiepiscopus putabat, ut retentis per administratores scut. 40, quidquid reliquum esset in piis operibus, atque eleemosynis verteretur, juxta legem a testatore traditam: *Ead. causa*, 13 sept. 1787, § *Omnia*.

[10] Nempe in omnibus, et per omnia ad formam testamenti Romani Boari, sed in iisdem operibus piis esse erogauda scut. 40, quæ sibi retinent usurarii titulo administrationis, ac similiter nec posse sibi retinere scut. 40 pro hospitio PP. Cappuccinorum, sed eas solummodo impensas esse admittendas, quæ vere in eorum alimoniam, et hospitium persolvuntur, et Archiepiscopum debere esse perpetuum administratorem operis pii: *Ead. causa*, 16 febr. 1788.

[11] Nempe, ut fructus hæreditariæ portionis possessæ a paupere vidua unius legitimi hæredis erogetur post ejus obitum in partiale implementum fundationis arbitrio Episcopi; et portio possessa ab altero in titulum patrimonii sacri erogetur pariter post ejus mortem ad formam fundationis: *Rel. in Ind. Thesaur. Resol.*, tom. 64, verb. *Legata*.

56. Postquam nonnulla opera pia Card. Petrus Paulus de Comitibus instituerat, hærede vocato Josepho germano ejus fratre in favorem trium ecclesiarum diœcesis Camerinensis, elegit pro executore testamentario P. Thomam alterum fratrem. Iste, defuncto Cardinali testatore, exequi cœpit illius voluntatem, sed ob gravem ætatem in suum locum substituit canonicum Vincentium Valenti, et ei jus tribuit super locis Montium piæ hæreditatis, et quædam alia in mandato procuræ sub reservatione beplaciti Apostolici præscripsit, vi facultatum, quas recepisse in testamento et etiam oretenus a pio Cardinali expressit. Substitutus Valenti alia addens opera pia impleri curavit, et ea, quæ Card. testator P. Thomas, et Valenti jusserunt, absoluta sunt. Sed neglecta fuerunt sacra, ac trium ecclesiarum supellex. Hæres modo equitis Josephi de Comitibus, et trium illarum ecclesiarum patrona postulat potestatem locorum Montium fructus exigendi ac confirmationem methodi a P. Thoma, et Valenti constitutæ, et in spirituale bonum populi S. Mauri per aliquot annos servatæ ; et S. C. disposita a P. Thoma, et ejus procuratore canonico Valenti servanda esse judicium fecit : *Camerinen.*, 18 *novem.* 1797, *dub.* 1.

§ III.

Legatum pium seu pia opera quoad applicationem, ac unionem.

1. Emmanuel Sanchez demandavit, ut residuam hæreditatem impletis legatis executores investire, et ex fructibus tot Missas loco non designato peragere curarent. Executores pecuniarum reliquum occuparunt, et Missas celebrarunt. Deinde diviso investimento, ex una parte unam capellaniam erexerunt, et alteram conventui Diani diœcesis Albiganensis cum Missarum onere attribuerunt necnon ejusdem administrationem cesserunt. At dubitans P. Borellius de ejusdem potestate quoad translationem administrationis prædictæ capellaniæ a Sacra Inquisitione, ad quam de jure spectabat, ad conventum Diani S. C. interrogat, quæ assignationem validam non esse resolvit, scribendumque Episcopo pro informatione super applicatione alterius mediетatis legati, auditis interesse habentibus, præcepit : *Berthonen.*, *Leg.*, 4 *junii* 1701, confirmata 1 *apr.* 1702.

2. Comes Benno de Martinez præpositus Vuissegradensis legavit flor. 5,000 primo pro fundatione monasterii Cappuccinarum S. Claræ; 2° obligavit hæredem præsentandi ad parochiam Lobeskirken unum ex clericis de Bartolomitis, ac inibi aperiendi seminarium, ac scholas inferiores; 3° legavit alteram summam flor. 5,000 Bartholomitis ad eumdem effectum ; 4° reliquit fundationem pro 5 eremis; 5° ex pretio quarumdem domorum Pragensis civitatis, ut emerentur aliæ in urbe Neopraga pro habitatione nobilium studentium Bohemorum una cum rectore. At exequi minime potuit voluntas prædicta tum ex oppositionibus quorumdam, tum ex tenuitate summæ legatæ ; ideo supplicatur pro commutatione voluntatis, clerici de Bartholomitis nomine etiam hæredis petierunt applicationem 2 et 3. Legati in favorem domus Salisburgensis, ubi educantur alumni, cum onere manutenendi tot juvenes juxta reditus. Capitulum Vuissegradense applicationem poposcit pro consulendis suæ ecclesiæ indigentiis; S. C. tamen respondit 2 et 3. Legatum exequendum esse, et pro faciliori executione eisdem legatis applicandas esse summas relictas pro primo. Et 4 et 5 vero legatum omnino implendum : *Salisburgen.*, *Com. vol.*, 18 *junii* 1701. Postea quoad 5 legatum denuo precantur pro commutatione quod executioni mandari nequit, ideoque rescripsit S. C. prævio recessu a decisis, esse locum commutationi pro manutentione tot alumnorum Bohemorum, et quoad locum audiatur Episcopus Pragensis : 1, *junii* 1715.

3. Marchio Antonius hæres Joan. Joachimi ex dominis de Bassano putavit PP. Reformatos S. Francisci prorsus incapaces esse relicti legati a dicto Johanne, qui voluit absoluto multiplico 20,000 locorum Montium S. Georgii Januæ dictis PP. locorum 80 reditus consignari annuatim pro vestibus eorumdem emendis. Idcirco rogavit pro applicatione hujus legati 80. Locorum in favorem ecclesiæ S. Mariæ de Costa ab ipso testatore fundata, perpensa ejusdem indigentia, et S. C. rescripsit, ut expectetur complementum multiplici : *Januen.*, *Leg.*, 17 *dec.* 1701, *dub.* 1.

4. Ob eorum inopiam filii Rosanæ de Nicolettis judicium incœptum contra hospitale terræ S. Laurentii in Campo sub multiplici substitutione hæredum, fratrum, ac sororum de Nicolettis prosequi non valentes, petierunt fructus hæreditarios auctoris Rosanæ ascendentes ad annua scut. 70 eorum vita durante, at S. C. negativum præbuit responsum : *Senogallien.*, *Usufr.*, 14 *junii* 1704.

5. Hæredes marchionis Cæsaris Vidoni, qui legaverat, ut construeretur in suo fundo, seu feudo, ac dotaretur ecclesia, ac conventus pro PP. ordinis Eremitarum ; et hæredes card. Petri Vidoni, qui collegiatæ erectionem in terra S. Joan. de Cruce scut 3,000 insuper additis mandaverat supplicarunt, ut legatum marchionis Cæsaris, quod insufficiens erat ad construendum monasterium, quodque Eremitæ, ceterique substituti excipere renunciarunt, uniretur cum legato Card. Petri. At S. C. censuit minime obstare in casu de quo agitur vocatarum re-

ligionum renunciatio quoad Patres S. Bernardi postremo loco vocatos : *Cremonen., Com. vol.*, 23 *julii* 1707, *dub.* 2, confirmata 29 *nov. ejusd. an.*

6. Nonnulla PP. Min. de observ. S. Francisci terræ Padulæ relicta fuere legata. Œconomus rev. fabricæ S. Petri petebat ea legata cum suis reditibus fabricæ applicare considerata præfatorum PP. incapacitate. PP. aut legatorum usum, utpote pro ornamentis Ecclesiæ relictum sibi retinere licere prætendebant. Obscurum fuit, num in favorem fabricæ S. Petri esset applicationi? et esse utique locum respondit S. C. commisitque secretario pro aliqua eleemosyna pro una vice tantum in favorem PP.: *Caputaquen. Leg.*, 28 *nov.* 1711, *dub.* 2.

7. Joan. Petrus de Comitibus mercator oppidi Lugari septem nominatis executoribus erectionem monasterii monialium Cappuccinarum non procul ab oppido ordinavit, eisdem concessa in alia pia opera commutandi facultate. Quum pia dispositio ad effectum perduci ob deficientiam pecuniarum nequiret, ac extrema monasterii S. Margaritæ ordinis S. Augustini ejusdem oppidi pauperie perspecta, implorata fuit applicatio honorum dicti testatoris, et S. C. prævia bonorum illius monasterii status exhibitione petitam indulsit facultatem accedente majoris partis executorum consensu, et cum appositione lapidis in memoriam testatoris, ac onere orandi aliquo modo arbitrio Episcopi pro anima ejusdem : *Comen. Appl. bon.*, 2 *decem.* 1713.

8. Quum serenissimus Lusitaniæ rex ob ampliorem, melioremque hospitalis B. M. V. Conceptionis a PP. congregationis Canonicorum secularium S. Joan. Evangelistæ constructionem, ac formam postulasset a S. Sede, ut applicari permittat eidem hospitali omnia legata pia urbis, et diœcesis Conimbricensis, quæ executioni non mandantur, nec mandata unquam fuerunt intra tempus per testatores præfinitum, aut a jure, vel diœcesana lege statutum, oblata debitoribus legatorum facultate cum S. Petri fabrica componendi; at mininistris rev. fabricæ sese opponentibus instantia admissa non fuit : 18 *maii*, 7 *decem.* 1715. Inde in generali congr. rev. fabricæ declaratum est non obstare petitæ gratiæ, S. C. recessit a decisis, et gratiam ad annos 30 juxta votum præscribendum [12] indulsit : *Conimbricen. Grat. app. leg.*, 21 *aug.* 1716.

9. Concessum jam ante fuerat a Summo Pontifice hospitali Spiritus Sancti urbis Elboræ indultum, cujus vigore legata omnia pia in eadem urbe ac diœcesi Elborensi a testatoribus relicta, ac in posterum relinquenda, quæ intra tempus pro executione statutum, non fuerint executioni mandata, eidem hospitali applicata censerentur, dummodo tamen legata non fuissent certis personis relicta. Proindeque petitur a S. C. planum facere, an legata Missarum, tam perpetuarum, quam manualium in indulto seu brevi, de quo agitur, comprehendantur?

10. An, et qui terminus præter designatum a testatoribus hæredibus, aut executoribus testamentariis, antequam legata pia non impleta hospitali expositorum Elboræ applicentur, sit præfigendus?

11. An, et quomodo sit Summus Pontifex consulendus pro moderatione brevis, seu indulti, de quo agitur? ad singula S. C. rescripsit, ut audiantur ministri rev. fabricæ, et ad mentem : *Elboren., Decl. ind.* 21 *maii* 1718, *dub.* 1, 2 et 3. Deinde causa reproducta censuit esse assignandum terminum trium annorum, qui elapsi sunt a die, quo hospitale interpellaverit hæredes pro implemento in curia episcopali : 3 *sept. ejusdem anni*, *dub.* 2. Et *ad dub.* 3. breve non comprehendere legata pia relicta certis personis, et locis, nec minus legata pro quibus impetratæ fuerunt, aut obtinebuntur

[12] « S. C. censuit si Sanctissimo Domino Nostro placuerit, per suas litteras Apostolicas in forma Brevis concedi posse gratiam applicationis hospitali præfato ad annos triginta duraturam, legatorum piorum urbis, et diœcesis Conembricen, quæ certis locis, vel personis relicta non fuerint, et executioni non demandantur, hac tamen conditione, ut hospitale non possit hæredes gravatos, seu quocumque titulo debitores convenire, nisi post decennium a die moræ, et maturatæ solutionis, ita ut legata unica vice præstanda post decennium a die debiti adimplementi, et quoad annua legata, annatæ tantum supra decennium elapsæ hospitali valeant applicari. Quo vero ad legata facta pro constructione monasteriorum, hospitalium, ecclesiarum, et similium relictorum, quæ executioni demandari nequeunt propter aliquod facti, vel juris impedimentum applicari nequeant hospitali nisi ad instantiam ejusdem hospitalis servatis servandis, præfixis hæredibus, seu aliis, ad quos eorum executio spectat, ab Episcopo competentibus terminis pro hujusmodi impedimentis removendis, aut pro obtinenda a Sede Apostolica commutatione talis pii relicti, et dispositionis; hospitale autem nisi post triennium a die publicationis, et affixitionis gratiæ in Urbe Conimbriæ illius exequutionem petere nequeat, et nullo unquam tempore molestari possit debitores, qui super Legatis præfatis vel se composuerunt, vel etiam quocumque futuro tempore se cum rev. fabrica S. Petri component, antequam prædictum hospitale post decennium a die moræ, conventi fuerint; et e contra nullatenus dicto hospitali licitum, et permissum sit ullam remissionem, seu condonationem debitoribus concedere, sed quocumque modo, et nomine se cum illis componere, sed totam, integramque summam debitam exigere teneatur. Demum executionem hujusmodi gratiæ omniumque illi connexorum eadem S. C. committendam esse censuit Episcopo pro tempore Conimbriæ privative quoad omnes alios judices, qui in hujusmodi applicatione se ingerere non valeant : » *Ex lib., Dec.* 67, *pag.* 372, *seq.*

compositiones a rev. fabrica S. Petri resolvit, item ut exprimatur etiam hospitale non posse facere vigore brevis compositiones, seu condonationes cum debitoribus, et ut brevis exequutio ad solum Episcopum pertinere debeat. Denique *ad dub.* I S. C. affirmativum dedit responsum, addendo ad mentem [15] : *dub.* II confirmavit dempta tamen interpellatione facienda; necnon etiam confirmavit *dub.* III non adempta Episcopis facultate exequendi etiam per suos delegatos : 21 *januar.* 1719.

12. Dum a Joan. Baptista Donghio, et Maria Æmilia Theresia ejus filia consanguineis testatoris Joan. Augustini Capelli legatorum, quæ in favorem pauperum, et puellarum reliquerat fuit applicatio petita. S. C. cunctando definitionem ad mentem [14] rescripsit : *Romana, seu Januen., App. Leg.*, 19 *nov.* 1718. Deinde autem S. C. præcepit; ut Emmanueli scuta 3 quolibet mense ex fructibus 12, locorum Montium, et Æmiliæ ex fructibus 80, locorum Montium dos in scut. 300, assignentur; ita tamen ut in uno anno scut. 150, totidem duobus sequentibus annis recipiat : 27 *apr.* 1720 [16].

13. Concessa [16] a S. C. legati Caroli Scaccia, quod ob grave Missarum onus PP. Oratorii S. Philippi Nerii admittere noluerant, applicatione in favorem seminarii summa indigentia laborantis, et consentiente possessore capellaniæ ab eodem Scaccia in ecclesia dictorum Patrum institutæ, modernus capellanus applicationi contradixit, asserens hæredem universalem fuisse capellaniam, ideoque sibi spectare jus accrescendi, sed S. C. non recessit a decisis, denegavitque unionem dicti legati in favorem capellaniæ : *Sancti Severini, App. Leg.*, 13 *april.* 1720, *dub.* 1 et 2.

14. Duo legata pater Laurentius Organi sacerdos Congr. Oratorii S. Philippi Nerii instituit in favorem puerorum suæ familiæ, ut edocerentur in præciaris scientiis, unus sub disciplina præceptoris, qui in grammatica, ac humanioribus litteris sit peritus, alter in seminario Romano. Residuum fructuum investiretur usque ad annua scut. 40 ad alendum clericum Pratensem pariter in seminario. Primum assecutus est filius Francisci Organi, qui cum alium liberum habuisset adhuc in ætate assequendi legatum aliud, non constitutum, postulavit applicationem fructuum ratione suæ indigentiæ, donec filius septennis ad ætatem 12 annorum pervenisset ad seminarium Romanum ingrediendum, et assecutus est per breve gratiam. At cum in favorem filiorum dicti Francisci interim purificata fuerit cujusdam majoratus substitutio, hinc omnis paupertas evanuit, proinde oppugnata fuit executio brevis; licet ex majoratu fructus percipere nequit dicti Francisci filius novennis, nisi pervenerit ad an. 20, S. C. autem ad quam fuit res delata, rescripsit, breve esse exequendum pro medietate : *Praten.*, 25 *januar.* 1726.

15. Administratores hospitalis Misericordiæ Portugalliensis exponentes plurimos tam indigenas quam exteros in eo recipi, ac omnino reditus impares esse tanto oneri sustinendo, ideo applicationem legatorum piorum in urbe, et diœcesi, quæ relicta, et sunt relinquenda a piis testatoribus, ac in tempore præfixo ab eis executioni non sunt mandata dummodo certis personis fuere relicta, petierunt; ita ut per quævis opera pia, quæ in hospitali fiunt, operibus a testatoribus demandatis expletum censeatur. S. C. vero distulit definitionem, et dixit ad mentem [17] : *Portugallen.*, 5 *junii* 1734.

16. Legatum a Blanca Theresia Buonvisi pro sacris missionibus relictum firmum permanere jussit S. C. Nam rescripsit non esse consulendum Pontificem pro commutatione illius, sive adplicatione in pium opus spiritualium exercitationum pro bono illorum civitatis, et diœceseos Lucensis, qui ad clericatum ascendunt : *Lucana*, 15 *apr.* 1741.

17. Benedictus Mandina inter cætera pia opera præcepit, duc. 700 per annos septem PP. ordinis Prædicatorum reformatis, vel aliis religiosis a præposito Congregationis S. Pauli seligendis, ut monasterium in civitate Melphiæ cum ecclesia construerent, ac dotarent. Facultatem vero voluntatem suam declarandi, et interpretandi dedit præposito S. Pauli prædicto, qui postulavit, ut rata haberetur declaratio a se facta commutandi opus monasterii regularium in alterum opus subveniendo non quidem seminario puerorum civitatis Melphiæ,

[15] S. C. ad primum dubium respondit affirmative, censuitque si Sanctissimo Domino Nostro placuerit instituendam esse perpetuam capellaniam cum onere celebrandi, et applicandi quotidie pro animabus eorum, qui legata Missarum applicandarum vigore indulti reliquerunt, supplendo de thesauro ecclesiæ factaque proinde per secretarium relatione Sanctitas Sua benigne annuit, et S. C. sententiam approbavit die 1 febr. 1719, lib. 69, *Decret.* pag. 4.

[14] Et mens fuit, ut Archiepiscopus Januæ informaret super existentia, et paupertate fratrum Joannis Baptistæ, audita communitate; et ut extrahi curaret ab æstimo partitam bonorum stabilium, quæ possidet prædictus Joannes Baptista, et ut exhiberetur assignatio locorum Montium facta ab eodem in favorem creditorum : *Ead. causa*, 27 april. 1720.

[15] In hac causa advocatus Dominicus Ursaya egit in favorem communitatis Vulturis, atque sua jura : *in Discept., Eccl.* 2, tom. III, part. II, *per tot.* in medium prodiit.

[16] Per summaria precum decisa.

[17] Id est secreto auditus fuit nuntius apostolicus antequam quidquam decerneretur : *Regist. Lit.*; lib. 28, die 5 junii 1734.

uti ejus rector exposcebat, sed iis mulieribus, quæ meretricio quæstu abjecto ad bonam redeunt frugem. Seminarii rector parum, nihilve dicit commutationem hanc profuturam, sed æquius et utilius fore demonstrat; si sors 4,900, seminario Melphiensi applicetur, et huic applicandam esse S. C. putavit: *Melphien., Com. vol.*, 22 *junii* 1743.

18. Sacerdos Joseph Romanus testamento suo bona omnia hæreditaria vendi jussit, pretiumque erogari mandavit in stipendium sacrorum. Deputati vero hospitii, ubi pueri, puellæque aluntur, et bonis moribus, atque artibus imbuuntur, poposcerunt voluntatis commutationem defuncti, et universæ suæ hæreditatis applicationem cum onere agendi perpetuo duo quotidiana sacra, sed scissis in æquas partes suffragiis et deputatis definitionem urgentibus, negativum a S. C. emanavit responsum: *Regien.*, 28 *april.* 1759.

19. Legatum ab Ignatio Quesina PP. Obser. S. Francisci relictum, ut illi ad fundationem conventus in Bosæ civitate devenirent, etiamsi conventus non fuerit adhuc erectus, tamen applicandum non est fabricæ ecclesiæ PP. Carmelitarum, neque erogandum in erectionem seminarii in eadem urbe Bosæ facienda ad formam S. Conc. Trid. [18], sed fundationi conventus PP. Min. de Observ. S. Francisci ad formam testamenti est applicandum, et ad mentem: *Bossanen., Appl. leg.*, 13 *maii* 1762.

20. Legatum pium, quod decem ex locis Montium ab equite Joan. Laurentio Bernino seniore pro annuis subsidiis 6 puellarum destitutis constat, pro dimittendo ære alieno minime est in favorem comitis Joan. Laurentii Bernini junioris applicandum; etiamsi apponatur conditio conficiendi multiplicum superextantium locorum Montium usque ad integram horum locorum redintegrationem: *Romana, Leg.*, 12 *junii* 1762.

21. Episcopus Nucerinus incrementum seminario ad amplissimæ suæ diœceseos utilitatem promovere studens novas ære suo construxit ædes; ac deinde supplicavit pro unione, et applicatione piorum legatorum ad hoc ut scientiarum præceptoribus ad erudiendos in eodem seminario commorantes pueros, qui solius grammatices rudimentis sunt hactenus imbuti, honorarium constitui posset. Et quoad legatum a Francisco Camilli in favorem pauperum, ac patriæ, ut pauperes, juvenes in seminario, vel in religiosa domo alerentur. Prædictam applicationem S. C. indulsit pro scut. 100, deleta conditione quoad nominationem, ac remotionem magistrorum, quod Episcopus sibi tribui facultatem optabat: *Nucerina, Appl.*, 25 *julii* 1762.

22. Quoad autem legatum a Francisco Laurentio Coppari relictum in favorem descendentium, quibus non existentibus, testator præceperat annuos reditus in dotationem pauperum puellarum Nuceriæ erogandum, S. C. applicationem denegavit: *Ibid.*

23. Applicationem tamen indulsit legatio Josephi Olivieri, qui nonnulla bona congr. Oratorii S. Philippi Nerii Nuceriæ reliquit, ut Nucerinus aleretur adolescens in Universitate Maceratensi, Firmana, aut Perusina: *Ibid.*

24. Denique quoad legatum proveniens a dispositione Laurentii Tortolini, qui binas in ecclesia S. Francisci fundavit capellanias, quarum fructus cedere parata est in favorem seminarii Presbyterorum congregatio, cui tam activum, quam passivum fuerat juspatronatus reservatum, S. C. rescripsit, dilata, et ad secretarium ad mentem: *Ibid.*

25. Joannes, et Lucas Gabrielli hæredes Dominici Orgoni de terra Viturelani, preces exhibuerunt, ut bona ab illo relicta post eorum mortem vendenda, et pro tot Missarum celebratione in suffragium animæ testatoris impendenda, sibi ipsis adscriberentur, et onus interim suscepissent implendi intra quinquennium 300 Missarum celebrationem. Sed S. C. votis hæredum non adhæsit, imo voluit, ut Episcopus conservationi bonorum testatoris incumberet: *Balneoregien.*, 17 *julii* 1773.

26. Legata relicta a Thoma, et Magdalena Madambra capellis SS. Conceptionis in ecclesia S. Francisci, et B. M. Arcis Majoris in collegiata Anguillariæ positis, ob tenuitatem redituum uniuntur ad capellam Sanctissimæ Conceptionis tantum cum annuo onere Missarum 45: *Sutrina*, 31 *julii* 1790, confirmata, 16 *junii* 1792.

27 Nicolaus Taddei præcepit investimentum scut. 100 in annuo censu, piumque legatum Missarum ex fructibus instituit, implendum in ecclesia S. Angeli Castri Derutæ, ac in aliis ejusdem loci ecclesiis. Eumdem fundum pariter reliquit Joan. Baptista Campi cum onere Missarum absque ecclesiæ designatione, ac summam ordinavit in manuales Missas erogandas. Plebanus S. Angeli, ut inopiæ suæ parœciæ consulat, pro applicatione trium legatorum perpetuarum Missarum 90, et pro facultate

[18] Sess. 23, cap. 18, *de Reform.*. qua erectio seminariorum clericorum, ubi nondum facta reperitur, demandata est, ac erigendi datur forma, quam etiam præcipit locorum Ordinariis Italiæ, et Insularum adjacentium Bened. XIII, Const. *Creditæ Nobis*, 9 maii 1725 (*Bull. Rom.*, tom. XI, part. 2, pag. 409), et novissime a Bened. XIV, sua Epistola Encyclica, et commonitoria ad omnes Episcopos incipien. *Ut primum* 3, decem. 1740. (*Bull. ejusd.*, t. 1, pag. 2).

pecuniam scut. 24 ex Taddei, et scut. 250 ex Campi hæreditate in manuales Missas destinatam investiendi cum onere 50 Missarum perpetuo deprecatus est. Ast S. C. annuit pro scut. 495 tantum investiendis cum solitis clausulis ad taxam perpetuam : *Perusina, Com. vol.*, 15 *januar.* 1791.

28. Canonicus Clemens, et Dominicus fratres Rilli sese invicem hæredes instituerunt, et mandarunt, ut post obitum superstitis, et Margaritæ Martini Dominici uxoris in usumfructum institutæ, erogaretur per sacerdotem Jacobum Massi executorem testamentarium pretium eorum domus, et horti adnexi in celebrationem Missarum. Modo superstes est Margarita an. 80. Ob id canonici ecclesiæ cathedralis orant pro applicatione legati pauperi illorum sacrario sub onere aliquas annuas Missas celebrandi. S. C. gratiam indulsit juxta votum Episcopi [19], celebratis quolibet mense tribus Missis in perpetuum pro anima fundatoris, et describatur in tabella : *Tolentinaten., App. leg.*, 9 *sept.* 1797.

§ IV.

Legatum pium, seu opera pia quoad caducitatem, et substitutionem.

1. Joan. Augustinus Capello præter conventum pro PP. Carmelitis excalceatis construendum in terra Vulturi, mandavit etiam scholas aperiri, ubi facultates docerentur substituendo in codicillis hospitale Pauperum B. M. Misericordiæ civitatis Savonæ in casu repudiationis legati vel minime expleti. Hospitale neglectam voluntatis executionem in medium protulit, et S. C. non esse locum substitutioni, et scribendum Archiepiscopo Januæ juxta instructionem [20] existimavit : *Januen., Leg.*, 22 *sept.* 1725.

2. Petrus Lebres monumentum sibi construxit in ecclesia PP. S. Francisci de Paula ante aram maximam, et prope presbyterium, iisdemque lib. 200 hac lege donavit, ut nempe tenerentur conservare sepulcrum, et lapidem eo modo, et forma, in qua tunc reperiebatur, quod si contrarium fecissent, etiam per Breve Pontificium, substituit hospitale generale. Exposuerunt PP. grave incommodum. quod ex sepulcro provenit, ex quo palmis sex supra pavimentum extollatur, obtinueruntque a S. C. sepulcrum pavimento æquari, ac demolitioni contradicente Nicolao Lebres, rescriptum fuit in decisis ; hospitale vero locum factum esse substitutioni contendit, et negativum tulit responsum : *Majoricen., Leg.*, 18 *april.* 1733, *dub.* 1.

3. Præstationem unius salmæ vini mosti quolibet anno jussit Tiberius Petronius in favorem conventus S. Mariæ de Arcu aliamque traditionem lagenarum 12 olei pro capella Sanctissimi Corporis Christi faciendam a rectore simplicis beneficii ab ipso fundati. Anno autem 1652 per Const. Innoc. X, Pont. Max., incipien. *Instaurandæ* [21] suppresso conventu, in quo decem non alebantur religiosi, præstationis legatum Episcopo persolutum fuit, inde vero omissum. Ideo latet, an caducitati legatorum locus fuit? et S. C. negativum dedit responsum : legibus enim fundationum Constitutio Pontificia non derogat : *Civitatis Castellanæ, Leg.*, 27 *sept.* 1738.

4. Joseph Maffei legavit operi pio fabricæ cathedralis ecclesiæ quamdam pecuniæ, summam adjecto onere perpetuæ celebrationis Missæ quotidianæ, addens, *e non accettando detto legato colla perpetuità di detto peso, ricada a favore dell' eredità.* Curia episcopalis monuit fabricæ camerarium, ut infra biduum super acceptatione legati deliberaret. Terminus expetitus fuit novus, inter quem fabricæ officiales declarationem acceptationis neutiquam emiserunt, sed Summo Pontifici supplicem porrexerunt libellum, ut quamvis legatum par non esset oneri, nihilominus ipsis potestas fieret excipiendi legatum, quod arbitrio, et conscientiæ Episcopi remissum fuit ; inde officiales formaliter acceptionem declararunt. Hæredes vero legantis caducitatem opposuerunt, ex quo acceptionem intra terminum ab Episcopo præstitutum facta non fuerit ; et S. C. deberi fabricæ legatum edixit : *Urbevetana, Leg.*, 10 *martii* 1742.

5. Joseph Leonus hæredem instituit ecclesiam archipresbyteralem S. Petri Apostoli urbis Præ-

[19] Qui ait « Id si EE. VV. placeat, eam legem (quod magni momenti esse reor) expresse apponi humillime rogarem, ut nempe administratio bonorum, de quibus agitur, semper fiat per canonicum, vel alium ab Episcopo pro tempore deputandum, ac annui reditus nonnisi de licentia, et consensu ipsius Episcopi exacte, ac fideliter singulis annis erogetur in causam in precibus expressam. » *Ead. causa*, 9 *sept*, 1797, § 3.

[20] Archiepiscopus invigilare dignetur, ut PP. Carmelitæ excalceati terræ Vulturri retineant magistros idoneos tum pro schola grammaticæ, tum pro aliis scholis rhetoricæ, logicæ et philosophiæ in executione ultimæ voluntatis Joannis Augustini, et mandet, ut in fine cujuslibet anni coram persona ab E. S. deleganda instituatur examen puerorum, qui ad scholam grammaticæ, accesserunt, et videatur, an aliqui velint, et possint ad altiores scholas ascendere : *Regist. Lit.*, lib. 26, die 22 sept. 1725.

[21] Die 15 octob. 1652, super extinctione, et suppressione parvorum conventuum, eorumque reductione ad statum secularem, et bonorum applicatione, ac prohibitione erigendi nova loca regularia in Italia et Insulis adjacentibus emanata.

nesti pro beneficii cujusdam erectione, inde legatum scut. 200 in favorem duarum pro-neptum pro singulis in suo testamento reliquit. Obierunt puellæ, et caducitatis casus dicti legati evenit, idcirco postulatum est a S. C., in cujus favorem caducitas sit? deberi legatum doti beneficii, non ecclesiæ, pro ejusdem incremento placuit respondere : *Prænestina Fund. Ben.*, 4 *decem.* 1745, *dub.* 2.

6. Annua scut. 30 a suo hærede præstari jussit Joan. Coppola in incrementum festi S. Rosaliæ in ejus ecclesia celebrandi; liberum tamen a solutione hæredem voluit, quatenus ecclesia a Sicula natione amplius non administretur. Natio prædicta cessit ecclesiam PP. Min. Observ. ordinis S. Francisci, facta ipsis facultate conventum erigendi, administrationem vero sibi retinuit; disceptatum est, num spectata præfatorum PP. receptione in ecclesia S. Rosaliæ annua præstatio deberetur? S. C. credidit rescribi dilata, et scribatur Archiepiscopo juxta mentem [22], et proponatur citatis PP. Observ. *Calaritana, Contr.*, 18 *april.* 1750, *dub.* 1.

7. Bonorum legatorum a Margarita Celsi cum onere Missarum pro PP. Min. conv. S. Francisci Montis Luponi cum substitutione ecclesiæ S. Petri plebis dictæ terræ in casu, quo defuissent legatarii in celebratione Missarum; his jam pro secunda vice justis tamen de causis reductis, instante ecclesiæ substituta, caducitati locum non esse declaratum fuit : *Lauretana, Cad.*, 19 *aug.* 1752.

8. Episcopus Palma testamento legavit censum in sorte scut. 1000 pro dote oratorii S. Aldeprandi siti intra limites parochiæ S. Rocchi, cum substitutione in favorem PP. Carmelitarum excalceatorum civitatis Urbini, *si in eodem Oratorio parochus jurisdictionem haberet, aut in illo parochia transferetur*. Parochus sua munera in oratorio exercere exoptans, quæsivit, an locus esset caducitati, seu ademptioni legati prædicti? et S. C. negativam dedit responsionem; postquam in primo dubio decreverat consulendum esse Pontificem pro immediata subjectione dicti oratorii jurisdictioni Episcopi, indipendenter a capitulo cathedralis, et a parocho S. Rocchi : *Foro-Sempronien., Jur. par.*, 25 *apr.* 1761, *dub.* 4.

§ V.

Legatum pium, seu opera pia quoad commutationem.

1. Jussit Angelus de Planchis Thomasiæ sorori suæ, et hæredi, ut ex reliquo hæreditatis distributionem in favorem pauperum ad sui libitum expleret. Defuncta Thomasia, et distributione non facta, statutum fuit a S. C. ejus hæredem non posse nec per viam gratiæ præfatum hæreditatis reliquum erogare in erectionem capellaniarum cum Missarum onere, et reservatione jurispatronatus in favorem suæ familiæ : *Lunen., Sarzanen., Dist. hær.*, 6 *febr*, 1700, *dub.* 2.

2. Instabant hæredes fiduciarii pro commutatione legati relicti a Julio Parisini, qui ex bonis superextantibus tot Missas celebrari jusserat. Hi vero quum ageretur de summa scut. 3,200, duas capellanias erigere optabant, sed instantia rejecta fuit a S. C., ac inde rescriptum confirmavit : *Bononien., Leg. pii*, 9 *sept.* 1702. [23]. Inde consilium mutavit, et mandavit Card. Archiepiscopo, ut curaret ex fructibus hæreditatis celebrationem Missarum ad rationem manualis, et in casu restitutionis sortis censuum easdem sortes integre erogaret in tot Missas pariter ad manualem, et compelleret hæredes fiduciarios ad redditionem rationum de fructibus per ipsum erogandis modo, quo supra expositum quippe fuerat in S. C., quod censuum venditio fieri non poterat, nisi cum notabili jactura legati : 12 *januar.* 1704.

3. Carolus Stigliano ecclesiam Spiritus Sancti positam in suburbiis civitatis Ostunensis erigi mandavit in parochiam, et collegium presbyterorum. Ejus voluntas ab Episcopo executioni demandata fuit, qui etiam ad titulum admissionis presbyteros ordinavit. Modernus Episcopus novit reditus impares pro illorum alimonia, censuit subrogare PP. Scholarum piarum, assentiente capitulo, et S. C. rescripsit pro meliori informatione juxta instructionem [24] : *Ostunen., Com. vol. et Er. conv.*, 17 *nov.* 1703.

4. Erectionem conventus PP. Recollectorum ordinis S. Francisci, vel monasterii monialium S.

[22] Quod Episcopus referat quale sit gubernium, quod modo natio Sicula exercet in præfata ecclesia S. Rosaliæ, exprimendo omnes, et singulos actus dictum respicientes gubernium, terminum competentem præfigat PP. observantibus ad deducenda jura sua in S. C. : *Regist. Lit.*, lib. 30, die 18 april. 1750.

[23] *Discept. Eccl. XVIII*, tom. III, part. II, *per tot.* Advocatus Dominicus Ursaya hanc commutationem totis viribus sustinuit.

[24] S. C. edocere voluit, de consensu trium presbyterorum in collegio superstitum, et transmittat distinctum calculum redituum hæreditatoriorum habito respectu ad fructus decem annorum proxime elapsorum, magis exacte informet super situatione, et qualitate ecclesiæ S. Orontii; et qua auctoritate permitti debeat pernoctatio duorum fratrum in domo dictæ ecclesiæ, et rursus referat causam, propter quam nulla adsit spes conservandi collegium a testatore volitum; super his insinuando ulterius, an commutatio voluntatis fieri possit in alium usum magis proximum ejusdem intentioni stante vocatione capituli : *Regist. Lit.*, lib. 23, die 17 novem. 1703.

Francisci de Paula voluit Maria de Aquilera. In defectu vero erectionis præfatæ bona divisit inter hospitale, et eremitas in oppido de Areonilla existentes. Nil horum gestum fuit. Aloysius itaque frater, et hæres Mariæ disposuit de suis bonis pro constructione conventus prædicti, qua non peracta infra sexennium, monasterium S. Claræ ordinis S. Francisci erigi ordinavit, aliter erigerentur tot capellaniæ. At denegato regio, et oppidanorum consensu pro constructione conventus, intra sexennium construi nequit; hinc obtenta fuit licentia ædificandi monasterium S. Claræ, sed vicarius generalis condemnavit administratores ad restitutionem bonorum in favorem eremitarum. Homines vero loci de Areonilla supplicarunt pro fundatione conventus ordinis S. Francisci Min. Observ. eodem loco, quo monasterium S. Claræ cœptum fuit, et S. C. commutationem petitam voluntatis denegavit, mandavitque dispositiones utriusque testatoris esse servandas: *Giennen., Com. vol.*, 12 *jan.* 1704, *dub.* 1.

5. Franciscus Senechettus scriptis hæredibus universalibus PP. Oratorii S. Philippi Nerii Nursiæ plurima legata pia ipsis injunxit, quibus expletis, reliquum hæreditatis in constructionem novæ ecclesiæ impensum voluit. Terræmotus causa in tentoriis degebant dicti PP., domo eversa; exorarunt itaque pro commutatione voluntatis, ita ut summa quædam pro ecclesiæ ac domus constructione conferretur, reliquum constituto prius fundo pro legatorum præstatione in eorum alimoniam converteretur, et commutationem indulsit S. C. ad mentem [25]: *Spoletana, seu Nursina, Inter., seu Com. vol.*, 6 *junii* 1705. Ac iterum instantibus PP., quia ex prædicta resolutione nullam utilitatem perciperent pro manutentione ecclesiæ, et sacrarii ac pro eorum vitæ subsidio, S. C. in eadem sententia permansit, aucta summa scut. 1,000 in favorem PP. ex medietate assignata in favorem ecclesiæ: 29 *januar.* 1707, confirmata 21 *maii ejusd. anni.*

6. Deprecantibus PP. Congr. Matris Dei, et sodalibus societatis B. V. a succursu hæredibus substitutis Stephani Leonardi, ut prævia commutatione voluntatis dicti testatoris fieri ab ipsis posset transactio cum hæredibus fiduciariis, ex qua ipsi congruam summam reciperent; cum ob difficultatem explendi tot, tantasque multiplices dispositiones testatoris, nullum unquam oratoribus obveniret emolumentum, S. C. jussit, ut firmetur status: *Lucana Com. vol.*, 10 *julii* 1706. Postmodum iterum pro firmatione status rescripsit: 21 *maii* 1707. Denique negativum responsum tulit, et ad mentem: 11 *febr.* 1708; confirmata et ad mentem: 2 *dec.* 1719.

7. Jusserat marchio Cæsar Vidonius, ut decedentibus filiis absque prole masculina ædificaretur ecclesia, et domus in territorio S. Gervasii pro PP. ordinis Eremitarum; his renuentibus alias substituit religiones. Clar. mem. Card. Vidonius ejus filius, et ultimus de linea masculina legato prædicto alia scut. 3000, addidit, quia ob redituum tenuitatem religiones vocatæ renunciaverant legato. Cardinali vita functo pro commutatione voluntatis instituerunt hæredes, ac trino dubio quæsiverunt, num religionibus vocatis obstaret renunciatio? num uniri deberent legata pro erectione collegiatæ, vel capellaniæ? ac tandem an, et in quam causam, et in cujus favorem facienda esset commutatio? S. C. ad singula dixit non obstare in casu de quo agitur quoad PP. S. Bernardi [26], ceteris vero jam provisum: *Cremonen.*, 23 *julii*, 1707, *dub.* 1, 2, 3, confirmata, 19 *nov. ejusd. anni.*

8. Decrevit etiam fructus dicti legati deberi a die obitus Card. Vidonii: *Ibid., dub.* 4, confirmata *ibid.*

9. Erectionem monasterii puellarum ex sua hæreditate faciendam jussit Joan. Baptista Protontinus. Ejus voluntate neutiquam executa, canonicus Thomas Ricciardus hæredem instituit dictum monasterium erigendum, putans tamen, quod puellæ parentum orbatæ in eo recipiendæ sint titulo educationis instar conservatorii; ita ut in seculo nubere possent; ex verbis vero Protontini fundatoris regularem, ac solemnem professionem emittere debere apparebat, commutatio itaque voluntatis Ricciardi

[25] « Mens autem fuit, ut Episcopus Spoletanus Commissarius deputatus, detractis prius legatis unica vice prestandis, et assignato fundo capaci pro aliorum temporali, vel perpetua satisfactione, medietatem præfatæ hæreditatis, et fructuum, qui factis prædictis detractionibus supererunt, erogari mandaret in fabricam ecclesiæ; alteram vero hæreditatem ut supra dividi in duas partes, quarum unam in ædificationem domus, alteram vero pro manutentione oratorum applicaret, et assignaret » *Ead. causa*, die 15 januar. 1707.

[26] « Et optima (Card. Petra ait dictam resolutionem perpendens) ratione dixit, in casu, de quo agitur, quia admisit posse fieri sine beneplacito renunciationem hæreditatis, vel legati onerosi nondum aditi, vel acceptati; et sic poterunt PP. sine beneplacito repudiare; tamen in hujusmodi abstentionibus, etsi non requirantur solemnitates, requiritur tamen legitimus consensus omnium partium, qui exigitur in quocumque actu gravi, ac proinde opus est consensu, nedum prælati, et abbatis, sed etiam totius conventus, cum agatur de gravibus rebus... et ex hoc motivo S. C. non approbavit renunciationem factam a Patribus, utpote emissam absque consensu capituli monasterii, et semper competebat restitutio in integrum ecclesiæ ob factam eam repudiationem. » *Comment. ad Const. V, Pauli II*, sect. II, num. 79, tom. V, pag. 225.

expetita fuit ; ita ut ex ejus bonis ali possent tot puellæ parentum orbatæ moniales ad formam dispositionis Protontini ; et S. C. dissensit : *Tarentina, Com. vol.* 21 *april.* 1708.

10. Per obitum Joan. Antonii Lucateli sine liberis ex ejus dispositione erigendum erat monasterium pro Deo vovendis virginibus, sed ob varias difficultates, et Episcopo denegante consensum nunquam erectum fuit ; hinc curia episcopalis commutationem voluntatis postulavit in manutentionem alumnorum sex in seminario, in quo ob redituum inopiam 4 tantum alebantur juvenes, et commutationem S. C. denegavit, et addidit, ut Episcopus incumbat in erectionem monasterii : *Cæsenaten., Com. vol.*, 5 *maii* 1708.

11. Disposuerat Felix Sorinus ædificationem oratorii, seu conventus, faciendam pro puellis recipiendis oppidi Vitellianæ. At Petrus Sorinus præpositus ecclesiæ parochialis dicti oppidi sub prætextu impetrandæ licentiæ, ac ob præjudicium parochialis ex dicta constructione, petiit commutationem dispositionis erigendo collegiatam in dicta parochiali ecclesia cum hæreditate prædicti fundatoris, et S. C. ad rogatum piam dispositionem esse exequendam juxta modum a testatore præscriptum, nec esse commutandam in collegiatæ erectionem sententiam tulit : *Cremonen., Com. vol.*, 7 *dec.* 1709.

12. Quoad pium legatum relictum a quodam catholico, ut aleretur scilicet sacerdos in quodam pastoratu, et sacellania quæ fieri, et curari debebat a PP. Societatis Jesu ad populi catholici commodum, decrevit S. C., ut expulsis e provincia Hollandiæ PP. Societatis Jesu, prout tunc evenerat, non licere cuilibet ex legantis hæredibus pro sua portione hæreditaria debitam summam impendere pro manutentione alicujus sacellani domestici, etiam pro incolis vicinioribus catholicis, sed alterius sacerdotis missionarii : *Hollandiæ, Past.*, 22 *febr.* 1710, *dub.* 2.

13. Hospitii erectio ad recipiendos Leodienses cives a Lamberto Darchis præscripti nunquam peracta fuerat ob redituum tenuitatem ; idcirco ne delusa remaneret ejus voluntas, executores testamentarii exorarunt pro commutatione hospitii in formale collegium servata mente testatoris, circa qualitates alumnorum, et S. C. annuit juxta modum : *Romana, seu Leodien., Er. coll.*, 7 *febr.* 1711.

14. Officiales hospitalis, et societatis Loci Plani Mercati exponentes legatum pium Propertii de Angelis haud exequi posse, cum non adesset nec hæbreus, qui catholicam fidem amplecteretur, nec meretrix convertenda, consilium petierunt, an esset locus erogationi prædicti legati, vel in aliis operibus piis ; vel in cumulum ? S. C. rescriptum apposuit, cumulari reditus ad effectum eos erogandi juxta mentem testatoris : *Urbinaten., Op. pii*, 28 *novem.* 1711.

15. Legatum pium relictum a Nicolao de Angelis principe Messapiæ pro fundatione monasterii S. Petri de Alcantara in oppido Turris S. Suzannæ, quæ exequi non poterat ob insalubritatem aeris, et penuriam eleemosynarum commutari postulatum fuit in tot capellanias, vel in dotationem puellarum status Messapiæ quolibet anno faciendam ex fructibus sortis. Primum quæsita fuit informatio, an, et quot sint conventus Mendicantium in oppido Messapiæ, et quæ in eadem terra, et finitimis locis opulentia, auditis interesse habentibus : 23 *martii* 1697, *dub.* 1 et 2. Deinde dilata, et ad mentem secretarii [27] : *Brundusina, Com. vol.*, 12 *decem.* 1711, *dub.* 2. Denique negativum datum est responsum ; sed esse commutandum juxta modum [28] dixit S. C.: 3 *martii* 1714, *dub.* 1.

16. Censuum, et molendini venditionem jusserunt Horatius Sertorius, et Angela Lighetta, et erogationem pretii in celebrationem Missarum. Ex defectu emptorum deveniri non potuit ad prædictam alienationem ; postulata itaque fuit facultas celebrandi perpetuo Missas pro rata parte redituum ; ita ut deputarentur duo capellani cum onere inserviendi choro in ecclesia cathedrali. Sed S. C. commutationem denegavit, et jussit, ut nova edicta affigerentur pro alienatione, et interim celebrarentur Missæ ex fructibus ad rationem manualis : *Pisauren., Com. leg.*, 17 *junii* 1713. Item ad novas preces S. C. ivit inficias, et mandavit celebrari Missas ad rationem manualis ex fructibus ; et quatenus restituantur sortes celebrentur Missæ etiam ad manualem : 23 *junii* 1714.

17. Hæredem sibi scripsit congregationem Oratorii S. Philippi Nerii Emmanuel Rodriquez dictæ Congr. præpositus, ac pluribus legatis piis one-

[27] Nimirum, ut litteræ darentur tum vicario capitulari Brundusino, cum etiam Episcopo viciniori pro informatione numquid in feudis baronalibus jam dicti principis adsit aliquod indigens monialium monasterium, quantique fructus annuatim retrahi possint ex investimento duc. 3000 in stabilibus bonis pro manutentione unius, vel plurium sanctimonialium juxta morem regionis. « *Ead. causa*, die 27 januar. 1714.

[28] « Modus est si Sanctitati placuerit sub onere recipiendi gratis moniales capitulariter, et necnon fieri debere investimentum pecuniæ legatæ in stabilibus bonis, ac apponi lapides in ecclesia dicti monasterii, in quo fiat mentio hujusmodi legati, et præsentis commutationis, onerumque præfatorum. » *Ead. causa*, die 3 martii *dicti anni*.

ravit, ac distributionibus pro pauperibus mulieribus invalidis, vel in carceribus detentis ; voluit tamen, quod si eadem Congregatio in difficultate rei domesticæ versaretur, distributiones suspendi possent. Commutationem præfatæ dispositionis poposcerunt presbyteri dictæ Congr. pro eorum ædificio recens erecto, quod necessariis caret officinis pro tempore S. C. benevisis, sed poposcerunt incassum : *Portucallen.*, *Com. vol.* 16 *dec.* 1713.

18. Joan. de Vernuccis hæredes suos plurimis oneravit legatis, tum Missarum in ecclesia designata celebrandarum, tum constructionis ecclesiæ in oppido Montorii, tum distributionis in favorem pauperum mulierum dicti loci ; hac lege, ut in casu diminutionis redituum bonorum ab ipso designatorum hæreditas suppleret. Inimicitiarum causa hæredes alibi domicilium transtulerunt et bona alienarunt, ecclesia neutiquam constructa. Modernus hæres petiit facultatem implendi legatum Missarum in civitate Neapolis ; prætermissa constructione ecclesiæ in oppido Montorii, et S. C. voluit ut audiatur Ordinarius loci Montorii juxta instructionem [29] : *Neapolitana, Com. vol. et Red. oner.*, 3 *martii* 1714, *dub.* 1. Inde commutationi esse locum decrevit juxta modum [30] : 7 *julii ejusd. anni.*

19. Legata Missarum ac subsidiorum dotalium præscripsit Jacobus Pecorellus instituto hærede capitulo et canonicis collegiatæ S. Petri. Postulata fuit facultas erigendi ac manutenendi conservatorium puellarum, quæ parentibus carent sub obtentu, quod consona esset voluntati testatoris hæc commutatio et licet faveret Episcopus, S. C. aliter sensit : *Nullius Guastallæ*, *Com. vol.*, 4 *maii* 1715.

20. Joan. Baptista Marrubius hæredibus fideicommissariis substituit communitatem oppidi Curbii cum onere erigendi monasterium monialium substitutioni factus fuit locus ; at ex insufficientia redituum exequi non potuit pia dispositio, idcirco fuit commutatio voluntatis implorata, erogando nempe reditus præfatos in subsidia dotalia in favorem magistrarum scholæ, accedente etiam Episcopi consensu, et S. C. ad rogatum respondit proponendam instantiam citata fabrica et interim pro meliori informatione juxta instructionem : *Narnien.*, *Com. vol.*, 16 *nov.* 1715. Deinde rescripsit Card. Priolo pro voto ; 14 *novem.* 1716, ac tandem esse locum commutationi juxta votum Card. relatoris et ad eumdem ad mentem [31] resolvit : 13 *nov.* 1717.

21. Loco capellæ sub invocatione S. Barbaræ construendæ in ecclesia parochiali Portus Fini juxta dispositionem Cæsaris Costa subrogandum non est unum ex altaribus ecclesiæ monialium SS. Annunciationis ; etiamsi una ex monialibus Francisca Costa esset secunda hæres testatoris : *Albinganen.*, *Red. on.*, 14 *mart.* 1716, *dub.* 1.

22. Nec aliqua de fructibus elapsis quantitas investienda est in favorem dicti monasterii pro manutentione capellæ, nec ex omnibus fructibus elapsis celebrandæ sunt Missæ ad rationem manualis et ad mentem juxta instructionem [32] : *Ibid.*, *dub.* 3, confirmata juxta modum [33] : 14 *novem. ejusd. anni.*

23. Silvester Rainaldus hæredem instituit societatem Suffragii adjecto onere ædificandi in testatoris domo ecclesiam dictæ societatis, ubi Missa hebdomadalis celebrari deberet. Hæres præfata supplicavit pro commutatione voluntatis quoad locum pro ecclesiæ constructione designatum ; at contradicentibus sodalibus hospitii peregrinorum substituti, negativum prodiit responsum : *Fulginaten.*, *Com. vol.*, 31 *julii* 1717. Concordia autem inita est, qua conventum fuit, ut scut. 200 solverentur hospitio ad comparandam domum pro peregrinorum usu, et ab hospitio consensus præstaretur pro ædificatione ecclesiæ in loco societati beneviso et re-

[29] « Quæ ejuscemodi fuit, ut super adjunctis precibus S. C. instructam redderet, et quatenus supersint descendentes ex familia Sanctoria, et Bruna a testatore prædilecti, iis auditis, subderet, num oratoris instantiæ assensum præstent » *in ead. causa*, *sub die* 7 julii 1714.

[30] « Modus est, ut pecunia destinata pro ecclesia construenda in loco Montorii investiatur in civitate Neapolis, cujus investimenti fructus erogentur in pauperibus mulieribus ex territorio dicti oppidi juxta voluntatem testatoris, Missas vero ab eodem celebrari demandatas posse celebrari in aliqua ecclesia capellanis benevisa in civitate Neapolis, et quoad alias eleemosynas mulieribus servetur solitum ejusdem testatoris. » *Ibid. ad dub.* 1.

[31] Quod Episcopus pro suo arbitrio, et conscientia gratis applicet, et assignet cum obligatione tamen tot recipiendi moniales, quot ali possint cum reditibus, qui in præsens percipiuntur, et in futurum forsan ex censuum, aliorumque creditorum ejusdem hæreditatis Marrubiæ exactione percipientur : Lib. 67, *Decret.* fol. 451.

[32] Quæ fuit, « medietatem fructuum decursorum ex locis Cameræ Januen. ad hæreditatem qu. Cæsaris Costæ spectantibus investiendum esse in augmentum dotis capellaniæ reducendæ juxta responsionem ad 2 dubium, ex reliqua vero medietate eroganda esse scuta 100, seu 150, monetæ Romanæ arbitrio E. V. pro construenda capella in parochiali ecclesia S. Martini Portuffini sub titulo S. Barnabæ, et residuum dictorum fructuum erogandum esse duxerunt in celebrationem tot Missarum pro anima testatoris. » *Ead. causa*, die 14 novem. 1716.

[33] « Nempe, ut arbitrio Card. Archiepiscopi ex fructibus tam antiquæ sortis, quam novi investimenti congrua dos pro una capellania cum onere Missæ quotidianæ assignetur, et ex reliquis fructibus altera erigatur capellania cum congruo respondente onere Missarum. » *Ead. causa*, die 14 novem. 1716.

nunciatio substitutioni emitteretur, et S. C. annuit pro commutatione, transactionemque approbavit: 15 *julii* 1720.

24. Pia mulier Isolda Melitensis conspicuam hæreditatem monasterio S. Nicolai de Arena ordinis S. Benedicti Cataniæ reliquit et legem imposuit, ut *monachi habitent in quadam ecclesia* vocata sub vocabulo B. Nicolai existente in dicta insula in terris ipsius testatricis, qui celebrent divinum officium *pro anima mariti sui et parentum suorum*. Melitensis Antistes impossibilem putans executionem voluntatis testatricis, eam sequenti forma mutavit, ut *in dicto monasterio S. Nicolai Cataniæ, ubi viget numerus monachorum quinquaginta et ultra, isti continuo orarent pro anima testatricis, et ut omnia ejus bona essent et converterentur in utilitatem dicti monasterii*. Rev. fabrica institit primum pro executione voluntatis, inde pro declaratione, quod monachi tenerentur in perpetuum ad celebrationem divini officii et Missæ conventualis cum applicatione peculiarii in favorem prædictæ piæ mulieris. Monasterium commutationem propugnavit, et post lapsam plurium sæculorum præsumptionem beneplaciti apostolici, monaci bis in die pro Isolda orabant. Consulta S. C. non teneri eos ad ullum novum onus præter solitum decretum prodiit: *Milevitana*, 18 *decem.* 1723.

25. Quum adversus sanctimoniales S. Mariæ de Turri expeditum a curia episcopali fuisset mandatum ex causa plurium legatorum piorum, pro quibus satisfactum fuisse non docebatur, monasterium cum rev. fabrica compositionem iniit. Ut autem in futurum sibi quoque prospiceret, preces obtulit ad impetrandam nonnullorum onerum moderationem aliorumque commutationem, et S. C. respondit ad mentem [34]: *Urbinaten., Red. et Com. on.*, 20 *decem.* 1782, *dub*, 1, 2, 3, 4 et 5.

26. Voluit Franciscus Gabuto, ut congregatio Oratorii S. Philippi Nerii hæres ab ipso scripta præter præstationem aliorum piorum legatorum, reliquos hæreditatis fructus impenderet in manutentionem nobilium virorum, qui idem institutum amplecterentur; hujus tantum legati commutationem petierunt PP. Oratorii, qui reliquum hæreditatis consumere optabant in constructionem novi templi, declararuntque se potius hæreditatem abdicaturos, nisi petita concederetur commutatio. S. C. decretum adscripsit negativum, et ut scribatur Archiepiscopo juxta mentem [34] mandavit: *Taurinen., Com. vol.*, 20 *decem.* 1732.

27. Legata pia pro Missarum celebratione PP. Missionis hæredibus injuncta, et a Laurentio Belmonte relicta, ejus neptes nobilis originis, sed ad miserrimum statum redactæ in propriam conservationem aliquam summam converti postularunt. Archiepiscopus eas censuit commiseratione dignas, et S. C. ad aliud tempus remisit definitio, et voluit, ut proponatur causa citato collegio hærede Marii Belmonte, cui hæreditatis partem assignaverat testator, nec non scribatur Archiepiscopo Consentino juxta instructionem [35], interim vero subministrentur per modum provisionis a PP. Missionis duc. 200, salvo jure redintegrandi, aut imputandi juxta declarationem faciendam a S. C.: *Neapolitana, seu Consentina, Com. vol.*, 20 *martii* 1734. Preces instaurarunt oratrices, et rescriptum fuit consulendum esse Sanctissimum juxta modum [36]: 25 *sept. ejusd. anni.*

28. Carolus Cellesius hæreditatis suæ fructus in celebrationem Missarum converti mandavit, ac etiam in hæreditatis manutentionem ad onera perpetuo ferenda. Executores vero testamentarii poposcerunt, ut celebratis tribus sacris quotidianis, reliquum hæreditatis impenderetur pro construenda domo, in qua mulieres male nuptæ, et puellæ, quæ honestatis periculum passæ fuerant, alerentur, et si quid superesset, alerentur etiam puellæ derelictæ, vel qui parentibus orbati sunt, vel dementes, vel adolescentes, ut studiis operam darent, ac etiam ut summa scut. 2000 ex bonorum mobilium venditione retracta investiretur in opus nuncupatum *Vallico di Seta*, ex quo majores fructus, quam ex censibus, vel locis Montium percipi possent: executorum zelum laudavit Episcopus. Sed S. C. responsum dedit negativum quoad bona hæreditaria, et ut servetur mens testatoris, quo vero ad scut.

[34] Exquirendum, an aliqua ratio posset iniri ad tribuendum dictis presbyteris subsidium aliquod ex fructibus dictæ hæreditatis in expressam causam construendi novum templum, quo eos indigere retulit; fortasse enim S. C. consuleret Sanctissimum, ut dignaretur ad certum tempus suspendere exequutionem prædictæ voluntatis, ut interim annui proventus pro illo opere assignari possent, si hoc medium esset profuturum in eum finem: *Regist. Lit.*, lib. 28, die 20 dec. 1732.

[35] Quæ fuit, ut ipse referret quantitatem bonorum hæreditariorum ejusdem Marii, ac denique explicaret onera a Mario imposita collegio Societatis Jesu civitatis Consentinæ ejus proprietario hæredi. *Ead. causa*, die 11 sept. 1734 § *Archiep.*

[36] Nempe censuit S. C. committi posse Archiepiscopo Neapolitano, ut veris, etc., in subsidium sororum supplicantium pro suo arbitrio, et prudentia assignet, earum vita durante fructus relictos, supradictis Mario, ex Lalla fratri, et respective sorori testatoris, necnon eis dictis oratricibus ita quoque applicet annuum legatum a testatore relictum in favorem Joannæ ejus uxoris in casu viduitatis, ut portio decedentis accrescat aliis super viventibus; donec fuerint numero quatuor, ac denique proportione servata imminuatur: Lib. 84, *Decret.* fol. 496.

2000 investiantur in bonis stabilibus : *Pistorien., Com. vol.*, 11 *sept.* 1734. Iterum vero perpensis circumstantiis resolutum fuit quoad scut. 2000 in decisis, in reliquis prævio recessu a decisis consulendum esse Sanctissimum pro commutatione voluntatis juxta modum, et pro hujusmodi effectu scribatur Episcopo juxta instructionem [37] : 20 *nov. ejusd. anni.*

29. Lucas Frediani hæredes scripsit orbatas parentibus educandas, et easdem puellas dotandas; ac cuilibet ex his operibus scut. 2000 assignavit. Mandavit etiam, ut si legata integre expleri nequirent, unusquisque ex legatariis suam pati deberet diminutionem. Exposuit autem executor testamentarius, quod considerata redituum diminutione ex viginti puellis parentibus orbatis novem tantum alantur, et ex tredecim dotentur vix quatuor, ideoque studuit, ut pium dotationis opus in alterum conservationis converteretur. Obstitit Salvator Frediani, qui pro filia sua fieri cumulum dotium a Summo Pontifice obtinuerat ; et S. C. negavit petitam commutationem, et quoad breve videri particulariter auditis interesse habentibus voluit : *Lucana, Com. vol.*, 20 *martii* 1737.

30. Multiplicum ex fructibus suæ hæreditatis fieri demandavit Joan. Lucas Fabrianus, quo perfecto erectionem collegiatæ optavit, et primogenituram in favorem descendentium a marchione Aloysio Arconati instituit. Neglecto multiplico, ac hæreditate dilapidata, marchio Arconatus impossibilem esse pii operis executionem exponens, quæsivit, ut sortes una cum fructibus erogarentur in opus Summo Pontifici benevisum, reservata quota in favorem primogenituræ, et S. C. rescripsit ad Card. præfectum juxta mentem : *Januen., Com. vol.*, 1 *junii* 1737, *dub.* 1 et 2.

31. Pro executione legati pii Missarum voluit Francisca Maria Florentini, ut pecuniæ deponerentur in mensa nummularia. Hæres fidei commissarius litigiosus vir penes se depositum pecuniarum fieri postulavit, et paratus est ad onus implendum. At interrogata S. C. id non admisit : *Lucana, Com. vol.*, 6 *julii* 1737.

32. Triplex Missarum legatum a tribus diversis personis relictum oratorio S. Sebastiani urbis Corrigi ad impediendam bonorum divisionem oratorii præsides converti apud S. C. egerunt in erectionem perpetuæ capellaniæ cum onere Missæ quotidianæ : et a S. C. quoad bona hæreditaria Josephi Bezzechi tantum impetrarunt : *Regien., Cap.*, 23 *sept.* 1741.

33. Martinus de Dominis canonicus collegiatæ S. Nicolai terrræ Pontiani sine filiis decedente ex fratre suo nepote Joan. Baptista ædificationem monasterii pro puellis suæ familiæ ordinavit. Testatore obito, Joan. Baptista junior de Dominis exponens demandatum opus impleri nequire, tum ex defectu puellarum, tum ex tenuitate redituum, cum rev. fabrica S. Petri sese composuit erigendo canonicatum in ecclesia S. Nicolai, reservans jurium cessionem, etiamsi sine filiis obiret. Descendentes vero ex Joan. Baptista seniore compositionem impugnarunt, ex subreptionis, et obreptionis vitio, et erectionem plurium canonicatuum, præstationemque subsidiorum dotalium in favorem puellarum familiæ ex bonis Martini petierunt ; et responsum fuit, compositionem cum jurium cessione minime validam esse : *Nullius, Terræ Pontiani, Com. vol.*, 5 *maii* 1742, *dub.* 1, confirmata 21 *julii ejusdem anni.*

34. Alter vero perpenso dubio, an sit consulendum Sanctissimum pro commutatione voluntatis in modum præfatum ? responsum est, ut firmetur antea status hæreditatis canonici Martini coram vicario apostolico, qui procedat pro redditione rationum adversus hæredes Joan. Baptistæ de Dominis junioris : *Ibid., dub.* 2. Inde probatum fuit impossilem esse voluntatis executionem ob redituum insufficientiam, et ad mentem [38] et ut audiatur Card. Commendatarius dixit : 8 *febr.* 1744. Tandem resolvit pro commutatione juxta mentem [39] communicandam Card. Commendatario ; in reliquis ad ju-

[37] S. C. instructam reddat Episcopus super qualitate bonorum hæreditatorium dicti q. præpositi Cellesii testatoris, nimirum, in qua bonorum specie consistant, et an pro illorum conservatione requirantur quotannis magni sumptus exprimendo eorum quantitatem, rursum informet super præcisa quantitate annuorum redituum eorumdem bonorum, necnon exprimat opus pium magis utile, ac necessarium pro bono publico civitatis, ejusque pauperum : *Regist. Lit.*, lib. 28, die 20 novem. 1734.

[38] Mens est, ut compellantur hæredes ad solutionem debiti : *Ead. causa*, die 8 febr. 1744.

[39] Hinc factum, ut ex mente S. C. a Sanctissimo approbata, Card. commendatarius decrevit : prosequendo mentem S. C. intendimus contemporanee destinare, ac fundare duplex subsidium dotale, quotannis tradendum puellis in gradu proximioribus consanguineis dicti canonici de Dominis, quas in suo testamento prædilexit. Idcirco in exequutionem dictæ mentis volumus, et mandamus, ut ex reditibus bonorum assignatorum dictis duobus canonicatibus, et respective canonicis, singulis annis subdantur scuta 50, pro quolibet, et exactissime in fine cujuslibet anni per dictos canonicos deponantur scut. 50, per primum et alia scut. 50 per secundum canonicum in arca capitulari pro effectu illa erogandi in dotatione illarum puellarum, quæ coram nobis docebunt de earum gradu proximitate dicto canonico de Dominis fundatori. » *Rel. in Avenionen. paroch.*, 1 *martii* 1766, § *Hinc.*

dices suos, et interim Card. Commendatarius incumbit administrationi et indemnitati hæreditatis etiam cum facultatibus S. C. : 30 *januar.* 1745. Hinc bini canonicatus erecti sunt in dicta collegiata a Card. Sciarra anno 1747, abbate commendatario, et statuta duo subsidia dotalia annua : quæ cum negligerentur, idem abbas occasione visitationis anno 1763 et 1771, separavit bona, ac dotes. Modo incertum est, quomodo sit exequenda bulla erectionis, ac fundationis a dicto Card. anno 1747 facta? ad formam decretorum S. Visitationis an. 1763, ac 1771, S. C. respondit : 12 *martii* 1796.

35. Petrus Franciscus Nardius cathedralis canonicus post hæredis usufructuarii mortem quamplurima legata pia exequi mandavit ; his vero impletis voluit, ut reliquum hæreditatis suæ, quam celerius fieri posset in celebrationem sacrorum erogaretur. Omnia, ut par erat, perfecta fuere ; quum vero adhuc scut. circiter 1000, superextarent, capitulum cathedralis petiit, ut dimidia pars in dotem unius mansionariæ in eadem ecclesia erigendæ impenderetur, altera autem medietas in ampliationem chori, ac novæ sedis constructionem pro dignitate ab ipso Nardio fundata. S. C. consilium nondum cepit et dixit ad mentem [40] : *Tolentina*, 13 *junii* 1744. Iterum causa exhibita negativum prodiit responsum : 5 *decem.*, *ejusd. anni*.

36. Singulis pauperibus scut. 5 distribui jussit canonicus Cosmas Saluccius, atque hoc pacto integram voluit erogari hæreditatem suam. Quinque etiam suæ voluntatis executores fecit. Ejus neptes dotem ex ejus hæreditate expetierunt. Censuit Archiepiscopus, ut singulis puellis a singulis executoribus scut. 5 assignari possent absque ulla voluntatis mutatione. Et S. C. juxta votum Archiepiscopi providendum esse judicavit : *Florentina*, *Com. vol.*, 23 *febr.* 1747, *dub.* 1 et 2. At postmodum in proposito consilio permansit, ita tamen ut pecuniæ pro dotibus deponerentur in sacra æde pietatis : 15 *apr. ejusd. anni*.

37. Aloysius Balbani censum, ejusque fructus sodalitio SS. Angelorum Custodum reliquit, ut musica æstivo tempore in quodam viridario, quo sodales piis agendis operibus convenicbant, fieret, quod si sodales legatum vel non susciperent, vel non implerent, presbyterorum Lucensium societatem substituit cum onere annuæ celebrationis unius anniversarii. Viridarii dominus renuit illius usum præstare, et alium locum adinvenire non potuerunt. Quum igitur absque eorum culpa onus musicæ explere nequirent, facultatem postularunt erogandi reditus census in expensas exercitationum quas hyberno tempore prima, et secunda noctis hora agere solent diebus festis, et in celebrationem unius anniversarii, et S. C. scribendum Archiepiscopo juxta instructionem [41] censuit : *Lucana, Com. vol.*, 30 *martii* 1748.

38. Modernus Episcopus, precatus est ut mutata Margaritæ voluntate, quæ institutionem congregationis Oratorii S. Philippi Nerii præceperat, eaque jam instituta extiterat, hujus Congregationis reditus converterentur partim in distributiones quotidianas pro canonicis cathedralis, partim in erectionem collegii instar Oblatorum in eadem domo manentium sub titulo S. Philippi, quibusdam optimis datis legibus, et S. C. pro hac commutatione dissensit. *Syracusana*, *Com. vol.*, 18 *apr.* 1750. Petiit inde Episcopus, ut integri reditus applicarentur novo collegio instituendo, rescriptum habuit consulendum Sanctissimum, et scribendum Episcopo juxta mentem [42] : 12 *sept. ejusd. anni*. At quoniam in hac causa vocatus non fuerat sacerdos Placidius Platone, qui solus ex collegio a Margarita fundato remanserat, qui expostulavit, S. C. recessit a decisis, et re examinata servandum esse instrumentum fundationis resolvit : 22 *maii* 1751, confirmata, 18 *sept. ejusd. anni*.

39. Hæredes fiduciarias scripsit canonicus Joseph Silva, ut per secreta suffragia pauperibus puellis dotes ex fructibus hæreditatis distribuerent ; et cum ex censibus magna ex parte componeretur hæreditas, mandavit, ut in casu restitutionis sortis, scut. 10 pauperibus, et scut. 20 ex sorte ipsa pro Missarum celebratione erogarentur, et id usque ad totius assis restitutionem agendum esse præcepit. Sed fiduciarii hæredes pium hoc opus brevi duraturum putantes, si voluntas testatoris exequeretur, preces exhibuerunt, ut census in casu restitutionis iterum investirentur, atque ut jus hæredis fiduciarii in hæredes eorum pertransiret. At nil ex his obtinuerunt : *Imolen.*, 20 *maii* 1752.

40. Dominicus Magliotti uxori suæ hæredi man-

[40] Mens est, ut proponatur una cum aliis dubiis, et scribatur Episcopo, juxta instructionem.

[41] Commissum fuit Episcopo, ut si vere a domino viridarii denegetur illius usus pro implenda testatoris voluntate, eamdem juxta preces a sodalibus oblatas pro suo arbitrio gratis commutet, emissa tamen per eosdem sodales obligatione in forma juris valida pro celebratione duarum Missarum singulis annis in perpetuum in suffragium dicti testatoris : *Regist. Lit.*, lib. 30, die 30 martii 1748.

[42] S. C. respondit affirmative, proindeque censuit prævia commutatione voluntatis supradictæ testatricis, petitam facultatem erigendi sacerdotum Oblatorum collegium cum conditionibus superius expressis, et juxta novas preces per suas litteras apostolicas in forma brevis Episcopo oratori concedi posse : Lib. 100, *Decret.* fol. 365.

davit, ut bona omnia venderet, ac ex pretio vel sacra celebrare faceret, vel eleemosynas præstaret; præcepit etiam, ut mature fieret venditio, ne vili pretio alienarentur bona ac interim ex eorum reditibus voluntatem impleret. Venditio fieri non potuit; uxor itaque PP. Carmelitis excalceatis bona cessit cum onere celebrandi sacra ex fructibus; donec venderentur bona. Nec PP. Carmelitæ venditionem explere potuerunt. Hinc capitulum cathedralis a Sum. Pontifice consecutum est, ut invendita bona sibi addiceret pro constructione altaris in cathedrali, cum onere solvendi scut. 20. rev. fabricæ S. Petri, ac quotannis celebrandi Missam pro anima testatoris. Huic gratiæ contradixerunt PP. Carmelitæ, et S. C. illam commutationem supra expositam indulsit : *Interamnen.*, *Com. vol.*, 8 *maii* 1756, confirmata, 29 *ejusd. anni*.

41. Jam antea S. C. concesserat sub die 28 aug. 1756 communitatem legati pii a Pontiano Fargna relicti, qua facultas facta fuerat, ut pecuniæ assignatæ pro ampliando hospitali civitatis plebis, cui ex alio pio opere satis provisum fuerat, investirentur in bonis stabilibus, quorum reditibus subministrarentur alimenta infirmis. Contradicente inde commutationi prædictæ advocato Fargna S. C. rescripsit in decisis, et amplius : *Civitatis Plebis*, *Leg.*, 15 *apr.* 1758, *dub.* 1.

43. Voluntas testatoris Josephi Camilli Valentini, qui præcepit specularium ad altare sanctissimi Crucifixi ecclesiæ S. Mariæ Lauretanæ nationis Picenæ, quod altari dedecebat, et impensum scut. 200 requirebat, et alio loco Cenotaphii erectionem jusserat, commutanda est juxta votum Card. protectoris : *Romana.*, *Leg.*, 22 *julii* 1758, *dub.* 1.

43. Casus substitutionis evenit in favorem Benedictinorum S. Sixti Placentiæ, et locus factus fuit constructioni oratorii in prædio testatoris Nicolai Soprani, qui dicto onere eos cum quotidiana sacrorum trium celebratione gravaverat. At primus hæres bona dissipaverat, ejusque filius Marcus, jura sua PP. cessit ob defectum filiorum masculorum. PP. Benedictini plures sustinuerunt lites contra tertios possessores, ac alimenta suppeditarunt Marco, qui sacra omisisse moriturus aperuit. PP. imploraruntvoluntatis commutationem, omittendo scilicet oratorii ædificium, et sacra in eorum ecclesia celebrando, et S. C. respondit scribendum Episcopo juxta instructionem [43] : *Placentina.*, *Com. vol.*, 6 *decem.* 1760. Inde annuit pro commutatione juxta votum Episcopi [44], facta in favorem capellani assignatione fundi ad normam testamenti : 8 *aug.* 1761.

44. Multiplicum jussit Franciscus Corradinus usque ad confectionem sortis sufficientis pro fundo prælaturæ, ac patronarum destinatis familiis reliquit, quum autem spatium an. 80 requisitum esset ad perficiendum multiplicum, patroni exorarunt pro facultate erigendi binas capellanias cum Missarum onere, sed commutationi non esse locum S. C. respondit : *Auximana*, *Com*, *vol.*, 18 *julii* 1761. Testatoris sorores, quarum descendentibus relictum fuerat juspatronatus, iterum pro commutatione supplicarunt, et S. C. concilium mutavit juxta modum [45], 2 *junii* 1762. Filius unius ex sororibus Romæ studiis vacans de annua præstatione conquestus pro incremento juxta summam a testatore volitam, institit, et nihil tamen obtinuit : 2 *julii* 1764.

45. Voluntatis commutationem elargita est S. C. juxta Episcopi votum [46]; ita ut excepta eleemosyna pauperibus distribuenda legata contemplatione patriæ, et pauperum relicta a Virginio Turchi adjungeretur doti novorum beneficiorum, quæ ipse erigenda mandavit in ecclesia cathedrali in increecclesiæ, quod vergit in incrementum divini cultus, utque pro singulis beneficiatis expleatur quantitas requisita pro titulo ordinationis, ad quam beneficiatos assumi titulo eorumdem beneficiorum testator ipse concessit. Cum enim voluntas testatoris, ut etiam defenditur in circumferendo beneficiatorum libello, impleri nequeat quoad omnia legata, ob insufficientiam relictæ substantiæ, ea expedit servare, quæ utiliora videntur. Præsertim quia per institutionem beneficiorum utilius consulitur suffragio testatoris, ob Missas conventuales pro benefactoribus celebrandas, aliasque preces Deo fundendas : et pinguius completur ejus voluntas principaliter intenta ad honorem patriæ, et levamen pauperum, atque ad promovendas litterarum scientias, quia cum testator beneficia instituere professus sit in honorem patriæ, et decorem ecclesiæ, et in beneficiatos cooptari præceperit, qui pietate, scientia, et paupertate præstarent, non videtur plenius, et utilius impleri posse ejus voluntatem quam applicando potiori causæ beneficiatorum id, quod pauperibus incertis relictum est : *Sub die* 20 novem. 1762, § *Censet*.

[43] Datæ idcirco fuerunt litteræ ad Episcopum requirentes, num in locis finitimis prædio nuncupato *il Poggio*, ubi pro celebratione trium Missarum quotidianarum oratorii constructionem testator demandaverat, aliquod adesset oratorium, in quo expediret unius saltem ex injunctis Missis quotidianis decernere celebrationem, ad consulendum indigentiæ, et commoditati ibidem degentium : *In thesaur.*, tom. 30, pag. 148.

[44] Insinuat Episcopus posse oratoribus indulgeri petitam commutationem, facta eisdem potestate celebrandi Missas a testatore præstitutas cum eleemosyna unius julii Romani pro qualibet Missa, præter subministrationem in ratione decimæ partis alterius julii similis, juxta taxam, quæ in usu ibidem est ; *Ead. causa*, 8 aug. 1761.

[45] Et modus fuit, ut assignarentur annua scuta 120, juveni studenti in Urbe juxta ordinem vocationis ad prælaturam, ad decennium : *Ead. causa*, die 2 junii 1762.

[46] Censet (Episcopus) hujusmodi legata saniori consilio uniri posse doti novorum beneficiorum, ut congruo stipendio allecti beneficiati diligentius incumbant servitio

mentum divini cultus, ac ne deesset ministrorum numerus. Dos enim ab ipso relicta detrimentum passa fuerat, ita ut pro ordinationis titulo satis non esset, quemadmodum testator voluerat: *Fulginaten., Com. vol.*, 4 *decem.* 1762.

46. Michael Angelinius hæredes fiduciarios instituit tres sibi familiarissime conjunctos sodales S. Mariæ Pietatis, his deficientibus substituit Syndacum, ratiocinatorem, et depositarium pro tempore, onere dato, ut ex fructibus hæreditatis quolibet anno in quatuor diligentiores sodales distributio fieret, a cunctis tamen sodalibus per suffragia seligendos, quod si aliquando vel nulli, vel minus quam quatuor frequentiores reperirentur, patriæ pauperes ad fructuum partitionem admitterentur. Quod testator voluit nunquam exequi potuit; petierunt itaque sodales commutationem distributionis in favorem eorum etiam ad declinanda dissidia super cognitione impedimentorum, et negativum receperunt responsum: *Bononien.*, 17 *decem.* 1763.

47. Sodalitium tertii ordinis S. Francisci Assisii, ad quod delata fuit hæreditas Rosmi de Rosmis deficientibus institutis, et primis substitutis, preces obtulit pro commutatione legati in favorem juvenis adolescentis, ut lauream assequeretur, relicti, in stipendium lectoris utriusque juris. Testator vero in defectu adolescentis puellas pauperes substituerat. Mandatum fuit Episcopo, ut executioni incumberet, et sodalitii petitio rejecta fuit a S. C.: *Assien., Com. vol.*, 21 *julii* 1764.

48. Petrus Negretta Sierra hispanus in suo supremo voluntatis elogio legavit 125 *mila pezze* PP. Societatis Jesu, qui collegium erigerent cum onere docendi scientias, earumque rudimenta. Si vere collegium non erigeretur, reliquit 120 *mila pezze* pro explendis sacris missionibus in insulis Philippinis, et de aliis pro pluribus piis operibus disposuit. Præter hæc de aliis 25,000 jussit, ut pro reædificanda, augendaque ecclesia erogarentur, ac in ea sacellum pro se et familia cum sepulcro erigeretur. Parochus, et populus, quum erectum non fuisset collegium, supplices fuere pro commutatione in scholam grammaticæ, duasque dotes quotannis distribuendas, et ad sustentandos oppidanos in aliqua universitate studiorum. Sed S. C. in hanc sententiam minime descendit: *Santandrien.*, 1 *martii* 1766.

49. Pluribus in favorem incolarum oppidi S. Cæciliæ præscriptis, Francisca Roche mandavit etiam expositionem SS. Sacramenti, ac multiplicum scut. 480 pro parochi manutentione. Prefata summa nunquam ob executorum dissensiones investita fuit, ejusque hæres sacerdos Aloysius Arnaud rusticam agens vitam in loco Scifelli Verulanæ diœcesis, ubi pro incolarum commodo ecclesiam extruxerat, onera testatricis in dicta ecclesia impleri posse postulavit, sed minime assecutus est: *Vasionen., seu Com. vol.*, 4 *apr.* 1767.

50. Maria Sanucci legavit scuta 50 conventui SS. Annuntiatæ, scut. 100 monasterio Capuccinarum, totidemque conventui PP. ordinis S. Augustini cum onere perpetuo retinendi lampadem accensam ad altare B. Andreæ Sanucci, aliaque implendi ab ipsa præscripta. Legata hæc tradi mandavit ex pretio cujusdam domus, quæ fuit vendita, ita ut ad PP. Augustinianos pervenerint scut. 44 ideo commutatio implorata, vel onerum diminutio fuit, et S. C. diminutionem tantum concessit juxta modum [47]: *Camerinen., seu Fabrianen., Leg.*, 20 *januar.* 1770.

51. Legatum pium Missarum instituit sacerdos Philippus Antonius Francioni in collegiata Cinguli implendum. Devoluta hæreditate, ob deficientiam descendentium ad capitulum cathedralis contradicente familia de Paolis testatoris sanguine juncta, lis transactione quievit, qua conventum fuit, ut onus incumberet prædictæ familiæ erigendi mansionariam in eadem cathedrali, proindeque commutandi legatum pium Missarum ob cultus divini incrementum, et ecclesiæ decus, sed transactionem minime probavit S. C. *die* 24 *julii* 1762. Iterum repetita instantia responsum est, locum non esse erectioni mansionariæ, seu confirmationi transactionis, ita ut standum sit in decisis: *Cingulana, Er. mans.*, 14 *dec.* 1771.

52. Nosocomii S. Spiritus reditibus imminutis, et aucto infirmorum numero ad commutationem oneris Missarum in pauperum alimoniam, et hospitalis subsidium devenire ab illius protectoribus excogitatum fuit, sed contra testatoris voluntatem, ac ejus longævam executionem, S. C. commutationis minime consilium cepit: *Albintimilien., Com. on. Miss.*, 15 *febr.* 1772.

53. Mandavit sacerdos Franciscus Antonius Cristofanetti, ut hæredes fiduciarii ejus bona venderent, pretiumque in celebrationem Missarum manuali statuta eleemosyna erogarent. Testatore obito pauca tantum bona vendi potuerunt reliqua valoris majoris, quum invendita adhuc essent, capitulum collegiatæ oppidi Montis S. Viti in erectionem quatuor mansionariatuum cum onere chori et celebrationis Missarum 50 erogari postulavit, sibi jurepatronatus

[47] Nempe, ut in diebus dominicis, et festis retineri debeat lampas accensa ad altare B. Andreæ Sanucci die tantum, etsi aliquid supererit, erogetur pro cera, et ad mentem: *Rel. a Ferrari in Bibliot. can.*, t. 8, p. 455 *edit. Rom.*, 1789.

reservato. Hæredes consenserunt, dumtaxat juspatronatus pro prima vice petierunt, consenserunt pariter interesse habentes; tamen S. C. de hac re ita non existimavit: *Senogallien., Com. vol.*, 27 *junii* 1772.

54. PP. Conv. et ecclesia S. Francisci terræ Longiani petierunt commutationem voluntatis conjugum Muccioli, a quibus proprietarii hæredes instituti fuerant, quoad tria potissimum onera ab ipsis implenda, videlicet panis in domo prædictorum conjugum pauperibus distribuendi, retentionis lampadis accensæ ante imaginem B. M. V. existentis in ædicula sita in villa Massæ prope domum testatorum, ac tandem ejusdem cellæ, sive ædiculæ manutentionem. S. C. stetit pro commutatione voluntatis quoad lampadem ad effectum illam transferendi, ad ecclesiam PP. Conv. coram imagine B. M. V. in reliquis negative: *Ariminen., Com. vol.*, 2 *dec.* 1775.

55. Commutationem legatorum relictorum a fratribus, et sororibus Fogliani, et a Jacobo Santili expetierunt hæredes in erectionem capellaniæ in ecclesia S. Mariæ *dell' Orto*, legatis hactenus non expletis, excepto legato Santili, et S. C. respondit, dilata, et firmetur status uniuscujusque legati, et hæreditatis respectivorum testatorum, et ad mentem [48]: *Cajetana, Com. vol.*, 13 *julii* 1776.

56. Binas sacer Mons Pietatis Forosempronii possidet hæreditates; unam scilicet comitis Particelli, Stephani Modesti alteram. Primus testator mandaverat, ut tot eligi deberent lectores ad eruditendos juvenes Forosempronienses, quot hæreditas feret; voluit alter, ut hæreditas sua ad reditum 400 ducalium ope multiplici perventa in duas divideretur partes, quarum una in dotandis puellis, altera in celebratione Missarum impenderetur. Ad Urbinaten. Archiepiscopum vero, et ad suæ diœceseos puellas hæreditatem devolvi hic præscripsit, si quod ipse voluerat, non impleretur. Vicissitudines, et decrementa utraque hæreditas passa est, adeoque administratores Montis commutationem voluntatis Modesti postularunt; ita ut ex reditibus ambarum hæreditatum locus sit electioni et manutentioni lectorum philosophiæ et theologiæ, quorum opera maxime civitas indiget, sed administratorum voto haud indulsit S. C. et ad mentem subjunxit: *Forosempronien.*, 1 *martii* 1777.

57. Animam suam hæredem scripsit sacerdos Petrus Bianchi præcepitque ut quinque laicales capellaniæ erigerentur, ut si bona ab ipso relicta ad aliud opus transferri contigisset, communitatem substituit cum facultate eligendi sacerdotem, qui bona administraret et legata impleret. Vix testatore obito congregatio deputata pro fabrica novæ cathedralis postulavit commutationem voluntatis Bianchi in favorem ejusdem fabricæ, nihil tamen obtinuit: *Forosempron., Com. vol.*, 16 *maii* 1778.

58. Canonicus Jacobus Matius hæredem collegiatæ S. Agathæ capitulum vocavit, ita ut ejus bona in constructionem ecclesiæ ruralis, ubi sacra ab ipso præscripta celebrarentur, cederent. Urgente necessitate ejusdem collegiatæ, expetitum fuit ut relictum pro nova ecclesia ædificanda in ejus favorem erogaretur et sacrorum translatio fieret ad altare S. Petri prædictæ collegiatæ. S. C. ad singula dixit *negative*, ac relictum pro ecclesiæ ædificatione erogandum in favorem ecclesiæ S. Felicis, quæ parum distabat a loco, quo nova extrui debebat ecclesia, arbitrio Episcopi, et facto verbo cum Sanctissimo commisit. *Ariminen. seu Feretrana*, 30 *januar.* 1779.

59. Decreto suo Episcopus mutavit voluntatem Julii Fiaschetti canonici collegiatæ oppidi Moroli donatoris adhuc viventis, et declarantis, ut domus in religiosum erigeretur conventum sub invocatione S. M. V. Boni Consilii, ac cum onere ibidem retinendi religiosos, qui sacra pro bono populi, et animarum salute facerent; vel ut tria erigerentur beneficia simplicia, ad quæ suos proximiores vocavit, quatenus erectio conventus, ut supra exequi non posset. Dictum decretum quæsita S. C. non sustinendum esse censuit: *Amagnina*, 15 *april.* 1780, *dub.* 1.

60. Quum abbas, et monachi Benedictini civitatis Ulyssypponis inspecto inadimplemento legati pii Franciscæ Telles, cujus in redemptionis opere eroganda erat summa pecuniæ relicta, quæque ob deficientiam captivorum in monasterii capsa otiosa manebat, supplicaverint prævia commutatione voluntatis fructus dicti legati posse erogari in manutentionem monasterii, et ecclesiæ, quæ gravem jacturam subierunt ex terræmotu anni 1755. Pontifex Summus annuit in forma brevis injuncto onere quatuor annuorum anniversariorum. Sed post annum captivorum promotor institit pro nullitate brevis, quia in precibus lis, quæ adhuc pendebat fuit silentio involuta. Ideo exorant prædicti pro sanatione a quocumque defectu, et pro ampliatione commutationis etiam ad summam, quæ ex legato scut. 20 pro manutentione capellæ relicto, impleto onere, superesset, quæque juxta testatricis mentem in captivorum redemptionem erat eroganda. At S. C. sanationem indulsit quoad summas in alios usus hucusque consumptas, firma tamen remanente in posterum lege testamenti Franciscæ Telles: *Lisbonen.*, 29 *novem.* 1783.

[48] Vide not. 27, ut supra.

61. Nicolaus Montini legavit hospitali Expositorum lectum unum, ut asservaretur pro recipiendis, curandisque pauperibus exterarum nationum, ideoque reditum scut. 25 assignavit. Monasterium monialium Montis Christi hæres per annos 100, legatum præstavit, sed inde per annos 30 a solutione defecit. Testatoris voluntas ex infirmorum exterorum deficientia nunquam executa fuit; monasterium itaque oneris deletionem postulavit, et denegata fuit, institit postmodum pro commutatione voluntatis, quam pariter S. C. inficiata est: *Tudertina*, 8 *maii* 1784, *dub.* 2.

62. Cum in distributione frumenti, quæ juxta mentem testatoris sacerdotis Andreæ Nicoletti in loco S. Laurentii in Campo peragitur in favorem pauperum, nonnulli irrepserint abusus, administratores communitatis putarunt legatum prædictum convertendum in stipendium alterius præceptoris, quia unus tantum ludi magister satis esse non potest ad pueros omnes in fidei rudimentis, in grammatica, et humanioribus litteris instituendos; eorumque instantia rejecta fuit: *Nullius*, *S. Laurentii in Campo*, *Com. vol.*, 11 *decem.* 1784. Institerunt inde pro eadem commutatione patres familias, qui juri eorum pro meliori bono renunciarunt, ac decuriones oppidi, et totius abbatiæ, et S. C. judicium rescindit, et commutationem donavit ad decennium facto verbo cum Sanctissimo: 20 *aug.* 1785.

63. Marchio Ugo de Pepolis demandavit sodalibus SS. Rosarii ad Armoniam litanias statutis diebus canendas, et eis fundum assignavit; et in ejusdem decremento onus perpetuum supplendi hæredibus injunxit. Inde ad eamdem causam accesserunt piæ dispositiones Dorotheæ Lambertini Bero, et religiosi anonymi. Cantus intermissus fuit pro redimenda cruce argentea oppignorata, deinde supplicarunt sodales pro commutatione, ut scilicet temporaria cantus Gregoriani permissio in locum Armonici perpetua fieret, et reditus erogari valerent in subsidiorum dotalium distributionem; et S. C. a definitione sese abstinuit, et mandavit præfigi terminum hæredibus Ugonis Pepoli ad deducenda jura sua: *Bononien.*, *Com. vol.*, 26 *april.* 1798, *dub.* 1 et 2. Inde commutationem denegavit; et quoad executionem provideri mandavit, ita ut hæredes Pepoli tenerentur ad redintegrationem usque ad summam scut. 39, 15 *maii* 1790.

64. Cum P. Joseph Masetti parochus S. Marcelli Urbis possessor capellaniæ fundatæ a sacerdote Vincentio Garbi in parochiali servorum Deiparæ M. V. sub invocatione S. Nicolai ad forum Archimonium petierit loco anniversarii celebrari tot Missas lectas; sed deficiente justa, et rationabili causa commutationem voluntatis testatoris S. C. denegavit: *Romana*, *Cap.*, 16 *maii* 1789, *dub.* 2.

65. Postmodum vero precatus est, ut perpetuam dicti anniversarii cessationem in favorem ecclesiæ S. Nicolai permitteret S. C. cum facultate recitandi per se ipsum in anniversaria die privatum officium defunctorum, quod superiores religionis ob tenue emolumentum suscipere renuebant, et responsum dedit negativum: *Ead.*, *causa*, 27 *novem.* 1790.

66. Comitissa Martha Scotti assignavit loca Montium quatuor sub administratione societatum Sanctissimi Sacramenti, et SS. Rosarii Castri S. Viti, ut in parvum xenodochium, pro qua binas destinavit mansiones, ut sodales, et sorores infirmæ reciperentur; at populus dicti castri preces porrexit, ut reditus locorum Montium converterentur in subsidia dotalia pro filiabus sodalium SS. Sacramenti, et S. C. pari consilio minime usa est: *Narnien.*, 27 *febr.* 1790.

67. Joan. Antonius Miglio oppidi S. Georgii sub lege erogandi libell. 8,500, id est scut. 1,700 in celebrationem Missarum disposuit. Oppidana hinc congregatio Charitatis exoravit pro commutatione Missarum, ex parte saltem in subsidium pauperum; et S. C. annuit juxta votum Ordinarii [49] celebratis quotannis Missis 100, a societate Charitatis; Missis 10 a Jacobo Miglio; Missis 60 a PP Reformatis; et 15 a societate Sanctissimæ Conceptionis: *Nullius S. Benigni*, *Com.*, *vol.*, 21 *julii* 1792.

68. Commutatio voluntatis Joan. Andreæ Callegari Bertinorii olim Episcopi, qui donavit capitulo collegiatæ Brixichellæ scut. 727, 27, 4 monetæ Romanæ, ut ex annuis fructibus alere deberet scholasticum *di Brisighella, o Valle di Amone* in studiis illius civitatis, indulgetur, ac conceditur, ut canonici ejusdem collegiatæ, una cum sodalitio Suffragii ad societatem admisso ex scut. 36, quæ nunc reddit sors donata, unam acquirere valeant stationem inter alumnos seminarii Faventini per annuam præstationem scut. 28, 88 pro rata parte ejusdem capituli in manutentionem scholastici, et reliqua scut. 7, 20 applicentur sacrario ipsius col-

[49] Qui hunc proponit modum. Libel. 4000 cum onere menstruæ Missæ congregationi Charitatis, cujus annui reditus libell. 1300, seu scut. 260 impares sunt subsidiis pauperum. Egeno Jacobo Miglio testatoris consanguineo pratum valoris libel. 800; ecclesiæ Min. Refor., quæ reparationibus indiget, libell. 2500, cum onere annui Sacri cum cantu, et officii defunctorum. Societati SS. Conceptionis libel. 500, cum eodem solemnis Missæ, et officii onere pro unica vice. Reliquæ libel. 700 pro hujusce divisionis sumptu, et celebrationis Missarum manualium: *Ead. causa*, 16 junii 1792, § 1.

legiatæ juxta votum Episcopi. Quo vero ad alternam nominationem ejusdem scholastici per canonicos, et sodales Suffragii faciendam, decernitur rem esse committendam pro prima vice sortis : *Faventina, Com. vol, et app.*, 15 *sept.* 1792.

69. Conceditur commutatio voluntatis Bartholomæi Manildi tum oneris Missarum, tum præstationis olei in pias preces ; sed Missæ hebdomadales 4, et altera cum cantu in festo S. Nicolai de Tolentino, quibus gravatur Joan. Franciscus filius ob gravem illius paupertatem suspenduntur ad decennium imposito aliquo pio onere per modum suffragii arbitrio Episcopi ; necnon mandatur Episcopo ut incumbat vindicationi bonorum, quæ alienata fuerunt : *Derthonen.*, *Com. vol.*, 10 *maii* 1794, *dub.* 1.

70. Anniversarium a sacerdote Francisco de Villaggis præscriptum commutatur in duas Missas lectas, sequuta tamen erectione conservatorii pauperum puellarum in castro Arquati, in cujus oratorio Missæ transferentur : *Placentina, Com. vol. et trans. on.*, 21 *junii* 1794.

§ VI.

Legatum pium seu opera pia quoad deletionem, et remissionem.

1. Card. Nicolaus Caracciolus Capuanus archiepiscopus metropolitanam suam ecclesiam ex asse scripsit hæredem, ad hoc ut ea in ornatiorem induceretur formam. Executori vero testamentario Josepho Schinosa episcopo Casertano facultatem dedit, quod si quid ex bonis post opus perfectum superesset pro nubendis pauperibus puellis, proque pauperibus ipsis suæ diœcesis erogaret. Moniales monasterii S. Hieronymi exorarunt, ut auctoritate Pontificia condonari eis possit debitum census in sorte ducat. 1300, cum hæreditate Card. prædicti nuper contracti ; ad hoc ut proprium monasterium occasione novissimi belli dejectum, fatiscensque reedificarent. Archiepiscopus supplicantium voto favit, et S. C. cum illius sententia sententiam suam conjunxit : *Capuana*, 13 *sept.* 1738.

2. Hæredes Jacobi Ambrosini bona hæreditaria in divisionem legatorum, quibus a testatore gravabantur, ob æs alienum cesserunt. Et unicum prædium quinque jugerum ab ipsis possessum immune fuisse ab onere omni ipsius testatoris judicio dixerunt. Ob id putarunt cessatum fuisse implementum annui legati relicti in ecclesia parochiali Gambellariæ, a cujus solutione hæredes jam ex inopia hæreditatis sese abstinuerant. S. C. tamen decrevit non constare de deficientia bonorum dicti Jacobi ; ita ut cessatum fuisset legati implementum : *Ravennaten., Ces. leg.*, 15 *dec.* 1759.

3. Nicolaus Montini legavit hospitali Expositorum Tuderti lectum unum, ut asservaretur pro recipiendis, curandisque pauperibus exterarum nationum infirmis ; idcirco assignavit reditus scut. 25 censuum. Testatoris hæres fuit monasterium sanctimonialium Montis Christi, quæ per annos 100 solvit legatum ; sed postea per 30 annos destitit a solutione. Inde vero exorarunt pro oneris deletione, vel saltem pro commutatione, quia nunquam pia voluntas fuerit executa, nec infirmi exteri unquam fuerint recepti. Administri hospitalis repugnant. S. C. decrevit locum esse legati deletioni : *Tudertina*, 8 *maii* 1784, *dub.* 1.

4. Quæsitum fuit, an pia legata tam Missarum, quam aliorum, quæ dubia, et incerta sunt, quæque non habent peculiarem fundum superstitem, sint penitus delenda juxta capituli preces, vel potius reducenda, et quomodo? responsum prodiit juxta votum Card. relatoris [50] : *Ecclesien.*, *On. et distr.*, 9 *sept.* 1786, *dub.* 4.

5. Quoad legatum Missarum a Maria Catharina Burlando nunquam fuit constitutus legati fundus, uti disposuerat testatrix. Sed Missæ celebratæ fuerunt. Hinc tanquam de indebita celebratione doluit Anna Maria hæres, eo quod par oneri ab initio non esset hæreditas, et testatrix, uti ait Episcopus, inter credita hæreditatis ea scripserit, quæ reapse reperta non fuerunt. S. C. autem abolitionem legati non admisit. *Januen.*, *Leg*, 15 *dec.* 1787, *dub.* 1.

6. Parochus ecclesiæ SS. Laurentii, et Nicolai oppidi de Morisco postulavit abolitionem legati unius Missæ hebdomadalis, quod fundo carebat. Certum enim erat, ut sors pro fundo legati relicta perierit ; at abolitionem S. C. denegavit : *Firmana*, 14 *martii* 1789.

§ VII.

Legatum pium, seu opera pia quoad dominium, admissionem, et vocationem.

1. Joan. Baptista Sequi a majori patronorum parte nominatus fuit uti proximior ad annuum lega-

[50] Qui respondendum esse arbitratur « negative ad primam partem, affirmative ad secundam, et reductionem faciendam esse ab Episcopo juxta modum inferius exprimendum » nempe juxta uniuscujusque legati descriptionem in tabella adnotatam, et fructus, qui ex communi legatorum fundo percipi poterunt Missarum legata ad rationem manualis eleemosynæ, reducendo prius cetera pia opera, quam Missas, et Missas solemnes Missis lectis subrogare : *Ead. causa*, 16 aug. 1794, *in* 1 *relat.*, § 31 et 36.

tum relictum a Laurentio Sampieri episcopo Ampuriensi ad effectum commorandi in urbe. Laurentius Sampieri junior silentio prætermissa nominatione sequi obtinuit breve dispensationis super defectu requisitorum; exponens insuper quod ipse esset nepos legantis Episcopi, ac patronos paratos ad nominationem in sui favorem explendam. Nominatus Sequi ad S. C. convolavit, quæ rescripsit breve non esse exequendum; et legatum assignandum esse Joan. Baptistæ Sequi, si Sanctissimo Domino Nostro placuerit, fructusque deberi eidem Joanni Baptistæ a die obtentæ gratiæ : *Turritana, Leg.*, 27 *febr.* 1706. At obiit Laurentius, et patroni nominarunt Arigiani, et S. C. confirmavit præcedentem resolutionem: 8 *febr.* 1710, *dub.* 1.

2. Ob controversiam factam inter PP. S. Andreæ de Valle urbis, et hæredes Caroli de Baldis super legato Missarum a dicto Carolo relicto dubium fuit exhibitum, an legatum 24, locorum Montium cameralium relictum ecclesiæ S. Andreæ cum onere unius Missæ quotidianæ spectet ad PP. dictæ ecclesiæ; seu erigi debeat in beneficium collativum auctoritate Ordinarii? S. C. respondit affirmative quoad primam partem, negative quoad secundam. Verba enim testatoris legatum pium institutum fuisse præseferebant excepto casu sacerdotis descendentis, quo voluit eum posse ejus titulo ordinari : *Romana, Cap.*, 5 *maii* 1708, confirmata 23 *junii, et* 18 *aug. ejusd. anni.*

3. Ad subsidium relictum a Joan. Baptista Raolino in favorem juvenum Tyburtinorum non excedentium annos 19, et linguæ latinæ peritorum, optarunt Dominicus Massius ætatis annorum 17, Marcus Antonius Viscantes an. 14, et Gaspar del Re an. 20, ac verum quilibet septem ex novem suffragiis reportarunt. Electores itaque sortem miserunt, quæ super Viscantem cecidit, Massius reclamavit, ex quo sortes non præscripsit testator; ast electionem studentis legitime factam fuisse S. C. censuit : *Tyburtina, Elec. stud.*, 6 *julii* 1709.

4. Canonicus Dominicus Studiosus legatum reliquit ecclesiæ S. Mariæ de Focio comitatus Ameriæ in scut. 2000, ut sacrum peragatur arbitrio Episcopi. Hic scut. 400 erogavit in tot Missas, de reliqua summa scut. 1600 tres fundavit capellanias; postea S. C. consilium audivit an legatum de quo agitur adjudicandum fuerit ecclesiæ cum onere Missarum et quarum, vel debuisset erigi in capellanias? Tulit responsum negativum ad primam, affirmativum ad secundam partem : *Amerina, Eleem. Miss.*, 30 *aug.* 1710, *dub.* 1.

5. Alexander Scappius Placentinus Episcopus ære suo fundavit lecturam sacræ theologiæ pro clero sæculari. Jus nominandi lectorem suis hæredibus tribuit, dummodo *de et ex familia Scappia* forent. Camillus Scappia fundatoris hæres, et ex fratre pronepos hæredem sibi nuncupavit Camillum Sampieri ex Constantia filia nepotem. Camillus hic, ejusque mater Josephum Cepellolti pro assequenda lectura nominarunt. E contra quinque filiæ, et hæredes Caroli Aloysii Scappia ejusdem fundatoris ex altero fratre nepotis, et hæredis Dominicum Madium elegerunt. Quæstionem factam super admissione ad lecturam definiit S. C. deberi Dominico Madio : *Placentina, Lecturæ*, 29 *aug.* 1722.

6. Universam hæreditatem suam in pia relicta distribuit advocatus Masetti pro manutentione puellarum in uno, vel altero monasterio designatarum; ita ut tamen admitterentur primum consanguineæ, et affines testatoris; his deficientibus *filiæ Romanæ ex pauperibus Romanis advocatis;* tertio denique filiæ Romanorum, qui ad statum civilem pertinerent. Cum autem admissæ fuerint duæ puellæ tertiæ classis, deficientibus primæ, et secundæ, insurrexerunt tres filiæ advocati Dominici Ursaya, ut legatum admissionis consequerentur, et S. C. decrevit, subsidium prædictum pertinere ad puellas admissas tertiæ classis; et legatum secundæ classis esse relictum in favorem tantum filiarum natarum in Urbe ex pauperibus advocatis pariter natis in urbe. Advocatus autem Usaya quamvis civis Romanus esset domicilii, et privilegii originis, tamen non erat : *Romana*, 20 *sept.* 1727, *dub.* 1.

7. Cum Congregatio particularis constans ex decem confratribus sodalitii SS. Sacramenti oppidi Granari neglexissent nominationem doctoris ad assequendum legatum pium relictum a Francisco Nicolelli, Antonius Franciscus Cruciani utriusque juris doctor admissionem ad legatum postulavit a superiore ecclesiastico, cui jus eligendi devolutum esse asserebat. Sed S. C. putavit non esse admittendum, electionemque faciendam esse per dictam Congregationem præfixo termino unius mensis prævia edictorum affixione: *Firmana, Leg.*, 18 *junii* 1735.

8. Ad legatum relictum a Josepho Sale e terra Rojatis in favorem suæ familiæ nominatus fuit Carolus Antonius Sale, infans annorum 3, clericus Adrianus ex familia Sale descendens, et stricto sanguinis vinculo testatori conjunctus irritam contendit nominationem, et contra testatoris voluntatem, qui septem annorum ætatem requisivit usque ad an. 22, sibi theologiæ in Urbe incumbenti, et annum 22 excedenti deberi legatum usque ad an. 25 postulavit, ejusque petitioni S. C. annuit : *Nullius, seu Sublacen. Leg.*, 19 *novem.* 1740, confirmata 15 *apr.* 1741.

9. Legatum pium scut. 7,000 relictum a Lucretia Falson conservatorio puellarum urbis Brumulæ adjecta conditione si intra quinquennium in verum

monasterium erigeretur sub regula S. Theresiæ, et maneret sub regimine PP. Carmelitarum, deberi decrevit S. C. eidem conservatorio in monasterium sub regula prædicta intra præfinitum tempus erecto; quamvis Carmelitæ illud noluerint in propria jurisdictione manere : *Milevitana, Leg.*, 17 *dec.* 1740, confirmata 6 *maii* 1741.

10. P. Vincentius Milcetti sacrorum canonum professor civitatis Fani, qui ad gerendam vicem P. Battaglini senio confecti in cathedra Faventina instituta a P. Leonio ordinis S. Dominici deputatus fuerat, postulavit, ut decedente Battaglini, ipse in ejus locum sufficeretur, responsumque fuit obstare testatoris mentem. Testator namque præter primam vocationem plures substitutiones expleverat in favorem certi generis personarum, in quibus comprehensus P. Milcetti nunquam fuerat : *Faventina*, 28 *aug.* 1751.

11. Testamento, quo decessit an. 1752 Joseph Hemma ita legavit : *Relinquo ven. capellæ S. Josephi ecclesiæ S. Mariæ ad Martyres loca tria montium cum onere celebrationis in perpetuum Missæ hebdomadalis in dicta capella.* Quum vero in eadem capella adesset sodalitium erectum nuncupatum *de' Virtuosi*, disceptatum est, an legatum deberetur capitulo, vel sodalitio : ex brevi Gregorii XIII, et ex re judicata AC. constabat de dominio capellæ in favorem societatis, et ejusdem favorem etiam S. C. definivit legatum præstandum : *Romana, Leg.*, 24 *aug.* 1754.

12 Filii Sanctæ Nardoni Gallesii admitti non debent ad legatum studiorum relictum a Theophilo Gargani, cum nec Gallesii nati sint, nec ex patre Gallesino, quamvis ex statuto Gallesino habeatur, ut qui vel ex patre, vel ex matre Gallesina oriuntur, inter cives recenseri debeant ; testator autem vocavit *adolescentulos ex dicta patria* (Gallesii) *oriundos..... illi adolescentuli, qui ex parentibus a dicta patria sint oriundi : Civitatis Castellanæ, Adm. ad. leg. Stud.*, 23 *aug.* 1755.

13. Admitti non debet ad concursum pro vacante loco in monasterio S. Claræ terræ Cottiniolæ Magdalena Cervini. Testator enim Gaspar de Bolis ad pium legatum a se relictum vocavit personas *suæ parentelæ de Bolis*, adeoque solas agnatas voluisse existimatum fuit ; nec esse locum subsidiariæ cognatarum vocationi, quum sedes vocationis omnino deesset : *Faventina, seu Imolen., Elect.*, 23 *aug.* 1755, *dub.* 1.

14. Postea vero in dicto concursu ex duabus electa fuit Maria Biancoli ; et cum non constaret de ejus paupertate a testatore optata electionem validam non esse S. C. existimavit : 2 *sept.* 1758, *dub.* 1.

15. Sed voluit admittendam esse Antoniam Mariam Medri alteram ex concurrentibus, et uno tantum suffragio victam ; nec esse locum novæ electioni, quamvis moniales renuerent recipere dictam Antoniam humili genere natam : *Ibid.*, *dub.* 2, confirmata 2 *decem. ejusd. anni.*

16. Ad legatum pium annuæ præstationis in favorem adolescentis civis Fanensis a canonico Joan. Ligi relictum, electus fuit Andreas Bernetti ex majori suffragiorum parte, posthabito Francisco Tombari, qui invalidam contendebat electionem ob defectum qualitatum a testatore requisitarum ; consulta hac super re S. C. mandavit, ut coadjuvarentur probationes : *Fanen., Leg.*, 20 *april.* 1771. Postmodum pro validitate electionis respondit, etsi Andreas per accidens Fani ortus esset, ob fortuitum patris domicilium, qui lectoris munere in collegio Nulphio fungebatur : 14 *decem. ejusd. anni.*

17. Juventuti opitulari desiderans sacerdos Joan. Corradinius cunctos hæreditarios fructus erogari voluit in favorem tot juvenum, quot illis respondent, assignata cuilibet annua summa ut in Urbe possent legum studio vacare. Vocavit vero juvenes in civitate Fabriani ortos, e pauperibus familiis, qui tamen primi, aut secundi gradus nobilitate fulgerent. His deficientibus pauperes cives Fabrianenses, et civitatis consilio adscriptos invitavit, ut in seminario alerentur. Tertio puellas nobiles in monasterio educandas ad partitionem prædicti legati admisit. Deficientibus juvenibus nobilibus utriusque gradus, Vincentius Manni Fabriani natus ex pauperibus, sed consilio adscriptis parentibus a Summo Pontifice obtinuit idoneum reputari, accedente etiam administratorum consensu pro assequendo legato, ut studiis Romæ vacaret, at subreptionis vitio infecta gratia haud esse exequendam S. C. edixit : *Camerinen., seu Fabrianen.*, 8 *maii* 1762.

18. Legatum pium, seu capellania, quam erigi mandavit Eugenius Rodriquez in ecclesia PP. B. M. V. de Mercede, et D. Joanni dicata iisdem PP. non debetur. Constabat quippe de jure religiosorum sed pro prima vice facultas facta fuerat Petro de Castro assequendi legatum pium ab ipsomet testatore, dummodo in sacris ordinaretur, et ipse dispensationem Apostolicam ab onere suscipiendi sacros ordines obtinuerat : *Romana, Cap.*, 8 *apr.* 1775.

19. Legatum constitutum a pio testatore Raphaele Paulo Callo, ac ex multiplico peracto explendum, non deberi ab hærede Rosalinda nepte testatoris possessori extraneo canonicatus ecclesiæ S. Pauli a testatore enunciato, et addidit S. C. ad mentem [51]. Nam in codicillo variavit idem testator suam dispositionem, nempe quod possessor canonicatus, in

[51] Et mens est, ut Episcopus incumbat executioni piæ dispositionis fundatoris : *Ead. causa*, 5 *aug.* 1780.

cujus favorem summam multiplici legavit, non sit extraneus, quo casu hoc beneficio privavit : *Milevitana, Leg.*, 5 *aug.* 1780.

20. Legatum eleemosynæ relictum a Joan. Baaghi pro pauperibus verecundis, et mendicis Ragusii non est privative distribuendum inter pauperes descendentes a legante, quibus ceteroquin sodales SS. Rosarii, pii legati administratores ; præ omnibus succurrere consueverunt ; sed ipsi concurrere debent cum aliis habentibus qualitates a testatore præscriptas : *Ragusina, Eleem.*, 31 *julii* 1790, *dub.* 1.

21. Innocentius Raymundus Masetti instituta hærede congregatione divinæ Pietatis urbis mandavit, ut singulis ejus consanguineis puellis, quæ in unum de designatis Urbis monasterium ingrederentur, annua ad mensuram reditus scut. 60 præstarentur. Ac præferri in concursu voluit proximiores, et in paritate gradu majores natu, quibus deficientibus pauperes puellas vocavit. Iterum inter consanguineas, et extraneas præferri pauperiores, parentum orbatas, ac pulchriores jussit, ob id Francisca Posthumi testatoris consanguinea gratiam pontificiam reportavit fruendi legato, dum in pia magistrarum domo Sublaci viveret, et quanquam narratum fuisset S. C. Quintiliam Cartapaoli esse in pari gradu consanguinitatis, ætate majorem, pauperrimam, parentibus orbatam, ac pulcherrimam, tamen S. C. gratiam Apostolicam esse exequendam decidit : *Romana, seu Sublacen., Leg.*, 26 *martii* 1791, *dub.* 1 et 2, confirmata 19 *januar.* 1793.

22. Legatum Petri Antonii Marefoschi ex Pontificio rescripto concessum Aloysio Carradori, et Dominico Pieretti in pari ætate annorum 15 cum facultate vacandi studiis domi, non in universitatibus Maceratæ, aut Firmanæ, juxta dispositionem testatoris, eis deberi declaratur ad formam testamenti, per quinquennium, nempe a die, quo infra annum decimum octavum studere inceperit : *Firmana., Leg.*, 19 *januar.* 1793, *dub.* 1.

23. Eodemque legato frui debere decernitur studentes, qui in tempore nominationis decimum octavum excesserint annum : *Ibid.*, *dub.* 2.

24. Legatum pium relictum a Josepho Stropeni, et in domo quadam fundatum plures quoad onera vicissitudines habuit. Primum testator hæredes substituit PP. S. Francisci de Paula, ut pro ejus anima orarent, cum in ejus ecclesia sepulcrum elegerit ; sed inde Marius Mastinus prædicti voluntatem declarando domum vendidit cum onere legati ; jussitque, ut si emptores vellent liberari ab onere solverent summam scut. 118 mansionariis ecclesiæ cathedralis. Hi vero, et inde PP. prædicti recusarunt cum onere summam illam, quæ in censu activo fuit constituta, nisi reductio Missarum obtineretur. Ideo dum reductio petitur, incertum est, an et cui sit tradendum legatum prædictum ? et mansionariorum collegio tradendum S. C. respondit. Nam PP. Minimi gaudent privilegio hac conditione, ut legata excedere scut. 50 non debeant : *Ariminen., Leg.*, 11 *febr.* 1797, *dub.* 1.

§ VIII.

Legatum pium, seu opera pia quoad dotem, et fundum.

1. Sacerdotes *della Massa* ecclesiæ cathedralis precantur, ut non ad numerum locorum montium, quæ diminutioni subjacent, sed ad quantitatem certi determinati reditus debeat fieri computum, nempe taxando unumquodque locum montis ad rationem unius aurei. S. C. censuit petitioni pro arbitrio, et prudentia Card. Archiepiscopi annuendum : *Januen., Legator.*, 23 *novem.* 1658.

2. Tiburtius Mazza reliquit societati Resurrectionis, et Suffragii *di Moro* scut. 400 ut fructus eorum erogentur in celebrationem Missæ sub auroram ; onerando hæredes spatio trium annorum post mortem viduæ testatoris solvendi dictam summam, et interim fructus 6 pro quolibet centenario. Modo iidem hæredes sequuto viduæ obitu postulant declarari : an solvendo scut. 400 liberentur ab annua usura scut. 24 ? et responsum affirmativum tulerunt : *Firmana, Reduct. Miss.*, 24 *aug.* 1686, *dub.* 1.

3. Cunctata hactenus emptione locorum montium annua summa scut. 35 pro prima, et 75 pro secunda ex mandatis officiaturis relictis a Joanne Maria Sozzifante, ab hæredibus persoluta fuit. At Hieronymus Sozzifantes hodiernus hæres prole ac ære alieno gravatus intolerabile sentiens onus præstandi dictas summas annuas tempore, quo loca montium, et stabilium non nisi ad rationem trium pro centenario annuatim reddunt, suppliciter instat ab eo eximi mediante emptione per ipsum facienda 22 locorum montium legatorum ; et S. C. precibus annuit : *Pistorien., Reduct. Miss.*, 28 *sept.* 1686.

4. Investimentum in censibus quoad legata pia ab Ignatio Calantes relicta, fieri debet et Antonio Galantes, in quem legans nominationem capellanorum detulerat, et a monialium monasteriis, in quorum favorem instituta fuerant legata *cum licentia Episcopi gratis danda*, minime vero ab Episcopo privative quoad alios fieri valet : *Civitatis Castelli, Legator. pior.*, 19 *maii* 1708, *dub.* 2.

5. PP. Carmelitæ excalceati convent S. Mariæ de Scala Urbis hæredes Gabrielis Prati non tenentur ex bonis hæreditariis supplere deficientiam summæ scut. 55 annuorum ; quot ab ipso prati assi-

gnata fuere in tot locis montium in favorem basilicæ S. M. Transtyberim pro oneribus, quæ ipsi imposuit, quamvis eadem loca montium notabilem diminutionem passa fuissent. *Romana, Supp. et red. on. Miss.* 11 *maii* 1709, *dub.* 1.

6. Firma remanente taxa pro Missarum celebratione ab Antistite Camerinensi facta, investimentum scut. 1000, in tot locis montium pro dote ab ipso demandatum, ratum non habuit S. C. sed ab hæredibus comitis Petri Martini Ambrosii, qui Missas legaverat, suosque hæredes ad solutionem adstrinxerat pro summa concordanda cum PP. Silvestrinis, solvenda esse scut. 800 iisdem PP. ad effectum investiendi: *Camerinen., Eleem. Miss.*, 18 *novem.* 1713, *dub.* 2.

7. Joan. Stampa suo hæredi jussit, ut domum designatam traderet ecclesiæ S. Nazarii cum onere sacri quotidiani, facultatem tamen eidem fecit, ut *si vellet pro dicta domo sortem dare causa celebrationis Missæ quotidianæ prædictæ, ei integrum est in quocumque tempore tradere dicto Sacrario lib.* 8000 *imperiales*. Dum latet, an liceret hæredi hac uti facultate? S. C. aperuit, licere hæredi assignare libras 8000, et prædictam domum retinere: *Mediolanen., seu Ferentina, Cap.*, 23 *febr.* 1715, *dub.* 2.

8. Ut legata ab Hercule de servis implerentur voluit ipse, ut suus hæres scut. 650 ad rationem septem pro quolibet centenario in censibus investiret, et ad censuum manutentionem in præfata summa universam hæreditatem coegit. Nonnullorum annorum spatio neglectum fuit investimentum, inde vero adinveniri non potuit, qui pro designata usura pecunias reciperet, quod si pro minori investirentur scut. 650 fructus satis non essent ad legatorum implementum. Hæres itaque mediatus legantis preces porrexit pro assignatione bonorum stabilium valoris designatæ summæ, vel pro pecuniæ traditione, et *die* 28 *julii* 1708, rescriptum est, facto investimento sortis cum consensu Card. Episcopi ex fructibus celebrentur annuatim tot Missæ lectæ ad rationem manualis eleemosynæ. At mortuo Episcopo, et nondum executo decreto, iterum ad S. C. res delata fuit, quæ rescripsit, non esse locum assignationi sortis scut. 650, in tot bonis stabilibus, sed in tot pecuniis investiendis in censibus cum licentia Card. Episcopi et obligatione hæredum semper manutenendi sortem: *Anconitana, Pior. on.*, 11 *jan.* 1716, *dub.* 1.

9. Bibliothecam suam legavit Antonius Michelori, ut ex pretio scut. 1000, circiter ab ejus venditione recipiendorum fundus constitueretur pro celebratione Missarum. Ejus hæres venditionem neglexit, neglecta etiam librorum legitima descriptione, et legis beneficio. Nonnullis elapsis annis ad venditionem devenit, et ex ea scut. 452 tantum habuit. In quæstione itaque fuit, an hæres præfatus teneretur ad supplementum usque ad scut. 1000 de proprio (nam in hæreditate aderant substituti, actionumque confusio), vel ex bonis hæreditatis, quamvis legatum prius a rei, quam oneris designatione incipiat? S. C. teneri resolvit de proprio usque ad summam ducat. 70, monetæ Urbini: *Urbinaten., Leg.*, 16 *martii* 1737.

10. Postulatum quum esset, an, et a quo sit faciendum investimentum ratæ partis sortis legati pii in causam subsidiorum dotalium a Junipera Ginevri relicti non adhuc investitæ? remissum est decretum ad Episcopum prout de jure: *Recineten., Sub. dot.*, 2 *decem.* 1741, *dub.* 4.

11. Fundus legati pii relicti a Petro *del Signore* redintegrari debet ab hæreditate Joan. Laurentii *del Signore*, qui legatum præfatum possederat, in summa scut. 100 una cum damnis, et interesse, reservatis juribus contra depositarium Dominicum Constantini, qui scut. 100 habuerat occasione restitutionis sortis census impositi a Thoma Bastoni in favorem legati pii: *Viterbien., Leg.*, 28 *sept.* 1743, *dub.* 1.

12. Nec sufficienter redintegratum fuit dictum legatum ex dispositione facta per eumdem Joan. Laurentium, qua erectionem simplicis beneficii jusserat; ita ut beneficium seu capellania ab ipso instituta redigenda non sit in præfatum pium legatum: *Ibid., dub.* 2.

13. Petronius Gardenghius pro distributione subsidii dotalis assignavit locationem turris molæ adjecta conditione, ut sodales societatis SS. Joan. et Petronii haberent onus exigendi hanc summam. In præceps fere ruit turris, quæsitum proinde fuit, an locatio præfata taxative, vel demonstrative accipi deberet? et non esse taxativam, sed demonstrativam accipiendam S. C. resolvit: *Romana, seu Bononien., Leg.*, 20 *novem.* 1745.

14. Joseph Verzaglius omnia sua bona reliquit *primogenitis masculis fratrum suorum* adjecto onere plurium sacrorum, indicta etiam caducitatis pœna in favorem magistratus, nisi implementi probationes coram Cæsenatensi concilio exhibuissent. Ejus hæres studuit, ut consuleretur Sanctissimum, pro gratia assignandi fundum pro satisfactione sacrarum liberum, cum obligatione totius hæreditatis subrogandi alium, tam in casu diminutionis fructuum, quam peremptionis fundi, ad effectum vitandi caducitatis pœnam; petitioni sese opposuit concilium, et S. C. instantiam hæredis rejecit: *Cæsenaten.*, 26 *martii* 1746, *dub.* 2.

15. Pro comperto non habetur, an hæreditas Dominici Guillelmini oppidi Balnariæ ecclesiæ cathedralis curatis relicta cum onere dotandi puellas

pauperiores, sit liberanda ab onere annuæ præstationis scut. 70. monetæ erga hospitale Projetorum Viterbii, et a censu Viglioni in sorte scut. 1000 debito eidem hospitali mediante assignatione sortium, vel alio modo magis proficuo? responsum prodiit ad secretarium et ad mentem : *Viterbien.*, *Dot.*, 11 *apr.* 1761, *dub.* 2.

16. Clementina, et Hortensia Spada duplex legatum pium Missarum præceperunt, relicta pecunia in censibus investienda. Comes Alexander Spada onera impleri curavit, ignorans vero de census investimento demandato pro utriusque legati fundo, nunquam fundum constituit, modo optat proprium assignare prædium, cujus valor oneri Missarum respondet, ast S. C. subrogationem hanc non admisit : *Interamnen.*, 29 *julii* 1775, *dub.* 1.

17. Legatum pium institutum a Cæsare Casati in ecclesia PP. ordinis S. Augustini oppidi Chiavennæ Laudæ cum assignatione dotis librarum 6400 monetæ parmensis a dictis PP. per contractum inter vivos susceptum fuit. Ex condicta summa libr. 4388 erogata fuere in emptionem prædiorum. At conventu suppresso, omnia bona applicata fuere conventui ejusdem ordinis burgi S. Domnini ; qui exoptavit restituere hæredibus summam in emptionem prædictam erogatam ; reliqua enim summa a familia Casati adhuc retinebatur ; et S. C. respondit non teneri restituere prædium, neque pecunias in emptione erogatas : *Placentina*, *Leg. pii*, 23 *novem.* 1782, *dub.* 3.

18. Noverunt moderni canonici cathedralis, quod antiqui canonici inconsulto nimis hæreditatem canonici Jacobi Ghilini adierint ; petierunt itaque, ut absolverentur ab omni culpa, quoad præteritas diminutiones, et sortium et fructuum, et ab onere manutentionis sortium juxta testatoris legem, qui ab omni diminutione hæreditatem suam servandam præceperat ; firma tamen remanente obligatione de jure cuilibet administratori incumbente ; et precibus annuit S. C. *Alexandrina*, 10 *decem.* 1785, *dub.* 1 et 2.

19. Licet Maria Catharina Burlando fundum legati Missarum constituerit *nella terra Pivi*, attamen executores testamentarii nunquam ad assignandum fundum devenerunt, onera vero impleri curarunt, de hac re actum est in S. C. quæ præcepit fundum esse constituendum ad formam testamenti ; sin minus in alio idoneo fundo arbitrio Archiepiscopi : *Januen.*, *Leg.*, 15 *decem.* 1787, *dub.* 2.

20. Bernardina Lavaresi fratribus Danzi hæredibus institutis latifundium in territorio Argentano situm archiconfraternitati, ac hospitali B. M. V. *della Centura* nuncupatæ cum onere perpetuæ Missæ legavit. Octennio hæredes latuit hæc dispositio, eaque reperta, marchio Zambeccari, cujus pater latifundium una cum ceteris testatricis bonis vigore Vitalitii contractus ab ultimo de familia Danzi receperat curavit onus impleri, ac etiam a S. C. declarari, an summa scut. 1200 esset sufficiens pro solutione legati ? affirmativum tulit responsum, ita tamen ut investirentur cum solitis cautelis : *Ravennaten.*, *Leg.* 25 *apr.* 1780, *dub.* 1.

24. Fundus pro legato pio relictus scut. 200 a Maria de Rubeis sodalitio SS. Angelorum Custodum Urbis cum annuo onere Missarum 40 constituendus est in censibus cum locis piis, et communitatibus status ecclesiastici : *Romana*, 5 *junii* 1790, *dub.* 1.

22. Jam nullum instrumentum emphyteusis perpetuæ piæ hæreditatis Bonarii in favorem fratrum de Manzaliis ab hinc 80 annis confectum S. C. judicaverat, et administrationem pii operis ad Card. Archiepiscopum commiserat, quando querelæ factæ sunt de difficili exactione summæ in pia opera erogandæ, litibusque hac de re actis cum Manzaliis. Idcirco Card. Archiepiscopus putat separari modo ab hæreditate testatoris latifundium, quod peritorum arte ex officio eligendorum reddat insingulos annos scut. 184, quot necessaria sunt ad explendo opera injuncta sub cura Archiepiscopi Ferrariæ pro tempore. Hoc modo, et nullum Manzaliis infertur præjudicium in reliquis bonis quæ obtinent ex munificentissima liberalitate Summi Pontificis, et ejusdem operis pii securitati providebitur. Ita Card. Archiepiscopus. At S. C. non esse locum fundi assignationi in favorem pii operis Bonarii censuit : *Ferrarien.*, 16 *martii* 1793.

23. Post acceptionem legati pii Francisci Bianchi PP. Scholarum piarum Lugi collegii frustra tentarunt hæredibus fundum legati restituere ; et res delata est ad S. C., quæ de investimento sortis scut. 230 existentis sub deposito decrevit esse illud investiendum in favorem legati pii a PP. prædictis in bonis stabilibus tutis, et securis : *Imolen.*, *Leg. pii*, 20 *sept.* 1794, *dub.* 3.

§ IX.

Legatum pium, seu opera pia quoad fructus, eorumque investimentum.

1. Balthasar de Galvanis, instituta hærede usufructuaria Pieria uxore, gravavit tam ipsam, quam hæredes ad tradendum PP. Cappuccinis eleemosynam juliorum 7 singulis hebdomadis : adjecto onere faciendi investimentum æquivalens annuæ satisfactioni prædicti legati. Omnia fuerunt neglecta, et hæredes condemnati sunt ad compositionem cum rev. fabrica. Modo iidem cupiunt voluntatem testatoris exequi : et interrogata S. C. sancivit, investimentum esse faciendum in quantitate æquiva-

lenti ad integrum onus : *Æsina, Leg.*, 4 *maii* 1697, *dub.* 1.

2. Ac post factum investimentum, ac superveniente aliqua diminutione tam in sorte, quam in fructibus, hæredes tenentur cum bonis hæreditariis perpetuo supplere summam deficientem : *Ibid.*, *dub.* 2.

3. Ad capitulum cathedralis hæredem substitutum Joan. Baptistæ Pirelli dumtaxat tertia fere pars bonorum hæreditariorum pervenit, ob litem ratione cujusdam fideicommissi; neglexit idcirco perficere multiplicum annuorum ducat. 100 a testatore injunctum. Re a S. C. perpensa, capitulum quoad præteritum non fuisse obligatum ad perficiendum multiplicum, sed licuisse illud prætermittere definitum est. Cetera enim onera impleverat. *Gallipolitana, Trans. et red. on.*, 5 *martii* 1712, *dub.* 3.

4. Dominicus Clerichettus instituens hæredes syndicos hospitalis S. Michaelis Matteani, voluit, ut duo, vel plures, si opus esset, confessarii haberentur, qui quotidie Missam pro testatore celebrarent. Archiepiscopus Firmanus hospitale visitans anno 1722 demandavit, ut reditus scut. 300 superextantes investirentur in tot censibus perpetuis, ut tertius manuteneretur capellanus juxta testatoris dispositionem ; et dictum investimentum jam confectum validum esse S. C. declaravit : *Firmana, Leg.*, 12 *febr.* 1729, *dub.* 1.

5. Cum PP. Scholarum piarum collegii Lugi accepissent legatum pium Francisci Mariæ Bianchi, et postea frustra acceptionem infringere tentassent ; modo damnantur ad denuo fundendos fructus sortis scut. 230 investitæ a die restitutionis censuum ad taxam legalem. Nam eorum culpa dictam sortem sub otioso deposito tot annorum fuit : *Imolen.*, *Leg.*, 20 *sept.* 1794, *dub.* 4.

§ X.

Legatum pium, seu opera pia quoad incompatibilitatem, et retentionem.

1. Legatum pium licet laicale, et simplex ordinatum ab Hyacintho Rubini cum onere Missarum, ac chori servitio in cathedrali ecclesiæ retineri nequit a Joan. Francisco Capotosti archipresbytero ejusdem ecclesiæ, et primo loco a dicto Rubino nominato simul cum archipresbyteratu prædicto : *Ripana, Patr. sacr.*, 23 *junii* 1714, *dub.* 4.

2. Episcopi Bitecti ob consuetudinem in provincia Barensi vigentem retinendi a clericis plura legata pia absque ulla dispensatione Apostolica, nonnulla in S. C. proposuit definienda dubia, et hæc prodierunt decreta ; nempe obstinens primum legatum pium sive liberæ collationis, sive de jurepatronatus laicorum ad sui conservationem sufficiens non potest absque dispensatione Apostolica retinere secundum de jurepatronatus laicorum : *Bitecten.*, 6 *decem.* 1721, *dub.* 3.

3. Item obstinens duo legata pia sive liberæ collationis, sive de jurepatronatus laicorum minime sufficientia ad congruam conservationem non potest retinere tertium, et quartum de jurepatronatus laicorum absque dispensatione Apostolica : *Ibid.*, *dub.* 4.

4. Joan. Baptista de Grassis hæreditatem suam in tres partes dividendam jussit annuosque reditus cujuscumque portionis cuique ex tribus clericis vel presbyteris Oratorii S. Philippi Nerii simul conviventibus, reliquit. Sacerdos Carolus Blanchinius probata ejus infirmitate coram Episcopo prædictam tertiam partem retinendi potestatem S. C. ei fecit, durante eadem morbi causa ; etiamsi non habeat vitæ societatem cum dictis PP., a quibus ratione infirmitatis post an. 14 dimissus fuerat : *Asculana, Leg. pii*, 24 *jan.* 1733.

5. Simplex pium legatum Missarum instituit Andrianus Galli e terra Amandulæ in favorem sacerdotis familiæ suæ, ac in ejus deficientia substituit collegiatam S. Donati ejusdem terræ. Marcellus Galli deficiente clerico suæ familiæ, ne substitutioni locus fieret, exoravit pro facultate retinendi dictum legatum in statu conjugali, et assecutus est quousque aliquis de familia idoneus evaserit ad formam testamenti impletis oneribus : *Firmana, Leg.*, 9 *aug.* 1777.

6. Quum comes Joan. Baptista ab Arcu archidiaconus ecclesiæ Tridentinæ instituisset pium opus in ecclesia Lauretana, et illud exemit a potestate ecclesiastica et cancellariæ regulis cum onere Missarum implendo per rectorem vel capellanum, vel per alium, qui pii operis capax esset ; ideo Carolus Franciscus Galeotti filius ex una superstite ex passive vocatis linea poscit facultatem retinendi legatum in statu conjugali et S. C. indulsit intra annum. Nam testator in substitutione filiorum Moganti mandavit ut onere satisfacto, quod superest, cedat in eorum emolumentum et utilitatem : *Lauretana, Cap.*, 23 *januar.* 1796.

7. In S. C. quæsitum est de legatis piis seu patrimoniis relictis congregatione Oratorii civitatis Portucallensis, ut ex eis tot Alumni manutenerentur in ea congregatione; an retineri valeant extra prædictam congregationem? Non posse S. C. rescripsit extra congregationem Oratorii, retineri dummodo non sint promoti ad titulum eorumdem patrimoniorum : *Portucallen., Red. on.*, 27 *aug.* 1796, *dub.* 2.

LEGATUM PIUM seu OPERA PIA MISSARUM. Vide *Capellania, Missa.*

§ XI.

Legatum pium seu opera pia quoad qualitatem.

1. Testatrix instituit suos hæredes Guidum Savini suum virum et Pacificam Minii suam neptem cum onere celebrari quotannis curandi officium mortuorum decem Missarum, et tradendi quotidie ob. 5 in perpetuum ecclesiæ S. Francisci, ut prima Missa sub auroram quotidie celebretur. Licet hoc onus videretur injunctum certis nominatis personis, perpetuum esse S. C. firmare placitum fuit: *Urbanien., Leg.*, 24 *aug.* 1669.

2. Duo inter cetera reliquit pia legata a suis hæredibus implenda Bartholus filius Vincentii Tognini, qui voluit, *ut infrascripti hæredes teneantur celebrare facere Missam unam qualibet hebdomada. Amplius voluit ut teneantur hæredes quolibet anno in perpetuum celebrare facere.... festum S. Antonii cum* 12 *Missis ad minus*; *ut si non fecerint, rector plebis facere teneatur et postea gravare dictos hæredes et successores.* Dubitatum fuit primum legatum expirasse in primis immediatis hæredibus et S. C. consulta pro perpetuitate legatorum resolvit: *Urbanien., Leg.*, 14 *junii* 1704.

3. Parochus Castriplani S. C. audire studuit super qualitate nonnullorum legatorum piorum, eique respondit ut transmittat integra testamenta: *Æsina, Leg.*, 19 *junii* 1706, *dub.* 1. His transmissis compertum est, quod in testamento Petri Andreæ Cataldi habetur teneri suos filios et hæredes, donec vitam duxerint in alio Sulpitii Jacobi; et in tertio Joan. Mariæ de Matthæo imponitur onus suis hæredibus annuatim; in ultimo Francisci Cataldi datur hæredibus onus Missarum hebdomadalium; et S. C. primum temporarium, reliqua perpetua dijudicavit: 21 *aug. ejusd. anni.*

4. Disquiritur qualitas legati Missarum a Carolo de Baldis relicto sequenti dubio, an legatum 4 locorum montium Cameralium relictum ecclesiæ S. Andreæ de Valle urbis cum onere unius Missæ quotidianæ spectet ad PP. dictæ ecclesiæ; aut erigi potius debeat in beneficium collativum auctoritate Ordinarii? S. C. responsum dedit affirmativum ad primam partem, negativum ad 2^am^. Verba enim testatoris legatum pium institutum fuisse præ se ferebant, excepto casu sacerdotis descendentis, quo voluit eum posse ejus titulo ordinari: *Romana, Cap.*, 5 *maii* 1708, confirmata 23 *junii* et 18 *aug. ejusd. anni.*

5. Hippolytus Arsillus disposuit ut *sui infrascripti hæredes curent quolibet anno in perpetuum celebrari facere officium anniversarium in die suæ depositionis* 20 *Missarum in ecclesia cathedrali Senogalliæ aut ubi dicti hæredes voluerint.* Hæredum filii de perpetuitate legati ancipites sunt ratione verborum *sui infrascripti hæredes*, sed perpetuum S. C. pronunciavit: *Senogallien., Leg.*, 23 *junii* 1708.

6. Felicianus Ninucci suos hæredes adstrinxit ad celebrationem Missarum faciendam a sacerdote ab ipsis designando; instituitque in suo testamento hæredem usufructuariam conjugem suam, designavitque hæredes proprietarios. Ignorabatur vero de oneris initio; sed S. C. prædictum onus ab hæredis usufructuariæ, minime vero ab obitu testatoris incipere, ac ad hæredes proprietarios spectare declaravit: *Reatina, On. Miss.*, 27 *april.* 1709. Deinde legatum prædictum ab obitu testatoris usque ad obitum hæredis usufructuariæ ad ipsam spectare decernitur: 16 *novem. ejusd. anni, dub.* 1, confirmata 27 *jan.* 1714.

7. Canonicus Dominicus Studiosus legatum reliquit ecclesiæ S. Mariæ de Focio comitatus Ameriæ in scut. 2000 pro celebratione Missarum arbitrio Episcopi, qui scuta 400 erogavit in celebratione Missarum pro unica vice, ex reliquis scut. 1600 tres fundavit capellanias, indeque quæsivit an adjudicandum foret ecclesiæ cum onere Missarum legatum prædictum, vel erigi debuisset in capellanias? S. C. pro erectione capellaniarum respondit: *Amerina, Ele. Miss.*, 30 *aug.* 1710, *dub.* 1.

8. Legatum pium assignationis duarum possessionum pro patrimonio sacro ab Hyacintho Rubini institutum; quæ tamen assignatio fieri debebat a suis hæredibus in favorem unius ex nominatis ab ipso testatore ad formam testamenti, est simplex legatum pium laicale; nec cogendi sunt hæredes ad illud erigendum in titulum collativum perpetui beneficii seu capellaniæ ecclesiasticæ. Testator enim qualitatem ecclesiasticam non expressit, nec Ordinarii auctoritatem exquisivit: *Ripana, Patr. sacr.* 23 *junii* 1714, *dub.* 1.

9. Hippolytus Manninus instituit uxorem hæredem injuncta annua celebratione sacrorum ac candelarum præstatione in favorem PP. Societatis Jesu. Hoc idem onus hæredibus uxoris imposuit, *sino a tanto camperanno, e viverano.* Ideo defuncto uxoris hærede de cessatione legati actum fuit; sed pro perpetuitate rescriptum: *Cæsenaten., Leg. pii*, 16 *martii* 1715. Deinde concordia inita cum PP. Augustinianis, in quorum ecclesia celebrari debebant Missæ responsum fuit esse locum propositæ concordiæ: 10 *maii* 1766.

10. PP. Servis B. M. legatæ fuerunt lib. 400, ut in eorum ecclesia celebraretur cum applicatione una Missa plana singulis diebus in perpetuum durante seculo, et semel in anno Missa solemnis defunctorum singulis annis in perpetuum, donec cœlum et terra permanebunt. Ob id de legati perpetuitate

actum est quoad Missam planam, et S. C. putavit onus prædictum durare debere ultra spatium annorum centum ; nec hoc termino elapso extinctum esse : *Bononien.*, 17 *dec.* 1728.

11. Hortensia Carpini archiconfraternitati S. Hieronymi Charitatis duo loca montium reliquit, ut 20 Sacra celebrarentur, et unum cum cantu sine expressione perpetuitatis ; etsi de aliis oneribus loquendo, ea perpetua esse debere expresserit. Archiconfraternitas pro unica tantum vice legatum implevit, et instante rev. fabrica S. Petri, declaratum fuit legatum prædictum esse temporarium, scilicet pro unica vice implendum : *Romana*, *Leg.*, 18 *nov.* 1719.

12. Petrus Gentilis Berardi in suo testamento instituta hærede universali Euphrasia uxore ait *item jubeo, ut infrascripta hæres teneatur, et obligata sit quotannis officium facere in festo S. Petri dictæ ecclesiæ, et capellæ cum illo Missarum numero quem habere in dicta die potest.* Hujusmodi legatum temporale fuit declaratum : *Camerinen.*, *Leg.*, 12 *julii* 1721, *dub.* 1.

13. Eadem vero Euphrasia, hærede instituto Carolo Piccinino aliud legatum pium hisce verbis disposuit : *Item relinquit officium quotannis* 10 *Missarum pro anima sua ad vitam dicti Caroli. Item relinquit officium annuatim* 10 *Missarum pro anima Petri Gentilis Berardi.* Ac legatum prædictum pro anima Euphrasiæ temporarium pro anima vero Petri Gentilis perpetuum dijudicatum fuit : *Ibid.*, *dub.* 2.

14. Legatum 12. Missarum ordinatum a Martha uxore Philippi Pulcinelli ; quas celebrari mandavit per infrascriptos hæredes quolibet anno in perpetuum, absque ulla substitutione, non est restrictum ad vitam hæredum, sed est perpetuum : *Civitatis Castellanæ*, 18 *sept.* 1723.

15. Legatum anniversarii, et Missarum annualium relictum a Dominico Gentili est temporarium ad vitam scilicet hæredum testamentariorum. Inquit enim testator, *ut infrascripti ejus hæredes teneantur et debeant celebrari curare Missas S. Gregorii pro anima ipsius testatoris, et similiter teneantur et debeant annuatim celebrari curare unum anniversarium, et Missas annuales in dicta ecclesia S. Petri* : *Montis Falisci*, 16 *dec.* 1724, *dub.* 1.

16. Legatum præstandi unum ferculum singulis hebdomadis PP. Cappuccinis a Joan. Baptista Bini relictum est perpetuum. Nam testator hoc onus injunxit non solum hæredibus institutis, sed etiam substitutis sibi conjunctis, et a se dilectis : *Lucana*, *Leg. pii*, 31 *julii* 1728, *dub.* 1.

17. Scipio Muratorius hæredes sequenti legato oneravit : « *Relinquo PP. ecclesiæ novæ in Vallicella scut.* 1000, *cum onere celebrandi in dicta ecclesia in perpetuum duas Missas hebdomadales solvendas a meis hæredibus una vice, cum conditione, ut si dicti PP. excipere nolent, in hoc casu relinquo, et jubeo ut substituatur Dominicus Benedetti de Sanctis cum onere celebrandi* 4 *Missas hebdomadales in suo altari S. Andreæ.* » Substitutioni factus fuit locus, et causa substituti obitus de qualitate legati disceptatum fuit, et resolutum legatum esse perpetuum, et ad ulteriores hæredes progredi debere : *Romana*, *Leg.*, 10 *januar.* 1733, *dub.* 1. Reproducto dubio S. C. recessit a decisis, et non esse onus perpetuum statuit : 20 *martii* 1745.

18. Anno 1660. Joan. Tusconus presbyter legavit Annæ, et Gentili Perpetuæ sororibus de Mazzantis domum et prædium, deindeque subjunxit. « *Item dico, ut dum Anna, et Gentili Perpetua sorores de Mazzantis gaudebunt pacifice domum, et mensuras terræ teneantur celebrationem curare duarum Missarum per hebdomadam in perpetuum in ecclesia metropolitana Ravennæ, et per mensem neglecta dicta celebratione, domus ac mensuræ terræ statim pertineant ad capitulum metropolitanæ cum eodem onere.* » Hujus legati perpetuitatem constare S. C. judicavit : *Ravennaten.*, *On. Miss.* 14 *novem.* 1733.

19. Legatum pium Missarum, quas celebrandas reliquit Joseph Verzaglia in die anniversario suæ depositionis, ac in aliis festivitatibus in ecclesia PP. Servorum B. M. V. non solum per decennium, sed in perpetuum impleri debere statutum fuit, etiamsi testator in postrema dispositionis parte dixerit : *facendomi celebrare le trecento Messe all' anno per dieci anni, compresevi quelle, delle quali ho disposto addietro*, nec in superiori parte testamenti ullam adhibuerit perpetuitatis dictionem : *Cæsenaten.*, *On. Miss.*, 14 *junii* 1738, *dub.* 4.

20. Petronius Franciscus Gardenghius disposuit, ut subsidium dotale scut. 25 filiæ sodalium societatis SS. Joan. et Petronii distribueretur. Inde pro fundo dictæ distributionis assignavit locationem turris molæ annuæ summæ scut. 30, adjecta conditione, ut sodales habeant onus exigendi dictam summam, et dotem assignandi. Super hac dispositione quæstio facta fuit, an locatio turris prædictæ stet taxative, vel demonstrative ? Nam turris postquam tradita fuerat ad hærede sodalitio pene dejecta ivit, et ad avertendam minam necesse fuit illam pecunia communi hæredis, et sodalitii munire, ac restituere ; et hujus pecuniæ redintegrationem societas modo petebat : S. C. illam locationem esse non taxative, sed demonstrative relictam decidit : *Romana, seu Bononien.*, *Leg.*, 20 *novem.* 1745.

21. Testamento a Francisco Frassoni condito

instituta fuit hæres in semisse Lodorica Staggia ejus soror, et in altero semisse Carolus filius naturalis fratris sui, et Caroli mater. His testator substituit hoc pacto. *Mortuis autem Carolo, ac Dominica matre, relinquo, ut hæc eorum pars transeat ad Thomam filium dictæ meæ sororis cum conditione, ut sit sacerdos, ac celebrare debeat tres Missas hebdomadales, et si sacerdos non esset, in hac portione succedat societas SS. Sacramenti cum eadem obligatione Missarum ut supra.* Portio illa pervenit ad Thomam Staggia sacerdotem, qui senio confectus bona hujus portionis distrahere cupiens quæsivit de qualitate legati, et responsum tulit, non esse perpetuum, sed ad sui vitam duraturum : *Ferrarien., Leg., Miss.*, 15 *apr.* 1747.

22. Alexius Ficenius hæredes oneravit celebrationis duarum Missarum continuatione. Onus hoc impletum fuit ad obitum usque sororum hæredum, iis vero defunctis ad instantiam hæredum a dictis sororibus institutorum demonstratum fuit constare de temporalitate legati : *Bergomen., Pii leg., cel. Miss.*, 20 *julii* 1754.

23. Instituta hærede usufructuaria, hæredem etiam proprietarium instituit Clemens Masucci, onere adjecto usufructuariæ cujusdam pii legati : inde planum non fuit, an legatum prædictum ad vitam usufructuriæ perdurare debuerit, necnon pro qua rata parte adimplendum ? cum testator his verbis animi sui sensum expresserit : *reliquum suorum redituum si superfuerint vult, ut applicarentur quotannis in suffragium suæ animæ.* S. C. dubium ita aperuit : deductis annuis scut. 200 pro alimentis necessariis, reliquum erogandum fore in opus pium ad formam testamenti durante vita Anastasiæ : *Lauretana, Leg.*, 15 *decem.* 1759.

24. Legatum Propertii de Angelis relictum pro Hebræis ad fidem orthodoxam conversis his verbis conceptum : *Insuper scut.* 12 *quotannis illis Hebræis, qui fidem catholicam amplexi sunt.* S. C. existimavit eorum singulis deberi pro unica vice tantum, non autem quolibet anno eorum vita naturali durante : *Urbinaten.*, 16 *januar.* 1762, *dub.* 2.

25. Franciscus Ranieri hæredem usufructuariam adegit ad annuam præstationem scut. 25 quæ in beneficium altaris Sanctissimi Rosarii erogaret, et ad celebrationem implendam sacrorum 200 ; hujusmodi vero legata ab hærede proprietario dupla suppeditari præcepit ; planum itaque non fuit, an post mortem proprietarii progressiva forent ? et pro perpetuitate patefactum fuit : *Cervien., Leg.*, 30 *julii* 1785, confirmata 20 *decem.* 1788.

26. Sacerdos Andreas Prosperi hærede instituto Thoma Piccioni sacerdote voluit, ut ipse celebraret, vel celebrare curaret annuas Missas 40 ; huic vero hæreditatem non accipienti loca pia substituit cum iisdem conditionibus. Onus vero prædictum primo hæredi injunctum ad successores transire censuit S. C. : *Aprutina*, 19 *maii* 1787, *dub.* 3.

27. In testamento anni 1662 Pompeius Fabri mandavit, ut hæredes tenerentur, *celebrari curare Missas quinque singulo anno eorum vita durante.* In alio anni 1675 jussit, ut *in die S. Bartholomæi Apostoli præter quinque Missas consuetas, curet celebrari alias Missas quinque in perpetuum pro sua anima.* Utrumque legatum veluti perpetuum ejus descendentes impleverunt, ac idem perpetuo implendum esse S. C. decrevit : *Ariminen., Leg.*, 18 *decem.* 1790.

28. Legata pia Nicolai Taddei, et Joan. Baptistæ Campi manualium Missarum commutantur in perpetua ad taxam perpetuæ eleemosynæ in favorem pauperis plebaniæ S. Angeli Castri dirutæ, prævio investimento pecuniæ cum solitis clausulis peragendo : *Perusina, Com. vol.*, 15 *januar.* 1791.

29. De legatis piis, seu patrimoniis relictis congregationi Oratorii civitatis Portucalensis, ut ex eis tot alumni manutenerentur in ea congregatione, quæsitum est de eorum qualitate : an sit ecclesiastica ? S. C. rescripsit non esse ecclesiastica, excepto legato Azevedo. Nam illo excepto ceteri institutores non fuerunt solliciti de ecclesiastica qualitate patrimoniorum, sed voluerunt, ut cum his congregatio alumnos aleret : *Portucalen., Red. on.*, 27 *aug.* 1796, *dub.* 2.

30. Legatum pium reliquit Evangelista Rosarini cum onere quolibet anno suis hæredibus, et filiis Missæ in diebus dominicis cujuscumque mensis. Hoc onus hactenus est impletum. Sed illud fuisse resolutum post obitum priorum hæredum autumans hæres hodiernus, orat S. C. de sua declaratione, quæ non expirasse morte priorum hæredum sed perpetuo esse implendum firmavit : *Nepesina, Leg. pii*, 16 *decem.* 1797.

§ XII.

Legatum pium, seu opera pia quoad reductionem.

1. Etsi loca montium, et pecunia elargita, ac investita a Fabritio Naro titulo irrevocabilis donationis archihospitali B. M. Consolationis non sufficiant ad onera imposita sustinenda, considerata redituum imminutione : tamen S. C. non esse locum petitæ onerum reductioni affirmavit : *Romana, Leg.*, 13 *januar.* 1703.

2. Nicolaus Maffiolius reliquit sortem lib. 50,000 ad hoc ut erigeretur conventus Barnabitarum in terra Ortæ cum onere distribuendi scut. 125 pro quinque subsidiis dotalibus, tradendi sarcinam olei PP. Cappuccinis ejusdem terræ, necnon celebrandi

quotidianam Missam. Hoc erectum collegium, ac inde suppressum unitum fuit seminario cum suis oneribus. Rector seminarii exponit reditus modo esse imminutos ex facto principis, et ad annuas lib. 1200 tantum ascendere; hinc onerum reductionem postulat, sed ea fuit denegata: *Novarien.*, *Red. on.*, 28 *julii* 1703, confirmatum et additum ad mentem: 15 *martii* 1704.

3. Franciscus de Macrinis instituto fideicommisso hæredibus fideicommissariis perpetuum dedit onus distribuendi aurea 200 annuatim pauperibus puellis civitatis, et comitatus Lucani. Passum fideicommissum est non exiguam redituum jacturam absque eorum culpa, ita ut detractis piis relictis vix supersint annua aurea 120 pro fideicommissariis hæredibus; iidem proinde pro reductione exorarunt, et S. C. petiit a Card. Episcopo novam informationem juxta instructionem [52]: *Lucana*, *Susp. leg.*, 26 *febr.* 1707. Deinde annuit pro suspensione ad decennium juxta modum præscribendum a Card. præfecto [53]: 13 *aug. ejusd. anni*, confirmata 1 *decem.* 1708, *dub.* 1.

4. Ab officialibus, ac deputatis archiconfraternitatis S. Hieronymi charitatis maxima inopia laborantis reductio onerum imploratur nempe Missarum, subsidiorum dotalium, aliorumque piorum operum eidem loco incumbentium, perspecta notabili diminutione redituum illis respondentium, vel ex natura rei, vel ex facto principis sequuta S. C. rescripsit Card. Relatori juxta formulam dandam a S. C. [54]: *Romana*, *Op. pior.*, 7 *julii* 1708.

5. Insuper idem officiales subjecerunt preces, ut in futurum quotiescumque casus eveniat diminutionis redituum, ipsismet fiat facultas efficiendi congruas onerum reductiones, et reportarunt responsum, ut in casibus particularibus recurratur: *Ibid.*

6. Postmodum super hoc indulto reductionis bina dubia agitata fuere: An in præfato indulto reductionis concesso a S. C. comprehendantur etiam onera provenientia ex contractu, congruam eleemosynam non habentia? et quatenus negative.

7. An sit concedenda reductio supradictorum onerum ex contractu, quæ congruam non habent eleemosynam? quibus dedit responsum negativum

[52] « Nempe quot dotes hucusque non fuerint solutæ, etsi promissæ; in qua quantitate consistat patrimonium fideicommissarium ad præsens possessum; et in qua quantitate aderat tempore obitus fideicommittentis; causam deteriorationis ejusdem patrimonii, necnon omissionem dotium non solutarum; et a quibus possessoribus fideicommissi facta fuerit, et ob quam causam; et ulterius, an omittentes reliquerint bona, super quibus possit haberi relevatio dictarum dotium non solutarum ex eorum culpa? » *Ibid.*, 13 aug. 1707.

[53] « Qui modus fuit ejusmodi, ut omnes fructus tempore hujusmodi decennii decurrendi cedere, et erogari debeant in solutionem dotium effective promissarum juxta temporis anterioritatem, et Card. Episcopus juris remediis cogat tam promissores dotium, quam quoscumque alios, qui in alienos usus converterunt pecuniam ad reintegrandum legatum. Ulterius decrevit, ut in posterum fructus non administrentur a successore in fideicommisso, sed per œconomum a Card. Episcopo deputandum, qui teneatur summam exactam deponere apud ædem sacram, et quatenus non adsit, penes idoneam personam ad prædictum effectum solvendi dotes promissas, ut supra, cum obligatione quolibet anno reddendi rationem vel ipsi Card. Episcopo, vel personæ ab eo deputandæ » *Ibid.*, 1 *dec.* 1708.

[54] S. C. inspecta relatione Card. Mariscotti quoad prima instantiam benigne commisit eidem Card. ut veris, etc., et prævia oratorum absolutione a quibuscumque censuris, et pœnis, petitam facultatem erogandi præfatam liberam sortem scut. 40 unius millium 887, 94 in dissolutionem ac extinctionem supra enunciati æris alieni pro suo arbitrio, et prudentia, oratoribus gratis impertiatur. Secundam petitionem benigne remisit arbitrio ejusdem Card. relatoris, qui pro sua prudentia oratoribus gratis impertiatur. Secundam petitionem benigne remisit arbitrio ejusdem Card. relatoris qui pro sua prudentia gerat, statuat, atque decernat, quod sibi magis in Domino expedire videbitur; quoad tertiam instantiam eidem Card. Relatori commisit, ut gesta in præteritum sanet dumtaxat, atque convalidet.

Quo vero ad petitam quarto loco reductionem Missarum subsidiorum dotalium, aliorumque piorum operum, itidem EE. suæ commisit, ut vocatis, si qui fuerint vocandi, et mature perpensis omnibus, et singulis hujusmodi fundationibus, seu legatis, firmis remanentibus oneribus congruam eleemosynam habentibus, ac provenientibus ex contractu inito cum archiconfraternitate, necnon Missis, quæ a piis fundatoribus, seu testatoribus in eorum dispositionibus fuerint prædilectæ, et subsidiis totalibus antepositæ, ea dumtaxat Missarum onera, commutatis anniversariis in tot Missas lectas ad rationem eleemosynæ manualis, more urbis inspecto ex eis obolo pro qualibet Missa in causam sacrorum utensilium erogando, quatenus ecclesia reditus ad hunc effectum assignatos non habeat juxta Const. S. M. Urbani VIII, de celebr. Miss. pro suo arbitrio, et prudentia moderetur; atque reducet, quæ taxative a piis fundatoribus concepta fuerint; secus vero si fundationes, seu legata prædicta demonstrative concepta erunt quo casu eadem S. C. censuit, non esse locum reductioni, sed agendum esse contra hæredes fundatorum ad perpetuam injunctorum onerum manutentionem, et ad supplendum summam deficientem tam pro præterito, quam pro futuro tempore; quatenus autem quoad onera demonstrative concepta, factis judicialibus, et possibilibus diligentiis, vel hæredes cogendi, vel testatorum bona non reperiantur, super quibus oratorum conscientia onerata remaneat, tunc censuit; onera ipsa reduci posse proportione servata, ut supra ita tamen ut auctis reditibus augeantur Missæ, ac dotes. Ut autem in futurum cautius, et diligentius procedatur tum in suscipiendis piis legatis cum onere Missarum, tum in implendis jam acceptis, S. C. præfato Card. relatori pariter commisit, ut deputatis, et officialibus prædictæ confraternitatis stricte injungat observantiam dictæ Const. Urbani VIII, et Innoc. XII, super celeb. Miss.: Lib. *Decret.* 58, fol. 246, seq.

ad primum, et secundum remisit arbitrio, et prudentiæ Card. Marescotti : *Romana, Red. oner.*, 10 *maii* 1710, *dub.* 1.

8. Non obstante redituum imminutione, quam canonici basilicæ S. Mariæ Transtyberim passi sunt, quoad dispositionem Gabrielis Prati, ac denegato ab hæredibus supplemento, minime S. C. impertiri voluit onerum reductionem, quæ imposita a dicto Gabriele fuerunt. Nam de relictis locorum montis Novennalis prævia facultate obtenta canonici pretium eorum in fabricam canonicæ erogaverant : *Romana, Red. Miss.* 28 *sept.* 1709.

9. Vincentius Pacetti hæredem instituit usufructuariam Magdalenam Possentem nonnullis oneribus impositis, ac ei substituit ecclesiam S. Bibianæ subministratione capituli basilicæ Liberianæ. Post obitum mulieris æs hæreditarius valde imminutus repertus est ; ideo administrator cogitat in posterum observandum onerum implementum juxta vires hæreditarias. S. C. vero mandavit firmari status bonorum hæreditariorum Vincentii Pacetti tempore ejus obitus : *Romana, Red. on.*, 18 *april.* 1711.

10. Quam plurima, dum viveret, pietatis opera instituit locumtenens generalis exercitus regis catholici Aloysius Panizza in pluribus instrumentis cum loco pio charitatis Mediolani stipulatis. Cum autem ex temporum calamitate reditus notabiliter imminuti essent, deputati loci pii pro reductione onerum invocarunt S. C. quæ firmandum statum juxta instructionem faciendam per Card. præfectum [55] censuit : *Mediolanen.*, *seu Comen. Red. On.*, 8 *aug.* 1711, *dub.* 1 et 2. Postmodum dixit, dilata, et Card. Ptolomæus dignetur rem perpendere, et votum suum aperire : 8 *aug.* 1716. Putavit in voto Card. relator locum esse onerum reductioni, quamvis onera per contractum inter vivos suscepta fuerint ratione læsionis, quæ supervenit, ex causa reductionis fructuum mensæ nummulariæ S. Ambrosii. Ast novem canonici a dicto Panizza in collegiata ecclesia Castri Domasii instituti ; et communitas ejusdem Castri, in cujus favorem plura disposuit Panizza, reductioni contradicentes, ad concordiam devenerunt, pro cujus approbatione S. C. requisita respondit, ut scribatur Card. Archiepiscopo juxta instructionem [56] : 8 *febr.* 1721.

12. Summa annuorum scut. 100, pro præposito collegiatæ SS. Virginis de Provenzano, et alia scut. 50 pro quolibet canonico relicta a Lælio Taja, considerata fructuum diminutione ex hactenus deductis reducenda non est : nec sortes per deputatos ecclesiæ restituendæ sunt præposito, et canonicis ; liberata ecclesia a solutione prædicta ex decreto S. C., quæ etiam mandavit firmationem status bonorum ecclesiæ : *Senen.*, *Red. fruct. can.* 3 *octob.* 1711, *dub.* 1, confirmata 20 *febr.* 1712.

22. Cum plura legata pia ordinasset Franciscus Riccius, ac reditus hæreditarii impares comperti fuissent ad eorum executionem, petita fuit reductio, sed rescriptum, ut firmetur status bonorum hæreditariorum, auditis interesse habentibus : *Placent.*, *Erect. can.*, 20 *febr.* 1712, *dub.* 1. Inde vero respondit esse locum reductioni juxta formam præscribendam a Card. præfecto [57] : 9 *junii* 1714, *dub.* 1.

13. Reducenda non sunt onera pia per baronem Joan. Baptistam Pirelli in suo testamento imposita. Nam licet omnia testatoris bona ad capitulum cathedralis vigore fideicommissi non pervenerint, tamen acquisita, ac possessa pro explendis oneribus designatis sufficiunt : *Gallipolitana, Trans. et red. on.*, 5 *martii* 1712, *dub.* 5.

14. Impares sese agnoscentes operarii ecclesiæ B. V. Humilitatis subeundis oneribus ex diversis piis dispositionibus derivantibus ad S. C. convolarunt pro consueto reductionis remedio Episcopus ait provenisse redituum imminutionem tum ex temporum injuria, tum ex aucta eleemosyna Missarum ; ideo cum opera pia in dies magis depauperari comperiatur, censet esse precibus indulgendum. S. C. rescripsit quoad opera equitis Julii Alfaroli audiantur hæredes legantis, in reliquis pro reductione juxta modum : *Pistorien.*, *Red. oner.*, 13 *maii* 1713.

15. Camilla Rosales hæredi suo substituit collegium societatis Jesu, ut cum ex hæreditate demptis legatis piis nullum sentiret commodum, postquam plures etiam pro ipsa hæreditate sustinuerat lites, pro reductione legatorum supplicavit, sed minime eam obtinuit : *Theatina, Red. oner.*, 2 *decem.* 1713, *dub.* 1.

16. Cum onerum Missæ quotidianæ ac chori servitii, quod Hyacinthus Rubini fundato legato pio in

[55] Vide not. 20, verb. *Legatum pium* § IV .

[56] Melius edoceri voluit S. C. super universo statu præfati loci pii, an satisfactis oneribus omnibus aliquid supersit pro eodem loco pio, an alia omnia onera habeant suos reditus, et an hæc onera proveniant ex legatis ex contractibus, vel ex instituto confraternitatis : *Regist. Lit.*, lib. 26, die 8 febr. 1721.

[57] S. C. ad 1, respondit affirmative juxta modum. Modus autem est, ut Episcopus veris, etc., et vocatis legatariis, firmisque integre remanentibus legatis Missarum dotium pro quinque pauperibus, et miserabilibus puellis, et canonicatus statim erigendi cum oneribus a testatore præscriptis, anniversaria debeat, eorumque loco quatuor Missas lectas celebrari mandet ; cetera vero legata proportione servata moneret, atque reducat, et ex eo quod superest, idem Episcopus pro suo arbitrio augeat onus officiaturæ in diebus tamen diversis ab iis in quibus canonici et præbendati, jam in præsens ad officiaturam tenentur. Ad 2, rescripsit provisum in 1, et hujusmodi causam amplius non proponi mandavit : *Lib. Decret.* 64, fol. 218.

ecclesia Ripana expleri mandavit, reductio petita fuisset ratione tenuitatis redituum, qui tamen ascendunt ad annua scut. 50; S. C. hanc reductionem haud largita est: *Ripana, Patr. sac.*, 23 *junii* 1714, *dub.* 5.

17. E vivis ereptus fuit Petrus Janninus, qui hæredem ex asse inscripserat capitulum, seu presbyteros participantes terræ Guaniani cum onere chori, et Missarum, aliorumque. Idem capitulum adivit hæreditatem cum beneficio asserti inventarii, et modo comperiit hæreditarios proventus impares omnino esse tot exequendis oneribus, idcirco opportunum reductionis beneficium exposcit, ut sublatis Missarum, anniversariorum, ceterisque oneribus chori, dumtaxat quotidianum pensum intactum servaretur. At S. C. preces hujusmodi rejecit: *Brundusina, Red. on.*, 23 *junii* 1714, confir., et addidit ad mentem [58]: 30 *martii* 1715. Inde in primo loco decisis, et ad judices suos rem remisit. Nam de nullitate inventarii dubitatum fuit: 31 *julii* 1717.

18. Reductionem piorum legatorum, quæ in numero sedecim partim Missarum, et partim eleemosynarum instituit per capita separata Hercules de Serris S. C. impertita est; ita tamen, ut pro rata parte fieri deberet. Testator enim summam scut. 650. reliquerat investiendam ad rationem septem pro quolibet centenario, et anno, quod perfici nunquam potuit, adeoque hæres facultatem studuit consignandi integram summam, ut investiatur: *Anconitana, Pior. on.*, 11 *januar.* 1716, *dub.* 2.

19. Joan. Andreas Castellanus domui Lauretanæ nationis Picenæ in Urbe omnia sua bona donavit, jussitque Missarum celebrationem, et alumnorum manutentionem. Ex dictæ hæreditatis fructibus impendi scut. 75. pro cantu in die festivitatis translationis almæ domus mos fuit. Sed ut hoc onus deleatur, modo ecclesiæ deputati exorant, necnon aliorum onerum reductione ob hæreditatis impares reditus. S. C. delendas esse omnes musicas, et in reliquis ad Card. præfectum juxta mentem rescripsit: *Romana, Red. oner.*, 3 *decem.* 1729. Eo sublato onere ecclesiæ gubernatores reditus adhuc impares esse exponunt, iterumque reliquis omnibus liberari postulant. Sed satis provisum S. C. respondit: 28 *febr.* 1733.

20. Hæredes substituti a testatore Joanne Sarchio ejus hæreditatem imparem agnoverunt ad implenda pia onera ab ipso præscripta, eorumque reductionem obtinuerunt juxta votum Card. Archiepiscopi, ne absque ullo compendio hæredes vocarentur, tum etiam administrationis causa; denegata vero ipsis fuit partialis adscriptio fructuum, et voluit S. C., ut Card. Archiepiscopus procederet prout de jure in redditione rationis firmo remanente sequestro: *Ferrarien.*, 13 *febr.* 1751, confirmata 27 *martii ejusd. anni.*

21. Decessit in urbe Antonius Duchi Tridentinus nullo confecto testamento; reperta tamen penes ipsum fuere folia quædam, in quibus sodalitium SS. Trinitatis Peregrinorum hæres scriptum fuerat, pluribus legatis piis oneratum. Hæreditatem postulavit sodalitium, sed obstitit Antonius Lucchesi defuncto proximior. Exarsit lis, ast res omnis transactione composita fuit; inde legatorum reductio ratione concordiæ expensarum actæ litis fuit efflagitata, sed non impetrata a S. C.: *Romana, Red. leg.*, 13 *sept.* 1755, confirmata 6 *decem. ejusd. anni.*

22. Antonius Maria de Aventiis super omnibus bonis suis annuum legatum perpetuum instituit libr. 100, pro duabus pauperibus puellis in communi S. Laurentii in Collina commorantibus. Prædia legato prædicto subjecta in pejus mutaverunt, qua de re ab emptoribus horum peculiarium prædiorum legati reductio expetita fuit, sed contradicentibus parochis, et massariis, quibus jus erat puellas eligendi S. C. ivit inficias: *Bononien., Red. leg.*, 22 *martii* 1760, *dub.* 1.

23. Anno 1711, S. C. reduxit ad medietatem singula legata; quemadmodum imminuti erant fructus censuum, quos reliquerat Propertius de Angelis confraternitati S. Mariæ Misericordiæ plani mercatus. Nova fructuum diminutione sequuta, nova etiam expetita fuit reductio, eaque concessa ad formam reductionis anni 1711: *Urbinaten.*, 16 *januar.* 1762, *dub.* 2.

24. Legatum relictum a Joan. Baptista Serneri in favorem sacrarii, et novæ ecclesiæ PP. Cappuccinorum in ea quantitate, quæ mandatur in testamento, ac in conventione inita anno 1710, ubi suppeditatio annua decernitur, statuitur, nullam vero pati debet reductionem ob redituum diminutionem, testator enim indeterminatum dotium legatum præstandum ex residuis fructibus jusserat: *Viterbien., Leg*, 19 *sept.* 1767.

25. Cæcilia Merisi hæredem sibi scripsit archihospitale incurabilium S. Jacobi, plura præscribens pia legata perpetua. Archihospitalis deputari cum beneficio legis, et inventarii hæreditatem adierunt; inde vero imminutis fructibus, auctisque expensis pro reparatione domorum ad hæreditatem pertinentium, impar ad onera ferenda reddita fuit, immo ad ea implenda archihospitale e propriis pecuniis scut. 1077, 86 solverat, quorum redintegrationem, onerumque reductionem cupit. S. C. respon-

[58] Mens fuit, ut loco Missæ in cantu celebrandæ die lunæ, celebretur Missa lecta, quodque legatum PP. Cappuccinis diminuatur ad annua scut. 6: *Ead. causa*, 31 julii 1717.

dit pro firmatione status per peritum deputandum a secretario juxta instructionem [59] : *Romana, Red. leg*, 16 *decem.* 1769. Concessa deinde fuit redintegratio ad formam peritiæ judicialis, necnon suspensio 4 subsidiorum tantum usque ad integram redintegrationem ; et quoad reductionem respondit dilata, et ad mentem : 11 *junii* 1774, *dub.* 1, 2, 3. Demum etiam reductionem donavit aliorum 4 subsidiorum dotalium pro rata parte tantum annuorum scut. 91 77 ; ita ut exactis reditibus annualibus, ex superextanti summa fiat cumulus usque ad quantitatem scut. 25 constituentium unum subsidium dotale, quod statim conferri debeat secundum dispositionem testatoris, et servetur idem ordo, et methodus successivis temporibus : 6 *maii* 1775.

26. Maria Saneci legavit scut. 50 conventui SS. Annuntiatæ, scut. 100 monasterio Cappuccinarum, totidemque conventui PP. Ordiuis S. Augustini cum onere perpetuo retinendi lampadem accensam ad altare B. Andreæ Sanucci, aliaque implerent ab ipsa præscripta. Legata hæc præstari mandavit ex pretio cujusdam domus, quæ vendita fuit ; ita ut ad PP. Augustinianos pervenerit summa scut. 44 ; hinc commutatio, vel onerum diminutio postulata fuit, et diminutionem indulsit S. C. juxta modum [60] : *Camerinen., seu Fabrianen., Leg.*, 20 *januar.* 1770.

27. Bona relicta a Ludovico Sarra propriis implendi legatis comperta fuere annui reditus scut. 48, ad onera vera ferenda summa requiritur annuorum scut. 100, assequi reductionem cogitatio suscepta fuit, et S. C. voluit antea firmationem status a Card. Archiepiscopo faciendam juxta instructionem : *Bononien., Red.*, 28 *julii* 1770.

28. Agatha Malacrosta universam suam hæreditatem reliquit collegio PP. Congregationis doctrinæ Christianæ Centumcellarum cum onere addendi alios sacerdotes, qui docerent facultates superiores, ac Missas, cum aliis piis exercitiis peragerent. Sed illi agnoverunt vires hæreditatis deducto ære alieno omnibus expletis oneribus nequaquam sufficere : Idcirco instant PP. pro illorum reductione, et consecuti sunt juxta votum vicarii capitularis [61] : *Viterbien., Red. on.*, 8 *maii* 1784. Deinde alias porrexerunt preces vicarii votum multiplicis arguentes erroris, et aiunt esse admodum gravatos ; ac instante societate Confalonis substituta quæsitum est ; an, et quomodo sit standum a decisis 8 maii 1784, seu potius substitutioni sit locus societatis Confalonis Centumcellarum ? S. C. nullum decretum edidit quoad 1[am] partem, sed mandavit confici peritiam super restauratione domorum hæreditatis Malacrostæ, et ad tramites ejusdem peritiæ, prævia edictorum affixione, deliberet redemptori operis, et deinde eligat peritum ratiocinatorem, qui conficiat statum activum, et passivum ejusdem hæreditatis ; et quoad 2[am] partem negative in oneribus : 6 *decem.* 1786. Alias vices habuit causam, et bis scriptum fuit Card. Episcopo juxta mentem [62] : *die* 24 *maii* 1788 ; et iterum juxta mentem [63] : *die* 14 *martii* 1789. Denique decretum emanavit a S. C. in decisis sub die 8 maii 1784, et domos, de quibus agitur, concedendas esse in emphyteusim PP. Doctrinariis pro annuo canone scut. 150 : 31 *julii* 1790. Redeunt PP. pro onerum reductione, quam obtinere non potuerunt, et in decisis S. C. rescripsit ; et quoad tertium præceptorem juxta vicarii capitularis relatum votum assumendum, edicitur, ut elapso sexennio recurrant : 15 *sept.* 1792.

29. Hyppolitus Vicedomini fideicommissum ad agnationem cum stemmate suæ domus conservandam condens, pluribus legatis piis fideicommissarios, tum Missarum, ac præstationum oneravit.

[59] Vide ***Legatum pium***, § V.

[60] Nempe, ut in diebus dominicis, et festis, retineri debent lampades accensæ ad altare B. Andreæ Sanucci die tantum ; et si aliquid supererit erogetur pro cera, et ad mentem : *Ead. causa*, 20 januar. 1770.

[61] Ut igitur quod postremum erat imbecillis animi mei sensum aperiam, in ea forem sententia, ut firmo remanente bonæ mortis exercitio collegium PP. Doctrinæ christianæ proximo nov. mense ineunte, nempe initio novi anni scholastici duos alios adsciscerent sacerdotes, quorum alter humaniores litteras, ac rethoricam publice edoceret, alter matutinis horis geometriæ, ac logicæ, physicæque elementa traderet, horis vero pomeridianis saniores theologiæ moralis institutiones prælegeret, et uterque eorum alternis vicibus Missam celebret in satisfactionem unius quotidianæ Missæ pro hoc legato celebrandæ. Post sexennium vero cum nempe extinctum fuerit æs alienum prædictum in summa scut. 325 97, tertius addatur præceptor, qui totus sit in sanioribus theologiæ moralis institutionibus enucleandis, atque ita in posterum tres præceptores eo in collegio habebuntur, alter nempe pro humanioribus litteris rethoricaque, alter geometriæ philosophiæque tradendæ, postremus vero theologiæ morali unice edocendæ semper destinati. Onus vero quotidianæ Missæ inter hos tres præceptores æqua lance distribuatur. Interim vero donec novus accedat scholasticus annus præscriberem, ut ex reditibus conficiantur restaurationes in domibus hæreditariis, si opus sit, sin minus Missæ celebrentur ad rationem eleemosynæ manualis : *Ead. causa*, 8 maii 1784.

[62] Quoad activum nempe, et passivum hæreditatis statum quam cito transmitteret : *Ead. causa*, 14 martii 1789.

[63] Mens est, ut mandet affigi nova edicta cum præfixione unius mensis ad recipiendas oblationes, quo elapso transmittat easdem ad S. C., et referat super idoneitate oblatorum Ventura, Mazzaroni, et aliorum supervenientium : *Ead. causa*, 19 sept. 1789.

Ast hisce oneribus deductis ex bonis fideicommissariis vix nobiliæ familiæ annua scut. 28 supersunt; ita ut comes Hyppolitus Valisnieri fideicommissi possessor obtinendi cogitatione versatur, ut per celebrationem unius anniversarii, et alicujus numeri Missarum ab implemento aliorum legatorum solvatur. Sed nihil ei tenuitatis redituum, et tantorum onerum profuit expositio : *Regien.*, *Red.*, 24 *julii* 1784.

30. In consultationem vocatur, an pia legata tam Missarum quam aliorum onerum, quæ dubia, et incerta sunt, quæque non habent peculiarem fundum superstitem, sint penitus delenda, vel potius reducenda? Juxta votum Card. relatoris [64] datur responsio : *Ecclesien.*, *On. et distr.*, 9 *sept.* 1786, *dub.* 4.

31. Disquiritur, an legata, quæ peculiarem habent fundum adhuc existentem, nec cum reliquis bonis capituli Ecclesiensis confusum, præservanda sint, et quatenus imminuti sint reditus, an, et quomodo sint reducenda? S. C. respondit juxta votum Card. relatoris [65] : *Ibid.*, *dub.* 5.

32. Item ad dubium, an legata, quæ ad populi, et ecclesiæ commodum, et utilitatem instituta sunt, sint servanda, aut etiam reducenda? idem responsum dedit : [66] : *Ibid.*, *dub.* 6 [67].

33. Conservatorium puellarum periclitantium hæres institutum a sacerdote Francisco Focaccia cum onere dotandi puellas, reductionem petendi rationem exposuit, ex quo conspicua hæreditatis pars auctoritate S. C. Ursulæ Focaccia testatoris sorori adjudicata fuere; et rescriptum fuit consulendum esse Sanctissimum juxta calculum ab interesse habentibus approbatum, et ab Episcopo transmissum : *Cæsenaten.*, 3 *martii* 1787, *dub.* 2.

34. Lucia Sgarronia S. Salvatoris supra Minervam hæredem instituit, ut binas quotannis in summa scut. 25 Romanis puellis, quæ in Domino nuberent, dotes conferret; onera eisdem puellis dotatis in pagella dedit, ut semel in mense defunctorum officium, vel integrum B. M. V. Rosarium, alterumque Rosarium sanctissimi Salvatoris in hebdomadis singulis, donec vixerint, recitarent. Sodalitii deputati probantibus confessariis institerunt pro commutatione voluntatis, proque imparis oneris moderatione, et puellarum conscientiæ, et testatricis animæ consulendo annuit S. C. mandando, ut annuæ Missæ 12 in suffragium animæ testatricis ex fructibus ejusdem hæreditatis exuberantibus celebrarentur : *Romana, Com. vol.*, 14 *martii* 1789.

35. Non semel tantum canonici cathedralis Missæ conventualis reductionem ad dies dominicos obtinuerunt causa reparationis ecclesiæ a terræmotu concussæ. Prorogationibus expiratis aliam ad decennium impetrarunt. Sed ob æs alienum eadem de causa contractum postulandi coacti sunt etiam legatorum reductionem, sed eorum petitio rejecta fuit : *Fabrianen.*, 19 *decem.* 1789, *dub.* 1.

36. Legatum Missarum 40, et alterius cum cantu in die decollationis S. Joan. Baptistæ, non indefinitivæ distributionis panis, eodem die pauperibus omnibus ad domum Joan. Baptistæ Mascagni legantis concurrentibus, ob plura executionis incommoda, reducitur ad totidem Missas diebus dominicis, et festis intra annum cum eleemosyna ob. 20 pro qualibet, et ad distributionem panis pauperibus dumtaxat parochiæ, juxta votum Card. Archiepiscopi : *Bononien.*, *Com. vol.*, 17 *sept.* 1791.

37. Purificato erectionis cujusdam canonicatus casu, hæc expleta est vi dispositionis Angelicæ Marinæ in collegiata S. Andreæ Apostoli Sublaci cum onere chori, trium sacrorum hebdomadalium, celebrationis festi S. Vincentii Ferrerii, ac cum aliis 12 Missis annuis. Sacerdos Joan. Baptista Ferrari primus nominatus ad dictum canonicatum agnoscens imminutum fuisse sortem canonicatus ex detractione peracta vigore testamenti Josephi Marini testatoris patrui, exorat pro onerum reductione, quam S. C abnuit : *Nullius*, *Sublacen.*, *Red. on.*, 5 *junii* 1790. Deinde detecto chori servitii gravamine, ac tenui eleemosyna, censuit S. C. prævio recessu a decisis esse locum reductioni ad 3 Missas hebdomadales tantum : 24 *martii* 1792.

38. Congregationi Oratorii Portucalensis urbis gravis non erat tot alumnorum ex parvis patrimoniis, seu legatis manutentio, quum distinctum quilibet assignare non teneretur patrimonium causa indulti eos ad ordines promovendi titulo missionis et men-

[64] Vide not. 50, præcedentem.

[65] Qui respondendum censet « affirmative ad primam partem, et quoad secundam, reductionem faciendam esse juxta modum infra exprimendum. » Hujus responsionis inde affert rationem, et concludit, ut legata, quorum reditus sunt absque culpa capituli imminuti, Episcopus « redigat ad æqualitatem inter onus, et fructum cujuslibet legati, ducto decennii calculo inter impensum, et acceptum, atque iis servatis regulis, quantum fert ipsa legatorum conditio. » *Ead. causa*, 16 aug. 1794, *in* 1ª *Relat.*, § 38 et 41.

[66] Et Card. relator respondit « affirmative juxta modum, quem inde explicat, quod de legatis quæ vel totum fundum, vel partem ipsius habent superstitem, ab Episcopo est observanda, nimirum, ut quidquid ex illo fundo lucri reportatur cujuslibet legati obligationi sustinendæ addicat, et si fundus totus perierit absque illius culpa, et nemo adsit, qui illius evictione teneatur, legatum omnino deleat. » *Ead. causa*, 16 aug. 1794, *in* 1ª *Relat.*, § 43 et seqq.

[67] *Reliqua*, vide *Missa*, § IX, num. 300, seqq,

sæ a Bened. XIII obtenti. At deinde adempta hac facultate, cum paria respective non fuissent pia illa relicta ad congruam presbyteralem, quæ est scut. 50, sua auctoritate moderatores Congregationis reduxerunt alumnorum numerum ad 5 de qua dicunt assequutos fuisse postea approbationem Pontificis die 20 junii 1788. Modo iterum quærunt approbationis prædictæ confirmationem de falsa assertione Pontifici facta dubitans; et S. C. indulsit confirmationem rescripti diei 20 junii 1788. *Portucalen., Red. on.*, 27 *aug.* 1796, *dub.* 1.

39. PP. Dominicani conventus oppidi Petræcutæ possident hæreditatem Sinibaldi plurimis gravatam oneribus. Hujus reditus ex scut. 763, 30 annuis imminuti sunt ad scut. 350, 50 absque culpa oratorum; qua de re efflagitant, ut prævia derogatione testamenti Joan. Sinibaldi, qui sex fratres voluit adesse in dicto a se fundato conventu, plurimis gravatos oneribus, et tum pœna caducitatis, si immutaretur ejus dispositio, possit tres religiosos unum sacerdotem et duos laicos tantum adesse; et S. C. gratiam concessit juxta votum Episcopi ad sexennium: *Feretrana, Red. on.*, 26 *novem.* 1796.

LEGATUM PIUM, SEU OPERA PIA SUBSIDIORUM DOTALIUM. Vide *Subsidium dotale.*

§ XIII.

Legatum pium seu opera pia quoad suspensionem.

1. Cum Camilla Rosales nuncupasset hæredem substitutum collegium Theatinum societatis Jesu impositis nonnullis legatis, præsertim constructione ecclesiæ prædicti collegii: propterea supplices PP. societatis preces exhibent, ut redituum portio, quæ juxta testatricis præceptum annuatim eroganda esset pro sacello construendo, reservari possit, quousque cumuletur summa duc. 3000, quia perexigua summa ad id impræsentiarum superest, ut ne vix quidem manus operi admoveri possent. S. C. ad rogatum respondit esse concedendam dilationem 20 an., facta tamen obligatione per PP. de habendo in forma depositi summas annuas: *Theatina, Red. on.*, 2 *decem.* 1713, *dub.* 2.

2. Destructo in antiqua ecclesia S. Gregorii S. Augustini altari equitis Joan. Stephani Guazzi, hæres dicti equitis exquisivit; num onera pia recolendi festivitates, manutenendi, lampadem accensam suspensa remanerent, quousque altera subrogaretur ara in nova ecclesia ædificanda? S. C. ea suspensa minime esse declaravit, immo implementa mandavit in oratorio publico jam erecto cum facultate Episcopi, in quo regulares celebrant: *Cervi., Trans. pior. on.*, 1 *junii* 1715, *dub.* 2.

3. Demandato multiplico a sacerdote Sebastiano Guidi hærede instituto hospitali S. Joan. nationis Florentinæ cum onere quælibet subsidia dotalia in scut. 30 saltem distribuendi, inde processit ad tria legata disponenda in favorem dictæ ecclesiæ; planum proinde non fuit, an pendente multiplico pro dotibus, suspendenda sit solutio legatorum trium, vel persolvenda. S. C. censuit non esse suspendenda, sed persolvenda pendente, et adhuc non completo pro dotibus dicto multiplico: *Romana, Leg.*, 13 *aug.* 1718.

4. Agitabat civitas Pergulæ fundationem collegii scholarum piarum pro juvenibus religione, ac bonis artibus imbuendis, sed deerant pecuniæ pro fabrica collegii, cetera necessaria præsto erant. Postulatum proinde fuit a civibus pro suspensione temporaria legati Luciæ Vennarucci, quæ reliquit in favorem animæ suæ, puellarum, ac pauperum, ac applicatione pro hujusmodi fabrica, S. C. voluit, ut scribatur Episcopo juxta instructionem [68]: *Eugubina, seu Pergulen.*, 7 *aug.* 1756. Deinde gratiam prævia Sanctissimi consultatione concessio suspensionis ad an. 12: 21 *maii* 1757.

6. Porphirius Fantozzinius e Vetralla hærede nuncupata Congregatione scholarum Piarum onus ei imposuit erigendi collegium ejusdem instituti Vetrallæ post 50 an. spatium, a die ejus obitus cum substitutione erectionis peragendæ tot canonicatuum in ecclesia collegiata dictæ terræ, ac interim cum onere multiplici in favorem dictæ dispositionis. Intra præfiniti temporis spatium, hæreditas passa est insignes bonorum immutationes; unde aliud idoneum spatium temporis ad cumulum perficiendum scholarum piarum Congregatio requisivit, non obstante conditione substitutionis a testatore apposita S. C. expetitam prorogationem indulsit ad decennium, declarando locum factum haud esse vocationi ac erectioni canonicatuum: *Viterbien., Pior.*, 20 *sept.* 1766, *dub.* 1.

6. Legata pia pro dotibus, et eleemosyna pauperum exequenda sunt in eo quod superest, et si Antonius Pelucchi Romanus ordinaverit quatuor subsidia dotalia quotannis conferenda. Nam hæreditas nimis gravata reperta fuit; non autem consanguineis instantibus, qui propriam paupertatem præferebant, eadem legata sunt suspendenda: *Romana, Cap., et leg. pior.*, 23 *sept.* 1777, *dub.* 1.

7. Comperta hæreditate Petri Mariæ Constantini ære alieno gravata in scut. 1825. Sodalitium suffragii Arimini urget, ut suspenderentur onera pia

[68] Quæ fuit, ut referret reditus superextantes ejusdem hæreditatis, detractis annuis scut. 80, pro stipendio capellani, quæ nam esset impensa necessaria, ut complerentur fabricæ collegii, et an PP. scholarum piarum consensum præstarent: *Ead. causa*, die 21 maii 1757.

usque ad debiti extinctionem, ut inde possit testatoris exequi voluntatem, et obtinuit: *Ariminen., Susp., on.*, 13 *martii* 1784.

8. Suspensio onerum legati a Petrino, et Joan. Bartholomæo Naja relicti conceditur hæredibus, et consanguineis Naja ob gravem inopiam illorum ad decennium juxta votum Card. Episcopi [69]: *Vercellen., Susp. on.*, 15 *dec.* 1792, *dub.* 1.

§ XIV.

Legatum pium, seu opera pia quoad translationem.

1. Legata annuæ celebrationis festi B. M. V. in suo sacello in ecclesia S. Joan. Baptistæ Pisauri constructo, item celebrationis unius officii defunctorum ac alendi pauperes 30, die Annuntiationis B. M. V. collegium et PP. SS. Nicolai et Blasii Urbis Congr. Somaschæ hæredes sibi scriptos oneravit Michael Angelus Stephani ejusdem Congregationis. PP. S. Francisci, qui ecclesiam S. Joan. Baptistæ detinent, legatum ob tenuitatem redituum solemniter repudiarunt, et altare a testatore designatum, quod ipse errore ductus suum putaverat, destruxerunt, translationem itaque legati PP. SS. Nicolai, et Blasii, expetiverunt, eaque quoad onus Missarum tantum concessa fuit: *Romana, seu Pisauren., Trans. on.*, 23 *junii* 1753.

2. Translatio pii operis ab ecclesia B. M. V. de Mari ad aliam ecclesiam ejusdem civitatis Barchinonæ denegata fuit, obsistente mente testatoris, quamvis ex translatione lis inter executores testamentarios, et communitatem Presbyterorum extincta remansisset: *Barchinonen., Op. pii, seu Mis. quot.*, 22 *julii* 1758, *dub.* 1, confirmata 20 *januar.* 1759.

3. Conjuges Adolphus de Nesselroth, et anna Catharina de Sœteren statuit, ut ex fructibus suorum bonorum sodales Sanctissimi Sacramenti in ecclesia PP. ordinis S. Francisci strictioris observantiæ ad Olivas musicam ad cultum Sanctissimi Sacramenti pararent; et casu, quo hoc non obtinuissent, in favorem pauperum disposuit. Opus pium Archiepiscopus approbavit. Sed a sodalibus musicam inde negligi videntes prædicti conjuges dispositionem variarunt, et partim parocho Engelskirchen, partim in favorem pauperum assignarunt. Comes Carolus de Nesselroth supplicavit postmodum pro translationis hujusmodi pii operis confirmatione, et eam non est consecutus: *Colonien., Trans.*, 2 *julii dub.* 1, confirmata 3 *aug.* 1765.

4. Assecutus tamen fuit approbationem translationis a se factæ, ut sacra fierent intra præfatæ parochiæ limites pro accolarum commodo; *Ibid. dub.* 2. Sed canonicam haud fuisse hanc translationem probare adnitente sodalitio, piumque opus summa pietate institutum ad hæc usque tempora retineri testante, negativum in hoc quoque dubio passus fuit orator responsum, et S. C. recessit a decisis: *Ibid.*

5. Henricus Magi Melitensis nonnulla legata pia tum Missarum tum eleemosynæ pauperibus fœminis distribuendæ jussit implenda per parochum ecclesiæ Portus Salutis civitatis Vallettæ PP. ordinis S. Dominici commendatæ. Tum parochus, tum procurator conventus in judicio lacessiti fuere super onerum, et hæreditatis acceptione, quatenus vero ipsi renuerent, desiderata fuit translatio in favorem confraternitatis SS. Sacramenti in eadem ecclesia erectæ. Termino jam præstituto elapso, et parocho, ac procuratore silentibus, S. C. rescripsit pro translatione, impletis tamen per societatem omnibus oneribus a testatore impositis, et jussit, ut scriberetur Episcopo juxta instructionem [70]: *Milevitana, Leg.*, 29 *aug.* 1772.

6. Hæredem sibi scripsit canonicus Jacobus Matius capitulum collegiatæ S. Agathæ, it aut ejus bona in constructionem ruralis ecclesiæ, ubi sacra ab ipso præscripta celebrarentur, cederent. Urgente necessitate reparationis ejusdem collegiatæ, elaboratum est, ut relictum pro nova ecclesia ædificanda in ejus favorem erogaretur et sacrorum translatio fieret ad altare S. Petri collegiatæ prædictæ, et responsum fuit negativum in omnibus; ac relictum pro ecclesiæ ædificatione erogandum in favorem ecclesiæ S. Felicis quæ parum distabat a loco, quo nova extrui debebat ecclesia arbitrio Episcopi: *Ariminen., seu Feretrana*, 30 *januar.* 1779.

7. Per contractum inter vivos legatum pium Missarum et anniversariorum a Cæsare Casati institutum susceperunt PP. ordinis S. Augustini oppidi Chiavennæ Laudæ, ac partem fundi in summa lib. 4388 erogarunt in emptionem nonnullorum

[69] Ait enim « Quoties S. C. indulgere oratoribus videbitur, conditio mihi videretur simul adjicienda, ut quotannis pecunia reponatur, quousque capellaniæ dos redintegretur, idque aliquos a concessa gratia post annos. » *Ead. causa*, 15 decem. 1792, § 4.

[70] Die 31 dicti Sanctitas approbavit; ut firmius sit dispositionis implementum, et solemnior acceptio Episcopo scriptum fuit, ut prædicta dispositio Henrici Magi in omni sua parte ab omnibus confratribus, et universo eorum cœtu legitime congregato per secreta suffragia prout juris est servatis servandis acceptetur. Alterum quod exemptio, qua a casibus fortuitis societas sibi præcavere intendit, respiciat quidem casus insolitos, atque ipsam rei substantiam pertingentes, minime vero, qui circa fructuum imminutionem, aut quacumque ex alia causa consurgere poterunt, menti S. C. se conformet: *Regist. Litt.*, lib. 33, die 29 aug. 1772.

prædiorum. Conventu auctoritate Apostolica suppresso, ecclesia pro nova parochiali assignata fuit. Bona vero ad conventum ejusdem ordinis Burgi S. Domnini applicata. Rescriptum inde obtinuerunt religiosi Burgi S. Domini a Summo Pontifice, quo liberati fuere a quolibet onere, facta tamen restitutione dictarum librarum, necnon aliarum 2012, quæ a familia Casati detinebantur in favorem novæ ecclesiæ parochialis. Re ad S. C. perducta, vel pro translatione onerum ad ipsorum ecclesiam Burgi S. Domnini, vel pro executione rescripti : S. C. respondit, rescriptum non esse exequendum : *Placentina, Leg. pii*, 23 *novem.* 1782, *dub.* 1.

8. In regione nuncupata *il Pizzo* territorii Anquillariæ adest ædicula quædam, in qua imago colitur B. M. V. ab angelo annuntiatæ. Frequens est populi concursus et semel in anno capitulum ad illam publica supplicatione accedit. Prefatæ imagini Joan. Guidi legavit scuta 100 eroganda in ædiculæ fabricam. Ejus hæres Silvester censens melius impletam in sui auctoris voluntatem, si imago ad ecclesiam PP. congregationis a Passione D. N. Jesu Christi transferretur, ibique in capella decenter ornata collocaretur, necessariam facultatem a S. C. requisivit, quæ ejus precibus annuit juxta votum Episcopi et consensum capituli et communitatis : *Sutrina, Com. vol.*, 16 *decem.* 1786.

§ XV.

Legatum pium seu opera pia quoad validitatem, vel nullitatem et capacitatem illud assequendi.

1. Legatum relictum fuit ut certa portio panis et vini emeretur pro servitio infirmorum Minor. de Observ. conventus Aræcœli, cum onere fratribus imposito celebrandi quotannis sacra 200. Sententia S. C. exquiritur, et fratres hujusmodi legati capaces esse resolvit : *Romana, Leg.*, 2 *decem.* 1673.

2. Laura Francisca de Jacuffis reliquit duc. 180 causa legati hæredibus, ut ex illorum reditu celebrarentur 4 anniversaria annuatim in ecclesia S. Mariæ Luminum a PP. de observ. S. Francisci. Hæredes institerunt declarari de validitate hujusmodi legati et validitatem S. C. vindicavit : *Aprutina, Leg.*, 29 *febr.* 1676.

3. Occasione fundationis monasterii in terra Muticianæ imposita fuit monialibus subministratio PP. Cappuccinis dictæ terræ lib. 25 ceræ albæ pro usu eorum ecclesiæ; et centum olei pro manutentione lampadis, necnon unius ferculi valoris solid. 20 singulis hebdomadis præstanda. Modo recusant moniales dictas præstationes suppeditare ratione incapacitatis PP., et S. C. eas teneri quoad oleum et ceras resolvit : *Faventina, Leg.*, 2 *martii* 1697, *dub.* 1.

4. Et quoad præstationem unius ferculi respondit esse servanda decreta congr. fabricæ die 14 febr. 1633[71] : *Ibid., dub.* 2.

5. Annuum et perpetuum legatum a Joan. Joachimo ex dominis de Passano relictum fuit in favorem conventus Reformatorum S. Francisci ad emendum pannum pro vestiendis PP., quod legatum præstari jusserat testator absoluto multiplico 2000 locorum montium S. Georgii Januæ, perpenso itaque ; an legatum validum sit? S. C. jussit ut expectetur complementum multiplici : *Januen., Leg.*, 17 *decem.* 1701, *dub.* 1.

6. Abnuentes PP. Carmelitæ discalceati demandatas a Fabritio Pinto testatore eleemosynas PP. Cappuccinis legatariis tanquam incapacibus freti Constitutionibus apostolicis Nicolai III. Clem. V, Pont. Max. in cap. *Exiit*, et cap. *Exivi*, *de Verb. signif.*[72], et decreto Urbani VIII relat. a Fagnano in cap. *Nimis parva, de Excessibus prælat.*, num. 54[73] ; S. C. servari decreta congregationis fabricæ diei febr. 14 1633 sancivit[74] : *Salernitana, Eleem. seu leg.*, 14 *junii* 1704.

7. Dispositio hæreditatis suæ facta per Petrum Antonium Adurnum in favorem capellæ seu altaris nuncupati *del Cordone* existentis in ecclesia PP. reformatorum S. Francisci terræ Tuani pro manutentione utensilium et celebrationem Missarum a PP., vel substitutis peragenda valida non est : *Marianen., Piar. disp.*, 6 *julii* 1709, *dub.* 1 : confirmatum et additum est quoad fratres[75] : 15 *novem.* 1710.

8. Ad dubium an valida sit donatio facta a Petro Paulo Polidoro tam pro utensilibus capellæ in dicta ecclesia, quam promissi et lana pro dictis PP.? Respondetur negative : *Ibid., dub.* 2, confirmata *ibid.*

9. Quum relicta fuissent nonnulla legata PP. Min. de observ. S. Francisci terræ Padulæ, quæstio orta est inter eos et ministros fabricæ S. Petri, patrum inspecta legatorum incapacitate, et quamvis PP. prædicti posse retinere, quia sunt eis relicta pro ornamentis ecclesiæ, ac etiam quia expendunt in adjutorium eorum inopis valetudinarii, assererent, tamen S. C. resolvit, quoad duo legata esse locum applicationi rev. fabricæ, et secretario cum Sanctissimo pro aliqua stipe una vice tantum in favorem PP. et quoad alterum legatum spectare ad clericum substitutum : *Caputaquen., Leg.*, 28 *nov.* 1711, *dub.* 1 et 2.

[71] Vide not. 5, præcedentem.
[72] Vide not. 6, præcedentem.
[73] Vide not. 7, præcedentem.
[74] Vide not. 5, præcedentem.
[75] Vide not. 7, præcedentem.

10. Archipresbyter collegiatæ Terlitii Joan. Angelus Pantalæus capitulo duc. 100 legavit cum onere celebrationis Missarum 20 quolibet anno. Putavit capitulum præfatas pecunias ad suam ecclesiam spectare ex juris pontificii dispositione [76]; et S. C. decrevit Missarum onus validum haud esse: *Juvenacen. seu Nullius Terlitii, Spolii*, 24 *apr.* 1717.

11. Joan. Vincentius Vitalis hæredibus jussit ut nonnullos census PP. S. Rocchi strictioris observ. S. Francisci traderent ut Missarum onera implerent; sed fratres prædicti incapaces ejusdem legati declarati fuere: *Brundusina, Adim.*, 26 *aug.* 1719, *dub.* 1.

12. Religiosi S. Francisci Min. observ. Murri Vallium retinere possunt frustum terræ emptum ex pecuniis legatis a Bradamante Tancredi injuncto onere duarum Missarum cum cantu quolibet anno, facto tamen verbo cum Sanctissimo. Nam illud frustum licet esset sylvosum in claustro tamen fuerat oppilatum: *Firmana, Leg.*, 31 *maii* 1721, *dub.* 2.

13. Item cum in dubium veniat, an iisdem religiosis liceat retinere legatum census scut. 50 relictum cum onere Missarum a Ludovico Moretti? rescripsit, ut audiatur procurator generalis: *Ead. causa*, 21 *junii* 1721. Deinde negativum protulit responsum, et syndicum teneri censum dimittere; sed PP. posse recipere fructus ab hæredibus per modum eleemosynæ: 2 *oct. ejusd. anni.*

14. Quoad legatum pium unius ferculi præstandi singulis hebdomadis PP. Cappuccinis, relictum a Joan. Baptista Bini, rescriptum fuit, servetur decretum rev. fabricæ anni 1633 [77]: *Lucana, Leg. pii*, 31 *julii* 1728, *dub.* 2.

15. Francisca Balbi de Franchis testamentum nuncupativum anno 1678 confecit, illudque notario consignavit et in actu traditionis, testibusque præsentibus in dorso ejusdem testamenti clausi per manus notarii conscribi voluit legatum Missæ quotidianæ. Inde mutato consilio an. 1687 testamentum a notario repetiit, nulloque alio confecto diem supremum obiit. Hæres ab intestato satisfactionem prædictæ celebrationis implevit propria pietate ductus, et curam habuit, ut revocatio legati a S. C. declararetur; verum responsum fuit, legatum prædictum deberi: *Januen., Leg.*, 28 *sept.* 1737, *dub.* 1.

16. Lucas Puccitelli capellaniam fundavit, necnon tradi singulis hebdomadis eleemosynam juliorum 4 PP. Cappuccinis statuit. Inde verens ne prædicti PP. illam assequi possint, substituit onus alterius celebrationis Missarum; quod S. C. ratum non habuit: 10 *nov.* 1684. Ideo dicta eleemosyna tradita semper PP. fuit. At curia episcopalis in judicio petitorio instrumentum revocationis exequi mandavit, et præstatio fuit intermissa. Demum denuo S. C. consulta censuit standum esse in decisis sub die 18 novem. 1684: *Sancti Severini, Elee.*, 4 *januar.* 1769, *dub.* 1.

17. Ac insuper legatum deberi per canonicum Lavini possessorem capellaniæ a die omissæ præstationis: *Ibid., dub.* 2.

18. Vincentius Vernazzi legati titulo reliquit PP. Cappuccinis et Minor. de observ. nonnullas præstationes perpetuas carnis, seu piscium ab hæredibus faciendas. Ejus hæreditate a Cornelia Vernazzi delata ad PP. Min. Conv. renuerunt hi hujusmodi legata suppeditare inspecta PP. Cappuccinorum incapacitate ad illa assequenda. Sed S. C. eos teneri tradere legata sententiam tulit, et addidit ad secretarium juxta mentem: *Vaden., Leg.*, 10 *januar.* 1778, confirmata 13 *martii* 1780, *dub.* 1.

19. Legavit Virginius Antonini censum in sorte scut. 1600 nullo instrumento, nulloque censito fundo designato, ut ex ejus fructibus binæ Podii Mirteti oppidi dotarentur puellæ. Hyacinthus Tozzi hæres inventarium, anno 1646, confecit, et censum sub conditione, quatenus existeret, recensuit. Ad annum usque 1696 dotium solutio peracta fuit. Dicto anno idem hæres solvendi propriis pecuniis animo se recipiendi contra quos de jure declaravit. Sed fratres Bentivoli mediati Hyacinthi hæredes studuerunt pronunciari nullam adesse obligationem dictum legatum præstandi. At S. C. de reditibus censualibus constare judicium fecit: *Nullius, seu Farfen., Sub. dot.*, 2 *decem.* 1786, *dub.* 1,

[76] Tum ex Decretali, cap. 1, *Quorumdam*, tit. *de Testam.*, et ult. *Volunt.* in qua statuitur Episcopum testari posse de bonis patrimonialibus, non vero de rebus ecclesiæ, seu de acquisitis illius intuitu; tum ex Const. Innoc. XII *Inscrutabili æternæ sapientiæ*, 28 januar. 1694 (*Bull. Rom.*, tom. IX, pag. 342), qua eximuntur Prelati regni Neapolis a jure Cameræ apostolicæ assequendi spolia, et fructus suarum ecclesiarum in harum tamen utilitatem convertenda, et illis non indigentibus, ad ecclesias parochiales eorum regimini commissas applicanda, et quam ampliando, confirmavit Bened. XIII, etiamsi hi moriantur extra residentiam Const., *Sacrosancti Apostolatus*, 11 julii 1724. (*Bull. Rom.*, tom. XI, part. 2, pag. 324, § 3, et Const. *Romanum decet.*, 12 octob. 1726). (*Bull. Rom.* tom. XII, pag. 152, § 2). Quibus dispositionibus demum accessit Const. *Pastoralis sollicitudo*, 28 april. 1756 (*Bull. ejusd.*, tom. IV, pag. 181), qua Bened. XIV applicationi spoliorum novas superaddidit cautiones.

[77] Vide not. 5, præcedentem.

LEGATUS A LATERE.

1. Præsupposito facultates Legati a latere esse restrictas ad fines Concilii, dubitatur, an legatus in mensibus Ordinariorum in omnibus beneficiis possit concurrere cum Ordinario?

2. Et posito, quod collatio aliquorum beneficiorum vigore statutorum, aut privilegiorum a Sede apostolica confirmatorum spectet pleno jure ad capitulum, occultum est, utrum vigore collationis alternatim faciendæ Legatus solus possit conferre in mensibus suis? S. C. respondit non esse Congregationis: *Avenionen.*, 25 *octob.* 1586, *dub.* 1, 2 et 3.

3. In controversiam adductum est, utrum in ecclesiis parochialibus vacantibus ex causa resignationis libere in manibus Legati factæ ab Ordinario faciendum sit examen per concursum? concursum faciendum esse coram Ordinario, et collationem a Legato faciendam esse ei, quem digniorem Ordinarius judicaverit: *Ibid.*, *dub.* 4.

4. Et ad dubium num Legatus a latere possit habere examinatores, qui promovendos per ipsum de quibuscumque beneficiis etiam in quibus concursus est faciendus, examinent; an vero teneatur providere cum clausula in forma dignum, et committere Ordinario? S. C. respondit concursum institui non posse, nisi coram Ordinario, ideo Legatum teneri providere ut supra ad tertium: *Ibid.*, *dub.* 10.

5. Ad quæsitum denique, an hæc verba a nemine prorsus præterquam ab Episcopo excludant Legatum etiam a latere; ita ut non possit decernere hujusmodi excommunicationes? non excludi Legatum a latere S. C. pandit: *Ibid.*, *dub.* 2.

LEGITIMA ÆTAS. Vide *Beneficia ecclesiastica*, § 1; *Canonicatus*, § 1; *Dignitates ecclesiasticæ*, § 1; *Matrimonium*, § VIII; *Professio religiosa*, § III; *Sponsalia*, § 1.

LEGITIMATIO PROLIS. Vide *Matrimonium*, § XXV.

LIBER, LIBRI, SCRIPTURÆ.

1. Capellani ecclesiæ parochialis S. Crucis tenentur exhibere libros antiquos et recentes legata, et bona eidem ecclesiæ relicta continentes, occasione visitationis Abbatis monasterii B. M. V. de Naxera ordinis S. Benedicti, qui privative quoad visitationem, in reliquis cumulative cum Episcopo habet jurisdictionem: *Calaguritana*, *Visit.*, 18 *junii* 1701, *dub.* 1.

2. Item tenentur exhibere libros complectentes anniversaria, aliaque onera, et pia opera in dicta ecclesia fundata: *Ibid.*, *dub.* 2.

3. Item capellani onus habent quoque exhibendi libros fundationum beneficiorum, et capellaniarum, earumque fundationum instrumenta continentes: *Ibid.*, *dub.* 3.

4. Imo adstricti sunt ad producendos libros, qui rationes accepti, et expensi ecclesiæ, eorumque solidationes capiunt: *Ibid.*, *dub.* 4.

5. Cum canonici cathedralis decretum retulissent quoad divisionem distributionum; aliud edidit Episcopus decretum pro exhibitione librorum, et documentorum ad effectum deveniendi ad divisionem prædictam; sed renuentibus canonicis S. C. respondit inspecto consensu Episcopi exhibendos esse libros penes tertiam personam partibus non suspectam: *Giennen.*, *Distr.*, 16 *febr.* 1704, *dub.* 3.

6. Dubio examinato, an teneatur capitulum cathedralis deferre libros administrationum ad palatium episcopale ad hoc ut Episcopus rationes suscipere valeat? S. C. rescripsit affirmative ad formam resolutionis in causa Hispalensi [78]: *Urgellen.*, *Visit.*, 5 *sept.* 1705, *dub.* 6.

7. Edictum emanavit ab Episcopo, ut coram eo visitationem colente in redditione rationum librorum exhibitio a canonicis camerariis cathedralis fieret. Sed de validitate hujus decreti facto dissidio S. C. præfatum edictum validum esse decidit: *Civitatis Castellanæ*, *Edicti*, 31 *julii* 1706.

8. Libri collectarum, quæ ad contribuendum necessariis, et extraordinariis laicorum indigentiis fieri debent, exhibendi sunt capitulo ecclesiæ cathedralis, et in eo loco, quo magis Episcopo arriserit: *Burgi sancti Domnini*, *Conv. cap.* 18 *april.* 1711, *dub.* 3.

9. Dubio disceptato, an liceat unicuique ex rectoribus parochialium S. Georgii, S. Bartho-

[78] Vide not. 102, § *Ecclesia parochialis*, § IV.

lomæi, et SS. Angeli, et Mercurii, terræ Campobassi proprios particulares conficere, et retinere libros baptizatorum, atque ex iis fides baptismatum respective extrahere, vel unicus liber faciendus sit, asservandus ab archipresbytero, dictaque extractio ab ipso solum archipresbytero privative peragenda sit? rescripsit S. C. solitum servari : *Bojanen.*, *Jur. par. et Præem.*, 24 *maii* 1732, *dub.* 5.

10. Communicationem rationum, et exhibitionem librorum in his, quæ respiciunt massam capitularem collegiatæ ecclesiæ S. Agricolæ Avenionensis faciendam esse beneficiatis juxta modum ab Archiepiscopo providendum censuit S. C. : *Avenionen.*, 19 *sept.* 1733, *dub.* 7.

11. PP. Scholarum piarum, quibus sub nonnullis conditionibus concessum fuerat seminarium Albanense, exhibere debent etiam libros proventuum, quos a convictoribus seminarii quotannis percipiunt; etiamsi immune se esse putarent ab hoc onere : *Albanen.*, *Sem.*, 23 *junii* 1742, confirmata 1 *sept. ejusd. anni.*

12. Prior Franciscus Chelius, et Petrus Simius exactores compellendi haud sunt ad exhibendos libros redituum congregationis Presbyterorum, sive capituli ecclesiæ SS. Nicolai et Stephani, quos penes archivum capitulare repositos esse judicialiter asseruerant : *Piscien.*, 24 *martii* 1753, *dub.* 3.

13. In archivum collegiatæ S. Petri Montis Viti reportare tenetur archipresbyter ejusdem ecclesiæ scripturas, et libros ad capitulum quomodocumque spectantes, exceptis libris parochialibus : *Senogallien.*, *Jur. par. et Præem.*, 17 *novem.* 1753, *dub.* 13.

14. Libri omnes nuncupati magistrales spectantes ad monasteria monialium SS. Catharinæ Martyris, et Senensis, necnon SS. Monicæ et Rocchi urbis Ferrariæ, quæ regularibus subjectæ sunt, retinendi sunt in archivio monialium, et de trimestre in trimestre tradi ministris pro summis referendis accepti, et expensi : *Ferrarien.*, *Jur.*, 28 *sept.* 1754, *dub.* 14.

15. Occasione dissidii facti inter rectorem, et beneficiatos residentes ecclesiæ parochialis S. Mariæ in cœlum assumptæ villæ de Llimiana, hoc perpensum fuit dubium, an, et ad quem, vel quos spectet jus retinendi librum, in quo adnotantur Missæ, anniversaria, aliaque opera pia in eadem ecclesia fundata, S. C. respondit ad rectorem spectare : *Urgellen*, 12 *martii* 1757, *dub.* 4.

16. Sodales Societatis SS. Nominis Jesu oppidi Vigueriæ in ecclesia hospitalis S. Rocchi PP. Prædicatorum erectæ debent librum peculiare tenere, in quo celebrationis Missarum cujusque legati pii implementum adnotetur : *Derthonen.*, *Visit.*, 26 *januar.* 1760, *dub.* 15.

17. Libri administrationis ecclesiæ S. Sebastiani, et capellaniæ *Gioventù* de jurepatronatus communitatis villæ Belloculorum sibi ab officialibus tradere fecit Episcopus Fanensis. Reclamavit communitas, ac vindicato jurepatronatus postulavit, num esset restitutioni locus? Libros restituendos esse S. C. putavit, sed facta per communitatem obligatione de custodiendo, et exhibendo ad omne mandatum : *Fanen.*, *Exec. decr. S. Visit.*, 22 *novem.* 1760, *dub.* 10, confirmata 28 *febr.* 1761.

18. Postulatum est, an in fine cujuslibet anni vicarius, seu vicarii ecclesiæ filialis S. Nicolai adferre debeant ad archivum cathedralis quinque libros parochiales, in quibus baptizati, confirmati, in matrimonium conjuncti, mortui, ac status animarum fuerint descripti? servari solitum rescriptum fuit : *Andrien.*, 24 *januar.* 1767, *dub.* 23; deinde ut scribatur Episcopo juxta instructionem [79] : 19 *sept. ejusd. anni.* Demum definitum est, libros status animarum quolibet anno, reliquos quolibet sexennio traducendos esse ad cathedralem : 15 *sept.* 1770.

19. Ad curatos, seu vicarios curatos cathedralis, et parochialis Carpentoracti, apud quos cura actualis animarum residet, spectat custodia librorum parochialium, qui in diem occurrunt, non autem sunt servandi sub duplici clavi, quarum una saltem a capitulo retineatur : *Carpentoracten.*, 15 *sept.* 1781, dub. 3.

20. In archivio proprio confraternitatis SS. Sacramenti terræ Bondeni asservari, et custodiri debent omnes libri, scripturæ, et monumenta ad eam spectantia ad nutum Ordinarii loci S. C. statuit : *Ferrarien.*, *Confr.*, 14 *sept.* 1782, *dub.* 9.

21. Episcopi Assisiensis edictum, quo societatibus jusserat, ut præter retentionem libri resolutionum, quæ in comitiis capiuntur, conficiatur etiam alius codex administrationis œconomicæ cum adnotatione facultatum ab Ordinario pro faciendis sumptibus, et investimentis datarum, sustinendum esse in omnibus S. C. sancivit : *Assisien.*, 21 *januar.* 1786, *dub.* 7.

22. Vicarius Apostolicus Setinus occasione visitationis collegiatæ B. M. in cœlum Assumptæ Sulmonis in Latio accepti, et expensi librorum exhibitionem sub pœna suspensionis, ut reddatur ratio synodalibus syndicis decrevit. De hoc prætenso injusto decreto capitulares conquesti sunt, eo quod ex propriis constitutionibus illos exhibere, et rationes

[78] Vide not. 17, tom. 1, verb. *Abbas*, § IV.

reddere tenentur revisoribus capitularibus, et saltem reformari petunt a S. C. quæ validum juxta modum [80] respondere putavit : *Terracinen. et Setina*, 18 *junii* 1796, *dub.* 4.

LIBERTAS. Vide *Matrimonium*, § XXVI.

LIBERATIO A MOLESTIIS.

Comes Roscius latifundum diruti Castri Balneoli emit a monialibus S. Silvestri in capite de Urbe, ibidem ecclesiam ædificavit, dotavitque, et ei capellanum curatum præfecit, qui cum auctoritate Episcopi curam animarum quoad colonos latifundii exerceret. Ecclesia pene collapsa fuit. Latifundium ob deficientiam solutionis Rosci ad moniales reversum, coloni vero ab Episcopo subjecti fuere parochiæ SS. Josephi, et Marci Evangelistæ, cui antea subjiciebantur. At reclamante ejus parocho damnatum fuit monasterium ad solutionem stipendii scut. 12, quolibet anno, et decretum insuper fuit, locum esse liberationi a molestiis in favorem dicti monasterii : *Hortana, Stip. et Liber. a mol.*, 7 *sept.* 1776, *dub.* 2, confirmata 18 *sept.* 1779.

LIGAMEN. Vide *Matrimonium*, § XVI.

LIS JUDICIALIS. Vide *Causa, Episcopus*, § IV.

LIS JUDICIALIS QUOAD EXPENSAS. Vide *Expensæ*, § II ; *Matrimonium*, § I.

LITTERÆ APOSTOLICÆ QUOAD EXECUTIONEM. Vide *Executor apostolicus*, *Beneficia ecclesiastica*, §§ II, VII ; *Canonicatus*, § I ; *Capellania*, § VI.

LITTERÆ DIMISSORIALES, AC TESTIMONIALES. Vide *Abbas*, § V ; *Episcopus*, § V ; *Sacramentum ordinis* ; § II, III et IV.

LITTERÆ S. C. CONCILII COMPULSORIALES.

1. Rogat Episcopus, ut partes, quarum rogatu compulsoriæ a tribunali AC. dantur in prima instantia contra formam Concilii, declarentur subjacere pœnis, quæ in particularibus casibus a S. C. taxabuntur. Hac enim declaratione deterriti ab hujusmodi rogationibus desisterent. Nihil respondendum S. C. censuit : *Maceraten.*, *Vis. sacr. Liminum*, 26 *april.* 1664, *dub.* 30.

2. Episcopus Sarnensis jussit omnibus sacerdotibus civitatis etiam simplicibus, et nullum beneficium in cathedrali, seu collegiata ecclesia obtinentibus, ut singulis festis de præcepto, aliisque consuetis diebus servitio præfatarum ecclesiarum statutis horis assisterent sub pœna suspensionis ipso facto incurrendæ, et aliis arbitrio. Sacerdotes reclamarunt, et S. C. ratum non fecit decretum, et dari litteras remissoriales Episcopo si velit, mandavit : *Sarnen.*, *Ser. ecc.*, 17 *junii* 1690.

3. Dum agitur quæstio, an visitationi subjaceat oratorium in prædio *della Bagnarola*, et nullum sit interdictum cum omnibus inde sequutis, signanter sententiæ irregularitatis contra monachum Benedictum Victorium Cellerarium? S. C. dandas esse litteras remissoriales hinc inde directas Episcopo viciniori ad effectum probandi, an oratorium sit publicum, vel privatum ; necnon circa notitiam interdicti : *Cæsenaten.*, *Jur.*, 23 *sept.* 1690.

4. Agitata controversia inter Episcopum, et clerum Urgellensem super quantitate subsidii charitativi, petitæ ab Episcopo fuerunt super articulis remissoriales hinc inde, subministrata interim summa residuali expeditionis bullarum : *Urgellen.*, *Sub. char.*, 26 *jan.* 1692, *dub.* 3.

5. Quum in pluribus quæstionibus factis inter Episcopum Gardiensem, et religionem Hierosolymitanam circa jurisdictionem in oppido Aquaviva ad commendam S. Primiani spectante Episcopum manutenendum esse in omnibus fecisset definitum ; ideo commendatarius inter dubia denuo proposita, quæ jurisdictionem independentem a delegato circa animarum respiciebant, petiit concessionem litterarum remissorialium, atque compulsoriales impertivit : *Guardien.*, 15 *jan.* 1695, *dub.* 2.

6. Prætendente capitulo cathedralis sibi vigore asserti statuti capitularis apostolica auctoritate firmati, competere jus privativum administrationis Sacramentorum canonicis infirmis in quacumque parochia degentibus, lis fuit acta, et in favorem

[80] « Nempe apud syndicatores synodales existentes in loco, et deleta pœna suspensionis, subrogata tamen multa pecuniaria arbitrio Ordinarii. » *Ead. causa*, 18 junii 1796.

parochorum definita ; indea capitulo litteræ compulsoriales, et remissoriales postulatæ, quæ concessæ, non retardata executione prioris decreti : *Novarien.*, *Jur. adm. sacr.*, 17 *sept.* 1695, *dub.* 2.

7. Dubio ponderato, an teneantur simplices sacerdotes non participantes, nec habentes beneficium curatum saltem inservire ecclesiæ cathedrali in munere diaconi, et subdiaconi in Missis cum cantu, S. C. respondit, dentur litteræ remissoriales ad probandam consuetudinem : *Auximana*, *Serv. ch.*, 26 *nov.* 1701, *dub.* 2.

8. Cum S. C. decrevisset applicationem fructuum, et distributionum amissarum, et amittendarum a dignitatibus cathedralis faciendam esse in favorem fabricæ, quatenus indigeret, aliter vero esset in arbitrio Episcopi illas applicandi aliis locis piis institit Episcopus pro remissoria obtinenda ad effectum excludendi fabricæ indigentiam extrahendo summas ex libris ejusdem fabricæ per secretarium capituli cum alio notario deputando, et S. C. negative respondit : *Cavrien.*, *Distr.*, 5 *maii* 1703, *dub.* 3.

9. Plurima in S. C. de quantitate, et modo exigendi mediam annatam a canonicis, et portionariis collegiatæ Complutensis super parochis, ceterisque beneficiatis diœcesis Toletanæ proposita fuerunt dubia quæ reformari jussit S. C. Antequam tamen de subscribendis dubiis ageretur, canonici, et portionarii dicti capituli coram Card. Accrajolio, cui dubiorum concordatio remissa fuerat, instiverunt pro concessione remissoriæ, et compulsoriæ tam super articulis, quam super congrua parochorum ; et pro concessione respondit : *Toletana, Dim. ann.*, 5 *sept.* 1705, *dub.* 1.

10. Senensis Archiepiscopus præceperat, ut omnes urbani, et suburbani parochi nonnullis supplicationibus, aliisque ecclesiasticis functionibus in cathedrali peragi solitis sub mulctarum pœna interessent. Petrus Miniatus edicto parere recusavit, et una cum aliis duobus parochis quæsivit ; num dictis functionibus interesse tenerentur ? S. C. respondit pro concessione remissoriæ hinc inde : *Senen.*, 6 *junii* 1705, *dub.* 1 et 2.

11. Paulus Dentice in religione clericorum Regularium Theatinorum professus contra lapsum quinquennii restitutionem in integrum ex causa vis metusque a parentibus incussi obtinere non valuit ; petiit hinc remissoriam super examine aliorum testium inducendorum sperans ex probandis S. C. recedendam a decisis, sed nec remissoriam obtinuit : *Neapolitana, Rest. in int.*, 12 *febr.* 1707.

12. Carolus Michael Gavonus Montis Regalis matrimonium iniit cum Anna Catharina Ghibanda a Cuneo, ac inde simul cohabitarunt conjuges. Matrimonii nullitatem ex capite raptus, ac vis, et metus protulit vir coram Ordinario, legitimas tamen non deducens probationes. Re ad S. C. delata de matrimonii validitate constare, ac remissoriam concedendam non esse declaravit : *Montis Regalis*, *Matr.*, 2 *julii* 1707.

13. Definiverat jam antea S. C. anno 1699, Episcopum Minerbiensem vicinioritatis causa esse manutenendum in possessione, vel quasi exercendi ea, quæ sunt ordinis, et jurisdictionis in oppido Cerignolæ, quod *nullius* esse prætendebat archipresbyter collegiatæ S. Petri. Episcopus Lavellensis suas antiquas vicinioritatis prætensiones excitando institit pro recessu a decisis, sin minus sibi remissoriales concedi petiit, et ad hunc effectum mensurationis modum præscribi, quas obtinuit, non retardata visitatione ab Episcopo Minerbiensi peragenda : *Nullius, seu Minerbien.*, *Conc.*, 1 *julii* 1709, *dub.* 3.

14. Quæstione excussa in S. C. inter Episcopum Anglonæ, et abbatem commendatarium monasterii S. Eliæ ordinis S. Basilii oppidi Carboni super visitatione ecclesiæ in respicientibus animarum curam ; et licet S. C. in favorem Episcopi judicium fecerit ; tamen dari litteras compulsoriales, et remissoriales cum præfixione termini quatuor mensium censuit : *Anglonen.*, *Jur.*, 24 *aug.* 1709, *dub.* 1.

15. Lis inter parochum Portoni, ejusque parochiæ incolas super quantitate emolumentorum funerum facta fuit : et S. C. ordinavit, ut Episcopus, conficeret taxam auditis interesse habentibus. Taxam confecit Episcopus, et retulit, parochum omnia jura sua ex consuetudine, quam utpote abusum improbavit, deducere : poscit itaque parochus remissoriam, et eam S. C. denegavit, ac taxam servari mandavit : *Senogallien.*, *Emol. fun.*, 2 *maii* 1711 [81].

16. Sanxit S. C. non licere parochis civitatis Laudæ occasione comitatus cadaverum ingredi ecclesiam PP. Carmelitarum excalceatorum cum stola, et cruce elevata, et intra ecclesiam dare ultimum vale defunctis, quia PP. indultum Innoc. XI desuper exhibebant. Parochi non acquiescentes petierunt litteras remissoriales, et compulsoriales ad probandam consuetudinem in eorum favorem, sed non obtinuerunt [82] : *Lauden.*, *Fun.*, 2 *maii* 1711, *dub.* 2.

[81] Vide not. 184, verb. *Emolumenta*, § II.

[82] « Dum enim illa prorsus improbabilis, ut supra animadverti, imo inverisimilis, irrelevans, et imaginaria, nec non nullius prorsus efficaciæ in conflictu dicti Brevis Innocentii muniti clausula sublata, et decr. irritanti, nullo modo videtur locus concessioni litterarum remissorialium,

17. Minime concessa fuit remissoria canonicis collegiatæ S. Euphemiæ loci Insulæ, qui succubuerunt in causa super servitio chori, ac onere Missæ conventualis, ac super vacatione in S. C. acta : *Comen., Serv. chor.*, 6 *aug.* 1712. Inde sub *die* 1 *apr.* 1713, *dub.* 4, remissoriam assecuti sunt præfati canonici una cum archipresbytero quoad prætensam tenuitatem redituum. Adstricti enim fuerant a S. C. ad reparationem ecclesiæ, et domorum archipresbyteralium, et canonicalium.

18. Pariter iidem canonici reportarunt remissoriam non retardata interim decretorum executione, quæ lata fuerant super onere expositionis SS. Sacramenti statutis diebus, de quo servari solitum mandatum fuerat: *Ibid., dub.* 7 et 8.

19. Admitti articulos postularunt canonici cathedralis pro immemorabili consuetudine comprobanda quoad eorum liberam administrationem communeriæ presbyterorum participantium, et quoad onus Missæ conventualis, quod in presbyteros refundere contendebant, adeoque remissoriam expetiverunt, et S. C. confirmavit decreta, et remissoriam denegavit : *Squillacen., Mis. con. et com.*, 11 *martii* 1713, *dub.* 2.

20. Vicarius ecclesiæ S. Mariæ de Pitelos unitæ monasterio S. Salvatoris de Colanova ordinis S. Benedicti exercet curam animarum etiam alterius parochialis S. Martini eidem monasterio pariter unitæ, et diebus dominicis, et festis Missam in utraque ecclesia celebrat. Primum Episcopus, deinde S. C. præcepit abbati, ut alterum deputaret vicarium assignata congrua; postmodum proposito dubio, an standum, vel recedendum esset a decisis? rescriptum fuit pro concessione remissoriæ, et interim per modum provisionis Episcopus mandet abbati, ut deputet duos vicarios cum assignatione congruæ ex fructibus utriusque parochialis, et in casu recusationis, ipse Episcopus deputet : *Aurien., Par.*, 6 *julii* 1716.

21. Orta controversia inter archipresbyterum parochialis S. Nicolai terræ Ceppaluni, et communitatem dictæ terræ super restauratione ecclesiæ ab Archiepiscopo sub pœna interdicti demandata, S. C. remissoriam concessit, instante communitate pro articulorum admissione : *Beneventana, Rep. eccl.*, 31 *julii* 1717.

22. Validitatis, aut nullitatis sponsalium, quæ comes Joseph Wilzech cum comitissa Josephina Berg inierat, definitionem distulit S. C., et voluit, ut darentur novæ litteræ remissoriales præfixo termino mensium ad transportandum processum : *Viennen., Spon.*, 24 *sept.* 1724, *dub.* 1 et 2.

23. Causa super validitate matrimonii initi inter regium principem Constantinum Subjesck filium Joannis III, Poloniæ regis, et comitissam Josephàm de Wessel introducta, exquisitum fuit votum rotale, actum etiam fuit ad instantiam principis de concessione remissoriæ, et S. Rotæ auditorium edito voto censuit concedendam non esse, et positiones admittendas esse, sed clausas, et votum præfatum exequendum S. C. mandavit : *Leopolien., Matr.*, 10 *junii* 1724.

24. Quæsito a S. C. considerato, an et in qua quantitate, et qualitate debeantur Episcopo decimæ frumenti? S. C. rescripsit pro concessione remissoriæ, et compulsoriæ præfixo termino duorum mensium : *Spoletana, Dec.*, 30 *mar.* 1726, *dub.* 2.

25. Actum fuit, an liceret capitulo cathedralis in instrumento solutionis dotium apponere pactum reversivum in casu obitus puellarum sine filiis, vel vitæ inhonestæ, et cum onere investiendi, vel præstandi cautionem? negative rescriptum fuit quoad dotem campellam ; in reliquis dilata, et concedendam esse compulsoriam ; qua de causa præfixus fuit terminus unius mensis ad compulsandum, ac extrahendas partitas distributionis : *Spoletana, Dot.*, 2 *dec.* 1730, *dub.* 1.

26. Dum habitatores Montium Pyrenorum in quatuor pagis abbatiæ S. Victorini ordinis Benedictini unitis indigent supellectilibus sacris pro eorum ecclesiis, petunt, utrum incolæ, an abbas ad ea paranda adstringantur ; vel quomodo sit providendum? S. C. protelavit resolutionem, et scribi mandavit nuntio apostolico pro informatione, et voto, qui interim jubeat per modum provisionis, et sine præjudicio jurium partium subministrari per abbatem necessaria pro celebratione Missarum, et administratione Sacramentorum, et ad secretarium pro compulsoria, et remissoria : *Barbastren.*, 9 *julii* 1757, *dub.* 1 et 2.

27. Clemens Politi archipresbyter cathedralis remissoriam, et compulsoriam postulavit, ut beneficiorum reditus probare posset, easque concedendas esse rescriptum fuit : *Recineten., Serv. ch.*, 9 *julii* 1757. Præposito Centoflonio contradicente responsum est, non omisso interim servitio quotidiano super remissoria, et compulsoria in decisis: 20 *aug. ejusd. anni.*

28. Occasione, qua Episcopus visitare curavit hospitale S. Rochi, et Montem frumentarium, et sodalitium SS. Nominis Jesu in oratorio S. Rocchi erectum, post eorumdem unionem monasterio S. Mariæ Pietatis ordinis Prædicatorum peractam, magna exarsit contentio, et S. C. rescripsit ad secre-

et compulsorialium, ut in terminis immemorabilis, de cujus initio moderno constabat, multis concordantibus cumulatis, firmavit egregie Rota in decis. 542, num. 3, part. 4, *rec. et cor. Ottobon.*, decis. 36, num. 16 et seq.

tarium pro remissoria ad effectum jura compulsandi : *Derthonen. Visit.*, 30 *junii* 1759.

29. Inter capitulum metropolitanæ Avenionensis, et capitulum collegiatæ S. Agricolæ multiplex exorta est controversia super quarta, et cæremonia funebr., et S. C. respondit, dilata, et ad secretarium pro concessione compulsoriæ, quam capitulum metropolitanæ petierat : *Avenionen., Jur. par.*, 15 *decem.* 1759.

30. Capitulum ecclesiæ cathedralis quamvis Matrius pro suis parochiæ incolis, etiam canonicis damnatum fuit ad solutionem quartæ funerum in favorem parochi, testes induxit capitulum ad probandam consuetudinis interruptionem, ac contrariorum testium retractationes exhibuit, postulavit propterea remissoriam, et compulsoriam, et obtinuit : *Faventina, Pæem. et fun.*, 11 *april.* 1761, *dub.* 2.

31. Decreverat S. C. Episcopum esse parochum quoad omnes effectus cathedralis unice parochialis in civitate, et territorio Andriæ, non autem capitulum. Sed ad nonnulla monumenta comparanda compulsoriam, et decisionis dilationem protulit capitulum ; et dilationem assecutus est, minime vero compulsoriam : *Andrien.*, 30 *julii* 1763.

32. A Card. Episcopo, capitulo, et parocho SS. Faustini, et Jovitæ, qui in causa super electione Sanctensium, seu officialium dictæ parochiæ contrariam passi fuerant decisionem, efflagitata fuit concessio litterarum remissorialium, et compulsorialium ad effectum examinandi testes super consuetudine eligendi, et concessæ fuerunt : *Viterbien., Jur., el.*, 21 *novem.* 1767.

33. Nonnulla contra decreta passus est sacerdos Ambrosius Casoni possessor beneficii S. Sebastiani fundati in ecclesia collegiata S. Petri Fiscaleæ, re non integra, quum scilicet jam coram AC. monitorium super executione rescriptorum expeditum, illorumque facta productio fuisset, petiit dictus Casoni litteras compulsoriales, quas S. C. denegavit : *Cervien.*, 14 *martii* 1789.

Locatio. Vide *Bona ecclesiastica*, § viii.

Locus. Vide *Missa*, § iv ; *Sacramentum ordinis*, § ix.

LUDI-MAGISTER.

1. Quum ob tenuitatem redituum mensæ episcopalis, et capitularis, et propter paupertatem, et exiguitatem beneficiorum civitatis, et diœcesis seminarium puerorum erigi non valeat, Episcopus suæ obligationi, retinendo magistrum grammatices, et musicæ, debet satisfacere : *Leyrien.*, 7 *sept.* 1730, *dub.* 1.

2. Seminario destituta civitas provisa fuit ab Episcopo de magistro humanitatis Bernardino Pugliesio, et exercitium promissum fuit in proprio episcopali palatio. Hic autem quodam crimine inquisitus, et citatus confugium habuit ad principem civitatis, et in ejusdem palatio scholam exercuit, et evocatus comparere abnuit. Ideo Episcopus edicto lato munus ei exerceri interdixit. Appellavit Pugliesius ; et re in S. C. deducta, decisum fuit locum esse reassumptioni causæ, tam quoad manutentionem quam quoad causam principalem : *Asculana, Apuliæ, Rem. lud.*, 4 *aug.* 1691, *dub.* 1.

3. Ac edictum ab Episcopo promulgatum super prohibitione exercitii scholæ sustineri deciditur : *Ibid., dub.* 2.

4. Dictumque Pugliesium de crimine inquisitum, et in contumaciam excommunicatum, non obstante appellatione, esse suspendendum ab exercitio scholæ durante causa, fuit deliberatum : *Ibid., dub.* 3.

5. Sæpe doluerunt Ferentini Cives, quod a communitate parum idoneus eligebatur ludi-magister. Propterea postulatum, ut de cetero ad juventutis bono, moribus, et educationi consulendum per concursum electio magistrorum fieri debeat. Ideo mandavit S. C. Episcopo, paragere concursum coram illis, qui habent jus eligendi, ac coram duobus canonicis, qui ludi-magistrum examinarent, quique votum tantum haberent consultivum. At communitas per donationem Nicolai Rahonii in libera possessione eligendi ultra centum annorum metam manere autumat, et poscit, num sibi independenter competat ludi-magistri electio? sibi utique competere dictam electionem firmo tamen remanente jure Episcopi ad formam Concilii [85] rescripsit : *Ferentina*, 4 *decem.* 1734.

4. Ludi-magister grammatices, qui pueros, clericosque doceret, antea eligebatur, in civitate Sarsinæ

[85] Sess. 5, cap. 1, *de Reform.* ubi statutum est : « Ecclesiæ vero, quarum annui proventus tenues fuerint, et ubi tam exigua est cleri, et populi multitudo, ut theologiæ lectio in eis commode haberi non possit, saltem magistrum habeant, ab Episcopo cum consilio capituli eligendum, qui clericos, aliosque scholares pauperes grammaticam gratis doceat, ut deinceps ad ipsa sacræ Scripturæ studia, annuente Deo, transire possint ; ideoque illi magistro gram-

cum annua mercede scut. 55, quorum decem Episcopus, 25, clerus, alia 20 cum domo solvebat communitas. Episcopus huic instituto in fundatione seminarii plura simplicia beneficia applicavit, et divisim in beneficia curata diœcesis rejecit onus præstandi scut. 18, non sufficiente unitorum beneficiorum simplicium reditu. His actis ob laxum tempus sexaginta, et ultra beneficia fundata fuerunt in ea diœcesi, quæ nullam fructuum portionem pio huic necessario instituto contribuunt. Iniquum, et grave hoc sibi parochi antiquæ fundationis putarunt, et dividi propterea a S. C. obtinuerunt, quod beneficia erecta post taxam factam pro mercede magistri seminarii Sarsinæ contribuere debeant dictæ mercedi; ita ut locus sit novæ divisioni faciendæ ad formam Concilii [84] : *Sarsinaten., Contr.*, 12 *febr.* 1746.

matices, vel alicujus simplicis beneficii fructus, quos tamdiu percipiat, quamdiu in docendo perstiterit, assignentur; dum tamen beneficium ipsum suo debito non fraudetur obsequio, vel ex capitulari, vel episcopali mensa condigna aliqua merces persolvatur, vel alias Episcopus ipse aliquam rationem ineat suæ ecclesiæ, et diœcesi accommodam ne pia hæc, utilis, atque fructuosa provisio, quovis quæsito colore negligatur. » Animadvertendum est, onus deputandi magistrum grammaticæ ut præcipitur tam in decretalibus *Quoniam*, et *Quia nonnullis*, tit. *de Magist.*, quam in cit. cap. 1, *Trid.*, hodie satisfieri per clericorum seminaria, et gymnasia, in omnibus fere locis erecta, cura nedum Episcoporum, sed etiam civilium magistratuum; quorum magistri publico ærario conducuntur. Satisfieri pariter, et quidem non sine magno studiosorum progressu per scholas PP. Barnabitarum, et PP. Societatis Jesu, quæ modo apostolica auctoritate est restituta, potest.

[84] Vide not. 87, tom. 1, verb. *Beneficiatus*, § IV.

MAGISTER. Vide *Ludi-Magister; Semimarium*, § III.

MAGISTER S. CÆREMONIARUM.

1. Occasione, qua S. C. definivit Episcopum accedente consuetudine præsertim immemorabili regulares posse compellere etiam ultra medium milliarium a civitate distantes, ut intersint supplicationibus, ac ab eis discedant, nisi finitis, etiam præcipitur, ut in eis obediant magistro cæremoniarum : *Strangolen.*, 17 *junii* 1645, *dub.* 1.

2. Archiepiscopus elector in favorem canonicorum, quos pro bono, et suarum ecclesiarum regimine suscipiebat, a Pontifice indultum a residentia obtinuit; et id causam præbuit decidendi a S. C., quod ex generalitate, et amplitudine verborum indulti veniunt omnes distributiones quotidianæ sibi annexæ, sive separatæ a corpore præbendæ, sive in anniversariis, seu aliis piorum memoriis, et fundationibus consistant, quando aliter non fuerit a testatoribus dispositum; et etiam quod magister cæremoniarum dicto Archiepiscopo inserviens debet illis gaudere vigore præfati indulti : *Colonien., Distribut.*. 9 *maii* 1671, *dub.* 1 et 2.

3. Dubium : an magister cæremoniarum capituli teneantur assistere Episcopo extra cathedralem, seu in diœcesi? remissum fuit ad S. C. Rituum [1] : *Murana, Assist.*, 28 *januar.* 1673, *dub.* 2.

4. In dubium venit, an officium magistri cæremoniarum capituli cathedralis exerceri in choro debeat per personam distinctam ab octo mansionariis capellanis noviter erectis, ac etiam an, et qui ad hoc officium exercendum deputandus sit? resolutum fuit, eligendum esse de gremio ecclesiæ arbitrio capituli : *Capuana*, 17 *decem.* 1753, *dub.* 13 et 14, confirmata 23 *april.* 1756.

MAGISTRÆ PIÆ.

1. Ad erudiendas, et excolendas in pietate bonisque moribus puellas oppidi Arcis-Piorum archipresbyter illuc accersiverat duas mulieres ad scholarum piarum munus inibi exercendum. A Sum.

[1] Vide not. 683, tom. 2, verb. *Congregatio*, § V.

Pont. scut. 36 annua illæ obtinuerunt, et subsidia dotalia facultatem exigendi a nonnullis locis piis Almæ Urbis ad conservatorium erigendum, de quibus loca montis quatuor cum dimidio emerunt. At quoniam Card. Episcopi Tusculani jurisdictioni hæ aliæque mulieres, quæ tertii ordinis Carmelitarum habitum sumpserant, subesse noluerunt, Urbem repetierunt rerum, quæ ad scholam conservatoriumque spectabant, aliarumque redintegrationem petentes. Opponitur archipresbyter, dicens, se magistras pias, non Tertiarias advocasse, et eas nullum titulum conductionis, nullamque perseverandi promissionem emisisse, et sponte denique decessisse. S. C. vero rescripsit ad Card. præfectum juxta mentem : *Tusculana*, 20 *junii* 1767, *dub.* 1, 2 et 3. Ad scholam Arcis-Priorum redire mulieres renuerunt, et S. C. redintegrationem exoptatam minime deberi decidit : 30 *januar.* 1768, *dub.* 1.

2. Inde ad quæsitum, num iisdem restituenda essent asserta bona stabilia, et mobilia, necnon assertæ expensæ factæ in fabrica conservatorii ? responsum prodiit negativum, exceptis vero scutis 30 jam depositis, et mobilibus bonis juxta liquidationem faciendam a secretario : *Ibid.*, *dub.* 2, confirmata 23 *april. ejusd. anni.*

3. Ac resolutum etiam fuit, fructus locorum montium quatuor cum dimidio Montis S. Petri transferri in oratrices minime debere, sed domui, seu scholæ magistrarum piarum præfati oppidi ad formam rescripti Sum. Pont. deberi, et debitos esse : *Ibid. dub.* 3, confirmata *ibid.*

MAGISTRATUS [2].

1. Quantum attinet ad magistratum civitatis, qui recusat Episcopum ad ecclesiastica munia comitari, remisit decisionem ad S. C. Rituum [3] : *Liparen.*, 10 *maii* 1631, *dub.* 7.

2. Ad S. C. Rituum [4] deferendum pro definitione id, quod retulit Episcopus de consulibus civitatis, qui in supplicationibus, in quibus, sacra Lipsana gestantur pileati incedunt putavit S. C. : *Nicien., ad Visit., sac. Lim.*, 6 *aug*, 1677, *dub.* 8.

3. In adventu magistratus ad ecclesiam cathedralem, et in recessu ab eadem tam absente, quam præsente Episcopo, vel etiam Pontificalia exercente, S. C. requisita, quomodo se gerere debeat capitulum respondit servari juxta votum Episcopi, et ad mentem Cæremonialis Episcoporum [5], *Terracinen, et Setina*, 22 *aug.* 1784.

MAGNUS MAGISTER, MAGNI PRIORES. Vide *Religio militaris ordinis Hierosolymitani*, § VI.

[2] In causa *Asculana*, 23 junii 1781, hæc proposita fuerunt dubia a capitulo ecclesiæ collegiatæ terræ Ophydæ, et magistratu dictæ terræ, a S. C. Rituum definita :

1. An et in quibus functionibus ecclesiasticis collegiatæ ecclesiæ terræ Ophydæ intervenire debeat magistratus ejusdem terræ ?

2. An pro functionibus, in quibus intervenire debet magistratus prædictus, fieri debeat eidem intimatio diei, et horæ, in qua functiones incipiunt, seu potius sit servanda tabella horaria capituli?

3. An, et a quo, ex capitulo, seu præsbyteris addictis servitio ecclesiæ collegiatæ, præstanda sit aqua benedicta magistratui ingredienti ecclesiam ?

4. An, et a quo sit comitandus idem magistratus interveniens supradictis functionibus, dum ab ecclesia discedit ?

5. An magistratui accedenti ad ecclesiam interveniendi causa sacris functionibus assignari debeat sacrarium, aut aliud cubiculum eidem adnexum, in quo persistat, usquedum sacræ functiones incipiunt ?

6. An sit servanda consuetudo faciendi in festo Purificationis Beatissimæ Virginis præter distributionem candelarum in altari, etiam alteram mulieribus, et populo in janua ecclesiæ ante discessum magistratus ab ecclesia, seu potius sit facienda post discessum ejusdem magistratus ?

7. An eidem magistratui intervenienti publicis concionibus præter solitam generalem reverentiam ante initium concionis fieri debeat a sacris concionatoribus specialis reverentia post inceptum exordium concionis ?

Respondit S. C. Rituum. Ad 1 *servetur solitum.* Ad 2 *affirmative ad primam partem.* Ad 3, 4 et 5 *negative.* Ad 6 *faciendam esse post discessum magistratus.* Ad 7 *faciendam esse unicam reverentiam ante initium concionis, primam capitulo, secundam magistratui, et generalem populo, et amplius in omnibus.*

[3] Vide not. 682, verb. *Congregatio* § V.

[4] Vide not. 685, *ibid.*

[5] Vide not. 31 et 32, verb. *Cæremoniale Episcoporum.*

MANSIONARIA.

§ I.

Mansionaria quoad electionem et admissionem.

1. In cathedrali ecclesia, quæ constat ex quinque dignitatibus, duodecim canonicis, et octo mansionariis, viget statutum anno 1675 conditum, synodalibus sanctionibus, veterique usu confirmatum, quod in cap. 7 præscribit, eum dumtaxat ad mansionarias esse eligendum, qui ceteris paribus *sia prete seniore del clero, ben versato nel canto Gregoriano, sopra del quale dovra essere strettamente esaminato sia per riuscire utile ec.* Ad unam ex dictis mansionariis, quam vocant Carusianum sacerdos Io Pilato, veluti solus in cantu Gregoriano peritus a capitulo electus fuit. Opposuerunt electioni nonnulli presbyteri uti seniores ex clero, sed minime cantum prædictum callentes, legem fundationis exhibentes. At S. C. illam electionem validam esse existimavit. *Murana, Mansion.*, 19 *novem.* 1735, *dub.* 1. Deinde consilium mutavit, statuitque mansionariam ad seniorem in ordine, qui in examine coram Episcopo peragendo sufficienter in cantu Gregoriano versatus reperiatur, spectare: 3 *martii* 1736.

2. Ac declaravit insuper dictam resolutionem intelligi debere tantummodo pro mansionaria Carusiana, non comprehendi mansionarias capitulares: *Ead., causa*, 27 *julii* 1737, *dub.* 1.

3. Necnon electionem, seu admissionem mansionariorum capitularium faciendam per capitulum cathedralis, et confirmandam per curiam episcopalem esse explendam prævio examine super cantu Gregoriano juxta cap 22 appendicis synodi; ac examen ante confirmationem tantum Episcopi haud debere permitti, decidit, addendo ad mentem: *Ibid., dub.* 2.

4. Inde putavit eadem S. C., admissum ad mansionariam Carusianam cum electione capituli juxta fundationem, et confirmationem curiæ episcopalis juxta dictum cap. 22, prævio examine faciendo coram Episcopo pro sufficienter versato in cantu Gregoriano, deinde admitti nequaquam debere ad mansionariam capitularem prævio novo examine juxta præfatum cap. 22: *Ibid., dub.*, 3.

5. Mansionaria ecclesiæ cathedralis addicitur sacerdoti Cajetano Paffi ejusdem ecclesiæ parocho, qui majorem suffragiorum numerum in primo capituli scrutinio, licet ob unius suffragii exuberantiam numeri capitularium vitioso, retulit. Eodem tempore S. C. instantiam rejecit clerici Joannis Baptistæ Macconi, qui in secundo scrutinio eum vicit; quod scrutinium ob Paffi denunciatam contestationem, et ob suffragium a nonnullis canonicis non latum æque vitiosum putabatur: *Eugubina, Mansion.*, 5 *april.* 1794, confirmata 20 *sept. ejusd. anni.*

§ II.

Mensionaria quoad fundationem et erectionem.

1. Quum capitulum et canonici ecclesiæ collegiatæ S. Salvatoris erectionem ordinatam a Francisco Blancone acriter impugnaverint; quia dictus canonicatus juxta fundatoris voluntatem clericis ignobilibus ejusdem consanguineis, vel his deficientibus artificibus, vel villicis progenitis erit conferendus; hinc causam in Rota Maceratensi egerunt; sed locum esse commutationi voluntatis mansionariam erigendo, firma in reliquis remanente testatoris dispositione S. C. declaravit: *Macераten., Commutat. volunt.*, 30 *aug.* 1704.

2. Ex mansionariis, qui Episcopo, et dignitatibus ob canonicorum repugnantiam pro diacono, et subdiacono inservire consueverant, idem Episcopus de consensu majoris partis capituli duos canonicatus erexit sub titulo diaconi, et subdiaconi cum separata præbenda, nihil a capitulo detrahendo. Sed S. C. certior facta de hac erectione, eam validam non esse censuit: *Isernien., Erect. canon.*, 5 *sept.* 1705, confirmata 14 *nov. ejusd. anni.*

3. Theodorus Ferracuti ex suis bonis montem erigi mandavit Frumentari ea lege, quod si reditus illius annua scut. 72 excederet, erigantur in ecclesia cathedrali Firmi duæ coadjutoriæ spirituales, quarum possessores vocarentur præbendati mansionarii, et coadjutores S. Annæ, ac eligendi a capitulo et ad ejus nutum amovendi essent. Primam præbendam obtinuit sacerdos Joseph Fontana, et quæsivit, an ipse noviter electus teneatur reportare erectionem mansionariæ, atque respective institutionem faciendam esse juxta formam fundationis, sumptibus tamen hæreditatis: *Firmana, Erect. præbend.*, 11 *junii* 1729, *dub.* 1.

4. Dubium est solvendum, an erectio quinque mansionariatuum, seu capellaniarum ab Episcopo defuncto facta de anno 1729, cum omnibus conditio-

nibus, et legibus ibi præscriptis, valida esset? respondit S. C. dilata, et scribatur Episcopo hodierno pro informatione, et voto : *Sancti Severi*, 19 *januar.* 1737, *dub.* 1.

5. Erectioni mansionariatus, quam comes Guidus Ubaldus Paciotti erigi in ecclesia cathedrali præcepit, purificata substitutione, factus est locus ad formam testamenti ejusdem, et dos solvenda est in pecunia numerata ad effectum investiendi in tot locis Montium Cameralium, non vacabilium libere juxta legem fundationis, et Archiepiscopus exequutioni debet incumbere. Excipiebat enim capitulum dictæ ecclesiæ bona, quæ in dotem tradenda sunt, pluribus hypothecis esse obnoxia : *Urbinaten.*, *Erect. canon.*, 6 *junii* 1750.

6. Nicolaus Marcantoni mansionariam exigendam in metropolitana ecclesia Firmi mandavit injunctis chori, Missarumque conventualium oneribus, ac bullarum expeditionem vetuit. Illius voluntatis commutatio petita fuit, ut nempe facultas Archiepiscopo Firmano impertiretur erigendi dictam mansionariam in beneficium ecclesiasticum cum onere expediendi litteras Apostolicas. Hinc obscurum fuit, an, et quomodo facienda sit erectio? Negativa ad petitionem prodiit responsio : *Firmana, Erect. mansion.*, 10 *martii* 1770, confirmata 15 *decem. ejusd. anni.*

7. Sacerdos Philippus Antonius Francioni legatum pium Missarum instituit in ecclesia collegiata Cinguli adimplendum. Devoluta hæreditas est ob deficientiam descendentium ad capitulum cathedralis ecclesiæ contradicente familia de Paolis testatoris sanguine juncta. Lis transactione quievit, qua convenerunt, ut onus incumberet prædictæ familiæ erigendi mensionariam in eadem cathedrali, proindeque commutandi legatum pium Missarum ob cultus divini incrementum, et ecclesiæ decorem; sed S. C. transactionem haud approbavit : *die* 24 *julii* 1762. Et instantia repetita, non esse locum erectioni mansionariæ, et concordiæ confirmationi; ita ut standum sit in decisis dixit: *Cingulana, Erect. mansion*, 14 *decem.* 1771.

8. Commutata ob impares prædiorum reditus testatoris Joannis Antonii Gili voluntate, quæ quatuor canonicatuum in ecclesia collegiata S. Christinæ erectionem præceperat; censuit S. C. consulendum esse Sanctissimum pro erectione quatuor mansionariatuum; minime vero pro erectione duorum canonicatuum. Conformior quippe menti testatoris dignoscitur mansionariatuum erectio, a quibus idem servitium ecclesiæ præstatur : *Eugubina, Commut. volunt.*, 8 *april* 1786, *dub.* 2.

9. Erectionem unius canonicatus, et trium mansionariatuum cum chori, ac nonnullarum Missarum onere in collegiata ecclesia terræ S. Joannis in Persiceto relicto jure illos assequendi in favorem suorum descendentium Laurentius Morisius ordinavit. Sed hæreditatis status impar fuit tot oneribus sustinendis; at inita concordia partes convenerunt, ut canonicatus, et unica mansionaria eisdem cum oneribus a fundatore præscriptis erigeretur; altera mansionaria scut. 6 præbendæ theologali eisdem impositis oneribus uniretur, ac tertia supprimeretur, ut ejus dos prædictis erigendis accresceret. Hujusmodi concordiam, dempta tamen suppressione tertiæ mansionariæ confirmavit S. C. : *Bononien., Commut. volunt. et transact.* 17 *junii* 1786, confirmata 18 *aug.* 1787, *dub.* 1.

10. Post diuturnum a quatuor mansionariis servitium peractum in ecclesia collegiata S. Æmiliani Trebiæ viderunt canonici eos tot muneribus sufficientes non esse. Ipsi canunt Missam conventualem diebus profestis, dirigunt chorum ac Missas solemnes, fidelium confessiones excipiunt. Hac de causa capitulares supplicant pro erectione aliarum quatuor mansionariarum ex pluribus capellaniis, et beneficiis liberæ collationis, tum vacantibus, tum vacaturis facienda. Episcopus assentitur, sed S. C. dictæ erectioni haud assensum præbuit : *Spoletana, Erect. mansion.*, 28 *april.* 1796, *dub.* 1.

§ III.

Mansionaria quoad incompatibilitatem, et privationem.

1. Abbas collegiatæ ecclesiæ S. Petri Guastallæ loci ordinarius, exponit Andream Benessium dictæ ecclesiæ mansionarium tribus abhinc annis, et ultra abfuisse, et adhuc abesse a sua residentia; ob id, ut divino cultui consuleret ad formam Tridentini Concilii cap. 12, sess. 24, *de Reform.* [6] devenire ad privationem intendit. Sed quum dictus Andreas ad titulum illius mansionariæ fuisset sacris ordinibus initiatus, S. C. adiit quæ sancivit, quatenus servati fuerint termini ad præscriptum sacri Concilii [7] esse locum privationi : *Nullius, Guastallæ, Privat. mansion.*, 28 *aug.* 1660.

2. Ad dubium propositum; num presbyter Bartholomæus Simonetti olim ecclesiæ S. Nicolai aggregatus, postea electus mansionarius ecclesiæ cathedralis amiserit aggregationem prædictæ ecclesiæ S. Nicolai; seu potuerit per ejus clerum haberi tamquam ab aggregatione expulsus, vel sit redintegrandus? voluit S. C. moderno Episcopo pro informatione, et voto, esse scribendum : *Sancti Severi*, 19 *januar.* 1737, *dub.* 3 et 4.

[6] Vide not. 65, verb. *Canonicatus*, § V.

[7] Vide not. 65, verb. *Canonicatus*, ut supra.

MANSIONARIUS.

§ I.

Mansionarius quoad distributiones, et emolumenta.

1. Clemens Grattarola mansionarius metropolitanæ ecclesiæ, et cæremoniarum magister Archiepiscopi Ravennatis exposuit, se tempore, quo eidem Archiepiscopo pontificalia sive in civitate, sive in diœcesi occasione pastoralis visitationis celebranti, aut alias functiones solemniter peragenti in eo munere assistit, consuevisse a capitulo punctis notari. Immeritum id sibi fieri autumans, supplicat capitulo injungi, ne ipsum deinceps ea de causa a chori, ecclesiæque servitio absentem punctis subjaceat, sed omnes ei tradantur quotidianæ distributiones. Responsum a S. C. fuit haud esse ex gratia indulgendum, ut has lucretur distributiones, nisi quando assistit Archiepiscopo in cathedrali: *Ravennaten.*, *Distribut. quotid.*, 1 *aug.* 1739, *dub.* 1 et 2.

2. Sex in ecclesia cathedrali Pisaurensi extant mansionarii, quinque sunt amovibiles, alter vero habet præbendam fundatam a canonico Pellegrini, quæ in titulum confertur perpetuum. In fundatione præscribitur, ut reditus vacantis mansionariæ successori mansionario deberentur. Capitulum decrevit, ut eligeretur aliquis sacerdos, qui vacantis mansionarii vicem suppleat, et reditus percipiat. Quum huic decreto voluntas refragaretur testatoris, quæsitum fuit, an confirmandum esset? et negativa prodiit resolutio: *Pisauren.*, 6 *sept.* 1783.

3. In ecclesia cathedrali quatuor numerantur ex fundatione Bernardini Pellicani mansionarii cum onere chori servitii. Singulis pius testator distinctas designavit præbendas in summa sexcentorum scutorum. Temporis edacitate factum est, ut vix bicentum nunc supersit scutorum rata. Hinc neglectum contra testatoris mentem fuit ecclesiæ servitium. Illarum patronus, ut huic occurreret malo, precatur pro reductione quatuor præbendarum ad massam communem, et obtinuit facto verbo cum Sanctissimo: *Maceraten.*, *Mass. comm.*, 9 *julii* 1785.

4. Distributiones duorum mansionariorum ecclesiæ collegiatæ S. Martiani computandas esse quolibet mense, solvique debere ex illorum salario; utroque vero absente a choro, adjudicandas esse sacrario ecclesiæ, juxta decretum Card. Episcopi anni 1781 præscribitur: *Senogallien.*, 13 *junii* 1789, *dub.* 13.

5. Deponi autem debere singulis mensibus per ipsos mansionarios in manibus æditui statuitur: *Ibid.*, *dub.* 14.

6. Mansionariis sex institutis in cathedrali ecclesia a cl. mem. Card. Durazzo, quorum singuli sufficientem habent reditum scut. 40 denegatur augmentum præbendarum ex reditibus ab eodem Cardinali assignatis hospitio Michelinarum ejusdem civitatis. Nam illud incrementum detrahi debebat ex conservatorio pauperum mendicantium, in quo plurimæ puellæ aluntur: *Faventina, Aug. præbend.*, 26 *septem.* 1795.

§ II.

Mansionarius quoad jura, vocem in capitulo, et stallum in choro.

1. Cathedralis ecclesia civitatis Firmi tribus ministrorum ordinibus est composita, quorum primus constituitur ex dignitatibus et canonicis, secundus ex præbendatis, tertius vero ex mansionariis. Sacerdos Joseph Fontana præbendam seu mansionariam a Theodoro Ferracuti noviter erectam obtinens, non post ultimum mansionarium inferioris ordinis præbendatorum, sed post ultimum præbendatum immediate in choro sedere in stallo debet: *Firmana, Erect., præbend.*, 11 *junii* 1729, *dub.* 2.

2. Paulus V, Sum. Pont., collegiatam SS. Christophori, et Constantii Fani erigens voluit, ut canonici, et mansionarii, omnes una cum archipresbytero capitulum ipsius collegiatæ ecclesiæ constituerent. Hinc tam canonici, quam mansionarii capitulo interesse, suffragiique jure in singulis actibus capitulariter gestis potiri consueverunt. Hinc canonici mansionarios in quocumque actu, et negotio arcendos esse contendunt. Episcopus. beneficiatos, sive mansionario capitularibus congregationibus interesse et suffragium ferre posse, ac debere in iis dumtaxat negotiis, quæ communem massam respiciunt, definivit. Non acquiescentibus canonicis audita fuit S. C. mansionarii interim probarunt ex fundationis lege, ipsos partem facere corporis capitularis, ac propterea capitularibus actibus intervenire, suffragiumque ferre posse certarunt, et voti compotes in omnibus ad formam Paulinæ bullæ facti sunt: *Fanen.*, 16 *junii* 1731.

3. Mansionarii parochialis ecclesiæ oppidi Murri Vallium in collegiatam erectæ non habent jus interveniendi, et suffragium ferendi una cum canonicis in capitulo, præterquam in casibus condendi, vel reformandi statuta, aliisque respicientibus eorum interesse ad formam bullæ erectionis : *Firmana, Vocis in cap.*, 11 *sept.* 1734, confirmata 18 *nov.* 1797, *dub.* 1.

4. Re in genere definita, modo S. C. in specie decidit, dictos mansionarios jus habere interveniendi, et suffragium reddendi in capitulis, dum agitur de administratione bonorum vel erogatione pecuniarum ad massam communem spectantium : *Ead. causa*, 17 *junii* 1797, *dub.* 1, confirmata 18 *nov. ejusd. anni*, *dub.* 2.

5. Necnon dicti mansionarii excluduntur a capitulo occasione electionis, et remotionis officialium ; cum S. C. hoc jus privative spectare ad capitulum absque eorum interventu censuerit : *Ibid.*, *dub.* 3.

6. Nulla a S. C. declarata est erectio canonicatus in dicta ecclesia collegiata Murri Vallium a Matthæo Ventura fundati ab Archiepiscopo peracta cum applicatione census, qui ad massam communem spectabat inconsultis mansionariis, hinc S. C. cum illam convalidaverit ad jus præsentandi admitti mansionarios putavit : *Firmana*, *Erection. canon.* 5 *martii* 1735.

7. Ad S. C. relatum est, an mansionarii, seu portionarii vocandi, ac admittendi sint ad suffragandum in electione vicarii capitularis, et in actibus mere jurisdictionalibus, ac in aliis œconomicis, et in quibus agitur de interesse communi capituli cathedralis ecclesiæ ? S. C. rescripsit : dilata, et scribatur moderno Episcopo pro informatione, et voto : *Bituntina*, 26 *sept.* 1739, *dub.* 6.

8. Disceptatur causa super vocem in capitulo, cujus mansionarii ecclesiæ collegiatæ SS. Nazarii et Celsi oppidi Castilionis a Stiveriis jus putant habere. Canonici contradictores autumant neque illis de jure competere, neque concessam in litteris apostolicis erectionem præcipientibus, capitulum ejusdem collegiatæ ecclesiæ insimul constitui a dignitatibus canonicis et mansionariis ; quod interpretandum esse de simultaneo eorumdem clero ecclesiæ cum partitione massæ communis mensæ, ideoque admittendos esse ad suffragium ferendum in capitulo solum in actibus respicientibus interesse massæ communis, non autem in præeminentialibus, et jurisdictionalibus S. C. illos admittendos esse in actibus tantum respicientibus interesse massæ communis decrevit : *Brixien.*, *Vocis in cap.*, 8 *martii* 1760. Iidem mansionarii impetrata nova audientia ex una parte controversam indulti litteram coadjuvare subsequuta observantia nituntur ; ex altera exhibent capitulares quasdam deliberationes ; et S. C. confirmavit decretum juxta modum [8] : 6 *dec. ejusd. anni.*

9. Mansionariis collegiatæ ecclesiæ B. M. V. in cœlum Assumptæ terræ Galatone in omnibus actibus juxta solitum ejus in capitulo cum dignitatibus, et canonicis, suffragium ferendi competere statutum fuit : *Neritonen.*, *Plur.*, 7 *junii* 1760, *dub.* 16.

10. Ac eorum suffragia singillatim computanda sunt juxta numerum capitularium. *Ibid.*, *dub.* 17.

11. Mansionarii collegiatæ ecclesiæ S. Antonii Placentiæ, qui approbarunt, et ratam habuerunt concordiam cum canonicis initam, ligare eorum successores non potuerunt : *Placentina*, 13 *sept.* 1777, *dub.* 2.

12. Declaravit S. C. mansionarios ecclesiæ collegiatæ Pergulæ ferre non valere suffragium in electione archidiaconi. Nam fundator capitulo, et canonicis eligendi jus detulit de suo, et mansionariorum gremio : *Eugubina*, *Elect.*, 7 *sept.* 1793, *dub.* 1.

§ III.

Mansionarius novæ, ac primæ erectionis.

1. Duo mansionarii fundati a marchione Jacobo Gallio in ecclesia cathedrali tenentur residere, et interesse choro, ceterisque ecclesiasticis functionibus, sicuti tenentur alii mansionarii prius erecti ab abbate Marco Gallio. Nam dictus Jacobus mandavit dictos binos mansionariatus uniri, et aggregari aliis decem, *volendo che detti due mansionarii siano tenuti osservare, e fare tuttoció, che fanno. ed osservano i suddetti dieci* ec : *Comen.*, *Distribut.*, 6 *maii* 1719, *dub.* 1.

2. Ac reditus annuus a marchione Jacobo relictus pro unoquoque ex dictis duobus mansionariis est in fundatione partim destinatus pro præbenda, et partim pro distributionibus quotidianis ad formam aliorum mansionariatuum erectum ab abbate Marco : *Ibid.*, *dub.* 2.

3. Et sacerdos Ptolomæus Pila unus ex dictis duobus mansionariis fundatis a marchione Jacobo pro eo tempore, quo est addictus servitio, seu gerit negotia ducis Alberti, tenetur ad residentiam, ac interventum, sicuti ceteri mansionarii : *Ibid.*, *dub.* 3.

4. Qua de causa participare debet de distributionibus, necnon fallentiis, seu punctaturis omnium aliorum mansionariorum : *Ibid.*, *dub.* 4.

5. Atque etiam de omnibus, et quibuscumque emolumentis tam non fixis, vel extraordinariis,

[8] Modus est competere etiam votum consultivum in reliquis actibus capitularibus : *Ead. causa*, 6 dec. 1760.

quam fixis, vel ordinariis, quæ a collegio mansionariorum in exequiis mortuorum, aliisque similibus functionibus percipiuntur : *Ibid.*, *dub.* 5.

6. Et pro eo tempore quoque, quo dictus sacerdos Pila in præteritum non interfuit choro, aliisque ecclesiasticis functionibus, non est admittendus ad partitionem distributionum, et fallentiarum aliorum mansionariorum : *Ibid.*, *dub.* 6.

7. Nec non pro eo tempore, quo non interest choro, ceterisque ecclesiasticis functionibus, distributiones quotidianas amittit; et dubio, an in cujus favorem, cedere istæ debeant? S.C. mandat servari dispositionem abbatis Marci Galli anni 1632. *Ibid.*, *dub.* 7.

8. Et pro eo tempore, quo dictus sacerdos Pila defecit a choro, aliisque functionibus ecclesiasticis non interfuit, non tenetur restituere pecuniam exactam respectu portionis destinatæ pro distributionibus quotidianis : *Ibid.*, *dub.* 8.

9. Quo vero ad alteram ratam partem constitutam pro præbenda, non intrat dispositio Sac. Concilii Tridentini cap. 12, sess. 24, *de Reform.*[9]; sed locus est pœnæ injunctæ ab abbate Marco Gallio in cap. 5 instrumenti fundationis anni 1632 sed in futurum : *Ibid.*, *dub.* 9.

10. Ac dicti duo mansionarii erecti a marchione Jacobo debent in posterum gaudere de utilibus librarum trium millium relictarum in testamento dicti marchionis collegio mansionariorum; necnon debuerant illis gaudere etiam pro tempore præterito, excepto Pila : *Ibid.*, *dub.* 10.

11. Atque reditus relicti a marchione Jacobo pro dictis duobus mansionariatibus debent in posterum poni in communi massa cum reditibus collegii mansionariorum ab abbate Marco fundati : *Ibid.*, *dub.* 11.

12. Idemque reditus haud sunt exigendi a dictis duobus mansionariis, sed a canepario collegii ad hoc, ut quoad ratam partem destinatam pro distributionibus quotidianis distribuantur juxta peractum ecclesiæ servitium, ac summa a dicto canepario deponenda pro distributionibus non excedat summam, quam contribuunt ceteri mansionarii : *Ibid.*, *dub.* 12.

13. Immortalis memoriæ Bened. XIV, tunc Archiepiscopus Bononiensis, ut ecclesiæ metropolitanæ decus augeret, decrevit, ut quatuor Ludovisianæ capellaniæ ad statum mansionariatuum elevarentur, capellanisque et habitus ceteris uniformis, et stallum inter ceteros mansionarios daretur, paribusque ii uti, et frui prærogativis, et privilegiis valerent, quibus uti, et frui solent mansionarii ejusdem ecclesiæ. Hinc recentiores mansionarii putarunt unum, idemque cum illis efformare corpus, sive collegium ; sed frustranea fuit eorum opinio ; quum antiquos duodecim distinctum facere corpus statutum fuisset : *Bononien.*, *Præced.*, 22 *novem.* 1738, *dub.* 1.

14. Et insuper decisum, ut præfati duodecim mansionarii, eorumque successores, ac coadjutores præcedere deberent dictis quatuor novis capellanis mansionariis nuncupatis Boncompagni, tametsi anterioribus in receptione, seu admissione : *Ibid.*, *dub.* 2.

§ IV.

Mansionarius quoad onera in genere.

1. Mansionarii ecclesiæ cathedralis idonei esse debet in cantu Gregoriano, non autem in cantu figurato ad canendum in choro pro cultu, et veneratione B. M. V. nuncupatæ *ab Igne* deputati ; etiamsi fundator, qui illas mansionarias erexit, *musicæ scientiam callentes* voluerit ; quia ad organum pneumaticum litanias canunt : *Foro-Livien.*, 21 *novem.* 1767.

2. San. Mem. Urbanus VIII, abbatialem ecclesiam S. Christophori in cathedralem civitatis Urbaniæ erexit, binis parochialibus suppressis. Mansionariis perpetuis curam animarum imposuit, necnon pro eorum dote assignavit decimas, et quartaria, ac tercenta scuta annua per communitatem spatio annorum 20, et deinde per Episcopum solvenda. Concessit inde potestatem Episcopo una cum capitulo quæcumque faciendi statuta. Conqueritur hodie collegium mansionariorum tum de onere celebrationis Missæ pro populo per Episcopum ipsis injuncto, et in postrema synodo confirmato, tum de interceptis decimis, et quartariis, aliisque a laudato Pontifice sibi assignatis. Ad congrua hinc dubia proposita S. C. respondit, dilata, et ad mentem, et proponatur citato capitulo : *Urbanien.*, 26 *aug.* 1769, *dub.* 1 et 2.

3. Quum ecclesia parochialis S. Petri Montis Martiani in collegiatam erecta fuisset inter cetera quæsitum fuit, an et cujus sumptibus debeat provideri Almutia pro mansionariis? rescriptum est affirmative sumptibus mansionariorum : *Senogallien*, 13 *junii* 1789, *dub.* 15.

4. Mansionario autem curato ecclesiæ prædictæ a choro vacanti, vacare etiam a cura, pro qua habet stipendium ab archipresbytero, non licere S. C. decernit : *Ibid.*, *dub.* 18.

[9] Vide not. 65, verb. ***Canonicatus***, § V.

§ V.

Mansionarius quoad servitium chori, et Missam conventualem.

1. Sacerdos Joseph Fontana, qui præbendam seu mansionarium sub nomine coadjutoriæ spiritualis erectam a Theodoro Ferracuti cum pacto, ut illius possessor eligeretur a capitulo, et ad ejus nutum esset amovibilis, obtinuerat, quæsivit, an teneretur intervenire in choro etiam de sero in diebus ferialibus, prout interveniunt ceteri præbendati, et mansionarii? non teneri S. C. respondit : *Firmana, Erect. præb.*, 11 *junii* 1729, *dub.* 3.

2. Idemque Fontana in sua hebdomada per vices Missam conventualem canere minime tenetur, quum trium Missarum in hebdomada fundator onus imposuisset : *Ibid.*, *dub.* 4.

3. Neque etiam Gregorius Gradamassi præbendatus mansionarius auctoritate ordinaria institutus in exequutionem dispositionis testamentariæ Gregorii Moschini, qui illi, et successoribus onus trium Missarum in hebdomada injunxit, Missam conventualem in sua hebdomada pariter canere tenetur, nisi quatenus illi ab aliis presbyteris eleemosyna juxta morem solvatur : *Ibid.*, *dub.* 5.

4. Suppressis Apostolica auctoritate canonicatibus supranumerariis, ac beneficiatis ecclesiæ cathedralis, erigi statutum fuit duodecim mansionarias injuncto possessoribus onere chori ac Missæ conventualis. Sed numerus duodenarius haud fuit completus, et sex tantum fuere mansionarii. Episcopus visitans ecclesiam reperit Missam conventualem ab uno ex canonicis diebus festis pro benefactoribus, minime vero illam, quæ diebus ferialibus ab uno ex mansionariis canebatur, applicari. Decrevit ideo hanc quoque pro benefactoribus applicandam esse. Mansionarii se novo onere gravatos esse asserentes supplicant, ut quatenus onus præfatum subire debeant, aliquod ex fabricæ reditibus eisdem assignetur emolumentum. Definitionem distulit S. C., sed voluit interim, ut scriberetur Episcopo pro meliori informatione juxta instructionem [10]: *Asculana, Diminut. oner.*, 8 *maii* 1734. Sed quum Episcopus retulisset ante mansionariarum erectionem nescire, an Missam conventualem pro benefactoribus capellani applicarent, et quod ex fabricæ reditibus 30 superessent scuta, S. C. resolvit, delendum haud esse onus applicationis, sed locum quippe esse incremento in scutis 20 : 29 *januar.* 1735.

5. Nonnulla decreta edidit Archiepiscopus Firmanus in ultima visitatione collegiatæ ecclesiæ S. Bartholomæi Murri Vallium super reformatione tabellæ Missarum solemnium, et diminutione punctaturarum mansionariis non assistentibus eisdem Missis, ac vesperis. De his canonici, ac dicti mansionarii expostularunt, contendentes retinendum omnino esse veterem morem in eorum ecclesia receptum, immo existimarunt potius ratione redituum tenuitatis esse relaxandam eam consuetudinem in aliqua parte. S. C. præfata decreta minime valida esse sancivit : *Firmana*, 22 *junii* 1743.

6. Quæstio posita est, an, et quale servitium præstari debeat in choro per octo mansionarios capellanos in ecclesia cathedrali noviter erectos?

7. An eorumdem mansionariorum punctatura adaugenda esset, servata cum reditibus proportione?

8. Num hebdomadarii presbyteri teneantur pro servitio prædictæ ecclesiæ quandocumque supplere vices illorum octo mansionariorum absentium, et sic vicissim mansionarii absentibus hebdomadariis? S. C. voluit, ut proponeretur citatis mansionariis : *Capuana*, 17 *decem.* 1735, *dub.* 15, 16 et 17. Deinde jussit, ut proponeretur separatim : 28 *april.* 1736.

9. Deinde aliis propositis dubiis : an in laudibus, et vesperis, quæ solemniter celebrantur per canonicos, vel dignitates prædictæ ecclesiæ metropolitanæ assistere debeant cum pluvialibus hebdomadarii presbyteri; vel mansionarii diaconi noviter erecti? et quatenus affirmative quoad hebdomadarios presbyteros.

10. An prædicta assistentia præstanda sit canonicis, et dignitatibus celebrantibus extra cathedralem solemniter Missam, vesperas, et laudes mercede soluta?

11. Num celebrante Archiepiscopo, assistere teneantur in throno cum pluvialibus duo ex duodecim hebdomadariis presbyteris cum duobus mansionariis diaconis; vel potius quatuor ex octo mansionariis diaconis? definitio delegata [11] S. C. Rituum : *Ibid.*, *dub.* 18, 19 et 20, confirmata *ibid.*

12. Demum ad eamdem S. C. Rituum [12] remittitur dubium pro definitione an in functionibus in quibus canonici non utuntur mitra, teneantur ipsi

[10] « Quæ fuit, ut idem Episcopus certiorem redderet S. C., qua de causa omnes duodecim mansionariæ a Card. Bernerio Episcopo Asculano sub annum 1593 destinatæ nondum fuerint erectæ, an canonici ante erectionem dictarum mansionariarum Missam conventualem canerent, illamque pro benefactoribus applicarent, et demum quot sint annui reditus fabricæ ecclesiæ, a quo administrentur, et cujus commodo cedant. » *Ead. causa*, 29 januar. 1735.

[11] Vide not. 687, verb. *Congregatio*, § v.

[12] Vide not. ut supra.

canonici canere in choro ex proprio stallo una cum hebdomadariis in cantu Gregoriano, vel onus canendi spectet etiam tunc ad solos hebdomadarios, et mansionarios : *Ibid.*, *dub.* 25.

13. Duo mansionarii ecclesiæ S. Salvatoris Maceratæ fundationis Francisci Bianconi choro inservire, prout inserviebant canonici, ibique inter cetera libro chorali assistere illumque aptare et revolvere cœperunt. Episcopus ecclesiam visitans mandavit amoveri legile et in medio chori reponere. Unus ex mansionariis Dominicus Lampechinius altercatur, neque ipsum nec binos alios obstringi posse ad assistendum legili illudque coaptandum. S. C. consulta decretum prodiit, ut ad librum choralem aptandum et revolvendum omnes adstringerentur : *Maceraten.*, *Serv. chori*, 26 *sept.* 1739, *dub.* 1.

14. Pluribus sacerdos Simon Oliverius oneribus gravavit duos mansionarios, quos in cathedrali ecclesia fundaverat. Hinc etiam munera ii ferre sueverunt, quæ ceteri capitulares obibant, illudque præsertim solemnioribus anni diebus festis nuncupatis *Prerogativæ* servitium præstandi diaconi et subdiaconi alteri ex tribus dignitatibus capituli, seu canonico antiquiori, qui his diebus vesperas et sacra solemnia Episcopo impedito agunt. Ab hoc inde onere sese eximere illi studuerunt et ab Episcopo ad S. C. provocarunt. Hæc vero postquam solitum servari mandaverat, resolvit eosdem choro interesse et assistere in qualitate diaconi et subdiaconi dignitati seu canonico Episcopo impedito, primas vesperas celebranti, cogendos esse : *Foro Sempronien.*, *Serv. chori et eccl.* : 15 *april.* 1752.

15. Mansionarii collegiatæ ecclesiæ S. Antonini Placentiæ virtute transactionis inter eosdem et canonicos initæ non sunt compellendi etiam multis pecuniariis ad præstandum servitium ecclesiæ in eadem transactione statutum ; quum valida haud concordia judicata præsertim quoad successores fuisset : *Placentina*, 13 *sept.* 1777, *dub.* 3.

16. Mansionarii ecclesiæ parochialis S. Petri Montis Martiani in collegiatam nuper erectæ non deferentes in choro et processionibus almutiam, haberi non debent pro intervenientibus sed pro absentibus : *Senogallien.*, 13 *junii* 1789, *dub.* 16.

§ VI.

Mansionarius quoad vocationes.

Gratia vacationis duorum mensium concessa mansionariis ecclesiæ collegiatæ S. Petri terræ Corinalti a S. C. Concilii sub *die* 29 *novem.* 1698 non est exequenda. Dictitant etiam canonici dictos mansionarios nemine citato, nulloque eis termino præfixo illam reportasse : *Senogallien.*, *Vacat.*, 29 *april.* 1702.

MARITUS QUOAD DIVORTIUM. Vide *Matrimonium*, § XXVII.

MARITUS QUOAD RELIGIONIS INGRESSUM. Vide *Matrimonium*, § V.

MARITUS QUOAD SEPARATIONEM THORI. Vide *Matrimonium*, § XXVII.

MASSA FRUCTUUM AC DISTRIBUTIONUM. Vide *Capilum ecclesiasticum*, § IV.

MATERIA. Vide *Sacramentum Ordinis*, § V.

MATRIMONIALES DISPENSATIONES. Vide *Dispensatio*, §§ X, XI et XII.

MATRIMONIUM.

§ I.

Matrimonium quoad alimenta et sumptus litis [13].

1. Alexander Franciscus Sensinus captus amore puellæ Eleonoræ Cimarræ matrimonium contraxit, primo quoque tempore accurata et inimicitias incensa contentio fuit ob assertam viri impotentiam seu inhabilitatem consummandi conjugium et mulier collocata fuit in conservatorio. Lis fuit agitata, et etiam quæsitum, an et ad quam summam et pro quo tempore sint taxanda alimenta et expensæ litis ? S. C. rescripsit dilata, et ad Card. præfectum juxta mentem [14] : *Romana*, *Matrim.*, 27 *julii* 1697. Item juxta mentem [15].

2. Diverterat jam marchionissa Octavia de Ru-

[13] Quæ est, ut eligantur novi periti ex officio pro instructione animi, et pro recognitione Sensini, et referant etiam cum interventu priorum quatuor peritorum, subministratis per Sensinum scutis 100 in causam declarandam. Lib. 47, *Decret.*, fol. 332.

[14] Nempe ut « vir experiatur nova medicamenta per peritos benevisos sub directione PP. per totum mensem novembris proximi futuri. » Ursaya *Discept. Eccl. XII*, tom. 1, part. 1, num. 255.

[15] Etsi in hac causa strenue certaverit advocatus Dominicus Ursaya pro dissolutione matrimonii ; sicuti manifestum est ex suis juribus exaratis *Discept. Eccl. XII*, tom. 1, part. 1, *per tot.*

beis ab ejus viro marchione Joanne Paulo de Lupis, et S. C. jusserat viro expensarum subministrationem ac mulieri, ut in monasterium quodcumque sese conferret. Interim vir thori separationem intentavit. Subinde quoad alimentorum quantitatem S. C. requisita rescripsit, alimenta taxanda esse in summa pro nunc libr. 6000 annuatim per marchionem assignanda et non solvenda, nisi postquam marchionissa redierit ad monasterium claustrale et cum facultate Episcopo Burgi S. Domnini augendi dicta alimenta, prout de jure: *Parmen., Aliment.*, 17 *novem.* 1708, *dub.* 1

3. Ac uxor pro expensis sumptibusque litis audiri etiam curavit et obtinuit expensas juxta quantitatem arbitrandam a Card. præfecto: *Ibid., dub.* 2.

4. Et ponderato dubio, an et a quo tempore vir teneatur ad alimenta præterita et ad expensarum refectionem rescripsit, causam proponi postquam marchionissa redierit ad monasterium: *Ibid., dub.* 3. Subinde resolvit teneri a die discessus a domo viri, repensis summis receptis, necnon teneri ad expensas factas pro ingressu in ultimum monasterium: 1 *decem.* 1714, confirmata 6 *junii* 1716.

5. Matrimonium contractum inter Joan. Antonium Cardonum et Claricem Pisonam validum judicavit S. C., et causa absoluta est, inde vir obtinuit potestatem deducendi iterum sua jura in eadem S. C. hac conditione adjecta, subministratis alimentis et sumptibus litis Clarici arbitrio Card. præfecti: *Ferentina, Matrim.*, 2 *aug.* 1721.

6. A paterno lare aufugit Antonius Romagnolus Cæsenas et Forum Livii petiit matrimonium cum Angela de Nare, quæ illuc etiam sese animo contrahendi domicilium receperat contracturus. Sponsalia primum quinque testibus munita, deinde coram parocho fidei rudimenta puellas docente, et duobus testibus matrimonium ambo inierunt. Occulta hinc fuit ejusdem validitas et validum fuit declaratum. Quæritur modo pro quanam summa subministranda sint alimenta et sumptus litis? Et hos arbitrio Card. præfecti deberi S. C. decrevit: *Cæsenaten. seu Foro Livien., Matrim.*, 20 *febr.* 1723, *dub.* 2, confirmata 26 *junii ejusdem anni.*

7. Instantibus pro declaratione nullitatis matrimonii Constantia Radzivilla et Joanne Sapicka conjugibus S. C. respondit non constare de matrimonii nullitate, ipsos vero in separatione continuare debere, donec obtinerent litteras declaratorias; nempe dispensationem jam obtentam ante matrimonium suffragari, non obstante reticentia propinquioris gradus. Moram nectente Joanne super litterarum expeditione et uxori alimenta non subministrante, expostulavit Constantia apud S. C. et responsum fuit; scribatur juxta instructionem [16]: *Luceorien.*, 26 *april.* 1727, et postquam Nuntii apostolici et Episcopo Luceoriensi relationes advenerint; S. C. censuit præfigendum esse a Nuntio terminum ipsi benevisum, tum comiti pro recipienda uxore una cum dote, tum principissæ pro accedendo una cum dote et cohabitando cum viro, terminisque elapsis certiorem facere S. C. quod effectum est: 17 *april.* 1728.

8. Iniit matrimonium Joannes Franciscus Salvatorius cum Maria Hieronyma Angelica, et cum ea cohabitavit, sed hæc a viro aufugit elapsis sex mensibus, et domum paternam repetiit. Archiepiscopus collocandam esse illam in monasterium convitricium Firmi, et alimenta esse suppeditanda a patre ex fructibus dotis ab ipso non solutæ censuit. Sed patre reclamante alendam esse expensis patris ex fructibus dotis S. C. decrevit: *Firmana*, 22 *novem.* 1727, *dub.* 3, confirmata 17 *april.* 1728.

9. Postquam de sponsalibus inter Joannam Gertrudem de Lennep viduam, et Andream de Wiendenfelt Coloniensem consulem initis S. C. constare statuerat, et Andream moram nectentem ad ea adimplenda esse cogendum definierat. Ad dubium, an ipsi Gertrudi alimenta, et sumptus litis deberentur? aperuit, ut subministrarentur scuta centum in causam declarandam: *Colonien., Spons.*, 26 *april.* 1732, *dub.* 3.

10. Nobilis virgo Joanna Czacka matrimonium invita contraxit, sed cum viro copiam sui corporis facere nunquam voluit. Vir inutilis sibi oneris eam ad paternos lares, mundumque muliebrem, et fœmineam suppellectilem restituit. Lite super matrimonii nullitate contestata, Joanna ære alieno pressa petiit alimenta et sumptus litis. S. C. scuta mille in causam declarandam subministrari, ut quæstionem una cum alia super negotio principali proponi mandavit: *Luceorien., Nullit. matrim. super alimen. et sumpt. litis*, 14 *sept.* 1748. Quum Joanna ne obolum quidem a viro accepisset, postulavit, ut desiniatur; num, et in qua summa alimenta, et sumptus litis sibi debeantur? et negativum responsum tulit, firma tamen remanente prædicta præstatione: nam S. C. de validitate matrimonii declaravit: 22 *martii* 1749.

11. Controversia de nullitate matrimonii inter

[16] Datæ fuerunt litteræ tum ad Nuntium apostolicum, tum ad Episcopum Luceoriensem, in quibus dictum fuit, ut totis viribus curarent conjugum reconciliationem, atque cohabitationem, et quod quatenus id obtineri non posset, referent super quantitate dotis principissæ, quis sit ejus debitor, a quo bona pro dote assignata possideantur, et an adfuerint sevitiæ mariti erga uxorem: *Ead. causa*, 17 april. 1728. § 2.

Simonem Thaddæum Ornanum, et puellam Mariam Felicem Puteoburgensem contracti ob defectum liberi consensus vi metuque a consanguineis puellæ extorti in S. C. excitata fuit; ob quam, dum ab Episcopo processus servata constitutione Benedicti XIV, Pont. Max. [17] conficeretur; S. C. subsidium alimentorum ac litis expensarum in favorem mulieris ab Ornano præstandum præcepit: *Adjacen., Nullit. matrim.,* 8 *maii* 1756. Hisce ab illo denegatis, et causa reproducta, S. C. judicio Episcopi rem commendavit: 29 *maii ejusd. anni.*

12. Invita, ac reluctans Barbara Kossow Antonio Remer nupsit, querelam inde nullitatis matrimonii proposuit, atque interim ab Antonio alimenta ad rationem suæ dotis atque bonorum ejus filiorum, quos ex alio susceperat conjugio, necnon sumptus litis postulavit. Episcopus ad eorumdem præstationem a die petitionis jure agendi pro fructibus anteriorum annorum perceptis ex bonis filiorum propriis reservato, virum damnavit. At eo reclamante, et muliere alimenta a die motæ litis efflagitante, S. C. deberi alimenta prædicta ac sumptus litis juxta votum Episcopi [18] censuit: *Cracovien., Matrim. super alimen. et sumpt. litis,* 21 *julii* 1759.

13. Quum actum fuerit in S. C. de dispensatione obtinenda super matrimonio, rato et non consummato inter Josephum Perez, et Annam Ponze de Leon inito, ipso Josepho postulationem excitante, interim Anna alimenta ac sumptus litis petivit, et S. C. alimenta ac litis impendia subministrari præcepit, sed illorum quantitatem taxandam secretario commisit: *Corduben., Disp.,* 22 *novem.* 1760, *dub.* 2.

14. Matrimonio inter Mariannam Malekonski, et Theophilum Rozdrazeuki contracto, mulier nullitatis ejusdem quæstionem proposuit, sed S. C. prævio sacræ Rotæ voto ejus validitatem agnovit. Vir separationem thori, et collocationem Mariannæ in monasterium postulavit; et alimenta *die* 16 *sept.* 1755 [19], taxata fuit a S. C. in octo aureis Hungariæ pro qualibet trimestre post ejusdem ingressum in monasterium. Inde dictum decretum controversum fuit, et validitatem ejusdem S. C. defendit: *Posnanien., Matrim.,* 21 *junii* 1760, *dub.* 3. Deinde recedendo a decisis ut partes utantur jure suo coram judicibus competentibus S. C. respondit: 23 *aug. ejusd. anni.*

15. Alimenta ac sumptus litis juxta taxationem faciendam a secretario Franciscæ Urbani pauperi a suo viro comite Ludovico de Vecchis appellante, et nullitatem matrimonii ex defectu consensus, et formæ impugnante debentur: *Camerinen., seu Fabrianen., Matrim.,* 27 *junii* 1761, *dub.* 3, confirmata 2 *sept.* 1762.

16. Impensarum, ac sumptuum litis præstationi pro causa nullitatis matrimonii agitatæ inter Josepham de Guzman, et Annam Ponze de Leon locum esse S. C. declaravit. Sed quoad causam separationis thori, quam eadem S. C. prout de jure ordinario commendavit, ad quæstionem de expensis respondit, utatur jure suo coram eodem Ordinario: *Corduben., Nullit. matrim.,* 26 *martii* 1763, *dub.* 3.

17. Quamvis Clara Cesarini expensas litis actæ pro dissolutione matrimonii contra suum impotentem virum Augustinum Sciamanna haud pendente lite efflagitaverat; tamen animum suum sæpe expensas reposcendi declaraverat. Sed eas refici S. C. rogat modo, et responsum tulit, quoad impensas omnes in causa factas pro summa liquidanda coram secretario, imputatis fructibus exactis a Cesarino

[17] In cap. *Cum locum, de Spons., et matrim.* statuitur, matrimonium solo consensu contrahi, et ut sententia super ejus validitate, aut nullitate feratur ab Episcopo, sed hodie ad valide contrahendum requiritur ulterius, ut consensus præstetur coram parocho, et testibus juxta decretum Tridentinum, sess. 24, cap. 1, *de Reform. matrim.* Quoad sententiam vero illius validitatis, aut nullitatis, tam circa causæ cognitionem, quam circa ejusdem sententiæ prolationem, attendenda est Const. Bened. XIV, incipien. *Dei miseratione,* 3 novem. 1741. (*Bull. ejusd. Pont.*, tom. 1, pag. 36), in qua præter dispositiones emanatas in litteris encyclicis incipien. *Quamvis paternæ,* 26 aug. ejusd. anni 1741 (*ibid.*, pag. 30), providet egregie Sum. Pontifex causis matrimonialibus, et primum quoad rudices ait, se providisse, cum jussit Episcopis, ut una cum capitulo nominent judices aptos, et doctos, et integros. Insuper jubet, ut in singulis diœcesibus eligatur aliquis si fieri potest ecclesiasticus, qui sit defensor matrimoniorum, data Episcopo facultate eum removendi, et alium substituendi, si causa subest. Hujus officium erit defendere validitatem matrimonii, comparere coram judice, data sententia contra validitatem, appellare, etc. Ideo det juramentum, se omnia integre, casteque præstiturum, si pro validitate data sit sententia, defensor matrimonii non appellet.

Quoad conjuges vult, ut post primam sententiam prolatam neuter sponsus nubat, nubens, incurrat pœnas in polygamos denuntiatas. Si detur appellatio, vel ad Metropolitanum, vel ad Nuntium S. Sedis, vel ad viciniorem Episcopum, defensor, qui erit destinandus ab ipso judice appellato, præstet omnia, quæ diximus præstanda a defensore primo. Tunc liceat nubere, cum duplex sententia conformis pronuntiata fuerit, dummodo aliquod impedimentum, aliquis conjux non habeat, et modo aliquid non detegatur, quod causam in pristinum deducat. Neque in curia unica sententia valeat pro dissolutione.

[18] Censet Episcopus alimentorum, et sumptuum litis subministrationem faciendam esse habita ratione fructuum bonorum uxoris, ejusque filiorum. *Ead. causa,* 21 julii 1759.

[19] Per summaria precum.

usque ad diem soluti matrimonii : *Spoletana, Dissolut. matrim.*, 14 *martii* 1763.

18. Alimenta, et sumptus litis præstanda sunt nobili Nicolasiæ Blasio pendente judicio super matrimonii validitate, et a privigno viri defuncti marchione Raymundo de Patino, qui causam prosequutus est, et in summa vero a Card. præfecto præfinienda debentur : *Cæsaraugustana, Matrim.*, 10 *martii* 1770, *dub.* 2, confirmata 16 *martii* 1771.

MATRIMONIUM CELEBRATUM PER VERBA DE FUTURO. Vide *Sponsalia.*

§ II.

Matrimonium sub conditione contractum.

1. Joanna Frontina cupiens in matrimonium collocari, Joannem Antonium Lucatellum in virum ducere promisit, ac per verba de præsenti coram parocho, et testibus cum eo libere contraxit. Verum post triduum matrimonio minime consummato eadem Frontina Lucatellum e domo ejecit, eo quod ipsa nuptam se fecerat cum conditione pluries antea expressa nimirum si scuta quatuor millia haberet : hac deficiente conditione, ut nullum, atque irritum matrimonium declararetur coram Episcopo Perusino olim vicegerente institit, et S. C., ad quam super validitate matrimonii delata fuerat quæstio, respondit, secundum ea, quæ proponuntur, constare de validitate matrimonii : *Romana, Matrim.*, 23 *januar.* 1666.

2. Matrimonium contraxit cum Anna Ghinzona Joannes Joannonus cum declaratione tamen, quod suum præstabat consensum sub conditione, et præsupposito, quod Anna esset virgo. Matrimonium non consummavit Joannes, ut rem detegeret. prout tertia nocte comperiit Annam utero gravem, ac insuper fassa fuit a proprio patre compressam fuisse, ac quinque lapsis a matrimonio mensibus prolem edidit. Pater in exteras regiones profugus abiit, ac soluta ingenti pecuniarum summa in patriam rediit. Vir ad uxorem redire noluit, ac judicium nullitatis instituit. Conditionis appositio in matrimoniali contractu, et abstinentia a copula ex confessione conjugum dumtaxat haberi potuit, et S. C. non constare de matrimonii nullitate censuit : *Novarien.*, 24 *febr.* 1720.

3. Joanna Agnes de Almada Carnide, ut propriæ consuleret æstimationi, cui ex frequenti Ludovici Quifel Barberini consuetudine detractum fuerat in matrimonio stabili et certo collocari postulavit, conditione tamen adjecta ingrediendi religionem, et in ea profitendi, antequam matrimonii consummatio sequeretur, cui expresse renunciavit, omnique juri ex matrimonio sibi spectanti, et epocham exaravit, in qua hæc omnia servare pollicitus est, aliter matrimonium nullum declarans : hæc testibus patefacta fuere, ac matrimonium inde contractum. Coram judice ordinario actum fuit de viribus hujusmodi matrimonii, qui validum illud declaravit ; auditor nuntiaturæ sententiam revocavit, et S. C. rescripsit ; dilata, et examinentur formaliter parochus, uterque conjux, et testes matrimonii, quatenus non fuerint examinati formaliter : *Ulyssiponen., Occid. nullit. matrim.*, 16 *martii* 1720. Deinde sub die 8 *julii* 1724 ex hactenus deductis matrimonium esse nullum in casu etc. fuit resolutum [20].

4. Joannes Baver catholicus Eystettensis diœcesis in Saxonia morans rem habuit cum Christina hæretica, coactus itaque fuit a senatu ad matrimonium ineundum, prout coram ministro hæretico initium fuit, adjecta tamen expressa conditione ex parte viri, *si Christina mecum se contulerit ad meam patriam catholicam.* Post annum cohabitationis, ac susceptam prolem, quam Christina interfecit, eidem denunciavit Joannes se eam amplius nolle in suam conjugem, indeque in patriam suam rediit, ibique interpellationem misit Christinæ, an vellet conditioni satisfacere ; sed hæc ex decreto ministri hæretici obtinuit approbari divortium, et ad alias nuptias transiit. Joannes vero rem habuit cum consobrina sua, eamque coram ministro hæretico desponsavit ; obtinere autem cupiens Apostolicam dispensationem a Sacr. Pœnitentiaria super impedimento secundi gradus consanguinitatis, et revalidationem secundi matrimonii, institit coram Ordinario Eystettensi pro declaratione nullitatis primi matrimonii ; propositaque causa in S. C. et re mature perpensa rescriptum fuit ad mentem : *Ey-*

[20] « Per eumdem sæpe laudatum textum in cap. *Si conditiones, de Conditionibus appositis*, ea enim conventio, in pactum expresse deducta, qua mulier a se abdicavit potestatem in corpus viri, et vir similiter in corpus mulieris, aperte contraria est substantiæ matrimonii : sicut docet sanctus Thomas in 4 sent. dist. 28, quæst. unic., art. 4, ad 3, cui consentiunt S. Bonaventura, Hadrianus Pontifex, Richardus, aliique inter antiquos, quos memorat, sequiturque *Sotus*, in 4 sent. dist. 29, quæst. 2, art. 3. Neque dissentiunt recentiores, Sanchez, *de Matrim.*, lib. 5, disp. 10, *per tot* ; Layman, lib. 5, tract. 10, part. 2, cap. 7, num. 9 Gonzalez, in cap. *Si conditiones*, sub. num. 8, *de Condit. appos.* ; Salmaticenses, *Oper. moral.*, tom. 2, tract. 9, *de Matrim.*, cap. 7, dub. 3, *per tot et præcipue*, § 95. » Hæc Benedictus XIV, *de Synod diœces.*, lib. 13, cap. 22, num. 10, edit. Rom., anni 1755, in fol., pag. 631. Plura habemus etiam in hac causa apud advocatum Pitonium, tom. 3, discept. 58, qui matrimonium illud totis viribus impugnavit.

stetten., *Matrim.*, 9 *febr.* 1732. Inde fuit constare de nullitate prioris matrimonii in casu, de quo agitur : 21 *junii ejusd. anni.*

5. Josepho Bosons, et Eulalia Galambi communi consensu propugnantibus matrimonium inter ipsos initum invalidum esse ; tum quia a muliere adjecta fuerat conditio, quod memoratus Joseph seorsim ab Avia, et Matertera deinceps commoraretur ; tum etiam quia Josephi procurator constitutus ad stipulanda capitula matrimonialia sub conventione dotis in libris 1400. Mandati fines excesserit subscribendo capitula, in quibus dos constituta fuerat in libris 1120, proposito itaque dubio super matrimonii validitate rescriptum fuit, dilata, et scribatur stricte super mandato procuræ : *Barchinonen.*, *Matrim.*, 21 *aug.* 1734 ac inde validum censuit matrimonium S. C , et quoad Josephum constabat de ejus voluntate etiam quoad minorem dotem : 23 *april.* 1735.

6. Mandatum procuræ dedit Francisco Antonio Astimæ Dominicus gesta ad hoc ut matrimonium contraheret cum puella Maria Magdalena Martinenghi, exinde procuratori suo antequam matrimonii celebratio fieret, epistolam misit ; qua eidem injunxit, ut nisi dos antea solveretur, matrimonium nullatenus contraheret, hæc enim expressa conditio per oblivionem a notario omissa in mandato procuræ requirebatur a sponso, qua deficiente nullum præstare consensum ipse declaravit : nihilominus matrimonium absque eo quod dos solveretur, celebratum fuit. Puella virum, quem divitem existimabat, pene pauperem comperiit ; novit vir dotem solutam non fuisse ; graves inde factæ sunt inimicitiæ, quæ nullo modo componi potuere ; supplicavit puella pro declaratione nullitatis matrimonii. Dominicus consensum quam libentissime præstitit. Conjuges non solum nunquam cohabitarunt ; sed nec in eadem civitate permanserunt. Matrimonii defensor epistolam prædictam suspectam habuit, et S. C. censuit non constare de nullitate matrimonii: *Adjacen.*, *Matrim.*, 6 *maii* 1752.

§ III.

Matrimonium quoad consensum ejusdemque renovationem.

1. Difficultate exorta, an posset consensus matrimonialis iterari coram parocho, et testibus, quando contrahentes asserunt medio juramento, se alias coram parocho, et testibus præstitisse, ac proposito dubio : an in conscientia, et absque peccato possent præfati contrahentes coram dicto parocho, et testibus renovare consensum ? responsum fuit negative, et ad mentem [21] *Dubium matr.*, 18 *nov.* 1684.

2. Obtenta dispensatione super affinitatis impedimento ex copula illicita cum sponsæ matre habita per datariam apostolicam ab Amico de Federico, et Beatrice de Luce, exequi non potuit breve, ex quo habita fuerit notitia alius impedimenti criminis, sponsi tamen matrimonium coram parocho, et testibus contraxerunt, ac tres filios procrearunt : in se autem reversi occasione missionum S. C. adierunt, et quum ad primum dubium responsum fuisset, procedendum esse ad executionem brevis datariæ, quæsitum fuit etiam, an consensus coram parocho, et testibus renovari deberet ex quo affinitatis impedimentum erat publicum? S. C. pro renovatione respondit : *Reatina*, 13 *julii* 1725, *dub.* 2.

3. Super anxiis rebus, quæ tenenda esset sententia, Episcopus Chiensis S. Congr. de Propaganda consuluit, aperiens, quod contracto matrimonio juxta Sacr. Concil. Trid. inter Josephum Odiber, et Angelicam Molin, vir nunquam cum uxore cohabitaverat, ac inde discesserat, aliudque matrimonium cum Gætanula Aliprandi in civitate Teni iniit : rediit inde ad civitatem Chiensem, ac novum matrimonium fassus est, asseruit insuper se deceptum in primo matrimonio, adeoque nullum præstasse consensum in actu celebrationis, seque paratum esse Angelicam prorsus deserere : id coram parocho, aliisque testibus fide dignis expressit, hac de causa occulte latet, an stante deficientia interni consensus nullum reputari posset primum matrimonium vel quatenus validum, an concedenda foret dispensatio ? et S. C. respondit ad secretarium cum Sanctissimo juxta mentem [22] : *Chien.*, 12 *martii* 1729.

4. Julia della Corte, et Joseph Calvani coram archipresbytero metropolitanæ ecclesiæ, et parocho regionis S. Scholasticæ verba consensum ad matrimonium ineundum exprimentia protulerunt adstantibus testibus. Disceptatum vero fuit, an de præsenti, vel de futuro matrimonium contrahere voluissent ? et proposito dubio, an constaret de matrimonio contracto ? S. C. respondit dilata, et coadjuventur probationes juxta mentem [23] : *Baren.*,

[21] « Et mens fuit, uti adnotatum invenitur ab R. P. D. Altovito tunc secretario, quod modernus parochus recepta etiam oretenus depositione testium, qui interfuerunt contractui matrimonii, atque recepto ipsorum conjugum juramento super veritate dicti contractus matrimonii, sibique per eosdem conjuges exhibito duplicato litterarum pœnitentiariæ, matrimonium hujusmodi describat in libro. » *In Annot. secret.*, 9 sept. 1724, § 14.

[22] Vide not. 80, verb. *Dispensatio*, § XII.

[23] Injunxit S. C. nova afferri documenta, quæ rem magis planam facere in alterutram partem possent. *Ead. causa*, 20 martii 1734.

Matrim., 29 *aug.* 1733, ac inde rescripsit affirmative, 18 *decem.* 1734, *dub.* 1.

5. Antonia Brescia contendit matrimonium de præsenti initum fuisse inter ipsam, et Dominicum Pellegrinum Sforza coram parocho clandestine tamen : e contra matrimonium tantum de futuro contractum fuisse propugnat Dominicus, qui aliam inde duxerat uxorem. Parochus in sua depositione potius matrimonium de futuro, quam de præsenti contractum fuisse testificatur, e contra vero testes affirmarunt ; proposito dubio super matrimonio prædicto, S. C. respondit, dilata, et examinentur testes formaliter juxta instructionem : *Tranen.*, *Matrim.*, 6 *decem.* 1738 ; completo examine rescriptum fuit constare de matrimonio inter ipsos contracto : 4 *maii* 1743.

6. Marianna Arandiga, et Joseph Rosell coram parocho, et testibus, matrimonium contrahere curarunt : inde vero Joseph nullum matrimonium dixit, ex quo consensum non expressit, quodque subdole ad ineundum conjugium inductus fuit a parentibus Mariannæ. Ex parochi, et testium examine patuit, quod ex gestis ambo sponsi consensum non coactum præstiterunt utrique, quodque non obstantibus objurgationibus testium, et parochi matrimonium contrahere conati fuerint, adeoque S. C. pro validitate rescripsit : *Valentina, Matrim.*, 28 *januar.* 1741.

7. Fraudibus, machinationibusque, quas secretarius ob verecundiam in folio exprimere noluit, contractum fuit matrimonium inter Violantem Josepham Henriquez de Almada, et Ludovicum Franciscum Sanchez de Bæna. Violantes pro declaratione nullitatis matrimonii ob defectum tum interni consensus, tum veri, et proprii parochi deprecatus est S. C., quæ rescripsit dilata, et ad mentem [24] : *Lisbonen.*, *Matrim.*, 16 *febr.* 1748. Deinde respondit constare de nullitate matrimonii : 14 *decem. ejusd. anni*. Instante vero Ludovico pro retractatione judicii rescriptum fuit dilata, et ad mentem [25] : 17 *maii* 1749. Postmodum prævio recessu a decisis non constare de nullitate matrimonii edixit : 24 *januar.* 1750, confirmata 6 *junii ejusd. anni*. Ut definitionem prædictam firmiorem redderet Ludovicus curavit, ut confirmaretur a Summo Pontifice edito brevi, interim vero a Violante comperta fuit apostolica dispensatio contrahendi præfatum matrimonium non obstante impedimento tertii, et quarti gradus simplicis consanguinitatis a san. mem. Clemente XII concessam, e contra vero certior facta fuit de eodem impedimento ex utroque latere, adeoque duplicis prædicti gradus, quod quum expressum non fuisset, nullum ex peritorum consilio putavit matrimonium : idipsum innotuit Ludovico, qui Sanctissimo Domino Nostro defectum præfatum exposuit, postulavitque litteras in forma *perinde ac valere*, ex quo Violantes impedimentum ignoraret, easque obtinuit ; ast obtenta a Violante aperitione oris, proposita denuo fuit causa in S. C. quæ rescripsit dilata, et ad mentem [26] : 2 *aug.* 1755; ac tandem rescriptum fuit litteras apostolicas in forma *perinde ac valere* expeditas servandas non esse ; ita ut standum sit in primo loco, minime vero in secundo, et tertio loco decisis, adeoque nullitas matrimonii declarata fuit : 13 *sept. ejusd. anni* [27].

8. Matrimonium quasi clandestinum celebraturus comes Ludovicus de Vecchis cum Francisca Urbani ejus matris cubicularia coram parocho, et testibus hæc ut retulit parochus, protulit verba : *Sappiate, che io voglio per mia legitima sposa checca Urbani*, et ipsa respondit ; *Io confermo lo stesso*. Hæc familiaria verba esse contendit Ludovicus, nec consensum præseferentia : insuper controversum fuit ; num revera parochus, et testes verba audierint ; proindeque num servata fuerit forma Tridentini quoad parochi, et testium præsentiam ? et

[24] Mens fuit, ut committeretur Nuntio apostolico juxta instructionem. « Instructio autem hæc fuit, ut præviis interrogatoriis dandis ex officio a promotore fiscali illius tribunalis, et dato etiam defensore matrimonii, si nullus ex parte Ludovici Francisci Sanchez de Bæna defensor assisteret, testes a puella Josepha Violante Henriquez de Almada inductos, aliosque forsan inducendos formali examini subjiceret, ceterasque probationes ab utraque parte afferendas formaliter, ac servatis servandis reciperet, necnon processum ita compilatum ad S. C. transmitteret, et ulterius liberam voluntatem supradictæ puellæ explorare, et de ea S. C. certiorare non omitteret tributa in hunc finem eidem Nuntio apostolico facultate illam transferendi, ac collocandi, quatenus opus fuerit, in alio sibi beneviso monasterio. *In Thesaur.*, tom. 17, pag. 64.

[25] Mens fuit, ut Nuntius apostolicus Violantem collocaret in alio monasterio, in quo nullæ essent utriusque partis consanguineæ ibique dictus Nuntius per se ipsum Violantem rogaret de sua voluntate, tum ratione contrahendi matrimonium cum Ludovico Sanchez de Bæna, tum ratione revocationis mandati procuræ antequam matrimonium contraheretur, ut eam certiorem faceret matrimonium contractum fuisse mandato procuræ ab ea integre scripto non folio albo, et tantum ab ea subscripto cum duo ex his foliis subscriptis tantum a Violante, et adhuc albis edita fuerint in actis Sacri Tribunalis a Ludovico ut demum ipse Nuntius apostolicus testes illos audiret, qui de re omni instructi esse possent ; *Ex Thesaur.*, tom. 17, pag. 60.

[26] Mens fuit, ut coram Nuntio apostolico examinarentur testes formaliter, et compulsarentur juxta instructionem : *Ead. causa*, 2 aug. 1755.

[27] Bened. XIV, decretum edidit die 27 sept. 1755, super nullitate prænarrati matrimonii, quod roboravit apostolica auctoritate per constitutionem *Etsi matrimonialis*, die 30 sept. ejusd. anni (*Bull. ejusd.*, tom. IV, pag. 150) emanatam, in qua decretum subnectitur.

S. C. rescripsit denuo examinentur testes formaliter in Urbe juxta instructionem et ad mentem : *Camerinen.*, *seu Fabrianen.*, *Matrim.*, 11 *sept.* 1762, *dub.* 1 et 2. Concordia inter contrahentes inita fuit, et Francisca claustralem vitam elegit, Ludovicus dotem sumptus pro religionis ingressu, ac annuum libellum promisit : expetitum itaque fuit S. C. beneplacitum ad professionem emittendam, et S. C. stetit in decisis sub diebus 11 *sept.* 1762, et 28 *sept.* 1765, ac tandem non constare de matrimonio resolutum fuit : 4 *junii* 1768, confirmata, 17 *sept. ejusd. anni.*

9. Josephus Secundus Vigna coram vicario curato metropolitanæ ecclesiæ annulum ostendens, et Angelam Duffourn indigitans, dixit velle ipsam in uxorem ducere, eamque affirmativam vocem tantum protulisse asserebatur. Parochus statim in sacrarium se recepit : instante vero Josepho, seu potius ejus patre matrimonii nullitas proposita fuit ex defectu consensus puellæ ; testes tamen in matrimonio adhibiti de consensu deposuerunt ; parochus vero nullum a puella audivit verbum : quæsitum itaque fuit, quid verba Josephi, quid puellæ silentium indicet ? et S. C. validum matrimonium dixit : *Taurinen.*, *Matrim.*, 26 *januar.* 1771.

§ IV.

Matrimonium ad contrahendum quando quis adstringi debeat.

1. Delegatus ab Episcopo Vintimili sententiam protulit, quæ Bottonum absolvit a quadam prætentione, quam Luisetta adversus ipsum excitaverat, ex quo sese ab ipso defloratam asserebat sub spe matrimonii, ac ad matrimonium secum contrahendum Bottonum adstringi postulaverat ; ita ut ipse cum Catharina conjugium inire non posset. Re relata ad S. C., resolutum est, Thomam Bottoni non teneri ducere in uxorem Luisettam, sed judicandum esse liberum ad contrahendum cum alia muliere : *Vintimilien.*, *Spons.*, 2 *maii* 1722.

2. Vicarius generalis Majoricensis Antoniam Mariam Massanes condemnavit ad contrahendum matrimonium de præsenti in faciem ecclesiæ cum Matthia Roig. Asserebat Antonia locum non esse coactioni, eo quod in ætate 18 annorum constituta fugam a paterna domo arripuerat associante Roig, ac in sponsalibus contrahendis decepta fuerat, ac insuper odium inter ipsam, et Matthiam supervenisse S. C. validitatem sponsalium agnovit, et coactioni locum non esse, sed tantum esse monendum : *Majoricen.*, *Spons.*, 24 *april.* 1723, *dub.* 2.

3. Barbara Margarita Kreagh Angla vidua relicta a Jacobo Nevetio Cæsariis copiis aggregato matrimonium contraxit coram capellano exercitus prædicti cum Josepho Pompeio Romano absque eo quod nec ipse nec Barbara prædictis copiis pertineret : factis vero inter conjuges dissidiis, postquam de nullitate matrimonii utpote coram proprio parocho non contracti responsum fuerat a S. C., quæsitum etiam fuit : num vir ad contrahendum obligatus foret ; ita ut si fœminam dolo malo ad matrimonium adduxisset, damnum repararet, extante insuper gemina prole ex dicto matrimonio suscepta? et S. C. respondit, dilata et coadjuventur probationes juxta mentem : *Neapolitana*, *Mutrim.*, 19 *sept.* 1733, *dub.* 2.

4. Elias Miloscevich accusatus fuit de stupro cum Anna Vocativo commisso, quæ gravis utero affecta fuit, ac ideo in vinculis conjectus. Judicis laici sententia damnatus fuit ad nuptias contrahendas, vel ad solvendum aureos biscentum, et carcerem per semestre sustinendum : aureos solvit, carceremque passus fuit Elias : inde vero germanus frater Annæ in curia ecclesiastica postulavit, ut Elias ad illam ducendam in matrimonium adigeretur ex causa stupri cum fide matrimonii, ac pro nuptiis sententia prodiit. Elias itaque curiam adiit laicalem, quum stupri crimen mixti esset fori, et arbitrium obtinuit, aut illam sibi copulandi, aut dotandi ; hinc solvit statutos nummos aureos. Deinde dubio in S. C. exhibito, decisum fuit constare de statu libero prædicti Eliæ ad effectum matrimonium contrahendi quod maluerit : *Ragusina*, 28 *april.* 1770, *dub.* 1.

Reliqua. Vide *Sponsalia*, § 1.

§ V.

Matrimonium quoad conversionem conjugatorum.

1. S. C. censuit, si Sanctissimo domino placuerit, dispensationem petitam suscipiendi ordines sacros de consensu uxoris concedendam esse Joanni de Monheron in forma tamen commissaria, verificatis ætate ipsius 62 annorum, et ætate uxoris 58 annorum, quodque ipsa emiserit votum solemne castitatis in manu Archiepiscopi Parisiensis ; et quod ex testimonio ejusdem in dicta uxore cesset omnis incontinentiæ suspicio, et ipse sit benemeritus Sedis apostolicæ ob servitium peractum Sacræ Congregationi de Propaganda fide : *Parisien.*, 6 *maii* 1645.

2. Franciscus Felicini annorum 61 vir Mariæ Petrusini ætatis annorum 65 virginis, assumpto habitu inter patres Minimos S. Francisci de Paula supplicat dispensationem, ut ad minores, et sacros

ordines promoveretur, consentiente muliere. S. C. annuit dummodo votum solemne castitatis mulier in manibus Ordinarii emiserit : *Conversana*, *Dispens.*, 16 *martii* 1675.

3. Quum quædam mulier Lucensis post matrimonium cum quodam viro contractum cum aliis carnale commercium habuisset, postulavit facultatem ingrediendi in monasterium, et in eo professionem regularem emittendi, licet vir in seculo remaneret, S. C. precibus minime annuit. Ex relatione enim Episcopi deprehendebatur, quod oratrix pluribus prostituta fuerat jubente viro; in nova autem relatione dixit Episcopus non subsistere in facto, vel saltem deficere probationes judiciales de lenocinio, quod supponebatur a viro patratum, et S. C. causam in folio describi mandavit; hinc proposito dubio : an oratrici indulgendum sit, ut viro in seculo constante, professionem in monasterio Conversarum emittere valeat, et S. C. affirmative respondit, emisso per virum castitatis voto ; et proinde benigne indulsit oratrici, ut veris existentibus narratis, regularem habitum in monasterio Conversarum civitatis Januæ suscipere in eoque servatis alioquin servandis professionem emittere, pro arbitrio, et prudentia Card. Spinolæ Episcopi Lucensis libere, et licite valeat : *Lucen.*, *Profess.*, 14 *novem.* 1682.

4. Maria Cardenoine matrimonium contraxit cum nobili viro Michaele Despoi, cum quo cohabitavit per plures annos, ac liberos suscepit : post lapsum nonnullorum annorum Michael ingressus est religionem PP. Minimorum, et expleto probationis anno professionem protulit, facto a Maria voto simplici castitatis ; ast Maria Summo Pontifici preces porrexit ad virum vindicandum, ex quo in juvenili ætate constituta se continere non valeat, et quod invita, ac reluctans, adducta fuerit ad consentiendum ingressui viri in religionem, ac ad votum simplex emittendum : preces ad S. C. remissæ fuere, quæ respondit, dilata, et fiant probationes super metu : *Taronen.*, 7 *sept.* 1720.

5. Maria Victoria Fossa uxor Francisci Venatio ita aliorum obscenæ libidini suum corpus addixit, ut instante viro pluries detenta fuerit in magno publico hospitio, in quo impudicæ mulieres custodiri solent. Vir ad cohabitandum redire noluit. Maria Victoria divina favente gratia animo se proposuit ingredi monasterium Conversarum, et in eo professionem regularem emittere. Vir paratus ad consensum præstandum, dotemque restituendam, ac nisi genitores jam senescentes haberet, etiam ipse professionem regularem in aliquo religioso ordine eliceret, facultas igitur prædicta a Maria Victoria petita fuit, licet vir in seculo remaneret : S. C. rescripsit, posse permitti Mariæ Victoriæ, ut monasterium ingrediatur, et in eo professionem regularem emittat, accedente consensu viri canonice præstando, et accedente voto continentiæ ab eodem emittendo donec uxor vixerit : *Januen.*, 2 *maii* 1722.

6. Non constare de nullitate matrimonii initi inter comitissam Franciscam de Troilis, et marchionem Joannem Franciscum Nembrini declaravit congregatio quatuor Cardinalium a Sanctissimo deputata; prout etiam pronunciavit non constare de non consummatione, nec esse locum ingressui in religionem ad effectum professionis emittendæ; optans igitur Nembrini amicabiliter revocare conjugem suam ad maritale consortium, voluit ipsam collocare apud honestam matronam extra monasterii septa ad ipsius placitum potius quam severiora canonum remedia implorare, adeoque scire studuit, quomodo esset providendum? et S. C. respondit ad mentem [28] cum Sanctissimo juxta petita : *Anconitana*, *Matrim.*, 10 *sept.* 1735.

7. Conjuges Franciscus Pignacco, et Anna Maria Gaudecia solemne castitatis votum emittere cupientes dispensationem postularunt : neuter in religionem ingredi poterat tum ob senilem ætatem supra 67, tum ob habituales eorum ægritudines, quibus afficiebantur. Iidem conjuges unicum filium jam uxoratum habebant, et omnes more nobilium vitam ducebant; ideoque seorsim vivere poterant. Episcopus omnia confirmavit ; et S. C. pro dispensatione rescripsit, dummodo habitent in separatis domibus : *Panormitana*, 20 *maii* 1732.

8. Ob viri imbecillitatem consummari non potuit matrimonium initum inter Annibalem Cæsareum, et Annam Elisabeth Scorno, et S. C. constare de matrimonio rato, et non consummato rescripserat : Annibal vero causæ propositionem curaverat, ut religionem approbatam ingredi posset ad effectum in ea profitendi, et id Annibali licere responsum fuit : *Neapolitana, Matrim.*, 11 *april.* 1761, *dub.* 2, confirmata 18 *julii ejusd. anni.*

9. Nicolaus Ruiz de Turre clam matrimonium contraxit cum Elisabeth Ribot disparis conditionis : aliquot mensibus cum uxore vixit, unus filius ex hoc matrimonio natus infans obiit. Nicolaus militiæ adscriptus Africam petere coactus est : uxorem itaque in monasterio reliquit, cui omnia ad vitam necessaria nunquam defuerunt : mulier habitum religiosum indui desideravit, viro consentiente, ac omnia libenter dante : Episcopus de vitæ honestate

[28] Mens fuit, ut Francisca Troili Nembrini collocetur apud honestam matronam de consensu marchionis Joan. Francisci Nembrini ejus viri eligendam : *Lib. Decret.* 85, fol. 339.

mulieris, ac ejus vocatione ad statum religiosum retulit. Episcopus Cadicensis de bonis moribus viri testimonium exaravit, qui quamvis in seculo maneret, paratus tamen erat ad perpetuæ castitatis votum emittendum, immo in manus Episcopi jam expresserat, quatenus Elisabeth in Domino nupsisset : advenerunt novæ probationes de enixo desiderio prædictæ Elisabeth solo pietatis intuitu, ac de non bona valetudine viri, et S. C. respondit: expectet et ad mentem : *Barchinonen.*, 23 *novem.* 1765. Minime sufficiens visa fuerat ætas viri annorum 55 ad vitandum incontinentiæ periculum, elapso biennio in Indias profecturo Nicolao, ubi moram ducturus erat per octo annos computato itinere; preces iterum fudit Elisabeth saltem pro admissione ad tirocinium, professionem dilatura tempore S. C. beneviso, ipsa in ætate annorum 32 metuebat, ne in posterum moniales dissentirent, quæ pro admissione ad tirocinium jam consenserant, et S. C. proposito dubio: an et quomodo liceret Elisabeth religiosum habitum suscipere, et regularem professionem emittere? respondit, pro gratia admissionis ad habitum et novitiatum, et ad professionem non admittatur inconsulta S. C.: 21 *novem.* 1767.

19. Francisca Franzoni matrimonium rite contraxit cum Joanne Baptista Orelli, quo cum per quatuor menses cohabitavit. ortis vero dissidiis inter germanum fratrem Franciscæ, ejusque virum, ad monasterium convolavit, ubi religioni nomen dare declaravit, reclamante tamen viro, qui primum de consummatione deposuit, inde de consummatione quoad seipsum, minime quoad ejus conjugem, deputatæ fuerunt obstetrices, quæ de virginitate Franciscæ retulerunt; efformatusque fuit processus, et Francisca jurejurando declaravit matrimonium consummatum non fuisse; instante itaque Francisca rescriptum fuit non licere professionem emittere : *Comen., Matrim.*, 28 *januar.* 1769.

11. Matrimonium inter Vincentium Confalone marchionem Petinæ, et Catharinam Bajonam initum nullum declarari postularunt conjuges ob viri imbecillitatem; præsertim vero Vincentius de non consummatione declaranda sollicitus fuit, ut religionem approbatam ingredi posset ad effectum in ea profitendi : mulier incorrupta ab obstetricibus renunciata fuit, pariter viri inertia a medicis, et chirurgis recognita, uterque conjux, et septima propinquorum manus de non consummatione deposuerant: sed vir dum anteacto tempore uxorem, quæ ad monasterium convolaverat, repetiit, consummationem fassus fuerat, et S. C. negativum dedit responsum : *Neapolitana, Matr.*, 28 *april.* 1770. Reproposita causa ad instantiam amborum conjugum rescriptum fuit: dilata, et coadjuventur probationes servata forma const. Benedictinæ [29], 28 *sept.* 1771. Confecto autem processu rescriptum fuit, prævio recessu a decisis licere marchioni Vincentio ingredi religionem approbatam, et in ea profiteri, et ad mentem [30] : 18 *julii* 1772, confirmata 19 *sept. ejusd. anni.*

§ VI.

Matrimonium quoad denunciationes.

1. Occasione dubii, an ternæ denunciationes ante matrimonii contractum præmittendæ sint loco sponsalium, quorum nulla fit mentio in decretis Concilii Trid. [31]? censuit, nihil de hac re decretum esse a Trid. Con.: *Dubium anni* 1574, *dub.* 5.

2. Theodorus Bertoncellus de terra Guastaldæ Meridianam Paganellam Romanam in matrimonium ducere cupiens, in ecclesia ter a proprio parocho matrimonium hujusmodi denunciari curavit : his expletis ad matrimonii celebrationem devenire eos prohibuit vicesgerens archipresbyteri quia Romæ denunciatum non fuerat matrimonium, ubi ortum habuit Meridiana, quæ quum vagans non fuerit, ac per octo circiter annos Guastaldæ moram fecerit, una cum sponso supremum adiit tribunal ut absque aliis denunciationibus matrimonium perfici posset, et rescriptum fuit: nihil obstare quominus oratores possint contrahere matrimonium: *Terræ Guastaldi*, 1579.

3. Ad postulatum, an Ordinarius possit ex causa dispensare, ut dum canitur vesper, possint

[29] *Dei Miseratione*, 3 novem. 1741. Benedicti XIV (*Bull. ejusd.*, tom. 1, pag. 36). Vide not. 86, seq : In hac matrimonialium causarum judicia coram quibus, et quo ordine, ac forma peragenda sint, constituitur.

[30] Mens fuit, ut marchionissa Catharina libera non remaneret, nisi post expletum a marchione Vincentio integrum tirocinium, emissamque professionem, idque eidem marchionissæ notificaretur : tom. 51, pag. 141, § *Rescripta Thesaur. Resol.*

[31] Sess. 24, cap. 1, *de Reform. matrim.* ubi legitur « Sacri Lateran. Conc. Innoc. III celebrati vestigiis inhærendo ; præcepit, ut in posterum, antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium parocho tribus continuis diebus festivis in ecclesia inter Missarum solemnia publice denuncietur, inter quos matrimonium sit contrahendum, quibus denunciationibus factis, si nullum legitimum apponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonii in facie ecclesiæ procedatur, Hoc Tridentin. decreto ampliata est decretalis Innocentii III, rel. in cap. 3. *Cum inhibitio de clandestin, desponsat.*, § 1, in qua statuitur, ut matrimonia contrahenda publice in ecclesia denuncientur, competenti termino præfinito, intra quem, qui illa voluerint impedire, impedimentum opponant.

fieri denunciationes diebus tamen festis? posse ex gratia a S. C. respondetur : *Avenionen.*, 25 *octob.* 1586, *dub.* 13.

4. Matrimoniales denunciationes remittere nulli plane inferiori etiam episcopalem jurisdictionem habenti, aut nullius etiam diœcesis existenti licere resolvitur : *Pacen.*, 12 *april.* 1601.

5. Bartholomæus Joannes Titta origine Senogalliensis in matrimonium conjungi desiderans extra locum originis supplicat declarari, an præter fides status liberi, necessario faciendæ sint denunciationes matrimoniales etiam in loco originis, prout prætendit parochus, coram quo matrimonium contrahi debet? et S. C. respondit denunciationes etiam in loco originis esse necessarias : *Senogallien.*, 29 *januar.* 1684.

Denunciationes pro oblatis aliisque mulieribus conservatorii sub instituto S. Claræ Casalis Pentæ terræ S. Severini exeuntibus a dicto conservatorio ut nubere possint, fieri debere in ecclesia parochiali pro tempore habitationis S. C. decrevit : *Salernit.*, *Jur. par.*, 19 *aug.* 1702, *dub.* 7.

7. Joannes Petrus Ferrarius ex oppido S. Agathæ diœcesis Vercellarum matrimonium iniit in faciem ecclesiæ per verba de præsenti cum Anna Maria Pramajori e loco Borzani ejusdem diœcesis, præmissis denunciationibus in ecclesia parochiali memorati oppidi. Omissæ vero fuerunt denunciationes in parochiali Borzani de consilio parochi, qui eas non esse necessarias in loco originis, ex quo Anna Maria moram in dicto oppido per decennium vita sui primi mariti durante traxerat, arbitratus est. Hinc audita S. C. non esse necessarias in loco originis denunciationes constituit : *Vercellen.*, 6 *maii* 1719, *dub.* 1.

8. Felix Dolci ortus in oppido S. Elpidii Firmanæ diœceseos a prima ætate Maceratam venit, ubi domicilium habuit usque ad mensem *junii* 1729. Senogalliam inde se contulit, ac sponsalia iniit cum Victoria de Luca. Protulit testimonium curiæ Maceratensis de ejus libero statu ; at vicarius capitularis voluit, ut etiam de denunciationibus in sua parochia Maceratensi, in qua per 20 annos moram duxerat, expletis doceret ; et S. C., ad quam ille adiit, censuit denunciationes non esse faciendas etiam in dicta parochia : *Senogallien. seu Maceraten.*, *Matrim.*, 3 *april.* 1734.

9. Quum ex privilegio Summ. Pontif. concessum fuisset pluribus populis, ut diebus quibusdam festis audito sacro servilibus vacare possent operibus ratione egestatis, quod privilegium ampliatum inde fuit etiam ad dispensationem audiendi sacrum ; ita tamen ut sanctorum, et solemnitatum officia, et Missæ tam in iisdem abrogatis festis, quam in eorum vigiliis retineri, et sicut antea in quacumque ecclesia celebrari deberent. Dubitavit Episcopus Brunensis, an denunciationes matrimoniorum supradictis diebus, quibus tamen eadem populi frequentia in ecclesia convenire consueverat, expleri possent? et more majorum Sedem apostolicam consuluit, quæ rem commendavit Card. de Zelada, ut rem perpenderet, suamque aperiret sententiam quæ affirmativa fuit judicio, et prudentiæ Episcopi usum remittendo. S. C. respondit scribendum esse Episcopo juxta mentem : *Brunen.*, 17 *junii* 1780.

10. Episcopus Catanæ S. C. quæ omnibus consilia sua dispensat, exposuit, quod is facultatem matrimonio assistendi cuidam sacerdoti tribuerat, qui ab eo poposcit, ut denunciationes præmittere dispensaret, cui petitioni negativum Episcopus retulit responsum ; at sacerdos intellexit, ut matrimonium prius celebraretur, ac inde sponsi donec denunciationes fierent, separati manerent ; et ita factum est, qua de causa incertum est, an matrimonium de quo agitur fuerit validum, et licitum ? *affirmative in omnibus in casu de quo agitur* S. C. respondit : *Cananien.*, *Dub. matrim.*, 20 *jan.* 1798.

§ VII.

Matrimonium filiorum familias, seu invitis parentibus contractum.

1. Non constare S. C. censuit de matrimonii nullitate inter Josephum Coulon, et Gabrielem Arnaud initi, licet ex decreto parlamenti Aquarum-Sextiarum nullum fuerit judicatum, quia contra patrias leges initum fuerat absque genitoris assensu ; ita ut locus non sit matrimonio contrahendo inter dictum Josephum, et Magdalenam Guernardam utero gravem ab ipso redditam, utrisque Romæ præsentibus : *Romana, seu Massilien.*, *in Galliis matrim.*, 17 *novem.* 1708 [32].

2. Thomas del Conte in uxorem ducere cupiens

[32] Vigore Concilii Tridentini, sess. 24, cap. 1, *de Reform.* Qua in re jus canonicum abrogat jus civile, quod parentum consensum necessarium statuit ad vim matrimonii : *Inst. de Nupt in princ.*, l. 2, 10, 11 ff. *de Rit. nupt.*, l. 7, 12, 20. *Cod. de Nupt.* Etsi obstet locus Pauli S. C. *Recept. senten.*, l. 2, tit. 19, num. 2 ; qui etiam ex jure civili valere, inquit, matrimonia, quæ a filiis familias sine parentum consensu contracta sunt. De hoc Pauli loco multæ sunt doctorum virorum Cujacii, Gothofredi, Vinnii, Grotii interpretationes, quas vide apud Antonium Schaintingium *ad eumd. loc.* num. 6. *Jurisprud. vet. ante Justinian.*, t. 1, pag. 300, ed Lip. 1737, et Alexium Symmachum Mazochium *in Dissert. Muscellulæ de Sponsal.*, *et Matrim*, dub. 1, not. 5, pag. 21, edit. Romæ, 1766. Ecclesia autem, cujus tantum ea in re leges sequi debemus, hæc quidem matrimonia inita a filiis fa-

Camillam Manganellam adversam expertus est matrem, germanum fratrem, ceterosque consanguineos ob conditionis disparitatem, ac præsertim quia avus maternus Camillæ per triennium condemnatus fuerat ad opus in portu Liburnii ob quædam parva furta : ast sponsi postquam a vicario generali sub excommunicationis pœna prohibiti fuerant, ne matrimonium contraherent, sese Romam contulerunt, et actibus transmissis, cognitaque causa, responsum fuit matrimonium esse contrahendum : *Florentina, Matrim.*, 12 *januar.* 1726.

§ VIII.

Matrimonium quoad impedimentum dirimens ætatis.

1. Initis sponsalibus cum Francisco Cimino oppidi Coriolani Victoria Spatara gravi morbo languescere cœpit in ætate annorum 9 cum dimidio ; idcirco Franciscus ad tollendam quamcumque suspicionem conjugium contraxit coram parocho, et testibus cum ipsa sponsa in lecto decumbente. Subinde eadem post biduum intacta decessit. Franciscus cupiens in uxorem ducere Hieronymam defunctæ sponsæ sororem reportavit dispensationem super impedimento publicæ honestatis, quæ directa vicario generali fuit. Sed hic plures excitavit difficultates super nullitate matrimonii contracti in ætate mulieris, qua viri potens non erat, et nec malitia suplebat ætatem. S. C. proinde consulta rescripsit, esse coadjuvandas probationes juxta instructionem : *Rossanen, seu Bisinianen., Dispens.*, 16 *novem.* 1715, *dub.* 1.

2. Joseph Jaquinto annorum 13 in tertio consanguinitatis gradu conjunctus Constantiæ Farinæ coram parocho, et testibus per dolum in propria domo adductis, dispensationibus super gradu prohibito, ac ætatis defectu minime obtentis vigore mandati procuræ mulieris nullis testibus muniti, ac tot vitiis referti, ac distinctis characteribus, præsumpsit matrimonium contrahere cum dicta Constantia. De hujus matrimonii validitate non constare S. C. quæsita judicavit : *Casertana, Matrim.*, 27 *febr.* 1717, *dub.* 1.

3. Gerardus Brancaccius in matrimonium ducere cupiens Theresiam Brancacciam, cum qua etiam sponsalia contraxisse asseruit, nullitatem matrimonii inter ipsum, et Matthiam Alexandrum Miroballo initi definiri postulavit a S. C., eo quod in statu impubertatis utriusque conjugis contractum fuit, ut ex supplici libello conjici potuit ; quum contra edictum S. C., nec factum, nec summarium ab ipso exhibitum fuerat. Hinc protelata fuit responsio, et ut fieret processus coram nuntio juxta instructionem mandatum est, addendo ad mentem : *Neapolitana, Matrim.*, 1 *octob.* 1720, *dub.* 1 et 2 [33].

4. Heva Zakorosuscha constituta in ætate annorum novem, mensium sex, et dierum quindecim coram parocho, et testibus nupsit Antonio Radechi. Actum fuit de viribus hujusce matrimonii coram Episcopo Luceoriensi. Hic legitimam ætatem expectandam esse pro renovatione consensus decrevit, et interim mulier in monasterio Slonimensi detrusa fuit. Quum venisset ad ætatem legitimam matrimonii, Heva contradixit, ac nullum fuit matrimonium declaratum. Religiosum itaque induit habitum, ac expleto tirocinio solemniter vota in eodem monasterio emisit. Sed statim infringere professionem tentavit, et a curia Wilnensi, in cujus diœcesi situm est monasterium, contrariam sententiam passa est. Hinc e monasterio fugam arripuit, et cum Antonio sobolem procreavit. Ambo ad Summum Pontificem confugerunt, et congregatio particularis fuit deputata, quæ constare de validitate matrimonii, sed ad cautelam esse consulendum Sanctissimum pro illius convalidatione in radice resolvit, atque hoc decretum ejusdem Pont. Max. Breve sequutum est. Quum autem pateret exposuisse oratores matrimonium ante ingressum in religionem consummatum fuisse et quum pro votorum validitate a monasterio reclamatum esset, causa ad S. C. remissa fuit cum facultate aperitionem oris concedendi ; S. C., nihil de aperitione oris, addendo ad mentem, respondit : *Wilnen., seu Luceorien., Matrim., et Prof.*, 21 *junii* 1732, *dub.* 1.

5. Marianna Malekouska impubes nupsit Theophilo Roxdrazewskio, matrimonio consummato patruus sponsæ causam de nullitate matrimonii ex defectu ætatis excitavit. Officialis Posnanniensis illud nullum declaravit. Marianna inde a perito viro potens judicata, facta ei fuit nubendi facultas. Hæc igitur quum omni conatu Theophilo adhæreret, ac ejus amore flagrans iterum cum ipso legitime matrimonium iniit. Sed elapsis duodecim annis consilio mutato Mariannæ, iterum ab officiali

milias contra reverentiam, qua eos prosequi decet parentes suos, semper detestata est, sed ea tamen rata firma habet. Et apud Gallos defectus consensus patris secundum mentem regum non attingebat contractus substantiam, sed tantum effectus civiles, uti ex Jueninio tradit Mazochius l. c. not. 12, p. 30.

[33] Ceterum eadem causa non fuit amplius postea reproducta in eadem Congr., sed matrimonium suum effectum habuit ; ut ait Ursaya *Eccl. Disc. XVII*, tom. v, part. 2, num. 45, qua disceptatione jura sustinuit in favorem Theresiæ, et Matthiæ Alexandri.

Posnaniensi nullitas matrimonii decisa fuit, ac confirmata non audito Theophilo a Metropolitano Gnesnensi. Appellavit proinde Theophilus ad Sanctam Sedem, et interim Marianna alteri viro se copulavit. Causa in S. C. agitata, validitas matrimonii fuit declarata : *Posnanien.*, *Matrim.*, 4 *maii* 1754. Deinde reproducta : dilata, et ad mentem [34] rescriptum est : 22 *junii ejusd. anni*. Denique in decisis S. C. respondit : 24 *aug. ejusd. anni*. Denuo ex decreto Card. pro-auditoris Sanctissimi ad instantiam mulieris remissa fuit causæ cognitio ad S. C., quæ de voto Rotæ procederet. Rota pro validitate pronunciavit, ac etiam S. C. definitionem confirmavit : 21 *junii* 1760, *dub.* 1; quæ ulteriorem etiam confirmationem promeruit : 23 *aug. ejusd. anni*.

6. Ignatius Leognani Ferramosca dux Alannæ, ut propagationi suæ familiæ consuleret, voluit nuptui tradere Ignatio de Dura duci Collis-Petri Annam Mariam suam filiam, quæ nondum 12 ætatis annum excesserat. Impetrata itaque dispensatione Apostolica super ætate matrimonium fuit celebratum. Biennio expleto nullum dixit matrimonium Anna Maria ex defectu ætatis legitimæ, et quod adhuc virgo permanserat, et ex vi metuque patris, qui exhæreditare eam simulavit, consensum præstiterat. Hinc S. C. consulta, primum instructione missa, ut processus conficeretur, et altera iterum missa instructione ad coadjuvandas probationes, matrimonium nullum esse putavit : *Theatina*, *Matrim.*, 29 *august.* 1772, confirmata 23 *januar.* 1773.

§ IX.

Matrimonium quoad impedimentum dirimens affinitatis.

1. Urbanus del Ciotto, et Navilia Pulsone absque licentia Episcopi propriique parochi coram parocho villæ Picciani extra diœcesim, ubi ambo sese contulerant, in matrimonium sese conjunxerunt. Mulier malæ vitæ inhonestam cum prædicto Urbano habuerat consuetudinem. In dubium venit validitas matrimonii. S. C. quantum spectat ad parochi præsentiam matrimonium validum fuisse, quo vero ad cetera impedimenta Archiepiscopum procedere prout de jure resolvit : *Theatina*, *Validit. matrim.*, 30 *april.* 1661.

2. Exposuit Episcopus contractum fuisse matrimonium de præsenti, et consummatum inter Bartholomæum, et Mariam ; illudque subinde fuisse nullum pronunciatum, quod probatum fuit inter eos intercedere conjunctionem in quarto consanguinitatis gradu, narravit etiam eumdem Bartholomæum velle in uxorem ducere quamdam mulierem cognomine Cavallariam conjunctam cum Maria in tertio consanguitatis gradu, et quæstionem fuisse excitatam, an absque Apostolica dispensatione dictum matrimonium inire posset Bartholomæus cum Cavallaria ? non posse obstante illi tum impedimento publicæ honestatis, tum affinitatis : *Brixien.*, *Matrim.*, 3 *decem.* 1667.

3. Post matrimonium initum inter Franciscum Olympium Palumbellam, et Joannam de Pettarso, Leonarda Antonia de Pettarso soror consobrina dictæ Joannæ aperuit se fuisse defloratam a dicto Francisco. Sed examinata a curia seculare Leonarda testavit cum juramento se esse virginem, vocesque editas fuisse invidas. Inde vero eadem examinata a curia Barensi fuisse defloratam testatur, nec id pandisse ob sævitiam suorum fratrum. Mulier recognita vitiata comperta est, et S. C. re perpensa non constare de impedimento affinitatis sancivit : *Baren.*, *seu Modunien.*, *Matrim.*, 9 *april.* 1701 [35].

4. Inter denunciationes, quæ ad celebrandum rite matrimonium in faciem ecclesiæ a Carolo Romano cum Faustina de Laurentio de more præmittebantur, Theodora sponsi mater produxit in curia episcopali quamdam informem ac simplicem fidem unius occulati testis asserentis eamdem Faustinam olim a Dominico Romano ejusdem Caroli sponsi patre carnaliter fuisse cognitam ; idcirco impedimentum ex illicito coitu proveniens opposuit. S. C. quæsita, mandavit, ut coadjuventur probationes : *Tropien.*, *Matrim.*, 29 *novem.* 1704. Deinde voluit, ut examinentur testes formaliter, et recipiantur informationes super ægreferentia matrimonii : 7 *febr.* 1705. Denique non constare de legitimo impedimento affinitatis censuit, peracto tamen per mulierem juramento non habuisse copulam, nec cum patre, nec cum patruo sponsi : 28 *novem. ejusd. anni*.

5. Comes Angelus Belmesserius in matrimonium jungi exoptat cum Barbara Zambeccaria. Episcopus testimonia status liberi tradere renuit ob bina opposita impedimenta unum sponsaliorum initorum a dicta Barbara cum Petro Sancte ; alterum vero as-

[34] Quum causa ad instantiam Mariannæ reproponi contingat Episcopus auctoritate S. C. adhibitis juris remediis, ac etiam per censuras prædictam Mariannam a prætenso viro Joanne Belcki omnino separari mandet : *Regist. Lit.*, lib. 31, die 22 junii 1754.

[35] Quamquam advocatus Dominicus Ursaya validas putaverit exhibuisse rationes pro sustinenda nullitate, matrimonii impedimento secundi gradus affinitatis, ut videre est : *Discept. Eccl. IX*, tom. 3, part. 2, *per tot.*

sertæ copulæ illicitæ a comite Antonio secundogenito præfati comitis Angeli cum dicta Barbara patratæ. Qua de causa comes Angelus recursum ad S. C. habuit, exposuitque calumniose promotum affinitatis impedimentum, et Petrum Sanctem jam matrimonium cum alia muliere Parmæ contraxisse. At S. C. constare de impedimentis matrimonii deliberavit: *Lunen. Sarzanen., Matrim.*, 17 *novem.* 1708.

6. A meretricio scelere abduci, et in matrimonio certo collocari studentes, Valerius Cota, et Lucia de Gregorio sponsalia de futuro inierunt. Sed Dominicus Antonius Cota frater germanus prædicti Valerii impedimentum affinitatis ex asserta copula illicita inter illum, et dictam Luciam objecit. S. C. tamen non constare de impedimento primi gradus affinitatis arbitrata est: *Lurentina, Matrim.*, 23 *julii* 1707.

7. Non est locus (ita S. C. resolvit) celebrationi matrimonii in faciem ecclesiæ inter comitem Carolum Ignatium Nappium, et Catharinam Casserari infimæ conditionis; sed obstat potius aliquod impedimentum. Nam a curia episcopali præpeditus fuit, tum ob inhonestam conversationem præhabitam cum Maria Magdalena Mondaina, tum quia idem jactaverat eamdem Catharinam ex injusto complexu progenuisse, ac suam filiam esse: *Anconitana, Matrim.*, 6 *aug.* 1712.

8. Post contractum matrimonium a Francisco de Grancisco cum Josepha Brencola servata forma Tridentini, Ferdinandus Francisci pater in curia archiepiscopali Neapolitana significavit nullum fuisse matrimonium; tum quia idem Franciscus rem habuerat cum Lucia Josephæ sorore; tum quia Ignatius Francisci frater ipsam Josepham cognoverat; ac tandem Joannes alter Francisci frater pluries copulam habuerat, cum eadem Josepha; ast re non probata, S. C. non constare de nullitate matrinonii sancivit: *Neapolitana, Matrim.*, 17 *junii* 1719.

9. Dominicus Marzillus de terra Cantalupi matrimonio sibi accepturum promisit Samaritanam Petreccam, quæ uxor fuerat Marci Antonii sui privigni jam defuncti. Actum itaque fuit in S. C. num inter ipsos esset impedimentum vel affinitatis, vel publicæ honestatis? et rescriptum est dilata, et scribant bini theologi [36]: *Bojanen., Matrim.*, 8 *junii* 1720. Inde responsum est ad mentem [37]: 3 *aug. ejusd. anni*. Retulit inde Episcopus jam sponsalia contracta fuisse quodque nisi matrimonium celebraretur, diffamatio ex parte mulieris, egestas ex parte Dominici sequeretur. Hinc dictum est, ad secretarium juxta mentem [38]: 8 *martii* 1721 [39].

10. Tempore, quo matrimonium inter Marcum Antonium de Laurentiis, et Felicem de Sanctis celebrandum indicebatur, nunciatum est, Marcum stuprasse Dianam sororem germanam Felicis; hinc publicationes suspensæ fuerunt, donec impedimentum probaretur; nihilominus sponsi coram parocho institerunt, matrimoniumque celebrarunt. Compilato processu quamplurimæ probationes de stupro illato eductæ fuerunt, verum quum ageretur de re difficilis probationis, et concludentissime probanda, proposito dubio, an constaret de matrinonii nullitate? S. C. non constare respondit: *Ravennaten., Matrim.*, 13 *sept.* 1721.

11. Ex sui animi sententia Joannes Baptista Stephani uxorem habere Claram Celebrini deliberavit. Sed Episcopus ob diffamationem sequutam ex cohabitione Joannis prædicti cum Antonia Claræ genitrice, cum qua copulam habuisse ferebatur, ei contradixit. Ab impedimento ei attributo dispensationem a Sede apostolica hac tamen conditione, quatenus Episcopus super hoc prætenso crimine legitimam probationem non habuisset, assequutus est. Hinc Episcopus exequutioni mandare prædictam noluit, præsertim quoque quia mentio facta non fuerat S. C. decreti, quo dictum matrimonium contrahi non debere jubebatur. Sed quum jam duos filios a Clara suscepisset, vir institit denuo apud

[36] Quatuor theologorum vota adsunt impressa *in Thesauro Resolutionum S. Congr. Concilii*, tom. 1, p. 352, necnon adnotationes Benedicti XIV tunc a secretis S. C. prædictæ, et aliæ adnotationes reperiuntur, tom. 2, pag. 26.

[37] Mens fuit, ut per litteras admoneretur Episcopus Bojanensis, ut videret, an dum adhuc res erat in fieri, ageretur scilicet de matrimonio non contracto, sed contrahendo, Dominicum, et Samaritanam suasionibus avertere posset a contrahendo matrimonio: *In Thesaur.*, tom. 2, pag. 22.

[38] Scilicet, ut non impediatur matrimonium: *in Thesaur.*, tom. 2, pag. 23. Hanc decisionem erudite expendit Bened. XIV: *De Synod. diœces.*, lib. 9, cap. 13, num 2.

[39] Bened. XIV quæstionem expendens, an valide contrahi possit matrimonium inter vitricum, et uxorem privigni, ait, « hujus quæstionis articulo in Sacra Congr. Concilii mature discusso, expensisque rationum momentis, a nobis, qui (ut diximus) ejusdem a secretis eramus, in utramque partem adductis, quæ legi possunt *in Thesaur. Resolut.*, tom. 2, pag. 26, ead. S. C. die 8 martii 1721.

Validum pronunciavit (S. C.) matrimonium inter vitricum, et uxorem privigni contractum. Neque enim ulla habenda fuit ratio prædictarum Constitutionum Synodalium, utpote quæ unice innitebantur juris civilis sanctionibus, jamdiu correctis, atque abrogatis ab Innocentio III, in cit. cap. *Non debet, de Consanguin., et Affinit.* » *De Synod. diœces.*, lib. VII, cap. XXXIX, num. 2, t. XII, pag. 418.

S. C., an de impedimento constaret? et dispensationem esse exequendam servata forma litterarum Apostolicarum statutum est : *Verulana, Matrimonii*, 2 *april.* 1729, *dub.* 1.

12. Inita anno 1732, in pago Turita fuerunt sponsalia inter Franciscum Gianninum fabrum lignarium, et Lucretiam Cantellam. Paulo post Virginia ipsius Lucretiæ mater, quæ prius fuit uxor Bartholomæi Cantelli agricolæ, et post ejus mortem nupsit Angelo Carotio nunc etiam viventi, apud acta episcopalis curiæ, jurejurando interposito, denunciavit, se filiam illam procreasse non ex Bartholomæo priori marito, sed ex Joanne Carotio, cum quo habuit inhonestam consuetudinem, avunculo memorati Francisci Glannini, cum quo Lucretia sponsalia contraxit; proindeque matrimonio inter eos ineundo obstare canonicum impedimentum. At S. C. Franciscum, ac Lucretiam posse matrimonium contrahere resolvit : *Pientina, Matrim.*, 20 *martii* 1734.

13. Octavius Antinori, ut tres filios, quos ex Margarita Scuri susceperat, legitimis restitueret natalibus, impetrata proclamationum dispensatione in proprio palatio coram parocho utriusque contrahentis, et duobus testibus matrimonium celebravit. Id in libro matrimoniorum adnotatum fuit, ac de hoc connubio Episcopus Vestanus unus ex testibus testimonium perhibebat. Nullum vero inter ipsos intercessisse matrimonium Octavii germanus frater ex levibus conjecturis autumabat. Quatenus vero matrimonium celebratum fuisset nullum putavit ex copula habita ab Octavio cum sorore Margaritæ, de quo tamen concludentes probationes non afferebantur. Hæc post Octavii obitum disputata fuere; S. C. autem de matrimonio, ejusque validitate constare edixit : *Matheranen., Matrim.*, 3 *decem* 1735.

14. Post conjuncta sponsalia inter Carolum Ulmi et Hieronymam de Ghilianis, fama in civitate Bobii invaluerat, ut Hieronyma ex damnato coitu inter ejus matrem, et Augustinum Caroli fratrem habito suscepta fuerat. Processu proinde confecto, ex quo cum probationes defecissent, satis non constare de affinitatis impedimento fuit declaratum : *Bobien Matrim.*, 16 *febr.* 1743.

15. Joseph Ximenes uxorem habens alteram duxit uxorem nomine Mariam Seraltam. Hac agnita fraude, nullum, irritumque fuit declaratum hoc matrimonium. Decepta, vitiataque mulier se præbuit Francisco Moreno, qui cum Josepho Ximenes secundo, et tertio consanguinitatis gradu conjunctus est. Franciscus, et Maria sese copulare cupientes, sciscitantur, num absque Apostolica dispensatione possint invicem matrimonium contrahere? Non posse S. C. judicavit : *Valentina, Dispen.*, 15 *april.* 1752.

16. Sponsalibus contractis inter Petrum Jacomini, et Cæciliam Severoli, ac jurejurando firmatis, dum in matrimonium conjungi cupiebant, ex parte curiæ episcopalis canonicum impedimentum appositum fuit, ex quo Cæcilia pravam habuerit consuetudinem cum germano fratre Petri, quos concumbentes quædam ancilla vidisse retulit. Propositum itaque fuit dubium, an constaret de impedimento canonico, seu potius locus esset celebrationi matrimonii? S. C. rescripsit Ordinario qui permittat promulgationes addendo ad menten [40] : *Fulginaten. Matrim.*, 22 *januar.* 1757. Denunciatum fuit matrimonium, et ex plurium testium depositionibus de impedimento constare promotor fiscalis asseruit. Hinc causa reproducta, ut scribatur Episcopo juxta mentem [41] respondit : 17 *sept. ejusd. anni.*

17. Bona fide matrimonium contraxerunt in faciem ecclesiæ servatis servandis Joseph Barone, et Joanna Catharina Bentasta, paucos post dies a contracto matrimonio rumor ortus est eos affinitatis gradu esse conjunctos, prout compertum fuit quarto gradu ipsos detineri. Vir Apostolicam dispensationem obtinere expetivit, mulier vero nullum declarari petiit matrimonium. S. C. protelavit resolutionem, ut coadjuventur probationes, et extrahantur fides baptismatum et matrimoniorum : *Nullius, S. Benigni, Nullit. matrim.*, 14 *januar.* 1758. Hisce adimpletis nullum fuit declaratum matrimonium : 22 *julii* 1758.

18. Vincentius Re stuprum intulit Annæ Ricci; indeque contractis sponsalibus, matrimonium inire ambo postularunt. Advocatus Ricci Annæ pater sese opposuit ob conditionis disparitatem; insuper actum etiam fuit super probatione commercii illiciti inter Annam, et fratrem uterinum Vincentii sequuti, ex quo affinitatis impedimentum oriebatur. Sed S. C. nihil definiit, et ad mentem dixit [42] : *Beneventana, Matrim.*, 15 *april.* 1758. Deinde præcepit, ut scribatur Episcopo viciniori, qui se transferat Beneventum ad explorandam voluntatem Annæ et percontari de asserto impedimento: 23 *sept.*

[40] Mens fuit, ut Episcopus efformet processum, et recipiat testes super impedimento, et transmittat Congreg. et postea causa impedimenti decidetur : *in Thesaur.*, tom. 26, pag. 70.

[41] Mens est, ut Episcopus prohibeat, ne dictum matrimonium inter Petrum Jacomini, et Cæciliam Scruoli contrahatur : *Regist. Lit.*, lib. 31, die 17 sept. 1757.

[42] Mens fuit, ut Archiepiscopus referret, an dicta Anna compleverit ætatem annorum viginti quinque, et de quo tempore, atque an circa ipsam aliqua orta esset per civitatem diffamatio : *in Thesaur.*, tom. 29, pag. 167,

ejusd. anni. Et iterum Episcopo viciniori missæ sunt litteræ urgentiores : 2 *decem. ejusd. anni.* Retulit Episcopus Abellinensis ; et S. C. censuit, Archiepiscopo procedendum ad promulgationes, et ad mentem [43] : 28 *april.* 1759. Tandem absoluto processu in curiis Beneventana, et Neapolitana locum esse exequutioni matrimonii est deliberatum : 20 *sept.* 1760, *dub.* 1.

19. Uxorem assumere cupiens Nicolaus Cucchi Victoriam Novelli a Matthæo patre e domo expulsus fuit. Vulgatum inde a Matthæo canonicum impedimentum est, ut scilicet ipse Magdalenam Victoriæ matrem adulterio polluisset, prout jurejurando Matthæus confirmavit ; utque Nicolaus stuprum intulisset Angelæ Victoriæ sorori, de quo testes tres deposuerunt ; sed juravit Nicolaus se stuprum nullatenus commisisse. Parochus de Angelæ honestate deposuit ; testes viles, et infames, et forsan etiam a Matthæo patre excitati comperti fuere ; adeoque S. C. censuit non constare de canonico impedimento, sed locum esse matrimonii celebrationi : *Æsina, Matrim.*, 22 *julii* 1758, confirmata 2 *sept. ejusd. anni.*

20. Matrimonio contracto inter Dominicum Cruciotti, et Franciscam Guajani, paucis inde revolutis diebus a viro aufugit sponsa, ejusque mater de stupro, et incestu a germano fratre Dominici cum Francisca filia commisso conquesta est, et ob id nullitatem matrimonii probare contendit, verum inprobationibus defecit. Mulier namque amplius inspici non poterat ; testes tantum de auditu a Francisca deponebant, iique vel inquisiti, vel pessimis moribus imbuti, vel consanguinei erant. Aderat tantum Franciscæ confessio, etiam sub sibillorum tormento confirmata, et proposito dubio, an constet de nullitate matrimonii, seu potius sit locus coactioni ? S. C. decisionem protendit, et dixit ad mentem : *Asculana, Matrim* , 4 *junii* 1768.

21. Dum coram ecclesia evulgabatur matrimonium inter Magdalenam Barberini, quam mutua antea connubii ineundi data fide, prægnantem reddit Dominicus Fiani contrahendum, et ipsum Dominicum ; ejus germanus frater Carolus Fiani affinitatis impedimentum opposuit ob illicitam copulam, quam Dominicum habuisse cum Maria Anna Magdalenæ matre, dum adhuc erat innupta, dixit. Testis de auditu in medium prolatus est, ac vilis quædam muliercula deposuit se Mariam Annam ita conspexisse, ut proximum accessum Dominici significaret ; ceterum parochus Lubriani testatus est, se nunquam pravam Mariæ consuetudinem cum Dominico audivisse ; adeoque necessaria deficiente probatione S. C. non constare de impedimento affinitatis firmavit : *Balneoregien., Imped.*, 16 *junii* 1770.

22. Nullum declarari matrimonium conjuges Rosarius Ranieri, et Vincentia Gervasi inter eos contractum postularunt, non solum ex defectu consensus viri, ex impedimento criminis, sed etiam ex impedimento affinitatis contractæ, quia Rosarius cum Rosaria Vincentiæ sorore rem ante matrimonium habuerit. Hinc omnia in S. C. deducta, mandatum est, ut Episcopo juxta instructionem [44] scriberetur : *Mileten., Nullit. matrim.*, 26 *nov.* 1768.

23. Defuncta Maria Theresia Lixson-Noppi fidem nubendi dedit superstes ejus vir Dionysius Collard privignæ Agneti Noppiæ, quam in primis nuptiis ex Joan. Baptista Noppi obita uxor susceperat, eamque carnaliter etiam novit. Hinc ob publicas murmurationes supplicavit parochus Dionysii pro dispensatione super impedimento primi gradus affinitatis lineæ rectæ ; et Episcopo testante de reali, et absoluto tempore matrimonii recurrendi ad S. Sedem oratorum voluntate ac de bona eorum fide, S. C. fuit quæsita pro convaliditate matrimonii præfati, et negativum præbuit responsum, addendo ad mentem : *Leodien., Matrim.*, 28 *maii* 1796, *dub.* 1.

§ X.

Matrimonium quoad impedimentum dirimens cognationis legalis spiritualis [45] et carnalis.

1. S. C. sancivit procuratorem qui nomine alterius suscepit vel ad confirmationem tenuit, non contrahere cognationem sibi sed mandanti : *Nullius*, 15 *mart.* 1631.

[43] Mens fuit, ut in casu alicujus oppositionis Archiepiscopus conficeret processum formalem usque ad sententiam exclusive, et transmitteret ad S. C. : *in eod. Thesaur. ad dictum annum.*

[44] Ut nuperrimos testes, quos in forma minus legali, et probanti conjuges exhibuerunt testes, servatis servandis, et interveniente defensore matrimonii formaliter examinari mandet ; inde exquirat, an criminis, et illicitæ copulæ, recens. atque ad causæ opportunitatem excitatus fuerit rumor, vel constans fuerit, vigueritque etiam tempore prioris matrimonii constantis inter Rosarium, et Xaveriam Gasparro, et quibus ex monumentis habeatur, super quibus novus conficiendus erat processus ; et animi sensum aperte, diserteque aperiat : *Regist. Lit.*, lib. 32, die 26 novem. 1768.

[45] S. Pius V Const. *Cum illius*, 28 novem. 1566, declarat præter personas a Concilio Trid., sess. 24, cap. 2, *de Reform. matrim.* nominatas, hoc est « Inter baptizatum, et illius patrem, et matrem, necnon baptizantem, et baptizatum, baptizatique patrem et matrem, inter suscipientes, et susceptum, susceptique patrem, et matrem » inter alias personas tam ex parte suscipientis, quam baptizantis, et suscepti, nullam aliam dari spiritualem cognationem.

2. Puella statim nata ob imminens mortis periculum fuit domi baptizata. Quumque deinde ad ecclesiam pro explendis solemnitatibus consuetis delata fuerit denuo parochus inscius aquis Baptismi eam lustravit ipsamque Joannes Franciscus Farella e sacro fonte suscepit. Ambiguum hinc fuit, an inter dictum Joannem Franciscum et matrem puellæ ortum fuerit impedimentum cognationis spiritualis, quominus possint inter se matrimonium contrahere? Et responsum negativum datum est: *Murana, Cognat. spirit.*, 13 *april.* 1669.

3. Quum constaret ex libris Baptismatum Aloysium Paci suscepisse de sacro fonte Baptismi Philippum Nicolaum filium Constantiæ Catervi, obscurum fuit, an sit impedimentum cognationis spiritualis inter viduam Constantiam prædictam et Aloysium Paci supradictum, qui inter se conjungere cupiunt, asserentes dictum puerum fuisse in domo ob necessitatem baptisatum? Et S. C. non adesse impedimentum putavit: *Tolentina, Cognat. spir.*, 16 *maii* 1711.

4. Joseph Jaquinto annorum 13 in tertio consanguinitatis gradu conjunctus Constantiæ Farinæ coram parocho et testibus per dolum in propria domo adductis, dispensationibus super gradu prohibito et ætatis defectu minime obtentis, vigore mandati procuræ mulieris nullis testibus muniti, totque vitiis referti ac distinctis characteribus matrimonium contrahere cum ipsa Constantia præsumpsit. Sed S. C. consulta non constare de validitate ejusdem judicavit: *Casertana, Matrim.*, 27 *febr.* 1717, *dub.* 1.

5. Nicolaus de Vito procurator constitutus a Francisco Cotogno suscepit in sacro baptismali fonte Antoniam de Benedicto, quam uxorem assumere volens Nicolaus, ab Ordinario licentiam obtinere non valuit, eo quod putabat Episcopus adesse inter ipsos cognationis spiritualis impedimentum in S. C. delata, dubium exhibitum fuit an impedimentum cognationis spiritualis obstaret Nicolao, quominus matrimonium contrahere valeret cum Antonia? Et negativum latum est responsum: *Theatina, Matrim.*, 13 *sept.* 1721.

6. Publicationes factæ fuerunt, ut Conradus de Martino et Anna Theresia Frisari matrimonium inirent; verum denunciatum fuit impedimentum consanguinitatis ex eo proveniens, quod Conradus esset filius naturalis Nicolaii filii etiam naturalis Florilli Frisari, qui fuit pater Annæ Theresiæ sponsæ. Confectus fuit processus ex quo probari non potuit certa descendentia Conradi. Ipse ut expositus et natus ex genitoribus incertis in baptizatorum libro descriptus fuit; idem de Nicolao compertum est. Theresia enim Vulpicella Conradi mater pluribus copiam sui corporis fecerat ut testes deposuerunt, ita ut testis Joan. Bernardinus Forgia Conradum putaret ex Michaele Forgia ejus fratre. Qua de causa S. C. interrogata non constare de præfato impedimento edixit: *Vigilien., Matrim.*, 23 *julii* 1729, *dub.* 1.

7. Dominicus Antonius Menicacci ex archihospitali S. Spiritus in Saxia urbis infantem Valentinum suscepit eumque alendum propriæ uxori tradidit. Jam in ætate annorum duodecim auctoritate commendatarii ejusdem hospitalis, cui id juris a Summo Pontifice concessum est, in proprium filium adoptavit. Valentino vita functo Dominicus matrimonium inire cupiens cum Angela Bassanelli Valentini uxore, qui quinque filios post se reliquerat, quæsivit, an constaret de impedimento cognationis legalis, quæ ob mortem Valentini dissoluta censebatur? Et S. C. autem constare de impedimento deliberavit: *Hortana, Dispens.*, 25 *sept.* 1734, *dub.* 1.

8. Post contracta sponsalia inter Carolum Ulmi, et Hieronymam de Ghilianis, fama in civitate Bobii invaluerat, quod Hieronyma ex damnato coitu inter ejus matrem et Augustinum Caroli fratrem habito suscepta fuerit. Processu inde confecto, quum probationes deficerent, declaratum fuit satis non constare de impedimento consanguinitatis ad effectum impediendi matrimonium inter sponsos prædictos: *Bobien., Matrim.*, 16 *febr.* 1743.

9. Contracto matrimonio inter Joannem Nicolaum Magliozzi et Magdalenam filiam Francisci quondam Cæsaris servata forma Tridentina ac susceptis inde duobus filiis delatum est ad curiam episcopalem, hos conjuges quarto consanguinitatis gradu esse conjunctos. Separati proinde ambo fuerunt. Vir dispensationem Apostolicam obtinuit, adjecta tamen lege, ut ipsius ac mulieris votum exquireretur consensusque renovaretur. Mulier renuit ac pariter vir nolle ratum matrimonium habere declaravit. Cupiens vero Magdalena alteri viro nubere, postulavit, ut nullum præfatum matrimonium enunciaretur. S. C. primum voluit quod uteretur jure suo coram Ordinario, qui nullitatem decrevit; deinde probato impedimento nullum pariter matrimonium S. C. sustinuit: *Montis Falisci, Nullit. matr.*, 28 *aug.* 1751, confirmata 18 *sept. ejusd. anni.*

10. Matrimonio inito inter Nicolaum Potocki et Mariannam Justinam Dembrowski filiam Stanislai thesaurarii Halicensis post aliquot annos meminit Nicolaus suscepisse Mariannam e sacro fonte, doctusque de nullitate matrimonii ipsam declarari curavit, prout obtinuit ab officiali consistorii Leopoliensis, inde vero a nuntio apostolico, qui novum examen indixit. Nicolaus vero ad S. C. confugit, rescriptumque fuit, dilata, et conficiatur processus juxta decretum nuntiaturæ apostolicæ: *Leopolien., Matrim.*, 30 *junii* 1759. Expleto examine patuit

Mariannam domi aqua baptismali lustratam fuisse, ac Nicolaum cæremoniis tantum uti patrinum adfuisse, adeoque pro validitate responsum fuit: 19 *sept.* 1761.

11. Ex conjugibus Carolo Dominico et Anna Maria Casanova e loco Pignæ ortum habuit Maria Magdalena, quæ baptizata fuit a sacerdote Ludovico Rebando præposito ecclesiæ parochialis dicti loci, compatribus Jacobo Pianavia et Maria Magdalena Guarina. Modo Jacobus in uxorem ducere exoptat dictam Mariam Magdalenam Casanova, contendens se eam non levasse in baptismate, quum illa jam pridie ob imminens mortis periculum domi fuisset baptizata, sed solummodo forsan præsentiam suam præstitisse cæremoniis in ecclesia suppletis, quod ex processu constat. Quæsita S. C. an constaret de cognatione spirituali? Ad secretarium cum Sanctissimo respondit: *Vintimilien., Cognat. spirit.*, 13 *julii* 1782.

§ XI.

Matrimonium quoad impedimentum dirimens criminis.

1. Quum per Ludovicum de Bernard patrem Annæ Mariæ opposita fuisset nullitas matrimonii inter præfatam, et Franciscum Pezenas causa illiciti concubitus inter istum, et Joannam Rey matrem jam defunctam memoratæ Annæ Mariæ sequuti, visum fuit S. C. rescribere, solutis a patre scut. 150 in causam declarandam, præfigatur eidem terminus quatuor mensium ad probandum deducta in supplici libello: *Avenionen., Matrim.*, 16 *febr.* 1704. Deinde nulla ratione adducta præfixus fuit alius terminus duorum mensium ultimus, et peremptorius ad faciendas ultimas probationes: 7 *maii* 1707. Denique constare de validitate affirmavit: 13 *aug. ejusd. anni.*

2. Post sponsalia de futuro inita inter medicum Lazarum Græcum, et puellam Donatam Chirizzi, ad ea impedienda querelam detulit Joan. Camillus Pennetta, quod Lazzarus viventi Lauræ Pennettæ uxori præmortuæ, virulenta medicamina propinasset; ex quibus mors fuit sequuta, ad effectum sibi conjungendi Donatæ, cum qua antea inhonestam consuetudinem habuerat. Vicarius generalis nulla facta recognitione cadaveris processum construxit, ac prosequutionem matrimonii novis sponsis inhibuit. Episcopus processum transmisit, carnale inhibens commercium, quod adhuc durat (ut ipse ait), forsan cum prole. Dicto Pennetta renunciante querelæ S. C. censuit, ex deductis non sustineri inhibitionem vicarii generalis ad effectum ulterius impediendi matrimonium, de quo agitur, et Ordinarius Lyciensis prout de jure contra Pennettam procedat: *Lycien., Spons.*, 26 *januar.* 1709.

3. Medicus Januarius de Vito Francisco matrimonium contrahere clandestine cum vidua Theresia Urbano tentavit, quum parochus ab eorum oculis se opportune substraxisset. Dominicus Januarii pater accusavit mulierem de adulterio stante promissione matrimonii, vivente primo viro dictæ Theresiæ, et ejus subsequuta morte ex propinato a Theresia veneno. Curia episcopalis obstare impedimentum criminis decidit; sed ante sententiam Theresia prætextu gravis morbi advocato parocho coram eo, et testibus matrimonium cum dicto Januario contrahere præsumpsit. In consultationem venit ejusdem validitas, distulit, S. C. resolutionem, ut coadjuventur probationes citatis promotore fiscali, et patre prætensi sponsi: *Bituntina, Matr.*, 29 *januar.* 1718. Deinde constare de validitate resolvit: 2 *julii ejusd. anni.*

4. Joannes Teixcira Sobrado commorans in civitate Ulyssiponis occidentalis stupravit Mariam a Conceptione Colimbriensem, quamquam esset matrimonio junctus cum alia muliere domicilium habente in civitate Bracaræ. Et quum intellexisset inde adulterium a sua uxore commissum fuisse cum alio viro, civitatem petiit Bracaræ, et veritate comperta uxorem occidit. Rediit ad urbem Ulyssiponis et quum matrimonium contrahere cum prædicta Maria cuperet, ei oppositum fuit criminis impedimentum, quod an adesset? fuit S. C. rogata, et quomodo procedendum? rescriptum est, ut Ordinarius procedat prout de jure, et scribatur eidem juxta instructionem [46]: *Ulyssiponen.*, 28 *sept.* 1726, *dub.* 1 et 2.

5. Raymundus Collocola pluries per adulterium polluit Rosam de Caro uxorem Carmeli Malfectoni data fide in matrimonium ducendi post obitum viri. Animam efflavit vir, ac octo inde lapsis annis matrimonium contrahere tentarunt parentibus tamen utriusque sponsi resistentibus, crimenque allegantibus, obtinuerunt a Summo Pontifice dispensationem ab impedimento adulterii adjectis ab oratoribus verbis, *neutro ex sponsis in mortem mariti machi-*

[46] Negotium hoc remisit, ut juxta suam prudentiam curet, an præter sententiam et præter juramentum a viro, et muliere præstitum haberi valeant aliæ præsumptiones, conjecturæ, seu probationes, quæ ostenduñt uxoricidium processisse ex sola causa vindicandi adulterium ab uxore commissum, vel potius an fuerit patratum etiam ut nuberet cum rea, cum qua vivente uxore adulterium commiserat; iisque peractis novis diligentiis prout de jure procedat, permittendo, vel impediendo matrimonium: *Regist. Lit.*, lib. 27, die 28 sept. 1726.

nante. Consanguinei contradictores etiam hoc crimen in sponsos impegerunt, asserentes mortem Carmeli ipsorum opera sequutam fuisse. Episcopus tamen decrevit non constare de impedimento machinationis, et esse exequendum breve apostolicum, ac contrahendum matrimonium sine ulla causa. Re ad S. C. delata ex peritorum testimoniis, aliisque probationibus patuit sponsos insimulati criminis reos dijudicari non posse, ideoque S. C. resolvit non constare de impedimento criminis in terminis oppositi, litterasque apostolicas exequendas esse: *Neapolitana, Imped. crim.*, 26 *martii* 1746.

6. Non solum conjuges Rosarius Ranieri, et Vincentia Gervasi institerunt pro nullitate matrimonii ex defectu consensus ex parte viri minis, et suasionibus eliciti, et ex defectu impedimenti affinitatis, sed etiam ex impedimento criminis, quia Rosarius idem adhuc vivente prima uxore legitima Vincentiam cum promissione futuri matrimonii compresserit. Hinc omnia in S. C. deducta jussum est, ut Episcopo juxta instructionem [47] scribatur: *Mileten.*, *Nullit. matrim.*, 26 *nov.* 1768.

§ XII.

Matrimonium quoad impedimentum dirimens cultus disparitatis.

1. In partibus Russiæ, et Pomeraniæ fere omnes sunt hæretici, quo posito latet, an liceat presbyteris virum catholicum cum hæretica muliere, et e converso in matrimonium conjungere? non licere S. C. judicium fecit: *Gnesnen.*, *febr.* 1590, *dub.* 5.

2. Matrimonium, ut proponitur contractum cum infideli nullum prorsus, atque irritum esse decidilur, ceterum an res ita se habeat Ordinarium diligenter dispicere debere, ac pro legitimatione prolis susceptæ cum N. adeundum S. D. N.: *Dubium*, 26 *sept.* 1623.

3. Negotium de matrimoniis inter catholicos, et hæreticos contrahendis excitavit apostolicum zelum Episcopi Vassionis, et exemplo majorum in rebus dubiis apostolicam Sedem consuluit. At ad S. Congr. S. Officii [48] judicium remissum fuit: *Vassionen.*, *Visit. sacr. Limin.*, 25 *aug.* 1637, *dub.* 7.

4. Catholicus cum hæretica, quæ hæresim abjurare promiserat, matrimonium coram magistratu seculari in loco, ubi Concilium Tridentinum est receptum, et parochus commode haberi, et adire poterat, contraxit, et postea consummavit. Sed mulier ad hæresim abjurandam adduci non potuit, et altero viro nupsit. Interrogata S. C. suum consilium plane explicavit, nullum fuisse matrimonium: *Ruremunden.*, *Matrim.*, 2 *maii* 1676.

5. Quum ageretur de matrimonio contracto inter catholicum, et hæreticam, non tamen coram parocho catholico, qui eo in loco non deerat, ibique decreta Sacri Concilii Tridentini observari solerent; rescriptum est matrimonium nullum esse: *Cedanen.*, 4 *sept.* 1677. Sed *die* 8 *maii* præcesserat rescriptum, ut distinctius informent.

6. Vicarius generalis Card. Archiepiscopi super infrascripta facti specie S. C. oraculum exquirit. Pluribus ab hinc annis Stella Enriquez, mulier Hebræa, et uxor Isaach Pinto, divina afflante gratia catholicam fidem amplexa est, et Mariæ Rosæ nomen accepit, viro in Judaica perfidia relicto. Quo juridice prænonito, an vellet et ipse Christianus fieri, et uxorem conversam sequi; terminoque assignato ad deliberandum elapso, declaratum fuit a judice ecclesiastico, præfati matrimonii vinculum esse omnino dissolvendum; ita ut liceret præfatæ mulieri conversæ ad secunda vota transire; ipsa nihilominus sperans fore aliquando, ut et ipse vir converteretur, semper mansit innupta. E converso vir infidelis in matrimonium duxit Esther neptem ex sorore, una cum qua novissime Baptismi gratiam suscepit, Ferrantis Mariæ nomen assequutus. Quia vero Maria Rosa prima uxor instabat suum sibi virum restitui, vir a secunda uxore statim post baptismum separatus est, et mulier in conservatorio honestarum mulierum degit, donec vel viro restituatur, vel alteri nubat. In re autem tanti ponderis ut rectius, ac tutius procedatur, suum esse existimavit S. C. certiorem reddere a qua semper petentibus responsa emanant: an dictus Ferrantes Maria debeat ad primam uxorem redire, an vero cum secunda perseverare? S. C. censuit referendum Sanctissimo votum ejusdem S. C., scilicet debere Ferrantem ad primam redire: *Florentina*, 1 *julii* 1679. Causaque reproducta articulo iterum ad trutinam revocato, prævia consultatione theologorum, stetit in decisis, teneri scilicet ad primam redire: 13 *april.* 1680.

7. Constantinus Bolli miles Oriundus Dantisco, vulgo *Danzica*, abjurata Lutherana secta indicia clariora præbuit ascendendi ad ecclesiasticam militiam. Putat hic solutum fuisse a vinculo matrimonii contracti cum Lutherana in civitate Gedani sive ob disparitatem cultus religionis, sive quia factus est locus perpetuæ thori separationi ob transitum dictæ mulieris ad alia vota; tamen quoad ejus validitatem patitur difficultas ob probationem facti transitus ad secunda vota, vel ob necessarium judicium ecclesiæ, et an in dicta civitate fuerit Concilium publicatum. S. C. vero nullam cepit resolutionem, mandavitque, ut scribatur officiali Gedani juxta in-

[47] Vide not. 44, præcedentem.

[48] Vide not. 706, verb. *Congregatio*, § VII.

structionem [49]. *Placentina, Ord.*, 27 *junii* 1711, *dub.* 1.

8. A quodam missionario, qui dicitur unicus toleratus pastor in exercitibus Hollandicis, propositis dubiis ob quoddam matrimonium coram ministro lutherano inter catholicam, et lutheranum; an matrimonium coram ministro hæretico validum sit et quatenus? negative.

9. An sit concedenda facultas caute renovandi consensum coram parocho catholico? S. C. ad mentem rescripsit : *Trajecten.*, 22 *novem.* 1721, *dub.* 1 et 2.

10. Georgius d'Ascoli græcus, et catholicus, matrimonium contraxit cum muliere lutherana coram duobus testibus, et prædicante lutherano, militiam agens captivus ab hostibus factus est; post reditum a captivitate tres filios ab uxore progenitos invenit; egit itaque pro dissolutione matrimonii, ac quum ipsa triplex confessa fuisset adulterium, juxta græcorum praxim obtinuit a synodo vinculum matrimonii dissoluti cum facultate transeundi ad alias nuptias, quas volens perficere S. C. oraculum petivit, et hæc respondit, ut scribatur oratorem non posse aliud matrimonium contrahere : *Dubium, Matrim.*, 29 *jan.* 1724 [50].

11. Contracto, et consummato matrimonio inter Hæbreos Abraham scilicet, et Riccam Esther; hæc ad catholicam religionem Florentiæ conversa est, relicto viro, qui post canonicam monitionem suam Judaicam perfidiam non deseruit, et mulier innupta remansit. Abraham autem aliam Hæbream nomine Blancham in matrimonium duxit, et inde ambo ad fidem catholicam converti postularunt, ac si ipsis liceret, etiam in matrimonium perseverare. Quæsitum itaque fuit, an matrimonium in Judaismo contractum inter Riccam, et Abraham adhuc subsisteret? utique responsum est : *Florentina*, 27 *julii* 1726, *dub.* 1.

12. Item S. C. sententia exquisita ab Abraham, an post suam, et Blanchæ conversionem teneretur ipse ad redeundum cum Ricca et Blancham relinquendam? et responsum affirmative fuit datum : *Ibid.*, *dub.* 2.

13. Quod si Ricca ad cohabitandum cum Abraham reluctaret, quærebatur, an cogi ipsa posset ad cohabitandum cum Abraham ad fidem converso? et rescriptum est dilata, et scribant theologi, et canonistæ, et perquirantur exempla [51] et ad mentem [52] : *Ibid.*, *dub.* 3, scribendum juxta instructionem respondit : 29 *martii* 1727.

14. In oppido Hohensulten, quod est in ditione ducis Lotharingiæ, et in diœcesi Wormatiæ ubi religiose Tridentinum servatur, initum fuit coram lutherano ministro matrimonium inter Andream Meen,, et mulierem quamdam, ambos hæreticos; mulier deinde procul absente viro, sobolem ex alio homine, sed catholico, concepit, et cum eo nuptias contrahere cupiens, petiit a S. C. irritum declarari primum conjugium, utpote initum contra præscriptum Sac. Concil. Tridentini in cap. 1, sess. 24, *de Reform. matrim.*, [53] et S. C. assensa est : *Wormatien., Matrim.*, 7 *julii* 1731.

15. Episcopus Ipræ in relatione status suæ ecclesiæ Romanum Pontificem, qui persona Petri episcopatus sumit initium consuluit super matrimoniis in Hollandia coram ministro, et magistratu acatholico contractis, dum alter ex conjugibus ad catholicam fidem conversus petit, an alteri conjugi adhærere possit: præsertim dum pars conversa infirmatur, num sacramentis muniri debeat, nisi promittat in casu reconvalescentiæ a suo conjuge recedere, etiam super iis matrimoniis, quæ celebrantur

[49] Ut S. C. instruat super expositione facti, ac præsertim an dictum matrimonium sequutum fuerit coram ministro acatholico, et non cor. parocho proprio catholico, an in civitate Hedani, et in parochia, ubi degebat præfatus Constantinus, ejusque uxor publicatum fuit S. C. Trid. quoad celebrationem matrimoniorum, et an adsit parochus catholicus : *Regist. Lit.*, lib. 24, die 27 junii 1771.

[50] Bened. XIV, *de Synod. diœces.*, lib. 13, cap. 22, num. 4, hac de causa ait: « Quo tempore nos a secretis eramus Congregationis Concilii, ex parte cujusdam græci catholici propositum fuit dubium, an ipsi permittendum esset, ut secundam uxorem duceret, adhuc prima vivente, quam repudiaverat ex causa adulterii in judicio manifeste probati : impetrata præterea a judicibus facultate, ut novum cum altera matrimonium iniret : Græcorum enim opinio est, quam vel maxime in praxi tuentur, adulterii causa matrimonii vinculum solvi, quantumvis contra definitum fuerit tum in decreto de unione Armenorum, edito a Summo Pontifice Eugenio IV, in publica Concilii Florentini sessione, habita anno 1439, tum in cit., can. 7 Concilii Tridentini *de Sacramento matrimonii*, tum etiam in fidei professione pro Græcis orientalibus stabilita, tum denique in Instructione Clementis VIII, pro Italo-Græcis, quam nos confirmavimus in nostra Constitutione : *Etsi Pastoralis*, quæ est 57, § 8, *Bullarii Nostri*, tom. 1, in quibus omnibus locis solemniter assertum fuit catholicum dogma adversus errorem Græcorum, qui ob adulterium contendunt matrimonii vinculum dirimi, nec satis habent, thori divortium, aut habitationis discidium fieri. »

[51] Vide not. 73, verb. *Dispensatio*, § X.

[52] Vide not. 74, ut supra.

[53] Ubi ita cautum est inter alia: « Qui aliter, quam præsente parocho, vel alio sacerdote, de ipsius parochi, seu ordinarii licentia, et duobus, vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos S. Synodus, ad sic contrahendum omnino inhabiles, reddit, et hujusmodi contractus irritos, et nullos esse decernit, prout eos præsenti decreto irritos facit, et annulat. »

inter catholicum, et hæreticam, vel etiam inter hæreticos, quorum alter ad fidem conversus existat, et matrimonia prædicta celebrata fuerint in iis parochiis, in quibus publicatum fuit edictum sacrum Concil Trid., et S. C. ad mentem [54] rescripsit: *Ipren., Visit. sacr. Liminum*, 17 *aug.* 1737.

16. Marcus Christophorus Burk Augustanæ diœceseos matrimonium contraxit in urbe Ulmæ cum Anna Maria Meyhin lutherana hæresi infecta coram ministro lutherano, non servata forma Tridentini, et pacto insuper inito de prole instituenda in materna hæresi, inde divertit ab uxore sua una cum duabus filiabus, quæ postmodum catholicam susceperunt fidem, causamque nullitatis matrimonii proponi curavit in S. C., quæ, quum ab Anna Maria jura sua, quamvis monita non valuisset, rescripsit: detur resolutio a secretario: *Augustana, Matrim.*, 24 *novem.* 1742.

17. Bartholomæus Dimier calvinista puellam ejusdem sectæ in matrimonio Genevæ habuit, abiit inde, tertium autem post annum Genevam repetiit, invenitque uxorem suam se absente tres filios peperisse. Viri metu mulier fugam arripuit. Inde habita fuit notitia ipsam abjurata hæresi cuidam catholico nupsisse. Bartholomæus itaque aliam Bernensem puellam uxorem ducere cupiens a parentibus impeditus, fugam arripuit cum dicta puella, ac biennio vagus cum ipsa fuit. Tandem Lucernam advenit cum eadem hæresim abjuraturus, cognito vero præcedenti matrimonio Bartholomæi nuntius apostolicus ad Helvetas S. C. consuluit, ut quid de ipso sentiendum esset, decerneret. Narratum fuit, quod Genevæ matrimonia contrahuntur sub lege dissolubilitatis, quatenus mulier adultera comperiatur. Mandavit S. C. scribi nuntio apostolico juxta mentem: *Gebennen.*, 9 *julii* 1746.

18. Dum Episcopus Brixiæ anxio animo erat de validitate baptismi Elisabeth Pegorini jam adultæ, et uxoratæ abhinc an. 29 ei collati ab obstetrice, etiam rem dubiam fecit de matrimonii ejusdem mulieris validitate, et a S. C. quærit examen, an saltem sit consensus renovandus? S. C. firmata baptismi validitate, provisum etiam esse super matrimonii validitate respondit: *Brixien.*, *Dubia baptis. et matrim.*, 17 *decem.* 1796, *dub.* 2.

§ XIII.

Matrimonium quoad impedimentum dirimens erroris.

1. Mortuo Antonio Ferracina, suus filius Joannes fuit collocatus in collegio Patrum Congregationis Somaschæ, qui postea egressus ob contrahendum matrimonium cum Catharina Bellata filia quondam Aloysii civis Veneti, cum dote ducat. 10000, in matrimonium duxit Catharinam Bellottam filiam Aloysii adhuc viventis pauperis, et infimæ conditionis, cum qua per annos duos pacifice dixit. Inde factis nonnullis inter conjuges dissidiis, Joannes errorem detexit, ac preces S. C. porrexit, ut nullitas matrimonii declararetur. Hæc ad patriarcham prout de jure remisit: *Venetiarum, Matrim.*, 18 *junii* 1701.

2. Inito matrimonio inter Carolum Antonium Sanctarellum et Cajetanam Muschinam in ecclesia parochiali S. Nicolai de Incoronatis urbis, suborta inde fuit controversia super illius validitate, eo quod persona viri alia quam esset, supposita mulieri fuisset. S. C. constare de validitate resolvit. Nam detecto prætenso errore adhuc sponsa cum sponso cohabitavit, et cum eo sese immiscuit: *Romana, Matrim.*, 17 *novem.* 1708 [55].

3. Franciscus Xaverius Zedron, et Maria Antonia Mosquera connubio jungi cupientes ob timorem patruelis Francisci obtinuerunt a vicario generali Lucensi dispensationem a denunciationibus, et facultatem contrahendi coram quocumque sacerdote. Matrimonio inito, et comperto a patruele Francisco, quæstionem hic de nullitate instituit: tunc vicarius se deceptum dixit, putans rem fuisse de alio Zedron, qui tamen non Franciscus, sed Joseph Antonius vocabatur; testes, et sacerdotem in vinculis conjecit; propositaque causa in S. C., responsum fuit constare de validitate matrimonii renovato consensu ad cautelam: *Compostellana, seu Lucen., Matrim.*, 19 *sept.* 1744.

4. Clara Szekely ex calvinistis parentibus orta, ac viro calvinistæ nupta, post ejus mortem cum viro catholico nupsit, ac fidem catholicam amplexa est. Mortuo viro, se calvinistam simulans coram Episcopo

[54] Bened. XIV, *de Synod. diœces.*, lib. 6, cap. 6, num. 6, mentem S. C. exponit. Matrimonia inita, vel ineunda in locis Hollandiæ, et Belgii Fœderatorum Ordinum dominio subjecti inter duos conjuges hæreticos sine catholici parochi præsentia valida sunt, et hi ad fidem conversi ne consensum quidem renovare coram parocho catholico debent. Quando matrimonia in iisdem provinciis contrahuntur a viro catholico, aut muliere cum hæretica fœmina, aut viro, sine catholici parochi præsentia, hæc illicita sunt, non irrita. Nam cum conjugum alter tum ratione loci, in quo habitat, tum ratione societatis, in qua vivit exemptus sit a Tridentina lege, exemptio, qua ipse fruitur, alteri parti communicata remanet, propter individuitatem contractus.

[55] Etsi hujusmodi matrimonii nullitatem advocatus Dominicus Ursaya in favorem mulieris pluribus rationibus sustinuerit, ut patet *ex Discept. Eccl. IV*, tom. 4, part. 1, *per tot.*

schismatico abjurata secta calviniana, græcum schisma professa est, ac matrimonium coram parocho græci ritus sacerdote iniit. Re delata ad catholicum Episcopum, propriam simulationem fassa est Clara, et vir errore deceptus nullum putavit matrimonium, ac conjuges sunt separati, et interim Clara cum alio viro catholico novum in faciem Ecclesiæ connubium contraxit. Interrogata S. C. ab Episcopo de validitate primi, vel secundi matrimonii rescripsit ad mentem, *Csanadien.*, 26 *junii* 1745.

5. Joseph Buro negociator matrimonio Mariam Theresiam Kraus viduam Baronis de Leyden sibi accepit. Post filium inde susceptum Maria querelam de nullitate matrimonii in curia Frisingæ exposuit. Dixit enim a viro fuisse deceptam, qui nobilitatem mentitus sese jactaverat ex nobili Gallica Bironia gente coram parocho, et testibus, quibus ipsa ea lege, et conditione matrimonium celebrare, quatenus is esset Joseph, quem præseferebat, aliter nullatenus in matrimonium consensum præstare velle, declaraverat, de hac conditione ipse Joseph fassus est. Verum quod ipse negociator esset, nec Mariam latuit, ut probatum fuit. Actum est, num matrimonium validum esset? et esse validum ex hactenus deductis decisum fuit : *Frisingen.*, *Matrim.* 28 *aug.* 1745.

6. Cosmus Parigi Florentinus uxoratus Smyrnas appulsus utero gravem puellam Magdalenam Gratis spe matrimonii reddidit. Re cognita a consanguineis puellæ Cosmum adegerunt ad sponsalia contrahenda. Suam Cosmus Florentiæ reliquerat uxorem, quæ tamen, post inita a viro suo cum Magdalena sponsalia, obiit. Cosmus de ejus morte notitiam non habuit, et fidem sui liberi status falsam exhibuit, ac solemniter matrimonium contraxit. Inde fugam arripuit Magdalena, Cosmum uxoratum comperiens, alio ritu græco nupsit viro, cum quo plures liberos suscepit, ignorans, an adhuc Cosmus viveret. Sed in S. C. re deducta, quæsitum est, an matrimonium contractum non expectato certo nuntio mortis prioris conjugis validum sit : dilata, et scribat defensor matrimonii, rescriptum est : *Smirnen.*, *Matrim.*, 6 *maii* 1752. Postmodum non constare de nullitate matrimonii a Cosmo, et Magdalena contracti, decrevit : 9 *sept. ejusd. anni.*

7. Denegata jam ante fuerat dispensatio a S. C. Josepho de Guzman ob matrimonium ab ipso contractum cum Anna Ponze de Leon, modo ab eo judicium nullitatis reassumitur, qui renunciaverat, ut dirimatur matrimonium; quum constaret ex duobus processibus mulieris dementia tempore contracti matrimonii. At S. C. de nullitate non constare declaravit. Nam non satis Annæ dementia ex testibus productis tempore initi conjugii probatur, imo nonnulli iteratum ejusdem in morbum lapsum, quod supponit præcedentem mentis sanitatem, asserunt : *Cordub.*, *Nullit. matrim.*, 26 *martii* 1763, *dub.* 1.

§ XIV.

Matrimonium quoad impedimentum dirimens honestatis.

1. Excitata controversia, an textus Trid. sess. 24, cap. 3, *de Reform. matrim.* [56] excludens impedimentum justitiæ publicæ honestatis a sponsalibus nullis, et illud restringens ad primum gradum in sponsalibus validis, procedere etiam in matrimonio de præsenti contractu rato, et non consummato? et S. C. negativum dedit responsum : *Palentina*, *novem.* 1589.

2. Consulta S. C. respondit, ex matrimonio rato non consummato oriri impedimentum justitiæ publicæ honestatis, non autem affinitatis. Idque fortius, et majus vinculum esse, quam justitiæ publicæ honestatis proveniens ex sponsalibus de futuro, ac propterea decretum Concilii Trid. cap. 3. sess. 24, *de Reform. matrim.* esse redactum ad primum impedimentum justitiæ publicæ honestatis, quod oritur ex sponsalibus de futuro, non autem illud quod proficiscitur ex matrimonio rato non consummato, quod in omnibus juris veteris gradibus, et casibus hoc adhuc durat, quemadmodum de jure veteri ante Concilium erat introductum, uti dum S. Pius V, Pont. Max., declaravit Const., quæ incipit *Ad Romanum* edita 1 julii 1568 [57]. Itaque

[56] Ubi legitur « justitiæ publicæ honestatis impedimentum, ubi sponsalia, quacumque ratione valida non erunt, Sancta Synodus prorsus tollit; ubi autem valida fuerint, primum gradum non excedant; quoniam in ulterioribus gradibus jam non potest hujusmodi prohibitio absque dispendio observari. » Quo Trident. decreto non solum correcta est Bonifacii decretalis in cap. unic. *ex Spons.*, tit. *de Spons.*, *et Matrim.* in 6°, in quantum asserit, *ex sponsalibus invalidis oriri impedimentum, dummodo non sint nulla ex defectu consensus*, verum etiam Alexandri in cap. *Ad Audientiam* eod. tit., in quantum ex ejus contextu infertur, sponsalia primo hic inita cum consanguinea, ideoque invalida, inducere, hoc non obstante, impedimentum, quod juxta dicta nunc falsum est. Si vero dictum impedimentum ortum fuerit ex matrimonio, etiam tantum rato, declaratum est a S. Pio V. Const. *Ad Romanum.* 1 julii 1568, extendi usque ad quartum : *Bull.*, tom. 4, part. 3, pag. 18.

[57] *Ad Romanum*, 1 julii 1568 (*Bull. Rom.*, tom. IV, part. 3, pag. 18), declaravit decretum Trident., sess. 24, pag. 3, *de Reform. matrim.* statuens, nullum oriri impedimentum publicæ honestatis, ubi sponsalia non sunt ex quacumque ratione valida, et ubi valida sunt, non excedere primum gradum, et hoc decretum esse intelligendum omnino, et procedere in sponsalibus de futuro dumtaxat, non autem in matrimonio per verba de præsenti, etiam non

oratores indigere dispensatione super dicto impedimento leviori, quam sit impedimentum affinitatis, sed graviori quam impedimentum justitiæ publicæ honestatis, quod oritur ex sponsalibus de futuro : *Valentina*, 15 *sept.* 1605.

3. Declaravit S. C. nullum fuisse matrimonium contractum ab oratore cum sorore germana Victoria, a se prius libidine cognitæ, ob impedimentum primi gradus affinitatis ex illicita copula cum Victoria sorore provenientis. Ex ipso tamen matrimonio utcumque nullo ortum esse impedimentum publicæ honestatis, justitiæ quod non est sublatum decreto Trid. Concil. loquentis tantum de impedimentis publicæ honestatis justitiæ, quod oritur ex sponsalibus de futuro : *Cæsenaten.*, 18 *junii* 1611.

4. Jubente Sum. Pontifice propositum fuit dubium, an sponsalibus valide ab initio contractis, deinde mutuo consensu dissolutis sit sublatum impedimentum publicæ honestatis? S. C. respondit non esse sublatum. Et hanc sententiam Sum. Pont. approbavit, eamque in dubium deinceps non revocari mandavit. Sed quoad conjuges Lucretiam, et Marium Gazium, quorum prima cum Thoma Gazio sponsalia contraxit, et postea dissolvit, Sum. Pont. dubium non fieri decretum, sed per litteras committi Ordinario, ut ad cautelam cum prædictis conjugibus dispenset cum ratihabitatione consensus per seipsos coram confessario præstandi, putavit : *Cervien.*, *seu Ravennaten.*, 6 *julii* 1658.

5. Quum Episcopus retulisset contractum fuisse matrimonium de præsenti, et consummatum inter Bartholomæum et Mariam, illudque subinde fuisse nullum declaratum, ex quo probatum fuit inter eos intercedere conjunctionem in quarto consanguinitatis gradu ; retulit quoque eumdem Bartholomæum velle in matrimonium ducere quamdam mulierem cognomine Cavallariam conjunctam cum Maria in tertio consanguinitatis gradu, et quæstionem excitatam esse an absque Apostolica dispensatione dictum matrimonium contrahere posset Bartholomæus cum Cavallaria? Responsum est non posse obstante illi tum impedimento publicæ honestatis, tum affinitatis : *Brixien.*, *Matrim.*, 3 *decem.* 1667.

6. Inierunt sponsalia Feliciana de Martinis et Joannes Dominicus Tognanus, factisque solitis proclamationibus, frater Joannis opposuit impedimentum publicæ honestatis ratione sponsalium, quæ Feliciana cum eodem fratre Joannis præcedenter contraxerat. Hinc dubium in S. C. fuit examinatum, an constet de asserto impedimento publicæ honestatis vel procedendum sit ad ulteriora in celebratione matrimonii cum Joanne Dominico? Et quatenus affirmative quoad primam partem, et negative quoad secundam.

7. An vigore priorum sponsalium cogi possit Feliciana ad celebrandum matrimonium cum Joachim Tognano? Et S. C. rescripsit, coadjuvandas esse probationes in curia metropolitana præfixo termino trium mensium : *Rixiana*, *Spons.*, 2 *martii* 1697, *dub.* 1, 2. Eo elapso sancivit curiam metropolitanam procedere debere ad coadjuvationem probationum ex officio juxta instructionem [58] : 17 *aug. ejusd. anni*. Deinde de compilato processu et ad Urbem delato, causam S. C. remisit ad Card. præfectum juxta mentem : 7 *junii* 1698. Demum in casu de quo agitur ad primum affirmative quoad primam partem, ad secundum negative decisum est : 20 *sept. ejusd. anni*.

8. Anna Maria Mastrella postquam contraxerat sponsalia cum Antonio Feroccio, alia iniit cum consensu patrui cum Stephano Nellio et semper animum ostendit adversum primis sponsalibus coacte, ut aiebat, instantibus consanguineis contractis. Sed coram parocho et populo repente in ecclesia post Missarum solemnia una cum Nellio dicta Anna Maria voce intelligibili eorum mutuum consensum significavit. Hinc fuit de validitate ejusdem dubitatum, verum S. C. validum fuisse firmavit : *Reatina*, *Matrim.*, 6 *febr.* 1700.

9. Antonius de Christophoro iniit sponsalia cum Catharina Carusio, cum qua prolem habuit. At ob metum patris alia contraxit sponsalia cum Catharina Pascharello. Inde Antonius matrimonium per verba de præsenti cum dicta Carusio, ne infamata remaneret, celebravit. Et Pascharello alia sponsalia contraxit cum Alexandro fratre germano ipsius Antonii, qui perficere connubium exoptantes S. C. adierunt, quæ constare de impedimento publicæ honestatis inter Alexandrum et Catharinam de Pa-

consummato ; sed in hoc durare adhuc impedimentum in omnibus illis casibus, et gradibus, in quibus de jure veteri ante idem Conc. decretum introductum erat. Quod si quæritur, an hactenus dicta de impedimento ex matrimonio rato, valeant etiam quando hoc nullum est, affirmative responditur, dummodo non sit nullum ex defectu consensus. Ratio est, quia ex una parte Tridentinum nihil innovavit circa impedimentum ex matrimonio rato : ex altera S. Pius V declaravit, ab omnibus judicandum, quod illud perseveret, in omnibus iis casibus, et gradibus, quibus jure veteri ante dictum Concili decretum introductum erat. Cum ergo juxta communem DD. sententiam eo tunc ita foret introductum, ut ex matrimonio rato, quantumvis nullo, oriretur impedimentum usque ad quartum gradum, dummodo non esset nullum ex defectu consensus ; ideo etiam nunc id valet.

[58] Prævio nempe examine prædictæ Felicianæ, aliorumque testium informatorum : ***Regist. Lit.***, lib. 22, die 17 aug. 1697.

scharello, ita ut indigeant dispensatione, respondit: *Trivicana, Spons.*, 12 *april.* 1708.

10. Comes Angelus Belmesserius in matrimonium jungi peroptat cum Barbara Zambeccaria Episcopus testimonium status liberi tradere renuit ob bina opposita impedimenta, alterum sponsalium initorum a dicta Barbara cum Petro Sancte; alterum vero assertæ copulæ illicitæ a comite Antonio secundo genito præfati comitis Angeli cum dicta Barbara. Qua de causa comes Angelus recursum ad S. C. habuit, exposuitque calumniose promotum affinitatis impedimentum et Petrum Sanctem jam matrimonium cum alia muliere Parmæ contraxisse. At S. C. constare de impedimentis matrimonii sancivit: *Lunen., Sarzanen., Matrim.*, 17 *novem.* 1708.

11. Dominicus Marzillus de terra Cantaluppi matrimonium contrahere promisit cum Samaritana, quæ uxor fuerat Marci Antonii sui privigni jam defuncti, actum igitur est in S. C., num inter ipsos esset impedimentum vel affinitatis, vel publicæ honestatis? Et rescriptum est, dilata, et scribant bini theologi [59]: *Bojanen., Matrim.*, 8 *junii* 1720. Non duo, sed quatuor theologi scripserunt, ideoque reproposita causa, ad mentem [60] S. C. respondit: 3 *aug. ejusd. anni.* Denique quum retulisset Episcopus jam sponsalia contracta fuisse, quodque nisi matrimonium celebraretur, diffamatio ex parte mulieris, egestas ex parte Dominici sequeretur, S. C. rescripsit ad secretarium juxta mentem [61]: 8 *martii* 1721.

12. Ab Episcopo extra urbem degente pro regula conscientiæ preces datæ fuerunt S. C., ut declararet an impedimentum justitiæ publicæ honestatis oriens ex matrimonio puro, et non conditionato rato, et non consummato, sed nullo non tamen ex defectu consensus, non excedat primum gradum; seu potius extendatur ad quartum juxta Const. S. Pii V? S. C. ad mentem [62] respondit: *Dubium, Matrim.*, 5 *decem.* 1722.

13. Anna Zidovuscki nullitatem matrimonii cum Joanne Zagoborki initi proposuit ex duplici capite; tum quia Joannes sponsalia contraxerat cum matre Annæ, quæ deinde obiit, indeque oriebatur publicæ honestatis impedimentum, tum quia vi metuque ad matrimonium ducta fuerat; S. C. respondit, dilata, et proponatur in prima post Cineres, et ad mentem nempe ut facti species inter partes coram secretario concordaretur: *Gnesnen., Matrim.*, 14 *januar.* 1786, *dub.* 1. Inde causa reproducta, responsum prodiit, dilata et scribatur Episcopo Cracoviensi pro informatione et voto et confectione alterius processus servatis servandis, sumptibus tamen Joannis etiam quoad testes inductos per Annam: 6 *julii* 1787.

14. Joseph Zimenes uxorem habens, iterum nuptias fecit cum Maria Seralta. At agnita fraude nullum irritumque fuit declaratum hoc matrimonium. Decepta vitiataque mulier sese præbuit Francisco Moreno, qui cum Josepho Zimenes secundo et tertio consanguinitatis gradibus conjunctus est. Franciscus et Maria sese copulare cupientes, sciscitanturnum absque Apostolica dispensatione possint invicem matrimonium contrahere? Non posse S. C. existimavit: *Valentina, Dispen.*, 15 *april.* 1752.

§ XV.

Matrimonium quoad impedimentum dirimens impotentiæ coeundi, seu quando est locus experimento triennalis cohabitationis, ac ratum dissolvitur.

1. Alexander Franciscus Sensinus captus amore puellæ Eleonoræ Cimarræ matrimonium cum ea contraxit, sed jurgia et contentiones ob assertam viri impotentiam ac inhabilitatem consummandi matrimonium statim supervenerunt. Mulier proinde in conservatorium collocata fuit, et lis in S. C. fuit agitata. Ad dubium, an sit locus triennali cohabitationi vel potius matrimonii dissolutioni? Rescriptum dilata et ad Card. præfectum juxta mentem [63]: *Romana, Matrim.*, 27 *julii* 1697, *dub.* 1. Deinde iterum ad mentem [64] 11 *januar.* 1698. Demum triennalis cohabitatio statuta fuit: 10 *maii*, confirmata 15 *novem. ejusd. anni* [65].

2. Celebrato matrimonio anno 1679 inter Hieronymam Serram, et Leonardum Cataneum Grillum, ac sequuta cohabitatione per annos 17, tandem unanimi consensu se conjuges a maritali thoro retraxerunt ob frustratam spem coeundi causa impotentiæ viri, qui pati notabilem præputii corrugationem, græce phimosim, recognitus fuit. Id an sit perpetuum impedimentum, aut temporale sive sine mortis discrimine sanabile? disputatur in S. C., quæ rescripsit ad Archiepiscopum præfixo alio termino trium mensium pro terminatione causæ, et ad secretarium ad mentem [66]: *Januen., Matrim.*,

[59] Vide not. 36, præcedentem.

[60] Vide not. 37, ut supra.

[61] Vide not. 38, *ibid.*

[62] Mens S. C. patet ex præcedentibus S. C. Vide not. 57, præcedentem.

[63] Vide not. 13 præcedentem.

[64] Vide not. 14 præcedentem.

[65] Vide not. 15 præcedentem.

[66] Et mens est, ut Archiepiscopus præfigat terminum Leonardo ad declarandum, an velit se subjicere curæ a peritis præscribendæ: *Ibid.*, 23 april. 1771.

5 *junii* 1700. Inde mandavit Archiepiscopo pro electione novorum peritorum ex officio eligendorum, partibus non suspectorum extra tamen dominium Januæ, et qui referant intra tres menses juxta instructionem ab Urbe transmittendam, et quoad expensas litis satis provisum per Archiepiscopum esse sanxit : 21 *maii* 1701. Deinde ut præfigatur terminus duorum mensium Leonardo ad se subjiciendum curæ, quo elapso providebitur, jussit : 28 *julii* 1703. Postmodum voluit ead. S. C. ut eidem assignetur novus terminus unius mensis a die denunciationis ad effectum se subjiciendi curæ dictæ phimosis sub peritis sibi benevisis absque interventu alterius personæ, et transmittatur ad S. C. causæ relatio : 26 *januar.* 1704. Quumque dictus Leonardus demonstraverit, quod curæ, et incisioni phimosis se interim subjecerat, ac phimosi per incisionem avulsa frigiditatis impedimentum non deficiebat; hinc causa reproducta pro electione peritorum ad effectum recognoscendi, ac adhibendi fomenta præfixo termino unius mensis rescribitur : 20 *sept. et* 15 *novem. ejusd. anni* [67]. Præterea periti electi impedimentum perpetuum esse, naturale, ac insanabile affirmarunt, et S. C. dissolutioni matrimonii locum esse credidit : 13 *martii* 1706. Denique petente viro triennalem cohabitationem bis resolutio confirmatur : 12 *febr.*, 9 *april.* 1707.

3. Quum baro Joannes Baptista Piccinnus filius familias, et secundo genitus Annam Bollam in matrimonio habere vehementer cuperet, domum ipsius Annæ clam ingressus eam deosculari curavit. Sed ab ejusdem virginis parentibus de dote constituenda discrepantibus fuit crimine accusatus, et dum a fisco in pœnam capitis, et confiscationis omnium bonorum per edictum poscebatur, folium subscripsit in albo, in quo extenso mandato procuræ inter eos matrimonium contractum fuit. Sed quin connubium consummasset, ad Urbem se contulit pro matrimonio infringendo, quod validum fuit judicatum. Nuper ob contractam ab eo inter peregrinandum luem veneream, ac ad liberandam Annam ab ærumnis arcti conservatorii ambo postulant matrimonii dissolutionem, quam minime admittere S. C. censuit : *Lycien.*, *Dissolut. matrim.*, 7 *febr.* 1705.

4. Rite connubio celebrato Alphonsus Gonzales Barroso cum Maria Hernandes Corbo post quinquennii cohabitationem, consummationem obtinere non valuit. Hinc curia ecclesiastica virum impotentem, ac mulierem virginem esse judicavit; ac nullum matrimonium fuit declaratum. Maria ad secunda vota transivit. Alphonsus vero assumendi uxorem viduam licentiam postulavit, quam a vicario generali assequutus est. Matrimonium itaque cum vidua Catharina Martina Niero iniit, et hac mortua aliam ducere avet. At vicarius generalis de instauratione primi ob beneficium temporis dubitat, et S. C. consulta decidit hic et nunc esse supersedendum a primi matrimonii instauratione, quam a licentia secundum contrahendi, et proponi citata Maria prima uxore : *Abulen.*, *Matrim.*, 9 *april.* 1718, *dub.* 1.

5. Triennio simul cohabitarunt Daniel Giupponi, et Helena Zolli postquam inter eos connubium contractum fuerat, et consummatio facta haud fuit. Hinc Helena nullum matrimonium dixit ex viri impotentia, quam perpetuam, et insanabilem probare operam dedit, cohabitationemque triennalem effugere expetens. Et contra Daniel suam denegans impotentiam cohabitationem petivit, quam a die decreti a judice lati incipere debere ostendit. Negotium ad S. C. relatum est, quæ quoad validitatem matrimonii distulit resolutionem, ac jussit, ut fieret experimentum triennalis cohabitationis, vel alterius brevioris temporis arbitrio S. C. addendo ad mentem [68] : *Ariminen.*, *Nullit. matrimon.*, 16 *martii* 1720. Deinde locum esse cohabitationi pro tempore beneviso S. C. rescribitur : 8 *martii* 1721 [69].

6. Nullum dixit matrimonium baronissa Susanna Rovera de Ternavas quod ipsa post exactum trigesimum viduitatis annum cum equite Fabritio Cacherano in ætate 34 annorum constituto contraxerat. Querelam igitur nullitatis proposuit, tum ex suggestionibus, et suasionibus importunis, tum ex viri sui impotentia. Vir potens dijudicatur est, hujusmodi importunæ suasiones improbatæ fuerunt, et S. C. validitatem matrimonii defendit : *Taurinen.*, *Matrim.*, 13 *sept.* 1721.

7. Post lapsum fere 22 annorum Maria Beatrix de Pedrolla matrimonium destruere contra marchionem Aloysium de Quero virum suum tentavit. Hæc illum esse impotentem asseruit : ille matrimonium consummasse dictitabat. Quæsitum itaque fuit, an esset locus recognitioni viri? S. C. respondit esse locum recognitioni tam viri, quam mulieris juxta instructionem; et eam viri esse explendam inspectis circumstantiis in oppido Matritensi auctoritate nuntii apostolici; et eam mulieris esse explendam in civitate Giennii auctoritate Ordinarii, tanquam delegati S. C. : *Gienn.*, *Nullit. matrim.*, 15 *maii* 1723, *dub.* 1.

[67] Inter sum. precum, relata.

[68] Quæ fuit, ut antecedenter fieret a Daniele experimentum medicamentorum propositorum a doctore de Paulis, et ut probatio medicaminum adhibitorum exhiberetur S. C. ut deinde determinaretur tempus cohabitationis. » Ursaya *Discept. Eccles. XIII*, tom. 4, part. 1, num. 76.

[69] Certavit in hac causa advocatus Dominicus Ursaya, et sua jura exhibet : *Discept. Eccles. XIII*, tom. 1, part. 1, *per tot.*

8. Postulatum itidem fuit, an præfigendus esset terminus viro se subjiciendi eidem recognitioni præfigendum esse terminum quatuor mensium tam viro, quam mulieri computandum a die præsentis decreti, fuit resolutum : *Ibid., dub.* 2.

9. Marchio de Camerana cum Maria Theresia marchionissa de Falces matrimonium contraxit, et nihil intentatum reliquit, ut ad consummationem perveniret, quam unquam assequi potuit. Mulier itaque nullitatis matrimonii causam coram Episcopo introduxit, qui triennalem cohabitationem decrevit. Cœpta fuit nova cohabitatio, ac tribus elapsis mensibus, denuo instructum judicium fuit super nullitate matrimonii. Aderat juramentum utriusque conjugis de non sequuta consummatione, septima propinquorum manus, mulier virgo reperta. Apostolicæ etiam datæ fuerunt litteræ, quibus judici committebatur, ut quatenus ob viri impotentiam intra triennium matrimonium non fuisset consummatum, procederet ad ulteriora, prout de jure et absque alio triennali experimento. Hinc sententia super nullitate connubii prodiit. Appellavit marchio ad Archiepiscopum Toletanum, et quum nulla sententia edita fuisset, mulier ad sanctam Sedem convolavit. Re S. C. remissa, locum esse dissolutioni matrimonii fuit definitum : *Tirasonen., Matrim.*, 2 *octob.* 1723.

10. Angelus Scalzo matrimonium contraxit cum Carmosina Caporale, cui connubii jus non est, et revera paucos post dies pro nullitate matrimonii institit in curia Caputaquensi ob perpetuum impedimentum arctitudinis uxoris cum interpositione ossium, et duritici, ac supereminenti excrescentia carnis, ita ut tentata copula perfici non potuerit. Carmosina suam arctitudinem fassa fuerat. Periti, et obstetrices verum, et perpetuum, ac naturale impedimentum esse retulerunt. Septima propinquorum manus de non sequuta consummatione deposuerat. Defensor tamen matrimonii datus haud est, nec mulieri præfixus terminus ad deducendum jura sua, quum vero vicarius generalis S. C. oraculum requisierit super connubii nullitate, rescriptum fuit, ut Ordinarius procedat prout de jure juxta instructionem : *Marsicen., seu Caputaquen., Matrim.*, 17 *decem.* 1729.

11. Marianna a Turre Rezzonica, postquam spatio decem et octo mensium cum Paulo Antonio Besutio cohabitaverat, dissolutionem matrimonii petivit, eo quod ex viri impotentia nunquam cum ipso consummare matrimonium valuerit. Periti de mandato curiæ deputati de perpetua impotentia retulerunt. Petita proinde est a S. C., vel dissolutio, vel dispensatio ; sed scribendum Card. Archiepiscopo juxta instructionem respondit: *Mediolanen., Matrim.*, 12 *febr.* 1729.

12. Comes Gaspar Casati, postquam cum comitissa Eleonora Busca spatio unius anni permanserat, ut opus conjugii perficeret, assequi, quod optarat, non potuit. Eleonora itaque pro dissolutione institit ob viri impotentiam, quam vir constantissime usque ad exitum causæ denegavit, quamvis non consummasse matrimonium fassus fuerit. Periti confidentes mulieris, et alii ex officio deputati de impotentia retulerunt, ast non consenserunt confidentes viri. Proposita igitur causa pro dissolutione matrimonii, protelata fuit definitio, ut scribatur Card. Archiepiscopo juxta instructionem : *Mediolanen., Diss. matrim.*, 21 *april.* 1731. Novæ recognitioni corporis vir subjicere renuit, et S. C. rescripsit in decretis, et Card. Archiepiscopus cogat juris remediis : 12 *januar.* 1732. Dictus comes mandatis non exhausit, et mulier preces iteravit, et rescriptum tulit, ut scribatur Card. Archiepiscopo juxta instructionem : 8 *martii ejusd. anni.* Retulit Episcopus justas sibi videri causas postulatæ dissolutionis, comitem jurejurando, et septem propinquos matrimonium nunquam consummatum fuisse asseverasse ; omissa itaque responsione quoad matrimonii dissolutionem pro dispensatione rescripsit S. C., salvis tamen juribus comitissæ quoad restitutionem dotis, aliorumque ejus creditorum, et expensarum litis prout de jure : 24 *maii* 1732.

13. Lucretia Riccardi paucis mensibus cum Severino Gregoretti viro suo cohabitavit, quum vero matrimonium consummare nequiverit, ex viri impotentia, ut ipsa deposuit, matrimonii dissolutionem postulavit. Vir vero sub juramento asseruit matrimonii consummationem sequutam fuisse. Quapropter saltem experimentum triennale efflagitavit ; hisce in casibus viro potius credendum, quam mulieri, S. C. prædicto experimento triennali, et ad secretarium juxta mentem rescripsit : *Sancti Severini, Matrim.*, 11 *januar.* 1738. Severinus solemniter prædictæ cohabitationi renunciavit, consensum præstitit pro dissolutione, vel dispensatione, ac declarationem de consummatione a se juxta propriam credulitatem factam fuisse affirmavit ; novus processus proinde confectus est, mulier ab obstetricibus intacta reperta, periti de viri naturali, et perpetua impotentia judicium tulerunt ; hinc causa reproducta, responsum est : Episcopus cogat etiam per censuras ad cohabitationem pro tempore arbitrio S. C. : 24 *sept.* 1740. Inde censuit esse locum dissolutioni matrimonii : 2 *junii* 1742, confirmata 23 *ejud. mensis, et anni.*

14. Joan. Andreas ab Auria tunc comes Lodani inde princeps Melphii in matrimonium duxit Theresiam ab Auria filiam ducis Thursiæ, cum qua decem circiter annos cohabitavit. Inde Theresia postulavit declarari dissolutionem connubii rati, et

non consummati, quod metu reverentiali erga patrem matrimonium contraxit, et quod viri impotentia adsit. Hinc requisita extrajudicialiter ab Archiepiscopo informatione, protelavit S. C. resolutionem, ut conficiatur processus juxta instructionem per judicem subdelegandum a Card. præfecto, et fiat recognitio corporum mulieris Romæ, viri autem in loco designando ab eodem Card. juxta mentem cum præfixione termini duorum mensium dicto viro ad se subjiciendum præfatæ recognitioni computandi a die faciendi decreti, et in reliquis ad eumdem Card. præfectum cum facultatibus necessariis, et opportunis: *Januen.*, *Matrim.*, 10 *maii* 1738, *dub.* 1. Inde rescriptum est ad mentem: 22 *aug.* 1739. Demum S. C. prævia consultatione Sanctissimi ab hujusmodi matrimonio rato dispensationem indulsit: 14 *januar.* 1741.

15. Pilippus Bonaventura patritius romanus, et Anna Victoria Uffreducci nobilis Fanensis matrimonium celebrarunt. Doluerunt ambo postmodum de inutili cohabitatione ob viri impotentiam, preces itaque porrexerunt, ut S. C. vel per viam gratiæ, vel per viam justitiæ ipsis consuleret. Efformatus proinde fuit processus, datusque matrimonii defensor, ac causa proposita super dissolutione, vel dispensatione matrimonii rati, et non consummati, S. C. voluit esse locum dissolutioni matrimonii ex causa naturalis, et perpetuæ impotentiæ viri: *Romana*, *Matrim.*, 2 *aug.* 1738.

16. Dissolutionem matrimonii initi inter viduum Adam Ramockium, et viduam Barbaram Rymassowskia efflagitavit mulier ex impotentia viri. Ex prioris uxoris querelis probatum fuit Adam nec cum ipsa matrimonium consummasse, idipsum juramento affirmavit eadem Barbara, et corporis viri recognitione patuit defectus hastæ virilis, quam ad evadendum morbum misere amiserat. Hinc primum S. C. protendit decisionem, ut coadjuventur probationes: *Placen.*, *Nullit. matrim.* 11 *januar.* 1744. Deinde dissolutionem prædictam denegavit: 3 *april.* 1745.

17. Contracto matrimonio inter Liviam Mariam Gentilem, et Laurentium centurionem nobiles Januenses spatio mensium duodeviginti circiter in lecti societate fuerunt, sed inutilem eam agnoscentes, deficiente individua corporum conjunctione supplicarunt pro dispensatione matrimonii rati, et non consummati, quam eis denegavit S. C.; modo Livia connubii solutionem ob viri imbecillitatem petit, et locum esse triennali cohabitationi responsum refert: *Januen.*, *Matrim.*, 28 *maii* 1746. Quum inde noluerit vir decreto acquiescere, nisi cohabitatio in urbe expleretur, ubi domicilium elegit, mulier denuo preces instaurat pro dissolutione desperatum videns opus conjunctionis, et S. C rescripsit, compellendum esse Laurentium centurioni ad cohabitationem triennalem per censuras: 3 *aug.* 1748. Denique adhuc viro renuente mandatis obtemperare, decisum est non esse dissolutioni locum: 23 *aug.* 1749.

18. Lavinia Cardoli usque ab anno 1740 nupta Philippo Racani, fatente viro suam imbecillitatem, querimoniam nullitatis proposuit. Deputati fuerunt periti, prius vir reluctavit, tandem corporis recognitioni sese subjecit; ac inhabilis dijudicatus est, quamvis patens vitium non appareret. Judex itaque nullitatem matrimonii definivit. Sed S. C. triennali cohabitationi locum esse rescripsit: *Narnien.*, *Matrim.*, 27 *aug.* 1746. Absoluto experimento triennali Lavinia adhuc virgo permansit, et decretum est, ut fieret recognitio corporis mulieris per obstetrices deputandas ab Episcopo: 14 *martii* 1750. Inspecta Lavinia, virgo ab obstetricibus fuit renunciata, et S. C. dissolutionem conjugii admisit: 20 *junii ejusd. anni.* Causa inde reproducta protelata est decisio, et ut scribat defensor matrimonii mandatum est: 11 *julii ejusd. anni.* Tandem resolutio emanata, fuit confirmata: 1 *aug. ejusd. anni.*

19. Statim ac matrimonium celebratum fuerit inter Hieronymum Tozzi advocatum consistorialem, et marchionissam Luitgardam Andosillam. Hæc de viri sui inertia conquesta est. Adhibita fuerunt a viro opportuna remedia, sed incassum. Duobus igitur et ultra elapsis annis a connubio inito ambo dissolutionem rogarunt. Confecto processu probata per peritos fuit perpetua, ac insanabilis viri impotentia, ac mulieris virginitas, accedente conjugum juramento; septima quoque propinquorum manu, judexque ecclesiasticus locum esse dissolutioni matrimonii declaravit, facta potestate Luitgardæ ad alias nuptias transeundi, interdicta eadem tamen Hieronymo, ac reportata dispensatione a Summo Pontifice ab experimento triennali. Causa inde ad S. C. delata, locum esse dissolutioni matrimonii S. C. judicavit: *Romana*, *Matrim.*, 13 *jan.* 1753, confirmata, 3 *febr. ejusd. anni.*

20. Comes Antonius Genovini a baronissa Flaminia Cornacchia uxore sua de impotentia ad consummationem matrimonii paucis diebus antea contracti accusatus est. Verum, quum ex peritorum inspectione certa impotentiæ signa haud paterent, imo potentia ipsa adstrueretur, esse locum cohabitationi triennali S. C. definivit: *Amalphitana*, *Matrim.*, 30 *april.* 1757, confirmata 9 *julii ejusd. anni.*

21. Cleopatra filia comitis Julii de Monte Veteri nupsit Lelio Rinalducci. Annum fecerunt ambo summa animorum consensione; dissidiis deinde exortis Lelius Romam perrexit; Cleopatra vero preces obtulit, ut connubium disolveretur ex capite

impotentiæ viri. Periti deputati de viri aptitudine retulerunt; et S. C. non esse locum dissolutioni matrimonii rescripsit: *Fanen., Matrim.*, 10 *febr.* 1759.

22. Comitissa Paula Avezzani post viginti duobus annis a matrimonio inito cum comite Brolea Antonio Bradolini, ipsum inertem ad opus conjugii dixit, dissolutionemque matrimonii efflagitavit. Plerique ex peritis virum habilem renunciarunt, et ipse habilitatis indicia expressit; fassus tamen est nunquam cum uxore sua matrimonium ex quadam aversione concepta consummasse. De virginitate mulieris non constabat. Decretum itaque fuit, non esse locum dissolutioni matrimonii: *Forolivien., Diss. matrim.*, 8 *aug.* 1761.

23. Clara Cesarini Spoletana, querelam nullitatis matrimonii ob Augustini Sciamanna interamnæ viri sui impotentiam, cum quo quatuor jam mensibus cohabitaverat, exposuit. Claræ instantia ad suum judicem Ordinarium, Episcopum nempe Spoletanum, remissa fuit, qui servata forma notissimæ Constitutionis triennale experimentum mandavit. Hoc nondum completo, iterum Clara matrimonii dissolutionem cum dispensatione ulterioris inutilis cohabitationis postulavit. Periti de perpetua viri impotentia retulerunt, quanquam nullum vitium externum appareret. Adfuit utriusque conjugis septima propinquorum manus. Episcopus itaque pro dissolutione sententiam tulit, sed quum periti extrajudicialiter deputati fuerint S. C. ad dubium exhibitum, faciendam esse recognitionem corporis viri per peritos judiciales in Urbe juxta instructionem [70] secretarii respondit: *Spoletana, Diss. matrim.*, 27 *martii* 1762. Quatuor periti de impotentia perpetua retulerunt, et dissolutio decreta fuit: 3 *julii ejusdem anni*, confirmata 14 *ejusd. mensis et anni.*

24. Uxorem adinvenire Ignatius Rubio ob vulgatam suæ impotentiæ famam non valebat; tandem extra patrium solum duxit in matrimonium Vincentiam Navarro, nunquam tamen ad consummationem cum ipsa pervenit. Conquesta est mulier de imbecillitate viri, et nullitatem matrimonii in judicio experiri tentavit. Recognitio corporis viri vitium ostendit; nec opes medicaminum signa potentiæ excitavit. Quapropter impedimentum temporale, et sanabile dijudicatum fuit. Curia itaque episcopalis triennale experimentum præscripsit. Vincentia autem S. C. adiit, a qua eadem cohabitatio firmata fuit: *Valentina, Nullit. matrim.*, 24 *aug.* 1754. Expleto triennio, expleta non fuit consummatio; hinc dubio proposito, dilata, et scribatur Archiepiscopo juxta instructionem [71] rescriptum est: 24 *martii* 1764.

25. Matrimonium nunquam conjuges Paulus Peccatorius Reatinus, et Eleonora Gamam de Castro Romana, ut ipsi asseruerunt, consummarunt. Mulier de viri impotentia, vir de uxoris odio, et indignatione querimoniam habuit. Hic quippe aliam uxorem cum prole susceperat, nec patens vitium in ipso dignosci potuit. Actum igitur quum fuisset de hujus matrimonii dissolutione, S. C. respondit locum non esse dissolutioni, addendo ad Card. præfectum ad mentem; *Romana, seu Reatina, Nullit. matrim.*, 1 *febr.* 1766.

26. Post annum a contractis nuptiis inter Blasium Torre, et Fulviam Ceciliam Sinibaldi, maritale thorum Fulvia reliquit de impotentia virum accusans. Processu confecto ad formam Constitutionis Benedictinæ, accedente etiam utriusque conjugis juramento de non consummatione, sententia prodiit pro dissolutione connubii. Sed causa ad S. C. vocata, hæc censuit protelari responsionem, ut fieret recognitio corporis viri juxta instructionem secretarii: *Lucana, Nullit. matrim.*, 19 *julii* 1766. In dicta recognitione nullum exterius patens vitium compertum est, et locum esse cohabitationi triennali putavit: 12 *decem.* 1767. Hac absoluta, sed inchoata a die initi connubii, et causa reproducta, dilata et prosequatur experimentum per alium annum S. C. dixit: 4 *maii* 1771. Verum quum mulier plura deduxisset, quæ vir attentaverat, et quæ verecundiam afferunt, locum esse dissolutioni matrimonii statutum est: 28 *sept. ejusd. anni*, confirmata 23 *novem. ejusd. anni*

27. Matrimonio inito inter Joannem Baptistam Doria Dulcis-Aquæ, et Mariam Theresiam Buonaroti, post semestrem cohabitationis vir impotens ad consummationem matrimonii repertus est. Ambo igitur querelam de nullitate coram vicario capitulari instituere cogitarunt; sed compilato processu ad

[70] Quæ fuit, ut brevem terminum præfigat Augustino Antonio Sciamanna ad sollicite accedendum ad Urbem ad petitum effectum: *Regist. Lit.*, lib. 32, die 27 martii 1762.

[71] Instructio fuit, ut juris remediis conjuges ad triennalis cohabitationis complementum cogas, et præcipue virum adamussim impleat, quæ medici præcipient, moneasque ejusdem conjuges stimulo conscientiæ, et quatenus opus sit minis censurarum, et cum individua vitæ consuetudine ea faciant, quæ ad effectum de quo agitur, eaque ut supra tibi constiterint sine fraude, et dolo peracta esse, instante tunc muliere eam per obstetrices quo magis fieri peritiores, recognosci facias, easque jurato examini judiciali subjicias, aliasque cautelas adhibeas non prætermisso balneo, quæ in ejusmodi rebus secundum juris, et praxis regulas adhiberi solent, ut veritas de non consummato matrimonio certissime pateat; processum ita compilatum ad S. C. Concilii transmittas: *Regist. Lit.*, lib. 32, die 24 martii 1764.

formam Benedictinæ Constitutionis S. C. rescripsit, dilata, et circumscriptis omnibus gestis coram vicario Sospelli, idem vicarius procedat ex integro ad formam prædictæ Constitutionis : *Januen., seu Albintimilien., Nullit. matrim.*, 27 *febr.* 1768. Confecto igitur novo processu, quamvis ageretur de viro sexagenario, qui potentiam nunquam habuerat, nec medelis excitare posset, nullum tamen patens vitium cernitur; hinc decreta fuit triennalis cohabitatio : 16 *sept.* 1769.

28. Post sexennium a contracto matrimonio Maria Margarita Anna a conturbernio Gabrielis Fautrier deseruit, et in piam domum se recepit, nullum esse connubium ex viri impotentia asserens. Juravit eadem nunquam fuisse matrimonium consummatum, quod a septima propinquorum manu fuit confirmatum. Gabriel e contra pluries matrimonium consummasse juramento affirmavit. Ex utriusque corporis recognitione patens vitium compertum haud fuit; ideoque pro triennali cohabitatione sententia lata fuit a curia episcopali, a qua appellavit Maria Margarita; et proposito dubio in S. C. super dissolutione matrimonii, non esse locum datum est responsum : *Asten., Matrim.*, 30 *martii* 1776. Deinde causa reproducta, dilata, et scribatur Episcopo juxta instructionem exarandam per secretarium, rescribitur : 18 *maii ejusd. anni*. Denique quum mulier experimento triennali sese subjicere noluisset, confirmatur decisio : 1 *martii* 1777.

29. Celebrato matrimonio inter Antonium Casabianchi, et Catharinam Cipolli paucis elapsis mensibus institerunt ambo in curia episcopali pro dissolutione matrimonii causa perpetui, et naturalis impedimenti mulieris juxta etiam peritorum relationem. Iidem voti compotes effecti fuere, prout etiam a metropolitana curia confirmata fuit matrimonii dissolutio. Aliquot elapsis annis Catharina viro potens effecta est, damnatis, extraordinariisque mediis adhibitis ; hinc postulavit facultatem contrahendi matrimonium ; actum igitur fuit de nullitate connubii initi cum Antonio, et pro validitate S. C. rescripsit ; *Massanen., Matrim.*, 24 *jan.* 1778, *dub.* 1.

30. Inde ad quæsitum, an Catharina contrahere aliud matrimonium posset? negativum emanavit a S. C. responsum : *Ibid., dub.* 3.

31. Matrimonio contracto inter rusticas, ac ignaras personas, videlicet Jacobum Freschi, et Juliam Ferrari, quamvis illud consummare nunquam potuerint, bona tamen fide duodecim annorum spatio simul cohabitarunt Moniti tamen de nullitate invicem separati fuerunt. Mulier a peritis recognita fuit impotens ad generationem renunciata, licet bis incisionem passa fuerit. Efformato processu in causæ propositione animadversum est, quod nec vir, nec uxor formaliter examinati fuerint; quod impotentia a peritis declarata fuerit non quoad copulam, sed quoad generationem. Et S. C. re perpensa distulit decretum, et scribi Episcopo juxta instructionem[72] mandat : *Placentina, Nullit. matrim.*, 15 *maii* 1779.

32. Marchio Paulus Franciscus Spinula cum marchionissa Maria Brignole matrimonium contraxit. Tribus annis, et fere duobus mensibus in cohabitatione consumptis, querelam nullitatis matrimonii ob viri impotentiam in curia archiepiscopali Januensi Maria proposuit. Vicarius generalis recognitionem corporum decrevit. Vir noluit experimento subjacere; et judex pronuntiavit pro cohabitatione. Sed Maria ab hac sententia appellavit, et corporum inspectionem quæsivit. Virginitas apparuit mulieris, vir mandatis haud obtemperavit ; et ad dubium propositum, an constet de nullitate matrimonii? responsum fuit *provisum in secundo*[73] : *Januen., Matrim.*, 16 *aug.* 1783, *dub.* 1, confirmata 6 *septem. ejusd. anni*.

33. Soluto hinc primo matrimonio, secundas marchio contraxit nuptias cum marchionissa Maria Hieronyma Mari, sed inutili pariter conatu per sexennium cum ea certavit. Mulier inde ab eo divertit, et judicium super nullitate matrimonii tentavit; S. C. primum rescripsit, dilata, et ad secretarium pro explendo examine marchionis Pauli Spinula, et præfixione termini unius mensis ad recognitionem corporis ejusdem marchionis, qua peracta fiat nova recognitio corporis marchionissæ Hieronymæ Mari juxta instructionem dandam a secretario cum omnibus facultatibus necessariis, et opportunis, etiam pro deputatione peritorum : *Ead. causa*, 20 *julii* 1793, *dub.* 1. Deinde nullitatem matrimonii definivit : 25 *januar.* 1794, confirmata 15 *martii ejusd. anni*.

34. Comes Julius Bussi matrimonium iniit cum nobili puella Gentile Montogli, ad consummationem tamen pervenire non potuit. Signa autem ejusdem viri impotentiæ certa dignosci non potuerunt, nec satis constabat, an vir, vel mulier impotens esset.

[72] Præscribitur Episcopo, ut in compilatione processus servetur Constitutio Benedictina, fiat recognitio corporis mulieris per duas obstetrices, duos peritos medicos, duosque chirurgos ope balnei tepentis aquæ, methodusque traditur, inde examinandi peritos et obstetrices, qui omnes referant de virginitate, de impotentia, et qualitate impotentiæ, et Episcopus referat, an expleta fuerit triennalis : *Regist. Lit.*, lib. 34, die 5 junii 1779.

[73] In quo impertita fuit dispensatio matrimonii rati, et non consummati : *Ibid.*

Proposita igitur causa super nullitate matrimonii, vel dispensatione; S. C., dilata, et locum esse experimento cohabitationis triennalis, respondit : *Romana, Matrim.*, 19 *aug.* 1786, *dub.* 1 et 2. Inde a decisis recessit, et dispensationem impertivit : 2 *decem. ejusd. anni.*

35. Matrimonium plures per menses non consummatum cum Angela Benedicta Gherardi ob impotentiam viri Nicolai Constantini Ferri (quam extrajudiciales inficiantur periti) indigere rescribatur experimento triennali in domo viri : *Januen., Matrim.*, 16 *april.* 1791.

36. Iniit matrimonium die 11 febr. 1782 comes Joseph Nappi cum nobili puella Theresia Ercolani; sed eam in quatrienni concubitu deflorare non valuit. Consulentibus confessariis a thoro conjuges voluere separari; et tamen ad aliud sexennium inutile veneris periculum fecerunt. Tandem concordi animo institerunt pro dissolutione matrimonii ob impotentiam viri. Card. Episcopus pronunciavit constare de antecedenti, absoluta et insanabili coeundi impotentia viri, idcirco de nullitate matrimonii; et hanc sententiam S. C. sequuta est, denegando dilationem, ac novam viri recognitionem : *Anconitana, Matrim.*, 19 *januar.* 1793, confirmata, 16 *martii ejusd. anni.*

37. In matrimonium collocatus fuit comes Aloysius Pontici cum nobili puella Gertrude Melchiorri. Sed pro sua frigiditate per triennium consummare non valuit licet artem adhibuisset medicam. Altero vix elapso anno mulier S. C. supplicavit pro dissolutione matrimonii. Chirurgi, ac medici testati sunt de comitis absoluta, perpetua, ac insanabili impotentia. Obstetricum depositio, aliorumque peritorum de virginitate mulieris deposuerunt. S. C. vero distulit resolutionem, ut scribatur Episcopo juxta instructionem [74] : *Amerina, Matrim.*, 15 *junii* 1793. Deinde constare de nullitate matrimonii resolvit : 20 *julii ejusd. anni*, confirmata, 7 *sept. dicti anni.*

38. Post concubitum octo annorum Nicola Ruitia sui viri Joannis Mattei impotentiam exposuit coram vicario generali. Re perpensa, ac examinata definitum fuit non constare de nullitate matrimonii. Sed Ruitia non acquievit, et S. C. reversa; hæc ob cognitam per peritos aliquam unius potentiam, dubiamque alterius virginitatem, validum esse matrimonium pronunciavit : *Camerinen., Matrim.*, 20 *sept.* 1794.

§ XVI.

Matrimonium quoad impedimentum dirimens ligaminis, seu cum duobus contractum.

1. Fabricato processu contra Antonium Augustinum inquisitum de polygamiæ crimine ob secundas nuptias contractas cum Julia vivente Margarita prima uxore, cum qua filios habuerat, suborta est dubitatio : an primum matrimonium dici possit validum tanquam contractum coram sacerdote regulari, uti capellano militum in stationibus degentium, absque eo quod de præcedenti parochi licentia appareat. S. C. primum imperavit, ut denuo examinetur vicarius archidiaconalis juxta instructionem [75], et doceat magis præcise de ejus jurisdictione in loco Demontis : *Dubium., Matrim.*, 21 *maii* 1701. Deinde placuit respondere nullum esse matrimonium : 30 *julii ejusd. anni*, confirmata 3 *sept.* 1707.

2. Claudia Ricarde vidua, uti ipsa testatur, virum sibi adjunxit Antonium Neyran. In dubitationem venit mors primi viri Petri Dumont militiam gerentis sub signis regis christianissimi, de qua ex defectu testium, ac commentariorum invenire fidem non valuit. Re disputata in S. C. quoad ejusdem matrimonii validitatem; hæc distulit resolutionem, demandavitque afferri fidem obitus Petri Dumont sequuti in civitate Montium Hænnoniæ : *Avenionen., Matrim.*, 5 *april.* 1704. Inde iterum quæsivit probationes super obitu dicti Petri : 4 *decem.* 1706. Postea compertum est nuperrimum matrimonium contractum ab eadem Claudia cum Hugues, et relatum est Claudiam ab hinc decem annis carceribus emancipatam esse; et S. C. rescripsit : in decretis pro coadjuvandis probationibus juxta instructionem [76] super obitu Petri Du-

[74] Nempe, ut pro parte viri, et mulieris compleretur numerus 14 propinquorum, a sacris Canonibus præfinitus, iique omnes juramento confirmarent, verosimile sibi esse, utrumque conjugem verum dixisse : *Ead. causa*, 20 julii 1795.

[75] Ut juxta illam denuo examinaretur dictus vicarius archidiaconalis : *Ead. causa*, 3 sept. 1707.

[76] « Instructio autem fuit hujusmodi : quatenus Archiepiscopus Avenionen. curaret, ex actis illius curiæ archiepiscopalis haberi notitiam actorum matrimonii contracti inter prædictam Claudiam, et Joannem Hugues, 21 sept. 1698, tum ad reperiendam fidem obitus Petri Dumont primi ejus viri, tum ad reperiendum examen testium, tunc, ut prætenditur, productorum super obitu prædicto, et quateaus reperientur DD. attestationes, mandaret Archiepiscopus repeti testes super tali obitu cum causa scientiæ, et particularibus circumstantiis individuantibus personam præfati Petri Dumont. Quatenus vero non invenirentur fides tunc productæ, curaret elici a prædicta Claudia nomina testium, ut vocentur, et examini subjiciantur; rursus curaret scire ab eadem Claudia, vel ex actis matrimonialibus inter eam, et Petrum, cujus loci erat dictus Petrus, et notitiam, ac probationem procuraret ab ejus concivibus, ipsum de tali tempore perrexisse ad bellum Belgicum, ac elici ex ejus affinibus et parentibus, an habeant certitudinem, vel notitiam ejus obitus in bello,

mont, et interim a carceribus liberetur mulier facta obligatione de se representanda, et injuncto præcepto de non conversando cum Neyran, et Hugues prætensis viris, et ad secretarium cum assessore : 12 *januar.* 1709. Demum validum ex deductis matrimonium cum Neyran judicatum est : 8 *febr.* 1710.

3. Nobilis vir Theophilus Stoz, dum hæresim lutheranam profitebatur matrimonium iniit cum muliere similiter lutherana filiosque ex ea suscepit. Postea ad fidem catholicam conversus, et domicilio mutato recusans cum hæretica uxore cohabitare, aliam duxit catholicam, et illa alteri se viro lutherano copulavit. At dubitans de validitate secundi matrimonii S. C. rescripsit dilata, et expectetur exitus causæ introductæ in curia Frisingensi, et scribatur nuntio apostolico, et Episcopo Ratisbonæ juxta instructionem [77] : *Ratisbonen., Matrim.*, 9 *aug.* 1704.

4. Quidam catholicus diu pro uxore sua palam, et publice mulierem catholicam retinuit cui consensum oretenus quidem non coram parocho et testibus expresserat. Ipse vero semper pro vera uxore agnovit atque tractavit talisque fuit reputata. At aufugiens mulier schismatico nupsit, et prædictus catholicus vir modo sumere sibi aliam uxorem volens licentiam petiit, et S. C. ut Ordinarius procedat prout de jure rescripsit : *Tribinien., Matrimonii*, 30 *aug.* 1704.

5. Philippus Rao bina matrimonia contraxit, primum cum Theodora de Simone, cum qua non consummavit, alterum cum Anna Vitella, quam libidinose agnovit. Hinc inquisitus de poligamia ait primum per vim, et metum a patre verberibus, minisque incussum celebrasse, quum parocho interroganti nullum responsum affirmativum reddiderit, et conjugem mortuam putabat. Deducta causa in S. C. quoad primi matrimonii validitatem, ut scribatur Episcopo juxta instructionem [78] respondit : *Sanctæ Agathæ Gothorum, Matrim.*, 6 *junii* 1705. Dein constare de validitate, et ut Ordinarius procedat prout de jure contra Andream Sanctorum, et ad pro-secretarium juxta mentem rescripsit : 14 *novem. ejusd. anni.*

6. Connubium conflavit Joannes Henricus Wis Tiguri Helvetiorum cum Elisabeth aBurchardin ritu calvinistico ; inde petiit dissolutionem, qua denegata per septennium moram traxit in Indias Orientales inter signa Batavorum militaria. Interea Elisabetha separationem obtinuit conjugii, quo significato Henrico, hic reversus ex Indiis ; et depositis calvinistarum erroribus junxit fœdus nuptiarum cum Maria Barbara Exnezin in ecclesia parochiali Fridburgensi Bavariæ inferioris, Passaviæ diœcesis. Hoc irritum declaravit consilium Aulicum monachii ; et S. C. non constare de nullitate primi matrimonii ex hactenus deductis arbitrata est : *Passavien., Matrim.*, 20 *novem.* 1706.

7. Matrimonium per vim, et metum a patre incussum iniit Catharina Bonfilio cum Francisco Alvarez. Nunquam tamen in cohabitatione duorum mensium adduci potuit, ut matrimonium consummaret mulier, quæ quotidie protestabatur, se nunquam fuisse, nec suam esse uxorem. Alvarez desperatione adductus e Panormi urbe discessit. Ac inde fama percrebuit, quod ille mortuus fuerit. Catharina itaque novum matrimonium contraxit cum Ignatio Colli, ex quo quatuor habuit filios. Alvarez vero in civitate Lillæ aliam in matrimonium duxit. Actum igitur fuit de prætensis utriusque matrimoniis, et rescriptum est, dilata, et separentur Catharina, et Ignatius, necnon Alvarez, et ejus prætensa uxor, et coadjuventur probationes juxta instructionem [79] : *Panormitana, Nullit. matrim.*, 18 *novem.* 1719. Causa reproducta quoad primum matrimonium a Catharina contractum non constare de nullitate ejusdem sancivit S. C. : 8 *junii* 1720, *dub.* 1.

8. Quoad secundum vero ab eadem initum cum Ignatio Colli, provisum esse in primo dubio, respondit : *Ibid., dub.* 2.

et quo tempore mors evenerit, prout etiam de publica voce, et fama talis obitus, et loci ejusdem, ac denique, an consanguinei et affines occuparent tunc temporis ejus bona, et factis supradictis diligentiis S. C. distincte informaret : » *in ead. causa sub die* 25 jan. 1710.

[77] Quod Nuntius apostolicus edoceat, an in civitate Ratisbonæ, et signate in parochia dictorum contrahentium fuerit publicatum S. Concilium Trid., ac audita prima oratoris uxore, judicium instruxit in episcopali curia Frisingensi jura, et rationes ab illa deductas in dicta curia S. C. referat, et terminata causa copiam actorum transmittat : ***Regist. Lit.***, lib. 3, die 9 aug. 1704.

[78] Episcopo scribendum esse rescripsit, cum in processu per S. C. S. Officii ad S. C. tunc remisso, binæ referentur partitæ libri parochialis inter se variæ, ac diformes, per litteras idcirco injunctum fuit Episcopo ut librum parochialem per se ipsum recognosceret, et an in eo duplex, vel una tantum partita, a quo et in qua parte folii conscripta esset, distincte adverteret, easque de verbo ad verbum formaliter extractas ad S. C. trasmitteret : ***Ead. causa***, 14 novem. 1705.

[79] Instructio fuit, quod formaliter et cum interrogatoriis a promotore fiscali curiæ archiepiscopalis Panormitanæ exhibendis examinaretur parochus coram quo matrimonium fuit contractum cum Joanne Francisco Alvarez; quod etiam formaliter examinarentur testes, qui matrimonio inter fuerunt, et cum in anteacta causæ propositione nonnulli testes fuerint producti deponentes de violentiis exercitis in ipsa ecclesia coram parocho, qui non videbantur formaliter examinati, quod formaliter examinarentur sub interrogatoriis promotoris fiscalis : ***Thesaur.***, tom. 1, pag. 324, § ***Panor.***

9. Anna Maria Theresia Medicea abjurata perfidia Judaica postquam habuerat libellum repudii sui viri Abrahami Barda hæbrei occasio præsto fuit ei nubendi Antonio Cecchio militi Christiano. Quum Abraham ubi degat, scire non valeret, dubitatur modo, an prædictus Abraham sit de jure interpellandus, et quatenus affirmative; an accedentibus circumstantiis possit Anna matrimonium aliud contrahere? S. C. ad utrumque quæsitum affirmativum præbuit responsum : *Florentina*, 17 *januar.* 1722, *dub.* 1 et 2 [80].

10. Postquam princeps Albertus Octavius de Serclæs Tilli matrimonium in sua privata capella coram sacerdote capellano exercitus Regis catholici, et tribus testibus prævia speciali licentia Ordinarii Mechliniensis cum Alexandrina Sucre de Bacq, cum qua filiam nomine Albertinam suscepit, contraxerit aliam, vivente Alexandrina, uxorem nomine Mariam Magdalenam de Serclæs Tilli ejus neptem cum apostolica dispensatione in matrimonium duxit. Hinc quum de legitimitate Albertinæ ageretur, quæsitum est : an constaret de primi matrimonii validitate? rescriptum est, dilata et ad mentem [81] : *Mechlinien., Legit. prolis*, 6 *julii* 1726, *dub.* 1. Quum publice haberentur ut conjuges, et id ex epistolis, patet, S. C. constare de validitate primi matrimonii putativi, ita ut proles sit legitima, censuit : 25 *sept.* 1728. Inde causa reproposita dilata rescripsit, et ad mentem : 3 *sept.* 1729. Postmodum jussit, ut exhibeatur epistola comitis de Tillis : 24 *sept. ejusd. anni.* Tandem standum esse in decisis sancitum est : 28 *januar.* 1730.

11. Theresia Canetta jam Francisco Smith chirurgo cohortis centurionis Josephi Lopex nupta, quum ad secunda vota transire vellet cum Antonio Comello, fidem mortis a capellano exercitus exaratam exhibuit, in qua tamen asserebatur Franciscum mortuum fuisse, sed auctoritate Ordinarii hæc fides minime munita erat ; nec character a testibus recognitus juxta Clementinam constitutionem [82] fuit. Episcopus facultatem conjungendi hujusmodi connubi impertire renuit ; verum matrimonium clandestinum coram non proprio parocho initum fuit. Ambiguum hinc fuit ; an dictæ Theresiæ permitti posset alterum conjugium contrahere? non ex hactenus deductis posse, respondit : *Papien., Matrim.*, 12 *decem.* 1733. Exhibita inde fuit depositio Antonii Tribaldi militis, qui de infirmitate, et morte Francisci testatus est, quique in eodem hospitali decumbens ab eodem Francisci chirurgo curatus fuerat ; et S. C. arbitrio Episcopi rem commendavit : 27 *febr.* 1734.

12. Didacus Noboa Annam Franciscam de Seixas, cum qua geminos filios susceperat, in matrimonium duxit ; exposuit autem se matrimonium cum Maria Cambias Bruxellensi contraxisse, nulliter tamen. Pluribus inde elapsis annis Maria e Bruxellis Hispaniam pervenit, se Didaci uxorem nominans. Relegatus Didacus fuit a tribunali Sacræ Inquisitionis, ut polygamiæ reus. Obiit Maria, obiit quoque, Didacus Anna sola superstes validitatem sui matrimonii sustinere nixa est. Ex examine Didaci patuit, se pravam consuetudinem habuisse cum Maria, ut pœnas effugeret, ad protrahendam illam se matrimonium coram religioso, qui ab Archiepiscopo deputationem simulavit, cum Maria celebrare finxit ; ac jamjam moriturus Didacus ipse accepta Sanctissimi Crucifixi imagine juravit per D. N. J. C. cujusdam matrimonii supposititi Flandriæ contracti innocentem se esse. Proposito igitur dubio in S. C., an constaret de validitate matrimonii? quæ postquam rescripserat, dilata, et proponatur citatis interesse habentibus : *Granaten., Matrim.*, 28 *sept.* 1743. Postea iterum, dilata, et scribat defensor matrimonii, respondit : 27 *junii* 1744. Denique non constare de nullitate primi matrimonii decidit : 18 *decem.* 1745.

13. Csanadiensis Episcopus inter alia dubia ad S. C. ut sua consilia ostendat, refert : vir lutheranus ante aliquot annos cum muliere pariter lutherana in Saxonia contraxit matrimonium, et paulo post uxorem hanc deseruit, quæ ad magistratum suum recurrit, et juxta consuetudinem illarum partium maritum desertorem per vualvas citari curavit, eoque intra terminum statutum non comparente, facultatem alteri nubendi obtinuit, actuque nupsit. Interea desertor lutheranus in hac diœcesi

[80] Bened. XIV Const. *in Suprema*, 6 januar. 1745 (*Bull. ejusd.*, tom. 1, pag. 216), dispensavit cum neophytis in loco pio cathecumenorum Venetiis ad fidem conversis super interpellatione prioris conjugis in infidelitate relicti ad effectum contrahendi matrimonium cum fideli, minime rescindendum per adventum prioris conjugis.

[81] Nam erant necessariæ majores probationes, et eo fortius cum Albertina litteras remissoriales expedivisset : *Ead. causa*, 13 martii 1728.

[82] Editam die 21 aug. 1670 (*Bull. Rom.*, tom. 7, pag. 46), quæ incipit *Cum alias*, in qua refertur Instructio Sacr. Congr. S. Officii super examine illorum testium, qui inducuntur pro contrahendis matrimoniis, tam in curia Card. Urbis vicarii, quam in aliis curiis ceterorum Ordinariorum, cujus in num. 14 legitur : « Fides, aliaque documenta, quæ producuntur de partibus, non admittantur, nisi sint munita sigillo, et legalitate Episcopi ordinarii, et recognita saltem per testes, qui habeant notam manum, et sigillum, et attente consideretur fides, seu testimonia bene, et concludenter identificent personas, de quibus agitur. »

hæresim abjuravit, factusque est catholicus, et in faciem Ecclesiæ cum alia copulatus est coram parocho, prius jam contractum ligamen reticendo. Ad hæc S. C. respondit, scribatur Episcopo juxta instructionem [83] : *Csanadien.*, 8 *aug.* 1744.

14. Clara Szekeles ex calvinistis parentibus orta, et viro catholico matrimonium contraxit, catholicamque fidem amplexa est. Mortuo viro, se calvinianam simulans coram Episcopo schismatico abjurata secta calviniana, græcum schisma professa est, ac matrimonium coram parocho græci ritus sacerdote iniit. Re delata ad catholicum Episcopum, propriam simulationem fassa fuit Clara, ac vir errore deceptus nullum putavit matrimonium, separati hinc fuerunt conjuges, donec res definiretur ; hoc interim Clara cum alio viro catholico aliud matrimonium in faciem Ecclesiæ contraxit. Episcopus itaque Csanadiensis a S. C. definitionem validitatis primi, vel secundi matrimonii petivit. Et ad mentem ut supra responsum est : *Csanadien.*, 26 *junii* 1745.

15. Cosmus Parigi Florentinus uxoratus Smirnas appulsus utero gravem puellam Magdalenam Gratis spe matrimonii reddidit. Re cognita a consanguineis puellæ Cosmum adegerunt ad sponsalia contrahenda. Uxorem Cosmus Florentiæ reliquerat, quæ tamen post inita a suo viro cum Magdalena sponsalia obiit. Cosmus de ejus morte notitiam non habuit, et fidem sui liberi status falsam exhibuit, ac solemniter matrimonium contraxit. Inde fugam arripuit. Magdalena antequam occumberet, Cosmum uxoratum comperiens, alium ritu græco duxerat virum, cum quo plures liberos susceperat, ignorans an adhuc Cosmus viveret. In S. C. autem re deducta examinavit, an matrimonium contractum non expectato certo nuncio mortis prioris conjugis validum sit ? Dilata, et scribat defensor matrimonii, rescriptum est : *Smirnen., Matrim.*, 6 *maii* 1752. Postmodum non constare de nullitate matrimonii a Cosmo, et Magdalena contracti decrevit : 9 *sept. ejusd. anni.*

16. Stephanus Fantore prævia dispensatione a probatione status liberi, ex quo Galliarum, Alemaniæ, et Lombardiæ regiones peragraverat, a tribunali Sacræ Inquisitionis, stante ejus juramento super statu libero obtenta in matrimonium duxit puellam Magdalenam de Angelo in civitate Vasti. Innotuit inde, quod Stephanus sub ementitis nominibus alias duas duxerat uxores diversis in regionibus, citoque aufugit. Diu siluit Magdalena, tandem institit pro declaratione nullitatis sui matrimonii, ut ad alia vota transire posset. Compilato itaque processu ab Episcopis Theatino, Sipontino, et Matheranensi, nullum S. C. matrimonium edixit, addendo ad mentem : *Theatina, Matrim.*, 18 *julii* 1761, confirmata 19 *sept. ejusd. anni.*

§ XVII.

Matrimonium quoad impedimentum dirimens, seu quoad præsentiam proprii parochi, ac testium, seu clandestinum [84].

1. Dubitatum fuit, an decretum Concilii sess. 24,

[83] In enunciata materia exprimat casus particulares explicando cujus ibet casus distinctos, et particulares circumstantias : *Regist. Lit.*, lib. 29, die 3 aug. 1744.

[84] Anno 1674, die 29 novem. delatæ fuerunt S. C. S. Officli questiones istæ, catholici, qui matrimonio vincti sunt coram parocho, et testibus catholicis, in pluribus locis, ita invaluit consuetudo, solent coram ministro hæretico, sive protestante, rursus conjungi, ad evitanda gravia damna neque potest consuetudo hæc a clero corrigi : peccantne? Et quo peccato ? et quomodo se gerere debeat, erga illos Ordinarius loci? » S. Congr. respondit : « Quatenus minister assistat matrimoniis catholicorum uti minister politicus non peccare contrahentes. Si vero assistat ut minister addictus sacris non licere, et tunc contrahentes peccare mortaliter, et esse monendos. » Bened. XV : *De Synod.*, lib. 6, c. 7 : Responsa nonnulla particularis Cardinalium Congregationis ad Episcopum Lucionensem super matrimoniis celebrandis in regno Galliarum coram municipalitate, sive coram officiali a municipalitate delecto, data die 28 maii 1792 :

1° Frustra quæstionem modo moveri, num Tridentini Concilii decretum publicatum in singulis Galliarum ecclesiis fuerit. Cum enim certo certius constet in ecclesiis Galliarum jam usu receptum esse, ut matrimonia celebrentur coram parocho, et duobus, vel tribus testibus tanquam in executionem decreti Concilii Tridentini, hoc profecto satis debet esse, ut præsumatur facta ejusdem decreti publicatio, sicut aperte legitur in resolutione edita a S. Congr. Concilii die 26 sept. anno 1602, quæ refertur libro 10 decem., p. 47 : *Publicationem præsumi, ubi id decretum fuerit aliquo tempore in parochia tanquam decretum Concilii observatum;* idemque statutum legitur in alia resolutione diei 30 martii ann. 1669.

2° Lucionensis diœcesis fideles abstinere omnino debere a contrahendo matrimonio coram municipalitate, aut coram Officiali a municipalitate selecto cum enim, tum ii, qui municipalitatem componunt, tum officialis a municipalitate electus, sint publici functionarii, ut aiunt, juramentum a Conventu Nationali præscriptum emiserint necessum est ; quapropter tamquam schismatici, aut ad minus tanquam schismatis fautores jure merito reputantur. Ex iis autem illud consequens est, abstinere omnino fideles debere a contrahendo matrimonio coram municipalitate seu coram Officiali a municipalitate selecto, ne ulla schismatis contagione polluantur.

3° Curare idcirco fideles debere contrahere matrimonium coram testibus, et quidem, quoad fieri possit, catholicis, priusquam municipalitati se præsentes sistant, ut præscriptam a Nationali Conventu declarationem faciant. Et quoniam complures ex istis fidelibus non possunt om-

cap. 1 [85], ad contrahentes matrimonium absque præsentia parochi, qui postea data opportunitate solemniter in sanctæ Matris Ecclesiæ faciem matrimonium inierunt, censuit non extendi, si in illa ecclesia, in cujus parochia tunc habitabant contrahentes nondum eo tempore, quo sic contraxerunt, erat, ut palam dicitur, publicatum Concilii Tridentini decretum : *Antuerpien.*, 13 *aug.* 1571.

2. Censuit S. C. ad matrimonii validitatem sufficere præsentiam solius parochi proprii sponsæ, quando matrimonium in parochia sponsæ contrahitur. Similiter sufficere præsentiam solius parochi sponsi, si in ipsius sponsi parochia matrimonium contrahatur : *Dubium, anni* 1574, *dub.* 2.

3. Et ad dubium ; an sit matrimonium, si duo contrahunt per verba de præsenti proprio parocho præsente, et aliis requisitis non omissis, cui contractui formaliter parochus non fuit adhibitus, sed dum forsan convivii, seu fabulandi causa, aut aliud agendi adest: audit hujusmodi contractum fieri; et postea alter contrahentium velit ab hujusmodi contractu rationem hujus defectus resilire? respondetur posse, nisi alia intervenerint, quæ parochum a contrahentibus adhibitum fuisse arguant : *Ibid.*, *dub.* 3.

4. Perpenditur inde, num sit validum matrimonium judicandum, si duo contraxerunt coram parocho alieno, quia eorum parochus esset publicus hæreticus, vel profugus, vel quia rectore carebat ecclesia parochialis? et declaratur judicandum esse contra matrimonium. Posse tamen eos inter se contrahere valide coram proprio parocho, vel alio sacerdote de consensu Ordinarii, si non adsit aliud legitimum impedimentum sancitur : *Ibid.*, *dub.* 4.

5. Si miles contracto matrimonio, postea dimissa uxore, negat hujusmodi matrimonium, quia contraxit tamquam vagabundus? S. C. censuit non ideo videri nullum : *Ibid.*, *dub.* 7.

6. Disceptatur, utrum prohibitione facta ab Ordinario, ne parochus aliquos desponsaret, ita tollatur jurisdictio ipsius parochi, ut ad contrahendum matrimonium contra hujusmodi prohibitionem non sit legitimus parochus, quum possit Ordinarius in totum, vel in partem auferre a parocho ex causa jurisdictionali, sicut fit quando reservantur aliqui casus, quod in proposita quæstione majorem vim habet, quia prædictus sacerdos non erat principalis parochus, videlicet rector proprius, sed annuus vicarius, qui postea ad nutum ab Ordinario removeri potest, et S. C. respondit valere matrimonium contractum coram parocho, cui interdictum est ab Episcopo, ne interveniat : *Giennen.*, 26 *julii* 1581, *dub.* 1 [86].

7. Ex quo secundum suboritur dubium ; an

nino parochum legitimum habere, istorum profecto conjugia contracta coram testibus, et sine parochi præsentia, si nihil aliud obstet, et valida, et licita erunt, ut sæpe sæpius declaratum fuit a S. Congr. Concilii Tridentini interprete.

4° Nihil tamen impedimento esse, quominus fideles, ut civilibus potiantur effectibus præscriptam a Nationali Conventu declarationem faciant, illud semper præ oculis habentes, nullum ab ipsis tunc contrahi matrimonium sed actum mere civilem exerceri.

5° Demum in præfata declaratione facienda præ oculis habere debere saluberrimas regulas, quæ ea de re loquuntur in Instructione jussu Sanctissimæ Sedis exarata die 26 sept. anni 1791, super quibusdam quæstionibus a Galliarum Episcopis propositis. Hujus instructionis tenor hinc est :

1° Primo igitur fideles in Galliis debent matrimonio conjungi a suo parocho legitimo, vel alio sacerdote de ejus vel Ordinarii licentia ; nam matrimonium aliter nullam vim haberet, ob celeberrimam Trid. Concilii legem de clandestinis matrimoniis, in illius regni parochiis jampridem promulgatam, et constantissime observatam.

2° Quoniam intrusus minime est parochus legitimus, nequo ullum habet titulum, seu verum, seu coloratum, matrimonium coram eo contractum nullius certe roboris est : qua etiam de causa, fideles abstinere debent, ne parocho suo legitimo prætermisso, adeant intrusum.

3° Caveant etiam fideles, qui matrimonio juncti fuerint a parocho illegitime intruso ne se sistant, ut ab eo, ritu quovis sacro, et religioso, rursus matrimonio conjungantur, vel ab eo petant veniam, qua possint ab alio sacerdote Matrimonii sacramento conjungi, et sacro ritu copulari. Ne id enim fiat, vetant omnino rationes jam explicatæ cum de baptismo ageretur.

4° Numquam etiam licebit fidelibus declarationem edere matrimonii jam contracti magistratui civili, si forte adstringantur aliam iniquissimam sane declarationem facere, se scilicet haud esse catholicos, quod ne accidat, vereri se dicunt Episcopo consulentes eo in loco, ubi de baptismo loquuntur.

5° Sed ne fidelibus quidem permittendum, ut matrimonii jam contracti declarationem coram civili magistratu faciant, si ob istam catholici pro catholicis habeantur, tum quia edicti verba heterodoxos, tantum expresso comprehendunt, tum quia, publica hominum opinione, pro heterodoxis reputantur omnes, qui civili magistratui sua matrimonia declarant.

6° Denique idem Sanctissimus super hac re commendavit Episcopis regulas traditas a Benedicto XIV, in Constitutione *Inter omnigenas* diei 17 sept. 1744, § 8, 9 et 10. *Bull. ejusd. Pont.*, et *Redditæ* diei 17 sept. 1746, ad P. Simonem, a S. Josepho Carmelitarum excalceatum missionarium in Belgio, jam editis *in Supplem.*, tom. III, *Bull. ejusd. Pont.*, num. 3, et relatis in ejus opere de Synodo diœcesana, lib. VI, cap. 7, num. 5. Itemque regulas commendavit, quas jampridem tradidit catholicis anglicanis Paulus V, in litteris in forma brevis datis tam x, kal. octob. anni 1706, quam x kal. sept. anni 1707.

[85] Vide not 31 præcedentem.

[86] Hanc quæstionem diserte expendit Benedictus XIV *de Synod. diœces.*, lib. XII, cap. 5, num. 3, et seq., pag. 446, edit. Rom. 1755. « Is enim (ait) adhuc est vere parochus, suæque retinet parochiæ titulum, et propterea omnibus præstat qualitatibus, quas Tridentinum expo-

matrimonium, in quo intervenerit talis vicarius, non interfuerit idem non invitus, sed volens contra prohibitionem tantum Ordinarii, sit validum, vel potius invalidum, quia non interest sacerdos habens jurisdictionem, quum sit ab Ordinario sublata? Esse validum deciditur : *Ibid.*, *dub.* 2.

8. Quod si invitis, et compulsus per vim adsit sacerdos, dum contrahitur matrimonium, præcedente, vel non præcedente dicta prohibitione, vel tali interdictione, utrum tale matrimonium subsistat? S. C. subsistere censuit : *Ibid.*, *dub.* 3.

9. Si sacerdos adfuerit, nihil tamen eorum, quæ agebantur, vidit, neque audivit ; utrum tale matrimonium valide contrahatur, vel tanquam sine sacerdote nullius sit ponderis, et momenti? respondetur non valere, si sacerdos non intellexit, nisi tamen affectasset non intelligere : *Ibid.*, *dub.* 4.

10. Denique si adsit sacerdos, dum contrahitur matrimonium, casu quo, non cogitans se esse ad id vocatum, sed aliud agens audit duos inter se contrahentes matrimonium; utrum sit validum tale matrimonium, in quo fuit præsens, non tamen certior factus, nec ad id expresse vocatus, neque interponens suam auctoritatem dicto, vel facto, vel potius sit nullum, quasi assistentia auctoritativa per Concilium requiratur, et non nuda, vel casualis præsentia? valere etiamsi parochus aliam ob causam adhibitus sit ad illum actum, est definitum : *Ibid.*, *dub.* 5.

11. Quum quæsitum fuisset, an matrimonium dicendum esset clandestinum, utpote contractum omissis denuntiationibus, et multo magis cum in Synodalibus Constitutionibus contra sic contrahentes imposita esset pœna excommunicationis, S. C. ad dubium, num omissis edictis hujusmodi matrimonium dicatur clandestinum, prolesque illegitima, veluti si sine testibus, et parocho contraheretur? Sic respondit non dici, sed contrahentes incidere in pœnam excommunicationis in Constitutionibus Synodalibus propositam : *Hieracen.*, *mense sept.* 1587.

12. Præsupposito, quod matrimonium sit factum absque præsentia parochi, et duorum, vel trium testium, quo casu irritum declaratur a Concilio Tridentino, sess. 24, cap. 1, *de Reform.*[87], quæritur, an dictum connubium transeat in sponsalia de futuro ; ita ut cogi possit vir per censuras, aliaque juris remedia ad servandam fidem sponsæ, maxime quando sequuta copula est? non transire deciditur : *Hieracen.*, 18 *novem.* 1589, *dub.* 1.

13. Edidit S. C. rescriptum hisce verbis expressum, si vera sunt, quæ narrantur et parochus affectaverit non intelligere, matrimonium valere : *Ulyssiponen.*, 29 *april.* 1593.

14. Matrimonium contractum per puberes absque præsentia parochi, vel alterius sacerdotis de ipsius parochi, vel Ordinarii licentia est nullum, nec resolvitur in vim sponsalium, ita ut contrahentes judicialiter cogi non possint ad denuo contrahendum servata forma Concilii Trid., sess. 24, cap. 1, *de Reform.*[88], *Bisuntina*, *martii* 1587.

15. Matrimonium contractum coram parocho non sacerdote valere : *Abulen.*, 1 *decem.* 1593, *dub.* 3.

16. S. C. declaravit, matrimonium sine præsentia parochi per verba de præsenti contractum etiam copula subsequuta irritum, et nullum esse, et in sponsalia de futuro minime resolvi : *Nullius*, 8 *junii* 1595.

17. Censuit S. C., ubi decretum Concilii Tridentini, cap. 1, sess. 24, *de Reform. matrim.*[89], non est publicatum in parochia, valere matrimonia contracta absque observatione formæ a Concilio præscriptæ : *Colonien.*, *Matrim.*, 26 *sept.* 1602, *dub.* 1.

18. Inde sancitur, hæreticos quoque, ubi decretum, cap. 1, sess. 44, *de Reform. matrim.* Concil. Trid. est publicatum, teneri talem formam servare, et propterea ipsorum etiam matrimonia absque forma Concilii, quamvis coram ministro hæretico, vel magistratu loci contracta, nulla, atque irrita esse : *Ibid.*, *dub.* 3.

19. Ubi etiam constat decretum Concilii esse publicatum, vel aliquo tempore in parochia tanquam decretum Concilii observatum ; sed parochialis ecclesia, ut portio vacans proprio parocho careat, et cathedralis itidem Episcopo, atque capitulo habentibus a Concilio facultatem alium sacerdotem ad id delegandi, nullusque alius ibi sit, qui vices parochi,

scit ad matrimonii validitatem prohibitio autem Episcopi solum operatur, ne ille licite, non itidem ne valide assistat. » Inde pergit, quod aliud esset de matrimonio celebrato contra interdictum Papæ, munitum decreto irritante : siquidem cum Papa possit per suam universalem legem novum impedimentum dirimens matrimonio apponere, potest etiam in aliquo speciali eventu prohibere, ne inter peculiares personas matrimonium contrahatur, simulque decernere, ut contra suam prohibitionem contractum sit irritum; quemadmodum adnotat inter cœteros Schmalzgrueber ad lib. 4, *Decret.*, tit. 16, num. 9. Non prohibetur tamen Episcopum, severissimis pœnis illorum refrenare proterviam, qui, contra interdictum Ecclesiæ, matrimonium contrahere præsumunt ; quod cum communi tradit Sanchez : lib. 3, disput. 46, num. 7, notans insuper eas pœnas non esse a jure præfinitas, sed ejusdem Episcopi permitti arbitrio. Verum etiam in his decernendis cavere debet, ne sua abutatur libertate, et jus commune infringat.

[87] Vide not. 31 præcedentem.

[88] Vide not. 31 præcedentem.

[89] Vide not. 31 præceuentem.

vel Episcopi suppleat matrimonium valere absque præsentia parochi, servata tamen in eo, in quo potest forma conciliari, nempe adhibitis saltem duobus testibus : *Ibid., dub.* 4.

20. Si extent quidem parochus, et Episcopus, sed nullo constituto vicario, uterque metu hæreticorum lateat; ita ut vere ignoretur ubinam sit, vel eodem metu a diœcesi absit, nec ad alterutrum sit tutus accessus, validum esse matrimonium contractum absque forma, adhibitis tamen, ut dictum est, duobus testibus, constituitur : *Ibid.*, *dub.* 5

21. Quod vero attinet ad casum specialem in scripturis ejusdem nuntii contentum, S. C. ita duxit respondendum; quum secundum ea, quæ proponuntur, matrimonium fuerit contractum in parochia, ubi fuerit publicatum dictum decretum, et extaret in diœcesi Antuerpiensi, cujus erat in ea parochia vicarius, qui juxta Concil. decretum poterat providere, utique hujusmodi matrimonium, absque forma contractum esse nullum resolvitur : *Ibid.*, *dub.* 6.

22. Censuit S. C. rectores parochialium nuper erectarum in sua quaque parochia matrimoniis, quæ in ea celebrabuntur, interesse debere : *Lycien.*, 19 *april.* 1606.

23. Censuit S. C. dandam esse declarationem in abstracto in forma sequenti. Vir, et mulier in loco suæ habitationis absque animo illum relinquendi discedentes, et ad locum alterius parochiæ solo animo illic matrimonium celebrandi non autem domicilium contrahendi se transferentes, cum parocho illius loci matrimonium inter se contraxerunt. Supplicatur declarari, an hujusmodi matrimonium sit nullum, vel validum? respondetur secundum ea, quæ proponuntur, esse nullum : *Romana, Nullit. matrim.*, 22 *febr.* 1631.

24. Ubi constat, decretum Sacri Concilii esse publicatum, vel aliquo tempore in parochia tanquam decretum Sacri Concilii observatum, sed parochialis ecclesia, utpote carens proprio parocho, et cathedralis itidem Episcopo, atque capitulo habente facultatem alium sacerdotem delegandi careat, nullusque alius ibi sit, qui vices parochi, vel Episcopi suppleat, matrimonium valere absque, præsentia parochi, servata tamen in eo, in quo potest forma Concilii nempe adhibitis saltem duobus, aut tribus testibus. Si existant quidem parochus, vel Episcopus, sed, nullo constituto vicario, uterque metu hæreticorum lateat ita ut vere ignoretur, ubinam sit, vel eodem metu a diœcesi absit, nec ad alterutrum sit tutus accessus, validum esse matrimonium contractum absque forma Sacri Concilii Trid., adhibitis tamen, ut dictum est, duobus testibus, est decisum : *Belgii*, 27 *martii* 1632 [90].

25. S. C. censuit ex Ritualis Romani [91] de Sacramento matrimonii formam decreti Sacri Concilii Trid. continentis observantia per tot annos in singulis parochiis civitatis Peræ, uti decreti ejusdem Sacr. Concilii, seu Summi Pontificis Romani subsequuta, induci præsumptionem publicationis ipsius decreti; ita ut in celebratione matrimoniorum servanda sit forma ab eodem Sacro Concilio præscripta, ac propterea matrimonium contractum inter Franciscinam, et Pellegrinum ab initio invalidum ratione metus non fuisse purgato metu ex cohabitatione, et copula convalidatum, sed requiri, ut denuo contrahant, adhibita ejusdem Ritualis, et Concilii forma : *Constantinopolitana*, 16 *decem.* 1634.

26. S. C. inhærendo declarationibus alias factis respondit, parochum ruralem non esse proprium, et verum parochum, quando rus itur causa recreationis, vel pro rusticanis negotiis; ideoque matrimonium valide coram hujusmodi parocho celebrari non posse : *Urbinaten.*, *Nullit. matrim.*, 1 *decem.* 1640.

27. Censuit quod parochus ruralis non est verus parochus, quando rus itur causa recreationis, vel pro rusticanis negotiis : *Florentina*, *ibid*

28. Parochum ruralem non esse proprium parochum, ideoque matrimonium coram eo celebratum fuisse nullum firmatur : *Florentina*, *ibid.*

29. Deciditur non valere matrimonium contractum coram parocho loci, ubi contrahentes reperiuntur, non animo ibi domicilium contrahendi : *Abulen.*, *ibid.*

30. Quæsitum fuit, an matrimonium contractum absque denunciationibus, et sine licentia Ordinarii coram testibus et parocho contradicente, qui audivit tantummodo verba consensus per sponsum præstiti, dum præ manibus habens sponsam dixit : *Questo è la mia moglie;* et audivit, quod sponsa dixit nonnulla verba, quæ tamen non intellexit; an sit de jure validum, et subsistat? S. C. respondit matrimonium subsistere; etiamsi parochus non intellexerit verba sponsæ, dum tamen de illius consensu

[90] Inde emanavit Const. *Matrimonia*, 4 novem. 1741 *Bull. ejusd.*, tom. 1, pag. 39), qua Benedictus XIV, declarat valida esse matrimonia in Hollandia, et Belgio, contracta inter hæreticos non servata forma Concilii Tridentini.

[91] In quo tit. *Ritus celebrandi matrimonii sacramentum* hoc habetur : « Parochus igitur matrimonium celebraturus, publicationibus factis tribus diebus festis, ut dictum est, si nullum obstet legitimum impedimentum, in ecclesia superpelliceo, et alba stola indutus, adhibito uno saltem clerico superpelliceo pariter inducto, qui librum, et vas aquæ benedictæ cum aspersorio deferat, coram tribus, aut duobus testibus, virum, et mulierem, quos parentum, vel propinquorum suorum præsentia cohonestari decet, de consensu in matrimonium interroget utrumque sigillatim in hunc modum vulgari sermone. »

ex aliis signis juxta juris communis dispositionem legitime constet; idque ad ipsius Episcopi disquisitionem pertinere: *Sarzanen.*, *Matrim.*, 15 *febr.* 1648, *dub.* 1.

31. Et dubio. an quatenus matrimonium prædictum esset invalidum, debeat Episcopus ex officio illud declarare invalidum, et contrahentes in foro exteriori punire, et quibus pœnis? rescripsit Episcopum posse tam contrahentes, quam alios, qui ministerium præstiterunt, pœnis arbitrariis punire: *Ibid.*, *dub.* 2.

32. Urbanus del Ciotto, et Navilia Pulsone absque licentia Episcopi, et proprii parochi sese conjunxerunt in matrimonium coram parocho villæ Picciani extra diœcesim, ubi ambo sese contulerant: etsi illa mulier malæ vitæ consuetudinem pravam cum Urbano habuerit; ob id validitas matrimonii latebat, et S. C. quantum spectat ad præsentiam parochi matrimonium fuisse validum, censuit; quo vero ad cetera impedimenta, ut Archiepiscopus procedat prout de jure jussit: *Theatina*, *Valid. matrim.*, 30 *april.* 1661.

33. Responsum est a S. C. pro validitate matrimonii clandestine contracti coram parocho, qui consensum sponsæ non audivit; duo tamen testes adhibiti deponebant de verbis sponsæ exprimentibus suum consensum: nam postquam Franciscus innuens parocho Mariam, pronunciavit hæc verba; *Vedete, questa è mia moglie*: quo audito parocho cœpit indignatus eos increpare, et redarguere, et terga vertens non auscultavit (ut ipse asserit) eamdem Mariam, quæ suum consensum expressit his verbis: *Questo è mio marito*: *Patavina*, *Matrim.*, 11 *maii* 1669.

34. Tuetur validitas matrimonii non obstante, quod parochus non audiverit verba sponsæ, non affectate, sed ex animi turbatione; idem tamen parochus ex antecedentibus, et subsequentibus credebat, sponsos habuisse animum contrahendi, testes quoque deponebant de consensu sponsæ: *Tolentina*, *Matrim.*, 28 *novem.* 1671, *dub.* 1.

35. Et ad dubium: An punibile, et qua pœna; an dicta pœna alendi, et dotandi filiam primi matrimonii? respondit, quoad pœnam esse punibile pœna pecuniaria: *Ibid.*, *dub.* 2.

36. Defendit S. C. validitatem matrimonii contracti coram parocho, qui tantum audivit verba fœminæ, sed non viri, et annuli traditionem aspexit; testibus deponentibus de utriusque expresso consensu: *Venetiarum, seu Vicentina*, *Matrim.*, 11 *martii* 1673, *dub.* 1.

37. Ac dubiis perpensis, an qui ita contraxerunt sint puniendi: et quibus pœnis?

38. An etiam testes, qui scienter interfuerunt?

39. An etiam qui consilium dederunt? rescribitur affirmative pœna arbitraria arbitrio Episcopi. *Ibid.*, *dub.* 2, 3 et 4.

40. Dominico Antonio Coradetto civi Theatino, et Antoniæ de civitate Pennarum incolis Theani matrimonium contrahere desiderantibus, assensum denegavit Archiepiscopus, eo quod mulier debitas fides status liberi non exhibuit, qua de causa præfati vir, et mulier ad terram Faræ filiorum Petri nuncupatam abbati Montis Casini subjectam se contulerunt, ibique per triduum commemorati matrimonium celebrarunt coram parocho loci, prævia fide duorum civium Theatinorum super eorum statu; et illico, nempe quarta die Theanum redierunt. Desuper S. C. consulta hujusmodi matrimonium esse nullum decernit: *Theatina*, *Matrim.*, 13 *novem.* 1683.

41. Fulanus, et Bertha matrimonium inter se contracturi interrogati fuerunt a notario, quisnam esset eorum parochus, responderunt per errorem parochum S. Demetrii, in cujus parochia jampridem habitaverant, sed tunc temporis non incolebant. Ita celebratum fuit matrimontum coram dicto parocho; inde dubitatum fuit de ejusdem validitate; et modo instant declarari, an præfatum matrimonium fuerit validum? et affirmativum datum est responsum: *Dubium*, *Matrim.*, 9 *sept.* 1684.

42. Amore invicem flagrantes Franciscus Tozzius, et Helena Lucretia Antonina in ecclesia S. Ivonis accersito parocho illi obviam iverunt cum duobus testibus, et vir verba protulit consensus, mulierque capite annuit. Nam exclamans parochus illico discessit, et verba mulieris aut non expectavit, aut non audivit. Re in S. C. disceptata causa defectus moralis præsentiæ parochi, decretum ab eadem de prædicti matrimonii validitate emanavit: *Romana*, *Matrim.*, 2 *junii* 1696 [92].

43. Marcus Atello natus in civitate Bovini post habitam pravam consuetudinem cum Joanna Spera muliere conjugata in oppido Foggiæ diœcesis Trojanæ, cum qua reversus ad patriam continuavit, Episcopus decrevit ad matrimonium devenire; at non habentes illi fidem obitus viri dictæ Joannæ, Foggiam se contulerunt, animo contrahendi inibi matrimonium, eoque sequuto illico repetendi Bovinum. Sed postquam commorati fuerant per paucos dies in dicto loco, simulata per Marcum mortali infirmitate, prævio examine testium trium super statu libero utriusque, præmissis duabus tantum denun-

[92] Inde « die 28 julii ejusdem anni non sine magna votorum scissura perstitum fuit in decisis; et tandem die 22 sept. 1696, nulla capta fuit resolutio ob votorum paritatem » ut refert Ursaya: *Discept. Eccl.* 1, tom. 3, part. 1, num. 17. Hic plurima congessit super prædicta controversia in cit. *Discept.*, quæ sub titulo *Dissertatio Theologico-Legalis de matrimonio* impressa fuit in typographia Camerali usque ab anno 1696.

ciationibus, fuerunt de licentia ab Episcopi in matrimonium copulati archipresbytero illius loci. Postea reversi ad civitatem Bovini decanus cathedralis ecclesiæ, cui exhibita fuit fides matrimonii, dubitavit de validitate ejusdem, et revera S. C. validum non esse censuit addendo ad mentem [93] : *Bovinen., Matrim.*, 28 *sept.* 1697.

44. Matrimonium inter Joannem Dominicum de Laurens marchionem de Brantes, et Joannam Mariam de Fain marchionissam de Peraud contractum coram parocho ecclesiæ collegiatæ S. Mariæ Magdalenæ mulieris originis non domicilii de licentia, et cum dispensatione ab omnibus denunciationibus concessa ab Episcopo Auriacensi ordinaria domicilii sponsi. S. C. validum esse judicavit : *Avenionen., Matrim.*, 6 *martii* 1700. Denuo, quum mulier matrimonium dissolvere cupiens exposuisset celebratum fuisse coram parocho respectu utriusque alieno S. C. ut coadjuventur probationes super eodem domicilio juxta instructionem [94] mandavit : 23 *april.* 1701. Denique causa reproposita *in decisis* est resolutum : 9 *januar.* 1706.

45. Exhibitis sequentibus dubiis, an parochus teneatur prohibere, et quantum in se est positive resistere clandestinis matrimoniis : et quatenus affirmative.

46. An ob inopinatum casum deficientibus aliis mediis prohibendi, et resistendi peccet, vel male faciat tentando fugam, claudendo oculos, et aures obturando?

47. An parochi præsentia, de qua loquitur Sacr. Concilium in 2 part., cap. 1, sess. 24, *de Reform.* [95] cum illis verbis, *qui aliter quam præsente parocho* etc., debeat esse moralis humano modo, et cum advertentia ; ita ut possit esse testis matrimonii actualiter, et de facto contracti, non vero voluntatis contrahendi, vel sufficiat potius sola præsentia physica, seu materialis?

48. An affectante parocho non audire verba, vel non videre nutus attentantium clandestine contrahere matrimonium, et revera illo non audiente, vel non vidente, validum sit matrimonium coram ipso attentatum? S. C. rescripsit reprobata opinione, quod sufficiat præsentia parochi pure physica, seu materialis providebitur in casibus particularibus : *Romana, super dubiis matrim.*, 6 *martii* 1700, *dub.* 1, 2, 3 et 4 [96].

49. Quum Nicolaus Ferdinandus Incancaro connubium inire cum Catharina Tombilla exoptaret, Ordinarius licentiam, quamvis factis jam denunciationibus, impertire renuit, quia prætendebat, quod ille fuisset notorius excommunicatus ob læsam immunitatem ecclesiasticam. Hinc Nicolaus hora prima noctis cum muliere, et testibus domum thesaurarii cathedralis curam animarum ecclesiæ excercentis accessit, et coram eodem consensus utriusque fuit declaratus ; etsi thesaurarius respondisset : *Io non assento, ne consento a causa alcuna.* Inde cohabitarunt. Sed curia episcopalis divisionem præcepit ; et re in S. C. avocata matrimonium validum esse deliberavit : *Castellanaten., Matrim., et cens.* 29 *april.* 1702, *dub.* 1.

[93] Quæ fuit, ut insinuetur Episcopo ut curet matrimonium coram proprio parocho : *Ibid.*

[94] Datisque pro opportuna instructione ad prolegatum litteris, injunctum per eas fuit, ut super infrascriptis potissimum testes, et signanter parochos formaliter examinaret. An scilicet Focagium, quod dictus Joannes Dominicus in loco Sarriani diœcesis Arausicanæ solvere asserebat, esse onus reale, vel personale, an ultra domum jam venditam, aliam ipse ibidem possideret, vel aliam conduxisset ; an familiam, vel alios ministros in dicto loco retineret, an tempore paschali sacramenta reciperet, et in libro status animarum descriptus esset ; an collectas camerales solveret, utque demum in omnibus, quæ habitationem dicti Joannis Dominici in eodem loco Sarriani respicerent, documenta cumulare, ac processum postea transmitteret. « *In ead. causa diei* 9 januar. 1706.

[95] Nisi aliter quam præsente parocho, vel alio sacerdote de ipsius parochi seu Ordinarii licentia, vel duobus, vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos Sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles, reddit, et hujusmodi contractus irritos, et nullos esse decernit. »

[96] In qua causa S. C. prius votum sacræ Rotæ Romanæ exquisierat, quæ decidit sufficere parochi præsentiam pro validitate matrimoniorum, physicam, seu materialem ; ita quod parocho affectante, non audire verba, vel videre nutus, matrimonium sit validum ut habetur : ***Ex decis.*** 4 febr. 1697, ***cor. Ursino***. Hoc votum noluit sequi S. C. ut ait Ursaya ***Discept. Eccl. VII***, tom. 1, part. 1, num. 20, et iterum scripsit diffuse super prædicta controversia : ***Discept. II***, tom. 1, part. 2, ***per tot.*** qui num. 260 ait : « Circa quod illud notandum occurit, quod attenta gravitate materiæ, et articuli arduitate, in Cong. d. die habita, raro exemplo, interfuerunt 21 EE. PP. » num. 261 subjungit : « Merito igitur ex his omnibus relinquitur manifestum, hanc Sac. Cong. declarasse quidem valida matrimonia, contracta coram parochis, affectantibus non audire verba, vel non videre nutus illa contrahentium, sed in rei veritate illa audientibus, et ipsos videntibus nunquam vero pro validis habuisse illa matrimonia, in quibus parochi, commendabiliter quidem, quantum in se ipsis erat, obsequentes generali Concilio Lateranensi, affectantes ignorantiam, nullatenus perceperunt consensum contrahentium, et hoc ad evitandum intolerabile istud absurdum quia, admissa contraria interpretatione, vera esset hæc propositio ; ***validum est matrimonium contractum absente, seu fugiente parocho et nullatenus percipiente consensum contrahentium*** non obstante, quod contrarium litteraliter legatur determinatum in Concilio Trident. : Sess. 24 ***de Reform. matrim.***, cap. 1, quo decreto non adesse aliud in toto Concilio majus, seu de novo sancitum, observat in illius historia Card. Pallavicinus : lib. 12, cap. 4, num. 1, etc. »

50. Maria Cavana, et Hieronymus Borghi ambo de loco Spezzanni habitantes in loco Maranelli, ut possint sese vinculo matrimonii copulari ab Ordinario dispensationem a denunciationibus cum facultate assistendi directa parocho ecclesiæ loci de Maranello reportarunt. Verbum *Maranello* fuit ex opera scriptoris abrasum, et loco illius positum verbum *Spezzano* diverso caractere. Ideo latam licentiam proprius parochus Maranelli, vidit quod illa non erat sibi directa, eos remisit ad parochum loci de Spezzano, coram quo matrimonium initum fuit, et sequuta est cohabitatio, ac filiorum procreatio. Postea instante viro, illud matrimonium haud esse validum sancitum est : *Mutinen.*, *Matrim.*, 18 *novem.* 1702 [97].

51. Postquam Joanna de Mangillis, et Antonius de Mangellis unanimi consensu statuerant matrimonii vinculo sese conjungere, in ædibus dictæ Joannæ advocaverunt parochum, ut sponsalibus de futuro inter ipsos contrahendis assisteret. Quum vero in hujusmodi actu post consensum datum a Johanna Antonius declaravisset se velle contrahere matrimonium per verba de præsenti, ratum, et indissolubile, orta fuit postmodum dubitatio ; an illud fuit verum matrimonium contractum, ita ut constet de validitate ? sed negativum datum est responsum : *Bononien.*, *Matrim.*, 2 *dec.* 1702.

52. Post contractum matrimonium per vim, et metum inter Lauram Orphinam et comitem Joannem de Rovaleris, hoc non consummatum fuit infirmatum, et eadem Laura nupsit Bernardino de Rubeis, cum quo matrimonium consummavit. Post aliquot dies eadem Laura cœpit prætendere nullitatem quoque istius matrimonii, eo quia celebratum coram parocho proprio contrahentium haud fuerat. Nam initum fuit coram parocho SS. XII Apostolorum, sub cujus parochia mater dictæ Lauræ degebat, sed ipsa Laura, ante primum matrimonium in parochia S. Mariæ de Monterono cum sua genitrice, et postea in monasterio S. Claræ, in quo permansit, usque dum sese copularit cum Bernardino, a quo in proprios lares fuit abducta, nempe sub parochia S. Caroli ad Catinarios. Ponderata re a S. C., ut coadjuventur probationes formaliter faciendæ coram Card. Vicario juxta instructionem rescripsit : *Romana*, *Matrim.*, 19 *dec.* 1702.

53. Non constat, an matrimonia clandestina in Transilvania, ubi vel nunquam publicatum fuit Concilium Tridentinum, vel si publicatum non acceptum est, sint permittenda, seu potius attendenda est dispositio ejusdem Concilii ? S. C. rescripsit, ut scribatur nuntio Viennæ pro informatione, et cum secretario S. C. Propagandæ auditis missionariis, et Episcopus Aladensis doceat præcise de causis suæ scientiæ : *Transilvaniæ*, *Matrimon.*, 1 *decemb.* 1703.

54. Consuetudo habilitare non valet illum, qui non est parochus contrahentium ad confirmandum sacramentum matrimonii, nec est in posterum toleranda : *Toletana*, *Matrim.*, 31 *maii* 1704, *dub.* 1.

55. Et dubium, quoad matrimonia, quæ vigore dictæ consuetudinis fuerunt hactenus contracta sine assistentia proprii parochi, et ex quibus fuerunt jam suscepti filii, num sint modo valida, et filii sint legitimi, S. C. censuit inspecto consensu proprii parochi non indigere responsione : *Ibid. dub.* 2.

56. Raymundus Mugnos y Avalos exoptans cum Maria Antonia Corci disparis conditionis matrimonium inire, ambo ad domum Perpetuæ Venturi accesserunt, et curarunt, ut Joseph Ciaccius œconomus prioratus curam animarum habentis ibi accederet, qui audito tantum nomine benedictionis nuptialis aufugit ; idcirco advocarunt Franciscum Antonium Justum curæ coadjutorem canonicum pertranseuntem, qui affirmavit facere id non posse quod postulabant sine superiorum licentia et tamen ter, quaterque Raymundum violavit maritali affectu mulierem. Consulta proinde S. C, non constare de legitimo matrimonio asseruit : *Nullius*, *Orbetelli*, *Matrim.*, 3 *oct.* 1705.

57. Joannes Andreas Cascianus Januensis mandatum procuræ transmisit pro matrimonio contrahendo cum Julia Sarri civitatis Bastiæ in insula Corsicæ, quo contracto per annos 14 nunquam simul cohabitarunt. Vir postea impugnare validitatem matrimonii studuit, non solum quia procurator mandati fines excesserit, sed etiam ex defectu proprii parochi præsentiæ, et ex vi metuque sponsæ incusso ; sed incassum egerunt ambo, probationibus deficientibus : *Marianen.*, *Matrim.*, 7 *maii* 1707, confirmata 4 *junii ejusd. anni.*

58. Initis sponsalibus inter Ursulam et Regium ob objectum impedimentum affinitatis per Ursulam dissoluta fuerunt, et eadem alia inivit cum Joanne Capocaccia. Sed una facta denunciatione insurrexit Paulus Viola, qui ait anteriora cum Ursula sponsalia contraxisse. Verum Joannes et Ursula ad ecclesiam accesserunt, dum parochus sacrum peragebat, inquiens : *Signor curato state per testimonio*, aliaque verba, quæ parochus sacrificio animadver-

[97] « In qua (causa) Card. Bandinus Panciaticus ejusd. Congr. præfectus suo præsertim suffragio opinionem quam modo exposuimus (id est quod is proprius parochus in celebrandis matrimoniis judicatur, in cujus diti one domicilium constituitur), magno studio, sapienterque tutatus est, eamque unice probandam affirmavit » Bened. XIV, *Inst. Eccl. XXXI*, num, 6, tom. 11, edit. Rom., 1750, pag. 217.

tens non audivit, et reversus vidit virum, et mulierem. Testes autem deponunt audivisse, et vidisse conjunctos illos manibus. De hoc matrimonio dubitatur, sed S. C. renovari consensum ad cautelam coram parocho, et testibus ad formam Concilii [98] arbitrata est: *Balneoregien.*, *Matrim.*, 24 *jan.* 1711.

59. Quum celebratum fuisset a vidua Carlotta Theresia Provana Charcherant cum Josepho Maria de Terraris Taurinensi equite religionis SS. Mauritii, et Lazari, matrimonium coram testibus, et parocho, qui tamen suam præstandi assistentiam ob Archiepiscopi verbalem inhibitionem renuerat, dubitatum fuit de ejusdem validitate, et S. C. primum mandat, ut firma remanente separatione inter sponsos, ac injuncto per Archiepiscopum iisdem præcepto de non conversando sub pœnis ejus arbitrio coadjuventur probationes juxta instructionem [99]: *Taurinen.*, *Matrim.*, 27 *junii* 1711. Deinde distulit resolutionem, ut renovato præcepto de separatione per Card. Urbis Vicarium de non conversando inter ipsos coadjuventur probationes juxta instructionem [100]: 30 *april.* 1712, confirmata 11 *junii ejusd. anni*. Denique ex hactenus dedictis non constare de matrimonii nullitate definivit: 4 *febr.* 1713 [101].

60. Post diuturnum tempus adulterii Leonardi Palmæ viri soluti cum Dominica Mengha uxore Caroli Pappalardi civitatis Gravinæ præceptum injunctum est eis a curia episcopali, ne invicem conversarentur. Verum Leonardus ad cohibendam suam intemperantiam et usum citra suspicionem habendum Dominicæ, curavit matrimonio sibi copulare Rosam filiam ejusdem Dominicæ, et Caroli. Cum hac licet morbo affecta, et in lecto jacente ulceribus plena contraxit matrimonium coram parocho majoris ecclesiæ oppidi Altamuræ, ubi parentes Rosam ad morbum curandum deduxerant. Sed paulo post mortem obivit, non consummato, ut dicitur, matrimonio. Interea ambo in adulterio probroso volutari perexerunt usque ab obitum Caroli viri Dominicæ. Hinc Leonardus cupiens matrimonium inire cum Dominica nullum fuisse dixit matrimonium cum Rosa contractum coram alieno parocho, et cum impedimento dirimente, S. C. vero non constare de nullitate resolvit, et Ordinarius omnino procedat ad separationem juris remediis: *Gravinen.*, *Matrim.*, 5 *martii* 1712.

61. In prima noctis vigilia Maria Angela Dolla et Felix Pavesius omissis denunciationibus coram proprio mulieris parocho inopinato et testibus assertum matrimonium inierunt, cujus validitatem cœpit sponsus impugnare, quod minime protulerat consensum mutuum præseferentia verba coram parocho et testibus, et id jurejurando asseveravit. Mulier e contra testibus etiam munita mutuum consensum iteratis verbis præstitisse confessa est. Hinc processu confecto S. C. constare de validitate matrimonii inter eosdem sancivit, addendo, necnon ad Card. præfectum juxta mentem [102]: *Romana*, *Matrim.*, 6 *aug.* 1712 [103].

62. Inito asserto matrimonio clandestino inter Leonem Michelettum nobilem Aquilanum et Rosam Celajam inferioris conditionis facta fuit controversia super validitate. Nam eadem Rosa prope cubile, ubi sopore gravi detinebatur Leo, perrexerat, et posuit se ad illam partem cubilis, in qua dormiebat Leo, quando statim venerunt accenso lumine fratres mulieris, et armis onusti coegerunt virum coram parocho vocato prætextu commendandi animam moribundæ, ad consensum præstandum causa proximum periculum vitæ evitandi. De hac re consulta S. C. non constare de validitate ex adductis arbitrata est: *Aquilana*, *Matrim.*, 1 *junii* 1715 [104].

63. Nondum resoluta quæstio erat super validitate sponsalium in S. C. deducta inter Angelicam Traseam de Luniano et Ceciliam Leone cum Thoma Trenta, quando conjugium clandestine interim attentare Thomas cum Angelica ausus est. De hoc parochus ait tempore Missæ celebrationis solum audivisse a dicto Thoma, *questa e la mia sposa*, et reversus nullum verbum audivisse, aut actum vidisse mulieris, ac idem Thomas etiam post Missam arrepta brachio Angelica verba super expressa pro-

[98] Vide not. 31 præcedentem.

[99] Instructio in eo sita est « ut melius probationes coadjuvaret super obitu Zughetti Rochefort Beniprimi jam dictæ mulieris viri, recipiendas ex ejus sanguine conjunctis, concivibus, atque commilitonibus, ac ulterius EE. PP. instructos redderet, quisnam esset parochus domicilii præfatorum sponsorum, antequam ad ecclesiam S. Demetrii confugerent, et quanto tempore in eadem ecclesia permanserint, ante prætensi matrimonii celebrationem; atque tandem particulam professionis prælibati equitis Josephi transmitteret, una cum aliis possibilibus notitiis super hujusmodi equitum SS Mauriti et Lazarii conjugis. » *Ibid.*, sub die 30 april. 1712.

[100] « Nempe super obitu Zughetti Rochefort Beniprimi jam dictæ mulieris viri: *Ibid.*, sub die 11 junii 1712.

[101] Advocatus Dominicus Ursaya hanc dixit causam, et rationes, ac jura edidit pro dicti matrimonii validitate: *Discept. Eccl. XIV*, tom. 2, part. 1, *per tot.*

[102] Et mens est ut fiat aliqua publica demonstratio modorum irregularium, qui a patre sponsi erga eumdem sponsum adhibiti fuerunt: *Ead. causa*, 6 aug. 1712.

[103] In favorem viri strenue propugnavit in hac causa advocatus Dominicus Ursaya, solidis rationibus exhibitis: *Discept*, *Eccl. IV*, tom. 1, part. 2, *per tot.*

[104] *In discept. Eccl. XXI*, tom. 2, part. 1, *per tot*, advocatus Dominicus Ursaya sua jura protulit, quibus in hac causa nullitatem matrimonii defendit in S. C. Concilii.

tulit. Mulier examinata testatur verba consensus exprimentia protulisse. Re in S. C. perpensa constare de validitate, ita ut conjuges sint relaxandi putavit: *Amerina, Matrim.*, 12 *januar.* 1715.

64. Frequentem esse exponit S. C Archiepiscopus Bracaræ matrimoniorum clandestinorum celebrationem, magnas proinde quoque in his regionibus perturbationes hujusmodi celebratio ingerit, quapropter idem Præsul opportunum remedium ex Apostolica auctoritate proveniens præstolatur. Verum S. C. statis provisum per Concilium [105] esse censuit: *Bracharen., Dub.*, 26 *januar.* 1715, *dub.* 4.

65. Carolus Blanchettus rectorem ecclesiæ SS. Andreæ et Agathæ Missam celebraturum alta voce interpellavit, proferens verba matrimonialis consensus cum Catharina Joannis Baptistæ, nomine Pauli Antonii Morgantelli, cujus mandatum procuræ manu exhibuit coram testibus ad id nuncupatis. Hac de causa super validitate connubii orta quæstione præsertim, quia Paulus Antonius Morgantellus mandatum procuræ re adhuc integra revocasse autumavit. S. C. autem decretum distulit, ut coadjuventur probationes juxta instructionem: *Interamnen., Matrim.*, 30 *martii* 1715, *dub.* 1 et 2.

66. Inito conjugio inter principem regium Constantinum Subjeschi et nobilem comitissam Josepham de Wesel coram parocho et testibus in civitate Gedani, ac consummato prædictus princeps se a connubiali fœdere expedire constituit, eo sub obtentu, quod tam ipse quam prælaudata puella alienigenæ essent a civitate prædicta licet eadem per novem menses ibi commorata fuerit; animum tamen domicilium acquirendi, ut perhibetur, nunquam habuit. Hoc irritum esse contendit vigore Concilii Tridentini, quanquam contractum fuisse coram parocho ratione dicti domicilii appareat. Sed S. C. subsistere declaravit: *Leopolien. seu Uratislavien., Matrim.*, 20 *sept.* 1715.

67. Jacobus Antonius Celia et Angela Frisari degentes in civitate Liciensi copulam habuerunt sub matrimonii spe, ac denegante vicario Lyciensi ob defectum liberi status documenti illud contrahendi facultatem, ipsi sese transtulerunt in terram Martignani diœcesis Hydruntinæ, et obviam euntes parocho professi sunt ad dictam terram accessisse ut ibi incolatum ducerent, ac matrimonium in ecclesia parochiali coram dicto parocho et testibus contrahere præsumpserunt. Sed instante curia episcopali quoad ejusdem validitatem, S. C. voluit ut renovetur consensus ad cautelam coram parocho Martignani, quando constet de statu libero utriusque coram Ordinario Hydruntino: *Hydruntina seu Lycien., Matrim.*, 14 *martii* 1716.

68. Carolus de Receputis matrimonium inire putavit cum Nicolaa de Campagnolis, quæ e civitate Æsii traducta fuerat Cæsenam, adeoque coram parocho habitationis Nicolaæ præsentibus testibus sed clandestine, nullis præviis denunciationibus neque exhibitis testimonialibus status liberi Ordinarii Æsii consensum expressit Carolus, atque actibus accensa est Nicolaa. Sed quum parochus matrimonium præsensisset, statim ac vidit Carolum manu ducentem Nicolaam, aufugit, seque intra mansionem recepit, clauso ostio, ita ut non intellexit verba consensum exprimentia. Testes tamen de consensu deposuerunt. Ad instantiam Antonii Pasquini, qui cum Nicolaa sponsalia antea contraxerat de validitate prædicti matrimonii quæsitum est et S. C. validitatem defendit: *Cæsenaten., Matrim.*, 3 *octob.* 1716.

69. Matrimonium initum est inter nobilem virum Franciscum de Robertis parochiæ S. Mariæ vulgo a Cancello civitatis Neapolis, et Luciam Capiello oriundam, ac incolam Casalis S. Petri diœcesis Neapolitanæ. Hæc enim e loco sui domicilii Neapolim profecta, ubi post duorum mensium moram sub parochiali ecclesia S. Mariæ ad Rotundam in eadem ecclesia præmissis denunciationibus matrimonium celebravit. Mortuo jam viro, et nata prole ratione successionis nullum prætendebatur. Interrogata idcirco fuit S. C. quæ validum esse judicavit: *Neapolitana, Matrim.*, 17 *novem.* 1714. Inde obiit Lucia, et proposita denuo fuit causa in S. C. quæ *in decisis* respondit: 29 *aug.* 1767.

70. Vitus Romigiallus matrimonium iniit cum Maria Elisabetha Donati coram testibus, et alieno parocho, qui tamen dixit se habuisse facultatem a vicario generali. Oppositum tamen fuit quod vicarius prædictus facultatem hujusmodi impertiri nequiverit, quia Episcopus proprio contrahentium parocho inhibuerat, ne eos matrimonio jungeret, tum quia vicarius generalis facultatem conditionatam, quatenus adfuisset propinquorum viri consensus, concesserat. Proposita hinc causa validitas decreta est: *Pistorien., Matrim.*, 22 *april.* 1719.

71. Joannes Petrus Ferrarius ex oppido S. Agathæ diœcesis Vercellarum matrimonium in faciem

[105] Sess. 24, cap. 1, *de Reform. matrim.* ubi patet, non valere amplius in præsens matrimonium clandestinum contractum nempe sine præsentia parochi, vel alterius sacerdotis, de ejusdem parochi aut Ordinarii licentia, et duorum, vel trium testium. Verum « certum est (ait Bened. XIV, *de Synod. diœces.*, lib. VIII, cap. 15, num 5, edit. 1753) etiam nunc matrimonia clandestina vera, et rara esse in locis, in quibus prædictum decretum (Tridentini) nunquam fuit promulgatum. »

ecclesiæ per verba de præsenti cum Anna Maria Pramajori e loco Dorzani ejusdem diœcesis, præmissis denunciationibus in ecclesia parochiali memorati oppidi contraxit. Omissæ vero fuerunt denunciationes in parochiali Dorzani de consilio parochi, qui eas non esse necessarias in loco originis, ex quo Anna Maria moram in dicto oppido per decennium vita durante primi sui mariti traxerat, putavit. Desuper S. C. audita, non esse necessarias denunciationes in loco originis, firmavit, deinde dubio, num esset clandestinum? ut audiretur Dataria, præcepit: *Vercellen.*, 6 *maii* 1719, *dub.* 2.

72. Cæcilia Sannini matrimonium contraxit cum Laurentio Appetito coram parocho S. Catharinæ in Foro Magno urbis Neapolis. Post aliquot dies cohabitationis aufugit vir, et absque eo quod ullus rumor de ejus morte præcessisset, aliud iniit connubium cum Januario Avitabile, cum quo tres filios procreavit. Aliquot elapsis annis Laurentius Neapolim rediit, et non procul dubio fuit alterutrius matrimonii validitas. Cæcilia nullum primum matrimonium esse dixit, quia haud contractum est coram proprio unius ex contrahentium parocho. S. C. vero nulla data definitione, Archiepiscopo Neapolis juxta instructionem [106] rescripsit: *Neapolitana, Matrim.*, 8 *julii* 1719.

73. Quidam miles Italus stationes habeat hybernas sibi assignatas a supremo militiæ duce in Urbe Scardonæ. Obtenta licentia civitatem Jadretæ petiit, ibique matrimonium contrahere cum puella Jadrentina curavit, sed ab Archiepiscopo licentiam non habuit. Hinc uterque ab urbem Nonæ alteri Ordinario subjectam se contulerunt; exhibitisque coram vicario generali probationibus super statu libero ab ipso matrimonio juncti sunt. Archiepiscopus prædictus de matrimonii validitate dubitavit, uti non contracti coram proprio parocho neutrius ex contrahentibus. At S. C. dubium non dirimit, et ut scribatur juxta instructionem mandavit: *Jadren.*, 24 *aug.* 1720.

74. Ac etiam quæsita quoad pœnam, cui subjectus sacerdos remansit, qui præsentiam, et assistentiam præstitit matrimonio prædicto, nihil resolvit, sed scribendum ut supra censuit: *Ibid.*

75. Antonius Romagnolus Cæsenas captus amore Angelæ de Nave filiæ Silvii pariter Cæsenatis, et Barsiaræ Bricciole Foroliviensis, bis domo paterna, ac patria aufugit, atque civitatem Foro-Livii petiit, ubi quoque Angela se recepit. Ambo inde per epocham subscriptam coram quinque testibus sponsalia contraxerunt; ac Angela se venisse Foro-Livium, ad ibi domicilium eligendum in domo avæ maternæ, cum juramento declaravit. At Episcopus Cæsenæ fidem status liberi transmittere renuit; ac etsi curia Ravennæ inhibuerit, ne matrimonium contraheret absque illa fide, tamen Angela petiit parochialis S. Blasii cubiculum parum distantem a domo, et coram duobus testibus, et parocho fidei rudimenta, et doctrinam christianam puellis explicante, per verba de præsenti se conjuges esse declararunt. Facta controversia est super matrimonii validitate, quod esse validum S. C. existimavit: *Cæsenaten., seu Forolivien., Matrim.*, 20 *febr.* 1723, *dub.* 1, confirmata, 26 *junii ejusd. anni.*

76. Bartholomæus Cordella, et Clara paradisi, qui matrimonium contrahere rite cupidi erant, dum denunciationes explebantur, oppositum fuit impedimentum ex parte alterius viri, qui Claram ducere volebat, quæ ad Montem Gibertum se transtulit, donec matrimonium cum Bartholomæo iniret cum consensu, et voluntate patris. Et revera quatuor elapsis mensibus coram parocho sacramentales confessiones audiente, et testibus perfecerunt, matrimoniumque consummarunt. Contendente vero promotore fiscali nullitatem matrimonii initi coram non parocho proprio S. C. validum fuisse putavit: *Firmana, Matrim.*, 24 *april.* 1723, *dub.* 1.

77. Matrimonium confectum per verba de præsenti in faciem ecclesiæ S. Pauli civitatis Placentiæ inter Bartholomæum Malaspina, et Rosam de Corvis coram duobus testibus, et parocho ejusdem Rosæ, nullis præcedentibus denunciationibus, parochoque prædicto sub alio prætextu vocato, et reluctante, S. C. validum existimavit: *Placentina*, 3 *febr.* 1725, *dub.* 1.

78. Matrimonium initum fuit inter regium principem Constantinum Subjeski filium Joannis III gloriosissimi Poloniæ regis, et comitissam Josepham de Wessell coram parocho Urbis Gedani. Princeps inde autumavit nullum fuisse matrimonium, quod coram non proprio parocho contractum erat. S. C. quæsita petivit, ut exquiratur votum Rotale [107],

[106] Instrui voluit de rationibus, ac causis, quæ curiam ipsam ecclesiasticam induxerunt ad pronunciandum validum fuisse matrimonium contractum a dicta Cæcilia cum Laurentio prædicto. Expectant itaque rationes ex quibus pronunciatum fuit in ipsa curia pro validitate matrimonii, ut decernere et dignoscere valeant, an revera subsistat in facto motivum ab informantibus excitatum: *Regist. Lit.*, lib. 25, die 8 junii 1719.

[107] Hinc proposuit sacer Rotæ Tribunal hoc dubium: *An matrimonium, de quo agitur substineatur*, et omnibus DD. suffragantibus *affirmative* responsum fuit, ut patet ex decis. 1298, tom. 6, cor. *Lancetta*, ubi probatur, quod ad contrahendum valide matrimonium, satis est ut coram parocho alterius ex conjugibus iniretur; et habitatio localis ad effectum, ut parochus istius valide contrahentes conjungere in matrimonium possit non requiritur, quod ex longa permanentia sit contracta, sed per duos menses sat est juxta S. C. Concilii resolutiones, *quas hoc*

quod validitatem defendit. Principissa enim in dicto loco habitaverat per decem menses ante initum matrimonium, et postea fere duobus annis ibidem permansit. Hinc hujusmodi votum exequendum esse S. ead. C. declaravit : *Leopolien., Matrim.*, 9 *junii* 1725.

79. Antonius Maria Biglieni matrimonium contraxit coram parocho Montis Luponi, ubi ex loco Montis Casarii una cum duobus testibus accesserat cum quadam muliere Theutonica, nomine Anna Margarita Uffrenin eademque adhuc vivente, alium iniit in Urbe coram parocho cum Catharina Galli. Hic contendi primum matrimonium nullum fuisse, quia Anna Margarita coram parocho licet non proprio suum expressit consensum, non tamen ipse, ex quo statim ac loqui incœpit, parochus aufugit. De his exhibent testimonia, tum etiam quod illud connubium non fuit adnotatum in libro matrimoniorum, et opponente muliere res in S. C. est agitata, quæ nullum matrimonium prædictum declaravit : *Lauretana*, 13 *julii* 1725.

80. Elisabeth de Ghirardis nullitatem matrimonii per procuratorem a se initi cum Hieronymo de Raphaelibus proposuit, ex quo antequam illud contractum fuisset, mandatum a se fuerat revocatum, licet revocatio tunc ad notitiam procuratoris deducta non fuisset; vel etiam ex quo contractum fuerat coram parocho cathedralis, qui nec viri, nec mulieris proprius parochus erat. S. C. causæ resolutionem distulit, ac interim præcepit, ut puella caute transferretur ad aliquod monasterium Tiferni Tiberini, in quo exploraretur ejus voluntas ab Episcopo juxta instructionem : *Eugubina, seu Perusina, Matrim.*, 25 *januar.* 1727. Deinde pro nullitate matrimonii rescriptum est : 5 *julii ejusd. anni.*

81. Matrimonium contraxit Anna Maria Morillo cum Luciano Genovese. Huic connubio contradixit Gaspar puellæ pater. Explorata puellæ voluntate, ipsa retulit libere, imo libentissime matrimonium contraxisse. Pater tamen nullitatem matrimonii opposuit ratione præcedentis inhibitionis per Ordinarium Agrigentinum parocho factæ, ne connubio assisteret. Verum S. C. validitatem vindicavit : *Aggrigentina, Matrim.*, 15 *martii* 1727, *dub.* 1.

82. Marchionissa Lelia Maria Fava vidua matrimonium contraxit cum Aurelio Versalia prævia dispensatione proclamationum, et sacerdos capellanus, qui eos conjunxit, libro matrimoniorum adnotavit, se connubio interfuisse ex speciali parochi licentia. Matrimonio adhuc non consummato ac denunciationibus indictis, ægreferentia Leliæ consanguineorum, ac filiorum primi matrimonii manifestata fuit. Actum est de dissolutione, et primum propositum dubium de validitate S. C. explicat, validum decernendo : *Cæsenaten.*, 20 *decem.* 1727, *dub.* 1.

83. Contracta sponsalia fuerunt in civitate Venafri inter Annam Gentilem, quam natam in terra Bareæ genitores se contulerant ad eamdem civitatem, et eam incolebant, cum Joanne Baptista Rocco; inde ambo matrimonium inire appetebant. Sed curia episcopalis licentiæ petitioni refragata est sub obtentu, quod mulier alia contraxisset sponsalia cum Josepho Marchetta. Anna idcirco discessit a civitate Venafri, et una cum germano fratre se contulit in terra Bareæ, in qua habitabant patruus, et amita; et post quadraginta dies matrimonium cum dicto Rocco, qui supervenit, contraxit, absque tamen denunciationibus, et dum archipresbyter Missam celebrabat, et conversus ad adstantes dicebat : *Dominus vobiscum.* Deinde petierunt nullum hoc matrimonium declarari; et re perpensa nullum S. C. esse decrevit : *Venafrana, seu Nullius Montis Cassinen., Matrim.*, 20 *decem.* 1727.

84. Anna Maria de Horst nupsit Boleslao Sohtuerin hæretico coram ministro hæretico Castrensi, qui tamen proprius illius legionis, sub qua Boleslaus militabat, non erat, licet parochus catholicus commode in eodem loco haberi potuisset, et Concilium Tridentinum ibidem fuisset publicatum. Ex hoc connubio duo filii nati sunt. Post quinquennium vir Annam Mariam deseruit, abiitque in longinquas regiones Sveciæ, et matrimonium cum hæretica muliere contraxit. Anna Maria itaque desiderio tenetur nullitatem matrimonii declarandi, quia coram proprio parocho haud fuit celebratum : et S. C. ad mentem respondit : *Colonien.*, 21 *febr.* 1728.

85. Alexander Ursinus amore captus puellæ Annæ Gonfiantini, ipsam sub fide matrimonii in scriptis data compressit. Dum inde denunciationes explebantur comes Virginius Alexandri pater matrimonio restitit. Sponsi itaque coram parocho, et testibus nocturno tempore matrimonium de præsenti celebrare tentarunt; sed parochus statim ac cognovit ex Alexandri voce, quid agere sponsi vellent, aufugit, ita ut nec sponsam viderit, nec ejus consensum intellexerit; sed vir tantum duo testes de consensu a muliere etiam expresso deposuerunt Actum est proinde de nullitate instante Virginio; quam sponsi parati essent ad illud rite contrahendum. S. C. autem, ut renovetur consensus ad cautelam coram parocho, et testibus juxta formam Concilii Tridentini [108] rescripsit : *Romana, Matrim.*, 28 *julii* 1730.

nostrum Tribunal reverenter suscipere, et semper sequi passim protestatur : Ibid., num. 9.

[108] Vide not. 31 præcedentem.

86. Matrimonium contractum inter Juliam della Corte, et Josephum Calvani coram archipresbytero ecclesiæ Metropolitanæ, et parocho regionis S. Scholasticæ, quamvis initum extra regionem prædictam, postquam S. C. rescripserat, dilata, et coadjuventur probationes juxta mentem [109] : *Baren., Matrim.*, 29 *aug.* 1733 illud validum declaravit : 18 *decem.* 1734, *dub.* 2.

87. In oppido Nursiæ parochiæ finibus non sunt distinctæ, sed ex certis familiis constant. Ibidem consuetudo viget, ut non sponsæ parochus, sed sponsi nuptias conciliet. Exteri vero, qui domicilium ibidem collocarunt rectori ecclesiæ matricis subsunt, et coram ipso matrimonia contrahunt. Facta fuit quæstio inter rectorem prædictum, et parochum ecclesiæ S. Benedicti ; num exteri, qui Nursiam adveniunt matrimonium celebraturi, ac inde in patriam cum sponsa reversuri, coram rectore ecclesiæ matricis, vel potius coram parocho ecclesiæ S. Benedicti, quoties sponsæ eidem ecclesiæ adscriptæ matrimonium celebrari debeant ad implendum S. Concilii præscriptum de contrahendo coram proprio parocho. S. C. autem rescripsit in favorem parochi S. Benedicti : *Spoletana, Juris assist. matrim.*, 18 *julii* 1733. Deinde instante rectore ecclesiæ matricis, et consuetudinem allegante, quæ nec legitime fuit præscripta, quia etiam coram aliis parochis hujusmodi matrimonia contracta fuisse compertum fuit, S. C. in decisis respondit : 16 *martii* 1737.

88. Gratia Mautona vilis conditionis, et Cæsar Luciani civis clandestinum matrimonium contrahere pertentarunt, sed re infecta a præsentia parochi discesserunt ; inde gratia cum quodam homine pannis involuto coram parocho, et quibusdam mulierculis consensum expressit, prout et ipse homo, qui non explicato pallio aufugit. Gratia eum dixit fuisse Cæsarem : Cæsar vero denegavit, imo negativam coarctatam probavit. Mulieres in depositionibus variæ expertæ sunt. Hinc S. C. distulit decretum addendo ad mentem : *Neapolitana, Matrim.*, 13 *junii* 1733. Causa reproducta patuit Cæsarem cum Gratia sponsalia contraxisse, et trinam proclamationem factam fuisse pro matrimonio celebrando, et non constare de matrimonio S. C. judicavit : 19 *sept. ejusd. anni.*

89. Quirinius Chiudinovich, et Catharina Lallich coram vicario generali Segnensi, ac duobus testibus matrimonium clandestine contraxerunt. Vicarius sponsos increpavit, se non audivisse consensus formulam ; iterum igitur repetitus fuit consensus, quem nihilominus non intellexisse in sua depositione declaravit. Intellexit tamen quid illi facere voluerunt. De viribus hujus matrimonii fuit disceptatum, etiam quia Episcopus Segnensis duas administrabat diœceses, adeoque ignorabatur, an duo essent vicarii generales ; sed unus tantum erat vicarius generalis deputatus absque jurisdictionis restrictione super una tantum diœcesi. S. C. vero validitatem matrimonii defendit : *Segnen., Matrim.*, 17 *novem.* 1736.

90. Vincentius Papa oriundus e terra Casarani, ut sponsalia inita cum alia puella eluderet, coram parocho oppidi Matini, ubi quatuor annorum spatio moram traxerat, matrimonium clandestinum contraxit cum Carmina coram parocho ejusdem oppidi Casarani. Parochus aufugit, aures obturavit, intellexit tamen quid egerint. Dubium super validitate matrimonii exortum S. C. enucleavit, validum matrimonium præfatum judicando : *Neritonen., Matrim.*, 14 *junii* 1738.

91. Matrimonium contractum est a Rosalia Papi cum Gerardo Piccolomini principe della Valle coram parocho, dum ab altari jam conscius de eorum intentione quam festinanter discedebat, quique etiam nulla audivit verba consensum exprimentia, intellexit tamen ex nutibus, signis, et actibus, quid agere voluerunt. Ad disquisitionem S. C. vocatum hoc connubium validum est declaratum : *Neapolitana, Matrim.*, 6 *maii* 1740. Posteaquam S. ead C. præscripserat, ut daretur defensor matrimonii sumptibus instantis : 17 *decem.* 1740.

92. Nicolaus Brunetti, et Constantia de Clara parochum sub prætextu audiendi confessionem cujusdam infirmæ domum pepulerunt, ubi verba consensum denotantia etiam coram testibus protulerunt. Parochus testatus fuit audivisse tantum mulierem, minime autem virum, quem ne quidem noscebat, parochus enim objurgando clamabat ; testes vero etiam de viri consensu deposuerunt. Quæstio proinde de nullitate ad instantiam Brunetti intituta fuit, et validum matrimonium fuit judicatum : *Neapolit., Matrim.*, 6 *maii* 1741.

93. Antonius Koppnrhat Dorotheam de Altaus viduam baronis de Breisingn domini sui in matrimonium ducere concupiscens, et nolens in loco Hortualde consanguineorum mulieris metu matrimonium celebrare, Ordinario Paderbonensi supplicavit, ut vellet Annæ Franciscæ Altoff famulæ cubiculariæ Dorotheæ, quæ erat vaga, domicilium constituere in oppido Winsembk loco originario ipsius Antonii eumque rogavit ut parocho Winsembk licentiam traderet in matrimonium sine præviis proclamationibus oratorem copulandi cum dicta Anna Francisca de Altoff ; sed obtenta licentia cum Dorothea matrimonium celebravit. Sævitiis modo inter hos exortis, petivit Dorothea matrimonium invalidum declarari, et

[109] Vide not. 23 præcedentem.

S. C. re sapientur expensa ex hactenus deductis de nullitate constare resolvit : *Paderbonen., seu Monasterien., Matrim.*, 25 *febr.* 1741, confirmata 7 *aug.* 1745.

94. Simo Lo Lago, et Catharina Baratta in publica ecclesia pluribus adstantibus testibus coram Catharinæ parocho matrimonium clandestine contraxerunt, advenit deinde capellanus curatus Simonis, et iterum coram eo consensum mutuum expresserunt. In dubium vero hoc matrimonium fuit revocatum, quod Simo Catharinam de domo paterna rapere ausus est, ac consensus deficiebat. Verum neutrum probatum fuit, adeoque validitatem matrimonii S. C. tuetur : *Cassanen., Matrim.*, 17 *febr.* 1742.

95. Comes Joannes de Dourozyn Sollohub supremus magni ducatus Lithuaniæ Thesaurarius, et comitissa Constantia de Kryspin Pakouva ejusdem ducatus vexillifera matrimonium ineundi libidinem habentes intra diœcesim Varmiensem facultatem ab Apostolico nuntio Poloniæ impetrarunt matrimonium contrahendi coram parocho comitis, vel alio presbytero per eum delegato, nulla præmissa denunciatione. Initum fuit matrimonium in oppido Tuburgi Samogitiensis diœcesis, nuptiæque benedictæ fuerunt a religioso ordinis S. Pauli primi Eremitæ præsente parocho Turburgi. Fere sex elapsis annis validitas illius fuit in quæstione posita, sed consensus per verba de præsenti coram vicario generali ad cautelam fuit renovatus, ac conjuges in fœdere conjugali perpetuo mansuros spoponderunt. Verum tribus inde lapsis annis nova a viro excitata est controversia, quæ ad S. C. delata, constare de validitate matrimonii judicium prodiit : *Samogitien., seu Vilnen., Matrim.*, 26 *januar.* 1743, confirmata 16 *martii ejusd. anni*.

96. Ab Episcopo Csanadiensi hoc fuit dubium propositum : Catholicus Latini ritus alias æque proprium domicilium habens cum muliere pariter catholica græci ritus a parocho græci ritus unito non proprio copulata est, utpote in regione, ubi permixtim catholici latini, et græci ritus cum schismaticis græcis habitant ; S. C. de hoc dubio mandavit scribi Episcopo juxta instructionem [110] : *Csanadien.*, 8 *aug.* 1744, *dub.* 4.

97. Riccardus Lo-Presto stuprum intulit Claræ Maglio sub promissione futuri matrimonii, quod inde clandestine coram parocho, et testibus contraxit. Parochus statim ac intellexit matrimonium celebrandum clamando aufugit, cognovit tamen, quid agere voluerunt, ac testes de mutuo consensu deposuerunt. Matrimonium consummatum fuit. Consanguinei tamen Riccardi ægre ferentes dictum connubium eum ab uxore abduxerunt, et uxor ab eisdem consanguineis in monasterium detrusa est. Validitas illius in disceptationem venit, et hæc a S. C. fuit propugnata : *Tarentina, Matrim.*, 29 *maii* 1745, confirmata 17 *julii ejusd. anni*.

98. Episcopus Posnaniensis, et Varsaviensis, exponens plurimos adesse, qui non habent determinatum domicilium, quum illud a gratia regis, negotiisque dependeat. Quærit ab Ecclesia Romana, qui sollicitudinem habet omnium ecclesiarum, an eorum sit parochus occasione matrimonii ; an nonne dispositiones sacrorum Canonum de vagis ipsis inservire possint, ut secundum illarum præscriptum matrimonia inter tales celebrari valeant ? S. C. dilata, et ad mentem [111] : respondit : *Posnanien., Visit. sacr. Liminum*, 12 *febr.* 1746.

99. Xaverius Gangale, quem Episcopus e græco ad latinum ritum translatum asseruit, matrimonium iniit cum græca puella Laureta Stratico coram parocho græco, adeoque contra formam Constitutionis *Etsi Pastoralis* [112]. Verum a prædicto Xaverio translatio hujusmodi ad ritum Latinum fuit impugnata, nec in Constitutione præcipitur, ut matrimonium hoc pacto contractum nullum judicetur, qua propter responsum est pro validitate illius facto verbo cum Sanctissimo : *Cassanen., Matrim. et nullit. censur.*, 26 *april.* 1749, *dub.* 1.

100. Baro Cajetanus Tondut, et puella Rosalia Ardizzonia Nicienses coram parocho, dum sacrum agebat, et ad populum se vertebat, mutuum consensum significarunt. Parochus licet protestatus fuerit de consensu sibi non constare, tamen conjuges matrimonium consummarunt. Parochus negavit consensum audivisse, nec operam dedisse, ut non audiret, sed tantum intellexisse petitionem benedictionis cum testium designatione, testatur. Baro consensum non negavit, sed dumtaxat se non reminisci dixit. Rosalia e contra de utriusque consensu deposuit, ac de consummatione. S. C. autem desuper interrogata validum matrimonium prædictum judicavit : *Nicien., Matrim.*, 13 *febr.* 1751, confirmata 19 *junii ejusd. anni*.

101. Contractis sponsalibus inter Beatricem Petrelli, et Marcum Alitto, matrimonium inire sponsi curarunt, re a sponsi patre detecta, hic mandavit, ut filius in principis palatio custodiretur, et inde Consentiam misit, ut ibi militiæ nomen daret. Mar-

[110] Vide not. 81 præcedentem.

[111] Mens est, ut scribatur Nuntio apostolico pro informatione, et voto : *Ead. causa*, 12 febr. 1746.

[112] Bened. XIV in sua Const. *Etsi Pastoralis*, 26 maii 1742 (*Bull. ejusd.*, tom. 1, pag. 75 § VIII, num. 11), decernit, quod « matrimonium inter maritum latinum, et græcam mulierem, latine coram parocho Latino contrahatur. »

cus vero Consentiam accivit Beatricem ; et coram parocho cathedralis ecclesiæ matrimonium contractum est. Inde conjuges separati fuerunt, et nullum matrimonium fuisse dictum est ex defectu consensus, publicationum, et proprii parochi, et si Marcus uti relegatus censeri deberet. S. C. consulta non constare de nullitate matrimonii decrevit : *Consentina, seu Bisinianen., Matrim.*, 15 *april.* 1752, confirmata 29 *julii ejusd. anni.*

102. Didacus Archayna prænobili genere natus honestam, sed pauperem puellam Melitonam Melendeb compressit, indeque eam in matrimonium ducere expetens una cum Melitona, et testibus ad parochum noctis tempore perrexit, ibique matrimonium inire præsumpsit. Omnes in carcerem conjecti fuerunt, et causa proposita super validitate S. C. respondit, ut iterum proponetur, et scribant duo theologi, et canonistæ pro veritate, et officio : *Carthaginen., Matrim.*, 7 *april.* 1753. Hisce hoc exhibitum fuit dubium ; an validum sit matrimonium coram parocho, qui alterutrum ex contrahentibus identifice, et singulatim non cognovit, nec noscere potuit vel propter noctem, et obscuritatem loci, vel propter tegumentum, quo operiebatur, licet adhibuerit omnem dilligentiam, ut perspectum haberet, etiam cum aliquali violentia coram testibus, et quamvis iidem testes ad matrimonium perducti scirent, quis ille esset, et parochus non simultanee, sed successive, et post factam Ordinario relationem ejusdem matrimonii certior factus fuerit de illius identitate et subsequuta inquisitione theologus alter matrimonium validum censuit, cæteri nullum ; et S. C. pro validitate inspectis facti circumstantiis in casu de quo agitur, respondit : 22 *sept. ejusd. anni.*

103. Carceribus arcis collis Alti mancipatus fuit Franciscus Fratinius stupri accusatus a Barbara Felli utero gravi, ultra annum carcerum angustias libenter tulit, matrimonio constanter renuens, tandem ejus constantia fracta, illi consensit, ac coram parocho arcis contraxit, qui proprius parochus viri existimatus est ex ejus diuturna mora in carceribus. Sed libertatem adeptus vir aufugit. Barbara vero ab alio viro compressa ipsum ibi sumere cupiens, petiit declarari primi nullitatem. S. C. rescripsit, ut scribat defensor matrimonii : *Reatina, Nullit., matrim.*, 11 *decem.* 1756. Iterum causa proposita : dilata, et transportentur acta criminalia curiæ laicalis dictum est : 12 *febr.* 1757.

104. Dum parochus Bonard in sacrario parochialis, et collegiatæ ecclesiæ oppidi Baumes sacris vestibus induebatur, Joseph Vernas, et Blanca Dumas ad ejus pedes pervoluti loqui cœperunt. Parochus intellexit, quid agere vellent, eosque increpando aufugit. Testes, et parochus nulla verba consensum exprimentia perceperunt. Mulier in monasterium fuit collocata, et inde nullitatem matrimonii proposuit. S. C. distulit resolutionem, et examinari parochum, et binos testes formaliter jussit, et nihil de egressu monasterii : *Avenionen., seu Auriacen., Matrim.*, 2 *april.* 1757. Completo examine nihil de consensu expresso deprehendi potuit, imo compertum est, quod unus tantum adfuerit testis, alter nec audire, nec videre poterat, quæ in sacrario agebantur, hinc non constare de matrimonio S. C. decidit : 30 *julii* 1768.

105. Theresia Carandinia e civitate Mantuana Pisaurum translata, triduo in domo avita, ac intra fines ecclesiæ cathedralis sita moram traxit, inde in monasterium recepta est. Mox e monasterio egressa, ut matrimonium iniret, ne sola in dicta domo moraretur, petiit domum marchionis Arduini sitam intra fines parochialis ecclesiæ S. Luciæ. Contendentibus parochis de præsentia matrimonii, Episcopus illud vicario generali commisit. Sed parochus præsertim ecclesiæ cathedralis institit, ut definiatur an pro contrahendo matrimonio proprius parochus puellæ Carandini fuerit parochus S. Luciæ, vel cathedralis? Ad mentem S. C. respondit : *Pisauren.*, 18 *junii* 1757.

106. Nobilis vir Hieronymus Pasius conscientiæ stimulis motus in matrimonium ducere Joannam Mattheucci ei famulatu addictam statuit. Ast præpedientibus suis consanguineis matrimonium clam contrahere nequivit. Absente igitur parocho, advocato in ipsius domo ejus vicario matrimonium contraxerunt, indeque ablata Joanna in alienam ditionem, Jacobus Pasi filius fratris Hieronymi rem habuisse dixit cum dicta Joanna, ex quo affinitatis impedimentum oriebatur. Proposito autem dubio, an constaret de validitate matrimonii, seu sit renovandum ad cautelam ? renovari coram parocho, et testibus ad cautelam responsum est : *Faventina, Matrim.*, 22 *junii* 1758.

107. Franciscus Pinelli Tocci dux, et Antonia de Notariis matrimonium secreto contraxerunt coram non proprio parocho vigore brevis Sacræ Pœnitentiariæ. Sed orta est controversia, an dictus brevis directus fuisset *proprio oratorum parocho, seu cuicumque confessario ex approbatis.* Ex testium depositionibus nil certi erui potuit. S. C. consulta nihil decidit jubendo, ut defensor matrimonii scribat. *Neapolitana, Matrim.*, 1 *sept.* 1759. Inde declaravit nullitatem dicti connubii : 22 *ejusd. mensis, et anni*, confirmata 24 *novem. ejusd. anni.*

108. Comes Ludovicus Bernabei clam, nullisque præmissis denunciationibus in matrimonium duxit in sua rurali domo Montis Daghi Annam Bulgareli coram parocho ruralis ecclesiæ Montis Angeli pluribus adstantibus testibus. Actum proinde fuit de

nullitate matrimonii ab Antonio Martelli ob sponsalia contracta cum ejus filia, ac ob deficientiam proprii parochi. Sed probato animo commorandi sub dicta parochia quamvis ibidem vix cœpit habitare, S. C. non constare de matrimonii nullitate definiit: *Anconitana, Nullit. matrim.*, 10 *maii* 1760.

109. Antonius Motta, et Anna Travagli Zecchini sese contulerunt ad ecclesiam S. Roniani parochiam mulieris ac post sacrum peractum a vicario curato coram testibus mutuum consensum in matrimonium expresserunt, aufugerunt inde judicis ecclesiastici metu. Antonius vero querelam nullitatis exposuit ob defunctum expliciti consensus mulieris, et formalis præsentiæ parochi : utrumque autem exclusum fuit, ac validitas matrimonii est firmata : *Ferrarien., Matrim.*, 16 *januar.* 1762, *dub.* 1.

110. Quum matrimonium celebrandi cum Francisca Urbani ejus matris cubicularia coram parocho, et testibus comitem Ludovicum de Vecchis cupiditas teneret, hæc protulit verba uti testatur parochus : *Sappiate che io voglio per mia legittima sposa checca Urbani*; et ipsa respondit : *Io confermo lo stesso ;* hac de re in dubium venit validitas consensus, nec non num servata fuerit forma Tridentina et parochus, et testes verba audierit consensum præferentia? S. C. primum voluit, ut denuo examinentur testes formaliter in Urbe juxta instructionem, et ad mentem : *Camerinen., seu Fabrianen., Matrim.*, 11 *sept.* 1762, *dub.* 1 et 2.

111. Triennio elapso a matrimonio inito inter Joannem Peyrani, et Annam Mariam Casinelli coram parocho ecclesiæ S. Thomæ quæstio de nullitate illius contracti coram non proprio parocho ab Anna Maria instituta est. Expositum est Annam Mariam subjectam non fuisse parocho S. Thomæ, e cujus parochia ejus mater discesserat. Patuit tamen eamdem penes avum parocho S. Thomæ subjectum commorasse a prima luce ad noctem usque. Insuper aderat Episcopi commissio prædicto parocho directa de assistentia matrimonio præstanda. De hac controversia jus dixit S. C. validitatem illius decernens : *Taurinen., Matrim.*, 12 *decem.* 1767, confirmata 26 *aug.* 1769.

112. Joannes Feroe amore captus Catharinæ Dormier Liburnii commorantis, quum lutheranam profiteretur hæresim, ut matrimonium, quod Liburnii ratione cultus disparitatis inire non poterat, celebraret, curiam Rhætorum vulgo *Coira* una cum Catharina se contulit, ibique ritu catholico matrimonium contraxere. Nobilis quidam Anglus acatholicus suasit Joanni, ut negotiationis causa Hollandiam peteret, et revera discessit Joannes, et uxoris curam eidem reliquit. Ast advenerunt litteræ obitus Joannis et Catharina Anglo clandestine nupsit ; ejurata inde hæresi a viro novum præstiterunt consensum coram P. Custode Terræ sanctæ in illis Infidelium partibus Ordinario. Rediit Joannes Feroe suam repetiturus exorem. Hæc ad eumdem redire renuit, agitque de nullitate primi matrimonii non contracti coram proprio parocho quia in curia Rhætorum nec domicilium contraxerant, nec animum ibi commorandi habuerant, nec Joannes vagus reputari poterat. Emanavit a S. C. proinde decretum de nullitate primi matrimonii constare : *Pisana, Nullit. matrim.*, 26 *aug.* 1769.

113. Dominicus Maruscelli, et Camilla Corona Merli sponsalia per verba de futuro coram proprio parocho, et duobus testibus inierunt. Quum paulo post Camilla sponsalium rescissioni assensus præbuisset matrimonium coram proprio parocho S. Susannæ de Urbe celebravit cum Aloysio Polydori Viterbiensi. Dubitatum hinc fuit, utrum prima sponsalia dissolvi potuissent ; vel potius habenda essent pro vero matrimonio? S. C. de matrimonio non constare rescripsit : *Viterbien., Matrim.*, 23 *novem.* 1776, confirmata 11 *januar.* 1777.

114. Jacobus Mastini, et Livia Fucci accesserunt ad prædium canonici Manduchi Liviæ parochi, qui ibidem erat, et apprehenso dictæ Liviæ brachio se cum ea præsentavit exhibendo testes, sed parochus eos objurgavit, aiens : *Siete matti, siete matti, sono celie. Burlate!* et inde sponsis discedentibus, ac distantibus ratihabuerunt iidem eorum consensum, parochusque iterum sponsos reprehendit, *non si dicono queste burle, queste celie.* Dubio de hoc matrimonio excitato consulta est S. C. quæ validum esse existimavit : *Feretrana, Matrim.*, 26 *junii* 1779, *dub.* 1.

115. Eques Raphael Paliaccius inter Sardiniæ optimates præcipuus coram sacerdote parochum assistente matrimonium clandestinum cum Josepha Petit celebravit ; monitus tamen, quod prædicto sacerdoti facultas non esset assistendi clandestinis matrimoniis, consensum renovare ambo exoptarunt coram parocho. Paulo post eques a militibus comprehensus in arcem traductus fuit. Certo non patuit, si facultas assistendi matrimoniis clandestinis eidem vice-parocho sublata fuerit, quum ceteroquin aliis matrimoniis suam præberet assistentiam et putaretur ut parochus. In disquisitionem posita validitas fuit, et quum etiam dispensatio postularetur, S. C. dispensationem elargiri putavit : *Nicien., seu Turritana, Matrim.*, 11 *martii* 1786, *dub.* 1, confirmata 20 *maii ejusd. anni.*

116. Eugubinus Episcopus opus habens disceptatione majore, Sedem Romanam rogat, ut illi omnem dubitationem eximat, quisnam parochus assistere famularum matrimonio debeat, utrum nempe parochus domicilii paterni, an ille, in cujus pa-

rochia famulatum puellæ exercent? quum vetus, et nunquam interrupta consuetudo in Eugubina civitate sit, ut a parocho illius parœciæ, in qua famulatum præstant, conjungerentur, presertim nunquam refragante parocho paterni domicilii. Et S. C. sciscitantem Episcopum docuit, ut per decretum ipse juberet, ut matrimoniis puellarum, quæ famulatum Eugubii præstant, assistat parochus domicilii paterni, materni, fraterni ejusdem puellæ, quatenus illud habeant, assistat parochus domicilii, in quo degunt, quatenus in eadem civitate matrimonium contrahant : *Eugubina, Visit. sacr. Limin.*, 24 *maii* 1788.

§ XVIII.

Matrimonium initum coram parocho acatholico.

1. Si duo cives migraverint ad civitatem hæreticam, et ibi contraxerint matrimonium coram ministri sectariis, postea regressi, agat alter de nullitate, quæritur, an Ordinarius debeat pro matrimonio judicare? declaravit S. C. ita debere si in parochia illa intra cujus limites contrahentes fixerant sedes, non erat tunc publicatum Concilium Trid. *de Reform. matrim.* secus in publicatum fuisset, et matrimonium contractum post 30 dies a prima publicatione : *Dubium anni* 1574, *dub.* 8.

2. Hæreticos, ubi decretum cap. 1, sess. 24, *de Refor. matrim.* [113] Concil. Trid. est publicatum teneri talem formam servare, et propterea ipsorum etiam matrimonia absque forma Concilii quamvis coram ministro hæretico vel magistratu loci contracta, nulla atque irrita sunt : *Colonien., Matrim.*, 28 *sept.* 1602, *dub.* 3.

3. Matrimonium contractum coram parocho hæretico nullum est, si decretum Concilii cap. 1, *de Reform. matrim.* [114] publicatum fuit in parochia et lapsi erant 30 dies a die primæ publicationis fuit definitum : *Dubium*, 27 *maii* 1617.

4. Declaravit S. C. sive alter tantum ex conjugibus sit hæreticus sive ambo nullatenus debere parochum hæreticorum matrimonii assistere : *Dubium*, 22 *junii* 1724, *dub.* 2.

5. Respondit S. C. si in parochia contrahentium ejusdem Concilii decretum cap. 1, sess. 24, *de Reform. matrium.* [115] nec unquam publicatum, nec unquam decretum Concilii observatum fuerit, matrimonia hæreticorum contracta per verba exprimentia mutuum consensum matrimonialium de præsenti esse valida, et rata, etiam non servata forma a Concilio præscripta nisi præter hæresim aliud obstet legitimum impedimentum. At ubi decretum hujusmodi fuit publicatum, nil ut supra observatum post 30 dies ab ejusdem publicatione formam præscriptam a Concilio, afficere etiam hæreticos, ac proinde matrimonia ab iis contracta coram ministro hæretico, quippe qui verus parochus non est, nulla prorsus atque irrita esse sancitur : *Dubium*, 22 *junii* 1624, *dub.* 1.

6. Quum instante Internuntio Bruxellensi a missionariis requisito propositum fuisset dubium, an in provinciis Belgii, confederatis valeant matrimonia catholicorum cum heterodoxis contracta coram magistratu hæretico, non obstante decreto Concilii de solemnitatibus matrimonii in illis provinciis publicato, et recepto? S. C. rescripsit ad mentem cum Sanctissimo [116] : *Hollandiæ, Matrim.*, 23 *aug.* 1681.

7. Item ad proposita dubia an si quis, dum erat hæreticus matrimonium contraxit coram magistratu vel ministro hæretico, et postea convertatur ad fi-

[113] Bened. XIV, *de Synod. diœces.*, lib. VI, cap. 6, num. 9, pag. 160, edit. Rom. 1755, ait, magnam rationem habendam esse de ea conditione in decreto Concilii Tridentini apposita, quod nempe decretum ipsum non obligaret, nisi post triginta dies ab ejus publicatione in singulis parochiis elapsos. Quæ quidem conditio (si fides habenda Cardinali Pallavicino *in Histor. Concilii*, lib. 22, cap. 8, num. 10, ut certe habenda est) ideirco adjecta fuit, quia, absque illa, magnus heterodoxorum quærimoniis campus apertus foret, eoque magis aucta fuisset eorum aversio a Concilio, dum, illius decreti vigore, uxores suas pro concubinis haberi, suosque liberos illegitimos declarari doluissent; siquidem nunquam futurum erat, idque patres ignorare non poterant, ut novum decretum ab illis acciperetur, et executioni demandaretur, eorumque matrimonia coram parocho catholico celebrarentur. Huic igitur incommodo provide occursum est per conditionem illam decreto adjectam, qua imposita fuit illius publicationis necessitas, ita ut in locis hæreticorum, in quibus procul dubio nunquam expleta foret hujusmodi publicatio, non verificata conditione, a cujus existentia Concilium pendere voluit decreti sui efficaciam, nec incolæ hæretici unquam adstricti forent servandæ formæ in ipso decreto præscriptæ.

[114] Vide not. 113 præcedentem.

[115] Vide not. 113 præcedentem.

[116] « Quæ erat, quod si respondendum esset ad dubium, dicendum esset matrimonia non valere : attamen animadversum fuit id non expedire, quia potius deberent permitti in eorum bona fide permanere, quam tot periculis exponere catholicos. Verum, ut notatum vidi in quodam voto Card. Casanatæ scriptum fuit internuntio, ut mandet vicario apostolico, ne audeat missionariis prohibere, ne talia matrimonia contrahant; sane aliud est tolerari; aliud quod contrahentes induci non valeant a missionariis ad verum matrimonium, quod ultimum falsum certe est, et modis placidioribus curandum, quoad contracta, et insistendum, quoad contrahenda » ait de hac causa agens Card. Petra : *Comment. ad Const. XII Joannis XXII*, num. 24, tom. 4, pag. 42.

dem catholicam, requiratur ad validitatem hujusmodi matrimonii novus consensus utriusque conjugis, vel conversi tantum?

8. An quatenus hujusmodi novus consensus præstari commode nequeat nihilominus indulgendum sit, ut in hujusmodi matrimonia possit conversus licite perseverare? respondit ad mentem [117]: *Boscodunen., Matrim.*, 13 *febr.* 1683, *dub.* 1 et 2.

9. Thomas Donadinus patria Romanus relicta militia Veneta oppidum quoddam Dalmatiæ Turcis subjectum adiit, ubi duxit in matrimonium filiam cujusdam incolæ catholici (cujus sola domus erat romani catholici ritus) coram testibus, et parocho, seu ministro schismatico ritus græci, declarando expresse se non velle aliter, quam ritu catholicis permisso contrahere, et postmodum hoc conjugium ostendit missionario catholico ordinis S. Francisci, qui renovari jussit, prolesque suscepit. Inde Romam venit ad petendam legitimam paternitatem, sed consanguineis instantibus in carcerem conjectus est ipsis matrimonii invaliditatem asserentibus. Excussa re in S. C. esse annuendum pro renovatione matrimonii in Urbe ad cautelam prævio novo consensu, censuit: *Romana, seu Veneta, Matrim.*, 16 *jan.* 1712.

10. Anna Maria Horst nupsit Boleslao Schtærin heretico coram ministro hæretico Castrensi, qui tamen proprius illius legionis, sub qua militabat Boleslaus, non erat, licet parochus catholicus commode in eodem loco, haberi potuisset, et Concilium Tridentinum ibidem fuisset publicatum. Ex hoc connubio duo nati sunt filii. Post quinquennium vir Annam Mariam deseruit, abiitque in longinquas Sveciæ legiones, et matrimonium cum hæretica muliere contraxit. Anna Maria itaque pro declaratione nullitatis matrimonii institit, quia coram proprio parocho haud contractum erat. Sed S. C. ad mentem [118] respondit: *Colonien.*, 21 *febr.* 1728.

11. Episcopus Csanadiensis hæc dubia proposuit. Catholica quædam se calvinistam fingens, alias vaga, coram Episcopo græci ritus schismatico comparuit, et cum viro schismatico copulam desideravit, cujus etiam assensu per sacerdotem schismaticum copulata est?

12. Catholicus cum schismatica coram parocho schismatico proprio mulieris contraxit matrimonium?

13. Catholica cum schismatico proprium, et stabile domicilium habente a parocho schismatico non proprio conjuncta est. S. C.: de hisce dubiis mandavit scribi Episcopo juxta instructionem [119]: *Csanadien.*, 8 *aug.* 1744, *dub.* 1, 2 et 3.

14. Inter angustos Cliviensis ducatus, in quo certo non constat de publicatione Concilii Tridentini, fines, facile hæreticas uxores sibi assumunt catholici, sequiturque fœmina ritum viri, catholica scilicet cum dimissoriis proprii parochi coram acatholico ministello, hæretica coram catholico præviis utriusque denunciationibus. Ad sedandas nuper catholicorum conscientias, et omnem removendum scrupulum a catholicis parochis, qui dimissorias ad ea contrahenda matrimonia concedunt, parochus Xantis supplicavit pro extensione declarationis Benedicti XIV *diei* 24 *novem.* 1741 [120], quoad matrimonia Hollandiæ, fœderatique Belgii editæ. Hinc S. C. post petitas adnotationes secretarii, quæ doctissime elaboratæ extant in fine ejusd. causæ, ad dubia, an matrimonia contracta inter catholicos, et hæreticos coram ministellis acatholicis ducatus Cliviensis sint valida, et licita?

15. An et quomodo parochi catholici ejusdem ducatus licite concedere valeant dimissorias ad ea contrahenda?

16. An declaratio Benedicti XIV quoad Hollandiam et Belgium sit extendenda ad prædictum ducatum? Respondit, consulendum Sanctissimum pro extensione declarationis Benedicti XIV ad ducatum Cliviensem juxta instructionem: *Dubia super Matrim. inter cath. et hæret., Cliviensis ducatus*, 15 *junii* 1793, *dub.* 1, 2 et 3.

§ XIX.

Matrimonium quoad delegatos et capellanos exercitus ac vice-parochum.

Censuit S. C., posita ignorantia licentiæ, matrimonium non esse validum: *Colonien.*, 5 *decem.* 1626.

1. Quæritur declarari an matrimonium contractum coram sacerdote extraneo, qui habet licentiam a proprio parocho unius ex contrahentibus, sit validum? Matrimonium cum supradicta ignorantia contractum haud esse validum S. C. judicavit: *Nullius*, 15 *april.* 1628.

2. Joseph Castagnerius miles in terra Demontii, dum milites Pedemontani ibidem moram ducebant matrimonium per verba de præsenti cum Constan-

[117] « Quæ fuit, ut servaretur solitum sub dicta die 23 aug. 1681 » ait Card. Petra: *Comm. ad Const. XII, Joannis XXII*, num. 24, tom. 4, pag. 45, in causa *Hollandiæ matrim.*, cit. num. 6.

[118] Ut matrimonium a præfata Maria Anna contractum ex deductis sit nullum, ac proinde eidem Annæ Mariæ transitum ad alia vota permittas: *Regist. Lit.*, lib. 27, die 21 febr. 1728.

[119] Vide not. 85 præcedentem.

[120] *Bull. ejusd. Pont.*, tom. 1, pag. 39, quæ incipit *Matrimonia.*

tia Borella coram P. Hieronymo minori observanti capellano exercitus contraxit. Ambo per annum simul cohabitarunt, inde militiæ causa ab uxore discessit Joseph. Rediit tamen et matrimonii nullitatem proposuit, ex quo exercitus capellanus matrimonio prædicto assistere nequivisset; Constantia vero opposuit eidem capellano datam fuisse facultatem a proprio parocho. Ab anno 1713 ad 1719 siluerunt conjuges, inde vero novum certamen aggressi sunt. Monumentum nullum in libris parochialibus inveniri potuit de hoc matrimonio, quod tamen Joseph non inficiatur. Testes tamen quamplurimi de auditu de facultate prædicta deposuerunt. Et S. C. non constare de nullitate matrimonii decidit: *Taurinen., Matrim.*, 16 *novem.* 1720.

3. Juxta receptam in S. C. sententiam capellanus Castrensis, si non habuit specialem facultatem a Sede Apostolica vel expressam licentiam ab Ordinario assistere nequit matrimoniis, quæ fiunt a militibus sive hi degant in præsidiis, sive in castris et stationibus hyemalibus et æstivis, sive etiam positi sint in actuali expeditione; exinde vero statutum fuit ut capellani exercitus matrimoniis assistere possent, dum milites in actuali expeditione tantum reperiuntur. Matrimonium igitur contractum inter Franciscam Berior et Blasium Ximeles de Lillo tunc quum milites nequaquam in expeditione actuali reperiebantur ut probatum fuit ex depositione secretarii regii principatus Cathaloniæ, nullum declaratum fuit: *Barchinonen., Matrim.*, 4 *decem.* 1723.

4. Barbara Margarita Kreagh Angla vidua relicta a Jacobo Nevesio Cæsareis copiis aggregato matrimonium contraxit coram capellano exercitus prædicti cum Josepho Pompeio romano, absque eo quod nec ipse, nec Barbara ad Cæsareas copias pertineret. Dissidiis inter conjuges ortis Joseph de nullitate matrimonii, utpote contracti coram non proprio parocho, egit. Definitio petita fuit a S. C. quæ dilata, et ad secretarium juxta mentem rescripsit: *Neapolitana, Matrim.*, 29 *aug.* 1733. Deinde nullum illud declaravit: 19 *sept. ejusdem anni, dub.* 1.

5. Maria Archangela Vulcano sibi junxit Michaelem de Aulisio, sed coram non proprio parocho, quia delegatio proprii parochi a delegato accepta haud fuerat, qui nec tamen proprius parochus dici forsan poterat, quod Archangela e sua parœcia et loco Rugiani discesserat animo commorandi in urbe Neapolis, tum etiam ex inefficacia verborum quæ coram delegato fuerunt prolata, quæque proprie ad significandum matrimonii celebrationem apta non fuerant. De hoc S. C. consulta nullum esse sententia fuit: *Neapolitana seu Puteolana, Matrim.*, 3 *julii* 1734.

6. Francisca Maria Montalva catholica civis Mediolani et Christophorus Bustlar lutherana hæresi pollutus, atque ex provincia Silesiæ oriundus matrimonium celebrarunt non coram parocho S. Babilæ, sub cujus parœcia morabatur, sed coram vicesgerente capellani exercitus Cæsarei, quum tamen neuter ad Cæsareas copias pertineret. Archiepiscopi jussu separati fuerunt conjuges; aufugit Christophorus protestatusque est de connubii nullitate, ac se suam nunquam hæresim dimissurum. Petiit Francisca facultatem nubendi; hinc quomodo citari deberet Christophorus fuit dubitatum; et agitata causa quoad nullitatem, responsum est prævia citatione Christophori per edictum de more affigendum ad valvas in locis publicis Mediolani cum termino duorum mensium ad comparendum, ac nemine intra eumdem terminum comparente, Card. Archiepiscopus procedat ad declarationem nullitatis matrimonii: *Mediolanen., Matrim.*, 20 *novem.* 1734.

7. Archiepiscopus Neapolitanus visitans insulam Prochytem, hoc edidit decretum ut matrimonia ab incolis illius insulæ contrahenda esse in parochiali ecclesia S. Michaelis, iis dumtaxat exceptis, quæ aliis tribus ecclesiis expediat legitimis causis ut contrahatur, quibus casibus, aut ipse vicarius perpetuus ad ecclesias illas accedat, ut ipse matrimoniis illis præsens sit, sive expressum præstet consensum, ut quilibet respective capellanus coadjutor matrimoniis assistat, quo casu statim scedula contracti connubii sua subscriptione munita in manus dicti vicarii perpetui transmittatur. Abbas commendatarius ab hoc decreto reclamavit, quia ablatur facultas vicario perpetuo deputandi alium, quem velit sacerdotem ad matrimonia assistenda. Lis ad S. C. relata est, quæ non sustineri decretum censuit præcepitque licere vicario prædicto deputare coadjutorem ecclesiæ matricis vel alium sibi benevisum sacerdotem: *Neapolitana, Decret.*, 29 *febr.* 1744, *dub.* 3.

8. Facultas exercendi curam animarum quam ex concursu et institutione Card. abbatis obtinuerat plebanus Franciscus Floruccius, eidem concessa fuit ex decretis tribunalis signaturæ justitiæ. Hic absens a sua ecclesia alium delegavit sacerdotem qui animarum curæ præesset. Coram hoc sacerdote Silvester Salustrus et Martha Ansuini matrimonium celebrarunt. Sed illico ambiguus fuit matrimonii valor ob subdelegationem. Conjuges S. C. oraculum petierunt, quæ validum esse deliberavit: *Spoletana, Matrim.*, 31 *julii* 1751.

9. Occasione infirmitatis parochi S. Thomæ in Parione advocatus fuit ejus vice-parochus in domum puellæ Joannæ Tironi. Coram eodem, ac testibus comes Hercules Faella Tori Cornelii, et puella præ-

fata consensum in matrimonium expresserunt. Vice-parochus perterritus rei novitate ipsos monuit se parochum non esse, adeoque facultatem assistendi matrimoniis non habere, ac proinde de hoc matrimonio nulla habita fuit ratio. Vir ad patrios lares redire a propinquis coactus fuit, qui matrimonium ineundum pertimescebant. Alienatus vir a muliere ex longa absentia fuit. Mulier vero judicium super validitate connubii instruxit; et lata est sententia pro validitate, et S. C. illam confirmavit in gradu appellationis: *Romana, Matrim.*, 11 *aug.* 1753, confirmata, 11 *sept. ejusd. anni.*

10. Postquam rapta fuit baronissa Leopoldina de Poppen ex arce Byrava a comite Hernesto Giannini vice-tribuno militiæ Austriacæ contractum fuit matrimonium coram capellano campestri ordinis minorum, ac testibus in oppido Fulnekæ, uti proprio viri parocho; inde ambo sese contulerunt ad Fortalitium Kradistium, et post moram quinque mensium consensum matrimonii renovarunt coram parocho illius loci, ubi stationis causa morabatur. Mulier inde lutheranam religionem amplexa est, et fugam arripuit; orta hinc est quæstio de validitate connubii, tum ob raptum, tum proprii ob parochi defectum. S. C. validitatem illius præfinit: *Omolucen., Nullit. Matrim.*, 26 *aug.* 1769, confirmata, 14 *martii* 1772.

11. Statuerat nobilis Antonius Patino ex marchionibus de Castellar matrimonium cum nobili puella Nicolasia Blasio inire. Prævidit viro consanguineos, ac genitorem præsertim gravia interposituros impedimenta, et denegata ab Archiepiscopo facultate contrahendi connubium absque denunciationibus per epistolam evocavit in Nicolasiæ domum sitam sub parochia S. Laurentii sacerdotem Matthiam Guillen, qui post obitum illius ecclesiæ parochi, veluti regens, ac vice-parochus tunc habebatur, eoque in interiores mansiones introducto coram ipso, ac duobus testibus matrimonium contraxit. Statim impugnatum hoc matrimonium fuit, sed S. C. validum fuisse censuit: *Cæsaraugustana, Matrim.*, 10 *martii* 1770, *dub.* 1.

12. Matrimonium metu contractum per catholicam Mariannam Mancinska cum Michaele Splittgerber acatholico coram capellano alienæ Samoklescensis parochiæ de asserta licentia parochi Camensis, ac per tres etiam menses vi, metuque consummatum relinquitur ex hactenus deductis in statu validitatis; quum de non concessa capellano licentia ex testimoniis dumtaxat extrajudicialibus constet; ac vis, metusque gravis, ac in constantem virum cadens non ostendebatur: *Gnesnen., Nullitatis Matrim.*, 15 *januar.* 1791.

13. Mos est in Sardinia, ut ad parochorum præsentationem instituant Episcopi pro-parochos, seu vicarios *absolute, plene, et absque ulla ministerii parochialis restrictione.* Ut clandestinis tamen occurreret matrimoniis per decretum synodale mandavit anno 1781, decessor Episcopus Bosæ, *pro-parochos nisi specialem a parocho pro casu particulari facultatem in scriptis acceperint, assistere matrimonio minime posse, substracta iisdem amplissima, quæ vulgo concedi solet, matrimonii assistendi potestate.* Hoc neglecto decreto hodiernus Episcopus matrimonium coram invito pro-parocho celebratum iterari prohibuit. Contraria deinde motus opinione quorumdam, a S. C. petiit id declarari, quæ sustineri synodale decretum definiit: *Bossanen. Visit. sacr. Limin.* 28 *novem.* 1789, *dub.* 1, confirmata 19 *decem.* 1795, *dub.* 1.

14. Necnon per idem decretum ademptam esse pro-parochis potestatem assistendi matrimoniis, ita ut matrimonia inita cum præsentia pro-parochi contra formam decreti synodalis valida; sed illicita sunt, statuatur: *Ibid., dub.* 2, confirmata *ibid.*

15. Non autem debere iterari matrimonium coram pro-parocho celebratum ejusdem decreto, est deliberatum: *Ibid., dub.* 3, confirmata *ibid.*

16. Ad propositum dubium, an prudenter, ac salubriter legem ferat Episcopus in synodo, vel extra synodum qua vetentur parochi illimitatam facultatem matrimonio assistendi coadjutoribus, seu pro-parochis concedere? respondit negative.

17. Matrimonia contracta coram pro-parochis ex generica parochorum licentia declarantur licita, et valida: *Turritana, Matrim.*, 13 *junii* 1795, *dub.* 1 et 2. Deinde prævio recessu a decisis affirmative quoad primum dubium; quo vero ad secundum esse valida quatenus fuerit a parocho delegatus, sed illicita respondit: 19 *decem. ejusd. anni, dub.* 2.

18. Ideoque validum esse matrimonium clandestinum contractum per militem Eustachium N. cum Hedwige N. coram uno ex pro-parochis Turritanæ diœcesis: *Ibid., dub.* 3, confirmata *ibid.*

§ XX.

Matrimonium coram vicario generali Episcopi initum.

1. Censuit S. C. coram vicario Episcopi matrimonium contrahi posse, perinde ac coram parocho: *Dubium Matrim.*, 4 *julii* 1602.

2. Promota quæstione num matrimonium inter principem Carolum Philippum ex marchionibus Brandemburgensibus et Mariam Catharinam Balbianam comitissam de Salmur initum coram vicario generali validum esset? responsum fuit datum affirmativum, imposita tamen oratrici pœnitentia salutari arbitrio Ordinarii: *Taurinen., Matrim.*, 28 *sept.* 1697.

3. Nicolaus Castracane rem habuit cum Vincentia Fabrini, sua famula, sub jurata promissione futuri matrimonii, et gravis utero effecta fuit Vincentia, quum ambo secreto matrimonium contrahere non valerent, convolarunt ad vicarium generalem Calliensem ibique matrimonium clandestine coram testibus contraxerunt; sed statim fuerunt separati, et discussa, compilato processu, matrimonii validitate; S. C. validum esse firmavit, addiditque ad mentem et ad secretarium cum Sanctissimo quoad multam: *Callien., Matrim.*, 7 *sept.* 1776, *dub.* 1.

§ XXI.

Matrimonium quoad impedimentum dirimens raptus [121].

1. Inito matrimonio inter Carolum Michaelem Govonum civitatis Montis Regalis; et Annam Catharinam Ghibaudam a Cuneo, successive eadem Anna in domo viri cohabitavit, eidem matrimonialia obsequia pacifice prestando. At postmodum se contulit in locum Cunei, ac ad Ordinarium recurrit, ut nullum matrimonium ex capite raptus, vis ac metus declaretur, quin legitimas probationes produceret. Judicium S. C. fuit imploratum, et validitas fuit resoluta et haud remissoria concessa: *Montis Regalis, Matrim.*, 2 *julii* 1707.

2. Interfaciente puella Cæsarea Fucila cum ejus matertera Rocchus Sanctes pellegrinus repente eam abripuit, domumque suæ sororis transtulit. Matertera magnos clamores edidit, nullos puella. Vicarius generalis definitive pronunciavit nullum inter eosdem intercedere impedimentum raptus; etiamsi Rocchus fassus ingenue sit raptum commisisse, consentiente, imo proponente puella, quo libere exoptatum matrimonium inire posset invitis ipsius consanguineis, qui sponsalium nomen constanter rejecerant. Puella apud honestam matronam fuit collocata. Et interim S. C. non obstare prætensum raptum ad matrimonium contrahendum declaravit: *Ruben., Rap., et cens.*, 3 *martii* 1714, *dub.* 1.

3. Anna Ricci ab Episcopo Beneventano in conservatorio Sanctissimæ Annuntiatæ posita fugam arripuit, ac Neapolim traducta fuit apud advocatum Thomam Simonetti, ut inde connubium iniret cum Vincentio Re Neapoli degente. In dubium venit, an constaret de raptu? et negativum datum est responsum: *Beneventana, Matrim.*, 20 *sept.* 1760, *dub.* 2.

4. Baronissa Leopoldina de Poppen ex Arce Byrava rapta fuit a comite Hernesto Giannini vicetribuno militiæ Austriacæ cum 24 ussaris. Inde coram capellano exercitus matrimonium ambo celebrarunt; et post moram quinque mensium in fortalitio Kradistio dubitantes de matrimonii validitate coram illius loci parocho consensum renovarunt. Inde vero, ut sequestrum super suis bonis appositum removeretur, baronissa fassa fuit sponte, et voluntarie ab arce traductam fuisse. Quum mulier in lutheranam hæresim abiisset, ac fugam arripuisset, nolens ad virum suum, qui eam revocabat, redire, matrimonii nullitatem vir proposuit tum ex raptu, tum ex defectu propri parochi; sed S. C. validitatem protexit: *Omolucen., Nullit. matrim.*, 26 *aug.* 1769, confirmata 14 *martii* 1772.

5. Barbara Piniński e monasterio, in quo degebat, aufugit, ut matrimonium contraheret cum Ignatio Laszowski, et in itinere a canonico Ignatii germano fratre una cum cubicularia comitata fuit. Ad locum habitationis Ignatii advenit, ubi eum reperiit, et matrimonium rite fuit celebratum. Plura conjuges benevolentiæ signa sese invicem præstiterunt; sexto decurrente anno matrimonii sese contulerunt ad locum parentum uxoris, ut reconciliatio sequeretur. Sed uxor domi retenta, vir expulsus fuit, causaque nullitatis ex capite raptus, et vis illatæ deducta est. Rationes raptus vero magni ponderis non fuerunt, quia validitas firmata est: *Præmislien., Nullit. matrim.*, 8 *aug.* 1778, confirmata 17 *junii* 1780.

§ XXII.

Matrimonium quoad impedimentum dirimens vis, et metus.

1. S. C. Cardinalium Concilii Tridentini interpretum sæpius respondit, hodie post. Trid. Con-

[121] Concilium Tridentinum: sess. 24, cap. 6, *de Reform. matrim.* Antiquis legibus nunquam mulier rapta raptori matrimonio conjungi poterat: sed nunc potest: si a raptore separata, atque in loco tuto constituto libere assentiatur, quia procul est metus, qui suum mulieri arbitrium, et liberam voluntatem adimebat. Certum porro est raptum violenter patratum dirimens impedimentum inducere; sed non ita exploratum omnibus est, num idem impedimentum oriatur etiam *seductionis*, ut vocant, cum scilicet mulier dolo, aut illecebris decepta est; affirmant Tournelius *Prælect. Theolog. de Sacram. matrim.*, qu. 8, art. 1. Collectus *Inst. Theolog.*, tom. 9, *Tract. de Matrim.*, c. 7, § 2, et alii præsertim ex Gallicis scriptoribus; sed alii tamen negant, et horum opinionem *communiorem* vocat Giraldus *Exposit. Jur. Pontif.*, part. 1, sect. 840, pag. 668. Illud animadvertere oportet, raptum, qui patratus est, non tantum consentiente, sed etiam postulante, et suadente puella, impedimento non esse, quominus raptor cum ea contrahat matrimonium, sicut a S. Congr. Concilii responsum fuisse testatur Giraldus loc. cit. et part. 2, sect. 123, pag. 999.

cilium matrimonium metu contractum, et purgato metu per cohabitationem cum carnali copula, aliosque actus non convalidari, nisi iterum contrahatur, adhibita rursus ejusdem Concilii forma : *Hispalen.*, 20 *junii* 1609.

2. Postquam per plures menses Vincentius Lettieri de Arentio carceribus una cum Mario fratre ex supposito raptu Constantiæ de Alphonso comminatione pluries passa nunquam consequendi libertatem nisi per matrimonium ab eo etiam invito cum eadem ineundum, mancipatus fuerat, ad carcerem declinandam mandatum procuræ subscripsit, vi cujus cum Constantia pariter invita matrimonium contrahere debuit. At in libertatem restitutus protestatus est ad eam recuperandam mandatum subscripsisse, et suæ reluctantiæ nunquam cohabitando cum muliere præbuit. S. C. consulta de hoc matrimonio minime fuisse validum existimavit. *Sanctæ Agathæ Gothorum*, *Matrim.*, 24 *april.* 1700.

3. Celebrato sub die 30 aprilis 1695 in faciem Ecclesiæ matrimonio inter Joannam Victoriam Trucchi, et Horatium Levamen, instructum fuit ad istius instantiam judicium in curia episcopali super ejusdem nullitate. Dicebatur contractum ob vim, metumque sibi a curia laicali illatum vigore cujusdam assertæ Apocæ promissionis de illud contrahendo. Hinc inducti testes comprobarunt dictum Horatium fuisse ad id faciendum compulsum, quamquam contestatas denunciationes præcedenter ille emisisset, qua de causa idem a cohabitatione cum præfata Joanna semper se abstinuit. Expostulatum apud S. C. est quæ validum matrimonium haud fuisse declaravit : *Vintimilien.*, *Matrim.*, 24 *april.* 1700.

4. Joan. Baptista Picinus exoptavit in matrimonium ducere Annam Rolli, postea eam dimisit ob nonnullas quæstiones circa dotem. Anna querelam proposuit de osculo ipsi in propria domo violenter lato, et curia contra illum processit, qui ob contumaciam sequestrum in bonis passus est. Mandatum hic inde procuræ confecit ad matrimonium contrahendum cum dicta Anna, quod fuit celebratum. At hic Piccinus Romam petiit pro infirmando matrimonio prædicto ob vim, et metum sibi a patre incussum. S. C. judicium fecit matrimonium illud validum esse : *Licien.*, *Matrim.*, 7 *maii* 1701.

5. Prætendente Dominico Crognali archipresbytero Castri Novi Leonardum de Virgiliis carnaliter cognovisse Magdalenam Crognalem sororem amitinam viduam, ac tribus filiis onustam, una cum familia Crognalibus tantum ille egit, ut vi, metuque dictus Leonardus, qui constanter asserebat copulam non habuisse, Magdalenam desponsaret. Id peractum est absque tamen viri consensu, nisi in nonnullis signis externis expressum, quæ ob metum elicuit. Sed statim ab hujusmodi matrimonio idem Leonardus recursum in S. C. habuit, quærens examen, et rescriptum est, dilata, et ad mentem : *Lancianen.*, *Matrim.*, 3 *sept.* 1701. Deinde causa reproducta, nullum esse matrimonium decrevit, et ut Ordinarius procedat prout de jure tam contra archipresbyterum, quam contra œconomum, et alios culpabiles, jussit : 26 *novem. ejusd. anni.*

26. Ab inito matrimonio, ac sequuta cohabitatione cum prole Anna Catharina Poma ob viri Pauli Felicis Serra sævitiam thori separationem obtinuit, postea ejusdem sacramenti validitatem impugnare prætendit. Profert in medium vim, metumque sibi graviter incussum cum verberibus re ipsa talibus, tum a genitrice, tum a quodam ejus patruo, sub cujus tutela tunc degebat, dum ætate annorum 14 erat, a quo metu matre superstite reclamare non potuit. Re perspecta S. C. Card. Metropolitano cognitionem, et absolutionem causæ prout de jure commendavit : *Vercellen.*, *Matrim.*, 24 *martii* 1703.

7. Paulus Ormandus, qui Pieram de Violis filiam quondam Livii a septennio, et ultra amore prosequens sub promissione matrimonii violasse, prægnantemque reddidisse dicebatur, cum illa matrimonium contrahere noluit. Hinc circa horam tertiam noctis ad ejus domum accessit frater dictæ Pieræ cum aliis consanguineis conquerens in illo, ac actum fuit de dotis constitutione, ac accersitus fuit Alexander Serinaldus vices archipresbyteri loci Montis Franchi fungens, coram quo contractum eadem nocte matrimonium fuit; et Piera cum illo per dies 40 cohabitavit. Postea eidem Paulus nullum matrimonium ob vim, metumque eidem incussum fuisse asseruit; sed consulta S. C. ejusdem validitatem tenuit : *Spoletana*, *Matrim.*, 2 *maii* 1705, confirmata 14 *novem. ejusd. anni.*

8. Vincentius Ruzzanus loci Pontis Curvi de crimine stupri cum Apollonia Cicellini commissi in carcerem dejectus fuit. Stuprum haud probatum fuit, sed tantum attentasse, uti ipse Vincentius fassus fuerat. Promptum tamen ille se exhibuit ad nubendam in matrimonium Appolloniam, quod in libertate restitutus perfecit. Pluribus elapsis annis matrimonii nullitatem probare conatus fuit, protulitque testimonium Appolloniæ ejusdem, qua stuprum attentatum non fuisse profitebatur; testimoniaque eorum, qui matrimonio interfuerunt, quique de coactione, metuque deponebant. Sed S. C. ut coadjuvarentur probationes juxta instructionem [122] re-

[122] Ideoque injunctum Episcopo fuit, ut fidem matrimonii, quod inter Vincentium Ruzzano, et Appolloniam

solvit : *Aquinaten.*, *Matrim.*, 27 *martii* 1706. De mandato vicarii generalis matrimonium id celebratum fuisse referente Episcopo, de illius nullitate minime constare S. C. definivit : 5 *junii ejusd. anni*, confirmata 12 *febr.* 1718.

9. Conjectus fuit in carcerem abbatialis curiæ Joan. Franciscus de Angelis de Castro Podii Myrteti prævia delatione Catharinæ Simonetti, quod ab eodem fuerit constuprata; ut aut mulierem desponsaret, aut dotem 400 scut. constitueret, aut ad eremum quandiu in vivis erit, daretur. Ille connubium delegit, et contractum fuit coram parocho carcerum. At vir post matrimonium, quum nullam alioquin constaret copulam, aut alios conjugales actus interfuisse, recurrit pro nullitate considerata vi, metuque, et S. C. non constare de nullitate firmavit : *Farfen.*, *Matrim.*, 26 *martii* 1707 [123].

10. Joannes Andreas Cascianus Januensis mandatum procuræ transmisit pro matrimonio contrahendo cum Julia Sarri urbis Bastiæ insulæ Corsicæ, quo contracto per annos 14 nunquam simul cohabitarunt; inde vero vir matrimonii validitatem infringere studuit, non solum quia procurator fines mandati excesserit, sed etiam ob vim, metumque sponsæ incussum, et ex defectu, proprii parochi, sed a S. C fuit bis prætentio absque probationibus rejecta : *Marianen.*, *Matrim.*, 7 *maii* 1707, confirmata 4 *junii ejusd. anni.*

11. Bartholomæus Casissus cum Catharina Cerrone nuptias contraxit. Nonnullis elapsis mensibus actum fuit de nullitate illius ob vim, metumque a matre filiæ incussum annum 15 tunc agentis, et complures de verberibus, minisque probationes allatæ; nec non de aversatione a viro, ac recusatione documenta exhibita sunt. Causa in S. C. agitata, dictum est, ut coadjuventur probationes coram Card. Urbis vicario dato pro defensore matrimonii fiscali S. Congr. visitationis : *Romana*, *Matrim.*, 2 *aug.* 1710. Mulier statu ecclesiastico abfuit, ideoque rescriptum exequutum haud fuit, et quum institerit pro declaratione nullitatis matrimonii, fiscalis votum pro veritate edidit, et S. C. protelavit decisionem, et ut procedatur contra matrem, jussit : 2 *octob.* 1723. Ac efformato processu coactio comprobata fuit, et tamen iterum dilata, et transmittantur antiquæ scripturæ per manus, et fiant diligentiæ juxta instructionem rescriptum est : 2 *aug.* 1727.

12. Joseph Felix Dopste, et Maria Clara Raboschin matrimonii inter ipsos initi nullitatem proposuerunt. Nam vis, metusque Mariæ Claræ ita incussus fuit, ut propter animi perturbationem ignorabat, an affirmativam, vel negativam responsionem sacerdoti consensum de more petenti præbuerit. Et quamquam in eodem thalamo prædicti cubassent tamen matrimonium non consummasse asserunt. Sed S. C. non constare de matrimonii nullitate rescribendo causam disceptavit : *Frisingen.*, 7 *maii* 1718, *dub.* 1.

13. Matrimonium per vim, et metum a patre incussum fecit Catharina Bonfilio cum Francisco Alvarez quod nunquam mulier consummare voluit, protestata est nunquam fuisse uxorem. Vir a Panormi urbe discessit, et fama fuit, eum obiisse. Hinc Catharina alium iniit connubium cum Ignatio Colli, et filios suscepit. E contra Alvarez aliam duxit uxorem in urbe Lillæ. Actum hinc est de prætensis utriusque matrimoniis, et S. C. præcepit primum separationem omnium, et ut coadjuvarentur probationes juxta instructionem : *Panormitana*, *Nullit. matrim.*, 18 *novem.* 1719. Deinde non constare de nullitate primi matrimonii a Catharina contracti decidit : 8 *junii* 1720, *dub.* 1.

14, Clericus Antonius Lobello stuprum Catharinæ Arcudi intulit, indeque licet in locum immunem se receperit, tamen ejusdem pater, ac germanus frater carceribus mancipati fuerunt. Matri vero, ac germanæ sorori domus pro carcere fuit assignata. Qua de causa compulsus Antonius matrimonium iniit, et repente a patria discessit, nec unquam rediit. Hic fere septem elapsis annis matrimonii validitatem in quæstionem posuit, ac S. C. adiit, quæ dilata, et coadjuventur probationes juxta instructionem dixit : *Hydruntina*, *Matrim.*, 8 *martii* 1721. Deinde validum matrimonium judicavit : 13 *sept. ejusd. anni*, confirmata 21 *novem.* 1722.

15. A Joan. Antonio Cardono validitas matrimonii, quod cum Clarice Pisona contraxerat in dubium fuit revocata. Ille enim ait per vim, metumque fuisse contractum, tum quia mandatum procuræ revocatum fuerat antequam matrimonium iniretur, tum quia in mandato expressum fuerat, ut connubium conjungeretur juxta ritum Sanctæ Romanæ ecclesiæ, et illud absque denunciationibus absolutum fuit. At hæc omnia probata minime fuerunt; et S. C. validum esse affirmavit : *Ferentina*, *Ma-*

Cicelliui in cancellaria curiæ episcopalis celebratum dicebatur, in authentica forma transmitteret, rescriberetque etiam, cur tandiu causa nullitatis ejusdem matrimonii siluisset : *Ead. causa*, 22 maii 1706.

[123] Pro nullitate matrimonii præfati advocatus Dominicus Ursaya sua jura in medium protulit, quæ habemus in sua *Discept. Eccl*, *XXX*, tom. 1, part. 11, *per tot*, ubi *in fin.* ait : Eademque resolutio sequuta postea fuit, et inserta in novissimo statuto cleri Urbis a SS. D. N. in forma specifica confirmato : cap. 3, *de Jur. eligend. sepultur.*, § 9, in addition. vers. *Carceribus*, fol. 15.

trim., 12 *julii* 1721 [124]. Postulavit inde Joannes iterum sua jura deducere in S. C., quæ, ut audiatur, et coadjuventur probationes juxta instructionem, submministratis interim alimentis, et sumptibus litis Claricis arbitrio Card. præfecti, rescripsit : 2 *aug.* 1721 [125]. Denique perstitit in decisis : 20 *aug.* 1735.

16. Quum narratum fuisset a Joan. Baptista de Aro se per vim, et metum adactum fuisse ad contrahendum matrimonium de præsenti cum Catharina Moncado, et sciscitari voluerit de ejusdem validitate S. C. Hæc ab Ordinarii litteris notitiam habuit Catharinam a Joan. Baptista passam stuprum fuisse. Hinc rescripsit, dilata et præfigatur terminus Catharinæ ad sua jura deducenda, et hoc interim Baptista coadjuvare probationes super negativa stupri curet : *Cajetana*, 23 *maii* 1722, *dub.* 1. Deinde iterum respondit, dilata, examinentur testes formaliter citato patre Catharinæ, eodemque negligente prosequi jura filiæ, dentur fiscali curiæ interrogatoria ex officio : 21 *nov. ejusd. anni.*

17. Sub fundamento stupri illati Mariæ Eustachiæ Caretti Michael Marchesius in carcerem detrusus fuit ; institit hic, ut processus conficeretur, ac in causa prout de jure procederetur. Sed nihil actum est ; imo intellexit se e carceribus nisi matrimonio contracto, non egressurum. Contestatas denunciationes proinde extrajudiciales, quas potuit, emisit. Quatuor epistolas suo confessorio, suo tempore revelandas, scripsit, quibus declaravit, ut quatenus matrimonium ille cum Maria Eustachia celebraret, semper pro nullo haberi deberet, quod ad jugum carceris, quod ferre amplius non valebat, a se depellendum contraxit. Postmodum matrimonium inire postulavit, et per procuratorem perfecit ; et statim sua libertate donatus de nullitate connubii egit, et rescriptum tulit ; dilata, et scribatur Episcopo juxta instructionem [126] : *Albinganen.*, *Matrim.*, 12 *febr.* 1724. Deinde iterum, dilata, et testes examinarentur hinc inde formaliter, S. C. rescripsit : 9 *sept. ejusd. anni.*

18. Coram parocho, ac testibus Anna de Ambreville Annibalem Trærium sibi adjunxit ; sed statim conquesta est de defectu interni consensus. Nam detrusam in arce Mutinæ aiebat haud potuisse libertatem acquirere, nisi vel religiosam professionem emitteret, vel viro paris conditionis nuberet. S C. protendit in alium diem declarationem, præcepitque ut examinentur testes formaliter, et coadjuventur probationes juxta instructionem : *Mutinen.*, *Matrim.*, 19 *aug.* 1724. Et testibus examinatis nullum matrimonium fuit definitum : 9 *julii* 1725.

19. Nuntius Cicala domum ingressus una cum tribus aliis sociis simul conversantibus, invenit Gratiam Mariam sororem suam, et Josephum Moscam, ipsos hortatus est, ut si commercium inter se habuissent, proprio consuleretur honori. Ab aliquo ex adstantibus nonnulla objurgantia verba prolata fuerunt, verum nec vim, nec metum illatum fuisse probari potuit. Matrimonium inde coram parocho, et testibus fuit contractum. De ejus validitate proinde S. C. judicium exercendo non suspicata est : *Gravinen.*, 1 *sept.* 1725.

20. Abbas Horatius Borelli vocatus ad domum Nicolai Soldani in quodam obscuro cubiculo invenit Marcum Brunum jacentem vulneribus conflictum ac sanguine undique conspersum. Nicolaus parocho demandavit, ut Marcum matrimonio jungeret Joannæ sorori suæ adstantibus aliis duobus fratribus, et Nicolao armis stipatis ; reluctavit Marcus, et a parocho quæsivit ; an validum foret matrimonium hoc modo contractum ; inde celebratum fuit. Dubitantibus fratribus Soldani de ejusdem validitate propter præsentiam testium consanguineorum, coram aliis duobus testibus et parocho consensus fuit renovatus. Coactionis expressæ causa fuisse dictum fuit stuprum a Marco sub spe matrimonii puellæ illatum. De hoc S. C. consulta nullum esse censuit : *Virgilien.*, *Matrim.*, 13 *julii* 1725, confirmata 22 *sept. ejusd. anni.*.

21. Maria Gonzalez egit contra Hyacinthum Andradam ob stuprum illatum sub spe futuri matrimonii. Hinc in carcerem Hyacinthus conjectus est, efformatoque processu, paratum se dixit ad matrimonium ineundum, quod contraxit ; sed prius contestatam denunciationem emiserat, qua nolle matrimonium inire, nullumque præstare consensum declaravit, juravitque nunquam cum Maria cohabitaturum. Post sexennium defuncto Mariæ patre, ipsa quoque defectum interni consensus asseruit, institque pro declaratione nullitatis matrimonii, et S. C. in aliud tempus rejecit responsionem, ut scribatur Ordinario pro nova informatione juxta instructionem [127] : *Compostellana*, *Matrim.*, 11 *sept.* 1728.

[124] *Discept. Eccl.* XV, tom. 5, part. 1, *per tot.* Advocatus Dominicus Ursaya suam defensionem in hac causa pro nullitate matrimonii publicavit.

[125] *Per Summaria precum.*

[126] Sibi notificandum voluit S. C., an processerint inter contrahentes sponsalia anve Michael Angelus expediverit dispensationem Apostolicam ad effectum contrahendi matrimonium cum dicta muliere : *Regist. Lit.*, *lib.*, 26, *die* 12 *febr.* 1724.

[127] « Quæ fuit, ut legitimas recipi mandaret probationes super eo, quod inter conjuges post contractum matrimonium copula non fuerit subsequuta, easdemque probationes una cum processu criminali facto ante contractum matrimonium, transmitteret. » *Ead. causa*, 19 *aug.* 1730, § *Proposito*.

Inde patuit ex informatione petita, et ex actis transmissis conjuges nunquam simul cohabitasse, ac de stupri illati fama plures testes deposuisse; hinc causa reproducta S. C. iterum judicium protelavit, ut detur matrimonii defensor : 19 *aug.* 1730. Advocatus Ursaya datus est defensor, et locum esse declarationi matrimonii nullitatis statutum est : 10 *martii* 1751.

22. Post biennium a contracto matrimonio inter Joannem Petrum Schinchinellium, et Luciam Agliodolce, querelam de nullitate mulier instituit. Hæc enim ostendit patrem vim, metumque incussisse, ac confessarium suasisse illam lethaliter peccare, nec absolutionem sacramentalem mereri, nisi capitula matrimonialia signaret. Sed S. C. nullum consilium cœpit, jussitque, ut coadjuventur probationes juxta instructionem[128] : *Cremonen., Matrim.*, 22 *martii* 1732. Et iterum, ut scribatur Episcopo juxta mentem[129], dixit : 17 *nov.* 1736.

23. Dominicus de Barricellis matrimonium initum cum Josepha Suriani nullum esse affirmavit in curia episcopali, quod initum vi, metuque a germano fratre Josephæ incusso, fuerat. Episcopus pro validitate pronunciavit, et eum S. C. sequuta est. Nam metus haud probatus fuit, et quatenus revera fuisset illatus, justus dici poterat, quia Dominicus Josepham sub spe futuri matrimonii violaverat : *Crotonen., Matrim.*, 17 *junii* 1736.

24. Anna Zidovuscki nullitatem matrimonii cum Joanne Zagoborski initi proposuit ex duplici capite tum quia vi, metuque ad illud adducta fuerat, tum quia Joannes sponsalia contraxerat cum matre Annæ, quæ, deinde obiit, indeque publicæ honestatis oriebatur impedimentum. S. C. consulta primum respondit dilata, et ad mentem[130] : *Gnesnen., Matrim.*, 2 *januar.* 1736, *dub.* 1. Deinde iterum dilata, et scribatur Episcopo Cracoviensi pro informatione, et voto et confectione alterius processus, servatis servandis, sumptibus tamen Joannis etiam quoad testes inducendos per Annam : 6 *julii* 1737.

25. Mariam Catharinam Albala, et Nigo puellam 16 annorum parentes optimum putantes connubium in matrimonium cum Francisco Montenegro, et Vera conjunxerunt. Sed inde a filia facti certiores sunt, nec nuptias illas nec matrimonium fuisse contractum nisi ob metum reverentialem, qui parentibus debetur. Illa enim semper alienam fuisse, præsertim, quum perspexerit graveolentem illius corporis halitum ferre non posse, nec passam fuisse, ut ab eo comprimeretur, testatur. Re in S. C. examinata validitas matrimonii statuta fuit : *Toletana, Matrim.*, 13 *junii* 1744.

26. Comes Joseph Sapieha, et Christina ejus uxor nuptias conciliarunt eorum filiæ Theresiæ cum principe Hieronymo Radzivillio. Ast Theresia, cujus animus non ferebatur in Hieronymum, omnem movit lapidem ad nuptias distrahendas, quod quum consequi non valuisset, dum ad aras perducta fuit, ut sacer ritus expleretur, potius se mortem appetere, quam hujusmodi connubium inire, declaravit. Hinc in domum sponsi nunquam in eodem thalamo Theresia cubavit, nec unio sperari potuit. Misericordia igitur moti parentes ad paternas lares eam reduxerunt, ac de vi, metuque testimonium perhibuere. In S. C. causa fuit examinata, sed primum rescriptum est, ut coadjuventur probationes juxta instructionem : *Luceorien., Matrim.*, 21 *novem.* 1744, *dub.* 1. Deinde nullum fuisse matrimonium deliberatum est : 17 *julii* 1745, confirmata 28 *aug. ejusd. anni.*

27. Inhonesta Anna Jannantuono potestatem sui corporis fecit Carolo Fonte, indeque calumniose reum violenti stupri accusavit liberum Japaullo, qui in carcere detrusus ibique a barone terræ Casalium Cyprani, cui famulatum Anna impendebat, detentus fuit, donec carcerum squalore et angustia confectus coram parocho, et testibus consensum potius extortum, quam libere expressum præstitit. Statim ac e carceribus eductus fuit amicis suis voluntatem adversam significavit, ut de se testimonium perhiberent. Nunquam cum uxore sua cohabitavit. Mulier autem thori violatrix palam comperta fuit. Mortuo dicto barone ejusque uxore infelicissimis hujus connubii auctoribus, causam nullitatis matrimonii vir coram Episcopo proposuit, et inde ad S. C. appellavit, quæ nullum esse censuit : *Triventina, Nullit. matrim.*, 14 *maii* 1746, con-

[128] « Quæ fuit, ut Episcopus mandaret formaliter, et cum interrogatoriis dandis a promotore fiscali, examinari tum ambos conjuges, tum etiam matrem præfatæ Luciæ, Lauram Barbo Joannem Petrum Barbo virum ejusdem Lauræ, præpositum Joannem Baptistam Barbo, qui ex delegatione sponsos conjunxit in matrimonium, ac testes matrimoniales, nec non alios testes, quos ipse ex officio putasset posse deponere de re, de qua agitur, et demum probationes, quæ respicerent tempus subsequens matrimonium, reciperet. » *Ead. causa*, 22 *sept.* 1736.

[129] Quod Lucia novo examini subjiciatur præsertim super circumstantia epistolæ, quam ipsa depesuit recepisse post subscriptam apocham matrimonialem, et in qua ei plena relinquebatur potestas, et libertas non contrahendi dictum matrimonium, an scilicet reversa dictam Epistolam receperit, quo tempore, a quo, et quale responsum dederit, et quatenus in depositione jam facta non persistat, qua de causa in primo ejus examine aliter deposuerit deputato defensore matrimonii : *Regist. Lit.*, lib. 28, *die* 17 *novem.* 1736.

[130] Vide not. 62 præcedentem.

firmata 27 *aug. ejusd. anni.* Duo viri Josephus scilicet Tramontana, et Marcus Perovich puellam Rosam Scarano amore prosequuti sunt. Huic postremo puella tamen nupsit, qui vix contracto matrimonio, ac post unius noctis concubitum mercaturæ, et navigationi intentus illam Neapoli reliquit. Pravam inde consuetudinem Rosa, et Josephus inter se habuerunt, pluresque filios susceperunt. Joseph vero falsis testium depositionibus de Marci morte notitiam evulgavit. Sed re cognita a Marco, nullitatis matrimonii declarationem petivit, non ex defectu consensus, sed ex crimine uxoris, idem etiam Rosa exoravit, quod vi metuque coacta fuerat. S. C. autem non constare de nullitate censuit : *Neapolitana, Matrim. nullit.*, 2 *sept.* 1747.

28. Aversus semper fuit animus Joannæ Czækæ a matrimonio cum Petro Karzewski, nec ea lacrymis, nec verbis pepercit, ut patrem a proposito dimoveret. Episcopo voluntatem suam declaravit, ac si cogeretur, eum in testem, ad judicem accepit. Advenit tandem dies et ad ecclesiam accedere noluit, sed ita tamen accessit, ut ad funus potius, quam ad nuptias protracta videretur, nec solemnia verba protulisset, nisi patris præsentia eam impulisset. Copiam inde sui corporis viro facere nunquam voluit. Nullitatem igitur matrimonii ipsa proposuit. Pater vero excedit testes a Joanna inductos ejus familiares esse, et epistolas post contractum matrimonium scripsisse in quibus plurima erant amoris signa. Omnibus perpensis S. C. nullum haud esse illud affirmavit : *Luceorien., Nullit. matrim.*, 22 *martii* 1749.

29. Conjuges Tiberti optarunt, ut Magdalena filia advocato Petro Felici Vento nuberet. Id curarunt etiam omnes Magdalenæ consanguinei, qui apocham miserunt, ut subscriberet, sed notare ipse noluit. Subdole igitur in agrum ductus ibique comprehensus a patre qui parvum tormentum bellicum explosit, triplici vulnere sauciatus coram presbytero, cui ab Episcopo facultas assistendi matrimonio facta fuerat, et testibus connubium contraxit, domum inde repetens statim ac potuit, causam nullitatis dixit in S. C. quæ confectionem processus juxta mentem mandavit : *Albintimilien., Matrim.*, 22 *maii* 1751. Reproposita inde causa rescriptum fuit constare de nullitate matrimonii : 13 *sept.* 1755, confirmata 22 *novem. ejusd. anni.*

30. Sub inusitato, et antea inaudito juramento sponsalia de futuro Georgius Torti, et Antonia Folla contraxerunt. Habito inde turpi commercio utero gravis mulier reddita fuit. Cognita re germani fratris Georgii opera ipse in arce detrusus, mulier vero in conservatorio arcta custodia detenta fuit, donec Andreæ Prina Aurigæ quamvis invita nupserit. Hoc contractu matrimonium nunquam cum Andrea mulier consummavit, et ab arce dimisso Georgio ad ipsum aufugit, cum quo plures filios procreavit ; tandem S. C. adiit ad matrimonium infringendum, et primum dilata et scribat defensor matrimonii rescriptum tulit : *Mediolanen., Nullit. matrim.*, 17 *novem.* 1753. Deinde ejus votis annuit nullitatem matrimonii decernendo : 19 *januar.* 1754, confirmata 9 *febr. ejusd. anni.*

31. Post decennalem cohabitationem cum Sigismundo Lankinski, et post plures susceptos ex eo liberos nullitatem matrimonii ejus uxor Catharina Zabteki, quod vi metuque a patre incusso matrimonium celebraverit, proposuit. Ex testibus patuit contraria Catharinæ voluntas tum ante, tum tempore, tum post connubium initum. Et causa producta definitio protelata est coadjuvari probationes juxta instructionem dictum fuit : *Gnesnen., Matrim.*, 9 *febr.* 1754.

32. Anna Bruna Chiaramonti terræ Canneti querelam de illato stupro, a Josepho de Staso terræ Motroni, qui jam eam in uxorem ductorum fore spoponderat, detulit in curia baronali, a qua in carcerem squalidum dejectus vir fuit. Hic lapsis quadraginta diebus, quum spes obtinendi libertatem nulla haberetur, paratum ad nuptias se finxit ; hinc manibus vinctus, stipatus lictoribus in aulam ductus fuit, ubi coram parocho solutis vinculis matrimonium absque interno consensu celebravit, statimque in ecclesiasticam jurisdictionem aufugit, in qua aliam duxit uxorem, et cum ea liberos procreavit. Re comperta ambo separati fuerunt, ac processus compilatus, ac inde in S. C. causa delata, hæc ad Card. pro-auditorem cum Sanctissimo juxta mentem respondit : *Baren., Nullit. matrim.*, 16 *martii* 1754. Ac inde constare de nullitate decidit : 4 *maii*, confirmata 22 *junii ejusd. anni.*

33. Matrimonium contrahere Simon Thaddæus Ornanus cum puella Maria Felici Putcaburgensi promisit. Mutato inde consilio a consanguineis puellæ graviter reprehensus ita ut ad minas etiam graves devenerunt. Hinc iniit matrimonium in agro ubi a consanguineis comprehensum fuisse armatis manibus asseruit. De vi, metuque illato conquestus est. Et S. C. cui adiit, ut scribatur Episcopo pro confectione processus servata constitutione Sanctissimi Domini Nostri [151] rescripsit : *Adjacen., Nullit. matrim.*, 8 *maii* 1756.

34. Matrimonium libere omnibusque sponsæ parentibus consentientibus, ac coram legitimo parocho contractum inter Christinam Potockia, et Thomam Konauskium nullum declarari puellæ mater postu-

[151] Vide not. 17 præcedentem.

lavit. Ob id in medium protulit defectum consensus, ejusdem impubertatem, et alia hujusmodi; sed eadem puella declarationem emisit qua hæc omnia fuerunt exclusa, atque nullum metum, neque reverentialem eam impulisse testatur. Et revera esse matrimonium validum S. C. judicium fuit : *Præmislien.*, *Matrim.*, 1 *martii* 1755, confirmata 20 *novem.* 1756.

35. Petrus Borellius accusatus fuit de stupro Annæ Savastano illato. Hujus consanguinei ad judices regios Campanos convolarunt, ut Petrus ad matrimonium contrahendum cogeretur. Quum vero his Romæ moram collocasset ejus parentes, ac consanguinei, carceribus mancipati fuerunt, ac pœna inflicta nisi Petrus matrimonium iniret. Petrus igitur ut suos propinquos liberaret mandatum procuræ dedit, emissa tamen contestata denunciatione de nullitate matrimonii. Id comperiit Anna, ideoque novo mandato opus fuit, sed ille novam elicuit expostulationem, et matrimonium fuit celebratum. Reclamavit statim Petrus, et a S. C. dilata, et exhibeantur acta curiæ laicalis, decretum prodiit : *Capuana, seu Calven.*, *Matrim.*, 9 *julii* 1757. Inde nullum matrimonium fuit declaratum : 3 *decem. ejusd. anni*, confirmata 28 *januar.* 1758.

36. Maria Gayselmaryn puella annorum 16 nupsit Antonio Ritterin jam seni. Post tres menses a viro divertit, divortium judice probante. Hac de causa nullum mulier postulavit declarari matrimonium ex vi, metuque a matre illato, adeoque absque consensu contractum. Sed quum probationes defecissent, S. C. nullitatem non admisit : *Augustana*, *Nullit. matrim.*, 20 *januar.* 1759.

37. Post septennium a contracto matrimonio inter Fabianum Molkium, et Franciscam Moldeckiam, a quo numerosam susceperant prolem, dum Fabianus thori separationem exequi statuerat, Francisca matrimonii nullitatem ex capite vi, metus a matre illati proposuit. Verum quum nunquam nec sponsalium, nec matrimonii tempore ulla, vel minima tristitiæ signa dedisset, etsi ad fratrem vel consanguineos confugere valeret, quod ne cogitavit quidem ; hinc S. C. validitatem matrimonii substituit : *Leopolien.*, *Matrim.*, 31 *martii* 1759, *dub.* 1.

38. Ignatius Leognani Ferramosca dux Alanne, ut propagationi familiæ suæ consuleret, voluit nuptui tradere Ignatio de Dura duci Collis Petri Annam Mariam suam filiam, quæ nondum duodecimum ætatis annum excesserat. Impetrata itaque Apostolica dispensatione super ætate, explorata voluntate, et malitia puellæ ab Episcopo, matrimonium fuit celebratum in oppido Cattineani de licentia parochi hebdomadarii ecclesiæ metropolitanæ Theatinæ, et vicarii generalis. Biennio elapso nullum dixit matrimonium Anna Maria ex defectus legitimæ ætatis, et quod adhuc virgo permanserat, et ex vi, metuque a patre, qui advocato notario stipulari exhæredationem puellæ, nisi Ignatio de dura nuberet, simulavit, illato, et ex defectu proprii parochi ; S. C. consulta, dilata rescripsit, et fiat processus per Archiepiscopum servatis servandis juxta instructionem [132] : *Theatina*, *Nullit matrim.*, 4 *junii* 1763. Deinde iterum protelavit decretum, ut coadjuventur probationes juxta instructionem : 16 *martii* 1771. Demum nullum matrimonium esse existimavit : 29 *aug.* 1772, confirmata 23 *januar.* 1773.

39. Conjuges Rosarius Ranieri, et Vincentia Gervasi institerunt pro nullitate matrimonii ex defectu consensus ex parte viri, qui suasionibus, et minis ad matrimonium inductus fuit, ex impedimento affinitatis contractæ, ex quo Rosarius cum Rosaria Vincentiæ sorore rem ante matrimonium habuerit, et ex impedimento criminis, quia Rosarius idem adhuc vivente prima uxore legitima Vincentiam cum promissione futuri matrimonii compresserit. Hinc omnia in S. C. prolata est. Definitionis tempus ductum fuit, et jussum, ut Episcopo juxta instructionem [133] scribatur : *Mileten.*, *Nullit. matrim.*, 26 *novem.* 1768.

40. Matrimonium metu contractum per catholicam Mariannam Macinska cum Michaele Splingerber acatholico coram capellano alienæ Samoklescensis parochiæ de asserta licentia parochi Camensis,

[132] Et fuit ut Episcopus processum conficeret servatis servandis, in quo pescribantur acta matrimonii, quæ in sua non minus, quam in cura Muronensi servata fuerunt, ut apparere valeat de facultatibus archipresbyteri Cattineani coram quo celebratum fuit matrimonium, ac insuper alligentur in eodem processu depositiones omnes coram S. C. productæ, quæ partibus fuerunt restitutæ, ut in curia exhibeantur, simulque inserviant pro animi sui instructione, et loco articulorum, super quibus, et aliis articulis exhibendis, si partibus placuerit, vel defensori matrimonii, Episcopus per se vel alium, seu alios subdelegandos, si opus fuerit etiam extra diœcesim conjuges ipsos, et testes ab illis vel etiam a defensore matrimonii inducendos formaliter examinet cum interrogatoris, et cum articulis defensoris matrimonii eoque in omnibus actis citato tam circa allegatas nullitates, quam circa defectum consummationis matrimonii, in quantum hujus non sequutæ consummationis probatio eruenda si opus est etiam ex relatione obstetricum conferre potest ad coadjuvandas alias adductas probationes, quod puella non esset viri potens, nec liberum præstiterit consensum matrimonii, si illius legibus noluit postea si submittere. Processum soluta a partibus competenti mercede clausum transmittat : *Regist. Lit.*, lib. 32, *die* 4 *junii* 1763.

[133] Vide not. 44 præcedentem.

ac per tres etiam menses vi, metuque consummatum, relinquitur ex hactenus deductis in statu validitatis, quum de non concessa capellano licentia ex testimoniis dumtaxat extrajudicialibus constaret, nec vis, metusque gravis, ac in constantem virum cadens non ostenderetur: *Gnesnen., Null. Matrim.,* 15 *januar.* 1791.

41. Quum dives puella Angela Ferrarini an. 18 vi, et metu, ut ipsa testatur, contraxisset matrimonium cum Hyacintho Londinelli, et consummasset idem matrimonium non servata Bulla Benedicta, Episcopus validum esse et libero consensu utriusque contractum per sententiam declaravit. Puella vero rogavit S. C. asserens dictum matrimonium nulliter contractum, et petiit subrogationem alterius judicis in locum Episcopi in suspicionem allegati; et S. C. distulit definitionem, et committi præcepit Episcopo Brugnatensi confectionem processus ad formam Const. Benedictinæ *Dei Miseratione* [134] cum facultatibus etiam subdelegandi: *Lunen., Sarzanen., Matrim.,* 17 *sept.* 1796.

§ XXIII.

Matrimonium quoad impedimentum dirimens voti solemnis.

Quum quidem conversus ordinis S. Francisci post emissam professionem fugam arripuisset, ac prætendens nulliter professum fuisse, inde uxorem duxit; at validitate professionis vindicata, S. C. quæsita de matrimonii viribus, illud non fuisse validum constituit: *Romana, Prof. et Matrim.,* 17 *nov.* 1696, *dub.* 2.

§ XXIV.

Matrimonium quoad impedimentum impediens voti simplicis.

Congregatio Barthlemitica erecta fuit in veram religionem cum votis solemnibus eliciendis ex integro etiam ab iis, qui hactenus vota in eadem emiserant. Expedito proinde Apostolico breve anno 1710 notitia pervenit ad aures Matthiæ Gonzalez de Olivera de terra de la Ortova insulæ Tanerifæ Canariensis, qui in prædicta congregatione professionem pronuntiaverat, ac inde habitum reliquerat; et obtenta sui status liberi testimoniali littera anno 1715 licentiam matrimonium contrahendi assequutus est, assumpsitque uxorem Mariam Emmanuelam Peniche. Anceps de validitate sui matrimonii supplicavit declarationem, et S. C. validum, sed illicitum fuisse putavit: *Canarien.,* 9 *april.* 1718.

[134] Vide not. 17 præcedentem.

MATRIMONIUM IMPUBERUM. Vide *Matrimonium,* § VII.

§ XXV.

Matrimonium quoad legitimitatem prolis.

1. Matrimonium, ut proponitur, contractum cum infideli nullum prorsus irritum esse deciditur. Ceterum, an res ita se habeat Ordinarium diligenter dispicere debere, ac pro legitimatione prolis susceptæ cum N. adeundum Sanctissimi Domini Nostri: *Dubium,* 26 *novem.* 1623.

2. Petrus Ezier servata forma Concilii matrimonium contraxit cum Joanna Vauiez non obstante impedimento affinitatis proveniente ex copula illicita quam Petrus habuerat cum sorore dictæ Joannæ, ipsa autem ignorante, et bona fide durante, suscepit liberos: quæritur an ipsi hati ex dicto matrimonio cum mala fide patris et bona fide matris sint legitimi? affirmativum datum est responsum: *Tornacen., Legitim.,* 24 *maii* 1681.

3. Cupientes matrimonium inire Franciscus Luis, et Antonia Theresia Murris obtinuerunt dispensationem Apostolicam super duplici quarto consanguinitatis, vel affinitatis gradu, silentio prætermisso tamen stupri delicto quod patraverat, ac ante exequutionem carnaliter sese immiscuerunt, prolesque genuerunt. Inde vir lætali morbo procumbere cœpit, et matrimonium contraxit, et eo morbo oppetiit. Mulier dubitans de ejusdem validitate, et illegitimitate prolis, supplicat pro revalidatione, ac legitimatione; S. C. supplicationem hujusmodi non esse signandam censuit: *Ulyssiponen., Revalid., seu Dispens., ac Legitim.,* 28 *apr.* 1714.

4. Robertus Spinula clam cum Maria Theresia Gabi disparis conditionis matrimonium contraxit, deinde ad evadendam indignationem Joannis Baptistæ Lercarii ducis Januæ consanguinei clericalem habitum assumpsit, et Mariam Theresiam in monasterium Mantuæ ingredi curavit, ut post obitum Joannis eam denuo reciperet, ac palam faceret matrimonium: ex hoc conjugio duo orti fuerunt filii, hinc de eorum legitimitate disertum fuit, et S. C. controversiam ad judices suos [135] retulit: *Januen., Legitim.,* 14 *aug.* 1700.

5. Matrimonio inito inter principem Albertum Octavium de Seclæs. Tilli, et Alexandrinam Suere de Bacq in privata principis capella coram sacerdote capellano exercitus regis catholici, et tribus testibus de speciali licentia Ordinarii Mechliniensis invitam, inde venit filia Albertina nuncupata: vivente adhuc Alexandrina Albertus duxit in matrimonium Mariam Magdalenam de Seclæs Tilli sibi sanguine

[135] Vide not. 38 præcedentem.

junctam prævia Apostolica dispensatione. Actum itaque fuit de primo matrimonio et prolis legitimitate, et rescriptum fuit, dilata, et ad mentem [156] : *Mechlinien., Legit. prolis*, 6 *julii* 1726, *dub.* 2. Habiti semper fuerunt, ut conjuges, Albertus in suis epistolis Alexandrinam conjugem nuncupaverat; post plures itaque propositiones declaratum fuit constare de primo matrimonio putativo; ita ut proles legitima foret : 25 *sept.* 1728. Ad instantiam vero Mariæ Magdalenæ secundæ uxoris iterum proposita fuit causa, et rescriptum fuit; dilata, et ad mentem : 3 *sept.* 1729 *ac sub die* 24 *ejusdem mensis, et anni* responsum fuit ut iterum proponatur, et exhibeatur epistola comitis de Tillis; ac tandem exhibita epistola censuit S. C. standum esse in decisis : 28 *januar.* 1730.

6. Initis sponsalibus inter Carolum comitem de Frankenberg, et Annam Sophiam de Blanc, filia ex eis procreata, ac religiosus familiæ Franciscanæ, qui parochi munere fungebatur, testimonium exaravit de contracto matrimonio coram se catholico ritu : Comite morte functo Anna hæreditatem quæ sibi, ac filiæ obvenit, postulavit. Regia curia Uratislaviensis petitionem rejecit, ex quo idem religiosus vir aliud ediderat testimonium, quo fassus fuerat precibus importunis, ac lacrymis Annæ deposuisse de inito matrimonio, quod tamen ipse agebat nullimodo contractum fuisse. S. C. respondit dilata, et coadjuventur probationes juxta instructionem : *Viennen., seu Hungarica, Matrim.*, 22 *martii* 1732.

7. Franciscus Mosmile dux Carinarii duxit in matrimonium Joannam de Roberto humili loco natam absque præcedentibus denunciationibus coram sacerdote, cui in scriptis facta fuerat facultas assistendi matrimoniis a parocho : matrimonium in assueto libro relatum fuit, et filii inde orti descripti fuerunt, ut filii Francisci, et Joannæ conjugum. Obiit Franciscus, ac inter ejus fratrem, et filios de validitate matrimonii successionis causa actum est; res tamen transactione composita fuit : iterum ad instantiam sororis Francisci excitata fuit quæstio. Parochus deposuit se facultatem revocasse ante matrimonii celebrationem : idem confirmavit sacerdos, qui matrimonio præsentiam præstitit. Ambo fassi sunt id reticuisse Episcopo, quia de revocatione interrogati non fuerant : parochus dixit se in matrimoniorum libro inscripsisse præfatum matrimonium jussu Episcopi, quod ex timore Francisci facultatem dederat sacerdoti, sed eidem Francisco revocationem patefecerat, et pro validitate rescriptum fuit : *Tricarien., Matrim.*, 27 *junii* 1733.

8. Franciscus Reart sub fide matrimonii Annam Jaque in secundo affinitatis gradu sibi junctam compressit, eamque utero gravem reddidit; curarunt ambo dispensationem a Summ. Pontif., ac Romæ agens epistolam misit, qua certiores fecit conjuges jam obtentam fuisse dispensationem indeque missurus apostolicas litteras; sed antequam hæ pervenirent, gravi morbo a viro contracto, ne Anna nobilissimi generis bonæ famæ jacturam pateretur. Vicarius capitularis in vim epistolæ prædictæ facultatem contrahendi inter ipsos matrimonium concessit, prout contractum fuit, ac biduo post decessit Joannes : perveneruut apostolicæ litteræ, patuitque eas signatas fuisse antequam matrimonium contraheretur. Erronee vero directæ fuerant officiali Elnensi, et e contra vicarius capitularis dispensationem executioni dederat. Quæsitum fuit, an proles suscepta ex Anna Jaque legitima foret? et rescriptum fuit affirmative : 11 *julii* 1732 [157]. Quum vero causa reproposita fuisset super successione, dubiis exhibitis an standum, vel recedendum esset a decisis; et an esset locus declarationi quoad effectus legitimitatis, et quomodo? S. C. rescribendum censuit, dilata, et propouatur una cum dubio, an constet de validitate matrimonii : *Elnen., Legit. prolis et matrim.*, 11 *januar.* 1738, *dub.* 1 et 2.

9. Isabella baronissa de Merode in Hoffalize professa in monasterio S. Sepulchri, sententiam a judice obtinuit nullitatis professionis, tanquam vi, metuquæ emissæ. Existimans Isabella publicatam fuisse sententiam ab Episcopo Paderbonensi matrimonium bona fide contraxit cum nobili viro barone de Molsefeldd. Episcopo vita privato, innotuit Isabellæ omissam fuisse sententiæ publicationem, ac ut hujusmodi omissioni suppleretur penes successorem institit : quid actum fuit, ignoratur. Vir autem abjurata calviniana hæresi, ac spretis divitiis, et dignitatibus catholicam religionem una cum filiis amplexus ægre tulit in dubium revocandi legitimitatem filiorum, ne sibi itaque suisque liberis damnum, ac dedecus obveniret, curavit, ut proles hoc pacto suscepta legitima declararetur, prout a S. C. declarata fuit : *Colonien., Legit. prolis*, 14 *febr.* 1746.

10. Nicolaus Castracane sub jurata promissione futuri matrimonii Vincentiam Fabrini famulam suam compressit, indeque utero gestans una cum Nicolao coram vicario generali matrimonium clandestine contraxit præsentibus testibus. Filium peperit Vincentia, cui Philippi nomen impositum fuit : declarata matrimonii validitate, quærebatur, an Philippus censeri deberet filius legitimus, et naturalis Nicolai? et responsum fuit, ut partes utantur jure suo coram judice competenti : *Callien., Matrim.*, 7 *sept.* 1776, *dub.* 2.

[156] Vide not. 81 præcedentem.

[157] Lib. 32 *Decret.* fol. 359.

11. Bodo ab Alten Brunswicensis vir nobilis sed lutheranus adhuc minor matrimonium contraxit cum Juditha Elisabeth Cran lutherana, deinde alterum matrimonium cum Sidonia de Fenesten ejusdem erroris. Tribunalia acatholica nullum declararunt primum conjugium ex defectu consensus matris, et tutoris : ex secundo ortum habuit Everardus, qui fidei orthodoxæ nomen dedit, et catholicam in matrimonium duxit, exoptans ipse equestri ordini adscribi, ac suos filios, et descendentes recipi posse in cathedralibus Germaniæ super ejus legitimitate declarationem postulavit; et S. C. decrevit filios natos ex Bodone ab Alten, et Sidonia de Teneffen legitimos haberi debere ad effectum de quo agitur : *Monasterien., seu Paderbonen., Legit.*, 5 *sept.* 1776.

§ XXVI.

Matrimonium quoad libertatem.

1. Declaravit S. C. posse hortari, sed non compelli ad contrahenda matrimonia in ecclesia : *Meliten., febr.* 1590.

2. Antonius Maria Ricciolius nobilis Urbinatensis filium hæredem instituit adjecta lege, quod si vellet nubere fœminæ non paris gradus, et conditionis, ipso facto hæreditatem amitteret excepta legitima. Matrimonium contrahere exoptans filius prædictus cum Elisabetha Cigia honestæ conditionis puella, sed ex gradu civium non nobilium, et putans patris dispositionem repugnare libertati Sacramenti, declarari postulavit, an dicto matrimonio paternam amitteret hæreditatem? et S. C. censuit consulendum esse Sanctissimum pro gratia dispensationis ad cautelam : *Urbinaten., Matrim.*, 10 *maii* 1732.

3. In consilio, quod vocant reformantiæ, civitatis Maceratæ die 24 april. 1750 statutum fuit, ut is, qui cum ignobili, vel plebena muliere matrimonium contraheret, ad nobilitatis gradum evehi nequiret, et si nobilis foret, ipse ejusque filii, et posteri ipso facto nobilitatis ordine, et privilegiis privarentur; iis tamen exceptis, qui in possessione sunt nobilitatis, eorum vero vita naturali dumtaxat durante. De præfato decreto nonnulli conquesti sunt cives : utpote libertati nuptiarum adversanti, ac die 2 april. 1759, sancitum fuit, ut deinceps ad consilium reformantiæ jus spectaret examinandi in casibus particularibus eorum qualitates, qui inter nobiles admitti cupiunt successionis titulo, et ut una vice a concilio exclusus, tam is, quam ejus filii, et posteri excludantur : postulata inde fuit abrogatio, seu deletio hujusmodi decretorum tanquam matrimonii libertati adversantium, et S. C. decretum diei 2 april. 1759, libertati matrimonii haud obstare censuit, in reliquis respondit, dilata : *Maceraten.*, 17 *jan.* 1761, confirmata 19 *sept. ejusdem anni.*

4. Tertias appetens nuptias sponsalia iniit grandævus comes Joannes Casto Prosperi cum honesta, licet ignobili puella Theresia Bravi. At celebrationi matrimonii obstiterunt illius propinqui, ac filius præsertim comes Angelus, et detrusa in conservatorium puella, curarunt illi impotentiam viri tradere. Sed S. C. licet nobilibus omnibus consanguineis refragantibus prædicto comiti matrimonium permisit : *Tudertina, Matrim.*, 7 *sept.* 1793.

§ XXVII.

Matrimonium quoad obsequia matrimonialia, separationem thori, ac divortium.

1. Baronissa Susanna Rovera de Ternavas post exactum trigesimum viduitatis annum nupsit equiti Fabritio Cacherano : nullum conclamavit inde matrimonium, tum ex suggestionibus, et importunis suasionibus, quibus aiebat se ad matrimonium inductam, tum ex viri impotentia, qui in ætate 34 annorum constitutus erat : hinc orta inter eos summa contentio ; acta igitur causa super validitate matrimonii, actumque fuit de divortio, et separatione thori. Verum sævitiæ probatæ non fuerunt, ita ut divertio locum esset ; sed resolutum fuit esse locum separationi thori usquequo aliter demandatum fuisset a S. C. : *Taurinen., Matrim.*, 13 *sept.* 1721, confirmata 16 *martii* 1726.

2. Contracto matrimonio inter Joannem Franciscum Salvadori, et Mariam Hieronymam Angelicam post pacificam cohabitionem in domo viri in oppido Portus per sex menses hæc a viro aufugit, domumque paternam in civitate Recineti repetiit. Decrevit Archiepiscopus Hieronymam collocandam esse in monasterio convictricum civitatis Firmi, vel in alio monasterio diœcesis, et alimenta ei esse suppeditanda a patre ex fructibus dotis ab ipso non solutæ : Hieronyma ejusque pater expostularunt, ac quæsitum fuit; num Hieronyma cogenda esset ad habitandum in patria viri, vel vir in patria uxoris; num in monasterio, vel penes patrem manere deberet, et cujus sumptibus? et S. C. ad singula respondit, teneri habitare in patria viri, et pro nunc collocandam esse in monasterio dictæ patriæ ab Archiepiscopo eligendo, et in eo alendam expensis patris ex fructibus dotis : *Firmana*, 22 *novem.* 1727, confirmata 17 *april.* 1728.

3. Marchionissa Lælia Maria Fava in statu viduitatis constituta matrimonium contraxit cum Aurelio Versalia prævia proclamationis dispositione : adhuc non consummato matrimonio, quum denunciatio-

nes fierent, ægreferentibus tum filiis Leliæ ex primo connubio, cum ceteris ejus consanguineis, ut eadem ad secunda vota convolasset, dissolutionem matrimonii postularunt, et dubia proponi curarunt; an esset locus communi sponsorum cohabitationi, et an contra reluctantem censuræ relaxandæ forent, vel aliud adhibendum remedium? et S. C. mandavit Episcopo, ut per seipsum, prout juris fuerit, procederet, vel alium partibus non suspectum deputaret : *Cæsenaten.*, 20 *decem.* 1727, *dub.* 2 et 3.

4. Declaraverat S. C. quatuor Cardinalium a Sanctissimo deputata non constaret de nullitate matrimonii initi inter comitissam Franciscam de Troilis, et marchionem Joannem Franciscum Nembrini, et de non consummatione, nec esse locum ingressui in religionem ad effectum professionis emittendæ. Ast vir exoptans amicabiliter conjugem suam ad maritale consortium revocare, voluit ipsam collocare apud honestam matronam extra monasterii septa, priusquam severiora canonum remedia imploraret; ideoque postulavit, quomodo esse providendum? et S. C. respondit ad mentem [138] cum Sanctissimo juxta petita : *Anconitana, Matrim.*, 10 *sept.* 1735.

5. Quum Anna Zidovuscki nullitatem matrimonii cum Joanne Zagobarki initi proposuisset ex duplici capite; tum quia Joannes sponsalia contraxerat cum matre Annæ, quæ deinde obiit, indeque oriebatur publicæ honestatis impedimentum; tum quia vi metuque ad matrimonium ducta fuerat, quæsivit etiam a S. C. an quando non constaret de nullitate, ipsa cogi posset ad præstanda obsequia matrimonialia? Respondit S. C. dilata, et ad mentem [139], *Gnesnen.*, *Matrim.*, 14 *januar.* 1736, *dub.* 2. Inde iterum rescripsit dilata, et scribatur Episcopo Cracoviensi pro informatione, et voto et confectione alterius processus servatis servandis, sumptibus tamen Joannis etiam quoad testes inducendos per Annam : 6 *julii* 1737.

6. Denegata dissolutione matrimonii initi inter viduas personas Adam Izamochium et Barbaram Szymanouskia, cujus sategerat Barbara, ex quo Adæ virilis hasta deficiebat, thori separationem petiit, et S. C. affirmative respondit quoad thori separationem tantum firma remanente obligatione cohabitandi; et quoad executionem adeat judices suos : *Plocen.*, *Separ. thori*, 12 *febr.* 1746.

7. Contracto matrimonio inter Elisabeth de Vincentiis et Cæsarem de Presbiteris vigore mandati procuræ, quod nec parochus, nec testes legerunt, actum de nullitate fuit, etiam ex capite reverentialis metus Elisabeth, et a S. C. rejecta instantia, quum nunquam conjuges cohabitassent, ad petitionem Elisabeth in consultationem venit, an ipsa cogenda esset juris remediis, ac etiam per censuras ad præstanda obsequia matrimonialia Cæsari et cogendam esse responsum fuit: *Aprutina, Matrim.*, 9 *febr.* 1754, *dub.* 2.

8. Catharina Angela generali separationem thalami quæsivit ob sævitias Joannis Pauli Bastiani viri sui, ob læsum suum honorem, ob denegata alimenta, ob tentatam suam necem veneno et armis; et S. C. rescripsit dilata, et ad mentem [140] : *Pientina, seu Montis Politiani, Separationis thori*, 21 *maii* 1757. Postmodum assertis sævitiis minime comprobantibus separationem thori inficiata est : 2 *decem.* 1758.

9. Post septennium a contracto matrimonio inter Fabianum Mlokium et Franciscam Mladeckiam, postque numerosam inde susceptam prolem thori separationem tentare sibi proposuit Fabianus; delata vero querela nullitatis matrimonii a Francisca ob vim et metum sibi a matre illatum; ejusque validitate a S. C. declarata, expenso dubio, an et cujus culpa esset locus separationi thori? S. C. respondit affirmative, et ad mentem [141] : *Leopolien.*, *Matrim.*, 31 *martii* 1759, *dub.* 2.

10. Impubes Marianna Male Kovska Theophilo Rozdrazewskio in matrimonium juncta fuit, sponsæ patruus de ejusdem nullitate statim conquestus coram officiali Posnaniensi eam declarari obtinuit; inde puella viro potens judicata, iterum cum eodem conjuncta est, cum quo duodecim annis cohabitavit, aufugiens inde animo levis, nullitatem proposuit, ac pluries a S. C. rejecta fuit, quæ validum matrimonium pronunciavit. Theophilus vero pertimescens merito propinationem veneni ab uxore, thori separationem voluit, præsertim quum secundum matrimonium nullum prolatum fuerit ab officiali Posnaniensi et a Metropolitano Gnesnensi, et appellatione ad sanctam Sedem interposita Marianna aliud matrimonium cum alio viro contraxit, ideoque adultera inde significata fuit, et S. C. thori separationem et collocationem Mariannæ in aliquo monasterio clausuram servante, decrevit: *Posnanien.*, *Matrim.*, 21 *junii* 1760, *dub.* 2, confirmata 23 *aug. ejusdem anni.*

11. De validitate matrimonii initi inter Antonium Motta, et Annam Travagli Zechini certatum fuit; et quatenus de validitate constaret, querebatur, an

[138] Vide not. 28 præcedentem.

[139] Quæ fuit, ut facti species inter patres coram secretario concordaretur : *Ead. causa*, 6 *julii* 1737.

[140] Vide not. 471, verb. *Excommunicationis censura.*

[141] Mens fuit, ut scriberetur nuntio apostolico, qui mandaret collocari in monasterio clauso Franciscam sumptibus viri : *In Thesaur.*, tom. 28, pag. 26.

vir cogendus esset ad præstanda obsequia matrimonialia? Quum validitatem matrimonii agnovisset S. C., decrevit etiam præstanda esse obsequia matrimonialia : *Ferrarien.*, *Matrim.*, 16 *jan.* 1762, *dub.* 2.

12. Ab Anna Ponze de Leon thori separatio contra suum virum Josephum de Guzman, tum ex odio per ipsum contra ipsam concepto, tum ex suspicione meditatæ propinationis veneni enixis precibus rogata fuit; quando vir ejus uxorem dementem fuisse de tempore contracti matrimonii probare nitebatur ; S. C. censuit rescribere, utatur jure suo coram Ordinario : *Corduben.*, *Nullit. matrim.*, 26 *martii* 1763, *dub.* 2.

13. Vehementer poposcit Isidorus Salvatori, ut Virginia Alberti sibi desponsata cogeretur ad se redire, sibique obsequia matrimonialia præstare, vel declararetur, an esset locus separationi thori? quoniam bis a viro discessit, ac in patriam suam apud matrem se recepit, ex quo probrosa convicia, quibus ab Isidoro ipsius decus, ac innocentia impetebantur, sustinere nequivit : testes quoque deposuerunt, quod Isidorus in domo avunculi contra insontem uxorem acriter insæviebat, eique vulnera, ac necem minabatur ; et S. C. respondit, utatur jure suo coram Ordinario : *Balneoregien.*, *Obseq. matrim.*, 16 *martii* 1763.

14. Novem elapsis diebus a contracto matrimonio inter Johannem Baptistam Pagani, ac Mariannam Baruzzi ægrotavit vir, ac lue Celtica laborare dijudicatum fuit a chirurgo. Separationem thori statim singulari studio petivit uxor adulterii causa. Unicus tamen testis, et extrajudicialis in medium allatus fuit, de probitate viri complures deposuerunt. Periti quoque absque infirmi confessione perdifficile admodum noscere asseruerunt hujusmodi morbum, vel ab illicito complexu, vel a causis innoxiis originem trahere; et S. C. non esse locum separationi thori decrevit : *Imolen.*, *Separ. thori*, 11 *martii* 1786, *dub.* 1. Deduxit inde jura sua Marianna quibus prædicta infringere conata est, sed S. C. in eadem sententia permansit, addendo ad mentem : 9 *sept. ejusd. anni.* Deinde rescriptum prodiit præfigatur a Card. Archiepiscopo Bononiæ post extrajudicialia officia terminus duorum mensium ad effectum redeundi ad obsequia matrimonialia, quo elapso collocetur in aliquo conservatorio, aut monasterio ab eodem Card. Archiepiscopo eligendo : 16 *decem. ejusd. anni.* Denique quum vir per transactionem cum muliere convenisset, reddita dote sub diversis pactis, vivendi seorsim, mulier supplicavit pro facultate redeundi ad patriam. Sed timet rescriptum diei 16 decem., ne in monasterium detrudatur; hinc proposito dubio, an sit standum, vel recedendum a decisis sub die prædicta 16 decem.? respondit S. C. scribendum Card. Episcopo, quod provideat juxta suum votum [142] etiam cum facultatibus S. C. : 21 *julii* 1792.

15. Post triennalem vitæ consuetudinem, binosque enixos filios in Josephum Fogliette ejus virum ira exarsit nobilis mulier Francisca Moscheni, eique extra paternam domum matrimonialia obsequia ex nuptiali conventione denegavit, afferens etiam causas diffamationis ob adulterium sibi a viro imputatum, verbalium sævitiarum, et adversæ valetudinis, ac licet non semel contrarias sententias passa fuerit in Auditorio Rotæ, tamen redire ad virum noluit, re ad S. C. relata, non esse locum separationi thori statutum fuit : *Firmana*, *Separ. thori*, 13 *junii* 1789, confirmata 19 *sept. ejusd. anni.*

§ XXVIII.

Matrimonium quoad pœnam inhabilitatis ad contrahendum, ejusque remissionem.

1. Declaravit S. C. mulierem quæ incestuose cum viro vixerat, ex quo dispensationem obtinuerat a non habente facultatem, et decepta matrimonium contraxerat, etiam cum ignorantia impedimenti, inhabilitatis non esse obnoxiam : *Pragen.*, *Matrim.* 29 *maii* 1677.

2. Alexander Muscatus nullis præviis denunciationibus, nullaque expetita licentia summo mane coram parocho inopinate una cum Hieronyma Maurella, ac uterque consensum in matrimonium expressit, ac ad consummationem devenit. Dispensationem Apostolicam super consanguinitatis impedimento, ac absolutionem super patrato incestu illi exhibuerunt : matrimonium invalidum declaratum fuit; ac præterea nec de sponsalibus constare decrevit S. C., ac Muscatum inhabilem ad contrahendum cum aliis, in casu de quo agitur, declaravit : *Salernitana*, *Matrim.*, 17 *novem.* 1708, *dub.* 2 [143].

3. Ob incontinentiæ periculum dispensationem postulavit ab inhabilitatione, eaque, in casu de quo agitur, denegata fuit : 11 *januar.* 1710.

[142] Qui favet in hæc verba : « Auditis interesse habentibus, in eam sententiam devenio, fidem, ac securitatem, quam oratrix postulat, esse concedendam ut ipsi tuto huc venire, et in hac urbe apud parentes suos commorari liceat, quin quidquam ab ecclesiastico foro vereri debeat, dummodo Christianis moribus vitæ institutum accommodet. » *Ead. causa*, 21 *julii* 1792, § 2.

[143] Vide not. 66, verb. *Dispensatio*, § X.

§ XXIX.

Matrimonium per procuratorem initum.

1 Joannes Andreas Cascianus Januensis mandatum procuræ transmisit pro contrahendo matrimonio cum Julia Sarri civitatis Bastiæ in regno Corsicæ, quo contracto per annos quatuordecim nunquam simul cohabitarunt, inde vero Cascianus matrimonii validitatem impugnare conatus fuit, ex quo procurator mandati fines excesserit ex defectu proprii parochi, ac ex vi metuque sponsæ incusso : nil horum probatum fuit, et S. C. rescripsit ex hactenus deductis non constare de nullitate Sacramenti : *Marianen., Matrim.*, 7 *maii* 1707, confirmata 4 *junii ejusd. anni.*

2. Franciscus Ursinus innixus cuidam asserto mandato procuræ per epistolam exarato sub die 24 novemb. 1706 a Margarita de Januario filia Nicolai principis S. Martini in personam Ferdinandi de Corduba ad contrahendum matrimonium cum ipso Ursino, noctis tempore parochi ædes una cum procuratore adivit quem in lecto jacentem invenerunt, ac coram ipso matrimonium contraxerunt. Parochus eos repulit, nec procuræ mandatum vidit vel legere audivit. Margarita, ejusque pater statim ac id resciverunt, falsitatem mandati allegarunt : at S. C. decrevit constare de legitimo mandato procuræ : *Neapolitana, Præf. matrim.*, 18 *junii* 1711, *dub.* 1.

3. Nec non constare de legitimo Matrimonio : *Ibid. dub.* 2, confirmata 5 *sept. ejusd. anni* addendo, et remota suspensione temporis novitiatus Card. Archiepiscopus provideat pro suo arbitrio, et prudentia.

4. Elisabeth de Ghirardis nullitatem matrimonii per procuratorem a se initi cum Hieronymo de Raphaelibus proposuit, ex quo antequam illud contractum fuisset, mandatum a se fuerat revocatum, licet revocatio tunc deducta non fuisset ad notitiam procuratoris ; vel etiam ex quo contractum fuerat coram parocho cathedralis, qui nec viri, nec mulieris proprius parochus erat. S. C. causæ resolutionem distulit, ac interim præcepit ut puella caute transferretur ad aliquod monasterium civitatis Castelli, in quo exploraretur ejus voluntas ab Episcopo juxta instructionem [144]. Supponebatur quippe quod vi metuque mandatum revocasset : *Eugubina seu Perusina, Matrim.*, 25 *januar.* 1747. Probata inde libertate Elisabeth ; et quod mandatum revocatum fuerat saltem verbis ante celebrationem matrimonii, pro nullitate rescriptum fuit : 5 *julii ejusdem anni.*

5. Joannes Baptista Bassand Burgundus ad evitandas violentias, quas quidam dux in dies ei minabatur, ut in matrimonium duceret Genovefam Aloysiam des Capelles, folium quoddam a se in albo subscriptum in manibus dicti ducis reliquit in civitate Neapolis indeque Viennam profectus est, et matrimonium ibi contraxit anno 1715 ; defunctaque uxore aliam accepit anno 1745 cum quibus etiam filios habuit. Dux vero præfatus anno 1706 exarato mandato procuræ ad matrimonium contrahendum cum dicta Genovefa in personam Joannis Antonii Sottomajure curavit, ut matrimonium celebraretur prout celebratum fuit ; defuncta Genovefa, Neapolim rediit Joannes Baptista, ac re cognita nullum declarari petiit matrimonium, quod nunquam ipse contrahere voluit prout discedens a civitate Neapolis protestatus fuerat, et S. C. pro nullitate respondit : *Neapolitana, Matrim.*, 7 *julii* 1736, *dub.* 1.

6. Adolescens Philippus Giordanus Castri Maris machinationibus Beatricis Bergantinæ in civitate Neapolitana degentis deceptus folium album subscripsit his verbis ; *Filippo Giordano constituisco ut supra*, ad effectum ut cum prædicta subscriptione pecuniam recipere posset ; ast indigna mulier curavit, ut inibi inscriberetur mandatum procuræ ad matrimonium ineundum cum propria filia Angela, ac sociis doli fraudisque adhibitis matrimonium celebratum fuit Neapolis. Sponsa ad Philippum Castri Maris commorantem pervenit cum fide contracti matrimonii. Vir ira accensus maledictis ac contumeliis eam affecit eique terga vertit, ac matrimonii nullitatem proposuit. Beatrix et Angela conscientiæ stimulis agitatæ rem manifestam reddiderunt, S. autem C. præscripsit ut daretur defensor matrimonii : *Neapolitana seu Castri Maris, Matrim.*, 2 *decem.* 1752, et reproposita causa rescriptum fuit, dilata, et coadjuventur probationes juxta instructionem : 13 *januar.* 1753.

7. Elisabeth de Vincentiis matrimonium contraxit cum Cæsare de Presbyteris, ad hoc procuratore constituto Cyro Amorotti, qui, dum matrimonium contractum fuit, quamdam parvam chartam compli-

[144] Datæ fuerunt litteræ Ordinario Perusino, ut transportatio adimpleretur recta via, et comitante una matrona, de qua tamen nulla esset suspicio, quod esset subornatura puellam, aut pro, aut contra matrimonium, aliisque adhibitis cautelis. Datæ etiam fuerunt litteræ ad Episcopum civitatis Castelli, in quibus demandatum fuit, ut sequuto puellæ adventu eam collocaret in monasterio sibi beneviso, eamque custodiendam traderet probæ moniali cum prohibitione, ne aliquis cum puella alloqueretur, vel ad eam epistolæ deferrentur, et cum additione, ut transacto termino viginti dierum, ipse sepositis arbitris, eam interrogaret, et de responsionibus S. C. faceret certiorem : *In Thesaur.*, tom. 4, § *Cohærenter*, et dat. pag. 50.

catam tradidit parocho mandatum procuræ postulanti, quam chartam tamen nec parochus, nec testes dilataverunt; insuper in matrimoniorum libro adnotatus fuit Cyrus ut sponsus Elisabeth, Cæsar vero ut procurator Cyri: requisitum fuit procuræ mandatum, et nec autographum, nec copia inveniri potuit: quum igitur post contractum conjugium nunquam cohabitaverint conjuges, factis dissidiis actum de nullitate fuit; ex quo etiam ad nuptias venisset Elisabeth metu quodam reverentiali erga patruum ducta, et rescriptum fuit non constare de nullitate: *Aprutina, Matrim.*, 9 *febr.* 1754, *dub.* 1.

§ XXX.

Matrimonium putativum.

Princeps Albertus Octavius de Serclæs Tilli matrimonium in sua privata capella contraxit coram sacerdote capellano exercitus regis catholici, et tribus testibus prævia speciali licentia Ordinarii Mechliniensis cum Alexandrina Suere de Bacq, cum qua filiam nomine Albertinam suscepit: aliud inde conjugium iniit cum Maria Magdalena de Serclæs Tilli, obtenta apostolica dispensatione, adhuc vivente Alexandrina; quæsitum itaque fuit an constaret de matrimonio putativo inter Albertum et Alexandrinam? Et S. C. respondit dilata, et ad mentem [145]: *Mechlinien., Legit. prolis*, 6 *julii* 1726, *dub.* 2. Pluries inde examinata causa declaratum fuit constare de primo matrimonio putativo; ita ut proles legitima foret judicanda, publici enim existimati fuerant, ut conjuges ac Albertus in epistolis ad Alexandrinam missis eam conjugem suam nuncupaverat: 25 *sept.* 1728. Contendente vero prolis legitimitatem Maria Magdalena secunda uxore, iterum proposita causa, rescriptum fuit, dilata, et ad mentem: *die* 3 *sept.* 1729 inde responsum fuit iterum proponatur et exhibeatur epistola comitis de Tillis: 24 *ejusd. mensis et anni.* Tandem exhibita epistola censuit S. C. standum esse in decisis: 28 *januar.* 1730.

§ XXXI.

Matrimonium ratum et non consummatum.

1. Matrimonium initum inter Annibalem Cæsareum et Annam Elisabeth Scorno ob viri imbecillitatem consummari non potuit, prout uterque conjux fassus est. Obstetrices de virginitate Annæ retulerunt, periti virum connubii nescium dijudicarunt; actum igitur de consummatione fuit, vir enim religionem ingredi cupiebat, et S. C. rescripsit constare de matrimonio rato et non consummato: *Neapolitana, Matrim.*, 11 *april.* 1701, *dub.* 1, confirmata 18 *julii ejusd. anni.*

2. Camilla Scassala matrimonium celebravit cum Petro Ramoin phthisi laborante, qui post tres menses decessit; Camilla vero, quum rem habuerit cum Francisco Ramoin ejus leviro prolemque susceperit ad proprium vindicandum honorem et prolem legitimandam petiit dispensationem super publicæ honestatis primi gradus impedimenta, ponderatum igitur fuit, num matrimonium cum Petro consummatum fuerit? Franciscus fassus fuit se defloresse Camillam; medicus et chirurgus examinatores de morbi veritate deposuerunt, ast ex vi morbi ad consummationem inhabilem non censuerunt. Episcopus de consummatione dubius fuit, et S. C. declaravit non constare de matrimonio rato et non consummato: *Nicien., Dispens.*, 7 *junii* 1778, *dub.* 1.

3. Nupsit anno 1769 Angela Timoni Michaeli Ipriano Armeno. Vix inito matrimonio navim conscendit vir, et ad longinqua profectus, non primum Chium uxoris in patriam redit, quam anno 1789. Ob malam tunc contractam valetudinem a maritali conjunctione se abstinuit mulier, supplicavitque pro facultate solemniter profitendi extra claustra regulam S. Dominici. Ait Episcopus virum senem Angelæ contubernium, et convictum postulare. S. C. vero, quum per concludentes probationes non constaret de non consummatione, censuit non constare de matrimonio rato, et non consummato, ita ut non esset Sanctissimus consulendus pro facultate solemnem professionem emittendi: *Chien., Matrim.*, 15 *decem.* 1792, *dub.* 1. Deinde ex novis, et concludentibus non consummationis probationibus constare de matrimonio rato, et non consummato prævio recessu a decisis statuit: 21 *junii* 1794, confirmata 16 *aug. ejusd. anni* addendo ad mentem.

§ XXXII.

Matrimonium secretum seu conscientiæ.

1. In quibusdam diœcesibus mos inolevit celebrandi quædam matrimonia secreta, seu conscientiæ [146]. Episcopus, qui degit in regionibus, in quibus matrimonia hæc passim contrahuntur, super

[145] Vide not. 81 præcedentem.

[146] Vide annotationes secretarii S. C. Concilii circa matrimonia secreta, seu occulta, et quæ dicuntur conscientiæ, quæ extant tom. 3 *Thesaur. Resolut.*, die 9 sept. 1724, in fin. Sed postmodum quia non levia mala et absurda ex hujusmodi occultis matrimoniis sæpe na-

anxiis rebus, quæ tenenda esset sententia Sedem apostolicam consuluit, an prædicta matrimonia licita sint, et S. C. respondit ad mentem : *Dubium Matrim.*, 9 *decem.* 1724, *dub.* 1 [147].

2. Postulavit etiam, an instantibus interesse habentibus eis tradenda sit authentica fides matrimonii contracti ? et pariter rescriptum fuit ad mentem : *Ibid. dub.* 2.

MATRIX ECCLESIA. Vide *Ecclesia matrix.*

MEDIA ANNATA QUIBUS, ET A QUIBUS SOLVENDA SIT [148].

1. Parochi ceterique beneficiati diœcesis Toletanæ supplicarunt pro revocatione indulti concessi anno 1479 a Sixto IV, et confirmati a Leone X, Pont. Max., canonicis collegiatæ Complutensis, et portionariis cathedralis ecclesiæ Toletanæ exigendi medietatem fructuum, ac proventuum primi anni omnium beneficiorum, etiam regularium, et cum cura, vel saltem pro illius moderatione quoad nonnulla gravaminum capita per eosdem in XVI dubiis exposita. Primum S. C. præcepit concordari dubia coram secretario : *Toletana*, *Dimid. ann.*, 27 *januar.* 1703. Deinde declaravit indultum de quo agitur, non esse moderandum, et quoad comprehensionem, vel non comprehensionem in Indulto necnon prætensum excessum in illius executione concordentur dubia coram Card. Acciajoli, et deinde proponentur in S. C. : 1 *decem. ejusd. anni.* Denique concessit remissoriam, et compulsoriam : 5 *sept.* 1705, *dub.* 1.

2. Beneficium parochiale obtentum a sacerdote Matthæo Baldi non subest oneri solvendi mediam annatam in favorem fabricæ ecclesiæ cathedralis. Idem enim ratione reservationis pensionis ab Episcopo factæ litteras Apostolicas expedierat, et beneficia collata ab Episcopo, vel alio inferiori collatore huic oneri dumtaxat subjiciuntur, minime vero quæ ab Apostolica Sede conferuntur : *Ariminen.*, *Med. ann.*, 15 *januar.* 1735.

3. Communitas Tusculi onus habet manutentionis, et reparationis ecclesiæ cathedralis, turris

scebantur, a Sum. Pont. Bened. XIV, ut opportune iis obviam iret ; Const. *Satis vobis*, 17 *novem.* 1741, emanavit, in qua tum in illis contrahendis, cum in prolibus exinde ortis custodiendis præscribitur regula, a locorum Ordinariis servanda : Vid. *Bull. ejusd. Pont.*, tom. 1, Const. 55, pag. 40. Prodiit liber singularis Francisci Mazzei in Romana curia advocati *de Matrim. Conscientiæ*, Romæ, an. 1766.

[147] Propterea quod S. C. differendum censuit judicium ; donec mature perpensa, et constituta fuissent, quæ necessario requirerentur ad hæc matrimonia licite perficienda ; si enim ad recti normam exacta non fuerint, culpa non vacant ; quantumvis celebrata cum fuerint parocho, et testibus, valida, et rata procul dubio debeant reputari. » Ita Bened. XIV, *de Synod. diœces.*, lib. 13, cap. 23, num. 12, edit. Rom., 1755, in fol. pag. 638, et pag. seq. pergit. » Et quidem in ea Const. (*Satis vobis* ab ipso edita), quæ in forma brevis epistolaris directa est, et transmissa ad omnes Episcopos, nos ea resumpsimus, quæ in Concilii Congregatione tunc minime definita adhuc pendebant. Cumque maturo, et diligenti examine ea omnia perpendissemus, quæ visa sunt necessario requirenda, ut matrimonia *Conscientiæ* possent aliquando permitti, quæquæ sint adhibendæ cautiones, ut proles, ex his matrimoniis nascitura, et rite educetur, et nullum accipiat detrimentum sive in his, quæ pertinent ad vitæ sustentationem, sive in probatione legitimorum natalium quos, ex hujusmodi matrimoniis revera sortietur.

[148] Multi sunt viri docti et graves, qui annatas inductas putant exemplo legis veteris, qua levitæ summo sacerdoti decimas decimarum solvere jubebantur num. XVIII. Nam quemadmodum lege nova Romanus Pontifex Summus sacerdos est, ac totius ecclesiæ caput, ita æquum est, quod ei ab Episcopis, et sacerdotibus aliquid persolvatur, quo ipse consulat decenti tuitioni sui, atque omnes agnoscant primatum, quem habet in Ecclesia universa. Ita sane legatis principum Germaniæ, qui de annatis conquerebantur, responsum scribit Pallavicinus *Histor. Concil. Trident.*, lib. 2, cap. 8, num. 4. Confer D. Thomam, num. 2, quæst. 87, art 4 ; Petrum Alia censem in tract. *de Auct, Eccles.*, part. 2, tom. 2 ; *opp. Cersonnii*, pag. 945, ed. Antuerpiæ 1706 ; Baronium, ad an. 1156, n. 19, p. 105. tom. 19, ed. Lucæ ; Raynaldum ad an 1399, num. 12, pag. 50, tom. 8, ed. Lucæ Annatarum usum in ecclesia Romana antiquissimum esse constat ; sed quo primum tempore induci cœperit, certo definiri non potest. De Clemente V narrant Matthæus Wesmonasteriensis *Flor. Histor.* ad an 1306, pag. 454, ed. Francofurti 1601, et Thomas Walsinghamus *Y podigm. Neustriæ in Anglic. Hibernic. f.*, pag. 497 et 498, ed. Francofurti 1602, eum ad duos tresve annos beneficiorum, quæ in Anglia vacarent, annatas reservasse. Similiter Joannes XXII legem edidit de annatis ad certum tempus solvendis ex omnibus beneficiis *Extrav. cœt. 11 de Præben. et dignit. int. communes* ; et post obitum Gregorii XI, Cameræ apostolicæ magna vis pecuniæ ob non solutas annatas debebatur, uti tradit Thomassinus, part. 3, lib. 2, cap. 59, num. 3. Denique Bonifacius IX perpetuam ea de re legem edidit, modumque constituit, qui nunc pro solvendis annatis obtinet ; atque hinc ipse Pontifex annatarum auctor a quibusdam habetur, licet eæ revera multo antiquiores sint, uti ostendunt Spondanus ad an. 1399, num. 1, et Raynaldus ad eumdem annum, num. 11, pag. 50, tom. 8 ed. Lucæ.

sacræ, et expensarum pro paramentis, atque supellectilibus. Hinc non deberi huic ecclesiæ media annata beneficiorum diœcesis prætenditur. Et ad dubium, an exigi possit media annata, eademque erogari in supellectilia ecclesiæ cathedralis? rescriptum negativum a S. C. emanavit : *Tusculana*, 20 *decem.* 1727.

4. Sacerdotem Thomam Marini plebanum parochialis ecclesiæ S. Mariæ juris patronatus terræ Montis Carotti, Danielem Ridolfi, Florianum Carotti, et Cæsarem Angelini ejusdem ecclesiæ capellanos, dictique plebani coadjutores, et clericum Carolum Antonium Marini recte esse ad mediam annatam pro reparatione cathedralis ecclesiæ juxta Concil. Romanum, et Constitutionem Benedicti XIII, Pont. Max. [149] exsolvendam adstringendos resolutum fuit : *Æsina, Med. ann.*, 22 *julii* 1741, confirmata 9 *sept. ejusd. anni.*

5. Ad preces capituli cathedralis ecclesiæ, a quo expositum fuerat, non alia suppetere media instaurandi suam fere collabentem ecclesiam instruendique ejus sacrarium necessaria supellectili pene destitutum, Benedictus XIII, Pont. Max., S. C. exquisito suffragio, indulsit, ut per decennium tantum provisi de parochialibus positis in civitate, et diœcesi, quarum reditus una cum incertis annua scuta centum excedunt, itidemque provisi de canonicatibus, et beneficiis tam residentialibus, quam non residentialibus cujuscumque sint reditus, mediam annatam in favorem fabricæ cathedralis, et sacrarii solvere tenerentur. Petrus Martyr de Golorens ob prioratum S. Jacobi de Fontania intra Celsonæ diœcesim obtentum se exemptum præsumebat discusso dubio an beneficia exempta teneantur? et teneri responsum est ; *Celsonen.*, *Exact. med. ann.*, 16 *decem.* 1741.

6. Ecclesia parochialis S. Michaelis Archangeli urbis Firmi de jure patronatus parochiæ incolarum pro duabus ex tribus partibus, et pro tertia comitis Petri Galiucci, ob suam vetustatem instaurationem indiget. Ambiguum inde fuit, num canonici, aliique clerici beneficiati cogendi sint ad mediæ annatæ solutionem ; vel potius reparanda ea sit sumptibus parochiæ incolarum, et familiæ Galiucci? S. C. scribendum putavit Archiepiscopo pro nova informatione juxta instructionem : *Firmana, Repar. Eccles.* 5 *maii* 1742.

7. Duas mansionarias per laicalem erectionem fundavit Simon Oliverius cathedralis ecclesiæ archidiaconus mansionariis servitii chori, et parochi adjuvandi onus imposuit, at ex parochi voluntate pendere minime illos voluit. Mansionarius Ubaldas Thomassinus a mediæ annatæ solutione immunem se esse dicit, quia agitur de parochiali beneficio annuorum scut. 100 reditu non excedente re ponderata mediæ annatæ solutionem adstringendum esse S. C. putavit: *Foro-Sempronien., Med. ann.*, 18 *maii* 1743.

8. Defuncto priore prima dignitate ecclesiæ cathedralis ab Albano Morellio coadjutore capitulum petiit sex mensium fructuum præstationem in distributiones quotidianas convertendam fretum longa possessione illam exigendi, et quod titulo oneroso jus hoc ad ecclesiæ sacrario originem habuit. Contra Morellius aiebat vetitum esse capitulis quidquam a provisis accipere, abolitis consuetudinibus etiam immemorabilibus, et jam ante mediam datariæ apostolicæ annatam eum solvisse. Ob id S. C. decidit, mediam fructuum annatam exigendam ut prætenditur, solitam per capitulum Tudertinum a noviter provisis, a Morellio minime deberi : *Tudertina, Med. ann.*. 8 *aug.* 1744.

9. S. C. requisita ab archipresbytero, et canonicis cujuscumque erectionis ecclesiæ collegiatæ S. Andreæ in terra Vetrallæ debeatur media annata? deberi rescribit, exceptis provisis apostolicis : *Viterbien.*, *Med. ann.*, 13 *januar.* 1748.

10. Post Benedictinam Constitutionem [150] media annata in favorem ecclesiæ cathedralis soluta fuit a beneficiatis ecclesiæ S. Mariæ Fluminis, quæ extra Ceccani oppidum sita est. Laurentius Sindici in eadem ecclesia beneficiatus illam pendere nuper restitit, excepitque non cathedrali, sed suæ collegiatæ ecclesiæ faciendam esse solutionem ; itaque quæritur, num præfata ecclesia S. Mariæ Fluminis prætensa collegiata, ejusque beneficiati teneantur vigore Concilii Romani [151] solvere mediam annatam in favorem cathedralis? teneri S. C. definivit : *Ferentina, Med. ann.*, 6 *maii* 1752.

11. Capitulum ecclesiæ cathedralis omnibus viribus contendit, ut parochus archipresbyter Castri Sambuci ad mediam annatam solvendam a vicario generali Tyburtis damnatus esset. Appellavit archipresbyter, querens suam parochialem, deductis oneribus, et expensis, annuum centum scutorum reditum non referre. Hoc causam præbuit exami-

[149] Per Concilium Romanum celebr. anno 1725, tit. 27, cap. unic. ecclesiarum cathedralium, et collegiatarum fabricis providetur concessione mediorum fructuum primi anni cujuslibet beneficii ab Episcopis in propria diœcesi conferendi. Cui dispositioni accessit Const. Bened. XIII. *Pius, et Misericors*, 29 april. 1725, *relat. in Append. Concil.*, cit. num. 24. (*Bull. Rom.*, tom. 9, part. 2, pag. 397), qua per totam Italiam, et insulas adjacentes providendis de beneficiis ecclesiasticis non affectis, aut reservatis S. Sedi, demandatur solutio mediæ annatæ in favorem fabricæ metropolitanæ, et collegiatarum respective ecclesiarum.

[150] Vide not. 149 præcedentem.

[151] Vide not. ut supra 149.

nandi, an et quæ onera, et expensæ deducendæ essent ex reditibus beneficiorum tam curatorum, quam non curatorum ? definiit S. C. deducenda esse illa onera fixa, et realia, non vero personalia in beneficiis curatis ad effectum, ut subjiciantur taxæ : *Tyburtina, Med. ann.*, 4 *maii* 1754.

12. Duas terræ Lugi ecclesias collegiatas in unam coaluit Benedictus XIV, Pont. Max., sub titulo SS. Petronii et Prosperi capitulum cathedralis exegit a provisis de beneficiis in una, vel altera ex eisdem ecclesiis collegiatis mediam annatam, licet aliquando deposita fuerit cum contestata denunciatione, ut capitulo collegiatæ solvenda illa esset. Tandem capitulum collegiatæ supplicavit declarari : an media annata spectaret ad capitulum cathedralis, vel ad se ipsum ? et ad se spectare S. C. statuit : *Imolen., Med., Ann,,* 14 *januar.* 1758, *dub.* 1, confirmata 18 *febr. ejusd. anni.*

13. Definitum exinde est, capitulum cathedralis restituere capitulo collegiatæ medias annatas in præteritum perceptas a die erectionis utriusque collegiatæ teneri : *Ibid,, dub.* 2. Et causa reproposita dictum est in decisis juxta modum : 18 *febr. ejusd. anni.*

14. Capitulum cathedralis ecclesiæ postulavit, ut sacerdos Joan. Baptista Philipponi Tenerini ad solvendam fabricæ cathedralis mediam annatam simplicis beneficii, de quo provisus ordinaria auctoritate fuit, adigeretur. Fabricam proprium non habere patrimonium fatebatur Epicopus. E contra patrimonium annui reditus 392 scut. habere ostendebat Philipponi, et licet exitus ascenderet ad annua scut. 396 ; suplementum tamen ex utensilibus a quolibet capellano solvendis accipere profitebatur. Re itaque mature perpensa mediam annatam deberi ab eo S. C. declaravit : *Tudertina, Med. ann.*, 12 *junii* 1762.

15. Ad legem præstationis mediæ annatæ in favorem ecclesiæ cathedralis non descendit capellania amovibilis sub invocatione divi Antonii erecta in ecclesia S. Patritii prope mœnia terræ Campi Feudoni, quæ ex dispositione evincitur sacerdotalem, ac juridictioni ac visitationi Archiepiscopi esse subjectam, ac habere certum Missarum onus : *Firmana*, 19 *sept.* 1767.

16. Locum mediæ annatæ solutioni pro fatiscenti cathedrali ecclesia, cujus capitulum ad eam exigendam statim post Benedictinam Constitutionem [152] canonicum cameriarum elegit, esse S. C. firmavit : *Reatina, Med. ann.*, 12 *maii* 1770, *dub.* 1 ; confirmatur decretum ad formam dictæ constitutionis [153]. et resolutionis S. C. in *Tyburtina*, 4 *maii* 1754 [154] : 10 *maii* 1774.

17. Ad ejus solutionem canonicos, beneficiatos, et clericos beneficiatos ejusdem ecclesiæ, nullam licet habentes propriam præbendam, nullosque reditus peculiares, sed quotidianas tantum lucrantes distributiones, in futurum ad formam Constitutionis Benedictinæ teneri, eadem S. C. statuit : *Ibid., dub.* 2, confirmata 16 *maii* 1789, *et iterum confir. ut supra.*

18. Post obtentam parœciam seu archipresbyteratum S. Michaelis Archangeli terræ Strangolagalli sacerdos Joannes Dominicus Perilli in jus fuit vocatus pro solutione mediæ annatæ a capitulo ecclesiæ cathedralis ad formam Constitutionis Bened. XIII, *Pius et Misericors Dominus* [155] quam detractabat solvere ex defectu parœciæ redituum qui annua non attingunt scut. 100. S. C. primum scribendum pro informatione status parœciæ, de qua agitur, censuit : *Venilana, Med. ann.*, 29 *novem.* 1788. Deinde affirmativum pro solutione dedit responsum : 19 *febr.* 1791.

19. Media annata debetur ecclesiæ cathedrali Nepesinæ per archipresbyterum Andora, canonicum Biondi, et beneficiatum Pangalozzi ecclesiæ parochialis olim collegiatæ putatæ oppidi Flaviani, juxta assumptam per eos obligationem, licet nunquam ab edita Const. *Pius et Misericors Bened. XIII* [156] soluta fuerit : *Nepesina*, *Med. ann.*, 16 *aug.* 1794.

MEDICA ARS. Vide *Ars medica.*

MEDICINA. Vide *Ars medica.*

[152] Vide not. ut supra 149.

[153] Vide not. ut supra 149.

[154] Vide num. 11 præsentis §.

[155] Edita die 29 april. (*Bull. Rom.*, cit. loc. in qua §2 decernitur, et mandatur per totam Italiam, et insulas adjacentes « ut in posterum provisi de parochialibus una cum incertis, annuum reditum scut. 100 monetæ romanæ excedentibus, et de canonicatibus, et beneficiis non residentialibus, et simplicibus, sitis extra ecclesias collegiatas, cujuscumque valoris existant, teneantur solvere, et respective deponere mediam annatam pro fabrica cathedralis ; » et idem disponitur in favorem ecclesiarum collegiatarum.

[156] Vide not. 149 præcedentem.

MEDICUS.

1. Episcopus S. C., quæ totius Ecclesiæ curam gerit, interrogat, et hanc refert responsionem ; ad ea, quæ circa moniales petebantur illarum medicum ab ipsius monialibus esse eligendum ; electum vero, aliqua justa subsistente causa, posse Episcopum recusare : *Nicien., Visit. sacr. Liminum*, 6 *aug.* 1677, *dub.* 2.

2. Prævia Apostolica dispensatione ab irregularitate ordinum sacrorum assumptio denegatur per rescriptum *Non expedire* [157] Lucensi medico Josepho Benvenuti annorum 70, licet ejus uxor an. 64 perpetuum emittere polliceatur votum castitatis, cohabitando tamen cum viro sub eodem tecto : *Lucana*, 18 *julii* 1795, *dub.* 1.

MELIORATIONES.

1. Meliorationes confectæ ab emptore Stregapede in domibus eidem venditis a Carolo Martiano beneficiato et ad suum beneficium spectantibus, declarata nullitate contractus emptionis, et venditionis, atque redintegratione obtenta a Martiano, ab isto juxta liquidationem factam ab Episcopo reficiendæ sunt : *Ruben., Nullit. alien.*, 28 *aug.* 1723, *dub.* 4.

2. Meliorationum instantia contra Episcopum super bonis ad mensam spectantibus a conductore Cæsare de Maris promota, cui beneplacitum Apostolicum pro emphyteusi perpetua denegatum fuit, ad tribunal A. C. remissa fuit, etiam quoad liquidationem [158] : *Savonen.*, 17 *januar.* 1728.

3. Capitulum cathedralis ecclesiæ statuerat, ut bonorum fructus, qui separatim antea fuerant unicuique ex quadraginta capitularibus assignati, in communem massam a procuratoribus omnium nomine administrandam redigerentur. S. C. hanc capituli resolutionem firmavit. Sed planum non fuit de refectione damnorum ; et modo quæritur ; an constet de meliorationibus eorumdem bonorum capituli?

4. Et an, atque ad quorum commodum cedere deberent capituli prædicti bonorum, ex quibus massa communis capitularis conflata fuit meliorationes? mandatur Ordinario ut prout de jure procedat : *Bisinianen.*, 2 *junii* 1742, *dub.* 5 et 6.

5. Ad dubium, an abbas, sive monasterium S. Mariæ Castionis onus habeat solvendi Petro Parentio pretium meliorationum in prædiis sterilibus, fluvialique arena intectis hucusque factorum, una cum expensis, et damnis quatenus nullus monasterii culpa ob non impetratum Apostolicum beneplacitum reputetur contractus, nec sanationi locus esse possit? S. C. ad mentem rescripsit : *Burgi S. Domnini, Emphyt.*, 14 *januar.* 1747, *dub.* 3. Deinde censuit, ut novus eligeretur peritus, coadjuvatis probationibus super valore prædii de tempore contractus : 30 *maii* 1748.

6. Declaravit S. C. nullitatem contractus permutationis initi inter conservatorium Oblatarum sacræ Familiæ Setiæ, et Joachim Benedictum Pacifici de licentia Card. protectoris ; inde quoad meliorationum refectionem definitio remittitur ab ead S. C. ad secretarium pro liquidatione juxta mentem, et ad eumdem cum Sanctissimo pro absolutione : *Terracinen, et Setina*, 23 *januar.* 1790, *dub.* 2.

MENDICANTES. Vide *Regulares.*

MENSA EPISCOPALIS. Vide *Episcopus.*

METROPOLITANUS. Vide *Archiepiscopus.*

METUS. Vide *Matrimonium*, § XXII ; *Professio religiosa*, § VI ; *Sacramentum Ordinis*, § XI.

MILITARIS ORDO. Vide *Religio militaris.*

MILITIÆ CAPELLANUS. Vide *Capellanus seu Vicarius, etc.*

[157] Vide not. 570, verb. *Clerici.*

[158] Ut hoc tribunal in via contentiosa possit prout de jure rationes utriusque partis examinare, et sententiam proferre.

MINISTER, MINISTRI.

Ministros sive mere laicos sive ecclesiàsticos a curia archiepiscopali Ravennæ in civitate, et diœcesi Faventina pro exactione redituum mensæ archiepiscopalis deputatos, ab Ordinarii jurisdictione exemptos minime esse sancitum fuit : *Ravennaten., seu Faventina. Juris,* 18 *april.* 1750, *dub.* 2, confirmata 11 *aug.* 1753.

MISSA.

§ I.

Missa seu sacrificium Missæ, quando applicari debeat necne.

1. Quum certus Missarum numerus, sive ad tempus, sive in perpetuum celebrari nulla facta expressione, vel mentione, circa applicationem sacrificii constitutus esset, quæritur, an applicatio debeatur? respondit danda esse decreta hac de re edita et signata in *Tinen. Applicationis sacrificii,* 18 *aug.* 1668 [859] : *Lucana, Appl. sacrif.,* 7 *aug.* 1685.

2. Quoad dubium, an Missæ celebratæ per capellanum S. Sebastiani sine applicatione Sacrificii de ordine priorum communitatis Castri Gandulphi sint denuo celebrandæ cum applicatione, et respective redintegratione? S. C. in præteritum benigne condonavit, et in futurum sacrificium applicari mandavit : *Albanen., Deput. eremitæ et Admin.,* 21 *junii* 1692, *dub.* 1.

3. Canonici collegiatæ ecclesiæ, ac parochialis S. Mariæ terræ S. Ginesii celebrare, sed non applicare Missas in tabella celebrationum descriptas tenentur. Harum applicationis onus non apparet, sed tantum in prædicta antiquissima tabella cujus est titulus : *Ordo servandus in celebratione Missarum* absque ulla fundationum notione reperitur : *Camerinen., Celeb. Miss.,* 4 *junii* 1701.

4. Ad formam bullæ erectionis collegii *Gallii* nuncupati Urbis Novocomi patres Congregationis Somaschæ, qui spirituali illius regimini præsunt, tres Missas quotidianas in ecclesiis designatis cum applicatione in favorem manuales eleemosynas elargientium celebrare curarunt. Sed deputati eos teneri pro fundatoribus collegii applicare putarunt; etiamsi in præfata bulla nulla de applicatione mentio fiat. Hinc S. C. consulta patres prædictos ad applicationem pro fundatoribus minime teneri, sed eleemosynas manuales recipere in præsenti casu posse decidit : *Comen., Appl. Miss.,* 1 *april.* 1702.

5. Missas a Visitatore Apostolico Maranta in suis constitutionibus festis diebus ordinatas, aliasque, si adsint, oneri applicationis Sacrificii minime subjacere debere sed applicari solummodo debere Missam conventualem, quæ in collegiata terræ Ophydæ ratione canonicatus celebratur, constituitur : *Asculana, Distrib.,* 13 *aug.* 1707, *dub.* 4, confirmata 23 *junii* 1708.

6. Archiconfraternitas S. Hieronymi charitatis Urbis, quum ecclesiam, conventum, sacrarium, ac sacra supellectilia onere adjuncto, ut sacerdotes seculares per se, vel per alios octo Missas celebrare quotidianas absque applicationis expressione teneantur, obtinuisset, super hac applicatione S. C. consilia petivit, et audivit hodiernos sacerdotes posse sacrificium applicare in satisfactionem aliorum onerum de quibus a testatoribus sunt gravati post unionem ecclesiæ dictæ Archiconfraternitati ; non autem pro benefactoribus ante unionem Missas applicare esse adigendos : *Romana, Appl. Miss. et Subs. dot.,* 7 *julii* 1708, *dub.* 1.

7. Præpositus, ædituus, ac capellani insignis capellæ Sanctissimi Præsepis in basilica S. Mariæ Majoris existentis, Missas non applicaverunt. Nam applicatio neutiquam celebrantibus visa fuit deman-

[859] Vide verb. *Capellanus,* num. 1.

data, quum neque in bulla, neque in tabella nullum quidem verbum de applicatione legatur. Attamen S. C. consuluerunt, quæ non teneri ad applicationem judicavit : *Romana, Appl. Miss.*, 18 *aug.* 1708.

8. Patres Tertii ordinis S. Pauli ad Arenulam non tenentur ad applicationem Missarum singulis festis præscriptarum in concessione ecclesiæ, prout nunquam applicaverant, eo quod ex verbis primæ concessionis factæ Patribus discalceatis applicationis onus non eruatur : *Romana, Applic. Miss.*, 24 *aug.* 1709, *dub.* 1.

9. Præpositus, et capellani a Card. de Altemps instituti in capella de jurepatronatus suæ familiæ in Basilica S. Mariæ trans Tiberim sitæ applicarunt per seculum Missam, quæ celebratur qualibet feria secunda, et anniversarium, non autem Missas per se ipsos alternatim per hebdomodas celebrandas ; quum in bulla erectionis appareat volitus cultus, et decor capellæ, et ex discretivo loquendi modo, et ex tabella onerum Missarum idem colligatur ; et revera S. C. re perpensa non teneri resolvit : *Romana, Applic. Miss.*, 8 *febr.* 1710.

10. In commentariis conventus PP. Carmelitarum civitatis Astæ onus Missarum quæ pro bono statu, et conservatione Communitatis Magdeburgensis in Zelandrina applicandæ erant, repertum fuit. Ob id supponitur impletum usque ad annum 1661 onus fuisse, quo anno conquievit per errorem, quia patres opinati sunt pecuniam relictam in favorem ecclesiæ fabricæ fuisse erogatam, quando revera in stabilibus bonis collocata fuerat. Modo Patres prædicti sententiam S. C. exquirunt an teneantur ad applicationem in favorem illius communitatis, quæ nunc hæretica est ; nec non reductionem Missarum postulant. Decretum est, eos teneri ad applicationem licito modo, et in futurum pro reductione juxta Indultum Apostolicum Alex. VII, Pont. Max., die 20 julii 1661 generalis reductionis a religione obtentæ, dummodo alias vero usi non fuerint, et pro præterito pro celebratione Missarum in numero Episcopo beneviso : *Asten.*, *Oner. et Applic. Miss.*, 29 *martii* 1710.

11. Quum Catharina Sfortia comitissa S. Floræ prævia donatione cujusdam fundi injunxisset patribus Cisterciensibus S. Bernardi onus celebrandi duas Missas quotidianas exceptis diebus festis, in quibus celebrari nequeunt ; et quotannis peragi duas Missas cum cantu, et cum eorum officiis ; obscurum fuit an et in quibus diebus sint exempti a celebratione, et applicatione Missarum ? S. C. protelata responsione faciendas diligentias juxta instructionem dixit : *Romana*, *Miss.*, 28 *mart.* 1711.

12. Missa præscripta a Francisco Ramud in ecclesia monialium S. Ursulæ, villæ Abolenæ est applicanda non pro fundatore, aut pro dictis monialibus, sed ad libitum sacerdotis eam celebrantis, excepta Missa in feria secunda applicanda pro anima fundatoris. De prima nullam fundator expressit applicationem : *Tricastinen.*, *Applic. Sacrif.*, 8 *aug.* 1711.

13. Patres conventus S. Dominici Eugubii, quoad onus duarum Missarum in singula hebdomada injunctum a Paulo Reccolo non tenentur ad applicationem ; quoad alterum vinculum pariter duarum Missarum in singula hebdomada impositum a Vincentio Buffio applicationis Sacrificii, non simplicis celebrationis onus habent. Nam primus testator enunciavit celebrationem, ac ad officiaturam capellæ respectum habuit, tenuemque eleemosynam assignavit ; secundus discretive ita proloquutus est, ut anniversarium in ejus animæ beneficium expresse instituerit, quod in celebratione Missarum minime significavit : *Eugubina*, *Oner. Miss.*, 21 *januar.* 1713, *dub.* 2.

14. Quum testatrix nobilis Flamina Cæsia de Sabellis præordinasset quinque Missas celebrandas in suffragium defunctorum singillatim recensendo animas incruento Missæ sacrificio sublevandas, sextam vero Missam de S. Maria injunxerit in quolibet die sabbato celebrandam absque ulla applicationis mentione. Hinc putatum fuit non debere applicari ob rationem ex discretiva deductam. Et ita S. C. non esse applicandam censuit : *Romana*, *Red. et Applic. Miss.*, 15 *decem.* 1714, *dub.* 2.

15. Ex suppressis capellaniis instituti fuerunt clerici beneficiati ecclesiæ cathedralis, quibus datum fuit onus celebrandi bis in hebdomada, in qua ecclesia etiam ipsi beneficiati tenebantur ad binas Missas hebdomadales, tum ex consuetudine, tum ex asserta tabella ; sed de hisce oneribus fuit dubitatum an teneantur applicare vel tantum celebrare pro cultu ecclesiæ ac populi commoditate. S. C. clericos beneficiatos ad binas Missas hebdomadales, de quibus agitur, applicandas teneri putavit : *Reatina*, *Applic. Miss.*, 12 *januar.* 1715, *dub.* 2.

16. Ac quoad beneficiatos, dilata, et coadjuventur probationes juxta instructionem respondit : *Ibid.*, *dub.* 1.

17. Joannes Zucca celebrationis Missæ unius quotidianæ sub auroram ad effectum, ut omnes viatores artibus incumbentes, et peregrinantes possint illam commode audire, onus patribus Somaschæ reliquit. Onus impleverunt Patres, Missamque pro fundatoris anima applicarunt. Verum quæstio subinde fuit facta quoad dictam applicationem an tenerentur ? et eorum prætentioni se opposuerunt Dominicus Rufinus, et alii de Zucca, asserentes, ut quum pius Joannes *ad implorandam etiam divinam*

misericordiam motum se dixisset ad pium opus erigendum, ideo applicationem his verbis animo comprehendisset. S. C. audita eos teneri ad applicationem statuit: *Alexandrina*, 18 *martii* 1719.

18. Canonicum Xistum Michaelangelum ad applicationem Missarum, quibus Cornelius Severinius in testamento oneravit, non adigendum esse, sed ad celebrationem tantum, sicuti alii canonici collegiatæ ecclesiæ S. Ginesii tenentur, decretum fuit. Nam testator onus prædictum imposuit juxta modum, et numerum, quo ceteri canonici devincti sunt, qui celebrant, et non applicant: *Camerinen.*, *Celeb. Miss.*, 18 *april.* 1722, *dub.* 1.

19. Sub auroram ad villicorum commodum Joannes Andrea de Grassis sex in hebdomada Missas celebrari voluit. Capitulum ecclesiæ cathedralis Corneti legatum suscipiendo expressit, *Missæ Joan. Andreæ de Grassis celebrandæ in aurora absque applicatione.* Sine applicatione idcirco diu celebratæ fuere. Card. tandem Barbadicus pro anima testatoris sacrificia applicari præcepit; et factum est. Denique capitulum hoc onus respuit, et exemptum se esse ab eo declarari postulavit; sed S. C. stetit pro onere applicationis: *Cornetana*, 23 *junii* 1725.

20. Clerici regulares, per pactum cum sodalitio S. Marci initum sibi onus susceperunt quotidie Missæ sacrificium faciendi pro fundatoribus, et befactoribus ejusdem ecclesiæ, nec non unam Missam pro quocumque sodali ipsa die ejus obitus. Sed quum nulla bona assignata accepissent, quæruntnum applicare sacrificium teneantur? et unam Missam quotidie celebrare in ecclesia S. Pauli cum sacrificii applicatione pro eisdem fundatoribus, et benefactoribus teneri S. C. putavit: *Panormitana*, *Oner. Miss.*, 15 *decem.* 1731, *dub.* 1.

21. Patres Ordinis Servorum B. M. V. conventus Malegnani, qui Missæ quotidianæ celebrandæ in ecclesia S. Rocchi in oppido Columbani onus per contractum nulla facta mentione de applicatione, cum communitate oppidi prædicti initum sibi sumpserunt, una cum jurepatronatus, necnon cum sacra supellectili, cunctisque proventibus tam constituentibus dotem ejusdem ecclesiæ, quam destinatis perficiendo ejus ædificio, ad applicationem teneri resolutum fuit: *Mediolanen.*, *Applic. Miss.*, 16 *maii* 1733.

22. De legato Juliorum decem et consuetæ ceræ relictæ a Michaele Angelo Porcario capellæ Sanctissimæ Conceptionis in ecclesia S. Francisci terræ Argentæ in die illius festivitatis non tenentur Patres S. Francisci celebrare, et simul applicare Missas juxta patroni voluntatem. Nam testator de hoc onere nullum sermonem fecit, sed solutionem summæ citatæ tantum hæredibus in favorem Patrum imposuit: *Ravennaten.*, *Applic.*, *Miss.*, 17 *aug.* 1737, *dub.* 1.

23. Sodales confraternitatis S. Joannis Decollati urbis Fulginei cesserunt, plenoque jure donarunt Patribus Barnabitis hortum quemdam cum parva area, et domuncula oratorio ejusdem societatis adjacente sub lege, ut iidem obstricti semper essent ad quotidianam celebrationem Missæ in ejusdem societatis ecclesia, et gratis, et absque ulla alia eleemosyna. Patres prædicti Missam non in beneficium societatis, sed pro iis, qui eleemosynam eis elargiebantur, celebrabant. Conquesti sunt sodales, et S. C. Patres ad applicandum sacrificium minime teneri resolvit: *Fulginaten.*, *Applic. Miss.*, 7 *sept.* 1737.

24. Hierosolymitanus Ordo ecclesiam quam Nursiæ habebat, cessit PP. Congregationis Oratorii: Sodalitium autem ibi existens iisdem concessit insuper omnia bona, et supellectilia, eosdem subrogando in locum capellanorum, lege adjecta, ut omnia ferrent onera, quæ capellani implere consueverunt. Onus autem capellanis erat faciendi quinque sacra singulis hebdomadis, et undecim die festo D. Thomæ. Hoc onus a Patribus fuit semper expletum, sed sacra nunquam applicarunt non nisi ad celebrationem teneri putantes. Auditus Episcopus censebat eos non teneri, tum quia non constabat de hac applicatione ex libris sodalitii, tum quia reditus stipendii ad scuta 13, vel 19, tantum ascendebat. Secundum itaque ea, quæ proponebantur, decisum est, Patres prædictos non ad applicationem dictarum Missarum, sed ad earum tantum celebrationem teneri: *Spoletana*, 18 *sept.* 1751.

25. Quum quæsitum fuisset, an Patres S. Augustini urbis Faventiæ teneantur ad applicationem Missæ in donatione a Bartolo Fornario ad commodum sadalium relictæ, et singulis diebus dominicis, et festis celebrandæ in ecclesia, seu oratorio societatis S. Ursulæ?

26. Et an, atque a quo tempore iidem Patres cogendi sint ad obligationem Missarum in præteritum, ut ipsi asserebant, non applicatarum? responsum est: dilata, et firmetur status: *Faventina*, *Applic. Miss.*, 12 *maii* 1753, *dub.* 1 et 2. Reproposita causa, et examinato, an iidem patres tenerentur ad solam celebrationem, S. C. ad hanc tantum teneri placuit decidere: 1 *martii* 1755, confirmata 7 *junii ejusd. anni.*

27. Patres conventuales S. Francisci terræ Montis Philopatri, qui a Joan. Dominico Sancti scuta 15, monetæ Romanæ ex testamento habuerunt, ad hoc ut celebrarent in eorum ecclesia per octo menses cujuslibet anni in perpetuum unam Missam, pro quolibet die de mane ad horam auroræ pro mercenariis, et operariis et quibuscumque volentibus

accedere ad dictam Missam, ad applicationem non teneri decernitur : *Auximana*, *Applic. Missæ*, 7 *febr.* 1756.

28. Patres Minores conventuales oppidi Faleronis vigore instrumenti anni 1643, tenentur applicare Missas cum cantu, licet in illo instrumento celebrato cum societate Immaculatæ Conceptionis adhibita fuerint tantum verba *celebrare*, et *cantare*; ac in eodem plurima alia pietatis opera Patres prædicti promiserant, quæ altarium dictæ societatis officiaturam respiciunt : *Firmana*, *Offic.*, 21 *novem.* 1761, *dub.* 1.

29. Fabius Glisenti præcepit celebrationem, *ogni giorno di tre Misse, con pregare Dio per l' esaltazione della Santa Fede, e del Serenissimo Dominio, e suffragio delle anime nostre, et de' nostri Cefonti*, in oratorio SS. Petri, et Pauli oppidi Vestoni Vallis Sabiæ. De his dubitatum fuit, an applicari debeant ? S. C. affirmativum præbuit responsum : *Brixien.*, 12 *junii* 1762, *dub.* 1.

30. Insuper Guadagninus Ferrentinius ait : *Coll' obbligo di celebrare ogni dì una messa all' altare del Sanctissimo Rosario nella terra di Vestone, ed ajutare la cura, salvo legitimo impedimento;* de hac dispositione S. C. consulta esse celebrandas Missas quoad sacrificium, non quoad locum resolvit. Nam tenuitas redituum ac in cura animam adjuvandi onus applicationem excludit : *Ibib.*, *dub.* 2.

31. Erecta in collegiatam ecclesia parochiali oppidi Birchircaræ insulæ Melitensis, canonici gravati fuerunt præter diurnas, nocturnas horas, ac Missam conventualem, altera Missa submissa voce celebranda. Capituli reditibus imminutis, ipsum capitulum nuper institit, ut liberetur ab onere celebrationis Missæ lectæ, et non impetravit ; modo instat, ut levetur ab ejusdem Missæ applicatione. Verum definita causa non fuit, et jussum, ut scriberetur Episcopo juxta instructionem : *Milevitana*, 23 *april.* 1768, *dub.* 2.

32. Parochos ecclesiæ S. Mariæ majoris Vallis Viglietti, Missam, quam singulo die Mercurii cujuslibet hebdomadæ celebrare vel per se ipsos, vel per alios debent in curata ecclesia S. Silvestri, quam a prædicta ecclesia dismembravit Card. Joan. Antonius Serbelloni, pro populo applicare non esse compellendos resolutum fuit ; ad quod applicationis onus nec antea se adstrictos esse ipsi parochi demonstrabant : *Novarien.*, 4 *junii*, *dub.* 2.

33. Quinque pii benefactores largitionibus, legatisque suis ad fundationem Missæ quotidianæ summo auroræ mane in ecclesia societatis Suffragii di Courgni devenerunt. Putavit societas liberum esse hoc celebrationis onus, nullique obligationi subjectum ; sed ad hanc celebrationem illam teneri S. C. firmavit. Postulavit modo, an locus esset adplicationi Missæ quotidianæ pro suffragio animarum piorum testatorum, seu liberum societatis esset dictam Missam in satisfactionem oneris sibi benevisi applicandi ? S. C. negativum ad utramque dubii partem responsum dedit; mandavitque applicandas esse Missas pro suffragio animarum purgantium juxta disposita in testamentis : *Taurinen.*, 9 *sept.* 1775, *dub.* 2.

34. In fundatione canonicatus curati facta a capitulo cathedralis ecclesiæ inter cetera onera recensetur, ut canonicus curatus tres Missas celebrare quotidie studeat pro animabus benefactorum tam viventium, quam mortuorum ejusdem capituli. Ex quo facta est quæstio, an celebrantes Missas teneantur illas applicare pro benefactoribus capituli ? Episcopus censuit Missarum applicationem faciendam non esse, quoties in fundationis tabulis nulla de applicatione facta fuit expressa mentio, et jam eleemosynam a peculiaribus benefactoribus pro applicatione semper curati receperant. Sed S. C. Episcopi, et capituli voto non adhæsit : *Nicien.*, *Oner. Miss.*, 15 *januar.* 1780.

35. Testator Blasius de Monaris beneficium erigi mandavit, beneficiatumque adegit ad celebrandam ad altare Visitationis B. M. V. propriis sumptibus erectum in ecclesia collegiata S. Blasii civitatis Centi unam quotidianum Missam lectam. Primum ipse rectorem nominavit, qui dictam Missam celebraret, et pro ipsius, et antecessorum anima Deum exoraret. Hodiernus vero rector petit, ut onus applicandi Missam deleatur, quia a testatore demandatum non fuisse prætendit ; vel saltem ut applicatio ad certum Missarum numerum coerceatur. Verum S. C. definivit, locum esse diminutioni a Card. Archiepiscopo juxta peritiam faciendam fructuum beneficii, qui in celebrationem Missam ad taxam perpetuæ erogari deberent : *Bononien.*, *Disp.*, 25 *januar.* 1783, *dub.* 2.

36. Ex piis fidelium oblationibus Senogalliensis Episcopus in ecclesia S. Liberatæ beneficium simplex erexit, cum onere celebrandi festis diebus sacrum juxta voluntatem DD. Jacobi Mariæ, et Petri Pauli, ac manutenendi ecclesiam, ejusque supellectilem. Hæ Missæ hebdomadales per centum triginta et amplius annos sunt jugiter pro legantibus applicata non item illæ fundationis. Præsens beneficii possessor Dominicus Marconi quæsivit, an applicare pro benefactoribus festivas Missas teneatur ? et non teneri S. C. resolvit : *Senogallien.*, 26 *april.* 1788.

37. Rector ecclesiæ S. Mariæ oppidi Montis Galli de jure patronatus communitatis, Sacrum in ea diebus festis, terque in singulas hebdomadas celebrare tenebatur ; eique vicissim communitas ex statuto habitationem præstabat in oppido, unumque quolibet bimestri florenum pro oleo lampadis coram

Sanctissimo Sacramento accensæ. Ea eversa ecclesia translatum fuit patronatus jus ad alteram S. Bernardini, seu B. Mariæ de Platea, cujus rector annuum habet reditum scut. circiter 60, pretiumque olei et ceræ a communitate in scut. 12. Adversus rectorem expostulavit nunc communitas, ut is quolibet die festo celebrare, et applicare Missam pro populo cogeretur. Communitas voti compos facta fuit in omnibus : *Asculana*, 29 *aug.* 1789, *dub.* 1.

38. Communitas ulterius institit, ut idem rector adstringeretur ad præteritas omissiones supplendas pro Missis non applicatis. Sed S. C. rescripsit, consulendum esse Sanctissimum juxta mentem : *Ibid.*, *dub.* 2.

39. Missa cum cantu in die S. Catharinæ virginis et martyris, pro qua Julius Lavorius certum assignavit stipendium capitulo S. Mariæ de Via Lata Urbis, declaratur immunis ab applicatione, quam testator, ut de aliis fecit Missis, non expressit : *Romana*, 29 *januar.* 1791.

40. Christophorus Grassi beneficium fundavit in oratorio, seu ecclesia S. Leonardi parœciæ Brixilli cum onere Missarum quatuor hebdomadalium, et faciendi semper in qualibet Missa commemorationem, et orationem pro ipso Grasso ; reditus assignavit scut. 53 immuniti modo sunt, ut ait Episcopus pro dote, seu parte dotis dictæ ecclesiæ, et pro conservatione rectorum ; quæsita proinde fuit S. C., an locus sit applicationi ? et affirmativum dedit responsum : *Mutinen.*, *Applicat. et Red. Miss.*, 16 *julii* 1791, *dub.* 1.

41. Quum Missam celebrandam diebus festis in capella *della Volta* Patrum Celestinorum Ludovicus Cianconi constituta eleemosyna obol. 10 demandasset, hinc ad eam applicandam juxta septuagenariam etiam observantiam statutum est a S. C.: *Spoletana*, 26 *novem.* 1791, *dub.* 2.

42. Quum testator in fundatione patrimonii sacri cum onere Missæ hebdomadalis declarat, et vult, ut sit in libertate sacerdotis (vocati) dictas Missas applicare, vel non applicare sacrificium pro anima ipsius; sed id totum suæ charitati, et arbitrio remittit ; hinc S. C. consulta, non esse locum applicationi ad formam fundationis resolvit : *Nullius*, *Nonantulæ*, 17 *decem.* 1791, *dub.* 1.

Reliqua. Vide *Capellanus*, § III.

§ II.

Missa an, et quomodo adimpleri celebratio debeat.

1. Definivit S. C. per modum regulæ, quando aliquod legatum est complexivum Missæ cum cantu, et Missarum lectarum, tunc omnes legati reditus, si non sufficiant pro utroque onere implendo erogandos esse in celebrationem tot Missarum lectarum deleto onere Missæ cum cantu : *Romana*, 4 *aug.* 1625.

2. Declaravit S. C. secundum ea, quæ proponuntur sodalibus societatis Confalonis S. Virginis Mariæ nuncupatæ *dell'In cancellata* terræ Corrinaldi, onus Missarum præteritarum suppleri debere per alios capellanos. De cetero vero non suscipienda sunt nova onera Missarum, nisi ædituus, vel alias minister Missarum numerum describendo, atque eleemosynis accipiendis pro tempore præfigendis admonuerit singulos, qui in eleemosynas offerunt tam magno Missarum numero celebrandarum, illorumque intentioni obtemperari non posse ipsa Missarum celebratione, ac sacrificii applicatione, sed tamen eos participes fore Missarum, quæ singulis diebus in dicta ecclesia pro benefactoribus celebrantur : id vero, ut commodius præstare valeant loco, quo ponuntur eleemosynæ, palam affigatur tabella, in qua eademmet declaratio distincte, et clare descripta sit, adeo, ut ædituus, vel minister, ut supra, accipiens oblationes, præmittat declarationem, vel tabellam indicet offerentibus, quibus cautionibus adhibitis accipi tuto posse quascumque eleemosynas : *Senogallien.*, 13 *junii* 1626.

3. Circa onera celebrationis Missarum quæ ob tenuitatem redituum expleri nequeunt, si sunt in fundatione alicujus beneficii, vel capellæ imposita, aut ex conventione instrumentali recepta, exprimenda esse singula onera, et reditus in supplicatione Sanctissimi Domini Nostri si vero ex simplicibus tamen legatis exprimenda similiter S. C., et ita opportune providebitur : *Vasionen.*, *Visit. sacr. Limin.*, 25 *aug.* 1637, *dub.* 2.

4. Ad dubium, an Episcopus vigore Sacr. Concilii Trid. sess. 22, cap. unic. : *De Obser. et evit. in celeb. Missæ* [160] possit punire etiam censurarum pœna sacerdotes tam seculares, quam regulares

[160] Ubi accessit inter alias Pontificias Sanctiones Const. Bened. XIV. *Accepimus*, 16 *julii* 1746 (*Bull. ejusd.*, tom. II, pag. 57) quæ § *postrem.* Sum. Pontifex vehementer adhortatur Episcopos : « Ne vestras in diœceses irrepat consuetudo, quam superius explicavimus, quod si jam ipsa invaluerit, humanitatem prius, ac deinde severitatem, si opus fuerit,, adhibentes, illam penitus convelli. De sacrificio Missæ res agitur, ideoque nemo vestrum ignorat, a Tridentino Concilio eam tribui auctoritatem Episcopis, et Ordinariis locorum, ut etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegati corrigere valeant pravas consuetudines, quæ Ritui Missæ celebrandæ adversantur. Ita clare desumitur a sess. 22 in decreto *de Observ., et evit. in celebr. Miss.* Neque vos latet, nullum esse privilegium, aut immunitatem, quæ delinquentibus in hac re suffragari possit, ut vestra ab auctoritate, pœnisque per vos irrogatis vindicentur; idem sæpius confirmavit S. C. Trident. Concil. Interpres, decreto inhærens ejusdem Synodi,

committentes indecentiam circa Missæ sacrificium? respondit S. C. Episcopum posse: *Pistorien.*, 16 *januar.* 1649, *dub.* 1.

5. Privilegium, ut ex reditibus capellaniarum, et eleemosynis Missarum votivarum, seu manualium, pro quibus plures Missas celebrari debebant, possit percipi summa librarum sexcentum, quæ sunt scut. Rom. 100 pro unica tantum Missa in die celebranda, concessum capellanis de massa nuncupatis ecclesiæ collegiatæ S. Mariæ de Vineis, non est sublatum per Const. Innoc. XII, Pont. Max., super celebratione Missarum [161], et apponatur tabella in loco conspicuo ecclesiæ cum expressione privilegii: *Januen.*, *Celebrat.*, *Miss.*, 1701, *dub.* 1.

6. Nonnulli Patres Conventuales minores conventus S. Francisci urbis Vallettæ significarunt P. Marcum Antonium Fitenum tempore sui guardianatus, ac laicum ædituum non retinuisse libros distinctos celebrationis Missarum ad normam decretorum Urbani VIII, Pont. Max., aliorumque S. C., et nullibi Missas adventitias adnotasse, ac etiam plures omisisse. Id summarie relatum est *die* 19 *febr.* 1701, ac rescriptum prodiit, quod Episcopus procedat ad punitionem P. Fiteni, et laici Vasalli eosque compellat ad redintegrandam ecclesiam, et omnino removeri curet dictum Fr. Vasallum a conventu, demandando in posterum exequutionem decretorum generalium super celebratione Missarum. Inde instantia reproposita rescriptum est, quod Dominus Tottus videat, et referat processum; et conventus Melitensis celebraret pro nunc, et sine præjudicio majoris, et verioris summæ Missas ducentum infra annum reservatis juribus eidem conventui, contra quos de jure, et doceatur de implemento S. C., et Ordinarius curet exequutionem decreti Pont. Max. Innocentii XII, de celebratione Missarum: [162] *Milevitana.*, *Celeb. Miss.*, 16 *junii* 1703.

7. Exponens capitulum ecclesiæ cathedralis restitutam fuisse anno 1703 a debitoris hærede sortem census, qui constitutus fuerat pro fundo legati Missarum relicti ab archidiacono Sfortia, nullamque deinde repertam fuisse occasionem pecuniam censualem impendendi, ideoque duxit a celebratione Missarum desistere. At S. C. ad capituli dubitationem respondit, teneri ad integram celebrationem tam quoad præteritum, quam quoad futurum: 26 *januar.* 1704 [163]. Inde vero recessit a decisis, et ut capitulum non teneatur, et Ordinarius curet quanto citius investimentum, decidit: *Metropolitana*, 8 *aug.* 1705, *dub.* 1.

8. Postquam Patres Reformati ordinis S. Francisci terræ Montecchii in vim instrumenti ceperint possessionem ecclesiæ, et conventus Sanctissimi Crucifixi, ac Missas 180 ac 20 officia annua celebrarint, emiserunt contestatam denunciationem in administros seminarii, in cujus favorem prædicta ecclesia, ac reditus fuerunt applicati, se nolle continuare in celebratione præfata ex grato animo hactenus, ut aiunt, expleta, ob notoriam eorum religionis incapacitatem, nisi cum eleemosyna manuali, ac quotidiana S. C. autem eos teneri resolvit: *Camerinen.*, *Celeb. Miss.*, 28 *januar.* 1708, *dub.* 1.

9. Dubio exhibito, an et quomodo ex vi decreti Alexandri VII, Pont. Max. [164] Patres ordinis Minimorum S. Francisci de Paula teneantur implere onera Missarum perpetua suscepta tam ante, quam post editionem decretorum Urbani VIII, Pont. Max., super celebratione Missarum [165]? S. C. rescripsit, quoad onera perpetua suscepta ante decreta Ur-

quod paulo ante memoravimus. Ideo Fagnanus testatur ad cap. *Grave*, num 46, *de Offic. Ordin.*, lib. I, pag. 600, his verbis: *Et generaliter hoc decretum* (de quo superius dictum est) *censuit Sacra Congreg. comprehendere etiam regulares, quantumvis exemptos, eosque ea omnia, quæ ab Ordinariis locorum circa observanda, et evitanda in Missarum celebratione statuta fuerint, omnino servare teneri, ad idque etiam pœnis, et censuris ecclesiasticis ab iisdem Ordinariis cogi, et compelli posse.* Nos quidem his litteris eamdem auctoritatem, qua jam prædili estis iterum Vobis confirmamus » Benedictus XIV, Pont. Max. omnia, quæ ad Missarum celebrationem pertinent, expendit *Inst. Eccl. XXXIV, per tot.* tom. XI, pag. 224.

[161] Vide not. 314, verb. *Capellanus* § I.

[162] Quæ incipit *Nuper*, 23 decem. 1697 (*Bul. Rom.* tom. XI, pag. 464, et mandat § 19: » Iidemque teneantur pariter in sacrario duos libros retinere, ac in eorum altero singula onera perpetua, et temporalia, in altero autem Missas manuales et tam illorum, quam istarum adimplementum, et eleemosynas distincte, et diligenter annotare, et annotandas, seu annotanda curare, singulisque annis de supradictis adimplementis, eleemosynis, et oneribus pariter exactam rationem suis superioribus reddere, ac omnes, et singulas rationes hujusmodi in præfatis respective libris simili distinctione, et diligentia, tam præfatos, a quibus rationes debent reddi, quam superiores, quibus reddendæ erunt describere, seu annotare sive describendas, vel annotandas respective curare.

[163] *Inter Summaria precum.*

[164] Quod emanavit ad instantiam fratrum Minimorum ordinis S. Francisci de Paula die 17 novem. 1665. « SS. D. N. audita sententia S. Congr. Concilii, cui fuerat remissa discussio, decrevit, in futurum recipere debere onera Missarum ad præscriptum decretorum *de Celebr. Miss.* Quo vero ad onera prætarita, ut juxta eorum Constitutionem usque ad diem quo fuerunt edita dicta decreta, censeantur adimpleta, juxta eorum Constitutionem. A die vero editionis decretorum, satisfaciant celebrationi onerum Missarum, ad rationem scut. 40 pro qualibet Missa perpetua: juxta decret. editum tempore fel. record. Innoc. X, » rel. in ead.

[165] Edita in Const. *Cum sæpe*, 21 junii 1625 (*Bull. Rom.*, tom. V, part. V, pag. 335), ejusd. Pont. Una

bani VIII, Pont. Max., de celebratione Missarum teneri sub generalitate suffragiorum ad formam eorum constitutionis, quo vero ad suscepta post dicta decreta usque ad decretum Alex. VII, Sum. Pont. [166] teneri ad rationem scut. 40 pro qualibet Missa perpetua ad formam decreti Innocentii X, Pont. Max. Quo vero ad onera suscepta post dictum decretum Alex., Pont. Max., teneri juxta formam decretorum Urbani VIII, Sum. Pont. [167], et cum Sanctissimo : *Romana, Celeb. Miss.*, 28 *julii* 1708. Deinde quum Patres S. Andreæ de Fractis ejusdem ordinis celebrationem Missarum, ac anniversarii relicti a præsule Ludovico Anguisciola instante rev. fabrica S. Petri, quod indulta Pontificia, et decretum S. C. non suffragentur, quando celebratio mandata fuit per contractum inter vivos; S. C. censuit sub decreto prædicto anni 1708 comprehendi onus Missarum, de quibus agitur : 23 *nov.* 1737, confirmata 30 *januar.* 1740.

10. Quoad legatum Magdalenæ Scandiani relictum archiconfraternitati ecclesiæ S. Jacobi Incurabilium Urbis; etiamsi eadem archiconfraternitas unam Missam in hebdomadam, alteram in annum celebraverit tamen non teneri ad ulla onera S. C. putavit. Nam tria testamenta condidit ille, in quorum postremo nullum onus perpetuum sed temporarium reliquit : *Romana, Oner. Miss.*, 11 *maii* 1709, *dub.* 2.

11. Alexander de Raphaelis in sua dispositione ait, si ipse acquireret unam ex capellis collegiatæ ecclesiæ Cinguli, imponeret onus triginta Missarum annuatim hæredibus. Capella ab ipso acquisita haud fuit; sed ejusdem hæres immediatus a communitate habuit unam ex illis capellis; hinc celebratæ sunt præfatæ Missæ. Sed postea renuit celebrare alter hæres, quod purificata conditio non fuerat. S. C. etsi contra eum rejecerit instantiam primum : 7 *julii* 1708 [168], tamen recessit inde a decisis, et non teneri ad celebrationem Missarum resolvit : *Auximana, Oner. Miss.*, 24 *aug.* 1709.

12. Patres conventus S. Mariæ supra Minervam Urbis tenentur ad celebrationem Missæ quotidianæ pro claudio Sala, licet in tabella hoc onus descriptum sit : *Una Messa quotidiana non per obbligo, ma per gratitudine*. Nam tenentur ex obligatione remuneratoria onerosa, et correspectiva mediante donationis dicti Claudii inter vivos peractæ : *Romana, Oner. Miss.*, 29 *martii* 1710, *dub.* 1.

13. Ac non tenentur prædicti Patres, nisi ex grato animo ad Missam quotidianam, et anniversarium in favorem Joannis Solani episcopi Cuschensis, qui complura bona conventui pro erectione collegii S. Thomæ Aquinatis donavit : et iidem ex grato animo et ad libitum dictas Missas pro illius suffragio celebrarunt : *Ibid.*, *dub.* 2.

14. Patres ordinis Prædicatorum ad præsens retinentes ecclesiam, et conventum S. Clementis de Urbe non sunt adstricti ad celebrationem Missæ perpetuæ cum cantu, quam Patres suppressi ordinis SS. Barnabæ et Ambrosii ad Nemus qualibet hebdomadæ feria secunda, et in dicta ecclesia celebrabant pro fratribus juxta descriptionem eorum tabellæ. Nam illud onus solvebant non ex debito, sed ex spontaneo grati animi impulsu : *Romana, Celebrat. Miss.*, 29 *martii* 1710.

15. Consulta S. C. an societas S. Joan. Baptistæ nationis Januæ teneatur ad celebrationem unius Missæ quolibet mense pro Melia duce Cicala?

16. An eadem societas onus habeat celebrationis Missæ cum cantu, et aliarum Missarum lectarum 24 in festivitate S. Joan. Baptistæ?

17. An societas præfata teneatur ad celebrationem Missarum 10 in die expositionis Sanctissimi Sacramenti, et aliarum Missarum 15 in duobus aliis diebus subsequentibus? ad omnia in voto Card. protectoris [169] rescripsit S. C. : *Romana, Oner. Miss.* 10 *maii* 1710, *dub.* 1, 2 et 3.

18. Card. Pimentelli reliquit Patribus S. Mariæ supra Minervam scut. 2,200 sub onere Missæ quotidianæ perpetuæ. Hæc summa erogata fuit in emptionem census venditi a Paulo Panizza cum fide jussione Joan. Philippi Herrera. Utroque vero debitore non solvente in reductione generali anno 1672 obtenta, resolutum fuit, patres non teneri ad celebrationem præfatæ Missæ nisi posteaquam solutionem obtinuissent. Inde vero quæsitum fuit, an adstringendi sunt ad prædictum onus? nequaquam rescribitur, renovatis diligentiis contra bona debitoris, et fide jussionis : *Romana, Oner. Miss.*, 14 *junii* 1710, *dub.* 1.

cum declarationibus S. Congreg. Concilii ab eodem Pont. confirmatis. In his vero prohibetur Missarum reductio absque Sedis apostolicæ licentia, et § 2, mandatur, ac præcipitur « ut absolute tot Missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint, ita ut alioquin ii, ad quos pertinet, suæ obligationi non satisfaciant, quin immo graviter peccent, et ad restitutionem teneantur » et § 3, revocantur indulta satisfaciendi oneri plurium Missarum aliquibus collectis, vel orationibus.

[166] Vide not. 164, præcedentem.

[167] Vide not. 165, præcedentem.

[168] *Inter Summaria precum*.

[169] Confirmando Card. protector exposita censuit : « Primum onus uti ab antiquissimo tempore observatum atque adnotatum in tabella veteri ejusdem ecclesiæ esse reponendum etiam in tabella nova cum sua tamen qualitate oneris voluntarii, facta expressa relatione ad decretum Congregationis generalis supradicti anni 1576. Reliqua vero duo onera tanquam assumpta ex proprio arbitrio nulla præcedenti obligatione non esse describenda in tabella credidit » *Ead. causa*, 10 maii 1710.

19. Acceperant dicti Patres per contractum pecuniam tum a Gabriele Justiniani, tum a Diamante Lucensi cum onere Missarum. His defunctis et investimento non expleto, et erogata pecuia, ut supponitur, in quotidianum victum conventus, in prædicta reductione declaratum est Patres non teneri, et admittendos fore ad communionem aliorum suffragiorum Patrum. Sed S. C. quæsita, illos teneri quoad onus Justiniani, minime quoad Diamantem sancivit : *Ibid., dub.* 2, confirmata 20 *sept. ejusd. anni*. At re maturius examini subjecta, et novis juribus perpensis, S. C. recessit a decisis, et non teneri censuit : 24 *januar.* 1711.

20. Item Paulus Capranica reliquit dictis Patribus scuta 500 cum onere Missæ quotidianæ; quo defuncto desuper fuit introducta lis, sed non prosequuta, et in supradicta generali reductione nihil est decisum; S. C. quæsita non teneri ad dictam Missam perpetuam statuit; bona enim legata acquisita nunquam fuerunt : *Ibid., dub.* 3.

21. Loca montium relicta patribus Theatinis S. Andreæ de Valle in testamento Aloysii Taralli oneri Missarum in capella animarum purgantium ecclesiæ celebrandarum subjacent, licet libere institutis hæredibus dictis Patribus, inde in eodem testamento loquens de loci Montium eos pro celebratione in dicto sacello exoraverit. Ita resolvit S. C. *in Romana, Oner. Mis.*, 24 *maii* 1710, confirmata 18 *julii* 1712.

22. In pervetusto codice conventus PP. Carmelitarum Episcopus adinvenerat Missarum onus exaratum in favorem ducum Burgundiæ. Patres sub motivo, quod onus hoc nunquam reperiatur impletum neque in tabellis, quæ in usu sunt, descriptum, inquisiverunt, num teneretur ad illud explendum? utique teneri S. C. rescripsit : *Asten., Oner. Miss.*, 28 *febr.* 1711. Deinde quæsita fuit melior informatio juxta instructionem : 12 *novem.* 1712. Demum minime teneri Patres prædictos ad illud onus Missarum deciditur : 16 *decem.* 1713.

23. Sacratissima B. M. V. imago miraculis amplissima ex ecclesia parochiali de Impruneta ad metropolitanam translata fuit, ibique exposita per 15 dies. Magnus fuit populi concursus, ac magnæ oblationes pecuniarum quæ adhuc perdurant pro Missis celebrandis, quas plebanus, et capellani dictæ parochialis aliis Missarum oneribus nimium gravati explere minime valent. Postulant hinc facultatem investiendi eleemosynas in bonis stabilibus ad effectum tot singulis annis in perpetuum celebrandi Missas quot fructus ferre possunt. S. C. vero negative, et Archiepiscopus curet celebrari quam citius in ecclesia S. Mariæ de Impruneta Missas in possibili numero, et ceteras in ecclesiis sibi benevisis, et in futurum apponatur tabella juxta modum, rescripsit : *Florentina, Miss.*, 5 *martii* 1712.

24. Etsi ex actibus visitationis anni 1620 et 1624 appareat onus Missarum beneficii S. Petri ecclesiæ ruralis oppidi Acquævivæ, tamen S. C. resolvit rectorem Theophilum Salvi non teneri ad celebrationem Missarum. Hoc enim onus in Bullis provisionis expressum minime erat, nec erui ex ullo documento librorum sacrarii poterat : *Ripana, Oner. Miss.*, 11 *junii* 1712.

25. Quoad legatum pium relictum ab Alphonso Putignani archiconfraternitati S. Hieronymi charitatis, S. C. sancivit in futurum pro dicto legato esse celebrandas Missas ad manualem pro summa annua scut. 24, non autem servandum esse decretum reductionis à Card. vicario, seu ejus vicesgerente editum anno 1636, atque prædicta summa scut. 24 debetur annuatim capellano ex dicta hæreditate, uti ex testamento, ut quinque Missæ hebdomadales celebrarentur : *Romana, Oner. et eleem. Miss.*, 3 *martii* 1714, *dub.* 1.

26. Perscrutatis priscis documentis monasterii canonicorum ecclesiæ S. Petri in Vinculis instrumentum apparuit diei 28 januar. 1421 Matthiæ Antonii de Paloscis, qui binas Missas hebdomadales celebrandas dictis canonicis mandavit. Promotor fiscalis prætendit onus hoc vigere, hinc canonici S. C. adierunt, quæ, non vigere resolvit : *Romana, Oner. Miss.*, 28 *april.* 1714, *dub.* 2.

27. Reductioni Missarum quas eques Jacobus de Ghivizzano ordinavit, S. C. refragata est, licet ab ea obtenta, et magister generalis ordinis Servorum B. M. V. Lucæ vigore generalis indulti eam exequutus sit; inde eadem S. C. censuit patres dicti Ordinis teneri supplere, vel celebrare illas omissas, et non celebratas a die prætensæ reductionis, a quibus absoluti sunt, sed aliquas arbitrio Episcopi : *Lucana, Red. Miss.*, 26 *jan.* 1715, *dub.* 2.

28. Quum constaret de identitate domus relictæ ab Episcopo Tornacensi capitulo Lateranensi, ac adstrictum fuisse idem capitulum per seculum et ultra oneribus Missarum; etiamsi postea implementum earumdem cessaverit, quia domus illa in emphyteusim concessa pro tenui canone fuit, modo auctis reditibus absoluta emphyteusi S. C. ad illud onus explendum capitulum teneri firmavit : *Romana, Oner. Miss.*, 16 *martii* 1715, *dub.* 2.

29. Quum nobilis vir Martius de Alteriis dono dederit canonicis S. Anastasiæ locum nuncupatum *la Canonica* nullo adjecto onere, canonici sese obligarunt duas quolibet mense pro donatoris anima celebrare Missas; inde in tabella illius ecclesiæ describi mandavit visitator Apostolicus binas mensuales Missas. Postmodum dicti canonici hoc onus implere detrectarunt, eo quod in instrumento

donationis injunctum haud reperiatur, et dubio proposito in S. C. an sustinetur onus Missarum expressum in tabella prædicta pro anima dicti Martii? negativum datum est responsum : *Romana, Oner., Miss.*, 22 *junii* 1715.

30. In qualibet feria secunda est celebranda in perpetuum Missa pro anima Card. Frederici Cornelii. Hoc enim onus habetur in antiquis visitationibus, ac prædicti Patres asserebant absque onere ab illo testatore domum quamdam accepisse, ac ex grati animi tantum titulo, non ex justitiæ debito illud onus derivasse : *Romana, Oner. Miss.*, 1 *junii* 1715, *dub.* 6.

31. Canonicus Gagliardi ecclesiæ collegiatæ Sinalongæ, qui onus Missarum ob beneficium Sanctissimæ Conceptionis inhæret, de ejusdem implemento docere tenetur : *Pientina, Distrib. et Miss.*, 15 *maii* 1717, *dub.* 3.

32. Instante promotore fiscalis pro celebratione Missarum ab anno 1705 usque præsens fere penitus a sacerdote Ludovico Ramazzotto possessore cujusdam capellaniæ de jurepatronatus laicorum, omissa ; S. C. decrevit dictum sacerdotem Missam quotidianam celebrare tam pro præterito, quam in futurum ad manualem eleemosynam a die compositionis, et Episcopus procedat prout de jure contra eumdem : *Fanen., Patrim. sacri et Miss.*, 21 *aug.* 1717, *dub.* 2.

33. Patres S. Francisci de Observantia degentes in urbe Justinopolis contractum inierunt cum Barnaba Bruti, quo sese perpetuo obligarunt ad celebrandam Missam quotidianam in ecclesia S. Dionysii juxta Barnabæ mentem. Renuentibus postea Patribus prosequutionem celebrationis eo quod sint incapaces annuorum legatorum, quæ fiunt adjecto onere Missarum ; et contendentibus Brutis eosdem teneri ad observantiam contractus, causa devenit ad S. C., quæ respondit eosdem fratres Minores de Observantia non teneri ad celebrationem Missæ ad formam initi instrumenti, et ad mentem : *Justinopolitana, Miss.*, 18 *novem.* 1719.

34. Antonius Maria Lancianus scripto hærede legavit ecclesiæ Sacrorum Stigmatum loca 10 montium, ut ex eorum fructibus tot Missæ celebrari deberent. At tres ex dictis locis ante obitum alienavit idem testator, ac scuta 357 in æde sacra deposuit, et ex hac vita decessit. Quæsitum est, an Missæ celebrandæ sint cum fructibus 7 locorum montium tantum, vel teneatur hæres ad supplementum? S. C. rescripsit Missas esse celebrandas non cum fructibus tantummodo 7 locorum montium, sed esse locum supplemento : *Romana, Legati*, 2 *octob.* 1721.

35. Sacerdotes seculares Missas celebrantes in altari privilegiato PP. Minor. Convent. Montis Milonis, vel in eorum ecclesia in libro in sacrario asservato, ipsorum satifactionem, vel pro eleemosyna, vel pro mera eorumdem devotione impletam scribere teneri fuit resolutum, atque jussum, ut Constitutio Innoc. XII, Pont. Max., super celebratione Missarum [170] servaretur : *Maceraten., Utens.*, 14 *maii* 1729, *dub.* 2.

36. Franciscus Sgamba ecclesiam S. Mariæ de Platea, cui unitum reperitur hospitale S. Michaelis Malleani proprietariam reliquit hæredem, quæ duas perpetuo celebrare curaret Missas quolibet mense in ecclesia S. Josephi, et in altera ecclesia S. Josephi, et in altera ecclesia S. Mariæ de Platea in numero, qui Archiepiscopo Firmano æquus videretur. Hinc conclusum fuit, ut fructus seu pecuniæ superextantes ex hac hæreditate in aliarum Missarum celebrationem præter eas a testatore præscriptas et ab Ordinario taxatas erogarentur. *Firmana, Legat.*, 12 *febr.* 1729, *dub.* 2.

37. Idem testator Sgamba filio suo naturali usum fructum legaverat valoris scut. 1500 cum onere, ut eo sine filiis decedente hæreditati prædictæ uniretur ; ad hæreditatem ob mortem legatarii sine filiis consolidato dicto usufructu ambiguum fuit, an hujus etiam valoris fructus subjacere deberet oneri Missarum juxta testatoris mentem celebrandarum? etiam subjacere responsum est : *Ibid., dub.* 4.

38. Clara Vassallo Missam hebdomadalem die sabbati ordinavit, atque cum hæredes assignarent beneficiato seu rectori ecclesiæ S. Mariæ Septem Dolorum aliquod bonum stabile, tunc exempti e præfato onere liberati essent. Disputatio statim instituta est, ad quem spectaret Missarum celebratio prælative? illam ad beneficiatum seu rectorem dictæ ecclesiæ minime spectare credidit S. C. : *Milevitana, Celebr. Miss.*, 8 *maii* 1734, *dub.* 1.

39. Quum Marcus Antonius de Florentiis archihospitali S. Spiritus in Saxia loca 15 montium donaverit, ut duos anniversarios dies una cum Missis cum cantu, et lectis in ecclesia S. Silvestri PP. Theatinorum celebrare curaret, atque dictis patribus pro hoc onere scut. 4 una cum libris 50 ceræ albæ traderentur ; prædicti patres Missas privatas in illis diebus celebrare recusarunt, nisi de eisdem quoque eis satisfactum fuerit. S. C. re perpensa mandavit ut quinque in singulis anniversariis Missæ

[170] Quæ incipit *Nuper*, 23 decem. 1697 (*Bull. Rom.* tom. IX, pag. 464), et § 18 et 19, præcipit, ut in omnibus ecclesiis secularibus, et regularibus retineatur tabella onerum perpetuorum, et temporalium, quodque in sacrario retineantur pariter duo libri ; in quorum altero singula onera perpetua, et temporalia, in altero vero Missæ manuales, et tam illorum, quam istarum implementum distincte, et diligenter adnotari deberent.

iectæ celebrarentur : *Romana, Subs. dot. et celebr. Miss.*, 1 *decem.* 1736, *dub.* 2, confirmata 20 *julii* 1754.

40. Celebrationi Missarum quas Fratres ordinis S. Augustini civitatis Asculanæ in Apulia celebrare consueverant pro annuo stipendio ducat. 50 necnon et anniversariorum novem quolibet mense, et alterius anniversarii post octavam Commemorationis omnium defunctorum, locus est tam pro præterito, quam in futurum ad formam decreti S. C. editi sub die 25 sept. 1700 [171]. Nam aiebant dicti patres illos ducatos tradi consuevisse pro servitio spirituali præstando ab iisdem societati S. Mariæ *del Soccorso*, ac pro comitatu cadaverum: *Asculana in Apulia, Celeb. Miss.*, 16 *martii* 1737.

41. De legato juliorum 10 et consuetæ ceræ relictæ a Michaele Angelo porcario capellæ Sanctissimæ Conceptionis in ecclesia S. Francisci terræ Argentæ in die illius festivitatis patres S. Francisci celebrare Missas non tenentur. Nam testator de hoc onere siluit, sed tantum solutionem prædictam hæredibus imposuit : *Rom., Applic. Miss.*, 17 *aug.* 1737, *dub.* 1.

42. Quum hæres Joan. Baptista Tucci coram testibus aperta arca, in qua testator enunciaverat ducat. 300 in pecunia numerata asservari, invenisset omnem lapidem movens solum ducat. 95 summa a testatore expressa in ducat. 720 assium 40, reducta ad ducat. 515, 40 fuit ; hac de causa dubitatio orta est an hæres prædictus summam ducat. 213, 40 dumtaxat, quæ solutis omnibus legatis, superest, persolvere debeat ; vel teneatur usque ad summam a testatore descriptam supplere pro implemento legati Missarum, quo ipsum testator gravaverat, et S. C., dilata, et scribatur Episcopo juxta instructionem [172], rescripsit : *Venafrana, Legati*, 19 *april.* 1738. Deinde non teneri ad summam a testatore enunciatam responsum prodiit : 20 *decem. ejusd. anni.*

43. Philippus Maria Scarfantoni canonicus ecclesiæ cathedralis onus habet inter cetera adnexum præbendæ celebrandi unam Missam qualibet die alterius hebdomadæ in ecclesia monialium S. Nicolai, aut solvere dicto monasterio scut. 10. Modo quæritur, num moniales possint dicta scuta in privatos usus insumere ? et negativum datum est responsum : *Pistorien., Celebr. Miss.*, 23 *sept.* 1741, *dub.* 2.

44. Sed prædictæ moniales Missas celebrari qualibet die alterius hebdomadæ curare tenentur, qua de causa accipere summam correspondentem stipendio Missarum ad rationem eleemosynæ manualis, licet illa aucta fuerit, debent : *Ibid.*

45. Inde quum postulatum esset, quomodo, providendum sit quoad pecunias depositas, et an dictus canonicus præter illas, quidquam pro tempore præterito præstare teneatur ? rescriptum fuit pecunias depositas esse erogandas in celebrationem tot Missarum ad rationem eleemosynæ manualis ; in reliquis negative ex gratia : *Ibid., dub.* 3.

46. In diœcesi Neritonensi mos viget exhibendi quotannis Missarum satisfactionem ab unoquoque sacerdote. Sacerdos Benedictus Tobba possidens beneficium S. Josephi palam accusatus raro admodum celebrasse Missam fuit ab Episcopo, veluti reus non impleti oneris in numero 836, condemnatus ; ideo perpensum fuit, utrum constaret de sufficienti Missarum implemento ? sed quinque Tobba argumenta probationis expleti oneris adducens, fuit de fama sufficientis oneris Missarum expleti redintegratus : *Nerritonen., Adimp. oner. Miss.* 17 *febr.* 1742.

47. Anticipata Missarum satisfactio ab Episcopo Alexani edictali lege vetita sub variis pœnis, juste vetita perhibetur ; proptereaque decretum super ac re editum validum esse decernitur : *Alexanen.*, 1 *sept.* 1742, *dub.* 9.

48. Ad onus sex sacrorum singulis hebdomadis hæredes suos testamento adstrinxisse Petrum Cataneum ferunt, quum ejus testamentum, non reperiatur. Onus hoc hæredes solutione aureorum 250, transtulerunt in patres S. Bartholomæi Apostoli Montis Imperialis Pisauri, et summa in census emptione fuit erogata. Ast censu pluries redempto, et renovato, tandem illius deperdita fuit memoria ; et hinc reductionem ad duo sacra hebdomadalia, et unum mensuale obtinuerunt. Fabrica S. Petri ad integram satifactionem eos adegit, cum qua compositio inita fuit. Quæsierunt itaque Patres, num ad celebrationem præfatam tenerent ab anno 1733, quo primum ab auditore Sanctissimi remissa fuerat S. C. eorum instantia ? S. C. illos teneri decrevit. *Pisauren.*, 30 *januar.* 1744, *dub.* 1.

49. Nec teneri resolvit celebrare juxta reductionem obtentam a S. C., sed juxta prædicti Petri dispositionem : *Ibid., dub.* 2.

50. Paulus Bonazius parentes suos Hilarium, et Catharinam Procacciolias hæredes instituit in bonis quasi castrensibus, voluitque, ut post eorum, ac sororum mortem pium legatum Missarum institueretur. Hisce defunctis Magdalena Pauli soror superstes cupiens fratris voluntatem implere præven-

[171] Vide not. 136, verb. *Anniversaria* § I.

[172] An scilicet ex diligentiis statim post obitum dicti testatoris peractis constiterit, nullam aliam summam in pecunia numerata extitisse in hæreditate præter ducatos 95, repertos in enunciata Arca existente in domo uxoris : *Ead. causa*, 20 decem. 1738, § *Venafrana.*

tiva legati pii erectione, hanc admitti postulat reservato usufructu tum in sui, tum alterius sororis favorem spondens incrementum propriorum bonorum. S. C. hisce votis annuit : *Viterbien.*, 29 *maii* 1745.

51. Patres S. Augustini urbis Faventiæ tenentur ad solam celebrationem Missæ in donatione a Bartolo Fornario ad commodum sodalium relictæ, et singulis diebus dominicis, atque festis celebrandæ in ecclesia seu oratorio Societatis S. Ursulæ : *Faventina*, *Appl. Miss.*, 1 *martii* 1755, *dub.* 1.

52. Legavit Christophorus Perisetti capitulo cathedralis scut. 200, adjecto onere perpetuo sacrorum 48, substituitque collegium divi Pauli patrum Doctrinariorum, qui legatum hoc a capitulo repudiatum acceperunt. Ob unionem a Summo Pontifice factam ipsius collegii, bona attributa fuerunt ecclesiæ Patrum ministrantium infirmis, qui onus implere neglexerunt. Hæredes reclamarunt; illi asseruerunt bona a patribus Doctrinariis, fuisse dispersa; res deducta fuit apud S. C., quæ patrum rationibus expensis hæredibus suo judicio suffragata est : *Reatina*, *Legati*, 22 *januar.* 1757.

53. Celebrationem Missarum, quas ordinavit sacerdos Joannes Padrell in ecclesia B. M. V. de Mari ejusdem ecclesiæ beneficiatis et capellanis inter eos per vices explendas, non potest Leopoldus Padrell fundatoris consanguineus in dicta celebratione prælatus eam dimittere, et reassumere; nam ille absens adversæ valetudinis causa per aliquot menses eam intermiserat : *Barchinonen.*, *Oper. pii, seu Missæ quot.*, 22 *julii* 1758, *dub.* 2.

54. Legata Missarum prescripta a Reparata Fondacci in ecclesia S. Reparatæ PP. Cappuccinorum provinciæ Bananiæ tam impleta, quam explenda usque ad præsens sunt ab heredibus familiæ Licciæ solvenda etiamsi eadem familia doceret de sua paupertate, ac numero personarum, deque prædiorum alienationibus : *Alerien.*, *Legat.*, 12 *aug.* 1758, *dub.* 1, confirmata *bis*, 8 *martii*, 21 *junii* 1760.

55. Binis suppressis collegiatis terræ Lugi a Romano Pontifice, una quæ nunc est SS. Petronii et Prosperi, in collegiatam matricem, altera, quæ nunc est S. Francisci de Paula in parochialem erecta est, atque patribus Scholarum piarum concessit. Mandavit Pontifex, legata pia Missarum transferri ad novam collegiatam; hinc canonici aiunt esse per eos implenda non per curatum S. Francisci de Paula etiam illa legata, quæ instituta erant in eadem ecclesia suppressa, quæ nunc est Patribus concessa; S. C. adhæsit postulationibus etiam quoad legata Essani, et Zunnelli, qui licet instituerint hæredes societates suppressas, quæ erectæ erant in ecclesia nunc S. Francisci de Paula, tamen onus Missarum explendum mandaverant presbyteris consortialibus, postea canonicis suppressæ collegiatæ; excepit tamen legata ad sodalitia prædicta spectantia, pro quibus curato S. Francisci favit : *Imolen.*, *Jur. par.*, 20 *decem.* 1760, *dub.* 4.

56. Parochos ecclesiæ S. Mariæ Majoris Vallis Vigletti, et eorum pro tempore successores, qui retroactis temporibus tam per se quam per alios absque ulla populi querela celebrasse adstruunt, vel ex eis scilicet aliquem singulo die Mercurii cujuslibet hebdomadæ personaliter, et per se ipsos ire ad celebrandam Missam in ecclesia curata S. Sylvestri communitatis Druonii a Card. Joan. Antonio Serbelloni a præfata ecclesia sejuncta, ac dismembrata, non teneri rescriptum fuit : *Novarien.*, 4 *junii* 1768, *dub.* 1.

57. Antonius Crova hæres sacerdotis Ludovici de Rubeis facultatem petit retinendi bona ad causam piam de Rubeis spectantia, quæ sub hasta poni debuerant ex testatoris Joannis Baptistæ ejusdem familiæ jussu, eorumque pretium in demandatam Missarum celebrationem erogandi ac petit ulterius dilationem quatuor annorum, ut assumptum Missarum onus exequi possit. Episcopus auditus censuit oratoris precibus posse assentiri injuncto eidem onere celebrationis Missarum 4728, ita quidem, ut Missæ 3918, celebrentur pro rata parte, quæ respondeat valori bonorum hæreditariorum necnon aliæ Missæ 610, in supplementum illarum, quæ præterito tempore prætermissæ sunt, ac demum Missæ 200, pro incremento, quod ex venditione sub hasta retrahi possit; et S. C. huic Episcopi voto adhæsit : *Asten.*, *Celebr. Miss.*, 27 *junii* 1772.

58. Quum disceptatum esset, an et a quo tempore docendum sit de implemento legati pii Missarum testatoris Petri Meloni? respondit S. C. ut servetur decretum Episcopi anni 1764 [173] : *Imol.*, *Leg.*, 12 *martii* 1774, *dub.* 3.

59. Angelus Antonius Barsetti per publicum in-

[173] Episcopus in visitatione peracta in oppido Bagnariæ die 10 julii 1764, mandavit « per R. D. Joannem Alexium Meloni modernum capellanum, capellaniæ fundatæ a quondam capitaneo Petro Meloni doceri infra mensem de circumscriptione decreti alias, et usque de anno 1753, in pastorali visitatione lati, sin minus infra mensem contra ipsum juris remediis procedi pro habendo implemento Missarum pro supradicto fundatore deficientium ab anno 1739, exclusive usque ad præsens, et quoad eleemosynam Missarum a Cardinali Accorambono taxatam ad rationem ob. 12, pro qualibet Missa mandavi imposterum computari debere ad rationem Missæ manualis, scilicet unius julii pro qualibet Missa assignando remanentes obolos duos pro utensilibus unius cujusque ex dictis Missis. » *Sub die* 26 *febr.* 1774, § *Preces.*

strumentum patrimonium sacrum constituit clerico Joanni Baptistæ Agostinangeli annui reditus scut. 65 cum onere quotidianam pro ejus anima ubilibet celebrandi Missam. In testamento autem post quatuor annos condito indixit, ut in ecclesia S. Luciæ civitatis Interamnæ sacrum faceret. Idem clericus ægre ferens hujusmodi mutationem ostendere conatur, illum non potuisse per testamentum auferre jus per contractum mutuum quæsitum. S. C. clerici voto favit : *Interamnen.*, *Celeb. Miss.*, 30 *julii* 1774.

60. In ecclesia divæ Catharinæ virginis, et martyris, oppidi S. Ginnesii erectum simplex, et perantiquum reperitur beneficium. Nullum extat fundationis monumentum, sed occasione visitationis anno 1624 gestæ onus inventum fuit notatum duas quolibet mense celebrandi Missas. In quodam vero inventario bonorum, et redituum dicti beneficii, non aliud quam celebratio festivitatis ejusdem Sanctæ designatur. Hinc beneficii possessor integer conscientiæ quærit, an ad Missas has teneatur celebrandas? et non teneri, nisi ad festum S. C. definivit : *Camerinen.*, 12 *junii* 1773, *dub.* 1.

61. Religiosi ecclesiæ S. Nicolai de Perfectis non tenentur præstare patientiam pro celebratione Missarum a præsule Carolo Gonzaga jussa. Nam illi detrectarunt celebrationem cum eleemosyna manuali explere, quum reditus superextantes hæredes persolvere capellano nominando exoptarent : *Romana, Celeb. Miss.*, 12 *junii* 1773, *dub.* 1.

62. Petrus Gavazzi a Joanne Raini voluit tot loca montium statim assignari, quorum fructus responderent duabus Missis in qualibet hebdomada celebrandis. Quatuor hæres post septem a die obitus menses tradidit loca et interim celebrare curavit Missas ad rationem eleemosynæ manualis. Exequutores testamentarii putant non solutum onus Missarum, tum quia non illico post mortem fundatoris hæres fundum pro celebratione Raini non constituerat, tum quia quatuor non sufficiunt loca, ac propterea ei dandam non esse censent acceptilationem. Verum de implemento, ita ut stipulanda sit acceptilatio, constare S. C. decidit : *Romana, Fund.*, *Miss.*, 8 *april.* 1775, *dub.* 1.

63. A remotissimis temporibus in laudabili usu fuit celebratio quotidianæ Missæ primo auroræ splendore in ecclesia societatis Suffragii *di Courgni*. Quinque in hoc pium opus largitionibus suis concurrerunt. Societas sacrificium sub auroram celebrandum liberum, nullique obligationi subjectum esse, piis his largitionibus, et legatis non obstantibus, censuit, et societatem ipsam ab hoc onere exemptam reddere curarunt ipsius administratores; S. C. societatem ad præfatum onus teneri decrevit : *Taurinen.*, 9 *sept.* 1775, *dub.* 1.

64. Pius testator defendens Brusati Novariensis capellaniam erigi de nonnullis suis bonis jussit. Hæredes eam non erexerunt ob æs alienum, quo hæreditas gravabatur; sed Missas nonnullas de consilio theologi ad eorum conscientiam sedandam celebrare studuerunt. Modo inter reliqua quæritur, an et quæ Missæ in præteritum celebratæ imputandæ sint in adimplementum oneris capellaniæ? responsum fuit, quoad præteritum ad secretarium cum Sanctissimo, et quoad futurum ad secretarium cum Sanctissimo pro observatione contractus initi cum capitulo ecclesiæ cathedralis ab hæredibus fundatoris anni 1750 et 1751 [174] et orator acquiescat : *Novarien.*, 7 *aug.* 1779, *dub.* 5.

65. Legatum Missarum reliquit Margarita de Leopardis, et ut post mortem viri ejus census pro legati fundo cum onere prædicto sodalitio Sanctissimi Sacramenti traderetur, mandavit. Obiit vir, et legatum nunquam delatum est ad sodalitium. Modo hæredes Cocchi omnibus bonis dissipatis in longinquas abierunt regiones. Adest nunc Antonia Cocchi summa egestate laborans, quæ ex paterna hæreditate habet tantum prædiolum, quod distrahere intendit, ut æs alienum a patre contractum dissolvat, et ex pretio enumerare promittit scut. 30 sodalitio, ut onus anniversarium celebrandi in die festo S. Theresiæ assumat; de hac re S. C. consulta juxta votum vicarii generalis [175] rescripsit : *Civitatis Plebis*, 22 *maii* 1784.

66. Quum baro Georgius Fournier teneretur solvere annua scut. 45 Melitentia tantum ad formam rescripti reductionis S. C. anni 1753, ratione Missarum, quibus gravatur domus ab ipso empta, decidit ead. S. C. dictam summam ab eo esse solvendam a die 24 martii 1775; illaque cum 405 jam depositis eroganda esse in celebrationem tot Missarum, servata quantitate aucti stipendii. Nam ab illo tempore omissa fuit celebratio Missarum : *Milevitana*, 10 *sept.* 1785, *dub.* 2.

67. Jacobus Maria de Nigro ejus neptem hæredem instituit, eidemque celebrationem Missarum ex superextantibus, detracta dote, annuo Livello in casu, quo religiosam eligeret vitam, injunxit. Illa professa est in monasterio S. Claræ *di Carignano*

[174] Vide not. 37, verb. *Fructus* § III.

[175] Qui ait: « Censerem supradictos confratres coerceri ad receptionem legati, dempta supradicta conditione, vel saltem ad celebrari faciendum tres Missas in festo S. Teresiæ, quas possent supplere sacerdotes locales, et duas infra octavam, et suspenso altero legato in die obitus, ad quod obligatus fuisset Hieronymus, ejusque hæredes, in reliquis absolvendam esse oratricem a Missis non celebratis. » *Ead. causa*, 22 maii 1784, § 4.

nuncupato, et superfuerunt detractis expensis libell. 300; et inde exoravit, ut capellania cum Missæ quotidianæ onere erigatur, et obtinuit. Et nunc postulat, ut statuatur, ex libello a testatore sibi assignato in libellis 150 post ejus mortem tot Missas ad rationem obol. 20 in eadem ecclesia singulis diebus festis celebrari, et consecuta est, juxta votum Archiepiscopi [176] : *Januen.*, 5 *april.* 1788, *dub.* 2.

68. Æsinus Carmelitarum conventus anno 1739 annum emit censum in sorte scut. 100 ab Angelo Bruni ex propriis nempe scut. 50, aliisque scutis 50 datis conventui a pia persona in manibus P. Galletti, ad effectum tot ex fructibus celebrandi Missas, duobus pro qualibet juliis solutis. Hic P. Galletti morti proximus declaravit, ut scuta adessent 50 dicto Angelo Bruni data ad censum. Nunquam præ debitoris census inopia exacti fuerunt fructus. Sorte integra conventui restituta, erogata fuit in emptionem latifundii, idcirco latet a quo tempore sit locus celebrationi Missarum? a die facti investimenti resolutum est : *Æsina*, *Leg.*, 25 *april.* 1789, *dub.* 1.

69. Missas S. Gregorii quas in perpetuum cum pingui fundo præscripsit Hieronymus Catelani Olivetanis PP. monasterii S. Michaelis in Bosco, omnino celebrandas esse ad formam testamenti decernitur, non obstante inveterata consuetudine celebrandi simplicem Missam quotidianam : *Congreg. Olivetanæ*, 7 *maii* 1791, *dub.* 1.

70. Legatum ab Anna Travaglini hæredi Zaccheio impositum, *di una Messa quotidiana perpetua, che si possa celebrare nell' oratorio di Casa*, adjectaque eidem hæredi lege, ut sacerdos Augustinus Vannucci arcarius ejus quæstor, atque unus ex testamentariis executoribus *vita sua naturale durante stia in casa colla tavola, e Messa quotidiana;* sicuti declaratur unam Missam quotidianam importarei ita eamdem celebrari in qualibet ecclesia, et post ejus obitum arbitrio hæredis judicium S. C. fecit : *Spoletana, Legati*, 16 *junii* 1792, *dub.* 1.

71. Missas hebdomadales duas capellaniæ institutæ per conjuges Franciscum, et Margaritam Polini in favorem pauperioris clerici, ut sacerdotium petere possit, oppidi Carassai, deindeque reductas per superstitem uxorem, quæ nonnulla alienavit bona obligata, celebrandas esse ad formam fundationis S. C. consultum fuit : *Firmana*, *Red. Miss.*, 21 *julii* 1794.

72. Onerum Missarum operis pii Michaelis Raffanelli, quibus gravavit testator substitutum sodalitium Sanctissimi Domini Jesu erectum in ecclesia S. Joannis Decollati Parmæ, implementum incipere debet a kalendis januarii currentis anni, a die nempe adeptæ hæreditatis, non a die purificatæ substitutionis ; quum vicissitudines temporum absque sodalium culpa evenerint : *Parmen.*, *Red. Oner.*, 16 *aug.* 1774, *dub.* 6.

73. Legatum sacerdotis Laurentii Florentini trium hebdomadalium Missarum in ecclesia SS. Simonis, et Blasii Montis Scutuli implendum esse decernitur ad formam testamenti per hæredes Columbæ Gratiosi, quæ prædium emit mancipatum, et onus in se assumpsit ; reprobata cessione sortis sufficientis pro annua celebratione Missarum 30, quot ex rescripto S. C. celebrare consueverunt possessores prædii ob assertam tenuitatem ejus reditus, silentio prætermissa circumstantia, quod illius venditores remisissent Columbæ de justo pretio scut. 400 ratione oneris ; prævia revocatione indulti reductionis concessæ : *Ariminen.*, *Leg.*, 26 *sept.* 1795, *dub.* 1.

74. Legatum duplicis Missæ quotidianæ relictum ab Anna Mazzei ad designatum altare ecclesiæ S. Francisci de Paula ad Montes, implendum esse declaratur S. C. per sacerdotes deputandos ab hæredibus, quibus impositum est onus celebrationis : *Romana, Leg., miss.*, 26 *sept.* 1795, *dub.* 1.

75. A vicario apostolico Setino occasione sacræ visitationis ecclesiæ collegiatæ B. M. in cœlum Assumptæ Sulmonis in Latio decretum emanavit super celebratione Missarum tum quoad omissas, tum quoad illas in futurum celebrandas ; quia negligentiam ex capitularibus libris, quanta in Missarum celebratione fuerit, perspexit. Sed hoc impugnantes decretum capitulares et omissionem illam errori tribuentes, adierunt ad S. C., quæ sustineri decretum illud juxta modum [177] declaravit : *Terracinen.*, *et Setina*, 18 *junii* 1796, *dub.* 6.

MISSA CUM CANTU, SEU SOLEMNIS. Vide *Dignitas ecclesiastica*, § IV.

§ III.

Missa, quando quis a celebratione vacare possit.

1. Ad dubia, an sacerdotes obligati ratione beneficii, capellaniæ, legati, aut stipendii celebrare quotidie Missam per se ipsos, possint aliquando a celebratione vacare?

[176] Qui putat : « Benigne in Domino per EE. VV. oratrici favendum censerem tum quoad institutionem capellaniæ, tum etiam quoad erogationem post ipsius mortem annuæ præstationis prædictæ libellarum 150, pro tot in eadem ecclesia celebrandis Missis singulis festis diebus rationata eleemosyna ob. 20. » *Ead causa*, 16 febr. 1788, § 2.

[177] Nempe deleta pœna suspensionis : *Ead. causa*, 18 junii 1796, *dub.* 6.

2. Et quando, et quoties a dicta celebratione vacare possint? affirmativum datum fuit responsum, accedente aliqua rationabili causa: *Collen., Celeb. Miss.*, 18 *sept.* 1633, *dub.* 1 et 2.

3. Ac diebus licitæ vacationis non possunt Missam pro se ipsis, vel aliis præterquam pro fundationibus celebrare: *Ibid., dub.* 3.

4. Proposito dubio, an sacerdotes obligati celebrare Missam quotidie, absque tamen onere celebrandi per se ipsos, possint aliquando a celebratione vacare? negativum datum est responsum: *Collen., Celeb. Miss.*, 18 *sept.* 1683.

5. Quum Catharina Sfortia comitissa S. Floræ prævia donatione cujusdam fundi injunxisset PP. Cisterciensibus S. Bernardi onus celebrandi duas Missas quotidianas, exceptis diebus festis, in quibus celebrari non possunt, ac quotannis peragi duas Missas cum cantu, et cum eorum officiis; dubio proposito, an, in quibus diebus sint exempti a celebratione, et applicatione Missarum? Dilata, respondit, et fiant diligentiæ juxta instructionem: *Romana, Miss.*, 28 *martii* 1711.

Reliqua. Vide *Capellanus*, § VIII.

§ IV.

Missa quoad celebrationis locum.

1. Statuit sacerdotibus non licere ad sacrum Missæ faciendum Virginum monasteria introire: *Toletana, anni* 1575, *dub.* 1.

2. S. C. indulsit, ut Missæ de quibus agitur, per mansionarios in aliis ecclesiis Cardinali patriarchæ benevisis celebrentur: *Venetiarum*, 24 *sept.* 1639.

3. Quæsita S. C., an petita facultas celebrare curandi Missam legati Caroli Luparini in alio loco prævia sufficientis fundi assignatione sit concedenda? affirmativum dedit responsum: *Brixien., Red. Miss.*, 1 *decem.* 1685, *dub.* 3.

4. In quadam domo rurali sita in loco, in quo plures degunt habitatores, et adest etiam ecclesia parochialis, commoratur unus sacerdos regularis, qui præest administrationi, et culturæ bonorum conventus in dicto loco existentium. Quum autem dictus regularis, licet reluctante Ordinario loci, prætendat in dicta domo Missam celebrare, fretus opinione nonnullorum auctorum, præsertim regularium firmantium a S. Concilio Tridentino nunquam derogatum fuisse privilegiis regularibus concessis habendi oratoria in grangiis conventuum recreationi, vel bonorum administrationi destinatis; propositum fuit dubium, an dictus sacerdos regularis absque peculiari Sedis Apostolicæ indulto, possit in dicta domo celebrare? Negativum edidit S. C. responsum: *Dubium, Orat.*, 1 *martii* 1687.

5. Quum quædam testatrix sortem census scut. 30, injuncto generatim onere suis hæredibus, *che de' frutti di quello perpetuamente, ne dovessero far celebrare tante Messe,* reliquisset; archipresbyter ecclesiæ, ubi testatrix tumulata fuit Missas in sua ecclesia celebrandas esse contendit; sed ponderato dubio, an Missæ celebrandæ sint ab ipso oratore in propria ecclesia, vel in ecclesia diversa, a sacerdote per hæredes eligendo? Missas in ecclesia, vel ecclesiis arbitrio hæredis eligendis esse celebrandas deliberatum est: *Tiburtina*, 9 *sept.* 1690.

6. Quum Joseph Marianus ordinasset nonnullas Missas perpetuas cum anniversario nullo designato altari aut ecclesia; S. C. consulta censuit licitum esse hæredi easdem Missas celebrari facere in ecclesia sibi benevisa, et a sacerdotibus ab eo eligendis: *Placentina*, 13 *januar.* 1691, *dub.* 2.

7. In ecclesia B. M. V. sub titulo *della Cabezza* sita in asperitate cujusdam montis distante a civitate de Anduxar decem miliariis, etsi reperiantur plures Missæ celebrandæ ex voluntate offerentium, vel fundatorum, tamen capellani, et alii sacerdotes alibi celebrant. Putant enim id fieri posse vigore licentiæ tantum Nuntii Apostolici. Interrogata ab Episcopo S. C. respondit, in futurum esse concedendas similes licentias absque informatione, et requisitione Ordinarii, dummodo sint in forma commissaria: 2 *junii* 1703 [178]. Postea vero recessit a decisis, et sancivit Nuntium non posse concedere indultum alibi celebrandi, quam in loco per testatores designato; necnon posse sustineri indulta ejusdem Nuntii celebrandi per alium in loco tantum per testatores designato, et exequutionem dictorum indultorum committendam esse in forma commissaria Ordinario loci: *Giennen., Celeb. Miss.*, 18 *aug.* 1703.

8. Vitalis Antonius Facenna curatus Castriplani adiit S. C. et retulit nonnullos hæredes prætermittere pia legata Missarum perficere. Hinc postulavit quatenus sint perpetua, num expleri debeant in ecclesia parochiali tempore institutionis legatorum seu in ea, ad quam nunc translata fuit cura animarum? Et S. C. integra testamenta exhibenda censuit: *Æsina, Leg.*, 19 *junii* 1706, *dub.* 2. Ex transmissis testamentis Sulpitiæ Jacobi Joan. Mariæ de Mattheo et Francisci Cataldi constat de oneribus, quæ mandarunt ut implentur in ecclesia parochiali, ubi tantum Franciscus Cataldi pro se sepulcrum eligit, reliqui in ecclesia S. Mariæ Gratiarum, uti præceperunt humati fuerunt; ob id S. C.

[178] *Inter summaria precum.*

legatum Sulpitiæ et Joan. Mariæ absolvendum esse in nova ecclesia parochiali S. Pauli, illud Francisci in antiqua parochiali declaravit: 21 *aug. ejusdem anni*.

9. Procurator generalis Ordinis S. Petri de Pisis nomine prioris, et PP. conventus S. Mariæ Gratiarum supplex recursum habuit ad S. C. pro approbatione omnium et singularum celebrationum Missarum extra ecclesiam gestarum usque ad tempus ipsius recursus. Nam de legitima causa card. Gabriellius ordinis protector ob non servatam testatorum mentem testatur; et S. C. hujusmodi precibus annuit: *Neapolitana, Celeb. Miss.*, 4 *decem.* 1706.

10. Missæ quæ proveniunt ex onere infixo ecclesiæ S. Agnetis in foro Agonali, non sunt celebrandæ a PP. clericis Minoribus SS. Vincentii et Anastasii in eorum præsenti ecclesia; sed esse celebrandas in ecclesia S. Laurentii in Lucina ad formam Brevis Innocentii X, Pont. Max., ad quam ecclesiam dicti Patres translati fuerunt, S. C. resolvit: *Romana, Celeb. Miss. pro PP. cler. min. SS. Vincentii et Anastasii*, 16 *martii* 1709, *dub.* 1.

11. Missæ autem, quas tenebantur celebrare Patres Fesulani, qui aderant in ecclesia SS. Vincentii et Anastasii, debent peragi a supradictis PP. clericis Minoribus in eorum ecclesia SS. Vincentii et Anastasii: *Ibid.*, *dub.* 2.

12. Et quoad dubium an Missæ 455 susceptæ a PP. prædictis absque designatione ecclesiæ SS. Vincentii et Anastasii sint celebrandæ in dicta eorum ecclesia? Ut exhibeantur particulæ legatorum S. C. mandavit: *Ibid.*, *dub.* 3.

13. Marchio Antonius Rocci instituto hærede Urbano Rocci sic disposuit erectionem capellaniæ perpetuæ, cum assignatione medietatis dotis locorum Montium 10, ut Missæ celebrarentur in capella familiæ Rocci ecclesiæ montis Serrati. Deinde Urbanus prædictus moriens instituit hæredem Mariam Pulcheriam Rocci Spada, deditque dotis capellaniæ prædictæ aliam medietatem, ac tribuit facultatem celebrandi dictam Missam quotidianam quolibet loco tam Romæ quam extra. Maria eadem hinc quæsivit an sit in ejus arbitrio ut Missæ celebrentur in qualibet ecclesia etiam privata et extra urbem? S. C. respondit nequaquam quoad Missas ordinatas a marchione Antonio pro rata parte locorum decem montium relictorum: *Romana, Celeb. Miss.*, 28 *sept.* 1709.

14. Disceptatum est in S. C. an liceat superiori et Patribus S. Pauli primi eremitæ celebrare Missam in oratorio loci Purgergh, ubi, non obstante inhibitione ejusdem facta a consistorio archiepiscopali Salisburgensi sub comminatione censurarum, ne auderent sacrum celebrare, Patres in celebratione perseverarunt? Decretum protenditur, et pro informatione Nuntio apostolico et Archiepiscopo juxta instructionem[179] rescribitur: *Salisburgen.*, *Orat. et cens.*, 2 *maii* 1711, *dub.* 1.

15. Onera Missarum Rosati, Venantii Galleratæ quibus gravantur clerici regulares S. Mariæ Magdalenæ Urbis impleri possunt in aliis ecclesiis ejusdem ordinis; excepto onere Balistrochi, quod persolvi in ecclesia prædicta S. Mariæ Magdalenæ debet. Nam quoad prima onera testatores de ecclesia ac altari in eorum dispositionibus prætermiserunt, quoad postremum ecclesiam sancierunt: *Romana, Oner. Miss.*, 1 *julii* 1713, *dub.* 5.

16. Missæ ordinatæ a Francisco Baretto sunt celebrandæ in ecclesia Patrum Cappuccinorum S. Antonii loci de Laule. Nam in illa ecclesia satisfactio demandata fuit a testatore, etiamsi ejusdem corpus alibi sepultum fuerit: *Faraonen.*, *Red. Missarum*, 7 *maii* 1718, *dub.* 2.

17. Missæ cum eleemosynis collectis pro animabus purgantibus tempore Quadragesimæ celebrandæ an debeant peragi in ecclesia plebaniæ S. Laurentii terræ Urbisaliæ, aut in altera præposituræ S. Georgii ejusdem terræ? S. C., ut servetur decretum visitationis, donec aliter ab Episcopo statutum fuerit, mandavit: *Maceraten.*, *Jur. par.*, 17 *junii* 1719, *dub.* 11.

18. Inter cætera, quæ leguntur in testamento Francisci Senecheti hæc habentur, *oltre agli obblighi di Messe perpetue ordina il detto, che se ne dichino due altre perpetue in S. Lucia la settimana*. Paulo post testamentum conditum ecclesia S. Luciæ Nursiæ devastata ob terræ motum remansit. Patres S. Philippi Neri, quibus relictum legatum erat, celebrarunt in propria ecclesia, ac nunquam reædificata illa S. Luciæ, imo translatis monialibus in monasterium Sanctissimæ Trinitatis; modo obscurum est, an binæ Missæ celebrari debeant in ecclesia dictorum Patrum? Negativum

[179] Ut referat, an oratorium, de quo agitur, situm sit in loco publico, et ad illum accessus habeatur per publicas vias, sive situm sit in loco clauso, ad modum castri, ita ut dominus ejusdem possit libere claudere januas domus, seu castri, et plantam judicialem tam antiqui, quam moderni status confici mandet, et transmittat ubi autem contra prohibitionem Archiepiscopi continuaverint patres celebrare in dicto oratorio, ac justificetur recursus eorumdem ad judices laicos S. C. injungendum censuit, quatenus celebrationem in eodem oratorio suspendat; donec dicti patres recursui hujusmodi renunciaverint et absolutionem a censuris, in quas incurrerunt, ab Archiepiscopo reportaverint: *Regist. Lit.*, lib. 24, *die* 13 *junii* 1711.

prodiit responsum, definitumque est celebrationem peragi in ecclesia Sanctissimæ Trinitatis : *Spoletana, Leg.*, 23 *maii* 1722, *dub.* 1.

19. Eques Joannes Stephanus Guazzi jure legati præscripsit hæredi onus celebrandi tot Missas *dalli Rev. PP. di S. Agostino al mio altare, e non volendo potendo supplire li sudetti Padri.... prego il Rev. Capitolo ec.* Explevit legatum hæres, sed sequuta translatione urbis Cerviæ ad locum mari viciniorem et habita a Patribus facultate antiquum conventum, cum ecclesia, destruendi et novum ædificandi in nova civitate, facta est controversia de Missarum celebratione ; S. C. Missas esse celebrandas in ecclesia Patrum, non in cathedrali judicavit : *Cervien., Leg.*, 24 *april.* 1723.

20. Quum postulatum fuisset, an in capella publica patronali B. Joannæ Portugalliæ principissæ possint celebrari Missæ votivæ tam solemnes quam privatæ, aliæque ex particulari devotione, etiam per sacerdotes dictam capellam visitantes absque licentia parochi?

21. Et an sacerdotes, sive seculares, sive regulares ad celebrandas Missas votivas eligi possint a patrona Fundatrice et successoribus in patronatu absque arbitratu prædicti parochi? S. C. ad utrumque affirmativum dedit responsum quoad privatas tantum : *Portucallen.*, 11 *januar.* 1727, *dub.* 4 et 5.

22. Missæ celebrandæ cum eleemosynis conquisitis occasione exercitiorum spiritualium in oratorio societatis S. Mariæ de Libertate in eodem oratorio non autem in ecclesia parochiali S. Mamantis, intra cujus limites situm est oratorium seu sodalitii ecclesia, sunt explendæ : *Bononien.*, 15 *maii* 1728, *dub.* 12.

23. Sacra ordinata a Petro de Agazzis sunt facienda in ecclesiis a testatore designatis sub pœnis arbitrio Ordinarii : *Bergomen., Red. Miss.*, 10 *julii* 1728, *dub.* 1.

24. Quum ecclesia civitatis Rubensis Patrum ordinis Prædicatorum ruinæ esset proxima, iidem PP. novam construere cogitarunt. Interim destinata fuit portio novæ ecclesiæ, et etiam pars claustri pro rebus sacris perpetrandis claudendo omnia opportunis tabulis, et cum janua in via publica aliaque ex parte novæ ecclesiæ pro Patrum commoditate. Petierunt proinde benedictionem a proprio Episcopo, sed ab eo denegata, Episcopus Vigiliensis illam impertivit. Sed locus fuit dubitandi, an sit celebratio Missarum in dicto oratorio licita, aut quomodo providendum? responsione protelata jussum est ut scribatur novo Episcopo pro informatione, et voto, non retardata interim celebratione Missarum, et usu in oratorio, de quo agitur : *Ruben.*, 7 *april.* 1731, *dub.* 1 et 2. Deinde licitam esse celebrationem in illo oratorio dictum est : 28 *julii ejusd. anni, dub.* 1.

25. Sacerdos Antonius Bazzonus dotem constituit beneficii fundati in ecclesia parochiali oppidi Cavatoris, in quo ortum habuerat, et capellano imposuit onus ter unaquaque hebdomada sacrificandi in ara Sanctissimo Rosario dicata. Inde idem fundator Missas celebrari mandavit in ecclesia S. Sebastiani. Fundatio probata fuit a vicario capitulari, ita tamen ut sacrum unum conficeretur in altari Sanctissimi Rosarii, alia duo in ecclesia S. Sebastiani, et hac conditione collatum fuit beneficium. Ast fundator denuo mutata voluntate celebrationem trium Missarum in ecclesia parochiali ad normam primæ dispositionis præcepit, ideo quod planum non erat. S. C. definiens binas Missas in ecclesia S. Sebastiani celebrandas aperuit : *Aquen., Celeb. Miss.*, 12 *januar.* 1732.

26. Patres reformati S. Francisci non tenentur præstare patientiam pro celebratione Missæ quotidianæ, qua suos hæredes Balthasar de Magistris gravavit, soluta Patribus pro utensilibus præstatione, sed esse locum translationi dictæ Missæ ad aliam ecclesiam non arbitrio hæredis, sed ab Episcopo designandam : *Papien., Oner. Miss.*, 12 *decem.* 1733, *dub.* 2.

27. Celebrationem Missæ injunctæ ex præcepto Joseph Verzaglia testatoris in die sui anniversarii exequendam esse non dumtaxat in altari privilegiato existente in ecclesia conventus ordinis Servorum B. M. civitatis Cæsenæ, verum in singulis altaribus privilegiatis omnium aliarum ecclesiarum dictæ civitatis peragi posse S. C. existimat : *Cæsenaten., Oner. Miss.*, 14 *junii* 1738, *dub.* 1.

28. Neque dictarum Missarum numerum, quæ celebrandæ essent in omnibus altaribus privilegiatis dictæ civitatis, in solis geminis altaribus ecclesiæ dicti conventus persolvi posse decernit : *Ibid., dub.* 2.

29. Missas, pro quibus comes Carolus Blanchettus sacerdos hæredi Cæsari Blanchetto reliquit annuam summam libell. 200, enumerandam conventibus S. Gabrielis in ecclesia omnium Sanctorum, in qua ibi sepulcrum elegit, et cui plurima auri, argenti, gemmarumque legata dedit, non in ecclesia hæredibus testatoris benevisa, sed in præfata ecclesia omnium Sanctorum celebrandas esse decernitur : *Bononien., Leg. Miss.*, 15 *decem.* 1742, confirmata 12 *januar.* 1743.

30. Maximilianus Nardellius, et Dominicus Donatus sacerdotes ecclesiæ parochialis matricis, et receptitiæ oppidi S. Viti ob suspicionem sacrilegi homicidii ad pœnam temporalem condemnati fuerunt. Expleta pœna gratiam ambo obtinuerunt absolutionis, et dispensationis ab irregularitate, dum-

modo Missas lectas et non solemnes tantum celebrarent in privata ecclesia, et extra parochialem, et matricem. Hoc elati rescripto postularunt inde gratiæ extensionem super facultate Missas celebrandi in quibuslibet ecclesiis etiam parochialibus, sed postularunt incassum : *Ostunen*, *Redint. ad particip.*, 24 *april.* 1751, *dub.* 1, confirmata 19 *junii ejusd. anni.*

31. Licentiam ab Episcopo Nepesino agendi sacra in sua diœcesi Fabricio Paolangeli denegatam validam esse S. C. putavit : *Nepesina*, 20 *aug.* 1757, *dub.* 1.

32. Legatum Missarum relictum a Joan. Antonio Tagliaferri sodalitio sacrarum Stigmatum ad quod post obitum uxoris delata hæreditas fuit, occasionem præbuit quæstionis quoad Missarum celebrationem. Hac de causa S. C. censuit, ut Missæ præscriptæ a dicto testatore non possint celebrari in quacumque ecclesia societatis prædictæ terræ Montani hæredi institutæ benevisæ, sed sunt celebrandæ in ecclesia Patrum Minorum observantiæ dictæ terræ, in quorum ecclesia est erectum sodalitium ; etiamsi locus a defuncto minime fuerit assignatus : *Ariminen.*, *Celeb. Miss.*, 12 *martii* 1757, *dub.* 1.

33. Sacrificia Missæ, quorum dignitates, et canonici ecclesiæ collegiatæ S. Bartholomæi civitatis Siclis reductionem precati sunt, ac eleemosynæ incrementum obtinuerant, facienda esse in altaribus a testatoribus designatis privative a dignitatibus, et canonicis ecclesiæ collegiatæ ; ita ut incrementum prædictum stet loco distributionum quotidianarum, S. C. jussit : *Syracusana*, *Miss.*, 10 *martii* 1759, *dub.* 2.

34. Adversus indultum a canonico Ugolino cæcitatis infortunium passo impetratum, ut mensibus hyemalibus posset celebrare in ecclesia commodiori Missam quotidianam capellaniæ, quam obtinet, institutæ in ecclesia hospitalis, et conservatorii puellarum Cæsenæ, reclamarunt ejusdem conservatorii puellæ, quia ipsis commodum aufertur quotidie sacrum audiendi. Hæ obreptionem allegarunt, quod ille canonicus reticuerit facultatem celebrandi per alium expresse concessam in capellaniæ fundatione. Examinata in S. C. questione, indultum exequendum haud esse mandavit : *Cesenaten.*, *Ind.*, 24 *novem.* 1759, confirmata 12 *januar.* 1760.

35. Capitulo ecclesiæ collegiatæ SS. Petronii, et Prosperi terræ Lugi licere legata Missarum alterius suppressæ collegiatæ implere in ejus ecclesia, exceptis legatis Essani, et Zannelli solvendis in ecclesia parochiali antea pariter collegiata S. Francisci de Paula, resolutum fuit : *Imolen.*, *Jur. par.*, 20 *decem.* 1760, *dub.* 5.

36. Missas a testatore Petro Meloni relictas S. C. mandat celebrari in ecclesia archipresbyterali Bagnariæ, et ad altare divi Antonii Patavini, ubi testator humari voluit, qua resolutione confirmantur decreta Episcopi occasione pastoralis visitationis edita anno 1755 et 1756. Ac nonnisi injuria hodierni capellani despecta plurium annorum consuetudine ab ea recedere prætendunt, et liberum sibi esse putant sacris ubique operari : *Imolen.*, *Leg.*, 12 *martii* 1774, *dub.* 1.

37. Quum pius testator defendens Brusati Novariensis capellaniam erigi de nonnullis suis bonis mandasset, hæredes eam ob æs alienum haud erexerunt, sed nonnullas Missas de consilio theologi celebrare curarunt. Ob id dubitatum inter cetera fuit, an et in qua ecclesia celebrandæ sint reliquæ Missæ in præteritum celebratæ, et intra quod temporis spatium? responsum est, ad secretarium cum Sanctissimo pro observatione contractus anni 1750 et 1751 [180] : *Novarien.*, 7 *aug.* 1779, *dub.* 4.

38. Et ad postulatum, an Missæ in futurum celebrandæ sint in ecclesia monialium S. Augustini Novariæ. Nam canonici ecclesiæ cathedralis concessa eis bona restituere detractabant? idem pariter responsum dedit S. C. : *Ibid.*, *dub.* 7.

39. Canonicis ecclesiæ cathedralis pro tempore indulgendum esse, ut Missas a canonico Jacobo Ghilini testatore relictas possint celebrare extra cathedralem prædictam juxta Episcopi votum [181] facto verbo cum Sanctissimo S. C. censuit : *Alexandrina*, 10 *decem.* 1785, *dub.* 5.

40. Iisdem canonicis singulis, ut termille Missas pro tempore præterito celebrandas, eorum quilibet pro contingenti rata in ecclesia benevisa celebrare possit, indulgendum esse juxta votum Episcopi [182] intra terminum ab eodem præfigendum facto verbo

[180] Vide not. 37, verb. ***Fructus*** § III.

[181] Hæc habet Episcopus : « Nec leve si non quoad omnes, saltem quoad plerosque canonicos, præsefert incommodum Missarum hujusmodi celebratio in ipsamet cathedrali ecclesia ex integro peragenda, et quoad illos præsertim ex eis, qui ex suis præbendis aliarum Missarum ibidem celebrandarum onere sunt gravati, adeo ut nullo prorsus tempore, ne illo quidem quod a jure, sacrisque canonibus permittitur, quodque in prædicta cathedrali bimestre non excedit, vacare queant. « Et concludit videri sibi « quod indulgendum sit canonicis oratoribus, ut vacationum saltem diebus 60, in alia cuique commodiori ecclesia Missas hujusmodi valeant celebrare : die 16 ***nov.*** 1785, § ***Quintum.***

[182] Ait : « ut Missis hujusmodi quanto citius satisfaciat e re foret eorum singulis permittere, ut illas in ea ecclesia celebrent, quæ sive in hac civitate sive extra eamdem commodior unicuique fuerit, modo in libro exposito in sacrario dictæ cathedralis illas describant. » Die 26 ***novem.*** 1785, § ***Denique.***

cum Sanctissimo S. C. respondit : *Ibid.*, *dub.* 8.

41. Sacerdos Dominicus Eufemi unam possidet ex capellaniis, quas fundavit Joseph Quatrini oppidi Amandulæ cum onere quotidianum sacrum celebrandi *sempre in altare privilegiato dentro qualunque Chiesa di questa Terra.* Alteram obtinet Dominicus Seagnoli. Ambo, ut celebrare liceat sacra in suburbanis Amandulæ ecclesiis, postulant. S. C. annuit juxta votum Archiepiscopi [183] : *Firmana*, 29 *aug.* 1789.

42. Legatum ab Anna Travaglini hæredi Zaccheio impositum *di una Messa quotidiana perpetua che si possa celebrare nell' oratorio di Casa* adjectaque eidem hæredi lege, ut sacerdos Augustinus Fannucci arcarius ejus quæstor, atque unus ex testamentariis exequutoribus *vita sua naturale durante stia in casa colla tavola, e Messa quotidiana.* Sicuti declaratur unam Missam quotidianam importare, ita eamdem celebrari qualibet ecclesia, et post ejus obitum arbitrio hæredis decernitur : *Spoletana, Leg.*, 16 *junii* 1792, *dub.* 1.

43. Episcopus Santandriensis juxta majorum morem in rebus dubiis S. C. consuluit, an vigore bullæ Cruciatæ celebrari valeant quotidie plures Missæ in oratorio privato pro unica Missa concesso, et negativum responsum habuit : *Santandrien., Dubia super Bulla Cruciatæ*, 15 *julii* 1797, *dub.* 1.

44. Et ad alterum dubium an satis Missæ de præcepto faciant diebus festis omnes indiscriminatim, qui Missam in oratorio privato audiunt, dummodo bullam Cruciatam habeant? pariter S. C. negativum dedit responsum : *Ibid.*, *dub.* 2.

Reliqua. Vide *Oratorium*, § VI.

§ V.

Missæ a quibus celebratio possit, ac expleri debeat.

1. Episcopus Andriensis edictum promulgavit, ne sub pœna suspensionis a divinis admitti debeant ad celebrandum in ecclesiis tam secularium, quam regularium sacerdotes exteri absque expressa ejusdem licentia. Huic edicto obstitit abbas monasterii S. Mariæ de Miraculis congregationis Cassinensis fretus Indulto speciali Sixti V, Pont. Max.; re in S. C. delata sacerdotes exteros valere Missas celebrare in ecclesia S. Mariæ de Miraculis civitatis Andriæ absque licentia Episcopi in vim brevis Sixti V : *Andrien., Edict.*, 29 *novem.* 1710, *dub.* 1.

2. Quoad permanentiam vero dictorum sacerdotum in civitate, ut in præfata ecclesia celebrare valeant, ac de præfixione temporis, S. C. distulit resolutionem : *Ibid.* Inde posse eosdem per quinque dies celebrare resolvit 24 *januar.* 1711, *dub.* 2.

3. Ac editum Episcopi prohibens ædituis ecclesiarum admissionem sacerdotum exterorum non comprehensorum in dicto brevi ad celebrandum absque licentia ejusdem Episcopi afficere etiam ædituos dictæ ecclesiæ firmatur : *Ibid.*, *dub.* 2, confirmata *ibid.*

4. Paulus de Matthæis legavit nonnulla loca montium archiconfraternitati Sanctissimi Crucifixi in ecclesia S. Marcelli Urbis erectæ onere celebrationis Missæ solemnis in capella ecclesiæ Ara Cœli adjecto. In adversum trahitur, an possit Societas celebrationem Missæ prædictæ committere sacerdotibus secularibus, seu celebrari curiæ a Patribus S. Francisci teneatur? Negativum ad primam, affirmativum ad secundam partem præbuit responsum : *Romana, Eleemos. Miss.*, 5 *sept.* 1716, *dub.* 2.

5. Celebrationem Missarum quas Franciscus Sgamba in ecclesia S. Mariæ de Platea, et in altera ecclesia S. Josephi implendas reliquerat, a capellanis deputandis ad rationem tantum manualis eleemosynæ, prævio investimento fructuum, manutentione exequendam ; non vero a sacerdotibus gregariis celebrari debere S. C. putavit : *Firmana, Leg.*, 12 *febr.* 1729, *dub.* 3.

6. Missarum celebratio, quæ incumbit societati Sanctissimi Sacramenti in ecclesia cathedrali erectæ ex diversis testatorum dispositionibus, facienda est capitularibus tantum ecclesiæ prædictæ uti etiam Episcopus demandavit : *Bituntina, Miss.*, 19 *novem.* 1729, *dub.* 2. Postea reclamante societate et præferri illos, qui bona ejusdem conducunt exoptante ; S. C. quoad Missas lectas esse capitulares, dummodo per se ipsos celebrent, præponendos : 20 *aug.* 1735.

7. Religiosos ecclesiæ S. Francisci ad Ripam anteferri debere in celebratione Missarum a Martha Picconea præscriptarum, non vero in libero hæredis arbitrio esse deputare quoscumque alios sacerdotes S. C. definivit. Nam testatrix hæredes onere Missarum in dicta ecclesia implendo gravavit : *Romana, Oner. Miss.*, 12 *januar.* 1732, *dub.* 1, confirmata 22 *martii ejusd. anni.*

8. Missarum celebratio, ad quam hospitale S. Joannis evangelistæ civitatis Tyburis tenebatur, non ad Patres Dominicanos, et Minores Observantes spectat, sed in potestate fratrum ordinis S. Joannis de Deo sita est, quibus cura, et administratio illius hospitalis concredita fuit, celebrandi Missas

[183] Qui petitioni favens, inquit : « Ecclesiæ rurales, quæ sitæ sunt in oppidi districtu, comprehendi posse inter ecclesias oppidi videntur, eoque magis, quia testator eas non exclusit, sed generaliter ad quascumque ecclesias oppidi ipsius arbitrium, de quo agitur concessit « *Ead. causa*, 8 *aug.* 1789, § 1.

per seipsos, vel per alios. Ita statutum est. Etsi antea persolvi onus in ecclesiis PP. Prædicatorum, et Min. Observ. consueverit: *Tyburtina, Celeb. Miss.*, 24 *sept.* 1735, *dub.* 1.

9. Patres Carmelitæ excalceati, quibus vigore transactionis initæ cum hæredibus Petri Francisci Pellegrini incumbit onus explendi capellaniam ab illo in ecclesia collegiata S. Mariæ oppidi, modo urbis Mathelicæ institutam possunt onus prædictum absolvere per regulares arbitrio eorumdem Patrum, nec sacrificia per sacerdotem secularem in eadem collegiata offerenda sunt. Testator enim hæredibus eligendi sibi presbyterum benevisum facultatem dederat: *Camerinen.*, *Capell.*, 19 *novem.* 1735.

10. Pro celebratione Missarum in ecclesia S. Mariæ Paradisi eligi debere religiosos ejusdem ecclesiæ, utpote a testatrice Magdalena Galimberta electos, et in consuetudine longæva septuaginta, et ultra annorum privative ad alios quoscumque sacerdotes ad celebrandum constitutos, non vero esse in arbitrio hæredis deputare alios sacerdotes, decisum fuit: *Mediolanen.*, *Celeb. Miss.*, 12 *maii* 1736, *dub.* 1.

11. Missarum sacrificia, quæ in parochiali ecclesia oppidi Tiliani immolanda sunt per Alexandrum Arcella, et Ignatiam Saraphinum patronos, et Missarum onere gravatos, exteris sacerdotibus iisdem benevisis, soluta tamen eleemosynæ unius caroleni juxta Episcopi decretum, committi posse, sacerdotibus dicti oppidi contradicentibus, S. C. censuit: *Alexanen.*, *Celeb. Miss.*, 26 *januar.* 1743.

12. Dominicus Gaballo Annæ pater solebat, dum viveret, annuam eleemosynam dare patribus Observantibus, ut sacra quædam peragerent pro anima Victoriæ Monti; ad hoc onus Annam Mariam teneri S. C. definiit, inde decrevit non esse in arbitrio ejusdem Annæ committere illarum celebrationem sacerdoti seculari sibi beneviso: *Uxentina, Leg.*, 13 *jan.* 1748, *dub.* 2, confirmata 27 *april. ejusd. anni.*

13. Solebat, dum spiritum ducebat, Dominicus Gaballo Annæ pater annuam eleemosynam dare patribus Observantibus, ut sacra quædam peragerent pro anima Victoriæ Monti; post illius obitum Anna per aliquot annos id servavit; nuper cessavit. Sed vocata in jus a Patribus, ea ad S. C. confugit, minime teneri putans nulla cogente obligatione, sed sola patris, ac sua pietate mota: *Uxentina, Leg.*, 13 *januar.* 1748, *dub.* 1, confirmata 27 *april. ejusd. anni.*

14. Celebratio Missarum, quas Joseph Ruffo, archidiaconus Gaballus, et Joannes Dattilo reliquerunt absolvendas in altari sanctissimæ Trinitatis, et Beatissimæ Virginis erecto in ecclesia PP. de observantia S. Francisci, privative spectat ad dictos Patres, non autem in voluntate Annæ Mariæ Gaballo vertitur alios deputare sacerdotes in actu, de quo agitur, excepto legato archidiaconi Gaballo, qui Patres prædictos non respexit in onerum satisfactione; sed hæredibus ea imposuerat: *Uxentina, Celeb. Miss.*, 13 *januar.* 1748, *dub.* 1, confirmata 27 *april. ejusd. anni.*

15. Et quoad dictam celebrationem archidiaconi Gaballo tenentur Patres prædicti præstare patientiam, ut in eorum ecclesia sacerdotes seculares Missas celebrent, solitis utensilibus et non spectata reductione: *Ibid.*, *dub.* 2, confirmata *ibid.*

16. Hæredibus Leonardi Justiniani licet operam dare, ut in altari sub invocatione S. Liborii in ecclesia S. Mariæ Misericordiæ extra oppidum Montis Raynaldi, et intra parochiam existentis a proprio capellano, et sacerdotibus exteris tam Missæ lectæ, quam cum cantu, in anniversario celebrentur; non autem invitandi sunt sacerdotes terrigenæ pro Missis lectis; et Missæ in dicto aniversario cantari privative a parocho debent: *Firmana, Jur. paroch.*, 2 *decem.* 1747, *dub.* 6.

17. In disquisitionem venit, an celebratio Missæ quotidianæ relictæ a Laurentio Galliero spectet privative ad Patres Prædicatores civitatis Cherii, in quorum ecclesia ipse testator fuit humatus; seu nitatur in hospitali majoris dictæ urbis ejus hæredi testamentario electio capellani ad nutum amovibilis, solutis tamen utensilibus PP. Prædicatoribus? S. C. respondit negative ad primam partem, affirmative ad secundam, et ad mentem [184]: *Taurinen.*, *Celeb. Missæ quotid.*, 20 *maii* 1752, *dub.* 1.

18. Celebratio Missæ solemnis in ecclesia cathedrali absente Episcopo spectat ad archidiaconum primam ipsius ecclesiæ dignitatem. *Nebbien.*, 17 *novem.* 1753, *dub.* 1, confirmata 9 *febr.* 1754.

19. Ad dubium, an Missæ ordinatæ a Joanne Antonio Tagliaferri sodalitio sacrarum Stigmatum terræ Montani celebrari possint a presbyteris secularibus per dictam societatem eligendis, seu celebrandæ a patribus Minorum observantiæ dictæ terræ, in quorum ecclesia sacra aguntur? ut scribatur Episcopo juxta mentem [185] S. C. respondit: *Ariminen.*, *Miss.*, 12 *martii* 1757, *dub.* 2.

20. Missas, pro quibus dignitates, et canonici ecclesiæ collegiatæ S. Bartholomæi civitatis Siclis reductionem deprecati sunt, ac eleemosynæ increment

[184] « Et mens est, ut præferantur oratores Dominicani in casu de quo agitur » *Ead. causa*, 20 *maii* 1752.

[185] Mens est, ut Episcopus quoad Missas, de quibus agitur, illarum medietatem per sacerdotes societatis tantum, alteram vero medietatem per ipsos Fratres Min. Observ. celebrari mandet. » *Regist. Lit.*, lib. 31, *die* 12 *martii* 1757.

mentum obtinuerant, celebrandas esse in altaribus a testatoribus designatis privative a dignitatibus, et canonicis ecclesiæ collegiatæ ; ita ut incrementum prædictum stet loco distributionum quotidianarum, S. C. jussit : *Syracusana, Miss.*, 10 *martii* 1759, *dub.* 2.

21. In oratorio S. Rocchi societatis sanctissimi Nominis Jesu una cum ecclesia, et hospitale Patribus ordinis Prædicatorum subjectis oppidi Viqueriæ admitti nequeunt ad celebrandum tam seculares, quam regulares absque licentia prioris conventus contra formam cap. VIII instrumenti die 2 decem. 1577 addendo S. C. ad mentem : *Derthonen., Visit.*, 26 *januar.* 1760, *dub.* 20.

22. Quum Patres Minores de observantia suetam quorumdam Missarum legatorum eleemosynam manualem, quam sodales sanctissimi Rosarii in eorum ecclesia manentes tradebant, quadam prætensa reductione freti, recusassent, et celebrationi renunciassent, suspensum in incertum pendet, an in quolibet reductionis casu dicti Patres anteferendi sint in celebratione Missarum, de quibus agitur? esse præferendos decisum est : *Fossenen.*, 9 *april.* 1766, *dub.* 2.

§ VI.

Missa quoad celebrationis diem, et horam.

1. S. C. censuit Episcopo dandum esse decretum alias ab eadem S. C. editum, nempe constitutiones synodales disponentes, ut diebus festis Missæ celebrandæ non sint in aliis ecclesiis, nisi absoluta Missa in ecclesia parochiali hora opportuna celebretur : *Sanctæ Agathæ Gothorum*, 25 *maii* 1625.

2. Rescripsit S. C. de rigore non posse prohiberi, ut Missæ non celebrentur ante Missam a parocho non celebratam : *Urbinaten.*, 27 *junii* 1641.

3. Ad dubium, an presbyter, qui tenetur rationem beneficii pro die certa celebrare, si dicta die aliqua festivitas occurrat possit differre implementum talis obligationis ad effectum eadem die celebrandi in ecclesia, ubi ipsa festivitas solemni pompa peragitur, recipiendo eleemosynam, et hoc sub prætextu consuetudinis loci, ne in dicta ecclesia competens Missarum numerus desideretur? respondit, dandam esse declarationem alias editam *in civitatis Castellanæ*, 8 *aug.* 1648, *dub.* 2, et inhærendo pariter declarationibus alias editis negative : *Clusina, Celeb.*, 12 *julii* 1670.

4. Censuit S. C. dandam esse declarationem alias factam *die* 12 *aug.* 1651 *in Cajetana tenoris seq.*, de rigore non posse prohiberi quominus in aliis ecclesiis Missa celebretur ante Missam a parocho non celebratam : *Suessana*, 9 *sept.* 1679.

5. Censuit dandam esse declarationem alias factam 8 *sept.* 1627 *tenoris seq.*, a parocho prohiberi non posse quominus in alia ecclesia Missa celebretur ante Missam parochialem non celebratam : *Senogallien.*, 8 *febr.* 1681.

6. Anno 1563 Pius Papa IV, Pont. Max., concessit, ut in collegiata, et parochiali ecclesia S. Pauli Venetiarum nocte Natalis Domini celebrari posset Missa prima noctis hora ; quo privilegio rector, et presbyteri ecclesiæ pacifice usi sunt ; at paucis ab hinc annis ab ejus usu destiterunt. Modo supplicant pro facultate redeundi ad usum prædictum juxta privilegium concessum ; sed S. C. negativum dedit responsum : *Venetiarum*, 13 *julii* 1720.

7. Inter cetera, quæ leguntur in testamento Francisci Senecheti hæc habentur : *Oltre agli altri oblighi di Messe perpetue ordina il detto, che se ne dichino due altre perpetue la settimana.* Hinc quæritur, an liberum esse debeat dictis Patribus celebrare easdem Missas quibuscumque diebus infra quamlibet hebdomadam? Missas esse celebrandas diebus a secretario designandis, auditis Patribus, et monialibus, rescripsit : *Spoletana, Leg.*, 23 *maii* 1722, *dub.* 2.

8. Celebrationem duarum Missarum a pio testatore Josepho Versaglia ordinatam in quolibet die solemnitatum festivitatis B. M. V. ac ipsius sanctissimi Filii Jesu, dumtaxat non esse in duobus festis solemnibus B. M. septem Dolorum, nempe in tertia dominica septembris, et in feria sexta post dominicam Passionis ; sed in omnibus solemnitatibus dictæ sanctissimæ Virginis, et D. N. Jesu infra annum occurrentibus, faciendam prescribitur : *Cesenaten., Oner. Miss.*, 14 *junii* 1738, *dub.* 3.

9. Decretum Episcopi Segnensis, in quo interdicebat celebrationem Missarum lectarum, dum ipse Episcopus Missam pontificaliter celebraret, vel sacrum solemniter die Jovis cum expositione Sanctissimi Sacramenti perficeretur ; et etiamsi ex gravi causa persolvendæ sint, minime pulsarentur tintinnabula quod sub pœna suspensionis jusserat ; non esse validum declaratur, sed quoad tintinnabulorum sonitum decretum Episcopi fuit probatum : *Segnen., Decret.*, 22 *novem.* 1749, *dub.* 3.

10. In publico oratorio, quod familia Testa in agro oppidi Castri Novi Foliani possidet, die qua celebratur festivitas S. Francisci, Missarum celebrationem absolvi debere duabus horis ante meridiem arbitrio Episcopi S. C. mandavit : *Placentina, Fest.*, 14 *april.* 1764, *dub.* 3.

11. In oratorio Misericordiæ civitatis Sarzanæ, utpote publico, centum ab hinc annis extructum pro celebratione Missarum in omnibus solemnioribus festis, in die Paschatis resurrectionis Missas celebrare licet ; *Lunen., Sarzanen., Celeb. Miss.*, 4 *april.* 1772.

12. Rescripserat S. C., ut rector ecclesiæ S. Bernardini oppidi Montis Galli, cui communitas habitationem, et olei pro lampade, ceræque pretium subministrabat in scutis 12, quique annuum habebat reditum 60 circiter scutorum, teneretur quolibet die festo celebrare, et applicare Missam pro populo. Nunc ead. S. C. respondit eumdem rectorem non teneri in eadem ecclesia ter in hebdomada cujuslibet mensis diebus ferialibus sacrum pro populi commoditate facere : *Asculana*, 29 *aug.* 1789, *dub.* 3.

13. Julius Cæsar Sampietro Missam sub auroram in ecclesia Patrum Minorum conveutualium celebrandam quotidie prævia solutione scut. 50 monetæ Pedemontis, scut. 20 nempe monetæ Romanæ reliquit. Patres absque legitima facultate quotidianum onus ad Missas 200 reduxerunt, postea sequuta est concordia. Inde absoluti sunt, et celebrarunt diebus dominicis, et festis de præcepto. Sed ne patres amplius ferrent celebrationem primo mane cum tenui eleemosyna julii unius, dubitarunt de viribus concordiæ absque superiorum consensu initæ. Hinc hæredes pii testatoris recurrunt, ut facultas celebrandi qualibet hora indulgeatur. Et favente Episcopo S. C. gratiam impertita est juxta ipsius votum: *Fossanen.*, *Celeb. Miss.*, 15 *junii* 1793.

14. Promotori pro tempore devotionis sanctissimi Rosarii permittenda est celebratio Missæ lectæ sub auroram feriæ V in Cœna Domini in ecclesia S. Dominici Bononiæ, et additur, ad secretarium cum Sanctissimo ; nam ex immemorabili consuetudine hoc factum est, et ideo confirmatio præsumpta concessionis Apostolicæ ducebatur : *Bononien.*, 14 *martii* 1795.

Missa quoad celebrationem per se ipsum. Vide *Capellanus*, § viii.

§ VII.

Missa quoad celebrationis moralem, vel physicam potentiam.

1. Jacobo Paradisi sacerdoti, et canonico ecclesiæ cathedralis denegatur facultas celebrandi Missam propter morbum paralyticum, quo laborat, qua de causa ab Ordinario fuerat suspensus. Et revera ex testimonio plurium sacerdotum et clericorum constat, quod post absolutam Missam, fuerunt in corporali particulæ hostiæ consecratæ adinventæ et quod aliquæ ex calice guttæ sanguinis cecide. runt : *Civitatis Castellanæ*, 21 *maii* 1718.

2. Quidam sacerdos de nefando scelere accusatus, a curia Card. Urbis vicarii ad trimeres per septennium damnatus fuit, et licet transmissus, nunquam tamen remigravit, quia toto condemnationis tempore hospitalis S. Barbaræ servitio addictus fuit. Expleto pœnæ tempore facultatem Missam celebrandi petiit. Hæc tamen petitio repulsam passa est : *Lavellana, seu Romana*, 6 *julii* 1726.

3. Indultum celebrandi Missam S. C. inficiatur sacerdoti Bernardino Giorgini canonico ecclesiæ cathedralis, ob grave dedecus, ac deformitatem in celebrando ex diuturno podagrico, et chiragrico morbo provenientem, atque etiam ob non probatos bonos mores : *Sarsinaten.*, 21 *april.* 1792.

4. In pedes ex maligno carcinomate a septennio consistere nequit sacerdos Carolus Ascanii plebanus S. Viti ; eodemque tempore a celebratione se abstinuit Missa. Præ nimia modo rei familiaris augustia indultum postulat celebrandi submissis genibus, eique favet Episcopus, sed S. C. audiendum minime censuit : *Forosempronien.*, 14 *decem.* 1793.

5. Sacerdos Ferdinandus Pizzarro non potest nisi dorsali fulcro alicujus scamni innixus, Missæ sacrificium facere, et ita per se accedere ad cornu epistolæ, et evangelii nunquam vero genuflectendo, neque ad populum, cum opus sit, se convertendo ; sed reliquas cæremonias rite peragit. Idcirco supplicat idem sacerdos pro facultate celebrandi sacrum in oratorio privato, et licet Episcopus faveret, S. C. tamen ivit inficias : *Casertana*, 27 *aug.* 1796.

Missa conventualis. Vide *Archidiaconus*, § v ; *Archipresbyter*, § vi ; *Beneficiati*, § iii ; *Canonici*, § iv ; *Capitulum ecclesiasticum*, § v ; *Dignitates ecclesiasticæ*, § iv ; *Mansionarius*, § v ; *Præpositus*, § iv ; *Presbyteri*, § ix.

Occasione visitationis apostolicæ injunctum fuit monachis S. Agathæ ad Montes, ut recurrerent ad S. Congreg. Concilii pro declaratione, an applicatio Missæ conventualis in eadem ecclesia sit libera? quia nulla aderat in dicta ecclesia obligatio ex piis testatorum dispositionibus. Et S. C. respondit *affirmative : Romana*, 19 *april.* 1704. De hac causa loquitur Ursaya *Discept.* xxxii, tom. ii, part. i, *per tot.*

§ VIII.

Missa quoad eleemosynam, et in qua summa taxari debeat.

1. S. C. definivit sacerdotem non posse novam stipem recipere, et duabus obligationibus unica Missa satisfacere, nisi in fundatione expresse cautum sit, ut non teneatur sacrificium applicare : *Aretina*, 28 *april.* 1629.

2. Eleemosynam pro qualibet Missa per regulares celebranda in eorum ecclesiis esse taxandam arbitrio Ordinarii juxta morem regionis deciditur : *Romana*, 15 *januar.* 1639, *dub.* 2.

3. Ad propositum dubium an possit Episcopus

prohibere sub pœna censurarum laicis, ne pinguis stipendium taxæ solvant sacerdotibus tam secularibus, quam regularibus Missam celebrantibus, et ut iidem sacerdotes illud accipere non possint etiam a sponte dantibus? respondit S. C. prohiberi non posse; ideoque moderandum decretum : *Pistorien.*, 16 *januar.* 1749.

4. Ad petitionem cujusdam canonici rescripsit S. C. oratorem non obstante allegata consuetudine, et quanquam in fundatione non habeat onus celebrandi, et applicandi sacrificium, non posse diebus, quibus per vices juxta tabellam ecclesiæ Missas celebrat, applicare sacrificium, pro sibi elargientibus eleemosynam : *Alexandrina*, 20 *april.* 1653.

5. Quidam testator reliquit ecclesiæ S. Joannis nationis Bononiensis scut. 500 quæ impendi voluit in favorem dictæ ecclesiæ ut perpetuo ex fructibus dictæ summæ eadem ecclesia, seu ejus deputati teneantur celebrari curare tot Missas defunctorum pro anima dicti testatoris, quot fructus ratione juliorum trium pro qualibet Missa. Quum vero planum fuisset, an sacerdoti celebranti pro anima testatoris debeatur eleemosyna juliorum trium in singulis Missis, sive eleemosyna solita unius julii, et reliquum cedat commodo ecclesiæ. S. C. deberi sacerdoti celebranti solitam eleemosynam tantum, reliquum vero cedere ad commodum ecclesiæ, sancivit : *Romana, Leg.*, 3 *aug.* 1658.

6. Supposito triplici valore Missæ, primo pro Pontifice, seu Episcopo, secundo pro sacerdote, tertio pro eleemosynam elargiente, ortum est dubium quod S. C. approbante Alex. VII declaravit, nulli sacerdoti, qui debitam sibi sacrificanti portionem fructus (secundum nempe) non reservet, posse pro ejus applicatione aliam eleemosynam accipere præter illam, quam accepit ab eo, pro quo Missam offerre tenetur; ac proinde casum hunc esse comprehensum in decretis alias per eamdem S. C. Concilii editis, quibus prohibetur, ne duplex stipendium pro unica Missa recipiatur; *Neapolitana*, 25 *januar.* 1659.

7. Ad dubium, an sacerdos, qui unum stipendium accepit pro celebratione Missæ, et sic cum obligatione applicandi fructum satisfactorium nempe pro defuncto, et aliud stipendium cum obligatione applicandi fructum impetratorium, nempe pro infirmo, possit unica Missa utriqne obligationi satisfacere? respondit S. C. quoad primam partem non posse satisfacere, quo vero ad secundam habere locum : *Dubium*, 13 *decem.* 1659.

8. Disceptatum quum esset, an locum haberent decreta generalia edita anno 1625 a S. C. et approbata ab Urbano VIII, Pont. Max., quoad dub. X [186], quando sacerdos, cui Missæ celebratio cum minori eleemosyna commissa est, non ignorat majorem primo sacerdoti tributam fuisse, et nihilominus ipse contentus est minori, intelligens alioquin ab eo primo sacerdote celebrationem sibi non committendam proindeque minorum etiam eleemosynam sibi defuturam esse; S. C. censuit in hoc casu locum habere præmissum decretum anni 1625 : *Romana, Eleemos.*, 23 *aug.* 1664.

9. Quum pio monti mortuorum relicta fuisset massaria quædam adjecto onere celebrationis ex ejus fructibus tot Missarum ad rationem duorum Carolenorum pro unaquaque; et expeteretur declaratio, an pius mons teneretur tradere celebranti dictos duos carolenos, an vero unum juxta solitam eleemosynam manualem et alium sibi posset retinere titulo, et causa impensarum? S. C. dandas esse declarationes editas in *Romana*, 3 *aug.* 1658 [187], *Theatina*, 7 *julii* 1668.

10. Mandavit comitissa Victoria Maria Muti celebrationem Missarum binarum quotidie cum eleemosyna duorum juliorum pro qualibet, excludendo erectionem capellaniæ, seu beneficii, sed tantum celebrationem prædictam. Quæritur modo an possit dari substituto eleemosyna, quæ in usu est retento sibi eo, quod superest? negative S. C. respondit : *Romana, Retent. stipend. Miss.*, 7 *maii* 1672.

11. Clerus stante incremento pretii rerum, quæ pro vitæ conservatione sunt necessariæ petiit augmentum etiam eleemosynæ Missarum, S. C. audita relatione prioris Lerenæ S. Jacobi de Spatha in provincia Legionensi eidem benigne commisit, ut veris existentibus narratis pro Missis perpetuis in posterum fundandis taxam eleemosynæ augeat ad octo regalia monetæ nuncupatæ de Villon, pro Missis autem manualibus ad quatuor. Et perspectis tabellis, fundationibus testamentis, aliisque docu-

[186] « Decimo : An sacerdotes, quibus aliquando offertur eleemosyna major solita pro celebratione Missæ, debeant dare eandem integram eleemosynam iis, quibus Missas celebrandas committunt : an vero satis sit, ut dent celebrantibus eleemosynam consuetam? respondetur « ad decimum, debere absolute integram eleemosynam tribuere sacerdoti celebranti, nec ullam illius partem sibi retinere posse » Const. *Cum sæpe*, Urbani VIII, 21 *junii* 1625, *in fin.* (*Bull. Rom.*, tom. V, part. V, pag. 335). In hoc decreto nulla mentio fit pœnarum inflictaram contra transgrediententem; sed tria dubia excitata fuere super eodem in Congr. Concilii, 5 julii 1664, *in Anconitana, eleemosynæ*, 1. An sacerdos illud transgrediens, peccet mortaliter? 2. An muneri suo satisfaciat? 3. An ad restitutionem teneatur? ad quæ respondit S. C. Ad 1, peccare mortaliter. Ad 2, negative in casu, et ad effectum, de quo agitur, hoc est, non satisfacit muneri suo, quoad distributionem eleemosynæ, licet satisfaciat, quoad sacrificium Missæ. Ad 3, affirmative.

[187] Vide num. 5, præs. §.

mentis, et vocatis, qui fuerint vocandi, onera hactenus accepta, vel fundata gratis moderetur, atque reducat ad rationem quatuor regalium pro qualibet Missa. Ita tamen, ut si reditus augeantur, vel causæ incrementi taxæ hujusmodi cessent, augeatur proportione servata numerus ipse Missarum, qui in actu visitationis præsertim erit inspiciendus: *Nullius, Lerenæ*, 7 *decem.* 1675.

12. Sacerdotes obligati ratione beneficii, capellaniæ, legati, aut stipendii quotidie hostiam cœlestem immolare, diebus licitæ vacationis pro aliis celebrando, nequeunt stipendium pro hujusmodi celebratione recipere : *Collen.*, *Celeb. Miss.*, 18 *sept.* 1683, *dub.* 4.

13. Cavit in suo testamento Card. Corradus, ut quotannis celebrentur Missæ 30 in ecclesia S. Gregorii a sacerdote eligendo a P. rectore Societatis Jesu cui solvantur pro eleemosyna scuta annua 10. Modo non patet, an sacerdos sic electus a P. rectore possit dare alteri sacerdoti eleemosynam, quæ more est, retento sibi quod superest negativum datum est responsum : *Dubium*, *Retent. eleemos. Miss.*, 21 *febr.* 1688.

14. Quum Card. Corradus in testamento jussisset celebrari singulis annis Missas 30 in ecclesia in honorem S. Gregorii Deo dicata a sacerdote eligendo a rectore domus professæ Societatis Jesu, cui solvi mandaverat pro eleemosyna scuta decem annua ex reditibus suæ hæreditatis, expensum fuit hoc dubium an sacerdos sic electus a patre rectore possit dare alteri sacerdoti, ad hoc ut celebret dictas Missas in præfata ecclesia S. Gregorii juxta eleemosynam consuetam, retento sibi eo, quod superest ? S. C. rescripsit *negative : Romana*, *Eleem. Miss.*, 17 *julii* 1688.

15. Rescriptum fuit a S. C. taxandam esse stipem ad rationem manualis eleemosynæ in Urbe consuetæ, detractis tamen ex eisdem fructibus hæreditariis scutis quatuor pro singula Missa quotidiana ratione utensilium sacrorum supellectilium pro hujus Missæ celebratione : *Romana*, 26 *martii* 1689.

16. Episcopus narravit sacrosanctum Missæ sacrificium quodammodo vilescere, dum sacerdotes quotidie se offerunt, celebrando ad rationem tenuis eleemosynæ dimidii julii pro qualibet Missa ; unde supplicavit ut disciplinis competentibus S. C. quid observare debeat, evidenter ostendat, an ipse statuere possit eleemosynam manualem unius integri julii pro qualibet Missa, imponendo pœnam celebrantibus pro minori quantitate ? S. C. responsum dedit affirmativum, quoad eleemosynam manualem : *S. Severini*, *Eleemos. Miss.*, 16 *julii* 1689.

17. Episcopus disputanda proponit hæc dubia. Primo, quanta esse debeat eleemosyna Missarum manualium ?

18. Secundo, quanta esse debeat pro perpetuis non taxatis a fundatoribus ? S. C. respondit ad utrumque, attendendam esse consuetudinem loci, vel legem synodalem, quatenus adsit, sin minus statuendam esse ab Episcopo eleemosynam competentem ejus arbitrio : *Aprutina*, 15 *novem.* 1698, *dub.* 1 et 2.

19. Et ad dubium an sacerdos possit possidere plura beneficia, vel capellanias, quarum onera ab ipso impleri integre nequeant, et an sacerdos possit celebrationem committere alteri sacerdoti pro eleemosyna inter eos conventa retento sibi quod remanet ex fructibus capellaniæ, seu beneficii ? rescripsit affirmative, dummodo aliter in fundatione cautum non fuerit : *Ibid.*, *dub.* 3.

20. Dubio an sacerdos possit se offerre celebrare Missas perpetuas alterius capellaniæ pro minori eleemosyna quam consueverit assignari ? et quatenus, negative.

21. An, in quas pœnas incurrat sacerdos Missas pro minori eleemosyna celebrans ? explanavit S. C. rescribendo affirmative ad quartum, et ad quintum satis provisum in antecedentibus ; injungendum tamen censuit Episcopo, ut pro viribus suadeat adamussim observari decreta Urbani VIII Const. *Super celebrat. Miss. Ibid. dub.* 4 et 5.

22. Quum Catharina de Zuccaris imposuisset hæredi onus tot Missarum, quot ferre possent fructus percipiendi ex bonis hæreditariis, præscripta eleemosyna ad rationem trium carolenorum pro quaque Missa, officiales seminarii cui portio hæreditatis obvenerat, supplicarunt declarari, an ipsis liceret Missas celebrari facere per proprium capellanum, soluta eleemosyna manuali unius caroleni, applicando in usu seminarii alios duos carolenos ? et affirmativum datum est responsum : *Sancti Severi*, 18 *julii* 1699.

23. Privilegium, ut ex reditibus capellaniarum, et eleemosynis Missarum votivarum, seu manualium, pro quibus plures Missæ celebrari debent, quilibet ex capellanis percipere possit summam librarum sexcentum pro unica tantum Missa in die celebranda, iisdem concessum capellanis de massa S. Mariæ de Vineis nuncupatis non esse per Const. Innocentii XII, Pont. Max. super celebratione Missarum [188] : sublatum S. C. firmavit, et insuper jussit,

[188] Relata in Const. *Cum sæpe*, ejusd. Pontificis, 21 junii 1625 (*Bull. Rom.*, tom. V, part. V, pag 355). Quum autem post hæc decreta quædam pravæ doctorum opiniones vulgatæ fuerint, in seq. propositionibus expressæ, videlicet: —Post decretum Urbani potest sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato

ut apponeretur tabella in loco conspicuo ecclesiæ cum expressione privilegii : *Januen.*, *Celeb. Miss.*, 26 *novem.* 1701, *dub.* 1.

24. Deputatio procuratoris pro recipienda eleemosyna Missarum, quæ celebrantur in ecclesia cathedrali ad capitulum non ad Episcopum spectat et quoad eleemosynas sacrorum, quæ immolantur in capellis in cathedrali existentibus, et ad societatem pertinentibus, servari solitum S. C. præcipit : *Sarnen.*, 27 *junii* 1705, *dub.* 4.

25. Quum a pio testatore Marco de Vecchiis Missam perpetuam hebdomadalem celebrari in capella S. Nicolai terræ Morroni mandatum fuisset, nulla præfinita eleemosyna ; S. C. quæsita taxari ad manualem debere constituit : *Larinen. Reddit. rat.*, 10 *maii* 1710, *dub.* 3.

26. Horatius Pigna archiconfraternitati ecclesiæ S. Jacobi Incurabilium Urbis loca sex montium cum onere perpetuo tot Missarum, quot reditus ferrent, legavit. Susceptum fuit legatum cum taxatione ad rationem eleemosynæ perpetuæ, ac reductionis in casu diminutionis, prout evenit, ac reductæ fuerunt. Sed S. C. voluit Missas esse celebrandas ad rationem eleemosynæ manualis non perpetuæ : *Romana*, *Oner. Miss.*, 11 *maii* 1709, *dub.* 3.

27. Et quoad præteritas Missas providendum esse auctoritate Card. protectoris fuit resolutum : *Ibid.*, *dub.* 4.

28. Jacobus Vinea gravavit Joan. Bernardum Stratam nepotem, et hæredem institutum, ac successores masculos onere Missarum 84 cum eleemosyna solidorum 10 pro qualibet, et in extinctione lineæ masculinæ eleemosynam auxit. Modo PP. Carmelitæ B. M. de Carmelo, quibus celebrationem reliquit deberi durante testatoris linea, majorem eleemosynam solid. 10 autumant. Sed curia episcopalis in favorem hæredis decrevit, et decretum hoc S. C. sustineri affirmavit : *Asten.*, *Eleemos. Miss.*, 29 *martii* 1710, *dub.* 1.

29. Celebratione relicta nonnullarum Missarum PP. Silvestrinis a comite Petro Martino Ambrosio, de eleemosyna, ut Patres cum hæredibus suis convenirent, idem comes voluit. Onera receperunt legatarii juxta legantis dispositionem, et cum eleemosyna infimæ taxæ curiæ episcopalis. Taxam hanc S. C. approbavit, decrevitque nec augendam, nec minuendam esse : *Camerinen.*, *Eleemos. Miss.*, 18 *novem.* 1713, *dub.* 1.

30. Paulus de Matthæis legavit loca 48 montium archiconfraternitati Sanctissimi Crucifixi in ecclesia S. Marcelli erectæ, ut quotannis Missa cum cantu in ecclesia S. Mariæ de Ara Cœli celebraretur. Constat cum cantu illam fuisse celebratam. Sed conventus instat pro eleemosyna illarum pro annis 39 e converso societas præsumptam solutionem opponit. Desuper S. C. consulta, censuit summam aliquam non deberi sacrario, et PP. S. Mariæ de Ara Cœli pro celebratione Missæ solemnis per ipsos celebratæ quoad præteritum ; quo vero ad futurum celebretur Missa de requiem cum eleemosyna juliorum 15 : *Romana*, *Eleemos. Miss.*, 5 *sept.* 1716, *dub.* 1.

31. Eleemosyna Missarum, quæ celebrantur diebus dominicis, et festis, ac applicantur a capellanis curatis amovibiliter a capitulo ecclesiæ cathedralis deputatis pro exercitio curæ animarum persolvenda est a capitulo, non ab archipresbytero : *Ferrarien.*, 18 *martii* 1719, *dub.* 6.

32. Ac eadem eleemosyna desumenda est non ex fructibus præbendæ singulorum canonicorum, sed ex massa distributionum : *Ibid.*, *dub.* 7.

33. Eleemosyna pro Missis tam lectis, quam cantatis, quæ ex commissione societatis Sanctissimi Rosarii a canonicis ecclesiæ collegiatæ, ubi ea recepta fuit, celebrantur, juxta morem loci est prestanda : *Regien.*, 5 *aug.* 1719, *dub.* 3 [188].

34. Quæsitum quum esset, an pro Missis, quas Ægidius Ursinius de vivariis pro sua anima celebrari jussit, et hucusque celebratis a PP. Barnabitis annua semper eleemosyna scut. 60 quæ in omni eventu fructuum diminutionis, in instrumento acceptionis legati constituta est, debita fuerit ?

35. Atque an ex eisdem fructibus locorum montium ante omnia sit detrahenda, et numeranda pecuniarum summa quæ pro redintegratione eleemo-

illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta — Duplicatum stipendium potest sacerdos pro eadem Missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem, idque post decretum Urbani VIII. — Non est contra justitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere, et sacrificium unum offerre ; neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam promissione, etiam juramento firmata, danti stipendium, quod pro nullo alio offeram annuum legatum pro anima relictum, non durat plusquam per decem menses — Quæ omnes præpositiones, die 23 sept. 1663, prescriptæ sunt ab Alex. VIII decreta Urbani VIII de Celebrat. Mis. Confirmavit Innoc. XII, Const. *Nuper*, 23 decem. 1697 (*Bull. Rom.*, tom. IX, pag. 464). Inde ad tollendum execrabilem abusum circa Missarum eleemosynas, sive a sacerdotibus, sive ab ecclesiasticis quibuscumque, sive etiam a laicis collectas, et minori celebranti tributas accessit Const. Bened. XIV : *Quanta cura*, 30 junii 1741 (*Bull. ejusd.*, tom. I, pag. 25), qua in ecclesiasticos suspensionis, in laicos excommunicationis pœna infligitur.

[188] Advocatus Dominicus Ursaya scripsit in hac causa in favorem capituli, et suas exposuit rationes in *Discept. Eccl. XXIII*, tom. III, part. 2, *per tot.*

synæ Missarum celebratarum , ad istiusmodi annuam rationem sexaginta scutorum? ad utrumque respondit S. C. ad mentem: *Romana, Susp. oner. et Redint. eleemos., Miss.*, 17 *januar.* 1722, *dub.* 1 et 2.

36. Supplex libellus Sanctissimo Domino Nostro exhibitus fuit, in quo pauperes sacerdotes, qui ut plurimum vivunt ex eleemosyna Missæ, instant, ut manualis, quæ in Urbe est ad rationem unius julii pro qualibet Missa augeatur. De hac petitione in S. C. actum est, quæ justo examine libravit, nihil esse innovandum addendo ad mentem [190]: *Urbis*, 13 *april.* 1726.

37. Non est præstanda eleemosyna parocho, intra cujus parœciæ limites adest societas S. Mariæ de Libertate vel alteri per eum deputando celebranti Missam, tam pro consecratione, quam pro consummatione Sanctissimi Sacramenti, quod in exercitiis spiritualibus a dicta societate peragendis in proprio oratorio, seu ecclesia exponitur. Nam S. C. Missas prædictas esse celebrandas absque stipe præceperat: *Bononien.*, 15 *maii* 1728, *dub.* 8.

38. Eleemosynam solvendam a sodalitio Sanctissimi Sacramenti, quod fuit erectum in ecclesia cathedrali, pro Missis fundationum piorumque legatorum a capitularibus ecclesiæ prædictæ celebrandis, ad manualem præstandam esse, dummodo major non sit eleemosyna a benefactoribus taxata, S. C. decidit, addiditque ad mentem [191]: *Biturtina, Miss.*, 19 *novem.* 1729, *dub.* 3.

39. Stipem pro Missis celebrandis juxta dispositionem Gaspari Probstat solvendam non esse ad rationem manualis; ita ut non liceat archiconfraternitati unum julium pro singulis Missis sibi retinere solutis tamen utensilibus S. C. definivit: *Romana, Eleemos. Miss.*, 16 *junii* 1731.

40. Quum Marcus Antonius de Horentiis archihospitali S. Spiritus in Saxia 15 loca montium donaverit, ut duos dies anniversarios cum Missis cum cantu et lectis in ecclesia S. Silvestri PP. Theatinorum ad montem Quirinalem celebrare operam daret, utque dictis PP. pro duobus anniversariis quatuor scuta traderentur una cum 50 libris ceræ albæ; Missas privatas celebrare patres recusant, nisi de iisdem quoque sit eis satisfactum. Sed S. C. mandat ut onus celebrandi Missas privatas in anniversariis incumbat PP. Theatinis cum ea eleemosyna, quam eis testator assignaverat, neque esset aliquid supplendum; et respective, ut quinque in singulis anniversariis Missæ lectæ celebrarentur, sancivit: *Romana, Sub. dot. et celeb. Miss.*, 1 *decem.* 1736, *dub.* 2, confirmata 20 *julii* 1754.

41. Dum inficiatur S. C. Missarum reductionem quam postulavit abbas collegiatæ ecclesiæ S. Joan. Baptistæ oppidi Angriæ, mandat ut eleemosyna a societate S. Mariæ de Monte Carmelo dicti oppidi hæredis instituta a Camillo Coppola, ad granos 15 pro qualibet Missa augeretur: *Nucerina, Paganorum reduct. Miss.*, 21 *maii* 1735.

42. Canonicus Hieronymus Leonardellius moriens præcepit ut suæ hæreditatis medietas in tot Missarum celebratione in altari privilegiato peragenda impenderetnr, et medietas altera in eleemosyna pauperum infirmorum urbis suæ Arimini erogaretur. Camillus Martinellius clericus regularis Theatinus in urbe degens, testatoris ex matre nepos supplicavit pro facultate celebrandi Missam quotidianam cum eleemosyna obolorum 20 ex reditibus canonici Leonardelli pro celebratione Missarum destinatis detrahenda; sed supplicavit incassum: *Ariminen.*, 14 *januar.* 1741.

43. Quum esset a canonicis et beneficiatis collegiatæ ecclesiæ S. Agricolæ Avenionis investigatio postulata an eleemosyna Missarum tam adventitiarum quam fundatarum integra dari debeat celebrantibus; seu potius an et quæ pars detrahi possit, et in quem usum applicanda? Responsum prodiit ut servetur solitum, dummodo pars detracta integre adplicetur in beneficium sacrarii ecclesiæ: *Avenionen.*, 21 *aug.* 1734, *dub.* 1.

44. Hæredes de Albertis non tenentur alium fundum annui reditus scut. 15 præstare pro Missis et anniversariis pro anima Josephi de Albertis fundatoris celebrandis; neque repertis insolvabilibus relictorum censuum debitoribus, tenentur pro sacris jam celebratis eleemosynam solvere: *Albanen.*, 10 *martii* 1742, *dub.* 1.

45. Beductio eleemosynæ juliorum trium ad manualem unius julii, ut reliquum cederet commodo ecclesiæ S. Antonii Patavini hæredis scriptæ

[190] « Mens est, ut agatur cum Card. vicario super observantia decretorum pertinentium ad utensilia, et ad non transmissionem Missarum extra Urbem » ait Bened. XIV. *Inst. Eccles. LVI*, num. 23, tom. 11, pag. 386, qui Sum. Pont. obiens munus secretarii S. Concilii eruditnm discnrsum, in quo referuntur fundamenta, tam pro qnam contra instantiam promotam de incremento eleemosynæ Missæ manualis in urbe : *Relat. in thesaur. resol. S. C. C.*, tom. 3, pag. 307.

[191] Mens est, ut Episcopus sacerdotem Padula confraternitatis priorem ad redditionem rationis suæ admistrationis juris remediis, et prout juris fuerit adigat, atque compellat, relictis in suspenso expensis occasione causæ in S. C. agitatæ factis, et recognoscat an Missarum, et anniversariorum onera in præteritum rite, et recte juxta testatorum dispositiones adimpleta fuerint, ut demum invigilet tam pro eorumdem onerum implemento in futurum, quam pro dicti decreti S. C. observantia : *Regist. Lit.*, lib. 27, *die* 19 *novemb.* 1729.

a Victoria Falaschi, non fuit a S. C. denegata: *Civitatis Castellanæ, Eleemos. Miss.*, 15 *decem.* 1742.

46. Eleemosyna Missarum pendenda beneficiatis, clericis beneficiatis et capellanis Valtrinis basilicæ SS. Laurentii et Damasi, qui debent Missas ordinatas a canonico Pasqua in casu deficientiæ vel incapacitatis capellanorum choralium celebrare, taxanda non est ad rationem unius julii, sed ad rationem obol. 16 cum dimidio pro qualibet Missa juxta dispositionem prædicti canonici. Etiamsi hic nullam mentionem eleemosynæ in casu susbtitutionis fecisset: *Romana, Leg.*, 8 *febr.* 1744, *dub.* 2, confirmata 22 *januar.* 1746, *dub.* 1.

47. Eleemosyna Missæ cum cantu in capella S. Antonini ecclesiæ parochialis montis Raynaldi celebrandæ ex dispositione Ansuini Justiniani a parocho, casu quo nequit capellaniæ rector solitam pro Missis cum cantu suppeditare, debetur: *Firmana, Jur. par.* 2 *decem.* 1747, *dub.* 3.

48. Atque eleemosyna manualis juxta regionis morem debetur eidem parocho canenti Missam in officiis animarum purgantium ex collectis eleemosynis: *Ibid., dub.* 4.

49. Majus hospitale urbis Cherii a Laurentio Galliero sub onere, ut Missa quotidiana celebraretur a patribus ordinis Prædicatorum in altare S. Vincentii, hæres institutum, eleemosynam ad formam manualis tradere tenetur: *Taurinen., Celeb. Miss. quod.*, 20 *maii* 1752, *dub.* 3.

50. Quum communitas presbyterorum parochialis ecclesiæ B. M. V. de mari urbis Barchinonis ex causa reductionis ceusuum assignatorum in dotem operis pii Missarum fundati a sacerdote Joanne Padrell eleemosynam non integre tribuere intenderet; surrexit sacerdos Joan. Leopoldus Padrell fundatoris consanguineus ac vocatus, et S. C. oravit. Hæc ad eleemosynam Missarum celebratarum cum absolutionibus solvendam juxta liquidationem coram Ordinario faciendam prædictam communitatem condemnavit: *Barchinonen., Oper. pii seu Miss. quot.*, 22 *julii* 1758, *dub.* 3.

51. Dignitates et canonici collegiatæ ecclesiæ S. Bartholomæi civitatis Siclis exposuerunt plurima esse in eorum ecclesia sacrorum agendorum onera ex legatis, donationibus et exiguum esse in ea urbe numerum sacerdotum, ita ut auctum fuerit eorum stipendium, et sacerdotes inibi celebrare pro caroleno diffugerint. Propterea diminuta etiam ecclesiæ dote, postularunt reductionem sacrorum et respective incrementum eleemosynæ, et obtinuerunt reductionem, sed incrementum arbitrio Episcopi commendatum est: *Syracusana, Miss.*, 10 *martii* 1759, *dub.* 1.

52. Eleemosynæ manuales Missarum a piis benefactoribus datæ in capsula reponi debent, et una ejusdem clavis retinenda est a priore conventus S. Mariæ Pietatis ordinis prædicatorum oppidi Vigueriæ ad formam capituli 7 instrumenti diei 2 decem. 1577, etiamsi Societas Sanctissimi Nominis Jesu inibi erecta adsit: *Derthonen., Visit.*, 26 *januar.* 1760, *dub.* 19.

53. Et eleemosynæ Missarum per modum provisionis celebratarum a Patribus conventus prædicti in eorum ecclesia tempore interdicti oratorii sunt a sodalibus satisfaciendæ: *Ibid., dub.* 22.

54. Patres Carmelitæ conventus Vulturis, ad quos spectat jus nominandi capellanos, et administratio dotium capellaniarum fundationis Joan. Augustini capelli admittere substitutum, illique eleemosynam solvere renuerunt, etiamsi nulla adsit fundatoris celebrandi lex. Hinc decretum fuit, Patres prædictos deberi capellano substituto integram eleemosynam pensitare pro Missis usque nunc celebratis, et in posterum celebrandis: *Januen., Capell.*, 25 *april.* 1761, *dub.* 4.

55. Quæsitum fuit juxta quam rationem stipendium Missarum, quas demandavit Petrus Melonius sodalitio divi Antonii Patavini Bagnariæ sit taxandum? Rescriptum prodiit ut servaretur decretum Episcopi anni 1764 [192]: *Imolen., Leg.*, 12 *martii* 1774, *dub.* 5.

56. Presbyteri collegiatæ, et parochialis ecclesiæ Villæ *della Puelba de Lillet* nuncupatæ majorem eleemosynam precati sunt pro Missis celebrandis in ecclesiis extra dictam villam, ac itinere unius horæ dissitis, necnon sub auroram, et sub meridiem, et responsum tulerunt. pro aliquali honorario ratione laboris, et incommodi arbitrio Episcopi: *Celsonen., Red. Mis.*, 1 *martii* 1777, *dub.* 2.

57. Hæredes Josephi Ciambella de terra Vineanelli fundatoris capellaniæ neglexerunt nominare capellanum, qui Missas celebraret ad rationem duorum juliorum pro qualibet ab ipso demandatorum; sed Missas tamen celebrare fecerunt a pluribus, diversisque presbyteris, soluta eleemosyna unius tantum julii, julio altero penes se retento. Hac sacerdos Eutitius Ciambella studuit de causa declarari, an ipse, aliique, qui Missas cum eleemosyna unius tantum julii celebrarunt, integram petere valeant eleemosynam juliorum duorum a testatore pro qualibet Missa præfinitam? fuit voti compos factus, addendo S. C. ad mentem [193]: *Civitatis Castellanæ, Eleemos. Miss.*, 3 *junii* 1780.

[192] Vide not. 173 præcedentem.

[193] Et mens est, ut Episcopus inquirat a Florentinis an hæredes celebrare fecerint annuatim Missas 70, et cogat hæredes eosdem nominare capellanum ad formam testamenti fundatoris » *Ead. causa*, 3 *junii* 1780.

58. Raynaldus Narducci, et Isabella Pavoni conjuges capellaniam erigi in ecclesia parochiali S. Marci ad altare S. Josephi onere adjecto celebrationis Missarum tot, quot ratione granorum duodecim pro qualibet ex reditibus haberi possint, præceperunt. Verum prædicta eleemosyna, quum taxæ in civitate, et diœcesi constabilitæ non æquaretur, Episcopus arbitratus est, tot Missas celebrandas esse, quot ratione granorum viginti celebrari possint. S. C. in omnibus Episcopi votum probavit : *Pontis Curvi, Cap. super red. Miss.*, 19 *aug.* 1786.

59. Dubium propositum, an beneficiati, et loca pia pro legatis ad taxam Concilii Romani reductis solvere valeant manualem eleemosynam sacerdotibus celebrantibus, retenta sibi excedenti summa? explicat S. C. respondendo quoad beneficiatos affirmative juxta modum[194] : quo vero ad loca pia affirmative ad formam decreti 3 *aug.* 1658[195] : *Parmen., Dub.*, 12 *maii* 1792.

60. Quum legatum ab Anna Travaglini hæredi Zaccheio impositum sit *di una Messa quotidiana perpetua che si possa celebrare nell' oratorio di Casa;* adjectaque eidem hæredi lege, ut sacerdos Augustinus Vanucci arcarius ejus quæstor, atque unus ex testementariis executoribus *vita sua naturale durante stia in casa colla tavola, e Messa quotidiana;* quæsitum est de quantitate eleemosynæ præstanda, et resolutum, deberi ad manualem ab Episcopo designandam : *Spoletana, Leg.*, 16 *junii* 1792, *dub.* 2.

61. Episcopus desiderat facultatem augendi stipendium Missarum cujusdam canonici Olorgia ab Hispanico regali uno ad unum cum dimidio, dum legatum prætenui eleemosyna neque capitulum voluit recipere, neque aliqua ex communitatibus religiosis etiam interpellatis. S. C. juxta votum Card. relatoris[196] respondit : *Ecclesien.*, 16 *aug.* 1794, *dub.* 5.

62. Plura in Congr. die 9 sept. 1786 et 16 aug. 1794, præter prædictum dubium resoluta fuerunt, præsertim pro abolitione onerum cathedralis ecclesiæ quæ fundum amiserant, et reductione aliorum, quæ adhuc eum sed imminutum habebant. Sed satis visa non fuit capitulo hujusmodi reductio; iterumque ob aucta rerum pretia postulat per Episcopum incrementum eleemosynæ Missarum, quibus ex piis fundationibus gravatur, a solidis nempe quinque ad Hispanicum regale unum cum dimidio, seu obolos 12 romanos, sed S. C. rescripsit, satis provisum sub die 9 sept. 1786 et 16 aug. 1794 : 18 *april.* 1795. Rediit petitio, et S. C. annuit juxta votum Card. relatoris[197] 11 *febr.* 1797.

Reliqua. Vide *Capellanus*, § I.

§ IX.

Missa quoad fundum.

1. Declaravit S. C. census non reputari bona stabilia ad effectum impendendi pro celebratione Missarum : *Fundana*, 28 *febr.* 1654.

2. Quum patres S. Augustini legatarii Victoriæ Blanconi distraxissent erogando in proprios conventus usus summam scut. 706, 60, ratam sortis scut. 1006, 75, cujus fructus ex mandato dictæ Victoriæ in tot Missas impendi debebant, S. C. eos damnavit ad depositum annuatim faciendum scut. 30, quoad usque occupetur integra summa scut. 706 60. Iidem patres modo subrogari censum scut. 200, pro intranti quantitate investimento peragendo non retardato deposito, donec integre investimentum absolvatur efflagitant. Sed eorum petitioni S. C. non annuit ; *Romana, Miss.*, 31 *julii* 1717, *dub.* 3.

3. Hæredes de Albertis non tenentur alium fundum annui reditus scut. præstare pro Missis, et anniversariis pro anima Josephi de Albertis fundatoris celebrandis, repertis insolvabilibus relictorum censuum debitoribus : *Albaren.*, 10 *martii* 1742, *dub.* 1.

4. Joan. Dominicus Veneri duplici Missa quotidiana cum annua præstatione scut. 99 40, hæredem suum oneravit. Jacobus Veneri hæres agnoscens universa hæreditaria patrui bona, dectracto ære alieno, longe imparia esse dictæ suppeditationi conatur, ut una, et integra solutione scut. 906 60, quæ a parochiali ecclesia S. Catharinæ, ubi testator unius Missæ demandavit celebrationem, in emptionem prædiorum, vel censuum convertatur, se, suosque hæredes a quacumque annuæ quantitatis in posterum solvendæ obligatione possit liberare. S. C. autem protelata responsione, firmari statum hæreditatis testatoris coram Ordinario, qui auditis partibus, servatis servandis procedat prout de jure ad declarationem quantitatis bonorum, quæ detractis detrahendis remanent libera pro imple-

[194] Nempe ad formam declarationis octavæ decretorum generalium confirmatæ in Const. *Nuper* Innocentii XII.

[195] *In causa Romana legati*, vide num. 5.

[196] Qui putat : « Ad taxam igitur manualem in Ecclesiensi urbe constitutam solvenda erit eleemosyna Missarum legati, de quo agimus, alioquin illud interiturum testatur Episcopus. » *Ead. causa*, 16 *aug.* 1794, *in rel.* 2, § 6.

[197] Qui ait : « At brevi dicam, quod sentio, nulla scilicet injuria, immo summa ratione concedi posse capitulo augmentum, quod postulat, eleemosynæ Missarum, quæ celebrari debent pro suis fundatoribus illius ecclesiæ cathedralis. » Deinde docte ac erudite plurimas affert solidas rationes ob quas concludit « : Justissimum erit, et præterea opportunissimum illorum canonicatuum paupertatis adjuvandæ. » *Ead. causa*, 21 *januar.* 1797, § 14.

mento oneris Missarum, respondit : *Mantuana, Red. Miss.*, 2 *junii* 1742, *dub.* 2.

5. Testator Petrus Gavazzi Joanni Raini tot loca montium, præberit putavi, quot responderent celebrationi duarum Missarum in singulis hebdomadis celebrandarum. Quatuor hic assignavit loca montium, quæ satis non esse opinati sunt exequutores testamentarii ; exoravit itaque Raini declarari in quanam quantitate sit locus assignationi ? in quantitate quatuor locorum montium sancitum est : *Romana, Fund. Miss.*, 8 *april.* 1775, *dub.* 2.

6. Insuper exequutores testamentarii loca prædicta in creditum ecclesiæ S. Mariæ de Ara Cœli transferenda esse censent, ob hæredis imperitiam, et maximam ejus ab Urbe longinquitatem fundatoris anima debitis Missarum suffragiis privaretur. Raini ob translationem illis contradixit, asserens rev. fabricam contra hæredem insurgere in casu non implementi. Ideo S. C. statuit, loca in creditum hæreditatis cum vinculo oneris Missarum esse comparanda : *Ibid.*, *dub.* 3.

7. Quum in occulto lateret, an in casu, quod detractis meliorationibus a capitulo cathedralis in bonis illi cessis factis, satis non sint reditus ipsorum bonorum ad celebrationem Missæ quotidianæ, supplendum sit cum aliis bonis hæreditariis testatoris in præjudicium legitimæ capellæ debitæ? S. C. respondit quoad præteritum in omnibus ad secretarium cum Sanctissimo : quo vero ad futurum ad secretarium cum Sanctissimo pro observatione contractus initi annis 1750, et 1751 [198], et orator acquiescat. *Novarien.*, 7 *aug.* 1779, *dub.* 5.

8. Alexander Pili hæredes Missæ quotidianæ onere temporali, ad vitam nempe hæredis proprietarii, gravavit fiducia relicta, quæ causa constituendi dotem in favorem capellaniæ perpetuæ cum prædicto onere fuit declarata. Obtulerunt proinde fundum scut. 1000, quem satis non esse Episcopus Fanensis dixit, contradicentibus hæredibus proprietariis, qui esse legatum temporarium allegant. S. C. vero ad dubium, an et quomodo, et pro qua summa sit fundus legati Missarum constituendus ? responsum dedit affirmativum, assignato tamen fundo scut. 150 : *Fenen.*, *Capell.*, 18 *sept.* 1790.

9. Quum Mancinius vir primum Dorotheæ Fiaschetti, deinde Catharinæ Rusini in suos usus quædam prædiola dotalia, quæ pro legato Missarum quoad medietatem illæ disposuerant, erogasset ; hæres petiit facultatem solvendi quamdam summam ad effectum impendendi, ut hæreditaria bona Mancini ab uno vel altero dotali debito liberentur ; S. C. esse locum solutioni pecuniæ numeratæ juxta votum Episcopi non autem assignationi prædiorum decidit : *Asculana.*, *Capell.*, 3 *martii* 1792, *dub.* 2.

10. Episcopus tradidit fundos cuilibet legato, quibus capitulum ecclesiæ cathedralis gravatur, servata proportione ad numerum Missarum, pro quarum reductione tributa ei fuerat facultas anno 1786, die 9 sept. Inde quæsitum est, an sit substituenda dicta assignatio ? responsum juxta votum Card. Relatoris [199] : *Ecclesien.*, 16 *aug.* 1794, *dub.* 7.

11. Opus pium Michael Raffanelli cum onere triplicis Missæ quotidianæ, solemnis officii pro defunctis cum sacerdotibus triginta, et cum Missis centum de trimestri in trimestre, omniumque functionum majoris hebdomadæ in perpetuum instituit. Ad hoc opus fundus constituitur a S. C. in integra summa scut. 4,618, 50, monetæ Romanæ, quam sodalitium Sanctissimi Nominis Jesu erectum in ecclesia S. Joannis Decollati Parmæ, uti substitutum ad hæreditatem, exegit pro hæreditario fundo, ejusque fructibus ; necnon in scut. 361, 50 : fructuum superextantium ad totum annum 1793, ex quibus ob defectum sacerdotum tot celebrari nequeunt Missæ ; detractis tamen omnibus expensis litis actæ pro vindicanda hæreditate in scutis 190, 50 : *Parmen.*, *Red. oner.*, 16 *aug.* 1794, *dub.* 1, 2 et 3.

Reliqua. Vide *Capellania*, § III.

§ X.

Missa quando bis in diem celebrare liceat, necne [200].

1. S. C. rescripsit, quod Sanctissimus concessit

[198] Vide not. 37, verb. ***Fructus***, § III.

[199] Qui interponi auctoritatem S. C. super hac re implorat « neque id ullo modo, vel instructioni meæ, vel consequentibus vestris decretis adversatur. » ***Eadem causa***, 16 *aug.* 1794, *ita rel.* 3, § 6

[200] Excepto die Nativitatis Domini, et casu necessitatis non licet eidem sacerdoti plures Missas eadem die celebrare ex cap. sufficit. dist. 1, ***de Cons.*** In die Nativitatis Domini tres Missæ celebrari possunt ex cap. nocte 48, ***de Consecr.*** dist. 1, et cap. ***Consuluisti*** 3, ***de celeb. Miss.*** 1ª in media nocte in memoriam Christi Nativitatis 2ª in aurora in memoriam adorationis tali hora a pastoribus factæ, et 3ª hora tertia diei in memoriam manifestationis omnibus factæ, juxta Thelesphori Papæ, qui hanc trium Missarum celebrationem instituit, intentionem ex cap. nocte cit. Hac de causa non possunt in ipsa nocte Nativitatis successive ad primam Missam statim celebrari aliæ duæ Missæ, nec Communio præberi fidelibus, nisi post auroram, non obstante privilegio ex decreto S. C. Rituum ***in Pisauren.***, 20 april. 1641, in quo decisum fuit, in nocte Nativitatis Domini post cantatam primam Missam nullo modo possunt aliæ duæ Missæ immediate

licentiam ad sexennium tantum, ut in diebus festis sacerdotes duas Missas celebrare possint cum eo tamen, ut in prima Missa a purificatione se abstineant, et cum aliis cautionibus adscriptis, aliis litteris datis in similibus casibus, de quibus omnibus ipsi sacerdotes a vicariis foraneis admoneantur: *Comen.*, 2 *april.* 1591, *dub.* 1.

2. Exposita hæc consultatio fuit, an Episcopus absque Apostolico Indulto possit bis in die sacrificium offerre ex causa, quæ supponitur, ut infra, nempe quum in civitate, quam dicunt *della Assunta* in provincia Paraquariensi pars magna nobilium domi se contineat, quod apparatu vestium decenti careat, ideo ut nobiles mulieres, ac viri e domibus ad templa educerentur, opus fuit Missam ante solis ortum celebrare. Sed non reperto sacerdote, qui absque stipendio munus hoc subire vellet, Episcopus ipse Missam ante lucanam nobilium gratia, aliam vero paulo ante meridiem pauperum gratia celebrare sibi licuisse prætendit. S. C. respondit in casu proposito non posse; nam incomprehensibile visum fuit non adesse sacerdotem: *Paraquariensi, in Indiis Occiden.*, 1 *sept.* 1557.

3. Episcopus Adjacensis in visitatione sacr. Liminum exposuit, aliquos suæ diœcesis parochos, cum duos parvos haberent pagos pauperes, et miserabiles, bis celebrare in diebus festis ex antiqua consuetudine ab Episcopis tolerata. Addidit præterea, quosdam alios esse, qui ob locorum distantiam, et parochiæ incolarum incommodum idem sibi concedi exposcebant. Quum in his majore disceptatione opus esset, Sedem consuluit apostolicam, quæ respondit, circa Indultum duas in diebus festis Missas celebrandi, quod ratione loci, ac distantiæ petunt parochi. S. C. in re adeo sancta nihil inconsulto, et absque sedula, et matura disquisitione concedendum rata postquam ab Episcopo explicite, ac distincte circa locorum distantiam, et parochiæ incolarum numerum, et qualitates, et num alia commodiori ratione consuli possit, certior facta fuerit; ceterum pro sua pietate, et providentia id statuet, quod divino cultui, et spirituali animarum saluti expedire censebit: *Adjacen.*, 8 *febr.* 1659.

4. Clemens XI, Pont. Max. rogatus fuit ab Archiepiscopo Bracharensi, ut potestatem faceret in ejus diœcesi sacerdotibus ternas celebrandi Missas in die Commemorationis omnium defunctorum, ut fidelium pietati consuleret, qui multas eo die eleemosynas pro Missarum celebratione conferebant. Re examinanda S. C. commissa, hæc Archiepiscopi postulata rejecit: *Bracharen.*, *Ind.*, 14 *martii* 1711.

5. Propositum fuit in S. C., an concedendum esset indultum, ut sacerdotes regni Castellæ binas, tres vero regulares celebrare possent Missas in die Commemorationis omnium defunctorum? et nihil fuit responsum [201]: *Castellana*, 2 *maii* 1722.

6. Horatius d'Estienne de Caussegros dynasta oppidi de Lioux a Calviniano errore ad catholicam fidem revocatus sacellum domicilio suo proximum extruxit, in quo res sacræ diebus festis fieri possint, sed quum tenues ei copiæ essent ad sacerdotem constituendum, ab Episcopo impetravit, ut parochus dicti oppidi omnibus diebus festis binas Missas celebrare valeat. Nunc autem idipsum indultum per Pontificium diploma sibi donari postulat. Sed S. C. mandavit, ut adhiberentur diligentiæ juxta mentem necnon scriberetur Episcopo juxta instructionem [202]: *Apten.*, *Indulti*, 27 *junii* 1733. Deinde negativum præbuit responsum; 8 *maii* 1734.

7. Nonnullis Derthusensis diœceseos parochis facultatem bis quolibet die festo, et dominico celebrandi postulantibus eo quod ob sacerdotum deficientiam complures ex oppidanis sacrificio carebant S. C. ut scriberetur Episcopo juxta instructionem rescripsit [203]: *Derthusen.*, 17 *sept.* 1768. Ex relatione

celebrari, neque fideles communicari, etiam quocumque usu in contrarium suffragante, qui tolli debet; quod decretum confirmatum fuit 15 sept. 1668, *in Januen.*, at die 22 novem. 1681, *in Lucana*, et die 25 martii 1685, *in Senen.*

[201] De qua causa inquit Bened. XIV, qui eo tempore munus secretarii laudabiliter S. C. C. fungebat (*de Sacros. Sacrif. Miss.*, lib. 2, cap. 4, num. 10, edit. Rom. 1748, pag. 280). « Cum perspectum esset, quantum difficultatis ejusmodi contineret postulatio, in ejus honorem, cujus jussu postulata ad Sedem Apostolicam delata fuerant, captum fuit consilium, ut nihil responderetur atque, in hunc modum modeste ea petitio rejiceretur. »

[202] Exquisivit S. C. 1° An haberi possit alter sacerdos, qui diebus festis sacrificet in publico oratorio, de quo agitur. 2° Quanta sit distantia ecclesiæ parochialis, et qualis conditio viæ hiberno præsertim tempore. 3° Quos sint incolæ non volentes commode accedere ad ecclesiam parochialem pro audienda Missa. 4° Quanta sit eleemosyna necessaria, ut alter sacerdos Missam celebraret in dicto publico oratorio. 5° An dominus loci vere possit hujusmodi eleemosynam subministrare. 6° Denique an aliquid etiam possit contribui ab incolis, qui in eodem oratorio Missam audirent: *Regist. Lit.*, lib. 28, *die* 27 *junii* 1733, *et in Thesaur. Resolut.*, 20 *aug.* 1768, *in vot secret.*, § 33.

[203] Instructio in eo versabatur, ut Episcopus referret de numero animarum, quibus constat unaquæque ex parochiis quarum rectores postulant facultatem sacrificii oblationem iterandi, deinde exponeret quota pars populi ex celebratione unius Missæ divino sacrificio careret, ac tandem significaret an aliqua subsit spes fore, ut ratione aliqua huic occurratur necessitati: *in Thesaur.*, tom. 37, pag. 242.

Episcopi necessitas comprobatur, et S. C. distulit resolutionem, et addidit ad Card. præfectum cum Sanctissimo : 26 *novem. ejusd. anni* [204].

8. Cœduam ad vicennium conduxit sylvam Joseph Antonius Perez, extruxitque in ea sacellum, ut Sacro diebus festis operariorum Colonia assisteret. Difficultas erat sacerdotis celebrantis nec ullam ex oppidis vicinioribus spem habebat ille ob sacerdotum penuriam : quum in oppidis finitimis parochus et ludi-magister tantum invenirentur. Hinc Perez supplicat, ut facultatem alteri ex ludi-magistris ad vicennium illud celebrandi diebus festis duplicem Missam sub auroram nempe in oppido, procedenti mane in sacello sylvæ indulgeret : Sed exoravit incassum : *Nicien.*, 27 *novem.* 1790.

§ XI.

Missa quoad numerum ex piis legatis adimplendum.

1. Card. de Asto Episcopus Anconæ hæres institutus cupiens pie disponentis comitis Joan. Francisci Mascioli voluntati obtemperare, in dubium venit super numero Missarum juxta ejusdem intentionem celebrandarum. Eum quippe constat bismille Missarum celebrationem demandasse simpliciter absque conditione, sed usque ad 7000 Missas disposuisse sub conditione tamen, si Eques Bartholomæus intestatus decessisset. Quum autem hic facto testamento decesserit, videntur non fore celebrandæ ultra bismille. Viceversa prædictus Bartholomæus Missas decem mille exprimit, ut celebrentur quinque scilicet mille juxta mentem Joan. Francisci, quod sane ingerit dubium, an id evenerit ex errore, seu non recta fraterni testamenti intelligentia, eo quod ad illud se referat, aut expressio numeri Missarum per modum novæ dispositionis sit recipienda? S. C. esse celebrandas in numero 10000 præter alias 200 demandatas a comite Joan. Francisco rem aperuit : *Anconitana, Celeb. Miss.*, 9 *april.* 1707.

2. Quum Altaristæ ecclesiæ S. Mariæ Castri Novi per lapsum annorum 180 vigore dispositionis Antonii Ventura dumtaxat unam Missam annuam cum cantu celebraverint, provocati fuerunt a rev. fabrica ad peragendum præter illam aliud sacrum quotidianum, uti habetur in testamento prædicti Antonii. Sed S. C. consulta non teneri resolvit. Nam tenuitas stipendii scut. 11, observantia vetustissima, ac tabellæ descriptio pro illis stabant : *Recineten.*, *Celeb. Miss.*, 7 *julii* 1708.

3. Etsi in tabella onerum legantur descriptæ duæ Missæ privatæ quotidianæ totidemque solemnes in singulos annos quoad exequutionem voluntatis Mariæ de Viguerad ducissæ de Aiguillon, S. C. testamento perpenso teneri Patres Missionis urbis ad quinque Missas quotidianas, et duo Anniversaria, et duodecim Missas annuas in festivitatibus Sanctorum Apostolorum, statuit : *Romana, Oner. Miss.*, 13 *april.* 1709, *dub.* 1 ; confirmata 6 *julii ejusd. anni.*

4. Et esse celebrandas Missas a singulis Patribus existentibus in domo Missionis tempore celebrationis anniversariorum, non autem a duodecim Patribus tantum, licet probetur tempore legati duodenarium dumtaxat numerum presbyterorum assignatum, et in domo fuisse : *Ibid. dub.* 2 ; confirmata *ibid.* [205].

5. Quoad legata Missarum explenda ab archiconfraternitate ecclesiæ S. Jacobi incurabilium Urbis in tabella anno 1678 legitur : *Pro Antonina Marquina ab anno* 1594 *Missam unam.* Deinde paucis aliis interjectis : *Pro Antonina Marchina ab anno.... Missam unam* anno omisso. Quæsità de eodem S. C., unam Missam esse celebrandam putavit : *Romana, Oner. Miss.*, 11 *maii* 1709, *dub.* 1.

6. Quum Joan. Dominicus Raynaldi canonicus Basilicæ S. Petri Urbis præcepisset erigendas tres capellanias esse in favorem inservientium sacrario ; capitulum ejusdem basilicæ postulat : quis numerus Missarum taxari debeat pro qualibet capellania, quia testator se expressit, celebrationem Missarum, *che comporterà l'annuo frutto di due mila Scudi di ciascuno.* Et S. C. respondit taxandas esse Missas ad rationem perpetuam juxta fructus more Urbis inspecto : *Romana, Cap., et Dot.*, 30 *april.* 1712, *dub.* 1.

7. Reliquit quamdam domum Rocchus Cincius Societati Conceptionis, et Corporis Christi in ecclesia SS. Laurentii, et Damasi erectæ, ut ex fructibus in perpetuum Missæ celebrentur, et societas numerum annuum Missarum 156, una cum solemni Missa constituit. Visitator Apostolicus futuris temporibus numerum 290 sacrorum præfinivit. Ab hoc confraternitas reclamavit exhibens observantiam annos 150 excedentem, quibus nunquam designatus numerus fuerat, ac domus prædicta pensionem annuam locationis scut. 36 reddit. Est animadvertendum, quod

[204] *In Thesaur. Resolut.*, tom. XXXVII, pag. 208. Adest impressum votum R. P. secretarii S. C. Concilii super hac causa de facultate nempe a nonnullis parochis petita bis in diebus festis celebrandi suadente necessitatis causa.

[205] Pro presbyteris dictæ Congregationis plurima congessit advocatus Dominicus Ursaya, dum defensionem hujus causæ suscepit, quod apparet *ex Discept. Eccl. III*, tom. 5, part. 1, *per tot.*

domus absque conductore remanere possit, ac exactorum utensilium inpensæ detrahi debeant. S. C. autem censuit, coadjuvandas esse probationes circa observantiam : *Romana, Oner. Miss.*, 9 *febr.* 1715. Deinde ut iterum coadjuventur probationes, et ut interim celebrentur Missæ ad manualem habita ratione fructuum, deducta expensa pro sacris utensilibus, jussit : 19 *junii* 1717.

8. De nonnullis legatis Missarum, quibus gravantur clerici regulares S. Mariæ Magdalenæ Urbis, S. C. judicavit esse continuandam celebrationem trium Missarum quolibet mense præter anniversarium vigore piæ dispositionis Deiphobi Balistrocchi, non autem esse augendum numerum Missarum; quum onus præfatum aperte ex testamento scateret : *Romana, Oner. Miss.*, 4 *maii* 1715, *dub.* 2.

9. Nec faciendus major est numerus Sacrorum ultra undecim pro quolibet mense, de illis quæ pro legato Marcello Rondanini sunt explendæ, desumpta ratione duorum juliorum pro quolibet sacrificio; licet testator celebrari tot Missas juxta reditus mandaverit. *Ibid. dub.* 3.

10. Nec celebrandæ sunt Missæ aliæ ultra 25, quolibet mense ex dispositione Odoardi Ceccarelli; quamvis conventio inita fuisset cum iisdem Patribus a testatore pro Missa quotidiana ; et e contra in suo testamento per modum expositionis facti 25 Missas tantum celebrandas esse asseruerat : *Ead. causa*, 1 *junii ejusd. anni, dub.* 4.

11. Card. Paulus Cœsius in basilica Liberiana capellanias quatuor instituit cum onere eidem ecclesiæ continuo inserviendi, ac binas Missas quotidie celebrandi. Iisdem inde capellaniis legata fuere a Card. Federico Cæsio 20 loca montium cum onere ut adsint perpetuo sex capellani, qui in divinis juxta normam traditam deserviant. Dubitatum hinc fuit ; an isti capellani teneantur duas, seu tres celebrare Missas quotidianas ? et teneri ad duas tantum Missas celebrandas responsum est : *Romana, Decl. oner. Miss.*, 12 *decem.* 1716.

12. Nobilis Matrona Eleonora de Pimantellis reliquit PP. Prædicatoribus SS. Xisti et Clementis, qui modo in conventu S. Clementis habitare ob aeris inclementiam consueverant, loca 60 Montis Sermonetæ hisce verbis : *Lascio Luoghi sessanta del medesimo Monte Sermoneta alli Padri Domenicani de Santi Sisto vecchio, e Clemente con obbligo in perpetuo di cantarmi nell'una, e nell'altra Chiesa una Messa di Requie la settimana.* Exinde orta est controversia; an unam, vel duas Missas celebrare teneantur? et teneri ad unicam Missam S. C. respondit : *Romana Leg.*, 23 *julii* 1718 ; confirmata 3 *sept. ejusd. anni.*

13. Philippus Cambioni quoddam fundavit beneficium. In primo testamento beneficiatum obligavit ad celebrationem Missæ quotidianæ, in posteriori ad onus Missarum quatuor hebdomadalium obstrinxit. Per consuetudinem vero una tantum quolibet mense Missa celebrata fuit. Reditus ejusdem summam scut. 40 excedunt. Hinc quæritur, quænam Missarum quantitas sit a rectore beneficii celebranda ? At novam informationem juxta instructionem[206] S. C. quæsivit : *Praten.*, 23 *aug.* 1727.

14. Joan. Baptista Martinuccius hærede universali monasterio, et Monialibus S. Elisabeth Amerinæ urbis statuto, voluit, ut intra trium mensium a die suæ mortis spatium in qualibet die celebrare curarent in earum Ecclesia centum Missas lectas de Requiem, et in ultima die Missam cum cantu. Duo argumentati sunt ex hac dispositione moniales voluisse testatorem vel celebrationem centum Missarum in termino trium mensium, vel centum Missarum quolibet mense spatio trium mensium, quam posteriorem opinionem parochi, et confessarii testimonio fulcitam S. C. approbavit; addendo quoad Missam cum cantu servetur testamentum : *Amerina*, 15 *martii* 1727, *dub.* 1.

15. Magdalena de Sbacchettis quidquid bonorum habebat, donavit piæ Pœnitentium mulierum domui. Eidem dedit libell. Imper. 1700 adjectis his verbis ; *cum onere celebrandi usque in perpetuum Missam unam parvam in ecclesia S. Valeriæ*, quæ eidem est annexa domui. Animo perplexo erant administratores, num in posterum censeatur unius Missæ quotidianæ, an vero unius Missæ tantum singulis annis celebrandæ ? Postea pro Missis annuis duodecim libell. 300 assignavit. Hinc facta est dubitatio super Missarum numero, et resoluta, ut Card. Archiepiscopus mandet celebrari etiam in posterum annuas Missas 85. Nam per centum, et amplius annos Sacra præfato numero fuerunt peracta, qui reditibus convenit : *Mediolanen.*, 14 *martii* 1738, *dub.* 1.

16. Franciscus Pardi in suo testamento designavit tribus scriptis hæredibus celebrationem die, quo ipse obibat *un Trentesimo per l'anima sua, e della sua moglie;* ac in codicillis postmodum duobus revocatis hæredibus, alios duos adjecit, in reliquis nihil mutavit. Tota hæreditas binis adjectis hæredibus, nempe sodalitiis, accrevit. Actum itaque est an duo hæredes adjecti tenerentur ad celebratio-

[206] Instructio fuit, ut exactior diligentia fieret in perscrutandis antiquis visitationibus, quæ poterunt reperiri a die fundationis beneficii usque in præsens, et recognoscendum, an aliquid resultet, quod ad causæ resolutionem inservire possit, et ad rem faciat : *Regist. Lit.*, lib. 27, *die* 23 *aug.* 1727.

nem 30 Missarum tantum uti consueverant? et S. C. singulis annis celebrandas esse 30 Missas non 15, pro singulo sancivit, addendo, Trigesimum Missarum videri particulariter : *Lucana, Celebrat. Miss.*, 7 *julii* 1736, *dub.* 1. Deinde hæredes teneri ad implementum oneris aliarum 30 Missarum quolibet anno præter præfatas, censuit : 28 *januar.* 1747.

17. Missas duarum capellaniarum quas instituerat Joannes Severoli, celebrandas esse S. C. præscripsit juxta numerum ab exequutore primo loco demandatum. Nam Episcopus decreverat celebrandum majorem numerum, quum reditus amplificati essent. Ast testator prohibuerat Episcopum manus apponere, et executor facultate a testatore numerum præfiniendi tributa pollebat : *Forolivien.*, *Capell.*, 2 *sept.* 1747.

18. Joan. Jacobus Leonardus Comes Montis Abbatum testamento hæredibus mandavit, ut in oratorio prope suam domum omnibus diebus festis, et duobus etiam diebus intra hebdomadam, hoc est, die Sanctissimæ Annuntiationis et die sabbati, Missæ celebrarentur. Petit modo hæres sibi declarari, utrum unius, vel duarum Missarum esse locus debeat, si die sabbati, vel alio Sanctissimæ Annuntiationis festum aliquod de præcepto recurrat? et unius tantum Missæ celebrationi locum esse S. C. determinavit : *Pisauren.*, 11 *aug.* 1753.

19. Antonius Lopez dotem assignavit in binis censibus reditus scut. 33, 50 pro celebratione tot Missarum, quot juxta rationem eleemosynæ regalium quatuor cum dimidio celebrari potuissent. Maria Rodriquez Antonii uxor capellaniæ dotem adauxit, ut hujusmodi quoque reditus erogarentur in Missarum celebrationem juxta eleemosynam pariter regalium quatuor cum dimidio a viro præfinitam. Labente tempore incolarum Gadicentium multiplicato numero accessionem quoque fecerunt domorum pensiones. Sacerdos Vargas capellanus, nullum aliud a se Missarum onus subeundum dicit, quam Missam quotidianam, rogatque propterea sibi numerum præfiniri. Tot celebrandas esse Missas, quot fructus ad rationem regalium quatuor cum dimidio pro qualibet Missa sustinent, S. C. consultum fuit : *Gadicen.*, *Miss.*, 12 *junii* 1773.

20. Horatius Silvesco hæredibus suis legatum Missæ quotidianæ reliquit. Nuper vero Comes Horatius Amadeus Volperga filio hæredi jussit, ut impleret legatum a Silvesco relictum juxta tamen Missarum numerum, et quantitatem ab Archiepiscopo declarandam. Nulla nunc reperitur determinata Missarum quantitas, et S. C. judicio hoc permittit, ut declaretur Missarum numerus? S. C. ad Missæ quotidianæ onus teneri aperte posuit : *Taurinen.*, 17 *aug.* 1776.

21. Capellaniis institutis ab Andrea et Thoma fratribus germanis Coccelli in ecclesia S. Mariæ Longobardorum et in ecclesia S. Petri in Vinculis præter dotem constitutam alia bona accesserunt. Item onus Missarum quæ juxta reditus bonorum sunt celebrandæ, ex piis benefactoribus impositum, additum est. Hodiernus patronus Philippus Maria de Licteriis exponit perdifficile fructuum ex bonis recollectorum quotannis retinere computum, ac eorum separationem, ac propterea petiit, ut certus sibi præfiniatur Missarum numerus. S. C. censuit scribendum Episcopo pro informatione status relative ad unumquodque legatum, qui etiam referret de fructibus bonorum unicuique ex dictis legatis assignatorum, facto calculo per decennium : *Caputaquen.*, 17 *aug.* 1776. Deinde necdum resoluta causa fuit et mandatum est ut Episcopo scribatur juxta mentem [207] 15 *martii* 1777. Demum prodiit declaratio, Missas esse celebrandas ad rationem unius tareni pro qualibet juxta reditus, deductis expensis, et utensilibus, et ad mentem [208] : 7 *junii ejusdem anni.*

22. Interpretatio facilis non est; an Missarum numerus quoad tempus præteritum metiri debeat juxta reditus pistrini, et prati pro Missarum celebratione a defendente Brusati assignati dumtaxat, seu juxta reditus aliorum etiam bonorum testatoris Mosinii positorum? rescriptum est, quoad præteritum in omnibus ad secretarium cum Sanctissimo, quoad futurum ad secretarium cum Sanctissimo pro observatione contractus initi annis 1750, 1751 [209] et orator acquiescat : *Novarien.*, 7 *aug.* 1779, *dub.* 4.

23. Domum assignatam pro capellania Compagnoni, pro qua Sacra juxta bonorum reditus celebranda sunt, quum alienare patres excalceati ordinis S. Augustini vellent, exorarunt iidem ut Missarum numerus præscriberetur : et rescriptum est, ad mentem [210] : *Maceraten.*, *Benep.*, 26 *aug.* 1780.

[207] « Quæ fuit, ut denuo scriberetur Episcopo, qui referret, quæ, et quanta sit Missarum eleemosyna manualis, juxta morem regionis, necnon quæ, et quantæ sint expensæ pro manutentione capellarum, pro utensilibus, et pro sumptu, et pro cultura bonorum ad capellas pertinentium » *Ead. causa*, 10 *maii* 1777.

[208] « Et mens est, ut scribatur Episcopo, quod in expensis non comprehendatur accensio lampadis, et festivitatum, et unicuique legato per ipsum assignentur, et successive detrahantur expensæ necessariæ, et demum ut hæredes particulariter supplicent pro aliqua diminutione, durante familiæ numero, et paupertate. » *Ead. causa*, 7 *junii* 1777.

[209] Vide not. 37, verb. *Fructus*, § III.

[210] Vide not. 735, verb. *Contractus*, § V.

24. Brunorus de Brunoriis ex oppido Corinalti ex fructibus prædii voluit tot Missas celebrari, quot essent ejusdem prædii reditus pro animæ suæ expiatione in altari Sanctissimi Crucifixi ecclesiæ monasterii S. Annæ. Idem monasterium, cui difficile est retinere fructuum exactissimam computationem, ac expensarum, instat, ut certus præstituatur Missarum numerus ad consulendum indemnitati, conscientiæque sanctimonialium. S. C. celebrationem Missarum 228 absque ulla detractione utensilium statuit: *Senogallien., Oner. Miss.*, 22 *decem.* 1781.

25. Joan. Jacobus Armentici extructa ecclesia rurali *del Poggio* nuncupata præcepit ibi celebrationem 20 Missarum. Insuper Maria Armentici vidua Hieronymi Antici in suo testamento expressit onus suis hæredibus celebrationis duarum festivitatum in dicta Ecclesia, et numerum Missarum, quem sufficientem esse ipsi autumarent, et in quo numero comprehendi etiam illas mandavit, quibus ipsa gravabatur. Consulta S. C. de numero Sacrorum, juxta votum Episcopi[211] in omnibus edidit decretum: *Anconitana, Red.*, 13 *julii* 1782, *dub.* 1; confirmata *juxta modum*[212] 5 *april.* 1783.

26. Franciscus Compagnoni anno 1684 plurima bona conventui Patrum Excalceatorum reliquit, ut tot Sacra celebraret cum eleemosyna duorum juliorum pro quolibet, vetuitque petere, vel tentare reductionem. Anno 1773 quidam Victorius Marcucci omnia ejus bona donavit iisdem patribus cum onere celebrandi tot Sacra, prædicta eleemosyna statuta, quæ fructibus eorum responderent. Episcopo Missas pro primo 395, pro altero 420 celebrari posse putante, S. C. conscientiæ patrum, et tranquillitati consulens, juxta Episcopi votum dedit responsum: *Maceraten.*, 4 *febr.* 1786, *dub.* 1 et 2.

27. Census in sorte scut. 100 constitutus primum fuit, sed 50 tantum adinventa scuta fuerunt, et nunquam præ debitoris inopia exsoluti sunt illius fructus. Hæc scut. 50 erogata fuerunt in latifundium. Re perpensa postquam decisum extitit celebrationi locum esse a die facti investimenti, decisum etiam fuit quod Missæ celebrari deberent in annuis decem: *Æsina, Legati*, 25 *april.* 1789, *dub.* 2.

28. Nova ecclesia sive publico oratorio constructo in villa Brignolæ cum deputatione capellani, qui diebus festis Missam ibidem celebret, ut ex S. C. oraculo statutum fuerat, ejus incolæ plures Missas in eadem ecclesia celebrari curarunt. At in visitatione Episcopus, decretum edidit, quo unica tantum Missa permittebatur, sub pœna suspensionis secundam celebranti, excepta Sancti titularis festivitate, ac Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, quoad tres Missas, ac excepto casu senilis ætatis, vel adversæ valetudinis. Reclamarunt incolæ quod satis animarum curæ consultum unica Missa non esset, et S. C. adierunt, quæ decretum præfactum non esse firmum decidit: *Derthonen., Erect. Eccl.*, 8 *aug.* 1789, *dub.* 1.

29. Reduxit S. C. ob tenuitatem redituum Missas capellaniæ institutæ a Hieronymo Fronduti cum onere Sacri hebdomadalis, et festis de præcepto in ecclesia B. Virginis *del ponte*, ad manualem anno 1706, hac conditione, ut, *si quando augeantur reditus, augeatur quoque proportionabiliter numerus ipsarum Missarum.* Hinc quum reditus crevissent, et augeri numerus deberet capellanus, ne id fiat exorat. S. C. tamen exequi prædictum rescriptum juxta votum Episcopi[213] respondit: *Eugubina*, 27 *aug.* 1791.

30. Legatum ab Anna Travaglini hæredi Zacchejo impositum *di una Messa quotidiana perpetua, che le si possa celebrare nell' Oratorio di casa*, adjectaque eidem hæredi lege, ut sacerdos Augustinus Vannucci arcarius ejus quæstor, atque unus ex testamentariis executoribus, *vita sua naturale durante stia in casa colla tavola, e Messa quotidiana*, declaratur importare unicam Missam quotidianam tantum: *Spoletana, Leg.*, 16 *junii* 1792, *dub.* 1.

31. Marinus, et Nicolaus Hyacinthus Lenti hærede instituto Ignatio Natali onus Missarum hebdomadalium octo ordinarunt cum facultate variandi superstiti tributa. Hac utens superstes Nicolaus quoad ratam partem fratris Marini solvendam parochis Aquæ vivæ legatariis testamenti, reduxit legata pro medietate, et legatarios sui codicilli alterius medietatis oneribus seu Missis gravavit. Hinc Joseph Na-

[211] Inquit Card. Episcopus, majorem Missarum celebrationem illa viginti Missarum a Jacobo demandata suadere pastorales visitationes, depositionem administri capituli cathedralis ecclesiæ, necnon tabellam, in qua leguntur Missarum onera dictæ ruralis ecclesiæ, nimirum Missarum duodecim pro illius erectione, aliarumque viginti juxta dispositionem Jacobi Armentici, ac demum duorum officiorum Missarum quatuor pro quolibet celebrandarum, scilicet quoad unum in die festo Nativitatis B. M. V. et quoad alterum in die festo S. Antonii Patavini: *die* 13 *julii* 1782, § *Præterea.*

[212] Nempe pro Missis viginti legati Jacobi Armentici et pro aliis octo legati Mariæ Armentici, et quoad reliquas Missas inscribatur vicario capitulari pro informatione, transmissis particulis præcedentium Visitationum, et tabellis, et perquisitis actis cancellariæ: *die* 5 *april.* 1783.

[213] Qui ait « Meo quidem judicio dignus est, ut in expositis precibus exaudiatur, injuncta reductarum Missarum 85 celebratione omnino adimplenda » et cum conditione in posterum, aucto reditu, numerum Missarum augendi: *Ead. causa*, 6 *aug.* 1791, § 2.

tali petiit declarari; an, et quot Missæ ei incumbant? S. C. respondit affirmative pro quatuor Missis hebdomadalium: *Ripana, Oner. Miss.*, 9 *julii* 1796, *dub.* 1; confirmata 21 *januar.* 1797.

32. Parochus ecclesiæ S. Hippolyti Castri Fogliani terræ Casciæ gravatus plurimis oneribus Missarum cum tenui reditu, dum supplicat pro Missarum reductione, et obtinet ad manualem petit etiam; an, et in quo numero sint statuendæ Missæ celebrandæ pro quolibet legato, ut liberetur a gravi onere adnotandi prædiorum fructus legatorum? S. C. affirmative in numero ab Episcopo pro singulis legatis præfiniendo, habita ratione decennalis calculi tam redituum, quam Missarum celebratarum pro quolibet legato, et describatur in tabella respondit: *Spoletana, Red. Miss.*, 24 *martii* 1798, *dub.* 2.

Missa parochialis. Vide *Archipresbyter*, § VI; *Capellanus curatus*, § III; *Dignitates ecclesiasticæ*, § IV; *Parochus*, § V; *Præpositus*, § IV; *Vicarius Curatus*, § V.

§ XII.

Missa quoad reductionem.

1. Quoad reductionem Missarum occasione relicti pii, de quo agitur, celebrandarum, tribuitur eidem Episcopo facultas in proxima diœcesana Synodo id statuendi, quod magis ad Dei honorem, et cultum, et ecclesiæ suæ utilitatem viderit expedire: *Polinianen.*, 13 *julii* 1630.

2. Quando agitur de Missarum reductione exprimendum est an diminutio redituum sit perpetua, et ex qua causa: *Novarien.*, 14 *januar.* 1645.

3. Decretum a S. C. emanavit: Si Sanctissimus Dominus Noster annuet concedendam esse regularibus reductionem perpetuorum onerum in præteritum pro Missis celebrandis ad rationem scut. 40 monetæ Romanæ pro qualibet Missa quotidiana perpetua, in futurum autem esse adamussim observanda decreta *de celeb. Miss.* edita in Const. *Nuper* Innoc. XII, *Regularium mendic.* 3 *febr.* 1646, deinde facta relatione Sanctissimo, Sanctitas Sua id approbavit; 27 *ejusd. mensis et anni.*

4. Inde quæsivit alius Episcopus, an facultas eidem impertiri possit, ut ob beneficiorum fructus ex agris, domibus, censibusque exiguos tempore variationum, possit ex reditibus iisdem ad denarium, sive julium in singulas Missas numerum Missarum minuere? censuit S. C. singula onera, titulos, et reditus attributos explicanda esse; *Maceraten.*, *Visit. sacr. Limin.* 26 *april.* 1664, *dub.* 41.

5. Quoad legata Missarum, quæ ordinaverat Antonius Sparapani censuit S. C. ad petitionem hæredis, qui reductionem postulabat, inspecta diminutione redituum primi legati reductionem esse concedendam: *Camerinen., Red. Miss.*, 24 *julii* 1677, *dub.* 1.

6. Nec est indulgendum ex primo legato, ut suppleatur ex rata parte alterius legati juxta votum Card. Episcopi: *Ibid.*, *dub.* 2.

7. Episcopo interrogante S. C. respondit, quoad Missarum reductionem, partes Episcopi esse debere, eos, ad quos spectat, monere, ut in singulis casibus sive onera ex legatis, sive ex contractibus aut aliunde proveniant, ad S. C. expressius opportunius circumstantiis recurrant: *Nicien.*, *ad Visit. sacr. Limin.* 6 *aug.* 1677, *dub.* 1.

8. Quum de quodam legato Missarum relicto a Carolo Luparino minime teneri ad supplementum hæredes in casu diminutionis fructuum esset statutum, quod regentes scholæ Sanctissimi Rosarii legatum susceperant. Iidem modo institerunt pro competenti oneris reductione, et S. C. eos minime audivit: *Brixient.*, *Red. Miss.*, 1 *decem.* 1685, *dub.* 2.

9. Capellania, quæ reditus scut. 30 annuos habet, gravatur onere quotidiano Missarum, excepto die Veneris. Fundator diebus lunæ, et Mercurii expressit applicationem præcipiendo celebrationem Missæ defunctorum pro ejus anima. Et S. C. dum ceteris diebus applicationem jussit, locum esse reductioni arbitrio Card. Episcopi mandavit: *Collen.*, *Appl. Sacrif.*, 22 *junii* 1686, *dub.* 1.

10. Quum quæsitum esset quoad legatum Missarum Tiburtii Massa relictum Societati Resurrectionis, et Suffragii di Morro, an, et ad quam rationem reducendum sit præfatum onus? definitio remittitur ad Card. præfectum pro reductione quatenus de jure. Nam dicta Societas legatum recusavit, nec alius pius locus, qui recipere vellet, inveniri potuit: *Firmana*, *Red. Miss.*, 24 *aug.* 1686, *dub.* 2.

11. Ob unionem cujusdam capellaniæ ecclesiæ, seu conventui S. Dominici peractam Patres libell. 410 acceperunt, ut fundum immobilem emerent ac Sacra constituta facerent. Modo cupiunt habere reductionem earumdem Missarum juxta convenientem hodierni annui reditus dicti fundi lib. 410 seu scut. 82 quantitatem: et non esse locum S. C. respondit, immo ut Ordinarius eos cogat ad celebrationem jussit: *Bononien.*, *Un. et Red. Miss.*, 1 *martii* 1687, *dub.* 2.

12. Efflagitata S. C. est pro reductione Missarum legati Marci Antonii Bassi, quum eleemosyna hodie prorsus reddita insufficiens esset. S. C. deleto anniversario necnon dempto prius uno obolo pro utensilibus pro qualibet Missa, præfatum onus Missarum juxta eleemosynam manualem secundum rationem redituum quantitatem more regionis inspecto reduxit ita tamen si amplificentur reditus,

etiam Missarum numerus, quod in actu visitationis præsertim inspicere Ordinario pro tempore curæ esse debebit: *Vicentina*, 18 *sept.* 1688, *dub.* 2.

13. Quoad capellaniam fundatam a Rosato de Eleonoris habentem onus celebrandi, ac scholam detinendi, docendique doctrinam christianam sicuti reditus notabiliter sint diminuti, Missæ reductæ fuerunt juxta respondentem redituum quantitatem ad rationem manualis eleemosynæ: *Reatina*, 17 *decem.* 1689.

14. Instante Prothasio Constantini canonicatus possessore pro reductione Missarum cum exemptione a chori servitio, benigne commisit visitatori Card. Episcopi Sabinensis, ut veris existentibus narratis, et vocatis, si qui fuerint vocandi deleto servitio chori præfatum onus Missarum servata proportione extantium redituum quantitatis ad rationem eleemosynæ manualis inspecto regionis more pro suo arbitrio et conscientia gratis moderetur, atque reducat. Ita tamen ut orator cum præfato reditu Missarum conventualem per se ipsum, vel per alium per vices celebrare reditus major fieri quoque debeat numerus ipse Missarum, quod in actu præsertim visitationis inspicere curæ esse debebit Ordinario pro tempore: *Sabinen.*, 6 *aug.* 1695.

15. Gaspar de Amantibus rector capellaniæ sub titulo sanctissimæ Annunciatæ cum onere trium Missarum qualibet hebdomada considerata redituum tenuitate in scutis 8 consistentium precatur pro reductione. Sed assequi quod postulabat, non valuit, quia orator agere debet contra hæredes pro supplemento: *Urbinaten.*, 12 *januar.* 1697.

16. Erectis capellaniis ad formam testamenti Pauli Carcani sacerdos Tholomæus Pila de harum altera provisus supplicavit S. C. pro Missarum reductione ad ratam partem fructuum quod reditus bonorum assignatorum detracto canone scut. 25 vix sufficiunt pro implemento Missarum. S. C. indulsit reductionem ad ratam portionem fructuum assignatorum; nec non hæredes supplere teneri resolvit: *Comen.*, *Red. Miss.*, 26 *april.* 1698.

17. Attributa fuit ab Isabella Columna principissa Sulmonæ summa ducat. 150 cum onere Missarum duarum in singulis diebus. Legavitque Pompeius de Lanoya filius aliam summam pro distribuendis subsidiis dotalibus. Feuda ad regiam cameram devolverunt ob familiæ extinctionem, et assignati sunt reditus fiscales, qui talem passi sunt diminutionem ut redacti sint ad ducat. 250 tantum. Hæredes appellarunt S. C. ut benigno auxilio reductionis refoveat, quam assequi meruerunt, ita tamen, ut prius detrahenda veniat summa annua ducat. 150 pro Missis ordinatis a principissa Isabella: *Neapolitana, Sub. dot.*, 26 *april.* 1698, *dub.* 1.

13. Ex demandata a Lazzarinio de Lazzarinis celebratione 80 Missarum in perpetuum modo nullus sacerdos reperitur, qui illam celebrationem velit implere, quum bonorum fructus ad annua scut. 3 tantum ascenderent. Petitur proinde reductio, et S. C. rescripsit Episcopo pro meliori informatione circa valorem bonorum, illorumque fructuum quantitatem eleemosynæ de tempore mortis testatoris, et observantiam: *Lunen. Sarzanen.*, *Red. Miss.*, 6 *febr.* 1700.

19. Relictum a marchionissa Martia Paluzzia legatum scut. 1000 sub onere perpetuæ Missæ, ab executoribus, quibus testatrix arbitrium investiendi in locis montium, vel in censibus reliquerat, fuit impensum in tot montium locis, qui extractionem inde passi sunt: idcirco reditibus imminutis reductio Missarum expedita est, sed non concessa: *Romana, Red. Miss.*, 18 *junii* 1701.

20. Quum summa scut. 250 relicta a Fiordalisa Leoparda, tum ab equite Horatio nepote Altaristis ecclesiæ S. M. Montis Morelli collocata in censibus fuisset, ex reditu scut. 8 modo scut. 5 tantum fructus ex quolibet centenario habetur. Hac de causa dicti Altaristæ reductionem Missarum ad eleemosynam manualem sub die 2 junii 1696 obtinuerunt. Sed recurrentibus Paulo, et aliis de Leopardis eamdem reductionem impugnantibus, S. C. recessit a decisis, reductionem infirmando. Nam aliorum beneficiorum intuitu onus licet grave illi susceperant: *Recineten.*, *Red. Miss.*, 9 *julii* 1701.

21. Proposito dubio, an sit locus reductioni Missarum, si non inveniatur sacerdos, qui Missam quotidianam celebrare pro annua eleemosyna lib. 300 a testatore præscripta velit? rescribitur, ut daretur resolutio eveniente casu: *Mediolanen.*, *Red. Miss.*, 30 *sept.* 1702, *dub.* 2.

22. Reductio Missarum a S. C. Concilii usque de anno 1639 concessa patribus Minoribus de Observantia S. Didaci Neapolis non comprehendit etiam onus injunctum ex contractu a quodam Paulo Ruggerio: *Neapolitana, Red. Miss.*, 27 *januar.* 1703, *dub.* 1.

23. Nec locus sit novæ concessioni, seu reductioni ex gratia: *Ibid.*, *dub.* 2.

24. Facta fuit seminario unio quorumdam bonorum lib. 50,000 cum suis oneribus tum Missæ quotidianæ, tum dotium distributionis in scut. 125, tum olei præstatione, quæ Nicolaus Maffioli reliquit. Inde ex facto principis reditus dictæ summæ ita imminutus est ut modo vix ad lib. 1200 ascendat: qua de causa integre cuncta onera impleri nequeunt. Postulatur proinde inter cetera Missarum reductio, sed S. C. *nihil* de reductione, rescripsit: *Novarien.*, *Red. oner.*, 28 *julii* 1703. Postmodum confirmavit decretum, ac addidit in reliquis ad mentem: 15 *martii* 1704.

25. Collegium clericorum regularium Theatinorum S. Antonii hæres institutus est ab Alexandro Brunello, cum onere summæ libellarum quotannis persolvendæ conventui S. Mariæ de Paradiso tertii ordinis S. Francisci pro celebratione Missarum, et precum. Sed quum dictum collegium nihil prorsus ex pecuniis perceptis causa litium onerumque habeat, prætermisit per annos 29 Missarum celebrationem de quibus vero condonationem reportavit ea cum clausula, dummodo persolveret per septennium in propria ecclesia, non retardato interim implemento, et quoad satisfactionem in futurum audirentur Patres tertii Ordinis. Existimantes autem PP. Theatini adhuc nimis se gravatos solliciti sunt de reductione Missarum ad rationem eleemosynæ manualis, celebrandarum pariter intra spatium 7 annorum. S. C. annuit, et Patres teneri durante septennio qualibet feria sexta recitare litanias psalmum *Miserere*, et orationem *Deus conditor* in fine Officii statuit : *Mediolanen.*, *Miss.*, 17 *novem.* 1703.

26. Maria Felix Paretta de Sabellis patribus doctrinæ christianæ terræ Ariciæ donavit vineam cum onere Missarum quatuor singulis hebdomadis, adjecta conditione, ut eisdem PP. in dicta celebratione deficientibus eadem vinea ad ipsam donatricem, ac suos libere reverteretur. Causa vineæ sterilitatis ad duas hebdomadales Missas reductionem petierunt, sed effectum petitionis haud assequuti sunt : 5 *april* 1704, confirmata *in Albanen.*, *Red. Miss.*, 27 *martii* 1706.

27. Comitissa Aurelia de Guiderocchis instituendas reliquit septem capellanias tum in ecclesia S. Mariæ Pietatis, tum S. Pauli Castri Montis S. Pauli, tum in ecclesia B. M. Charitatis Asculi, pro quarum dote sua bona assignavit. Episcopus in limine erectionis Missarum reductionem peregit. De hujus inde dubitatur validitate, et non sustineri in casu, de quo agitur, resolvitur : *Aprutina*, *Cap.*, 29 *novem.* 1704, *dub.* 1.

28, Neque est ea confirmanda, seu de novo concedenda, quum ad supplendam summam deficientem hæredes teneantur : *Ibid. dub.* 2.

29. Neque est locus novæ reductioni Missarum quoad capellaniam ex dictis, quam possidet Micarellus, sed sunt cogendi hæredes ad supplementum, et quoad præteritum providebitur. *Ibid.*, *dub.* 3. Inde instantibus hæredibus S. C. censuit recedendum a decisis, ac reductionem dictarum capellaniarum ad manualem impertiendam : 2 *maii* 1705.

30. Quum annuus reditus ducatorum 70, a Lucretia Positana relictus cum onere Missæ quotidianæ ob injuriam temporum modo adeo esset imminutus, ut vix annuos ducatos 12, excedat, hinc Patres monasterii S. Agrippini Majoris Neapolis ordinis S. Basilii, qui onus per instrumentum acceperunt, implorant reductionem Missarum, quam S. C. ad manualem in casu de quo agitur indulsit : *Neapolitana*, *Red. Miss.*, 29 *novem.* 1704.

31. Quædam in civitate Montucæ adest sodalitas, cujus confratres, et consorores quamdam quolibet anno tradunt eleemosynam, ut centum pro eorum decedentium anima sacra celebrarentur. Ex ingenti terræmotu, et a peste immaniter urbem grassante ruinam magna ex parte passa fuit domus censualis, et fratres sororesque plurimæ obierunt, ita ut Missæ 76,975, celebrandæ erant. Infortunium hoc causa fuit, ut peteretur, et harum Missarum absolutio, et illarum, quæ eveniente mortis confratrum, sororumque casu in dicto numero centum singulatim celebrari deberent. S. C. prævia absolutione postulata quoad futurum ad mentem respondit : *Syracusana*, 7 *febr.* 1705.

32. Quum ex legato Missarum relicto a canonico Jacobo Ferratino deperditi essent census, ac eorum reditus imminuti, hinc S. C. *die* 17 *novem.* 1703 [214] censuit quoad legatum prædictum ad manualem concedere reductionem Missarum, renovatis diligentiis pro recuperando censu amisso termino trium annorum ad sacrificia prætermissa peragenda præscripto. Iterum causa producta instante Jacobo Latino Petrignano hærede mediato, S. C. stetit in decisis, renovatis diligentiis juxta indicationem faciendam a Petrignano : *Amerina*, *Leg.*, 27 *junii* 1705.

33. Marius Bovius monasterio S. Claræ donavit annua scut. 50, ut ex scut. 36, celebraretur Missa quotidiana, reliqua in commodum sacrarii cederent. Monasterium onus suscepit, seb ob locorum montium reductiones, reducti sunt etiam reditus ab annua scut. 27, 25. Idcirco exorat reductionem Missarum ad rationem eleemosynæ manualis, dempta rata parte accommodata pro ustensilibus. At bis diebus 27 *junii* et 8 *aug.* S. C. postulatis non satisfecit. Postmodum in folio relata instantia protelata fuit : *Romana*, *Red. Miss.*, 28 *novem.* 1705.

34. Quum hæres testatoris canonici Joan. Petri Braga devenisset ad demandatum investimentum summæ relictæ lib. 9000, comperiit eorum fructus minime sufficientes esse oneri Missæ quotidianæ ferendo : proinde ejusdem oneris reductioni inservit. S. C. respondit hæredem non teneri ad supplementum, et simul jussit, ut doceat de investimento infra tres menses in S. C. : *Mediolanen.*, *Red. Miss.*, 21 *aug.* 1706.

35. Reductio Missarum arbitrio Card. Ordinarii

[214] Per summaria precum.

impertita fuit inspecta imminutione redituum cujudam beneficii, quod reliquit pia mulier Demetria de Vannis in ecclesia S. Mariæ Angelorum oppidi S. Victoriæ nullo expresso onere, sed scriptum in nonnullis antiquis institutionibus, ac in quadam Visitatione sacra anni 1624 : *Firmana, Oner. Miss.*, 10 *julii* 1706, *dub.* 2.

36. Seminarium civitatis Nicoteræ gravatur Missarum 1653, annuo onere, quod ex quadam unione redituum provenit. Quum magnopere fructus essent imminuti, quod ex relatione Episcopi ac ex particula antiqui codicis constat, via sternitur ad reductionem exposcendam : sed responsio S. C. remisit ad Card. præfectum : *Nicoteren.*, *Red. Mis.*, 18 *decem.* 1706.

37. Gabriel marchionius hæredes gravavit onere eligendi duos sacerdotes, qui celebrare tenerentur Missam quotidianam assignata dote, ac fundo in ecclesia parochiali S. Petri Burgi ad Bovianum. Post ejusdem mortem sequuta fuit capellaniæ fundatio, ac investimentum, cujus fructus die procedente magnam passi sunt diminutionem ; qua de causa rectores capellaniæ reductione indiguerunt : sed non sunt assequuti per S. C., quæ, ut Ordinarius cogat hæredes ad supplementum, jussit : *Nullius*, *Piscien.*, *Red. Miss.*, 9 *april.* 1707.

38. Pompeius de Amora legavit capellæ Sanctissimi Rosarii in ecclesia matrici summam 2685 ducatorum in tot censibus cum onere Missarum quatuor quotidianarum. Hoc onus ratione redituum tenuitatis arbitrio Episcopi anno 1635, reductum fuit. Cum hac reductione pia dispositio usque ad annum 1695, expleta fuit, quo tempore dubium venit, an sustineatur dicta reductio subreptitiæ facta? S. C. *die* 28 *maii* 1695, non sustineri resolvit. Nihilominus quum reditus essent impares ad onus sustinendum, examinatum est an, et quomodo sit locus petitæ reductioni, et respective condonationi Misrum non celebraratum : rescribitur, reductis omnibus in pristinum ad formam testamenti providebitur : *Nucerina Paganorum*, *Red. Miss.*, 27 *april.* 1709. Inde censuit quoad futurum moderatis, ac reductis oneribus, vel deletis arbitrio, et conscientia Episcopi ex reditibus tot Missæ, ad manualem celebrentur : 16 *martii* 1715.

39. Dominicus Brunaccius hæredibus mandatum commisit fundationis, ac erectionis jurispatronatus, ac capellæ intra Neocastri Episcopium cum dote ducat 300 ac onere hebdomadalium Missarum trium. Statim hæredes exploratum habuerunt, dictam summam pro capellæ constructione satis non esse reductioni studuerunt ; et S. C. protendit responsum, et interim non retardetur celebratio Missarum ad formam testamenti in aliqua capella cathedralis : *Neocastren.*, *Cap.*, 1 *junii* 1709, *dub.* 2.

40. Donata fuit ad manualem Missarum reductio Carolo Petro Cardoni rectori capellaniæ a Jacobo Pastorello in ecclesia S. Valentini castri Lacus fundatæ, deleto onere residentiæ, sed firma permanente celebrandi sub auroram obligatione. Ille apud S. C. immunitionem, difficultatem cogendæ solutionis redituum ac plurimorum censuum jacturam exposuerat : *Spoletana.*, *Applic.*, *seu Red. Miss.*, 1 *januar.* 1710, *dub.* 2.

41. Obtenta a societate Sanctissimæ Mariæ Lauretanæ Urbis, quoad decem capellanias relictas a Vincentio Justiniano ex defectu locorum montium quorumdam baronalium, reductio est ; nempe ut in futurum tot Missæ celebrarentur, quot ad rationem duorum juliorum pro qualibet celebrari possint. Sed hujus causa ortum est dubium, an reductio ad juliorum duorum pro qualibet Missa pro quocumque tempore post reductionem sustineretur : et quatenus affirmative.

42. An valuerit, et valebit retineri ad commodum ecclesiæ reliqua pars eleemosynæ pro Missis assignatæ soluta tantum manuali capellanis celebrantibus ; vel potius debeat integra eleemosyna assignata præfatis capellanis solvi? S. C. patefecit pro præterito non esse molestandos, et in futurum celebrari debere Missas ad rationem manualis eleemosynæ : *Romana*, *Eleemos. Miss.*, 8 *febr.* 1710, *dub.* 1 et 2.

43. Ab Emmanuele Malheiro, et Isabella Fernandez conjugibus institutus est quidem majoratus cum onere Missarum ; postmodum Emmanuel alium fundavit, ac deputationem capellani demandavit. Modo quum nullus reperiatur sacerdos, qui cum eleemosyna assignata in testamento, et consueta, velit celebrare, administrator majoratuum et capellaniarum urget occasionem de reductione : sed teneri majoratum ad supplementum S. C. respondit : *Ulyssiponen.*, *Red. Miss.*, 8 *febr.* 1710.

44. Canonici collegiatæ ecclesiæ terræ Hyspelli onus quotidianum Missarum impositum a Legante Poleandro Permatthæo non obstante stipendii tenuitate expleverunt usque ad annum 1690. At postmodum ob sterilitatem prædiorum aliasque temporum injurias cessarunt. Modo merere putant reductionem non excedente bonorum fructu annua scut. 3. Sed abnuit S. C. *die* 7 *julii* 1708[215], inde decretum confirmavit : *Spoletana*, *Red. Miss.*, 11 *januar.* 1710, *dub.* 1. Deinde rescripsit, ut coadjuventur probationes super statu hæreditario, non retardata interim celebratione, auditis substitutis : 7 *febr.* 1711. Denique censuit recedendum a decisis, et

[215] Per Summaria precum.

concedendam reductionem ad manualem juxta redituum quantitatem : 13 *junii ejusd. anni.*

45. Ob jacturam in reditibus hæreditatis Joan. Baptistæ Stacconio, qui erigendas mandavit quinque capellanias, postulatum fuit vel reductionem capellaniarum numeri, vel Missarum oneris : et S. C. respondit, esse reducendum numerum Missarum ad manualem firmis remanentibus quinque capellaniis in ecclesiis designatis : *Romana, Capel.,* 10 *maii* 1710.

46. Onus Missarum, quod legitur in commentariis conventus PP. Carmelitarum civitatis Astæ, ponitur impletum fuisse usque ad annum 1661, a quo tempore fuit prætermissum sub erroneo argumento pecuniam relictam fuisse in fabricam ecclesiæ erogatam, quando revera ex aliis documentis apparet fuisse investitam in bonis stabilibus. Ideo discusso dubio de existentia oneris, postulatur reductio, et impertita est a S. C. juxta indultum apostolicum Alex. VII, Pont. Max., ac 20 julii 1661 generalis reductionis a religione obtentæ, dummodo alias vero usi non fuerint, et pro præterito in numero Episcopo beneviso : *Asten., Oner. et appl. Miss.,* 29 *maii* 1710.

47. Pro capellania ab hærede erigenda ac ab Anna Zaccona ordinata in ecclesia parochiali Salvatoris de Curte Urbis cum onere Missæ quotidianæ, item hæres cum Dominico Mauri rectore dictæ ecclesiæ, convenit, qui assignatis ab hærede scut. 1000 erogandis in reparandas quasdam domunculas ecclesiæ, onus Missæ quotidianæ in se una cum successoribus suis assumpsit. Dictas domunculas inde sub hasta positas vendidit Julius Grimantes creditor ex pretio calcis, et modernus rector cum sorte censuum scut. 300 ejusdem ecclesiæ eas redemit. Inde sibi poposcit idem rector reductionem Missarum, et minime fuit auditus, sed responsum habuit, ut agat contra assignantem, contra quem non valuit mandatum ob bonorum deficientiam exequi. Iterum preces rector integravit sed inutiliter : *Romana, Red. Miss.,* 30 *aug.* 1710, *dub.* 3. Deinde S. C. ad manualem impertita est reductionem : 14 *martii* 1711.

48. Acceptis duobus legatis Dominici Brunori, societas ecclesiæ S. Mariæ Confalonis terræ Corinalti perpensa insufficientia redituum ab Episcopo comprobata quoad secundum legatum *die* 25 *junii* 1665, reductionem Missarum obtinuit. Hanc ratam esse S. C. demandavit. Etiamsi hæredes testatoris eam impugnaverint, quia ipsi vocati non fuerint, et quia societas præfata non expresserat, quod testator etiam cum fructibus primi legati, ac annua responsione frumenti tutum voluerit implementum utriusque, et ideo societas ab utilitate eorumdem ex defectu exequutionis ceciderit : *Senogallien., Red. Miss.,* 27 *junii* 1711.

49. Vetusta est fama, ut Andreas Berbassius societati Disciplinatorum ecclesiæ parochialis S. Dionysii reliquerit bina prata cum Missarum onere, quæ parocho cessa fuerunt, sed postea translata in dominium sacrarii ecclesiæ cathedralis reperiuntur. Latebat autem tempus, et modus, et ob hanc causam satisfactio oneris omissa fuit. Modo ministri ejusdem sacrarii animum intendunt ad Missarum reductionem inspecta tenuitate redituum. Illam S. C. indulsit juxta fructuum quantitatem ad manualem : *Viglevanen., Condonat. et reduct. Miss.,* 27 *junii* 1711, *dub.* 1.

50. Torquatus Infanciullus conventione habita cum archipresbytero, et aliis sacerdotibus loci Guarceni sortem censuum, vel stabilium bonorum in quibus legatum pium erat investiendum cum Missarum onere, atque eleemosyna unius caroleni pro qualibet, constituit. Sacerdotes successores numerum Missarum celebrarunt ex fructibus, quos ex censibus, ceteroquin vel deperditis, vel diminutis, vel nondum investitis, detrahebant. Sed præsul Cauccius visitator apostolicus illos ad numerum prætermissum Missarum 1900, quamvis autumarent illas non comprehendi in instrumento conventionis, eo quod non constituunt collegium, nec ullam habent communionem, condemnavit; idcirco in S. C. steterunt, quæ reductionem Missarum ad manualem concessit, denegavitque exequutionem decreti visitatoris, addendo, ut scribatur Episcopo juxta instructionem[216] : *Alatrina, Red. Miss.,* 20 *febr.* 1712.

51. Archiconfraternitas B. Mariæ Suffragii causa redituum tenuitatis quæsivit reductionem Missarum S. C. eam Cardinali protectori commisit, ut reduceret, ac utensilia pro ecclesia discerperet. Sed protector non solum utensilia verum etiam alias expensas pro clericis exactore, ac ratiocinatore deduxit. Hinc actum fuit de reductionis validitate, de qua non constare decernit ead. S. C. : *Romana, Red. Miss.,* 3 *decem.* 1712, *dub.* 1.

52. Et ad dubium an sit locus sanationi, vel potius sit nova reductio concedenda ? Audiendum

[216] Episcopus curet exigere rationem de fructibus præteritis ab administratoribus, qui bona administraverunt, sive ab aliis, qui forsan eos receperunt, eosdemque cogat ad præfatorum fructuum perceptorum restitutionem ; et ad ratam partem eorum, qui recuperabuntur, celebrari mandet tot Missas ad rationem supradictæ eleemosynæ manualis, curetque in futurum reditus fideliter administrari, sibique ratio quolibet anno reddatur : ***Regist. Lit.***, lib. 24, *die* 20 *febr.* 1712.

Card. modernum protectorem rescribitur : *Ibid.*, *dub.* 2.

53. Quum ex dispositione Joan. Bernardini de Benis reperta fuisset in pervetusto commentario monasterii S. Martini PP. Prædicatorum civitatis Eugubii adnotatio oneris quotidiani duarum Missarum, ac dotis in flor. 500 in duas ratas, una flor. 350, altera in flor. 150 tradendæ ; dubitatum postea fuit, si reliquatus dictæ summæ solutio eidem monasterio facta fuerit. In disquisitionem venit negotium, quod ita aperte reddidit S. C., quoad onus Joan. Bernardini de Benis taxari Missas ad manualem habita ratione fructuum flor. 500 ad rationem quinque pro centenario *die* 7 *febr.* 1711 [217]. Inde etiamsi Patres prædicti autument, quod in celebratione Missarum nulla haberi debeat ratio summæ flor. 350, quum monasterio nullibi persolutam fuisse appareat, S. C. non recessit a decisis, et suam declarationem confirmavit: *Eugubina*, *Oner. Miss.*, 21 *januar.* 1713, *dub.* 1.

54. Et quoad Missas heddomadales legatorum Pauli Beccoli, necnon Vincentii Buffii, de quibus celebrationem Patres assumpserunt Missarum, nulla facta applicationis mentione, et testator discretive loquutus est, exigua summa persoluta, reductionem indulsit ad manualem : *Ibid.*, *dub.* 3.

55. Impertita est reductio Missarum a S. C. possessori capellaniæ sub titulo Sanctissimi Corporis Christi erectæ in ecclesia parochiali S. Jacobi Villæ Clauseti ; ita ut onera juxta solitum implerentur. Nam postquam hæc capellania erecta fuerat ad tramites instrumenti fundationis anni 1592 aliud inventum fuit instrumentum fundationis anni 1593, ubi adduntur alia Missarum onera. Hoc postremum instrumentum servandum S. C. demandaverat : *Concordien.*, *Cap.* 1 *april.* 1713, *dub.* 2.

56. Quum onus Missarum quatuor hebdomadalium singulis capellanis præter chori onus diebus festis ecclesiæ, ubi capellaniæ sunt fundatæ, injunxisset Franciscus Phisicus, ac perspecta fuisset a capellanis tenuitas redituum ; iidem præsidium reductionis implorarunt. Firmandum statum redituum capellaniarum per vicarium apostolicum citatis parocho, et patronis, S. C. mandavit : *Senogallien.*, *Capell.*, 9 *sept.* 1713, *dub.* 2. Deinde indulsit reductionem juxta modum [218] : 17 *novem.* 1714.

57. Quum Joseph Antonius Verbellius possessor capellaniæ S. Joannis Baptistæ institutionis Joan. Baptistæ Maffazoni agnosceret oneribus Missarum subeundis imparem esse redituum tenuitatem, qui sunt in annuis scut. 16, 50 deductis oneribus, ac bonorum necessariis restaurationibus, recursum habuit pro obtinenda reductione ; et S. C. distulit resolutionem, ut citentur hæredes : *Vercellen.*, *Red. Miss.*, 17 *junii* 1713. Deinde rescripsit pro informatione juxta instructionem [219] : 28 *julii* 1714.

58. Monasterio S. Zeni extra mœnia Veronæ suppressæ Congregationis S. Hieronymi de Fesulis deliberato in favorem PP. Somaschorum provinciæ Venetæ pretio ducat 4300 præ ceteris se obligarunt Patres omnia Missarum onera explere. Postea inspectis quam plurimis diminutionibus sortium, referre consentaneam onerum reductionem sperant, sed sperant incassum : *Veronen.*, *Red. Oner.*, 2 *decem.* 1713.

59. Abbas, et canonici regulares S. Petri in vinculis ex legato Joan. Francisci Margoti Lanfranchi quotidiano onere Missarum perceptis ex censu scut. 1000 gravabantur. Hoc onus prævia S. C. facultate reductum fuit a vicario Urbis ad numerum Missarum 154 quam reductionem ratam non habuit S. C. ac reductionem ad manualem concessit quoad futurum, nec esse molestandos quoad præteritum jussit : *Romana*, *Oner. Miss.*, 28 *april.* 1714, *dub.* 1.

60. Joannes de Vernuccis oneravit hæredes suos legato Missarum expressa conditione, ut in omni eventu diminutionis redituum hæreditas suppleret. Propterea licet ex infortunio bona ab hæredibus immediatis alienata fuerint, quum alibi domicilium transtulissent, S. C. moderno hæredi supplicanti reductionem Missarum denegavit : *Neapolitana*, *Commut. Volunt. et Red. Oner.*, 7 *julii* 1714, *dub.* 2.

61. Matthæa Alberi publicis tabulis censum vi-

[217] Inter Sum. precum.

[218] Modus est, quoad primam capellaniam possessam a Joanne Nicolao Buccolino, negative, quoad reliquas commisit Card. Paracciano Episcopo Senogalliæ, ut veris, etc., et præsertim quoad redituum quantitatem respectu secundæ, et quintæ capellaniæ deleto servitio chori Missarum onera proportione servata cujuslibet capellaniæ redituum quantitatem ad rationem manualis inspecto regionis more pro suo arbitrio gratis moderetur, atque reducat : quoad 3 et 4 capellaniam firma remanente celebratione Missarum fundationis ad ratam partem annui reditus, qui supererit, præter eleemosynam manualem Missarum servitium chori ad festivitates ab Episcopo præscribendas, pariter moderetur. Ita tamen, ut si augeantur reditus proportione servata onera ipsa, quod in actu præsertim visitationis inspiciet Ordinarius pro tempore : et omnes dictarum capellaniarum rectores, non obstante dicta reductione facienda, in die titulari S. Blasii, et S. Crucis in choro intervenire teneantur : Lib. 64, *Decret. fol.* 431.

[219] Ut vic. capitularis auditis hæredibus, et patronis statum dictorum bonorum formaliter, et serv. serv. conficiat, illumque confectum una cum integra copia testium præfati fundatoris ad S. C. transmittat ; *Regist. Lit.*, lib. 25, *die* 4 *aug.* 1714.

talitium scut. 400 archiconfraternitati Peregrinorum Urbis cum onere celebrandi duas Missas hebdomadales in perpetuum dedit. Aliam deinde præfatæ supplevit summam scut. 600 ad hoc ut Missam officiales societatis quotidianam celebrare curarent. Dicti officiales contendunt deleri, vel reduci prædictum onus, eo quod contractus vitalitii natura non secum ferat onus perpetuum, nec in stabilibus bonis summa dicti census fuit implicata. S. C. autem nec delendum, nec reducendum censuit : *Romana, Oner. Miss.*, 15 *decem.* 1714, *dub.* 1.

62. Nec etiam deleri, ac reduci ead. S. C. existimavit onus Missarum proveniens ex pia dispositione Hortensiæ Catignanæ, quæ pariter alium censum vitalitium in sorte scut. 200 pro una hebdomadali Missa reliquerat : *Ibid.*, *dub.* 2.

63. Atque quoad onus Missarum binarum hebdomadalium ex obligatione deputatorum proveniens, in favorem Sylviæ de Tanis, qui censum vitalitium scut. 200 Archiconfraternitati prædictæ nulla facta oneris mentione legavit, S. C. minime deleri, sed tantum ad manualem reduci habito respectu fructuum ad rationem quatuor pro centenario, putavit: *Ibid.*, *dub.* 3.

64. Decem instituit capellanias nobilis mulier Flaminia Cæsia de Sabellis in ecclesia S. Andreæ de Valle, assignato reditu unicuique in scut. annuis 80, 15. Sed in præsenti hujusmodi diminutis proventibus vix pro earum qualibet summa scut. 35 annuatim remanet. Hinc capellani Missarum in reductione spem ponunt, tum etiam quia hæc capellaniæ pluribus servitutibus, incommodisque subjacent S. C. reductionem denegavit, ac addidit ad Card. præfectum juxta mentem : *Romana, Red. et Applic. Miss.*, 15 *decem.* 1714, *dub.* 1.

65. Reductio Missarum obtenta ante constitutionem Urbanam cum generali Apostolico inducto, ac expleta a magistro generali ordinis servorum B. M. V. Lucæ valida haud est : qua de causa Patres dicti Ordinis tenentur alternis diebus in perpetuum celebrare Missam ex partium conventione firmatam in suffragium animæ equitis Jacobi de Ghivizzano : *Lucana, Red. Miss.* 26 *januar.* 1715, *dub.* 1.

66. Petrus Antonius Stampa hæres institutus fuit Joannis, qui in ultimo testamento onus imposuit tradendi quamdam domum, vel summam libellarum 8000 pro celebratione Missarum in ecclesia S. Nazarii Mediolani. Scrupulum injicitur, an sufficeret pro implemento oneris Missarum perpetui, ac postulata fuit reductio. Sed S. C. in aliud tempus protraxit decisionem, addendo, et supplicet peracto investimento : *Mediolanen.*, *seu Feratina, Capell.*, 23 *febr.* 1715, *dub.* 3.

67. Quum æquitatem implorantibus clericis regularibus S. Mariæ Magdalenæ Urbis pro reductione plurium Missarum onerum consuetum a S. C. prodiisset rescriptum, ut Card. vicarius pro sua conscientia, et arbitrio moderaret, ac reduceret onus prædictum; ac inde de aliis legatis etiam reductionem iidem clerici Regulares retulissent; eadem S. C. præfatas reductiones factas anno 1650 et 1653 ad rationem juliorum trium pro qualibet Missa minime ratam habere voluit, sed esse celebrandas Missas in futurum ad manualem statuit : *Romana, Oner. Miss.*, 4 *maii* 1715, *dub.* 1.

68. Ratione paupertatis piæ Domus S. Mariæ *della solitaria* nationis Hispanicæ gubernatoribus ejusdem postulantibus die 22 martii 1659 complura Missarum onera, quæ ex simplicibus legatis huic domui incumbunt, ex auctoritate S. C. reducta fuerunt ad quinquennium juxta accommodatam redituum quantitatem, more regionis inspecto, quæ iterum ad quinquennium prorogata fuit. Deinde quin novas prorogationes impetrarent reductio tamen servata fuit. Hodierni gubernatores nunc petunt in posterum illam servandi reductionem facultatem. S. C. in alium diem declarationem protendit, et ut scribatur juxta instructionem et ad mentem jussit : *Neapolitana, Conser.*, 1 *junii* 1715, *dub.* 4.

69. Rector, et capellanus ecclesiæ B. M. Friburgi in Helvetia publico instrumento, sese eorumque successores adstrinxerunt ad annuam celebrationem 16 Missarum juxta intentionem Barbaræ Sigritz Wildt; inde onus prætermiserunt, quia a S. C. anno 1693 in forma commissaria reductionem, uti asserunt, obtinuerant. Tamen Episcopus illi oneri obnoxios esse pronunciavit, et S. C. non constare de reductione Missarum, de quibus agitur, resolvit : *Lausanen.*, *Oner. Miss.*, 22 *junii* 1715, *dub.* 1.

70. Purificata conditione locus fuit substitutioni capituli ecclesiæ cathedralis, uti disposuit soror Maria Victoria Tani, antequam se Deo in monasterio S. Marthæ Urbis voveret. Idem capitulum exposuit, sortem locorum montium ex iteratis extractionibus imminutam fuisse, ita ut impares sint fructus injuncto oneri Missarum. Petunt proinde reductionem earumdem ante acceptionem ad rationem perpetuæ eleemosynæ, cui S. C. assensa non fuit. Testatrix enim capitulo PP. conventuales substituerat : *Ferentina, Oner. Miss.*, 24 *aug.* 1716, *dub.* 1.

71. Etiamsi Cæsar Costa mandaverat duos capellanos esse deputandos, ut Missam quisque celebrarent in capella in ecclesia parochiali Portusfini; tamen S. C. censuit reductionem impertiri ad unam Missam quotidianam, tum quod fructus bonorum vix ad onus Missæ quotidianæ manualis sustinendum ascendant; tum quia non inveniuntur sacer-

dotes in illo loco, nisi unus, , vel duo ad summum, qui legata pia absolvere possint : *Albiganen.*, *Red. oner.*, 14 *martii* 1716, *dub.* 2, confirmata juxta modum [220] : 14 *novem ejusd. anni.*

72. Carolus de Baldesiis moriens disposuit, ut ex reditibus vectigalium sibi a fisco debitorum duæ erigerentur capellaniæ cum onere capellanis injuncto Missæ quotidianæ, et cum eleemosyna per hæredem concordanda. Reditibus imminutis facta fuit reductio Missarum ad rationem granorum 12 cum dimidio incluso jure sacrarii. Auctis postea fructibus dubitatum fuit, num hæc valida sit reductio? non esse validam S. C. firmavit : *Neapolitana*, *Eleemos. Miss.*, 16 *maii* 1716.

73. Acceperunt Patres Ordinis Servorum B. M. V. legatum Missarum ordinatum a Beatrice de Manfredis, ac insuper inierunt transactionem cum hæredibus testatricis ob litem de legati caducitate ortam, in qua concordia non requisito beneplacito apostolico, superioris Ordinis licentia juri petendi in posterum reductionem renunciarunt. Modo dum hanc reductionem postulant, S. C. requisivit informationem super valore, et fructibus tam prædii possessi a Patribus, quam alienatorum de tempore præsenti : *Pisauren.*, *Red. Miss.*, 14 *novem.* 1716.

74. Onus Missarum relictum a Bernardino Gambini Patres Carmelitæ conventus de Albagna cum obligatione in contractu emissa sumpserunt : ac juxta mentem testatoris domum emerunt. Modo hæc domus reparationibus indiget, et præsidio S. C. nituntur reductionem, vel suspensionem Missarum petentes. Protelatur resolutio, et interim servari testatoris mentem mandatur : *Taurinen.*, *Red. Miss.*, 5 *junii* 1717 [221].

75. Et si Patres ordinis Eremitarum S. Augustini, et conventus S. Tittmonignani vigore contractus onus Missarum suscepissent a Georgio Riedi, qui florenorum summam 4040 tradidit, ac renunciassent cuicumque reductioni, ac exceptioni ex quacumque causa, tamen ex prætensa enormissima læsione reductionem quæsiverunt, sed incassum ; inde confirmatur decretum : *Salisburgen.*, *Reduct. oner.*, 19 *junii* 1717.

76. Victoria Blancona Patribus Augustinianis excalceatis censum, et cambium scut. 1650 cum onere tot Missarum reliquit. Sed iidem Patres nisi sortem scut. 1006, 75 exigere non valuerunt ; ac de mandatis sacræ visitationis positum fuit in tabella Missarum 247 annuum onus, ac si integra sorte relicta a testatrice fruerentur. Modo reductionem impetratum iri confidunt ; eamque S. C. admisit ad annuas Missas 165 augendas vel minuendas in posterum juxta incrementum vel diminutionem fructuum : *Romana*, *Miss.*, 31 *julii* 1717, *dub.* 1.

77. Quum provincia monastica Aragoniæ ordinis Prædicatorum in regnis Aragoniæ, Valentiæ, principatu Cathalauniæ, et Insulis Balearibus exposuisset monasteria eorum ad elapsum bellum passa esse tanta damna in legatorum fundis, qui vel perierunt, vel eorum fructus diminuti sunt, ita ut religiosi ad sibi victum parandum manualem eleemosynam recipere coacti sint, et precata sit, ut vel onera reducantur vel deleantur, necnon in formam commissaria res Ordinariis monasteriorum committatur. Rescriptum prodiit, ut audiantur Episcopi : *Ordinis S. Dominici*, 27 *novem.* 1717.

78. Quum patres ordinis S. Augustini, in quorum ecclesia existebat capella B. M. V. Annuntiatæ, cui Ignatius Randoli reliquerat duo prædia, ut celebraretur una Missa qualibet hebdomada, non possent nancisci possessionem alterius prædii ante acceptionem expectaverunt reductionem, quam S. C. admisit ad perpetuum : inde instante Luca Albicini capellano, ut ipsi bona a testatore donata consignarentur, cum onere ea meliorandi, ac Missam hebdomadalem celebrandi, S. C. in proposito permansit : *Civitatis Castelli*, *Red.*, 19 *jan.* 1718.

79. Reductioni Missarum locum esse, si nullus inveniatur sacerdos, qui velit celebrare Missam quotidianam demandatam a Francisco Carcano pro eleemosyna 300 libellarum ; etiamsi eleemosyna hæc sufficiens fuerit juxta taxam vigentem tempore erectionis capellaniæ, rescriptum fuit a S. C. : *Mediolanen.*, *Red. Miss.*, 9 *april.* 1718.

80. Franciscus Barreto in testamento majoratum, seu fideicommissum instituit, et ut ex reditibus ejusdem duæ Missæ quotidianæ celebrarentur in ecclesia patrum Cappuccinorum S. Antonii loci de Laule jussit. Quum die procedente aucta eleemosyna manualis fuisset, idcirco cura in reductione posita fuit, sed frustra, quia S. C. eam denegavit. Nam visum fuit, ut hæres teneatur ad supplendum ; nam in testamento deprehensum fuit legatum ab onere non a dote capellaniarum incipere : *Faraonen.*, *Red. Miss.*, 7 *maii* 1718, *dub.* 1.

81. Disceptatum fuit, an esset locus reductioni Missarum, quæ petebatur a societate Misericordiæ oppidi de Guimaræns pluribus gravata oneribus. Quum in diœcesi Bracharensi eleemosyna nimis major facta fuisset, ut testator æquo voluntatis fervore tum Missas tum alia onera elevasset ; S. C. ad dubium respondit pro transmissione consuetæ instructionis et etiam jussit, ut Ordinarius ad tramites

[220] Vide not. 33, lit. L. præcedentem.

[221] Hanc causam patrocinatus est advocatus Dominicus Ursaya, et id patet ex *Discept. Eccles.* XVIII, tom. 4, part. 1, *per tot.*

ejusdem conficiat reductionem, quam ad S. C. pro approbatione transmittere teneatur una cum informatione, et ad mentem [222] : *Bracharen.*, *Red. Miss.*, 24 *sept.* 1718.

82. Tribuit Alex. VII, Pont. Max., abbati generali Congregationis Vallis Umbrosæ facultatem reducendi onera Missarum suæ Congregationis ad rationem annuæ eleemosynæ scut. 40 pro qualibet perpetua Missa. Hac facultate usus est quoad onera Missarum monasterii S. Praxedis de Urbe, quod reditus habebat valde imminutos. Sed in ultima visitatione anno 1710, peracta in dubium fuit revocata reductio respectu oneris relicti a Card. Anchero titulari S. Praxedis, ob quam abbas, et monachi recursum habuerunt ad S. C. asserentes nihil possidere, quod a dicto testatore proveniat. S. C. decrevit in futurum servandam esse dispositionem dicti Cardinalis [223], non reductionem, seu moderationem oneris ab abbate peractam : *Romana*, 19 *novem.* 1718, confirmata 4 *martii* 1719, *dub.* 1.

83. Et ad dubium alterum exhibitum, an sit locus novæ oneris reductioni? S. C. rescripsit, dilata, et exhibeatur instrumentum venditionis possessionum nuncupatarum *il Castiglione*, *e Monte Portio* : *Ibid.*, *dub.* 2.

84. Quum quæreretur, an sit locus reductioni Missarum 60 annuarum ad quarum celebrationem se obligavit societas Sanctissimi Crucifixi erecta in ecclesia S. Joseph intra limites parochiæ Gandini recepta a Josepho de Nigris, sorte lib. 1600 investienda? S. C. protelando resolutionem voluit, ut scribatur Card. Episcopo, et exprimat tempus, quo reditus investimenti decrescere cœperunt, et quo eleemosyna Missæ fuit aucta, et an societas habeat bona legatis, aut oneribus obligata et non habeat argenta? *Bergomen.*, 3 *decem.* 1718.

85. Canonici regulares monasterii S. Benedicti efflagitarunt oneris Missæ quotidianæ reductionem anno 1532 relictæ. Ad instantiam datam *inter sum. prec.* S. C. *ad manualem* rescripsit. Agebatur enim de legato, quod incipit a quantitate, et non ab onere et de quantitate insufficiente. Inde causa reproducta *in decisis* fuit responsum : *Cremen.*, *Red. Miss.*, 4 *febr.* 1719.

86. Quoad contractum vero initum ab iisdem canonicis cum Antonio Bondentes anno 1628, qui canonicis assignaverat lib. 5400 pro celebratione annuæ Missæ quotidianæ ; quum rescriptum fuisset *lectum, et utantur jure suo coram judice competente*, iterata instantia responsum est, pro nova informatione juxta instructionem [224] : *Ibid.*

87. Quoad denique alia Missarum onera, quæ in antiquis tabellis in sacrario ecclesiæ eorumdem canonicorum appositis exprimebantur : bis preces S. C. rejecit : *Ibid.*

88. Non esse locum reductioni Missarum, quum testator Joan. Delphinus ab onere inceperit, et deinde meminerit eleemosynæ ; et quantitas ducatorum obstet demonstrative et non taxative, respondendum censuit S. C. *Venetiarum*, *Red. Miss.*, 4 *febr.* 1719.

89. Ludovicus Ripa hæres Francisci Ripæ exsolvit lib. 6000 ut se eximeret ab annua præstatione lib. 300 sicuti dederat eidem facultatem dictus Franciscus. Præfatam summam lib. 6000 non sufficere ad onus Missarum, quas testator demandaverat sustinendum compertum est ; ideo efflagita-

[222] Archiepiscopo commisit S. C., ut vocatis vocandis Missarum onera, quæ tamen taxative non autem demonstrative juxta testatorum dispositionem concepta erunt, proportione servata juxta cujuslibet legati redituum quantitatem ad rationem manualis inspecto regionis more pro suo arbitrio, et conscientia gratis moderetur, et reducat. Ita ut si reditus augeantur proportione eadem augeatur numerus Missarum, quod in actu præsertim visitationis inspiciat Ordinarius pro tempore. Ut autem S. C. sententiæ se conformet in reducendis dumtaxat oneribus taxative conceptis, non autem demonstrative, notificandum censuit, quod mature pensatis dispositionibus, ac fundationibus data fuit instructio. Hæc eidem innotescere voluit, ut ad tramites hujusce Instructionis onerum reductionem conficiat, et pro approbatione transmittat cum informatione, et ut in futurum per officiales dictæ Confraternitatis cautius, et diligentius procedatur tum in suscipiendis legatis cum onere Missarum, tum in explendis jam receptis iisdem officialibus observantiam novissimæ constitutionis Innoc. XII super celebratione Missarum stricte injungat : *Regist. Lit.*, lib. 25, *die* 24 *sept.* 1718.

[223] « In Dei nomine, amen. Anno Incarnationis Domini 1286 in die omnium Sanctorum obiit piæ memoriæ dominus Ancherus presbyter Cardinalis istius ecclesiæ S. Praxedis, pro cujus animæ remedio dati sunt eidem ecclesiæ in possessionibus 51 floreni aurei ; crux, et candelabra argentea, et constructa in ea capella cum Altari, ob reverentiam omnium Sanctorum, et debet in capella ipsa lampas ardere semper, et ter in qualibet septimana Missa, et in sequenti die post diem animarum quolibet anno per monachos ipsius ecclesiæ celebrari anniversarium solemne pro ejusdem Cardinalis anima, quæ requiescat in pace, Amen » *Ead. causa*, 19 *novem.* 1718.

[224] Melius edoceri voluit S. C., præsertim an libellæ quinque mille, et quadringentæ fuerint assignatæ jam in censibus investitæ, seu potius post illarum receptionem fuerint a canonicis regularibus investitæ in censibus necnon quanti essent annui reditus ejusdem summæ, seu ad quam rationem fuerint census impositi, quando ad manus canonicorum pervenit sors, et de quo tempore reditus prædicti decrescere cœperint. Referat distincte, et legitima documenta super præmissis exhibeat : *Regist. Lit.*, lib. 25, *die* 4 *febr.* 1719.

tur Missarum reductio. S. C. primum exhibitionem testamenti jussit, deinde Missarum locum esse reductioni, nec hæredem supplere teneri rescripsit: *Mediolanen.*, *Oner. Miss.*, 1 *april.* 1719.

90. Julia Cavallotti Zoboli mandavit in perpetuum celebrari in ecclesia monialium Misericordiæ sub gubernio PP. Min. observ. S. Francisci tot Missas, prout convenerit Antonius suus vir. Hic prædium tradidit presbyteris collegiatis S. Nicolai cum onere Missarum trium hebdomadalium, ut celebrari in ecclesia monialium eas curarent, et onus fuit susceptum. Modo dicti presbyteri pandunt reditum prædii in scut. 10 non sufficere ad onus ferendum et reductionem implorant, et ad manualem assequuti sunt: *Regien.*, 5 *aug.* 1719.

91. Reductioni Missarum ad manualem inspecta tenuissima eleemosyna locus est, deleta Missa solemni, et deleto officio mortuorum, etiamsi canonici ecclesiæ cathedralis Missas per contractum receperint, ac contractus fuerit per longissimum tempus exequutioni mandatus: *Fanen.*, *Red. Miss.*, 27 *april.* 1720,

92. Definitio exoptatur, an et in qua quantitate sit locus reductioni Missarum, quas Joan. Franciscus de Laurentiis injunxit perpensa redituum insufficientia? S. C. distulit resolutionem et voluit ut scribatur Episcopo juxta instructionem[225]: *Civitatis Castelli*, *Leg.*, 18 *april.* 1722, *dub.* 2.

92. Capellani S. Hilarii, qui juxta tenorem fundationis tenentur quotidie celebrare Missam in basilica Lateranensi, et divinis officiis in eadem interesse, considerata redituum diminutione, preces adhibent pro onerum reductione. Archipresbyter, annuente capitulo, reductionem et Missarum et servitii fecit. Sed non acquiescentibus capellanis audita desuper fuit S. C. et hæc respondit, firmo remanente onere Missarum, pro majori reductione servitii chori arbitrio Card. archipresbyteri, audito capitulo: *Romana*, *Red. serv. chori et Miss.*, 18 *april.* 1722.

94. Postquam S. C. elargita erat reductionem Missarum quatuor ad duas tantum pro qualibet hebdomada Francisco et Hortensio de Vernatis testatoris Vincentii Vernatii pronepotibus supplicantibus, ac ejusdem S. C. decretum ab Episcopo quadrienno post exequutioni demandatum fuerit; procurator fiscalis fabricæ S. Petri invenit rescriptum quoddam adnotatum, in quo ad petitionem oratorum supradictorum responsum fuit, ut transmitteretur particula legati, et videretur an hæredes teneantur supplere, ex quo arguit nullam esse reductionem. Hinc oratores a S. C. hanc petierunt, quæ sancivit prædictos non esse molestandos quoad præteritum et quoad futurum scribatur Episcopo juxta instructionem: *Vaden.*, *Red. Miss.*, 4 *julii* 1722.

95. Firmanus Episcopus duarum capellaniarum quas in monialium ecclesia S. Claræ civitatis Firmi Theodorus Tabor fundaverat, erectionem ob redituum insufficientiam nondum peregerat. Curam idem habuit, ut ante erectionem fieret Missarum reductio, sed S. C. eodem tempore, quo erectionem demandavit, respondit quoad reductionem Missarum habendam esse rationem suis loco et tempore: *Firmana*, *Cap.*, 1 *sept.* 1725, *dub.* 2.

96. Non esse locum reductioni Missarum expetitæ ab Antonio Ginevri emptore prædii *di Valle di Veltrica*, quod donaverat Joan. Paulus de Palazzis Taddeo de Palazzi suo nepoti cum prædictarum Missarum onere; sed teneri ad supplendum Diophæbum de Palazzis venditorem ejusdem prædii et donatarii successorem, rescriptum est a S. C. Summam enim statutam non taxative, sed demonstrative esse signatam animadversum fuit: *Fanen.*, 6 *decem.* 1727.

97. Reductionem Missarum præpositus generalis congregationis Somaschæ expleverat juxta facultates ab Innocentio XIII, Pont. Max., habitas. Ad illarum celebrationem Patres prædictæ Congregationis recepta pecunia sese adstrinxerant contractu inito (pacto vero adjecto quod Patres neque petere neque uti ulla reductione possent), cum Antonio Platto hærede Petri de Agazzis, qui hujusmodi onus suo hæredi reliquerat. Adversus inde reductionem reclamantibus fratribus de Plattis, eam validam non esse S. C. edixit: *Bergomen.*, *Red. Miss.*, 10 *julii* 1728, *dub.* 1.

98. Simplex beneficium perpetuum in publico oratorio SS. Caroli et Aquilini fundavit Christophorus Benzius, et onera capellano injunxit Missarum quotidie celebrandarum, et certis etiam anni tempestatibus, necnon reparationis ecclesiæ et cœnæ, ac supellectilium. Bona stabilia assignata impares his oneribus ferendis fructus reddere capellanus agnoscens, hæredibus ex pingui testatoris hæreditate supplendum esse, eo quod non taxative, sed demonstrative fuerat ille loquutus, existimat. Onerum hinc reductionem expetebat, vel supplementum. Non reductionem, sed præfatum ab hæredibus dotis incrementum est assecutus: *Cremonen.*, *Supp. dotis*, 13 *aug.* 1729.

99. Vigore generalis indulti reducendi Missarum perpetuarum onera Card. Archiepiscopo tri-

[225] Ut referat, an Missæ celebrari possint a parocho ecclesiæ S. Angeli de Macignano, vel ab aliquo sacerdote ejus substituto: si enim possent in dicta ecclesia a dictis sacerdotibus celebrari nulla adesset necessitas transmittendi a civitate Castelli sacerdotem pro illorum celebratione: *Regist. Lit.*, lib. 26, *die* 18 *april.* 1722.

buti, vicarius generalis uti specialiter delegatus, devenit ad reductionem Missarum octo capellaniis, ad ven. domum Sanctissimæ Annuntiationis spectantibus, injunctarum ad rationem carolenorum duorum pro qualibet. De hac reductione obloquuti sunt gubernatores dictæ domus eam viribus non substitere, præcipue eo quod in præfato indulto haud comprehendi debeant illæ capellaniæ, quia erectæ et confirmatæ fuerant auctoritate Apostolica cum onere quotidie celebrandi, atque ideo specifica mentione indigerent. Et revera reductionem illam ratam S. C. non habuit, jussitque ut Card. Archiepiscopus mandet servari onera præscripta in erectionibus capellaniarum : *Neapolitana, Red. Miss.*, 19 *novem.* 1729.

100. Franciscus Boni scut. 50 legavit congregationi Præsentationis B. M. Montis Novi, ad hoc ut in quolibet die sabbati Missa celebraretur nomine filii Petri hoc exoptantis. Amplificata dein ab Episcopo manuali eleemosyna sodales reductionem postularunt, sed contra hæredes ob supplementum agendum esse responsum tulerunt, verum ipsam Societatem teneri ad injuncta onera prævio recessu a decisis postea idem decrevit; modo S. C. hoc confirmavit : *Senogallien., Supp. dotis*, 3 *decem.* 1729.

101. Pater generalis ordinis Servorum B. M. V. oppidi Malegnani vigore indulti super reductione onerum Missarum ab Innocentio XIII pluribus regularibus concessi Missas, quas per contractum cum communitate S. Columbani initum sibi susceperunt celebrandas, reduxit ad 50 unam quolibet anno. Communitas reductionem oppugnat probans bona Patribus assignata jam ab iisdem majori ex parte fuisse alienata, et eorum propterea culpa diminuta, et duo transactionum instrumenta exhibens. Revera S. C. validam non esse respondit : *Mediolanen., Red. Miss.*, 7 *april.* 1731, confirmata 1 *sept. ejusd. anni.*

102. Clemens Boncompagni hærede scripta archiconfraternitate SS. XII Apostolorum adjecit onus solvendi scut. 48 ex fructibus locorum montium PP. Barnabitis S. Caroli ad Catinarios pro celebratione Missæ quotidianæ. Sed a Bened. XIII, Pont. Max., impertita est facultas religiosis familiis, et Episcopis, moderandi perpetua Missarum onera; pro Missa quotidiana reditus annuus scut. 60 percipi possit. Hinc dicti patres arbitrati sunt ex vi indulti, onus Missarum prædicti testatoris reducendi juxta eamdem proportionem, et contradicente archiconfraternitate. S. C. præfatum indultum etiam pro reductione Missæ quotidianæ, de qua agitur, non suffragari sancivit. Nam reditus assignatos nec passus est, nec diminutionem pati potest? *Romana, Red. oner. Miss.*, 22 *martii* 1732.

103. Ascanius de Matthiolis testamento cavit, ut capellano ab hærede tribueretur fundus reddens scut. 24 quolibet anno, et eveniente casu, quo dicti fructus sufficerent, ad Missam quotidianam celebrandam, hæredes pro tempore ad supplementum teneri mandavit. Episcopus juxta Benedicti XIII, Pont. Max., indultum onus Missarum reduxit ad normam sexaginta scutorum pro Missæ quotidianæ celebratione S. C. re extra folium proposita minime ratam habuit illam reductionem, et cogendos esse ab Episcopo hæredes ad supplementum pro Missa quotidiana voluit. Quum Episcopus exequutionis difficultatem ostendisset S. C. iterum audita, prospexit, ut capellanum cogeret ad integrum implementum oneris, et ut capellanus jure suo uteretur contra eos, qui ad supplementum tenerentur. Reclamat hodie Michael Angelus Menchinus capellanus, et reductionem vi indulti factam validam esse contendit. Verum S. C. in decisis respondit : *Montis Politiani, Miss.*, 10 *maii* 1732.

104. Quum quæsitum esset, an sit locus reductioni Missæ quotidianæ, vel potius supplemento propter tenuem sortem in censu scut. 400 existentem, quæ ad summum 20 reddit annua scuta? responsum fuit, dilata, et scribatur Episcopo juxta mentem. *Senogallien., Miss.*, 10 *maii* 1732, *dub.* 2. Deinde esse locum reductioni S. C. præcepit ad rationem manualis, et ut capellanus diebus præsertim festis omnibus celebret in ecclesia monialium, pro quibus Missam quotidianam testator ordinaverat ; 20 *decem. ejusd. anni.*

105. Procurator generalis Carmelitarum excalceatorum simul cum aliarum regularium familiarum præsidibus Innocentio XIII exposuit, cœnobia per Europam existentia propter bella, contributiones, aliasque calamitates magna inopia premi, necnon proventus pro oneribus perpetuis Missarum assignatos non mediocre detrimentum hisce de causis habuisse. Itaque in spe est in absolutione quoad Missas perpetuas non celebratas, et in moderatione onerum in posterum. Annuit Pontifex et jussit, ut singulæ Missæ perpetuæ reducantur ad rationem scut. 60. Quæstio modo oritur, an patres Carmelitæ excalceati in ecclesia S. Mariæ de Scala tueri se valeant præsidio generalis illius indulti : ita ut sit exequutioni demandandum? utique S. C. exequi debere voluit : *Romana seu Perusina, Oner. Miss.*, 30 *aug.* 1732.

106. Quum adversus sanctimoniales S. Mariæ de Turri expeditum a curia episcopali fuisset mandatum ex causa plurium legatorum piorum, quibus satisfactum fuisse non docebatur monasterium cum rev. fabrica compositionem iniit. Ut autem in futurum sibi quoque prospiceret, preces obtulit ad impetrandam aliquorum onerum moderationem, alio-

rum vero commutationem. Sed propositis quinque dubiis S. C. nil dixit aliud, quam ad mentem : *Urbinaten., Red. et commut. oner.*, 20 *decem.* 1732, *dub.* 1, 2, 3, 4 et 5.

107. Bartholomæus Bandinellus hæredem scribens archiconfraternitatem S. Joannis Decollati, mandavit, ut perpetuo in ecclesia S. Gregorii Missam unam quotidie celebrari curaret. Archiconfraternitas per contractum hoc onus monachis Camaldulensibus transtulit. Hi patres a Sum. Pont. moderationem Missarum ad normam scut. 60 pro unaquaque Missa quotidiana obtinuerunt. Hinc Missas has ad numerum 161 cum binis anniversariis lato decreto cohibuit. At reluctante archiconfraternitate fuit dicta Missarum reductio a S. C. recissa : *Romana, Red. oner. Miss.*, 18 *opril*, 1733.

108. Fratribus minoribus Conventualibus non suffragari indultum concessum ab Innocentio XIII, Pont. Max., pro reducendis oneribus perpetuis Missarum, quando pro illis relictæ fuerunt certæ annuæ præstationes, quæ tamen non attingunt annuam summam scutorum 60 pro qualibet Missa quotidie celebranda, resolutum fuit a S. C. : *Romana, Red. oner. Miss.*, 28 *febr.* 1733.

109. S. C. invalidam fuisse putavit reductionem oneris Missarum tercentarum ad Missas tantum centum et sexdecim factam a præside ordinis Cisterciensis ex indulto Benedicti XIII, Pont. Max., ad quod onus implendum monachi prædicti ordinis sese obligaverant contractu inito cum officialibus sodalitii S. Mariæ Angelorum hæredis scripti a Claudia de Scottis ; hoc enim Missarum legatum institutum erat in ecclesia eorumdem monachorum : *Favent., Oner. Miss.*, 27 *febr.* 1732, *dub.* 1, confirmata 12 *febr.* 1735.

110. Quum Nicolaus, et fratres de Mecaroccis hæredes Laurentii Mecarocci precibus contenderint reductionem Missarum quas testator præscripserat, eo quod prædia illa satis non essent ad singula onera ab eodem testatore imposita explenda, S. C. rescripsit, esse locum reductioni ad rationem eleemosynæ perpetuæ, facta per beneplacitum obligatione non petendi in posterum aliam reductionem : *Nepesina, Red. oner.*, 24 *julii* 1734.

111. Non esse proportione servata diminuendum onus Missarum a testatore Tito Massari sacerdoti relictum S. C. putavit. Nam evictio unius ex prædiis ab eodem testatore legato Missarum assignatis non obstat ; quum reliqua prædia fructus annuos producerint, qui pro debita illius oneris dimissione sufficiunt : *Ostunen., Red. Miss.*, 4 *decem.* 1734, confirmata 5 *martii* 1735.

112. Declaravit S. C. non esse locum reductioni Missæ quotidianæ, quam imploraverat Alexander Toscanellus rector capellaniæ erectæ in altari existenti in ecclesia SS. Joan. et Stephani societatis Sanctissimæ Annuntiatæ oppidi Montopolis. Hæc enim capellania alteri sub invocatione S. Francisci erectæ de jure patronatus prædictæ societatis incorporata ab Episcopo fuit, ac inde reditus usque ad scut. 60 multiplicaverunt : *Sancti Miniatis, Appl., Miss. quot.*, 4 *decem.* 1734, *dub.* 2.

113. Haud esse locum reductioni Missarum petitæ ab abbate collegiatæ ecclesiæ S. Joan. Baptistæ erectæ in oppido Angriæ, sed ejus eleemosynam augendam esse a societate S. Mariæ de Monte Carmelo dicti oppidi hærede instituta a Camillo Coppola ad granos quindecim pro qualibet Missa respondit S. C. : *Nucerina Paganorum, Red. Miss.*, 21 *maii* 1735.

114. Canonici collegiatæ ecclesiæ S. Martini in oppido Petræ Sanctæ celebrantes juxta legatum testatoris Ferdinandi de Carolis Missam quotidianam a primo sole, quam applicandam esse S. C. præceperat, etiamsi testator tantum commodo agricolarum consuluerit ; supplices modo postulant reductionem ad rationem eleemosynæ perpetuæ, et S. C. reductionem arbitrio Archiepiscopi indulsit : *Lucana, App. Miss. quot*, 12 *febr.* 1735, *dub.* 2.

115. Perspecta renunciatione facta per Patres Dominicanos reductioni prius reportatæ ad quinque supra quadraginta, ut earum eleemosyna percipieretur ad rationem duorum juliorum pro qualibet Missa, eosdem non ad restitutionem eleemosynæ pro Missis sub obtentu dictæ reductionis non celebratis, sed ad illarum celebrationem teneri S. C. mandavit : *Tyburtina, Celeb. Miss.*, 24 *sept.* 1735, *dub.* 3.

116. Reductioni Missarum, quarum eleemosyna manualis hodiernis temporibus juxta morem regionis ad solidos 20 Mediolanensis monetæ excrevit, et imparem ad onus quotidianæ Missæ subeundum religiosi S. Mariæ Paradisi tertii ordinis S. Francisci esse fatentur, neque locum esse, neque hæredes eleemosynam supplere teneri deciditur : *Mediolanen., Celeb. Miss.*, 12 *maii* 1736, *dub.* 2.

117. Pecunia deposita a variis testatoribus relicta perturbata, ac permixta adeo fuit, ut dignosci amplius non valeat, quæ rata pars tribuenda est unicuique ex legatis piis eorumdem, et quot Missæ sunt celebrandæ. Reditus interea insigniter fuerunt diminuti. Officiales societatis Sanctissimi Rosarii in ecclesia cathedrali erectæ hac de causa in reductione referenda studium posuerunt, et ut cuncta legata uniantur, et fructibus eorumdem per integrum decennium commutatis juxta eorum ratam partem in singulos quosque annos proportione servata distribuendam, tot Missæ quotannis celebrentur atque indiscriminatim pro omnibus benefactoribus applicentur. S. C. respondit, quoad legata Pompei de

Amora, et Martini Martiano pro reductione ad manualem cum applicatione pro iisdem; quoad reliqua pariter ad manualem cum applicatione pro benefactoribus descriptis in tabella facto verbo cum Sanctissimo : *Nucerina, Paganorum Red. Miss.*, 4 *aug.* 1736.

118. Petrus Rapaciolus patronus binarum capellaniarum, quas ipse in sua ecclesia B. M. V. terræ Colli Scipionis fundavit, pro dote eis assignavit loca montium 15. Sed quum nonnulla ex his extracta fuerint, fructus decreverunt, hinc petunt hodierni capellani Missarum reductionem, et responsum habuerunt *Lectum, et hæredes teneri ad supplementum*, et confirmatur decretum quoad reductionem : *Narnien.*, 1 *junii* 1737, *dub.* 1.

119. Quum rector beneficii erecti a Petro Antonio Manasserio dignoscens summam bonorum relictorum imparem esse oneri Missæ quotidianæ implorasset reductionem prædicti oneris, S. C. rescripsit pro gratia reductionis ad manualem ad triennium, et interim capellanus agat pro supplemento contra quos de jure, et Ordinarius incumbat pro implemento diligentiarum : *Montis Regalis, Red. Miss.*, 1 *maii* 1739.

120. Canonici collegiatæ ecclesiæ oppidi Summæ contractu inito usum unius sacelli sodalibus societatis et congregationis *Mortuorum* nuncupatæ concessere. Sodales polliciti sunt inter alias Missam fundare quotidianam. Hoc onus vi indulti concessi a Benedicto XIII, Pont. Max., Episcopis, qui Concilio Romano interfuerunt, ac a canonicis impetrati reductionem passum est. Sed S. C. consulta prædicti oneris reductionem ratam non habuit: *Nolana, Red. Miss.*, 14 *martii* 1739.

121. Inter plures canonicatus in ecclesia cathedrali erectos decem numerantur a fundatoris cognomine *Lucatelli* nuncupati. Canonici dictæ fundationis reductionem bis an. 1689 ad 280, an. 1691 ad 180 Missas annuas a quolibet canonico celebrandas prævia auctoritate S. C. ab episcopo Mutio Dandino comperto redituum decremento assecuti sunt; ac inde pacifice, usque ad præsens canonici reductionem servarunt. Sed hodiernus Episcopus singulos ad quotidianam Missam in fundatione indictam obstrictos esse pronunciavit. Canonici prædicti expostularunt, et actum est de decreti exequutione; et S. C. ut firmetur status, mandavit; *Senogallien, Red. Miss.*, 16 *decem.* 1741. Deinde non esse exequendum declaravit: 23 *novem.* 1743. Postmodum etiam mansionarii pariter fundatoris Lucatelli petierunt Missarum reductionem, qui majus servitium habent, quam canonici, minores vero reditus, et S. C. rescripsit, dilata, et ad mentem: 8 *junii* 1782. Insuper iterum dilata, et ad mentem [226] respondit : 27 *martii* 1784. Denuo causa producta censuit S. C. onus Missarum mansionariis impositum reducendum esse ad medietatem, Missas vero a canonicis celebrandas restituendas esse ad numerum 280 pro quolibet juxta reductionem anni 1689: 21 *aug. ejusd. anni*. Hoc judicium non arrisit canonicis ob adauctum ipsis Missarum onus, hinc prodiit rescriptum, quoad mansionarios in decisis, quo vero ad canonicos prævio recessu a decisis servandam esse reductionem anni 1693 : 11 *decem. ejusd. anni*.

122. Card. Tonti perpetuam capellaniam adjectis pluribus oneribus præter Missarum onus in oratorio S. Petri de Bulgarno, et in cathedrali explendum per capellanum erexit. Obtinuit hujus capellaniæ rector Sebastianus Martinelli Missarum reductionem demptis impensis juxta redituum quantitatem ad rationem eleemosynæ manualis, et hoc obtinuit in forma commissaria a S. C. Episcopo directa, qui voluit, ut capellanus qualibet hebdomada in cathedrali, et in oratorio diebus festis ad libitum per sex menses celebraret. Diu hæc reductio servata fuit, sed postea vitio subreptionis accusata, quæsitum fuit a S. C. quæ reductio sustineatur? et omnes Missas celebrandas esse in oratorio villæ de Bulgarno, deletis prorsus ceteris oneribus, respondere ambigua non fuit : *Cæsenaten.*, *Red. Miss.*, 23 *sept.* 1741.

123. Joan. Dominicus Veneri duplici Missa quotidiana, altera in ecclesia S. Catharinæ, altera in ecclesia PP. Carmelitarum celebranda cum annua summa scut. 99, 50 hæredem suum gravavit. Jacobus Veneri hæres universa hæreditaria patrui bona, detracto ære alieno, longe disparia esse prædictæ annuæ præstationi scut. 99,50 animadvertens, preces habuit ad S. C. pro reductione ad unam tantum Missam perpetuam, et S. C. rescripsit dilata, et firmetur status hæreditatis testatoris coram Ordinario, qui auditis partibus, servatis servandis procedat, prout de jure, ad declarationem quantitatis bonorum, quæ detractis detrahendis remanent libera pro implemento oneris Missarum : *Mantuana, Red. Miss.*, 2 *junii* 1742, *dub.* 1.

124. Quum fundus, quem Franciscus Joanninius sodalitio S. Mariæ Misericordiæ Urbini cum onere Missarum donavit, deterior factus esset ad reductionem sodalitium se convertit, et ad rationem manualis est concessa. Inde Archiepiscopus anno 1711 decrevit in futurum celebrari annuas Missas 72, hoc etiam onus adimplere nequeunt sodales, et a Bene-

[226] « Et mens est, ut reproponatur citatis canonicis » *Rel. in Ferrar., Biblioth. can.*, tom. 8, pag. 508, edit. Rom., 1789.

dicto XIII, Pont. Max., reduci Missas ad centum obtinuerunt. Sed quum errorem in præfata Archiepiscopi reductione irrepsisse dixissent, ancipites sunt an, et quomodo esset confirmanda reductio? responsum tulerunt negativum, et servandam esse reductionem anni 1711 : *Urbinaten.*, *Red. oner.*, 28 *mart.* 1744, *dub.* 1.

125. Dominicus Antonius Ancicius, qui fuit a patrona Margarita Testa nominatus ad binas capellanias amovibiles fundatas in parochiali ecclesia divi Nicolai oppidi Scheghini, comperiens bona plurima eisdem supposita alienata, ac distracta esse animo confidit, vel imminui sacra agenda juxta redituum quantitatem, et eleemosynæ manualis, vel subrogari tot loca montium, prævia bonorum alienatione, et rescriptum retulit, ut circumscripta nominatione novi capellani scribatur Episcopo pro nova informatione, et voto juxta instructionem[227] : *Spoletana, Capell.*, 28 *martii* 1744, *dub.* 1.

126. Jacobus Bonettus Missæ quotidianæ onere suos hæredes gravavit, præcepitque eis venditionem bonorum in scut. 600, ut in censum hæc summa constituatur, ex cujus fructibus onus explere debeatur. S. C. denegando supplementum dotis huic legato pio faciendum ab hæreditate Bonetti, Missarum reductioni non esse locum resolvit : *Feretrana, Capell.*, 16 *januar.* 1745.

127. Patrum Carmelitarum monasterio civitatis Fori Cornelii, nuncupato *Montefune* suppresso, et capellania ex ejus bonis erecta, et addita deinde animarum cura, parochus S. Joan. Baptistæ Cavallarius molitur grave onus 436 sacrorum minui, et illum ab annua præstatione scut. 11 hospitali, ad quæ onera Carmelitæ tenebantur, liberari ; et pro reductione juxta votum Episcopi, facto verbo cum Sanctissimo responsum habuit : *Imolen.*, *Red. Miss.*, *et Liber. oner.*, 7 *aug.* 1745, *dub.* 1.

128. Patres S. Augustini Congregationis Lombardiæ susceperunt per contractum onera sacrorum pii legati Canrilli Corvini cum pacto dissolvente conventionem, et traditionem latifundi, si deficerent in implemento. Requisiti post varios annos Patres, ut onerum monstrarent satisfactionem, ediderunt rescriptum Benedicti XIII, Pont. Max., quo sacra decem ad quatuor, et sacra 12, quæ qualibet hebdomada agi debebant, ad 198 singulis annis redigebantur. Re proinde ad S. C. relata, hæc resolvit minime Missarum reductionem validam esse : *Faventina, Red. Miss.*, 18 *novem.* 1747.

129. Quum P. Minister generalis ordinis Minorum observantium a Sum. Pont. Benedict. XIII obtinuisset, ut sacrorum onera ad rationem eleemosynæ manualis reducere posset ; monasterium Burgi S. Sepulchri perpetuis oneribus a Cosmo Rigio relictis, ac receptis gravatum sublevavit, reducendo annua sacra ad rationem manualis. Dominicus Rigius voluntates majorum esse servandas contendit, nullamque faciendam reductionem conatur. Sed præfatam reductionem firmam esse S. C. respondit : *Burgi Sancti Sepulchri, Red. oner. Miss.*, 30 *martii* 1748.

130. PP. Prædicatores, quibus Laurentius Galliero ab hærede hospitali majori civitatis Cherii onus celebrationis Missæ quotidianæ in altari S. Vincentii in eorum ecclesia S. Dominici existenti reliquit, considerata eleemosyna ad rationem manualis pro celebratione ejusdem Missæ, quam sibi ipsis exsolvit usque ab anno 1681 dictum hospitale, ad celebrationem Missarum hactenus non celebratarum teneri S. C. resolvit, ita ut reductio per ipsos facta non sit sustinenda : *Taurinen.*, *Celebrat. Miss. quot.*, 20 *maii* 1752, *dub.* 4.

131. Vincentius Justinianus clericis regularibus ministrantibus infirmis monasterii S. Mariæ Magdalenæ loca montium centum reliquit, ut ex his reditibus decem dicti monasterii Patres alerentur, qui essent ad decem quotidianas pro anima sua celebrandas Missas adstricti. Ex sortium diminutione Patres hi reductionem ad sex Patres et sex Missas impetrarunt. Sed imminutis etiam locorum montium fructibus sex scut. 416 ad scut. 258 novam ad Missas quotidianas quatuor, et ad quatuor etiam religiosos reductionem juxta Card. Petruccii protectoris arbitrium reportarunt. Binas has reductiones hodie impugnat fabrica S. Petri, sed ambas validas esse S. C. resolvit : *Romana, Red.*, 7 *febr.* 1756.

132. Denegavit S. C. reductionem Missarum ex diminutione redituum postulatam de Missis nempe ordinatis ab Alcide Galassi in ecclesia S. Augustini civitatis Firmi celebrandis. Nam præiverat contractus initus in sequelam testamentariæ dispositionis : *Firmana, Leg.*, 28 *aug.* 1756, *dub.* 2.

133. Quatuor in basilica Lateranensi capellanias Hilarius Maurus Parmensis instituit, et unicuique capellano Missæ quotidianæ, et, instar canonicorum ejusdem Basilicæ, chori servitii onus injunxit. Causa diminutionis eorumdem redituum una, deinde altera fuit suppressa, ac declaratum augendi, si augerentur et fructus. Verum quum capellani sortem scut. 1400 et fructus scut. 1300 recuperassent, capitulum Lateranense institit ut majus fieret servitium chori. S. C. audire Card. archipresbyterum voluit, qui Missarum onus augendum, et capellanias redintegrandas juxta numerum a testatore præfinitum existimavit. Hinc S. C. rescripsit juxta votum in omnibus Card. archipresbyteri. Proposita

[227] Vide not. 283, verb. *Capellania* § III.

inde causa in folio dictum est *in decisis* : *Romana*, 11 *aug.* 1759. Sed capellani conqueruntur, et dubium proponunt, an et quomodo sit locus reductioni Missarum, ita ut sit standum, vel recedendum a decisis prænarratis? dubium resolutum non fuit, et jussum, ut eligatur peritus judicialis pro firmatione status : 17 *junii* 1775. Inde perstitit in decisis : 4 *april.* 1778. Denique S. C. recedendum a decisis una cum Card. archipresbytero decidere putavit : 20 *decem.* 1788.

134. Dignitates, et canonici collegiatæ ecclesiæ S. Bartholomæi civitatis Siclis recenserunt plurima esse in eorum ecclesia sacrorum agendorum onera ex legatis, donationibus aliisque fundationibus, et exiguum esse in ea civitate numerum sacerdotum, ita ut auctum fuerit eorum stipendium, et sacerdotes inibi celebrare pro Caroleno recusaverint. Ob hanc rem dote ecclesiæ diminuta, solliciti sunt de reductione numeri omnium sacrorum, et respective de incremento sacrorum singulorum eleemosynæ, et contenti fuerunt, sed incrementum arbitrio Episcopi remissum fuit : *Syracusana*, *Miss.*, 10 *martii* 1759, *dub.* 1.

135. Quoad binas capellanias institutas a Balthassare de Ulloa memoratum fuit, minime sufficere pro consueto stipendio modicitatem redituum, quatenus Missæ designatæ a testatore forent applicandæ, idcirco cupiunt conditionem accipere, aut applicationis libertatis, aut earum reductionis. S. C. applicationem jubens, non esse locum reductioni censuit. Nam gravis fructuum diminutio comperta haud fuit: *Compostellana*, 12 *julii* 1760, *dub.* 2.

136. Nicolaus Fabrini de Castro S. Georgii in uno legato onus prætulit determinati numeri Missarum trium singulis hebdomadis celebrandarum, in altero numerum non definivit, taxata eleemosyna ob. 8 pro qualibet Missa, addito onere etiam celebrandi in certo altari, audiendi confessiones, et recitandi laudes B. M. V. die Sabbati. Societatem Sanctissimi Rosarii in ecclesia S. Spiritus erectam legatariam ita gravatam juvat onerum moderatio; et ad rationem eleemosynam Missæ perpetuæ, quoad primum legatum obtinuit, quoad secundum impetravit ad rationem manualis, deductis expensis utensilium: *Faven.*, *Reduct. Miss.*, 14 *febr.* 1761.

137. Censuit S. C. Missarum reductionem concedendam ad formam reductionis anni 1711 [228]. Societati S. Mariæ Misericordiæ Plani Mercatus, quæ Urbini erecta est, quoad legatum Propertii de Angelis, qui in censibus collocari pecuniam hæreditariam præceperat : *Urbinaten.*, 16 *januar.* 1762.

138. In quocumque casu, an sacrificium debeat applicari, vel non, quum confusi sint asses testatorum Fabii Glisenti, et Guadagnini Ferrentini, nec separari valeant, et admodum diminuti sint reditus, locum esse reductioni S. C. existimavit ad manualem, quæ in regione in usu est, deleto onere adjuvandi in cura animarum, quatenus præter dictam manualem non remaneat quantitas fructuum pro congruo illius emolumento sufficiens: *Brixien.*, 12 *junii* 1762, *dub.* 3.

139. Reductio onerum Missarum capellaniæ ordinatæ a Joanne Baptista Scardavi minime valida est. S. C. enim mandaverat faciendam esse reductionem ab Episcopo vocatis vocandis, et ipse non servavit ordinem juris, ac præcepti : *Faventina*, *Red. Miss. seu Redint.*, 27 *aug.* 1763, *dub.* 1.

140. Capellano Andreæ Rota, qui binas possidet capellanias fundationis Card. Dominici Thusci non obstante redituum diminutione, S. C. novam denegavit Missarum reductionem. Nam aliam ille obtinuerat anno 1756 ab ordinaria potestate ex auctoritate Benedicti XIV, Pont. Max.: *Regien.*, 3 *aug.* 1765, *dub.* 2.

141. Missarum, quas ordinavit pius testator Michael Angelus Monti, reductionem S. C. ad manualem indulsit. Nam constabat de taxative fundo apposito, ac latebat, an vere culpa primorum hæredum intercesserit bonorum diminutio, imo fundus ex fructibus censuum, qui fortasse illico post testatoris obitum extingui poterant, constituendus erat : *Firmana*, *Oner. Miss.*, 23 *junii* 1764, *dub.* 2 et 3.

142. Missarum reductio minime tributa hæredibus Taverna fuit pro legato Missarum relicto a comite Annibale Taverna, etiamsi in testamento onus expressum taxative, at in codicillis demonstrative, esse videatur, ubi abrogato legato in testamento descripto novum ordinavit : *Mediolanen.*, 14 *dec.* 1765.

143. Joan. Baptista Aicardus ex oppido Biberæ capellaniam instituit reddentem tantum scut. 15 sub onere celebrandi quatuor in hebdomada Missas. Primus capellanus, ut onus Missarum minueretur, a S. C. obtinuit. Et hodie nullus in viciniis invenitur sacerdos, qui pro tam tenui eleemosyna ad celebrandum accedat ad locum asperum, montuosum, ac pene impervium, et horæ iter habentem propterea parochus et populus Biberæ supplicant ut largior eleemosyna sit, et sacrorum numerus minuatur, hæredibus, et patronis de Gibellis dissentientibus ; sed S. C. minuendum respondit arbitrio Episcopi durante tantum necessitate : *Albintimilien.*, *Red. Miss.*, 2 *maii* 1765.

144. Capellaniam in ecclesia monialium S. Felicitatis de jure patronatus familiæ suæ fundans Americus de Capponibus plurima onera per ipsum tantum subeunda, præsertim integro chori servitio

[228] Die 28 novem. *in Causa Urbinaten. pii operis.* Vide num. 23, verb. *Legatum pium*, § XII.

diebus festis possessori attulit. Dos tunc assignata annua dabat scut. 42. Sed diminuta cujusdam domus pensione ad scut. nunc decrevere 32 : ad examen ideo adducitur quænam sint reducenda onera ? respondetur, quoad Missas pro reductione ad manualem, in reliquis, ut scribatur Archiepiscopo juxta instructionem[229] : *Florentina* 8 *junii* 1765, *dub.* 2. Deinde rescripsit, ut præservetur onus assistendi Missæ cum cantu omnibus diebus festivis, et officiis in nocte Natalis D. N. J. Christi. et diebus hebdomadæ Sanctæ, in reliquis pro gratia : 23 *novem. ejusd. anni.*

145. Onus Missæ hebdomadalis cum aliis 8 festis diebus B. M. V. et S. Josephi Melchior Costaforte, ac onus Missarum diebus feriatis sub auroram implendum Maria Solco Bonelli vidua dedit sodalitio Sanctissimi Rosarii in ecclesia B. M. V. Annuntiatæ PP. Min. observantiæ erecto. Sacrorum agendorum facultatem PP. prædictis reliquit, qui celebrarunt eleemosyna manuali, quam tradebant sodales. Præfati Patres potestate a duobus Sum. Pont. Benedicto XIII et XIV, tributa uti posse putantes, reductionem pro primo legato ad Missas 30, pro secundo ad 97, quotannis fecerunt. Ast sodales suetam PP. tradere eleemosynam detrectarunt, et Patres celebratione se abdicarunt. Quæritur hodie de reductionis prænarratæ validitate, de qua non constare S. C. respondit : *Fossanen.*, 9 *apr.* 1766, *dub.* 2.

146. Antonius Gandulphus tres quotidianas Missas in ecclesia S. Andreæ civitatis Sarzanæ celebrandas, dotesque puellis, ac pauperibus eleemosynam distribuendam mandavit. Sed quum ob redituum deficientiam tum dotatio, tum eleemosyna quandoque fuisset imminuta quandoque intermissa, pauperes, ac puellæ, expostulationem fecerunt. Itaque administrator causæ piæ urget pro Missarum reductione, ad quem S. C. esse consulendum Sanctissimum pro gratia reductionis ad duas tantum Missas quotidianas cum eleemosyna manuali juxta morem regionis respondere non hæsitavit : *Lunen. Sarzanen., Red. Miss.*, 17 *junii* 1769.

147. Laicalem capellaniam cum onere unius Missæ quotidianæ erigi jussit Laura Fani in altari S. Francisci de Paula in ecclesia S. Andreæ de Fractis, cui assignavit quantitatem locorum montium 24, pro fundo, adjecitque ut religiosi Minimi ejusdem conventus supplementum in casu evictionis, vel extractionis eorumdem minime efflagitarent. Hæredes, et exquutor inde declararunt, testatricis mentem fuisse, ut in juliis duobus eleemosyna cujuslibet Missæ consisteret. Quum autem loca montium pro extractione sequuta decrevissent ad 22, capellanus conqueritur, sed assequi reductionem Missarum, quam poscebat, non meruit ; *Romana, Red. Miss.* 29 *julii* 1769.

148. Jacobus Philippus Concetti testamento designavit capellaniam ad altare B. M. Incoronatæ in ecclesia S. Stephani terræ S. Justi, et illius rectoribus onus imposuit celebrationis quinque Missarum singulis hebdomadis : iisdem vero sub pœna caducitatis vetuit ne unquam Missarum reductionem efflagitarent, lattamen contra testatoris voluntatem sibi arrogat rector Franciscus Antonius Cardelli reductionem, et S. C. dixit dilata, et denuo proponatur causa citatis exequutoribus testamentariis, aliisque interesse habentibus : *Firmana, Red. Miss.*, 29 *julii* 1769. Deinde rescriptum prodiit, negative, et utatur jure suo, contra quos de jure : 15 *decem.* 1770, confirmata 27 *novem.* 1773.

149. Majoratui de Villavenaxar, quem modo possidet marchio Joseph Benedictus de Samano, et Urbina, plura onera Missarum, aliorumque piorum operum annexa sunt ex piis dispositionibus. Proventus nunc temporum injuria adeo decreverunt, ut vix constituant summam scut. 55. Quare marchionissa de Villavenaxar mater, et tutrix marchionis Josephi, postquàm 5,000 regalium causa instaurationis et ornatus capellæ Immaculatæ Conceptionis B. M. V. ecclesiæ cathedralis impenderat, petit onerum reductionem ad numerum Missarum ab Episcopo definiendum, firma remanente qualitate laicali capellaniæ, et jurispatronatus in favore possessorum majoratus de Villavenaxar non demonstrative, sed taxative reditus supradictos assignatos fuisse comprobans. S. C. respondit dilata, et scribatur Episcopo juxta instructionem[230] : *Calceaten., Red.*, 16 *junii* 1770.

150. Perantiquum extat in ecclesia cathedrali beneficium cujus onera sunt Missa hebdomadalis, et solutio libellarum 5 Arcæ anniversariorum illius ecclesiæ quotannis præstanda, lapsu vero temporis reditus adeo sunt imminuti, ut vix hodie supersit summa scut. 2, et ob. 54. Quare subdiaconus Bartholomæus Quetgles hodiernus beneficii

[229] « Ut de oneribus referret, quæ, et quibus diebus moderanda sint, et an temporum successu domus habere possit augmentum, sive suapte natura, sive ex multitudine incolarum, quæ augeri possint ex præsentia novi principis : et super his aliisque, quæ ad rem conferre putaverit, animi sui sensum adjicere non prætermittat : » ***Ead. causa***, 24 *aug.* 1765.

[230] Quod transmittat dispositiones singulorum fundatorum, et capellaniarum erectiones ; referat an regii reditus perpetuo decreverint, vel tantum fructuum solutio suspensa, et an spes sit, ut redintegrentur vel in totum, vel in partem; referat de qualitate bonorum, quæ marchionissa de villa offert in præmissarum fundationum satisfactionem et reductionis exemplar, ac veluti typum efformet, et transmittat, et votum suum, etc. ***Regist. Lit.***, lib. 33, *die* 16 *junii* 1770.

possessor onerum reductionem efflagitat. At S. C. voluit, ut responsum differretur, scribereturque Episcopo juxta instructionem : *Majoricen., Red.*, 18 *aug.* 1770.

151. Canonicatum cum onere quatuor hebdomadalium Missarum cum sacrificii applicatione in collegiata ecclesia S. Joan. Baptistæ terræ Cryptarum instituit Leonardus Cordelli. Canonicatus hujus possessionem sacerdos Angelus Sebastiani statim ac nactus est, adeo diminuta invenit illius bona, ad 22 reducta scuta, ut Missarum reductionem ad quantitatem reditibus respondentem postulare coactus fuerit. Reductioni annuit S. C. cum eleemosyna ad rationem taxæ perpetuæ, sed firma voluit cetera canonicatus onera manere : *Montis Falisci*, 24 *novem.* 1770.

152. Constructo sacello in ecclesia S. Mariæ Pontiani Dominicus Riccius legavit eidem scut. 225. Ex fructibus voluit scut. 10 dari capellano, qui sacra decem menstrua ageret. At diminutis reditibus reductio donata fuit ad annuas Missas 50. Insuper sequutis locorum montium extractionibus vix scut. 3, 77 supersunt. Idcirco capellaniæ possessor nunc iterum nititur pro reductione Missarum ad eleemosynam manualem, et scire cupit, quænam summa sit præservanda pro conservatione altaris, et sacræ supellectilis? cui S. C. respondit, arbitrio Card. Abbatis, dempta tamen undecima redituum parte pro manutentione altaris, et sacræ supellectilis arbitrio ejusdem Cardinalis : *Nullius Terræ Pontiani, Red.*, 8 *junii* 1771, *dub.* 1 et 2.

153. Michael Angelus Cesi suis hæredibus mandavit, ut ex fructibus bonorum, et hæreditatis, quæ est Romæ, et in Monte Leone scut. 50, demerentur, quæ duobus distribuenda erant presbyteris sive monachis sub onere quotidie celebrandi alternatim in hebdomada Missam, et præcepit insuper, ut iidem hæredes pro vino, pro luminibus, proque necessario altaris ornamento providerent. Prætermisso ab hæredibus bonorum hæreditariorum inventario, bona commixta sunt cum illis Michaelis Angeli filii, et imparia inventa sunt ferendo oneri scut. 50, quæ in celebratione quotidianæ Missæ impendi debebant; hinc experti sunt Missarum reductionem, et assequi non valuerunt: *Spoletana, Red.*, 8 *junii* 1771.

154. Pia mulier Portia de Pauletti jussit, ut bonorum suorum fructus celebrationi duarum Missarum quolibet mense, et unius annuæ Missæ solemnis in die festo S. Antonii Abbatis inservirent, et ut celebratio fieret a rectore pro tempore capellæ S. Joan. Evangelistæ erectæ in ecclesia parochiali terræ Morlupi. Census majorem haud reddit fructum, quam scut. 2, 50 et capellanus hodiernus animadvertit imparem esse subeundis oneribus. Hinc pro reductione preces exhibet, cui S. C. respondit, locum esse reductioni ad rationem eleemosynæ manualis, deleta Missa solemni, et ad mentem : *Nepesina, Red. Miss.*, 15 *febr.* 1772.

155. Capitulum oppidi *del Comiso* gravatur onere Missarum 2896 annuarum pro implemento nonnullarum capellaniarum, quæ a piis benefactoribus in eadem ecclesia fundatæ reperiuntur, exponitque miserrimam inter canonicos fructuum distributionem, et precatur ut dictus sacrorum numerus reducatur ad unum tantum sacrum ab iisdem dignitatibus, et canonicis mense quolibet celebrandum. Sed S. C. respondit, dilata, et scribatur Episcopo juxta instructionem [231] : *Syracusana, Red. Miss.* 9 *maii* 1772. Reproducta causa superiori simile edidit responsum [232] : 8 *junii* 1775.

156. Carolus Antonius Gazonus instituto beneficio in ecclesia in Burgo Majori onus possessori injunxit celebrandi quotidie Missas, et in diebus festis fidelium sacramentales confessiones excipiendi. Beneficii reditus procedente tempore imminuti sunt, et impares esse reperiuntur ad onera exequenda ab hodierno possessore Guido Gaito, qui diminutionem propterea Missarum cogitat, consentientibus tam Episcopo, quam omnibus interesse habentibus in nominatione. S. C. respondit deleto onere audiendi confessiones, et reductioni Missæ quotidianæ minime esse locum : *Aquen., Red.*, 27 *junii* 1772. Sed idem pessessor ait non satis consultum fuisse prædicto rescripto, et iterum reductionem petit, firmis remanentibus aliis oneribus, quæ ad publicum commodum magis respiciunt; S.

[231] « Ut instructa reddi posset S. C. primo quibusnam ex fundis massa illorum canonicorum usque ab initio fuerit constituta ; secundo, unde nam ex summa untiarum 212, 23, 5, post erectionem liquidata excreverit redituum incrementum ad untias 255, 16, 2, quæ nec ad Missarum, nec ad alia subeunda onera sufficiunt; tertio, quarto, et quinto, quænam ratio de oneribus, atque emolumento pro servitio chori in erectione habita fuerit; sexto demum, quinam sit copellaniarum numerus, quænam peculiaris uniuscujusque testatoris dispositio, et an fundi taxative, vel demonstrative relicti, ac assignati fuerint, quæ eleemosynæ quantitas pro unaquaque Missa fuerit constituta, et quantum ex bonis, et fundis eorum retrahatur : *Ead. causa*, 8 *julii* 1775.

[232] Documenta a capitulo exhibita illegalia visa fuerunt, et grave nimis Missarum celebrationem abolere, vel imminuere, ut stipendia canonicis augeantur, quapropter Episcopus separet Missarum onera bonis infixa, si quæ sunt, quæ pro erectione collegiata assignata fuere : nihil immutandum de iis omnibus, quæ post annum 1679 capitulo obvenerunt ; referat quidquid detractis oneribus in compendium capituli cedere possit, inde vero agendum erit de imminutione aliorum onerum, quæ in se capitulum assumpsit, vel de imminutione servitii chori, potius quam de imminutione Missarum : *Regist. Lit.*, lib. 33, *die* 8 *julii* 1775.

C. a sententia destitit, et esse locum reductioni Missarum ad rationem perpetuæ, firmo remanente onere audiendi confessiones, et erogandi fructus census duplarum 50, in causam a fundatore expressam, in favorem nempe sacrarum supellectilium : 19 *decem.* 1772.

157. Petrus Ciucci hæredi onus imposuit explendi singulis annis sex officia cum applicatione decem Missarum pro quolibet in una, tot alia in altera ecclesia peragenda. Insuper reliquit annua scut. 40, pronepoti sacerdoti pro celebratione duarum Missarum qualibet hebdomada, et eamdem summam alteri sacerdoti pro Missis tribus hebdomadalibus celebrandis præter aliam singulis diebus festis. Hæredes officio satis non fecerunt, et rev. fabrica rem composuit, et illos ad onerum reductionem ob sortes imminutas implorandam adegit; hinc a soladibus S. Hieronymi hæredibus Ciucci ad examen posito utrum onerum præscriptorum reductioni sit locus? responsum est pro reductione Missarum ad rationem perpetuæ, et scribatur Episcopo juxta instructionem [235] : *Ariminen.*, *Red.*, 8 *maii* 1773, *dub.* 1.

158. Impertita fuit reductio Missarum ad rationem eleemosynæ manualis beneficii fundati a Sebastiano Tartari. Nam non semel imminutis reditibus onus sacri quotidiani, quo gravabatur dictum beneficium, diminutum fuit ad rationem eleemosynæ, quæ non adæquabat taxam synodalem, ad cujus mensuram nunc reductio fuit postulata : *Viglevanen.*, *Benef.*, 23 *januar.* 1773.

159. Presbyter Congregationis Missionis Laurentius Geraldinius ad sacros ordines capellaniæ residentialis a Bartholomæo Jannuzzi institutæ a Castro Pino abesse cogitur, et stipendium altero sacerdoti qui in designata ecclesia Missarum onera impleat, persolvere debet; verum capellania bonorum detrimentum passa est, et in eo castro exiguus presbyterorum numerus existit. Hinc remedium invenit huic malo vel in translatione Missarum ad ecclesiam Minorum conventualium civitatis Amerinæ ubi fundatorum cadavera tumulata sunt vel in Missarum reductione. Sed causam S. C. non definivit, Episcopo scribi juxta instructionem mandando : *Amerina*, *Red. et Disp.*, 7 *aug.* 1773, *dub.* 1.

160. Petrus Petronsus summam scut. 500, in bonis stabilibus, vel in sensibus, aut in locis montium investiendorum legavit Patribus Eremitis excalceatis ordinis S. Augustini cum onere trium Missarum. At quum censuum debitores foro cesserint absque culpa Patrum legatariorum, hos certa spes tenet Missarum reductionis, et illos animus non fefellit, reductionem ad manualem referendo : *Asculana*, *Red.*, 18 *decem.* 1773.

161. Temporarias Missarum 706 reductiones pro medietate sæpe obtinuere capitulum, et canonici S. Gregorii Magni Spoleti a S. C. ab anno 1758, usque ad annum 1775. Iterum exhibito dubio an et quomodo sit consulendum Sanctissimum pro reductione Missarum? responsum habent pro prorogatione reductionis medietatis ad triennium. Nam exposuerant dicti canonici fundationis onera, quibus gravantur, præbendarumque imminutiones a terræ motus calamitatibus profectas prorsus ignorare : *Spoletana*, 17 *junii* 1775. Deinde ad aliud biennium ad formam præcedentis Indulti, et interim ut deveniatur ad firmationem status, rescribitur postulationibus reiteratis. Postmodum meruerunt dicti canonici gratiam ad aliud triennium, 24 *novem.* 1781. Denique S. C. indulsit reductionem ad formam præcedentis Indulti, et ut Episcopus incumbat meliorationi bonorum, et perquisitioni instrumentorum fundationum : 18 *junii* 1785.

162. Geminos dux Alexander Pico in ecclesia collegiata Mirandulæ fundavit canonicatus quorum possessoribus quatuor hebdomadalibus Missis præter aliam quolibet die festo celebrandam, necnon onere chori tempore Adventus et Quadragesimæ, diebus festis, ad concionibus, et supplicationibus aggravavit. Uterque canonicus animadvertens imparem esse tot ferendis oneribus, et Missarum et chori, pro eorum obtinenda reductione in spem adducitur. Verum suspensa causa fuit, et Episcopo juxta mentem [234] scribi demandatum : *Regien.*, *Red.*, *Sen.*, *Chori, et Miss.*, 29 *julii* 1775. Mandatis omnibus ab Episcopo expletis, S. C. rescripsit, ut firmo remanente onere Missarum servitium chori ad festos tantum dies reduceretur : 27 *april.* 1776, confirmata 14 *martii* 1778.

163. Comes Alexander Spada hæres Clementinæ, et Hortensiæ Spada ignorans investimentum sequutum ad formam dispositionum earumdem in censibus pro fundo legatorum Missarum quarum celebrationem ordinaverant, exoptat assignare prædium valoris oneris respondentis, ut annuum Missarum

[235] Sodales omnes adhibeant, ut jura, et bona pertinentia ad hæreditatem Ciucci a quibuscumque possessoribus vindicentur ; et juris remediis recuperentur, et aucto sacrificiorum numero majorem expiationem anima testatoris consequatur : *Regist. Lit.*, lib. 33, *die* 8 *maii* 1773.

[234] » Quæ fuit, ut Episcopus certiorem redderet S. C. de existentia, statu, et qualitate prædiorum in fundatione canonicatibus assignatorum, et cujus culpa eadem prædia, eorumque reditus decreverunt, et an faciendis restaurationibus, seu meliorationibus in dictis prædiis sperari possint reditus uberiores » : *Ead. causa*, *martii* 1776.

onus reducatur, hinc reductionem a S. C. expectat, sed minime obtinet : *Iteramnen.*, 29 *julii* 1775, *dub.* 2.

164. Quatuor capellanis totidem capellaniarum institutarum a Theodoro Pellegrini exoptantibus reductionem Misarum aliorumque onerum, quibus testator capellanos gravaverat, quia bona pro illarum fundo assignata in valore, et in reditu valde decreverant, ad illorum petitionem S. C. rescripsit dilata, et scribatur Episcopo administratori juxta instructionem [235] : *Tudertina*, *Red. Oner.*, 20 *januar.* 1776. Reproducta causa resolutum fuit juxta votum Episcopi [236] addendo ad mentem, nempe ut Episcopus incumbat pro manutentione, et melioratione bonorum : 3 *febr. ejusd. anni.*

165. Michael Ardizzone capellaniam erigens in ecclesia B. M. Conceptioni dicata a civitate quatuor milliaris dissita, onus capellano dedit celebrandi Missam unam diebus festivis de præcepto. At Antonius Ardizzone, qui paternam hæreditatem nimis ære alieno gravatam invenit, suum levamen collocat in reductione Missarum juxta fructuum quantitatem unciarum sex, detractis etiam expensis pro accessu, et recessu sacerdotis. S. C. annuit addens, ut scribatur Episcopo juxta mentem [237] : *Syracusana*, *Red. Miss.*, 22 *junii* 1776.

166. Præsul Horatius Capponi fundata capellania onus capellano dedit celebrationis Missæ singulis diebus, uno excepto qualibet hebdomada, necnon residentiæ, ac præsentiæ in choro tam in solemni Missa, quam in vesperis omnibus dominicis, et festis solemnioribus; et vetuit Missarum reductionem. Comes Ferdinandus Carolus Capponi patronus pandit pensiones domorum, super quibus taxative fundata capellania est, non excedere annua scut. 20 nec spem esse incrementi : quare præsidium in reductione Missarum ad ratam redituum constituit. S. C. viso testamento respondit, deleto onere servitii chori, esse locum reductioni Missarum arbitrio Archiepiscopi ad rationem manualis : *Florentina*, *Red. Miss.*, 13 *julii* 1776.

167. Alphonsus Bonifaz Incola villæ de Cameno majoratum instituit, quam plurimisque oneribus illum mancipavit. At diminutis censuum fructibus, Franciscus Xaverius majoratus possessor ait impares esse dicti majoratus reditus tot subeundis oneribus, hinc supplicat, ut abolito onere quinque anniversariorum illud Missæ quotidianæ juxta præsentem redituum statum reducere S. C. dignetur. Sed favente quamvis Episcopo ille postulatam non impetravit reductionem : *Burgen.*, *Red.*, 15 *martii* 1777.

168. Imminutis jussu principis reditibus censualibus pro duabus capellaniis a Gherardo Talliani oppidi Valentiæ assignatis, ad votum Archiepiscopi, qui onus capellaniæ ad altare S. Antonii Patavini Missæ quotidianæ ad unam tantum Missam pro qualibet hebdomada, onus vero alterius ad altare S. Catharinæ sitæ in ecclesia monasterii ejusdem sanctæ trium Missarum in unaquaque hebdomada, ad annuas Missas 135 reducendum esse credidit ; Missarum reductioni locum esse S. C. definivit : *Papien.*, *Red. Miss.*, 2 *martii* 1776.

169. Paulus Porchetta hæredi suo Nicolao filio injunxit, ut capellam quamdam extrueret, et unam in qualibet hebdomada celebrari Missam operam daret. Nicolaus filius præter summam a Patre relictam, aliam de proprio impendit in extruenda capella, et fundum pro capellano assignavit, duabus aliis in qualibet hebdomada adjunctis Missis. Prædictus fundus maximum detrimentum passus est, et neque alios, quam annua scut. 8 et ob. 5 reddit fructus, qua de causa clericus Joan. Claudiani spe non labitur reductionem impetrandi. S. C. mandavit, ut onera implerentur a Paulo Porchetta ordinata, et in reliquis reductio fiat ad eleemosynam manualem : *Interamnen.*, *Red.*, 22 *junii* 1776.

170. Ex universali demandata fructuum censuum reductione, omnes ecclesiæ, quibus censuales fructus ad onera Missarum subeunda assignati erant, ad Episcopos recurrerunt, et præfata Missarum onera redacta habuerunt ad rationem sex ob. pro qualibet Missa. Modo collegiatæ ecclesiæ, et parochialis villæ nuncupatæ *della Puebba de Lillet* presbyteri queruntur quod in illa reductione, nulla habita fuit ratio de expensis sacrorum utensilium, et de Missa matutina, et de meridiana, necnon de Missa, quæ in ecclesia itinere unius horæ distante celebratur; ob id confidunt ulteriorem se impetraturos reductionem; et consecuti sunt juxta quantitatem redituum ad rationem eleemosynæ manualis, detractis expensis utensilium : *Celsonen.*, *Red. Miss.*, 1 *martii* 1777, *dub.* 1.

171. Joannes Biscardi Laurentiæ oppidi Lun-

[235] « Quæ in eo versata est, ut Episcopus administrator S. C. distincte referret, quantum ex fluminis corrosione supersit ex supradicto prædio *di Banditi*, seu *li Renari*, quantique sint ejus reditus, qui in singulos capellanos partiuntur » : *die* 20 *januar.* 1776.

[236] Ait enim « Quamobrem cum valor bonorum, eorumque redditus sint adeo imminuti, bonaque ipsa, ne amplius deteriora fiant, annuatim sint reparanda, vel restauranda; Missarum reductioni, quacumque non obstante testatoris prohibitione, locum esse censerem » *die* 20 *januar.* 1776.

[237] « Mens est, ut præter expensas, accessus, et recessus sacerdotis ad ecclesiam designatam taxet pro sua conscientia incommodum dicti sacerdotis, firma remanente obligatione oratoris pro subministratione utensilium, et ornamentorum dictæ ecclesiæ » *junii* 1776.

gonensis in Etruria testatricis nepos postulans reductiones oneris Missarum, quas illa in numero tres in hebdomada præscripsit, et pro quibus duas vineas assignavit, et unica tantum remansit, exigui proventus, responsum tulit affirmativum juxta votum Episcopi [238] ad decennium cum conditionibus ab eodem Episcopo designatis : *Messanen., Red. oner. Miss.*, 11 *januar.* 1777.

172. Guillelmus Gemelli septem ex prædecessorum suorum fundationibus Missarum numero gravatur. At quum illius familia facultatum jacturam passa sit, prematurque etiam numerosa sobole, et impar propterea sit ad dictum Missarum onus ferendum, optima spe nititur pro reductione. Verum S. C. primum distulit resolutionem, mandavitque ut scribatur Episcopo juxta instructionem : *Messanen., Reduct. Miss.*, 9 *aug.* 1777. Deinde quoad legatum Petri Gemelli, qui in suo testamento capellaniam instituit cum onere Missæ quotidianæ, assignato reditu annuarum unciarum 10 respondit ; negative quo vero ad alia legata Hieronymi nempe Gemelli, qui onus Missarum 12 hebdomadalium imposuit, et harum reditus imminutos esse fatetur Archiepiscopus ; et Dominici Gemelli, qui onus reliquit trium Missarum quotidianarum, pro gratia reductionis respondit, ad celebrationem unius Missæ quotidianæ pro Hieronymo, et Dominico Gemelli, cum obligatione tamen celebrandi alias Missas ad manualem proportione servata ad ratam partem assignationum vitalitiorum, quæ ad oratorem, et ejus filios revertentur : 24 *januar.* 1778.

173. Societas suffragii erecta in ecclesia S. Spiritus habet onus a Vincentio Lucatelli relictum Missæ unius quotidianæ, et unius anniversarii cum duodecim Missis. Hæc reductionem onerum exposcit, quod bona superextantia, præter novæ ecclesiæ constructionem ex testatoris præcepto faciendam satis non essent ad prædictorum onerum satisfactionem ; et S. C. : esse locum reductioni anniversarii ad unicam Missam lectam et aliarum Missarum ad rationem eleemosynæ manualis, deletis aliis oneribus, et pro hujusmodi exequutione ad secretarium cum Sanctissimo censuit : *Pisauren., Redint. et red. Miss.*, 29 *novem.* 1777, *dub.* 2.

174. Quum rector ecclesiæ ruralis S. Francisci Castri Podii Canosi reditus haberet scut. 39. 15 annuos, et ad annuam summam scut. 52 ob. 76 ascendant onera tum Missarum, tum pensionum, præter ejusdem rectoris obligationem manutenendi sacra supellectilia, ecclesiam, domumque ruralem ; pro Missarum proinde reductionem laborat, et responsum tulit, dilata, et scribatur Episcopo juxta instructionem [239] civitatis parochis tam S. Jacobi, quam Podii Castri Canosi : *Asculana, Red. Miss.*, 14 *febr.* 1778.

175. Monasterium et moniales S. Claræ urbis Guardiæ præviis contractibus diversis temporibus initis plurimarum Missarum onus sibi sumpserunt. Sed cum prædictæ moniales modo erogationem pecuniæ pro illis receptis ignorent, et aliunde onus exuberans aspiciant necnon gravi paupertate premantur, orant ut reducantur aut deleantur Missarum onera ; et S. C. pro reductione juxta mentem [240] rescripsit : *Egitanien., Oner. Miss.*, 14 *febr.* 1778.

176. Aloysius Pantalupi onus possessori capellaniæ in ecclesia S. Petronii castri Bononiensis fundatæ reliquit celebrandi anniversarium cum decem Missis lectis in die festo S. Catharinæ, totidemque in die anniversarii, ac etiam quinque Missas in hebdomada. Sed capellanus hodiernus dotem tam quoad sortes, quam quoad reditus invenit summo opere imminutam, terrarum nempe pretia deficere, domum minari ruinam, et census nonnullos deperditos ; ideo omnes in reductione sitas, ac locatas rationes habuit ; et petitionis salutarem effectum assecutus est, id est firma remanente celebratione Missarum in die festo S. Catharinæ, et aliarum in die sequenti ad formam testamenti, in reliquis esse locum reductioni ad rationem manualis, demptis utensilium expensis et oneribus : *Imolen., Red. ac Susp. oner. Miss.*, 14 *febr.* 1778, *dub.* 1.

[238] » Qui exponebat ut aliqua pars fructus hujusce hæreditatis quotannis erogetur ab eodem oratore in demandatum augmentum, et ut quolibet triennio constare faciat apud Ordinarium de tali adimpleta conditione, ad hoc ut vel augeatur, vel resumatur numerus Missarum ad mentem fundatricis ad decennium » : *Ead. causa*, 11 *januar.* 1777.

[239] « Quod nempe celebrentur Missæ duæ qualibet hebdomada pro legato canonici Barbosæ, tres Missæ quolibet anno pro legato Petri Pinna, et Missa una pro sororibus Mesquitis quolibet anno » *Ead. causa*, 14 *febr.* 1778.

[240] Quod Episcopus auditis, et citatis tam parochis, et rectoribus ecclesiæ S. Jacobi, quam alterius Podii Castri Canosii firmet statum ecclesiæ S. Francisci tam de tempore suppressi conventus Min. Conv., quam de tempore præsenti, referat de moderno annuo reditu demptis oneribus facto calculo per decennium referat, an imminutio redituum processerit ex natura rei, vel ex causa antecessorum rectorum, vel hodierni rectoris, et quatenus hoc culpa antecessorum evenerit, inquirendum erit, an eorum hæreditas sit solvenda pro redintegranda ecclesia, demum animadvertendum, utrum pensiones reservatæ in favorem præpositi ecclesiæ curatæ S. Jacobi, et parochi Castri Canosii necessariæ respective sint pro præposito, et parocho, ita ut absque dictis pensionibus supportare valeat onera respectivæ præposituræ, et parochiæ. » *Regist. Lit.*, lib. 33, *die* 14 *febr.* 1778.

177. Honuphrius Grimaldi detexit familiam suam teneri ad celebrationem Missarum 925 relictarum a pluribus piis auctoribus cum eleemosyna solvenda ex reditibus prædiorum, quæ unusquisque testator taxative assignaverat. Verum quum prædiorum reditus valde diminuti essent, parumque supersit ad Grimaldam familiam decem gravatam filiis, in spem venit pro dictarum Missarum reductione ad tres tantum Missas in qualibet hebdomada ; sed S. C. rem protelavit, et adjunxit ad mentem [241] : *Nucerina Paganorum, Red., Miss.*, 14 *martii* 1778. Reproposita causa ex decreto S. C. orator meruit gratiam suspensionis onerum Missarum eorum legatorum pro quibus bona administrantur a familia Grimaldi, celebratis tamen tribus Missis in qualibet hebdomada, in reliquis lectum : 5 *sept. ejusd. anni*.

178. Sacerdos Carolus Andreas Laghi narravit domum emphyteuticam combustam esse, et pro ejus reædificatione patrem patruumque suum imposuisse censum in sorte scut. 100 et ipsum etiam de proprio impendisse alia scut. 50 : ac propterea Missæ, ad quam in qualibet hebdomada in expiationem animæ Claræ Gipponi sese obligati sunt omnes emphyteutæ, reductionem imploravit, sed studium suum inutiliter posuit, quia S. C. ivit inficias : *Forolivien., Red. Miss.*, 30 *maii* 1778.

179. Hæredes Bartholomæi Calavarone pii fundatoris consilium petentes, quomodo sit locus reductioni oneris Missarum, eo quod legatum 220 ducatorum argenteorum ex pretio, quod ex tribus taxative designatis prædiis retrahi debet, impar omnino esse dignoscitur ad quatuor hebdomadales Missas celebrandas, responsum habuerunt affirmativum ad rationem eleemosynæ manualis, detractis utensilibus : *Alben., Red. Miss.*, 16 *maii* 1778.

180. Gravatur familia Amari terræ Malleani Pecudatitii Missis quatuor in qualibet hebdomada, ter in quolibet anno cum cantu, ac anniversariis quatuor cum duobus lectis annuatim pariter sacris. Quum fideicommissum alienationibus diminutum in valore 1000 invenisset Joan. Baptista Amari; et quum diuturnis illud litibus a tertiis possessoribus vindicare fuisset coactus, reductionis spem concipit, ut ipsi aliquid et provocationis jure, et pro expensis litium, et meliorationum ab ejus avo factis supersit. S. C. post aliquantulam dilationem, et instructionem Episcopo demandatam [242], rescribere dignata est pro gratia reductionis ad quinquennium, nempe celebrata unica Missa singulis hebdomadis, necnon aliis septem Missis, una nempe in unaquaque ex septem festivitatibus B. M. V., necnon et aliis tribus lectis in unoquoque ex tribus diebus in quibus præscripta fuerunt anniversaria a testatoribus : *Nepesina, Red.*, 5 *sept.* 1778.

181. Missarum, quas ordinavit Joan. Franciscus Bruneri, reductio indulta fuit a S. C. juxta votum Archiepiscopi, facto verbo cum Sanctissimo ; quum perspicua redituum imminutio, ac maxima patronorum a fundatore descendentium egestas facta fuisset : *Taurinen.*, 30 *martii* 1776.

182. Beneficiatus civitatis Castri Regalis a sacerdote Melchiore de Salvo fundatus, quum diligens fuisset in excolendis bonis a beneficium spectantibus, et his ob aeris intemperiem fructus non ferentibus, personali non obstante obligatione super quotidiana Missarum celebratione, reductionem ad rationem eleemosynæ manualis, demptis tamen utensilibus, obtinuit : *Romana, et Nessanen.*, 16 *jan.* 1779.

183. Joan. Andreas de Grassis summam 1200 capitulo cathedralis legavit, ut sex in hebdomada agricolarum commodum sub auroram celebraret. Capitulum suscepit legatum absque applicatione. Card. Barbadicus antistes ad applicandas Missas capitulum coegit. Sed capitulum inspecta fructuum diminutione, ut firma remanente celebratione Missarum sub auroram applicationis onus reducatur, bono est animo, et revera S. C. respondit, ut firma remanente applicatione, et hora celebrationis Missarum, esset locus reductioni arbitrio Episcopi, cui scribi etiam voluit juxta instructionem [243]. *Cornetana*, 17 *julii* 1779.

184. Onera, quibus capitulum ecclesiæ cathedra-

[241] Quæ fuit, ut Episcopus absque ullo sumptu, aut oratoris impensa transmitteret particulas testamentorum ad rem facientium, necnon statum familiæ, ut dignosci possit, quanti sint reditus ipsius ex calculo educti ; qui vel coram eodem Episcopo, vel ex ipsius mandato confici debuisset per ultimum decennium, ut erui possit, quantæ expensæ annuales necessariæ sint ad alendam honeste oratoris familiam, transmitteret etiam arborem genealogicam majorum testatorum, ut cognosci possint, qui sint ascendentes quive inter transversales connumerari debeant, insuperque referret, quanta sit eleemosyna manualis, quæ pro Missis lectis, et quæ pro Missis cantatis, secundum illius regionis morem requiritur, ac demum super his omnibus ejus animi sensum aperiret : *Ead. causa*, 8 *aug.* 1778.

[242] « Instructio autem in eo versabatur, quod sacra Congregatio certior fieret 1. an Joan. Baptista Amari orator sit hæres immediatus Joan. Baptistæ senioris ejus avi, et respective Alexii ejus propatrui, a quibus jura detrahendarum meliorationum desumere contendit, seu potius sit hæres mediatus per medium Felicis ejus patris. 2. An bona, quæ titulo fideicommissi modo retinentur ab eodem oratore Joan. Baptista, sint illa, in quibus demonstrative testator onus Missarum imposuit. 3. An et super quibus bonis verificentur meliorationes. 4. Demum, an annui reditus bonorum omnium in relata quantitate scutorum 31 pares sint pro onerum implemento. » *Ead. causa*, 8 *aug.* 1778.

[243] Nempe ut Episcopus præfigeret quantum fieri poterit minorem taxam perpetuo servandam : *Ead. causa*, 17 *julii* 1779.

lis præter reditus gravabatur, juxta facultatem sibi a Benedicto XIV, Pont. Max., tributam, reduxerat Antistes. Sed quum alia postea supervenisset fructuum diminutio, examen meruit, an, et quomodo sit locus reductioni Missarum lectarum, etiam per vices celebrandarum extra ecclesiam cathedralem in designatis diebus, et capellis? et a S. C. fuit resolutum, affirmative juxta votum Card. de Zelada [244], dempta tamen Episcopo facultate reducendi Missas : *Conversana, Red. oner.*, 27 *junii* 1778, *dub.* 1.

185. Capitulum ecclesiæ cathedralis, quod onus habet curandi celebrationem quotidie trium Missarum pro benefactoribus tam vivis, quam defunctis, a suo canonico curato explendam, modo Missarum reductionem, aut deletionem assignata curato congrua petit; sed neutrum S. C. contra votum Episcopi concessit : *Nicen., Oner. Miss.*, 15 *januar.* 1780.

186. Hieronymus Pescatori nonnulla bona societati Sanctissimi Sacramenti oppidi Momi donavit, onere abjecto trium Missarum qualibet hebdomada, et singulis diebus dominicis celebrandarum, necnon gratis grammaticæ rudimenta pauperes pueros ejusdem oppidi, ac etiam diebus festis doctrinam christianam docendi. Accepit sodalitium donationem, onera injuncta fuere capellano, quo extincto nemo unus capellaniam optavit ob tenuitatem redituum ferendis oneribus prorsus imparium. Id occasionem sodalitio præbuit reductionem poscendi. Sed S. C., ut omnia onera in donatione exarata, et a sodalitio suscepta, implerentur mandavit : *Novarien., Red.*, 28 *aug.* 1780.

187. De quatuor capellaniis ab Alphonso Lopes de Liceras institutis in ecclesia cathedrali Archiepiscopus binas suppressit ad reliquarum fructus augendos, sed onus tamen iis auxit Missarum. Imminutis iterum fructibus ex redemptione census, capellani juxta redituum diminutionem, reductionem efflagitant. S. C. resolvit reducendas esse ad duas tantum capellanias cum integro onere Missarum omnibus capellanis a testatore injuncto, atque omnibus aliis oneribus ab eodem præscriptis facto verbo cum Sanctissimo : *Compostellana, Red.*, 10 *febr.* 1781.

188. Oratorium S. Josephi in loco de Panicale in medio Sylvarum suis conterminum bonis extruxit Sanctes Tonelli, onusque hæredi fidei commissario dedit celebrationis Missæ quotidianæ. Verum inspecta maxima redituum diminutione primogenitus animi sui sensus enunciavit, ut illa Missa quæ in distanti incommodoque oratorio celebranda est, reduceretur ad rationabilem Missarum numerum, quarum pars in oratorio celebretur festis tantum diebus, residualis vero illarum pars ad capellam in publico oratorio *della Giarella* transferatur. S. C. oratoris precibus arbitrio, et juxta Episcopi votum [245] annuendum esse resolvit : *Lunen. Sarzanen. et Parmen.*, 10 *febr.* 1781.

189. Joannes Franciscus Gorrone legatum Missæ quotidianæ sodalitio Sanctissimæ Conceptionis B. M. V. reliquit. Sodalitium renuit legatum manutenere, et vidua defuncti fundatoris censum lib. 1200 ei tribuit. Attamen sacerdotes, qui celebrarent cum eleemosyna ob. 7 cum dimidio non inveniebantur; ideo omnia studia defixa sunt in reductione Missarum juxta eleemosynam taxæ synodalis; ita ut reductio Missæ quotidianæ fieret ad numerum 200. quolibet anno S. C. autem reductionem concessit juxta modum [246] : *Viglevanen., Red. Miss.*, 28 *april.* 1781.

190. Jure legati puella Gratia et Franciscus, Casini reliquerunt Missarum onus archiconfraternitati Sanctissimi nominis Mariæ Urbis habita ratione substitutionis casu, quod illud minime acceptum haberet. Utrumque pium legatum sodales admiserunt, sed inde cognoverunt, quod fructus ex relictis locis montium eleemosynam pro unoquoque sacro a Benedicto XIII, Pont. Max., præscriptam, non attingunt et hac de causa petierunt reductionem ad taxam eleemosynæ perpetuæ; et S. C. gratiam petitam indulgere non dubitavit : *Romana, Reduct. oner. Miss.*, 12 *maii* 1781.

191. Census fundi mansionariæ in ecclesia cathedrali a Juliano Stephani fundatæ olim octo pro centenario reddebant. Modo Franciscus Pellegrini valde imminutos esse fructus, et se ad 168 peragenda sacra comprehensa Missa, quæ per consuetudinem qualibet hebdomada celebrabatur in altari Sanctissimi Crucifixi, necnon a choro interveniendum, adstrictum agnoscens, institit, precatusque est aliquam sive Missarum sive aliorum onerum reductionem. Voto illius annuit S. C. ut nimirum esset reductioni locus pro Missis in laterculo ecclesiæ, et pro servitio chori ad dies festos de præcepto, et per totam quadragesimam : *Feretrana, Red. oner.*, 16 *junii* 1781.

[244] Vide not. 127, verb. *Anniversaria.*

[245] Lunensis Sarzanensis Episcopus putabat, oratori indulgeri posse, tum quoad Missarum reductionem, tum quoad earumdem translationem, ita tamen, ut reductio fieret dumtaxat relative ad onus Missæ quotidianæ, dispensatio super celebratione trium, vel quatuor Missarum in singula hebdomada, et omnibus diebus festis celebraretur in præfato oratorio ad colonorum commoditatem; reliquæ vero Missæ in ecclesiam montium oratoris parochiam transferentur; iis quoque minime exceptis, quæ in civitate Parmæ sunt celebrandæ : *Ead. causa*, 10 *febr.* 1781.

[246] « Nempe ad rationem manualis, computatis etiam fructibus, excedentibus expensas utensilium » *Ead. causa*, 28 *april.* 1781.

192. Capellanus in parochiali ecclesia Cerbariæ beneficium possidens a Jacobo Colagrossi fundatum aperte reddit capellaniæ fructus non excedere summam annuorum scut. 23 cum onere celebrandi 4 sacra in qualibet hebdomada, solvendique onera cameralia, præter onus adjuvandi parochum in animarum curæ exercitio, ac propterea reductionem ad unam qualibet hebdomada Missarum mereri arbitratur. Verum S. C. in alium diem decretum protendit, et ad mentem [247] rescribit: *Nullius, Sublacen.*, 7 *julii* 1781, *dub.* 3.

193. Ecclesia collegiata S. Mariæ oppidi Cisternæ oneratur Missis 857. Legatorum vero reditus ad scut. 177, 05 annua ascendunt. Missæ cum cantu, sive anniversaria sunt 82. Reditus eorum conflant scut. 72, 90 annua. Quamobrem capitulum supplex adiit S. C. pro aliqua Missarum reductione, et hæc respondere non hæsitavit, quoad legata, quæ habent reditum sufficientem ferendo oneri a testatore præscripto, negative; quo vero, ad cætera legata affirmative et reductionem faciendam esse juxta quantitatem redituum ad rationem taxæ manualis pro Missis lectis; juxta vero morem regionis pro Missis cum cantu, demptis tamen semper sacris utensilibus: *Veliterna, Red. Miss.*, 22 *decem.* 1781.

194. Quoad beneficium fundatum in ecclesia S. Bernardini a Georgio de Panizzis cum onere quatuor Missarum hebdomadalium, ac diebus festis, et anniversariis, inspecta diminutione redituum, reductio petita fuit a societate S. Spiritus in dicta ecclesia erecta, quæ oratorium ampliavit, et transegit cum beneficiato assumptis oneribus Missarum; S. C. ut supplicet beneficiatus, rescripsit: *Parmen.*, 26 *januar.* 1782, *dub.* 2.

195. Beneficiatus Carolus Gerardus, qui possidet præbendam in ecclesia S. Mariæ Burgi Novi a Joan. Antonio de Dominicis Sandrini cum Missæ quotidianæ, residentiæ, ac chori onere erectam, quique, perpensa redituum modicitate, ab Ordinario oneris Missarum ad annuas 278 reductionem obtinuit, cujus præsidium iterum implorat a S. C., quæ annuit pro gratia juxta votum Episcopi [248]: *Placentina*, 23 *febr.* 1782.

196. Reliquit Cæsar Nicoluccius archiconfraternitati S. Rocchi annuum censum pro sorte scut. 100, cum onere Missæ hebdomadalis, ac officii defunctorum cum 12 Missis. Ignoratur penitus, quo fœnore eadem scuta fuerunt collocata; exploratum est tamen censuales reditus ea ætate fuisse longe majores illis, qui post Innocentianam Constitutionem percipiuntur. In Missarum codice pastoralis Visitationis legitur: *Quest' obligo cioe di una Messa alla settimana e cessato;* qua de causa inde expletum non fuit prædictum onus. Modo societas curat ejusdem reductionem, et S. C. indulsit juxta votum Card. Episcopi [249]: *Anconitana, Miss.*, 20 *april.* 1782, *dub.* 1.

197. Comes de Tauroleonibus prius contendit, ipsum non nisi ad 20. Missarum celebrationem a Jacobo Armentici jussam, teneri deinde asseruit eam esse reducendam ad quantitatem annuarum Missarum decem. Sed quum testator, etiamsi census Missis attributus a debitore redimeretur, viginti tamen reiterasset Missas celebrandas in rurali ecclesia *del Poggio* a se a fundamentis extructa, neutrum obtinere valuit: *Anconitana, Red.*, 13 *julii* 1782, *dub.* 2.

198. Reductio Missarum denegata fuit a S. C. Joanni Baptistæ Geraldegno, quibus eum gravavit Lucas Cravenna, etiamsi sortes relictæ deperditæ fuerint, et reditus defecerint, sed bona recuperandi aliqua spes effulget, vel ad redingrationem uti hæres adigi possit. Nam dictus Joannes Baptista dimidiam partem domus gravatæ pensionis annuæ lib. 120, pro filiabus ejusdem nubendis alienavit: *Derthonen.*, 3 *aug.* 1782 *dub.* 1.

199. Dicta de reductione Missarum legati Cæsaris Casati S. C. non excepit. Hanc enim postulabant Patres S. Augustini Burgi S. Domnini suppresso conventu oppidi Chiavennæ Laudæ, qui onere prædicto Missarum gravabatur. Nam cum lib. 4388 summa legatum pium Missarum acceperunt per contractum inter vivos, atque onera injuncta exequi spoponderunt. Imo reditus fundi empti, ac pro dicto legato assignata onera fuerunt: *Placentina, Leg. pii*, 23 *novem.* 1772, *dub.* 4.

200. Fundata a Paulino Aquilante capellania laicale in ecclesia S. Sebastiani terræ Arcis Gurgæ

[247] « Et mens est, ut producatur testamentum Jacobi Colagrossi, et conficiatur calculus annui reditus per decennium. » *Ead. causa*, 7 *julii* 1781.

[248] Qui concludit suam informationem: « Rebus igitur ita comparatis, benigne annuendum censeo pro petita reductione ad annuas Missas centum quadraginta circiter, adjecto tamen in gratia onere residendi, quod ex inveterata jam consuetudine longissima a canonicis illius ecclesiæ parum curatur. Hoc enim pacto consultum erit servitio ecclesiæ, cultui altaris: et prout fieri potest, suffragio fundatoris, quorum duo priora secus omnino deficerent absque postulata reductione, et postremum in discrimen vocabitur saltem procedente tempore ex defectu sacerdotis, qui beneficium regat, jura tueatur, et onera adimpleat. » *Ead. causa*, 23 *febr.* 1782.

[249] Card. Episcopus inquit: « Ego tamen easdem Missas ad tricenarum numerum esse adhuc redigendas existimarem, quia pro duodecim illis una die celebrandis majus procul dubio, quam unius julii stipendium præstandum erit, attenta copia Missarum manualium. » *Ead. causa*, 16 *martii* 1782.

cum onere Missæ quotidianæ celebrationis, reditibus extenuatis ejusdem sermonem habuit possessor de Missarum reductione, et licet decrementum præfatum ortum ex mala Francisci Cocchi administratione repetat, contra eum tamen inutile judicium esset pro redintegratione, quum ea bona, quæ possidet, illius uxoris dotale creditum absorberet. S. C. re perpensa denegando reductionem sancivit Missas esse celebrandas juxta quantitatem redituum ad rationem taxæ perpetuæ, et Episcopum incumbere exequutioni, et rectæ administrationi : *Terracinen., et Setina, Red.,* 10 *maii* 1783.

201. Canonicatus in ecclesia collegiata oppidi Martæ gravatus reperitur celebratione quatuor Missarum quolibet mense, et servitio chori. Reditus hujusce canonicatus vix ascendunt ad summam scut. 9, 35. Vicarius generalis Missas ad numerum 80 quolibet anno præfinivit. Hodiernus possessor advertens nullam habitam fuisse ad servitium chori rationem, preces pro reductione fudit. At responsum tulit, pro nunc suspendenda esse ad sexennium omnia onera canonicatus, celebratis quolibet anno Missis decem, et reditus superextantes erogentur pro recuperatione bonorum; et Episcopus incumbat exequutioni : *Montis Falisci, Red.*, 21 *junii* 1783. Rescriptum hoc ad aliud triennium *die* 16 *maii* 1789, *per sum. prec.* celebratis tamen Missis 20 annuis, et docto de fideli erogatione in causam expressam, fuit prorogatum. Inde sumptu scut. 56, 95, recuperatis fundis; aucti sunt reditus in scut. 18, 55. Reductionem perpetuam canonicus implorat et assequutus est ad annuas Missas 40 : 17 *aug.* 1792.

202. Magdalena Bessoni viro suo Antonio Fumei hæredi usufructuario mandavit, ut post ejus mortem ex suæ dotis fructibus tot Missæ in loco hæredi beneviso celebrarentur. Archiconfraternitatem Sanctissimi Sacramenti erectam in ecclesia supra Minervam hæres elegit, eique assignavit quasdam domunculas, alieno dominio subjectas, retento sibi onere solvendi scut. 10 loco pensionum; et eleemosynam convenit in ob. 30, pro qualibet Missa, et ulterius statuit, ut si domus instauratione, vel nova ædificatione indigerent, celebratio Missarum suspenderetur. Archiconfraternitas pro domorum instauratione litem sustinuit, et ob id reductionem, vel ad 5 Missarum saltem suspensionem quæsivit. Sed S. C. definitionem protendens *Card. præfecto juxta instructionem* [250] rescripsit : *Rom., Red., seu susp. oner. Miss.*, 21 *junii* 1783. Deinde resolvit *affirmative* juxta votum Card. protectoris [251] servata quoad Missas celebrandas ex reditibus domus ad arcum puritatis manuali, solutis utensibus : 18 *junii* 1785.

203. Fabius de Innocentiis canonicatum erigi jubens in ecclesia collegiata S. Medardi oppidi Arcis Contradæ, canonico onus inserviendi choro tempore Quadragesimæ, et omnibus diebus festis, necnon celebrandi duas Missas in qualibet hebdomada, ac insuper celebrandi festum Sanctorum Innocentium cum octo Missis, ac demum excipiendi sacramentales confessiones, tradito ab hæredibus prædio reddente scuta 60 : at diminutis inde ejus fructibus, reductionem horum onerum poposcit sacerdos Hieronymus Bellini possessor, et juxta votum [252] ab Episcopo exaratum gratiam assecutus est : *Senogallien., Red.*, 10 *maii* 1783.

204. Franciscus sacerdos Baldini sortem reliquit ecclesiæ cathedrali scut. 500 pro erectione laicalis capellaniæ, jussitque, ut capellanus per decennium tot Missas celebraret, quot responderent eleemosynæ ad rationem ob. 10 pro qualibet. Elapso decennio mandavit, ut ex reditibus dictæ capellaniæ singulis annis scut. 12, 50 deponerentur ad efficiendum fundum 800 scut., et postea ad erigendam mansionariam in eadem ecclesia. Capitulum huic erectioni assensum non præbuit. Sacerdos Ferrandus Garattonius capellanus probans censuum fœnus imminutum fuisse, una cum deperdita sorte scut. 80, in medio ponit reductionem Missarum ad vitam, incrementum eleemosynæ, et præfixionem numeri Missarum. S. C. eum non audivit, præcepitque, ut fieret investimentum singulis annis scut. 12, 50, ad redintegrandum fundum scut. 800; et pro reliqua summa, dixit, ut celebrentur tot Missæ juxta eleemosynam manualem ab Episcopo

[250] « Instructio quatuor capitibus circumscribebatur : 1. Quod ex codicibus colligeretur Missarum numerus in legati causam quotannis celebratarum, fructusque itidem ex legato hactenus percepti : 2. quod calculus sumptuum domuncularum, tum litium pro iisdem actarum. 3 et 4. Quod instrumentum cum rev. fabrica stipulatum, et legati status activus, passivusque ederentur » *sub die* 28 *maii* 1785, § *Instructio.*

[251] Censuit, posse archiconfraternitati perpetuum imponi onus annuæ celebrationis aliarum decem Missarum pro implemento Margaritæ Bessoni dispositionis, præter illas, quæ statuta lege ex fructibus domus *dell' Arco della Purita* jamdudum celebrantur. Si quid enim adhuc amplius lucratur archiconfraternitas, non in profanos usus, sed in cultum Sanctissimi Sacramenti impendit » *Ead. causa*, 21 *junii* 1783, § *ult.*

[252] Ego autem ad unum sacrum tantum in qualibet hebdomada id onus contraherem, ceteris omnibus oneribus, uti institutori placuit, firmis manentibus. Ceterum oratoris culpa redituum decrementum non accidit, neque expedire censerem eum a chori obsequio abducere, quum ad dies tantum festos, et Quadragesimæ tempus id onus reducatur, quibus diebus psallentium numerum frequentiorem esse decet : *Ead. causa*, 10 *maii* 1782.

taxandam, deductis utensilibus, et impensis necessariis pro cultura bonorum: *Ariminen.*, *Red.*, 6 *sept.* 1783.

205. Parochus ecclesiæ parochialis S. Simeonis Viterbii modo est sacerdos Aloysius Varchi, qui mente volvens reditus bonorum nonnullorum legatorum implemento unius cujusque legati impares esse, reductionem implorat, quam adepturum confidit, etiam quia exiguis ditata est reditibus parochia in scut. 34, 80 et onere, præter Missam pro populo, fabricæ, et sacrarii manutentionis gravatur. S. C. juxta votum Episcopi [253] reductionem impertita est: *Viterbien.*, *Red.*, 10 *maii* 1783.

206. Petrus Maria Constantini hæreditatem contulit sodalitio suffragii Arimini, sub lege, et onere, ut binas erigere teneretur capellanias ad nutum amovibiles cum onere Missæ quotidianæ sacerdos Jacobus Ugolini capellaniæ possessor, narratione demonstrans, quod reditus utriusque olim æquabant annua scut. 140, et modo vix attingunt summam scut. 40, frustra operam suam locat pro Missarum reductione apud S. C. *Ariminen.*, *Red.*, 13 *martii* 1784.

207. Margarita de Leopardis nonnullos census in sorte scut. 102. Petro Francisco Cocchi ejus viro cum onere plurium Missarum reliquit. Petro prædicto defuncto sodalitium Sanctissimi Sacramenti substituit. Casus substitutionis nunquam evenit, et testatricis bonis dissipatis hæredes in longinquas regiones abierunt, nec onera impleri satagerunt. Antonia testatricis neptis, ad quam quædam hæreditaria bona pervenerunt, admodum depauperata absolutionem primum quoad præteritum obtinuit: et quoad futurum, quum sodalitium ad celebrationem quinque Missarum paratum foret cum solutione scut. 30 ab ipsa præstanda, rem omnem componi petiit. S. C. vero rescripsit quoad futurum juxta votum vicarii generalis: *Civitatis Plebis*, 22 *maii* 1784.

208. Beneficiati ecclesiæ parochialis S. Mariæ Villæ de Reuda postquam prævio instrumento legatum pium Missarum a Rocco de Arebalo, et Catharina Ramos conjugibus relictum susceperant, et usque ad annum 1731 impleverant, ab illo tempore a quodam villæ Medinæ vicario fuisse reducta testantur. Hac de causa fundatorum hæredes in dubium revocant hanc reductionem, et S. C. validam non esse firmavit: *Vallisoletana*, 22 *maii* 1784.

209. Collegiata ecclesia S. Petri oppidi Saxoferrati constituta ex archipresbytero, qui curam animarum habet, et decem canonicis, qui alternis hebdomadis, choro inserviunt, ob redituum tenuitatem rogitat, ut eximatur ab onere celebrationis Missarum, earumque loco Missa tantum conventualis quotidie applicanda substituatur. S. C. autem primum dixit dilata, et scribatur Episcopo juxta instructionem [254]: *Nucerina*, *Red.*, 13 *martii* 1784. Deinde re examinata respondit, affirmative arbitrio Episcopi cum facultate reducendi onera Missarum uniuscujusque canonicatus, habita tamen ratione ad reditus, et onera; et reductio pro unoquoque canonicatu non excedat medietatem onerum: 8 *maii ejusd. anni.*

210. Comiti Reginaldo Anzidei minime censuit S. C. esse concedendam reductionem Missarum, quibus gravabatur propter hæreditatem delatam Pantasileæ Pellini; et si ipse bona hæreditaria a patre distracta fuisse, et solum post obitum ejusdem patris vindicare bona nonnulla, quæ omnia erogavit in solutionem æris alieni ab eodem patre contracti, valuisse, et paternam hæreditatem cum beneficio legis, et inventarii adivisse declaraverit: *Perusina*, *Red.*, 3 *julii* 1784, *dub.* 2.

211. Capellani quatuor a pio testatore Sebastiano Pervisani in oppido massæ Tudertinæ in ecclesia ab ipsius hæredibus construenda, fundati, Missarum sub matutinam, ac meridianam horam pro populi commodo celebrandarum, aliorumque onerum reductionem propter locorum montium, redituumque diminutionem, postulantes repulsam reportarunt a S. C. quæ addidit ad mentem [255]:

[253] Qui suam sententiam ita exponit: « Si enim de Missis dominicis, festisque diebus de præcepto pro populo applicandis loquatur, harum reductioni censeo fieri non posse locum; si autem intelligat de Missis pro satisfaciendo legatorum onere celebrandis, annuendum putarem ejus precibus quoad legatum Lancetti, ita ut redditio Missarum fiat juxta quantitatem redituum, et pro unaquaque Missa consuetum manuale stipendium detur. Quoad legata Jacobuzi, et Mossochi, quorum fundi, et fructus absque parochi culpa, quantum videri potuit omnino jam defecerunt, crederem absolvi posse parochum ab obligatione Missas 24 pro primo, et 12 pro altero quotannis celebrandi; atque insuper in reductione, vel absolutione concedenda præscribendum putarem parocho, ut horum piorum fundatorum semper commemorationem faciat in memento. Denique ad cætera legata quod attinet, cum pro adnexis Missarum oneribus satisfaciendis congruum, consuetumque stipendium ad eleemosynam manualem ex horum fructibus habeatur, causam quare illorum reductio fieri possit non video; atque ita licet modicum levamen, et subsidium darem parocho, cui nunc per beneficiorum unionem succurrere non datur, et per parochianorum sindolam, et collectas opem ferre expediens non videtur, ne lites, et odia ipsum inter et parochianos oriantur: » *die* 10 *maii* 1783, § *Defunctus.*

[254] Mandatum nempe fuit, ut perpenderet, num præbendarum reditus, augeri possent per unionem beneficiorum simplicium, et quatenus non possent per suppressionem unius, vel plurium ex canonicatibus, vel saltem per imminutionem in parte annexarum Missarum: *Ead. causa*, 8 *maii* 1784.

[255] Et mens est, ut quatenus vere constet sortium

Tudertina, Red, 24 *junii* 1784. Deinde causa reproducta rescriptum prodiit, dilata, et expectetur relatio Episcopi : 11 *decem. ejusd. anni.*

212. Marchio Gavassini, et comes Aventi cogitationes convertentes nullum reductionis factæ Missarum trium in hebdomada a Sigismundo Pajoli relictarum in unam tantum in hebdomada extare monumentum ; S. C. appellarunt, ut pro Missis in futurum celebrandis congrua decernatur reductio, habito tamen respectu tum ad expensas sacrorum supellectilium, tum etiam ad id, quod nomina fidemque creditoribus Augustino Pajoli renunciante, defecit ; S. C. quoad futurum negativum responsum dedit, detractis utensilibus sacris, et scribatur Card. Archiepiscopo, qui mandet servari qualitatem beneficii ad formam erectionis, S. C. respondit : *Ferrarien. Red.* 11 *martii* 1785. Inde precibus iteratis, quia rescriptum exequi non potuit in Augustinum decoctorem innixum, ideo S. C. exequutioni mandandum esse per Gavassinum, et Aventi in solidum ; et partes uti jure suo coram Card. Archiepiscopo ad formam rescripti 12 martii 1785 : 27 *junii* 1789.

213. Capellano ecclesiæ SS. Cosmæ. et Damiani urbis Januæ juxta voluntatem Isabellæ, et Alexandri Cattaneo onus inhærebat quotidianæ Missæ, ac chori. Quum reditus locorum montium onerum implemento minime responderent, Archiepiscopus Missarum numerum reduxit juxta reditus ad rationem ob. 10. Capellanus hodiernus Angelus Antonius Passagno de onerum gravitate querens, instat, ut pro Missarum celebratione major constuatur eleemosyna, habito etiam respectu ad onus chori. S. C. huic respondi ut scribatur Archiepiscopo juxta instructionem [156] : *Januuen., Red.* 15 *jan.* 1785.

214. Archipresbyter, et beneficiati ecclesiæ collegiatæ S. Mariæ oppidi Filettini deprecati sunt pro Missarum, quas celebrare tenentur ratione stipis manualis unius julii, reductione ad taxam Missarum perpetuarum. Cetera onera, quibus gravantur, ac redituum ecclesiæ tenuitas eorum animum excitarunt ; sed omnis spes a S. C. abscissa est : *Anagnina, Red. Miss.,* 9 *april.* 1785.

215. Unam ex capellaniis ab Odoardo Cybo patriarcha Constantinopolitano fundatis instante serenissima massæ ducissa in archidiaconum ecclesiæ S. Petri Massæ firmis remanentibus oneribus a testatore impositis, et novis superadictis, Episcopus de consensu capituli erexit. Archidiaconus Allegretti primus nominatus hodie ad S. C. confugit pro reductione sacrorum, ad eum numerum, qui eleemosynæ duorum juliorum pro qualibet respondeat. Exprimit reditus in scut. 48, ex his scut. 36 pro sacro diurno, et onere confessiones excipiendi, et scut. 12 pro servitio chori, et residentiæ. At negativum responsum S. C. gratum ei non fuit : *Lunen. Sarzanen.,* 9 *julii* 1785.

216. Quum S. C. indulsisset sacerdoti Nicolao Forlani possessori cujusdam capellaniæ tum quarumdam domorum alienationem, tum census imponendi facultatem, ut in reliquis reparationes fierent, concedere reductionem Missarum renuit : *Recineten.* 10 *sept.* 1785, *dub.* 4.

217. Canonici collegiatæ ecclesiæ, et abbatialis S. Ruphilli onere ipso devincuntur ex Marci Uccellini collegiatæ fundatoris voluntate, quatuor habendi capellanos choro addictos, et ad duarum Missarum quotidie obligatos. Canonicatuum reditus est exiguus in scut. 36, 49 ; hinc capellanis scut. 14 pro Missis, et scut 6 pro chori diurno servitio pro quolibet assignarunt. Angusti hujusce emolumenti est causa, ut chori servitium a capellanis negligatur, nec possunt in officio contineri. Precantur pro duarum Missarum reductione ad unicam, ut stipendium illis adaugeatur, et quatenus negative, quomodo providendum, postulatur. Sed S. C. negativum primum præbuit responsum : *Nullius, Foro Pompilii,* 10 *sept.* 1685, *dub.* 1.

218. Deinde esse providendum censuit, assumpta in se ipsos a canonicis celebratione unius Missæ quotidianæ : *Ibid., dub.* 2.

219. Capellania, quam instituit Sanctes Liegi in oppido Castri Plani, gravatur onere Missarum totidem, quot responderent cum eleemosyna ob. 12 juxta fructus hæreditatis, Missa solemni in sabbato sancto, et festis B. M. V., quæ Missæ inter illas cujusdam hebdomadæ computari debent ; insuper interventus vesperis, et Missis solemnibus, ac aliis quibuscumque parochialibus functionibus. Reductio Missarum ad taxam conciliarem, ac exemptio a celebratione Missæ solemnis iis diebus quibus parochus loci solemniter sacris operatur, aliorumque onerum moderatio desideratur. Verum S. C. non favit reductioni Missarum, et reliqua arbitrio Episcopi remisit : *Æsina,* 26 *novem.* 1785.

220. Baro Georgius Fournier possessor domus quæ indiget reparatione, quotidianæ Missæ onere gravatæ, mereri putat, ut, firma remanente obli-

scutorum octo millium defecisse scuta tercentum, quæ ut asseritur, Carolus Pervisani in proprios usus convertit, Episcopus juris remediis cogat hæredes ad reintegrationem, et referat cur scuta viginti tantum solvantur sacrario, quum ex voluntate testatoris solvi debeant scuta triginta, et qua ex causa : *Ead. causa,* 11 *decem.* 1784.

[156] Nempe ab eodem requiratur de summa annua reditus uniuscujusque legati, de qualitate servitii choralis, et de quantitate eleemosynæ manualis : *Ead. causa,* 15 *januar.* 1785.

gatione annuæ solutionis scut. 45 Melitensium, Missa quotidiana ad præsentem taxam manualium reducatur ; hinc a S. C. statutum fuit, locum esse reductioni Missarum ad rationem eleemosynæ manualis anno 1777, ex auctoritate Sanctissimi præfinitæ in ob. 12. monetæ Romanæ, et ad formam rescripti reductionis anni 1779 ; ita tamen, ut dictus Georgius teneatur solvere annua scuta 45 Melitensia tantum ad formam rescripti S. C. ann 1753 : *Milevitana*, 10 *sept.* 1785, *dub.* 1.

221. Quoddam beneficium erectum in ecclesia S. Antonii Viennensis civitatis Parmæ, de quo non reperitur fondatio, et in Visitatione sacra anni 1751 colligitur habere onus Missæ quotidianæ, ac assistendi Missis, ac vesperis in eadem ecclesia, in præsentiarum reditus habet scut. 23, ac rector ab anno 1768, medietatem dumtaxat pro celebratione Missarum insumpsit, ob id dubitans, num se bene gesserit, postulat reductionem ad rationem taxæ perpetuæ, et S. C. annuere censuit : *Parmen.*, 6 *maii* 1786, *dub.* 1.

222. Laicalem possidens capellaniam sacerdos Joseph Carotti cum onere quotidiani sacri, et servitii chori in cathedrali ecclesia pro sacrorum reductione ob imminutos illius reditus magnopere laboravit. Sed S. C. respondit, esse providendum reductioni servitii choralis ad dies festos de præcepto, et ad feriam 4, 5 et 6, et sabbatum majoris hebdomadæ : *Æsina*, 20 *maii* 1786. Urgente capitulo ut potius reducantur Missæ, quam chori servitium, S. C. a consueta regula non discessit, et in eadem sententia perstitit : 7 *junii* 1786.

223. Conjuges Raynaldus Narducci et Isabella Pavoni capellaniam erigi præceperant in parochiali ecclesia S. Marci onere adjecto Missarum celebrationis, quot in ratione granorum 12 haberi ex reditibus possent. At quum hæe eleemosyna taxæ in civitate, et diœcesi Pontis Curvi probe constabilitæ non responderet, Episcopus arbitratus est tot celebrandas esse Missas, quot capient ad rationem granorum viginti : et S. C. probavit in omnibus Episcopi votum : *Pontis Curvi*, *Cap. super red. Miss.*, 29 *aug.* 1786.

224. S. C. reductionem impertivit Missarum juxta modum [257] patronis trium beneficiorum, quæ S. ead. C. univit, et fundavit Bernardida Almerigi de Foro Saraceno in ecclesia priorali dicti oppidi et onus adjecit rectoribus festi S. Sebastiani cum assistentia octo sacerdotum celebrandi, et Missæ singulis dominicis, et Natali D. N. J. C. Hæc reductio donata fuit etiamsi ageretur de oneribus jam susceptis, et per exequutionem comprobatis : *Sarsinaten.*, *Unionis et red.*, 29 *julii* 1786, *dub.* 2.

225. Persianus Juliani Reatinæ ecclesiæ canonicus scut. 100 capitulo suo in censum frugiferum investienda cum onere duplicis Missæ in singulas hebdomadas legavit. Capitulum pecuniam accepit, munerique satis suo facturum spopondit. At aucta Missarum eleemosyna, et stabilium bonorum fructibus diminutis, capitulum numerum Missarum in futurum taxandum postulavit ; et obtinuit juxta votum Episcopi ad manualem [258] *Reatina*, *Red. Miss.*, 24 *martii* 1787, *dub.* 1.

226. Ex annuis Mediolanensibus lib. 300 seu scut. 50 monetæ romanæ, capellaniam instituit Antonius Robbio in parochiali ecclesia oppidi Salarum cum onere quotidiani sacri et choralis residentiæ in divinis. Majore in ea regione ad ob. 16 cum dimidio manuali eleemosyna facta, S. C. exorarunt patroni pro reductione onerum : et illa servitium chori delendum putavit, et ad rationem manualis Missas celebrandas : *Derthonen.*, *Red. oner.*, 19 *maii* 1787.

227. Lancellotus de Lancellottis instituit hæredem Virginiam Valentini uxorem, eique substituit Vincentium Antonium Valentinum, mandavitque Missam quotidianam in ecclesia societatis Suffragii Foro Livii, ac tres alias hebdomadales Missas, et onus mittendi aliquam *al perdono di Assisi col dargli paoli* 15, *ed un giulio per la celebrazione della messa colà per l'anima mia, e de' miei defonti.* Cuncta ceciderunt, ut optavit. Sed modo possessor hæreditatis Joan. Baptista Valentini tum ob diminutionem redituum, tum ob gravem ejus paupertatem Missarum reductionem implorat, sed non accipit a S. C. : *Forolivien.*, *Red. Miss.*, 7 *julii* 1787.

228. Hieronymus Rati suis primogenitis Missæ dedit onus quotidianum, pœnamque indixit caducitatis, si eam per annum prætermisissent. Ab antiquis prædecessoribus conditionum ignaris omissa fuit Missarum celebratio. Hodiernus possessor Aloysius Rati, accurate circumspisciens tum imminutos hæreditatis reditus, cum aucta regia vecti-

[257] « Nempe celebrata una Missa singulis diebus Dominicis, et festis de præcepto, et adimpletis aliis oneribus a testatore præscriptis » *Ead. causa*, 29 *julii* 1786.

[258] Considerat Episcopus quod « dato etiam censum adhuc sustinere, liberum est capitulo ad beneplacitum ipsum redimere, quæ redemptio in consequentiam, et substantialiter nihil aliud erit, nisi vel emptio fundi alicujus pro eadem summa, cujus fructus vix ad annua scuta 4 pertingunt. sive ut testator præscripsisse videtur, activi census creatio pro pretio scutorum 100, quorum fructus nunc communius, et honestius computati ad rationem quatuor pro quolibet centenario, et anno, impares sunt duarum Missarum in singulas hebdomadas celebrationi » *Ead. causa*, 24 *martii* 1787, § *Quoad.*

galia reductionem ad dies tantum festos avet. et omnis conatus incassum recidit : *Derthonen.*, *Absolut. et red. Miss.*, 7 *julii* 1787, *dub.* 1, confirmata 5 *april.* 1788.

229. Catharina Borcone reliquit duas celebrandas hebdomadales Missas. Vir ejus Vincentius Bernardinus Bazanus, et hæres prædio subrogavit domum aucto tertii hebdomadalis sacri onere. Per regium Montisferrati computorum tribunal illius patrimonium adjudicatum fuit approbatoribus. Laura Catharina, et Jacobina Bazzana parentibus orbatæ, ac valetudinariæ prædium subrogatum, nec domum possidentes, animum apperuerunt pro Missarum reductione ; et responsum retulere, ut scriberetur Episcopo juxta mentem [259] : *Casalen.*, *Red. Miss.*, 28 *julii* 1787, *dub.* 1. Inde reductionem indulsit S. C. juxta votum Episcopi : 15 *decem. ejusd. anni.*

230. Sacerdos Stephanus Joseph Chiodi mandavit erectionem simplicis beneficii in parochiali ecclesia S. Laurentii oppidi Gamaleni. Beneficiato onus imposuit quotidianum celebrandi sacrum cum eleemosyna manuali. At quum hic prætenderet aliquid amplius, quam simplicem, seu manualem Missæ stipem percipere, et propositum assequi conaretur, reductionem Miasarum petens, obtinuit, ad taxam perpetuæ : *Alexandrina*, 18 *aug.* 1787, *dub.* 2.

231. In animo habuit sacerdos perfectus perfecti Congregationis oratorii S. Philippi Nerii nonnullorum beneficiorum prædiola alienandi facultatem consequi, ac etiam Missarum reductionem ad certum numerum, ne gravi cum incommodo investigare cogatur frugum pretia, quæ ex prædiis annuatim colliguntur, ut pro respondenti numero celebret sacra. Facultatem ille tenuit ; et quoad reductionem S. C. rescripsit, dilata et habebitur ratio expleto investimento : *Camerinen.*, 24 *novem.* 1787, *dub.* 2.

232. Capellaniam possidet sacerdos Franciscus Raggi in ecclesia S. Andreæ Carariæ, cui ex antiquissima Scipionis Pellegrini fundatione onus erat quotidiani sacri, ac divinis officiis interveniendi, annuales vero reditus in scut. 40 januensibus. Hinc Episcopus hodiernus ex generalibus S. C. facultatibus ad manualem obolorum 125 reduxit. Erecta nuper ecclesia in collegiatam ex capellano mansionarius evasit orator cum onere assistendi choro, aliam idcirco petit reductionem Missarum ad perpetuam quam admittere renuit S. C. : *Lunen, Sarzanen.*, 24 *novem.* 1787.

233. Antonius Buffa oppidi Gamalerii parochus in parochiali sua ecclesia erigi jussit laicale beneficium cum onere trium hebdomadalium sacrorum. Fundi assignati adeo sunt a præter labente flumine Burmida ablati, ut parum reddant. Joseph Buffa beneficiatus rogat, ut ad julios duos augeatur eleemosyna manualis, Missarum reductionem indulgendo. Assentiuntur patroni, et favet vicarius capitularis. S. C. autem ad vitam concessit oratoris : *Alexandrina*, 19 *januar.* 1788.

234. Missarum reductio ad manualem donatur capellano curato Villæ Sanctorum Philippi et Jacobi ex parœcia Plebis S. Petri Guastallæ, quoad legatum Simonis Gatti tantum, cujus reditus oneri non respondet ; in reliquis denegatur, et injungitur Ordinario, ut provideat incremento illius congruæ ad formam Concilii Tridentini [260] : *Nullius, Guastallæ*, 12 *junii* 1788.

235. Ex quibusdam suburbanæ ecclesiæ B. M. V. in Cœlum Assumptæ nuncupatæ *del Metauro* prædiolis, et censibus annui reditus ducat. 26 auri de camera Clemens X, Pont. Max., in ecclesia collegiata Mercatelli mansionarias erexit. Ducat. 7, cum dimidio pro distributionis servitii choralis, reliquos duc. 18, cum dimidio pro aliis oneribus assignavit erga prædictam ecclesiam Sanctissimæ Assumptionis, nempe Missæ quotidianæ cum applicatione duabus vicibus qualibet hebdomada, administrationis Sacramentorum, aliorumque piorum operum. Immunitis prædiorum, et censuum fructibus rogant mansionarii pro reductione Missarum 104, quas applicare tenentur in illa ecclesia ad illarum medietatem, sed S. C. rescripsit, dilata, et scribatur Episcopo juxta instructionem [261] : *Urbani*, *Red. Miss.*, 5 *april.* 1788. Deinde annuit juxta votum Episcopi [262] : 30 *aug. ejusd. anni.*

236. Indulsit S. C. Missarum reductionem a numero 300, ad annuas 75, ad rationem obol. 15 injuncto onere capellano utensilium solutionis quoad

[259] Et mens est, ut Episcopus referat, an prosequi possit domum a Vincentio Bazzano subrogatam pro onere capellaniæ a Bottaco possessam, et an spes adsit recuperandi domum sin minus cogendi possessorem ad implementum oneris : *Lib. Decret.* 137, pag. 363.

[260] Vide not. 10, tomi subsequentis.

[261] « Nempe ut referat, an reditus tempore, vel culpa oratorum decreverint, et de servitio chorali. » *Ead. causa*, 9 *aug.* 1788.

[262] « Cum a chori servitio dispensari nequeant mansionarii, cum scuta octo satis non sint ad binarum singulis hebdomadis Missarum celebrationem, quam in ecclesia *del Metauro* peragere debent, præter multiplicia alia munera ibidem peragenda, EE. VV. erit decernere, an satius sit ad Missarum reductionem devenire, quam collegiatam ecclesiam Mercatelli debito, eodemque prorsus necessario servitio privare, ut contingeret, si mansionarii chori servitio vel tantisper quidem solverentur. » *Ead. causa*, 9 *aug.* 1788, § *Quid.*

capellaniam a Francisco Mastroni in ecclesia Sanctissimi Rosarii Montis Fortini fundatam. Nam bona imminuta culpa usufructuariæ, cui de cetero erat facultas alienandi, apparent : *Signina*, 29 *novem.* 1788, *dub.* 3.

237. Patroni capellaniæ in ecclesia Min. Conv. S. Francisci erectæ imminutis ejus reditibus desiderio moti sunt capellanum sublevari ab annuo onere subministrandi Patribus strictioris observantiæ, et Cappuccinis quasdam frumenti præstationes, et Missas etiam a fundatrice relictas reduci ad rationem eleemosynæ manualis. Ea autem ob majora rerum pretia ad obl. 15 aucta, iterum obtinere nituntur reductionem ad annuas Missas 50. Sed frustraneus evasit eorum conatus, quum ad rationem eleemosynæ manualis nunc in diœcesi vigenti Missarum celebrationi locum esse S. C. rescripsisset : *Interamnen, Red. Miss.*, 30 *aug.* 1788.

238. Reductio Missarum, quibus Carolus Vivoro in solidum gravavit Stephanum Gibbone, et Antonium Costa, denegata fuit simplicibus hæredibus Costæ ; licet fundus qui illis obvenit, impar oneri videatur : *Lunen. Sarzenen.*, 27 *junii* 1780.

239. Quinque legata Missarum ex multis, quæ rectori parochialis ecclesiæ S. Joannis in Campo Tiferni Tiberini incumbunt, ob defectus absque illius culpa, et absque spe redintegrationis, abolentur juxta votum Episcopi [263], non autem conceditur reductio Missarum in reliquis ; at consulendum præscribitur pauperi parœciæ remediis a S. Concilio Trid. [264] ordinatis : *Civitatis Castelli, Reduct. oner.*, 23 *januar.* 1790, *dub.* 1.

240. Missarum celebratio ex integra hæreditate Antonii Bruni e Castro Peticuli, qui deficientibus masculis erigi jussit = *un juspatronato colla direzione delle Messe, che parera al Sig. Pievano pro tempore del suddetto Luogo*, = statuitur ad taxam perpetuæ ; licet Joseph Caterini hodiernus Plebanus ob tenues parœciæ reditus, reductionem ad duplicem menstruam Missam postularet : *Senogallien.*, 20 *martii* 1790.

241. Missis 156, gravantur duo simplicia Beneficia de jurepatronatus Familiæ Orselli quæ primum fuerunt destinata pro mansionariæ in collegiata ecclesia S. Jacobi civitatis Tolentini erectione, ac inde ad seminarium ejusdem civitatis fuerunt applicata. Modo dictæ Missæ reducuntur ad Missas 100 ad quinquennium. Nam aliter unio nil profuisset seminario : *Tolentina*, *Appl.*, *ben.*, 20 *martii* 1790, *dub.* 2.

242. Primævum fundum capellaniæ fundatæ in ecclesia cathedrali a Simone de Barbulis fertur ascendisse ad scut. 2000, modo ad scut. 1214, 20 quæ summa annua scut. 44, 50, reddunt. Onera vero fundator imposuit servitii chori, sacramenti Pœnitentiæ administrationis diebus festis, ac trium sacrorum hebdomadalium. Ejusdem capellaniæ possessori supplicanti Antonio Leonardi reductionem ad unicam Missam hebdomadalem ad decennium, firmis remanentibus reliquis oneribus ad formam testamenti, indulsit : *Civitatis Castelli*, *Red.*, *oner.* 17 *april.* 1790.

243. Sodalitium Sanctorum Angelorum Custodium urbis legatum Missarum cum eleemosyna obol. 15. Mariæ de Rubeis admisit sub conditione reductionem Missarum ad ratam perpetuæ impetrandi. His precibus exhibitis apud S. C. institit exequutor testamentarius, ut ad integram celebrationem, vel legati renunciationem sodales compelleret, S. C. autem reductionem ad perpetuam taxam concessit : *Romana*, 5 *junii* 1590, *dub.* 2.

244. Ad preces Pii Grammundi petentis commutationem Missarum in anniversarium Aloysii Aulari, cujus hæres in semissem Thommasia Francisca Aulari, illam hæreditatis gravatam ratam partem Pio vendiderat, commissa fuit rei cognitio pro voto Card. de Simone, qui retulit Grammundum ex contractu ad 120 Missas præstandas obligatum esse ; Patres S. Martini Augustiani Alexandriæ pari stipulatione ad alias 120 explendas teneri. S. C. mandavit *die* 15 *januar.* 1780, scribi Episcopo juxta votum. Card. relatoris, ac ad reiteratas Grammundi preces prodiit *die* 14 *febr.* 1781, rescriptum hoc. Quoad præteritum, celebratis Missis sex, pro absolutione : quo vero ad futurum, gaudeat impetratis. Modo ob non expressum in utroque rescripto numerum Missarum 120, ac sciens per transactionem posteriorem onus Missarum 182, assumpsisse, petit numeri Missarum præfinitionem, ac reductionem. S. C. rescriptum anni 1780, *die* 15 *januar.* esse exequendum pro nunc celebratis Missis 120, per Grammundum ; in reliquis protelari resolutionem, ac scribi Episcopo juxta mentem [265] mandavit : *Alexandrina, Red., Miss.*, 27 *novem.* 1790.

245. Conceditur a S. C. reductio Missarum juxta votum Episcopi [266] a Bernardino Antonino re-

[263] Existimat, ut in posterum rector celebret illorum legatorum Missas, quorum fundus adhuc existit ; reliquis, quæ fundo carent, penitus extinctis. Quo vero ad legatum Ciliegi, quod petit rector, penitus extingui, illius reditus uniri potest parœciæ quocumque onere exemptus, inspecta tenuitate redituum parœciæ, et tantummodo indulgeri supplicanti potest reductio Missarum duarum in singulas hebdomadas » *die* 19 *decem.* 1789, § *Parœciæ.*

[264] Vide not. 1, verb. *Baptismalis Fons.*

[265] Quod nempe « præfigat terminum ad deducenda jura sua in S. C. hæredibus Lauræ Inviliati, et Thomasiæ Aulari, necnon PP. Augustinianis. » *Ead. causa*, 27 *novem.* 1790.

[266] Vide not. 179, tom. verb. *Applicatio*, § 1.

lictarum ; dum ad sublevandam parœciæ oppidi Megiani inopiam unionem hæreditatis dicti testatoris præceperat : *Spoletana*, 18 *decem.* 1790.

246. Bona piorum testatorum Alexandrini de Bernardis et Hippolytæ Bernardi Simoncelli Missis gravata dotis titulo transierunt ad Mariam Marini, quæ ob imminutos illorum fructus ex venditis assignatis prædiis, Missarum reductionem cum Venantio Latanzi ejus viro efflagitat. Exponunt reditum integrum ad scut. 28 85 ascendere, onus Missarum ad numerum 474, et tamen expletam fuisse non sine eorum gravi incommodo celebrationem. Re perpensa S. C. reductionem concessit pro Missa quotidiana, subrogato novo fundo in locum alienati prædii in vocabulo : *Covarelli*, *Cingulana*, 29 *januar.* 1791.

247. Missarum reductio conceditur ob imminutos reditus sodalitio Disciplinantium S. Crucis Cerviarum ad manualem, computato reditu fundi acquisiti ex libellis 200 Lauræ Duto, et fructibus evicti census, quem sodalitium subrogavit in locum prædii relicti a Joanne Duto prædictæ viro : *Fossanen.*, *Red. Miss.*, *et Abolit.*, 29 *januar.* 1791, *dub.* 1.

248. Erectione beneficii ecclesiastici in ecclesia parochiali Vallis Formatiæ peracta cum onere hebdomadales Missas 4 celebrandi, residendi in dicto loco, administrandi sacramenta, assistendi parochialibus functionibus, fructus ejusdem imminuti sunt a scut. 55, 64 ad scut. 48, et non est qui illud appetat. Hinc in cogitationem venit reductio Missarum, et commutatio aliorum onerum, et S. C. in omnibus negativum præbuit responsum. Nam Communitas in erectione se obligavit pecunias in fundo fructifero implicatas manutenere : *Novaren. Red.*, *et Commut. Oner.*, 26 *martii* 1791.

249. Missarum reductio denegatur archipresbytero Benedicto Toppi possessori, et Patroni capellaniæ utriusque, quas fundavit in parochiali ecclesia S. Victoriæ. Anticoli Corradus a Dea de Sanctis, et Majolus de Majolis, qui capellanias cum illarum onere accepit, diuque illud cum sufficientibus reditibus adimplevit, et addit S. C., ut Episcopus incumbat exequutioni onerum, quum jam S. C. dictas Missas ad taxam manualem antiquitus reduxisset : *Tyburtina*, *Red. Miss.*, 26 *martii* 1791.

250. Quum patronus ad capellaniæ, quam taxative fundaverat Leonilda Gervasi imminutos fundos supplendos usque ad summam ejusdem auctores solvendi obligationem susceperant, fuisset damnatus a S. C. reductio petita denegatur : *Nullius, seu Terræ Nonantulæ*, *Capell.*, 7 *maii* 1791, *dub.* 2, confirmata 6 *aug. ejusd. anni.*

251. Quum sacerdos Jacobus Vici tanquam parochus Villæ Collium gravaretur pluribus Missarum oneribus, hebdomadalis incerti fundatoris, et annuarum Missarum 43, et aliunde reditus parochiæ, non deductis oneribus, sit in annuis scut. 41. 70, postulat reductionem Missarum, sed S. C. miseratione non permovit. Nam absque fundo non fuissent in tabella parochiali relata dicta onera, et neque tandiu parochi ea implevissent : *Matilicen.*, 16 *april.* 1791.

252. Clericus Antonius Maria Bollati obtinet laicalem capellaniam ecclesiæ parochialis Capriarum fundationis Josephi Antonii Coppi, exprimitque onera Missæ quotidianæ, residentiæ, aliaque a testatore imposita, ejus paupertatem, et sanguinis cum fundatore conjunctionem ; imploratque reductionem Missarum, et incassum : Nam hic non solum pares oneribus habet reditus, sed scuta superlucratur viginti : *Segusien. Redd. Miss.*, 16 *april.* 1791.

253. Quum bona primogenialia Francisci Antonii de Veiga Cabral pluribus Missarum, ceterisque oneribus gravata tempore absentiæ annorum 24 male administrata, et meliora prædia distracta essent, onera proinde neglecta fuerunt. Impetravit dictus Franciscus a rev. fabrica compositionem : inde rogavit S. C. pro reductione onerum ad congruum Missarum numerum. At S. C. negativum in omnibus dedit responsum : nam orator hæres est illorum, qui bonorum partem distraxerunt ; nec inopia laborat : *Brigantien.*, 25 *junii* 1791.

254. Michaeli Pennachi canonico Theologo ecclesiæ cathedralis gravato onere hebdomadali duorum sacrorum denegatur eorumdem reductio ; etsi ei faveret Episcopus, et inculpatam redituum imminutionem exponeret ; quum sufficientem præbendam cum onere accepisset : *Sersinaten.*, *Red.*, 25 *junii* 1791.

255. Missæ celebrandæ per canonicos collegiatæ ecclesiæ S. Blasii civitatis Centi ex reditibus hæreditatis Biagini ad rationem obolorum 20 pro qualibet, ob magis rigidum servitium chori a testatore præscriptum, licet cum distributionum incremento, et ob auctam in dicta urbe Missarum eleemosynam, reducuntur ad taxam obolorum 30 lucrandorum etiam in casu infirmitatis dummodo celebrent per alium, necnon recitato bis in quolibet mense nocturno defunctorum pro anima benefactoris : *Bononien.*, *Commut. volunt.*, 21 *junii* 1794.

256. Elargita est Missarum reductio ad taxam Concilii Romani pro tenui reditu scut. 25 capellaniæ fundatæ a Francisco Ravizza Sidoniensi episcopo in ecclesia cathedrali cum onere sacri hebdomadalis, et servitii chori : *Urbevetana*, *Reduct. Miss.*, 16 *julii* 1791.

257. Onus incumbit capitulo ecclesiæ cathedralis canendi primis cujusque mensis dominicis Missam nuncupatam *del Rosario*, alteramque dominicis tertiis. Primæ reditus sunt annua scut. 3, 61, 2, secun-

dæ scut. 20. Hinc capitulum dignum misericordia videtur, ut reducatur duplex Missa ad lectam. Episcopus favet, et S. C. juxta votum ipsius quoad Missam nuncupatam *del Rosario* annuit; quoad aliam inficiatur: *Urbanien. Red. Miss.*, 6 *aug.* 1791.

258. Quum parochus loci Carconiæ reditum haberet annuum scut. 79 monetæ Romanæ, ac proinde congrua ducat. 100 careat tamen eidem denegatur trium Missarum hebdomadalium, quibus gravatur, ad unam menstruam reductio: *Novarien.*, *Reduct. Miss.*, 16 *julii* 1791.

259. Lucas de Regibus possessor canonicatus modo ecclesiæ collegiatæ Burgisexii, antea capellaniæ fundationis Gibellini cum hebdomadali onere Missarum sex, postulasset reductionem ad Missas 150, S. C. minime eum audivit. Nam idem a centenis annis fuit canonicatus reditus, nec unquam de eo questi sunt decessores. Ultro immo cum eodem reditu, oneribusque canonicatum orator suscepit: *Novarien.*, 27 *aug.* 1791.

260. Supplicatur S. C. pro reductione Missæ quotidianæ, quæ singulis capellanis ecclesiæ collegiatæ S. Stephani Lavaniæ incumbit, ad eleemosynam obol. 30, ut uberius chori, ecclesiæque servitium habeatur, quum canonici adessent quatuor præbenda carentes; ita ut honorarii potius videantur. At S. C. licet Archiepiscopo suffragante non esse locum reductioni Missarum firmavit. *Januen.*, 6 *aug.* 1791.

261. Missarum reductio efflagitatur a Domino Berettini possessore beneficii fundationis a Christophoro Grossi in ecclesia seu oratorio S. Leonardi parœciæ Brixilli confectæ, et minime a S. C. conceditur; quum onera ob sufficientes reditus beneficii adimpleri possent: *Mutinen.*, *Applicat. et Red. Miss.*, 16 *julii* 1791, *dub.* 2.

262. Parochiali rurali S. Mariæ de Columna a pluribus annis præ tenuitate redituum vacanti consulitur per decennem reductionem Missarum 104 uniti beneficii S. Annæ, celebratis annuis Missis quatuor infra octavam omnium defunctorum: *Montis Falisci*, *Reduct. Miss.*, 17 *sept.* 1791.

263. Legatum Missarum 40, et alterius cum cantu in die decollationis S. Joannis Baptistæ, nec non indefinite distributionis panis eodem die pauperibus omnibus, ad domum Joan. Baptistæ Mascagni legantis concurrentibus, ob plura exequutionis incommoda reducitur ad totidem Missas diebus dominicis, et festis intra annum cum eleemosyna obolorum 20 pro qualibet, et ad distributionem panis pauperibus dumtaxat parochiæ, juxta votum Card. Archiepiscopi: *Bononien.*, *Commut. voluntat.* 17 *sept.* 1791.

264. Quum tria beneficia, quorum duo annuum habent reditum scut. 4, 10, et onus Missarum respectivum 36, tertium reditus scut. 1, 34, et onus Missarum trium, a nonnullis annis vacarent pro facultate applicandi duo prima ecclesiæ parochiali S. Pancratii tenuis reditus scut. 20 nullis deductis oneribus; aliud parochiæ S. Sebastiani Casinalbi reditus scut. 10 et S. C. assensa est reductis Missis juxta votum Episcopi ad taxam perpetuæ [267]: *Mutinen.*, *Un. et. Red.*, 26 *novem.* 1791.

265. Hæreditas sacerdotis Hyacinthi Angelini pervenit ad Innocentiam Vasselli cum onere Missarum 10 annuo. Hæc, cognita tenuitate bonorum, ac expensarum, quas peregit, gravitate, institit in reductione. Sed S. C. reductionem denegavit. Agebatur enim de levi onere, et defectus obest inventarii: *Nullius*, *Trium Fontium*, *Leg.*, 17 *decem.* 1791.

266. Joannes, aliique de Turre gravati onere hebdomadalis Missæ, illarum exponens paupertatem sperant abolitionem, vel reductionem, et neutrum obtinent. Nam licet ad annum 1764 nulla sit memoria celebrationis, tamen ab hoc tempore usque ad annum 1780, familia onus implevit, ac oratores possident bona, quorum fructus oneri pares sunt, præsertim cum applicatione arbitrio capellani a testatore remissa: *Nullius*, *Nonantulæ*, 17 *decem.* 1791, *dub.* 1.

267. Reductio oneris Missarum 340 ad taxam Concilii Romani [268] conceditur fratribus de Verdesiis patronis capellaniæ laicalis erectæ a Georgio Verdesio ad capellam gentilitiam S. Josephi Castri Novi, ob illorum inopiam: *Alben.*, 24 *martii* 1792, *dub.* 2.

268. Missarum reductio impertitur ad hebdomadalem Missam pro augendis quotidianis distributionibus possessori canonicalis præbendæ B. M. Virginis de Rosina, denegata aliis duobus canonicis SS. Sebastiani, et Herculani, SS. Petri, et Innocentium ecclesiæ collegiatæ Hispelli: *Fulginaten. Red.*, 24 *martii* 1792.

[267] Benedictus XIII in Romano Concilio præfectos regulares monuit, ut in taxanda pecuniæ summa pro Missis perpetuis sexaginta scuta Romana definirent non excedendo, nec minuendo, *De Sacrif. Missæ* lib. 3, cap. 22, § 9. Et revera qui perpetuas Missas reducunt vigore facultatum sibi indultarum per viam ampliationis Concilii Romani Missarum reductionem ita componunt; ut pro quotidiana Missa perpetuam annuam statuant eleemosynam sexaginta scutorum monetæ Romanæ. » Unamquamque Missam perpetuam moderari valeat, et reducere ad rationem scutorum sexaginta monetæ Romanæ pro qualibet. »

[268] Vide not. 267 præcedentem.

269. Quum Nicolaus Bianc instituta laicali capellania in oppido Chiampernato possessorem gravasset onere residendi, pueros erudiendi, sacramentales confessiones excipiendi, infirmis assistendi, ac sacra 112 pro ejus anima peragendi, preces S. C. porriguntur pro Missarum reductione inspecta redituum tenuitate in libell. 245 et loci infelicissimi residentia, et benigne donavit juxta votum Card. Archiepiscopi [269] : *Taurinen.*, *Red. Miss.*, 24 *martii* 1792.

270. Quum vir Mancini primum Dorotheæ Fiaschetti, deinde Catharinæ Ruffini in suos usus prædiola dotalia, quorum medietatem pro legato Missarum illæ disposuerant, erogasset : hæres oneris absolutionem studet obtinere, sed S. C. eam denegavit, concessit tamen quoad legatum Ruffini tantum ad manualem pro rata parte fructuum sortis scut. 74, et deliberavit insuper Missas quoad utrumque legatum in ecclesia ab Episcopo designanda esse celebrandas : *Asculana*, *Capell.*, 3 *martii* 1792, *dub.* 1.

271. Quum legatum oneris hebdomadalis relictum a Valentino Leona respuisset societas Sanctissimæ Conceptionis S. Benigni præ tenuitate, S. C. retribuit reductionem Missarum arbitrio, et conscientiæ Ordinarii, denegata oneris abolitione : *Nullius*, *S. Benigni*, 24 *martii* 1792, *dub.* 1.

272. Reductio legati Missarum 10 in singulos menses relicti a Dominico Ricci in suburbana Pontiani ecclesia S. Mariæ ad Nives conceditur ad taxam Concilii Romani juxta votum Card. Abbatis [270]. Licet enim reductæ Missæ jam fuerint, tamen redituum tenuitas, celebrantium difficultas, aliaque incommoda novam suadebant reductionem : *Nullius Trium Fontium*, *Red. Miss.*, 12 *maii* 1792.

273. Antonius Bozza societati S. Joan. Baptistæ prope oppidum Intri onus hebdomadale Missarum dedit, cujus hæredes bona valoris libell. mille tradiderunt, et modo legatum annuarum libell. 54 fructum edit. Supplicatur pro reductione, sed incassum. Quum reditus ad onus implendum sufficerent : *Novarien.*, *Red. Miss. et Abs.*, 12 *maii* 1792.

274. Triplicis legati Alexandri cum onere Missæ hebdomadalis, Sancti Missarum 100, Mobiliæ Giovannini duplicis sacri hebdomadalis relicti in ecclesia S. Blasii Castri Capriliæ reductionem mediatus hæres exorat ad annuas Missas 50, sed non est assequutus. Etiamsi hæres prædictus hæreditatis exiguas vires demonstraret : *Camerinen. Red. Miss.*, 16 *junii* 1792.

275. Instituto ab Alexio Pusterla fideicommisso, vocatos gravavit onere sacri hebdomadalis. Inde Plinius Bonini, altero condito fideicommisso onus adjecit quotidianæ Missæ. Ac Petrus Franciscus tandem Pusterla primo fideicommisso bona univit cum onere Missæ quotidianæ. Modo hæc in unam familiam Bonini coaluerunt, quæ ob bona imminuta in abolitione, vel in reductione spem collocat duplicis oneris quotidiani. Ad negativum accepit responsum : *Placentina*, *Red. Miss.*, 21 *julii* 1792.

276. Sacerdos Stephanus Pierardi in ecclesia cathedrali residentiale beneficium de jurepatronatus familiæ Spicci, annui reditus scut. 37, possidet cum onere per alternas hebdomadas chori, et Missarum trium hebdomadalium. Præ tenui ejusdem emolumento compensari reductione Missarum putat, quam haud promeruit a S. C. : *Viterbien.*, *Red. Miss.*, 18 *aug.* 1792.

277. Quum quoad legatum Missarum relictum a Camillo Coppini attendi deberet de mandato S. C. valor monetæ de tempore conditi testamenti, hinc petita reductio Missarum a S. C. denegatur. Nam testator legavit scut. 40 de juliis 14 pro singulo scuto, juxta hunc igitur valorem annua haberentur scuta romana 56, quæ longe excedunt scut. 20 requisita pro implemento Missæ quotidianæ : *Apuana*, *Red. Miss.*, 24. *novem.* 1792, *dub.* 2.

278. Quousque in divitiis abundarunt Dosii Missarum quotidianum onus, quod reliquit Franciscus Coppini, adamussim expleverunt; at imminuto patrimonio supplicat marchio Aloysius Dosius pro Missarum reductione, et S. C. preces bis rejecit. Hæreditas enim Coppini ad rationem trium pro quolibet centenario ad summam scut. 120 ascendit : *Apuana*, *Red. Miss.*, 15 *decem.* 1792, et 20 *sept.* 1794.

279. Reductionem Missarum per capellanos Sormani anno 1785, ab Episcopo facultate Pontificia munito impetratam, veluti subreptitiam, non esse servandam decernitur. Silentio præterierunt capellani annuum reditum libell. 2348 pro quolibet, præter libell. 250 pro Missis, totidemque pro chorali servitio, ac enixum celebrationis votum : *Viglevanen.*, *Red. Miss.*, 24 *novem.* 1792, *dub.* 1.

280. Neque est convalidanda, sed capellani tenentur ad supplementum quoad præteritum Missarum non celebratarum : *Ibid.*, *dub.* 2.

[269] Qui putat « expedire videtur, si Missarum numerus minueretur in posterum, ita ut ducentæ libellæ annuæ capellano superessent, detracta eleemosyna Missarum. » *Ead. causa*, 3 *martii* 1792, § 2.

[270] « Ea (nempe) lege, ne ulla detractio fiat pro cera, vino, hostia, supellectilibus, neque pro fructuum exactione, sed solummodo detracta undecima parte redituum pro ornatu altaris. » *Ead. causa*, 21 *april.* 1792.

281. Quum parochis ecclesiæ S. Joan. Baptistæ oppidi di *Terzorio* satis reditus scut. 49 detractis oneribus, et eleemosyna Missarum, fuissent ; hodierni parochi reductionem Missarum postulantis preces rejiciuntur a S. C. etiamsi testatores ad congruam potissimum parochi respexissent: *Albioganen., Reduct. Miss.*, 15 *decem.* 1792.

282. Præ inopia monasterii Matris Dei monialium Vallisoleti reducuntur per decennium ad lectas cum eleemosyna obol. 50 pro qualibet Missæ omnes cum cantu, quibus monasterium ipsum ex dictis monialium fundationibus, aliisque laicorum legatis gravatur, prout erat in votis Episcopi, et addidit ad mentem [271] : *Vallisoletana*, 17 *aug.* 1793, *dub.* 2.

283. Quum demandaretur separatio integræ sortis libell. 13 mil. nondum investitæ pro fundatione duplicis capellaniæ fundatæ ab Argenta Martignone hæredi, ad quem tamen delatus fuerat bes hæreditatis, ob hanc causam imploratur Missarum reductio ad eleemosynam obol. 15 pro qualibet, ad rationem taxæ perpetuæ, et hæres meritus est : *Januen., Cap.*, 20 *april.* 1793, *dub.* 3.

284. Joannes Zini in oratorio S. Caroli oppidi Gralliæ quotidianam fundavit capellaniam. Antea hujusce reditus ad scut. 106 ascendebant, modo vero diminuti sunt ad scut. 48, ita ut facile sacerdos, qui in alpestri resideret oppido, non inveniretur. Ideo Missa reducta fuit ad dies dominicos, et festos, et imperata domus capellani reparatio. Postmodum vacavit capellania, et abhinc annis septem possessore vacua est ; iterum postulatur reductio, et juxta votum Episcopi [272] ad decennium conceditur a S. C. : *Novarien., Red. Miss.*, 7 *sept.* 1793, *dub.* 1.

285. Rectori beneficii de jurepatronatus communitatis in ecclesia collegiata S. Mariæ *della Torre* oppidi Montis Leonis instituti conceditur reductio Missarum ad taxam perpetuæ, sublato onere assistendi parocho in functionibus sacris. Reditus enim beneficii annuus vix ascendebat ad scut. 15, ita ut ad manualem eleemosynam non sufficiebat : *Civitatis Plebis*, 11 *maii* 1793, *dub.* 2.

286. Capellani laicalis fundata in oppido Luxonii a Joan. Baptista Bontempo onus Missarum hebdomadalium 5, et docendi grammaticam pueros habet. Hujus reditus ex facto principis nunc diminuti sunt ad annua scut. 37. Hactenus capellania ob sacerdotum defectum a quatriennio, et ultra vacat, reditusque depositi sunt. Itaque ad reductionem Missarum animus applicatur, et S. C, annuit juxta votum Episcopi [273] : *Novarien, Red.*, 19 *januar.* 1793, *dub.* 1.

287 Dignus non fuit Missarum reductione capellanus fundationis institutæ a Laurentio Constantini in ecclesia porochiali Majani, qui reditum habet annuum in scut. 11, 12, expensas in scut. 22, 90, comprehensa eleemosyna Missarum ad rationem obol. circiter 17 cum dimidio, et expensa scut. 6, pro manutentione ædium, quarum reditus non recensebatur in introitu : *Feretrana*, *Red. Miss.*, 19 *januar.* 1793.

288. Legata pia Missarum Natalis, et Petri Bocchi quousque eadem familia opibus affluit, adimpleta fuerunt ; at familiari imminuta re, ea negligi cœperunt. Hinc post obtentam a rev. fabrica compositionem Joan. Baptista Bocchi reductionem a S. C. curavit inspecta paupertate familiæ. Et S. C. censuit celebratis Missis 32 juxta testamentum Natalis, reducendum esse legatum Petri ad Missam singulis diebus Dominicis celebrandam in ecclesia parochiali S. Stephani, et Card. Archiepiscopus pro suo arbitrio, et prudentia invigilet pro exequutione. Nam secundi, non primi fundus erat imminutus : *Ferrarien.*, *Red. Miss.*, 23 *febr.* 1793.

289. Parochialis ecclesia S. Petri Apostoli Carceniæ in Riparia S. Julii ob nimiam ejus paupertatem unita fuit parœciæ loci Armeni. Deinde Joseph Mosca assignato fundo cum onere trium hebdomadalium Missarum restitui curavit. At quum nostra ætate diminutæ essent primitiæ satis fuit argumenti parocho pro Missarum reductione, et S. C. indulsit ad unam tantum Missam hebdomadalem juxta Episcopi votum ; sub conditione tamen, ut quatenus augeantur reditus, et hactenus major fiat etiam Missarum numerus : *Novarien.*, *Red. Miss.*, 23 *novem.* 1793.

290. Scipio Pellegrini in abbatiali collegiata ecclesia Carrariæ capellaniam sacri quotidiani instituit, capellanoque demandavit chori festivis diebus, ac matutinis functionibus Cinerum, et defunctorum assistentiam, eique annua scut. 23 assignavit. Hinc hodiernus capellanus in reductione ad dies festos vim remedii experiri vult, et adeptus est juxta votum Episcopi [274] : *Lunen. Sarzanen., Red. Miss.*, 14 *decem.* 1793.

[271] Nempe quod Episcopus provideat œconomico statui monasterii : *Ead. causa*, 17 *aug.* 1793.

[272] Qui censet : « Ut firmo remanente anniversario pro fundatore, firmaque etiam residentiæ lege, duas in singula hebdomada Missas, festis præsertim diebus, celebrare in posterum capellanus teneatur juxta fundatoris intentionem» *Ead. causa*, 17 *aug.* 1793, § 5.

[273] Qui probat reductionem Missarum ad dies assistentiæ divinis Officiis, ut servata ad reditum æqualitate utrumque onus meliori, quo potest modo adimpleatur : *Ead. causa*. 23 *novem.* 1793, § 2.

[274] Qui censet : « Ad tres in singulam hebdomadam ut reducantur Missæ in fundatione præscriptæ, absoluto etiam capellano ab onere pueros erudiendi in rebus gram-

291. Sanctinus Cassinelli filiabus monialibus usum fructum reliquit suorum bonorum, dominium monasterii Vighizzolis, et oppidi S. Romuli cum reciproca inter ea substitutione, qua peracta, ac absoluta hæreditatis fructus erogari in tot Missas præcepit. Hæc evenit, et exstitit adhuc sors libel. 10,000; ejusque fructus erogantur in celebrationem Missæ quotidianæ. At libellas alias 15,000 consumpserunt moniales S. Romuli in lites adversus debitores hæreditatis in sumptus transactionis, canonizationem earum fundatricis, propriamque conservationem. Nuper tandem supplicavit abbatissa monasterii Sanctissimæ Visitationis dicti oppidi pro abolitione, vel reductione onerum Missarum, causa inopiæ ob dictam sortem consumptam. Sed S. C. negativo dato responso suspensionem Missarum concessit celebratis 10 quolibet mense Missis, et cum lege erogandi dotes percipiendas in, et usque ad redintegrationem sortis libellarum 15,000 et ad secretarium cum Sanctissimo, censuit: *Albinesanen.*, 20 *julii* 1793, *dub.* 1.

292. Denegatur a S. C. Missarum reductio Aloysio Mastini canonico ecclesiæ collegiatæ S. Mariæ Barbarani, qui ex capellania reditus imminuti ex scut. 30 ad scut. 28, et onere Missarum 4 hebdomadalium, et Rosarii recitatione, et benedicendi singulis sabbatis aquam lustralem canonicatum erectum cum eodem reditu, et chori onere adjuncto possidere aiebat; quem tamen cum præsenti accepit reditu: *Viterbien.*, *Red. Miss.*, 6 *decem.* 1794. Deinde prævio recessu a decisis affirmative respondit S. C. juxta votum Episcopi: 23 *januar.* 1796 [275].

293. Translatione Missæ quotidianæ ab ecclesia Congregationis oblatorum Novariæ ubi Condomini Castri Caltiniacensis illam adimplent, ad ecclesiam suppressæ parochiæ dicti Castri postulata, inde fuit efflagitata oneris reductio, quum in dicto Castro impossibile sit ob defectum sacerdotum sacrum operari cum eleemosyna simplici manuali. Sed S. C. delegata translatione, etiam reductionem inficiata est: *Novarien.*, *Trans. et Red. Miss.*, 25 *januar.* 1794, *dub.* 2, inde recessit a decisis, et reduxit Missas ad taxam ob. 15 juxta votum Archiepiscopi: 18 *julii* 1795.

294. Missæ quotidianæ, et trium officiorum, SS. Annunciatæ, S. Antonii Patavini, et S. Josephi, quæ per annos 145 celebrari fecerunt hæredes Felicis Valcherano, denegatur reductio ex antiquiori fideicommiso Joannis Philippi Valcherani, de cujus bonis præcise non constat: maxime, quia libera etiam Felicis hæreditas par est oneribus: *Foro Sempronien.*, *Red. Miss.*, 5 *april.* 1794.

293. Missæ hebdomadales quatuor, quibus gravantur canonici collegiatæ S. Aldarici Placentiæ ex fundatione Crollalanza, ob imminutum reditum, auctamque eleemosynam reducuntur juxta votum Episcopi, ad tot nempe annuas Missas, quod celebrari poterunt cum præsenti eleemosyna manuali ex scutis 18 06, primitus per fundatorem assignatis pro illarum stipendio, cum obligatione tamen celebrandi singulis diebus festis: *Placentina*, *Red. Miss.*, 8 *febr.* 1794.

296. Missæ annuæ circiter 7000, quibus gravatur capitulum cathedralis ecclesiæ Emporiarum in Sardinia, licet semel ex rescripto S. C. reductæ, iterum ob tenuitatem eleemosynæ reducuntur ad obolos 12 pro qualibet, juxta Episcopi votum: *Ampurien.*, *seu Emporien. Red. Miss.*, 5 *april.* 1794, *dub.* 1.

297. Annuas Missas 157 taxatas a Ferrariensi olim archiepiscopo Card. de Verme ex legato sacerdotis Bernardini Zecchini, detractis ad formam testamenti diebus tunc impeditis, minuendas non esse decernitur ob concessionem novorum officiorum sub ritu duplici, vel elevationem festorum a ritu semiduplici ad duplicem: *Ferrarien.*, *Miss.*, 10 *maii* 1794, *dub.* 3.

298. Missarum trium quotidianarum reductio abnegatur Annunciatæ Cesaretti, Joannis Caroli Innocentii fundatoris consanguineæ, quæ licet gravata filiis octo, liberam tamen habet sortem scut. 2270 ex illius hæreditate, et annua ex fundis capellaniæ superlucratur scut. 204. Et abnegatur etiam illarum reductio a tribus quotidianis ad unam antelucanam juxta votum Card. Episcopi: *Veliterna*, *Red. oner.*, 8 *febr.* 1794. Iterum exoratur pro unica Missa sub auroram ex tribus, et S. C. iterum etiam adnegavit reductionem: 20 *febr.* 1796.

299. Capitaneo Carolo Nenni Seta, qui possidet bona celebrationi Missarum obligata ex dispositione Hieronymi Seta, licet summa demonstrative præfinita impar oneri sit, Missarum reductio inficiatur: *Fanen.*, *Red. Miss.*, 10 *maii* 1794, *dub.* 1.

300. Missas hebdomadales duas capellaniæ institutæ per conjuges Franciscum, et Margaritam Polini in favorem pauperioris clerici ut sacerdotium petere possit oppidi Carassai, deindeque reductas

maticis. » *Eqd. causa*, 19 *januar.* 1793, § 3.

[275] Qui ait: « Aliquo igitur in pretio habendæ mihi videntur oratoris preces, saltem, ut in diebus feriatis, quibus celebrare ex injuncta fundationis lege, compellitur, proportionata fiat Missarum diminutio arbitrio EE. VV., et modo quo levior sit oratori satisfactio, habito respectu ad reditus, ut supra tenues, et exiguos. » *Ead. causa*, 19 *decem.* 1795, § 3.

per superstitem uxorem, quæ nonnulla alienavit bona obligata, celebrandas esse decernitur ad formam fundationis : *Firmana, Red. Miss.*, 21 *julii* 1794.

301. Opus pium instituit Michael Raffanelli cum onere triplicis Missæ quotidianæ ; solemnis officii pro defunctis cum sacerdotibus triginta, et Missis centum de trimestri in trimestre ; omniumque functionum majoris hebdomadæ in perpetuum. Ad hoc opus fundus constitutus fuit scut. 4618, 50, et traditus sodalitio Sanctissimi Nominis Jesu erecto in ecclesia S. Joannis Decollati Parmæ, una cum aliis scut. 361, 50 detractis expensis in scut. 190, 50. Inde dubio de reductione Missarum statutum est, firmis remanentibus in futurum tribus Missis quotidianis, et aliis oneribus, reducuntur functiones majoris hebdomadæ tantum : *Parmen., Red. oner.*, 16 *aug.* 1794, *dub.* 4.

302. Censuit S. C. minime concedendam Missarum reductionem filiis, et nepotibus Hyacinthi Mazzotti, licet pauperibus ; quum præter defectum inventarii bonorum hæreditatis Juliani Bonini fundatoris, annuum ex hæreditate haberent reditum oneri parem : *Maceraten., Red. Miss.*, 12 *julii* 1794.

303. Legatorum tam Missarum, quam onerum reductione elargita a S. Congr. postulat Episcopus, num Missæ celebrandæ ex contractibus, quarum in eo rescripto habita non fuit ratio, deducendæ essent ex tertia parte attributa legatis piis, vel ex duabus aliis distributionum, et pro illis statui deberet summa, quam mutabiles exigerent temporum circumstantiæ, ac quomodo reducendæ sint? respondetur juxta votum Card. Relat. [276] : *Ecclesien.*, 16 *aug.* 1794, *dub.* 1.

304. Inde poscit pro se, suisque successoribus Episcopis facultatem iterum ad tempus reducendi Missas, jam ex altero rescripto generali de legatorum reductione, reductas, quousque scilicet otiosæ erunt sortes censuum in frequenti extinctionum casu, quum nulla Fundatorum hæreditas compelli posset ad compensandam fructuum deficientiam, et juxta dicti Card. votum [277], rescribitur : *Ibid., dub.* 2.

305. Item declarandum efflagitat, num tenuissimæ sortes lib. 100, 200, vel ad summum 500, magistri chori, cæremoniarum, sacristæ, diaconi, et subdiaconi, quorum tria ultima dumtaxat officia sunt in usu, addicenda sint pro Missis, quibus ea beneficia gravantur, vel potius proportione servata sit numerus reducendus, ut officia serventur. S. C. censuit erogandos esse in celebrationem Missarum reditus officiorum magistri chori, et cæremoniarum, in reliquis juxta votum laudati relatoris [278] : *Ibid., dub.* 3.

306. Quæsitum præterea fuit, an reductio Missarum solemnium, et anniversariorum ad Missas lectas, juxta rescriptum 9 sept 1786 ad V^um^ dubium [279] complectens generalem legatorum reductionem, de iis etiam sit intelligenda fundationibus, ex quibus sufficiens est fundus pro una, vel pluribus Missis solemnibus, vel ubi neque sit satis pro una Missa solemni? rescribitur juxta votum Card. relatoris [280] : *Ibid., dub.* 6.

307. Præterea postulatur, an, et quomodo vicario generali, absente Episcopo, et vicario capitulari, eo defuncto, sit concedenda facultas reducendi, vel suspendendi Missas? juxta votum Card. relatoris [281] rescribitur : *Ibid., dub.* 8.

308. Capellaniæ institutæ a Jacobo Seniori Bracchi in ecclesia cathedrali Montis Politiani assignandum esse præscribitur fundum scut. 2000, ad formam ejus testamenti. Nam præter detractiones legitimas, ac trebellanicas ei competentes ex allegato per ipsius successores fideicommisso Octavii senioris, eam reliquit summam in libera hæreditate ; hinc hac de causa Missarum reductio facta non fuit : *Montis Politiani, Capell.*, 10 *maii* 1794, *dub.* 2.

[276] Qui ait : « Liberalius agendum, atque indulgendum, et earum Missarum onus desumatur ex massa pro legatis piis efformanda — et sequitur. — Ut hæ Missæ, de quibus agimus, ita reducantur, ut pro qualibet illarum fundus lib. 50 statuatur. Quum fundus pro his Missis ante annum 1656, recipi solitus fuerit lib. 25 Sardæ monetæ, nunc autem sit lib. 50. » *Ead. causa*, 16 *aug.* 1794, *in Rel.* 2, *num.* 1.

[277] Quo legitur ; « Hanc igitur facultatem Episcopo impertiri, non solum æquum puto, sed imo suo quoque jure sibi illam vindicare posse arbitror. » *Ead. causa*, 16 *aug.* 1794, *in Rel.* 2, § 2.

[278] Qui animadvertit : « Non oportere fundos trium beneficiorum sacristæ, diaconi, subdiaconi (quæ tria officia juxta Episcopum, in usu sunt) omnino pro Missis addicere, sed potius proportione servata ad numerum Missarum in fundatione præscriptum, sic eum esse reducendum, ut etiam beneficia, quoad officia, quamvis reducta, serventur, ut ait idem Episcopus. » *Ead. causa*, 16 *aug.* 1794, *in Rel.* § 3.

[279] Vide verb. *Legatum pium*, § XII, num. 31

[280] Hic enim putat respondere : « Negative ad primam partem, affirmative ad secundam. » *Ead. causa*, 16 *aug.* 1794, *in Rel.* 3, § 2.

[281] « Nullus dubito (ait ille) quin etiam vicario generali, et capitulari indulgeri possit, sub iis tamen conditionibus, quas ipsimet ultro, lubentesque offerunt... Nihilo æquius igitur decerni potest, quam quod non modo Episcopus, verum etiam ipsius vicarius, eo absente, aut vicarius capitularis, eo defuncto, facultate potiantur suspendendi ad tempus Missarum celebrationem, cum in eas angustias redacti fuerint, ut nulli supersint fructus ad earum eleemosynam persolvendam. » *Ead. causa*, 16 *aug.* 1794, *in Relat.* 3, § 8.

309. Locatione fatiscentis, et maxime post incendium passæ domus assignatæ post centum annos a condito testamento per mediatos hæredes Ludovicæ Baroni in fundum duarum capellaniarum ab ea institutarum in ecclesia S. Joan. oppidi Montis Bodii ad triennium concessa ob desponsam a conductore novam illius constructionem, et ampliationem, licet impar oblata pensio sit oneri Missarum ; pro rata parte minoris reditus Missarum reductio impertitur juxta votum Card. archipresbyteri [282] : *Senogallien.*, *Locat. et Red. Miss.*, 28 *febr.* 1795, *dub.* 2.

310, Quum clericus Paulus Bondi capellaniam fundationis Alexandri Ziani adeptus esset mediante obligatione per contractum transactionis assumpta adimplendi per alium onera, et Sanctissimus transactionem, et nominationem approbasset, *adimpletis interim per sacerdotem omnibus oneribus*, S. C. reductionem Missarum haud ei donavit : *Sutrina*, *Capel.*, 18 *april.* 1795, *dub.* 5.

311. Pluribus oneribus Missarum gravatur sodalitium Reginæ Cœli nuncupatum *de Poveri* Bononiæ, de quibus jam reductionem obtinuerat; modo aliam postulant ad taxam ob. 16 et den. 5, ex quibus remanerent in beneficium sacrarii ob. 4, et den. 5. Paupertas , ac utilitas sodalitii ab Archiepiscopo prædicata reductionem a S. C. non comparavit. Nam cujusque legati reditus pares erant oneribus : *Bononien.*, *Red. Miss.*, 18 *april.* 1795.

312. Suos hæredes, et successores onere Missæ hebdomadalis in ecclesia societatis S. Michaelis loci Vorolenghi Joan. Stephanus Ferrari et inde Joseph Joachim Ferrari duabus Missis hebdomadalibus gravarunt. Modo hæredes sunt Angela Maria Avenati, et Maria Catharina Galeazzo testatoribus consanguineæ, qui propter longævam ætatem, liberorum copiam, et angustam rem familiarem confugiunt ad reductionem Missarum ad annuas Missas 12, ut applicari possint maximam sortis partem ; et S. C. assensa est juxta votum Episcopi [283] : *Hipotegien.*, *seu Eporedien.*, *Ried.*, *Miss.*, 16 *maii* 1795, *dub.* 1.

313. Quum immunitatæ essent censuum usuræ, tenuesque terrularum fructus, imminuti etiam sunt canonicatuum duorum fundationis Marii Savallii reditus, vixque ex decenni calculo, annua attingunt scut. 52, 32. Omnibus autem detractis Missarum anniversarii, et cameralium contributionum oneribus in scut. 14, 68, vix supersunt scut. 10, 64, seu scut. 5, 32, pro quolibet. Supplicant idcirco reductionem onerum, et assequuti sunt eam juxta votum Episcopi [284] : *Feretrana*, *Red. oner.*, 16 *maii* 1795.

314. Pluribus gravatur legatis Missarum sodalitium S. Nicolai Tolentinatis, quod ob ejus depauperationem suspensum fuit ; et quum eorum fundi partim deperditi, et partim imminuti sint, nemini dubia abolitio, et reductio. Hinc legatum annuum Missarum 11, relictum a Sebastiana Luciani ob defectum fundi aboletur : reliqua ob tenuem reditum reducuntur a S. C. ad manualem, redintegrato tamen per sodalitium legato honorati Macci in scut. 15.50, investiendis in favorem ejusdem legati, quæ erogata fuerunt in restaurationem ecclesiæ : *Tolentinaten.*, *Red. Miss.*, 13 *junii* 1795.

315. Missarum reducto denegatur Gaspari Vacca hodierno possessori capellaniæ fundatæ a Bernardo Jordani in ecclesia monasterii S. Rosæ oppidi Finarii cum onere capellano imposito Missæ quotidianæ et hæredibus supplendi, si reditus deficerent ; sed S. C. addidit, ut capellanus utatur jure suo contra hæredes. Nam summa ab hæredibus assignata impar est oneri ; quum aucta sit in diœcesi eleemosyna Missæ quotidianæ : *Savonen.*, *Red. Miss.*, 18 *julii* 1795.

316. Persius Montebori de Castro Ussitæ legavit universitati dicti castri scut. 100 in tot censibus, reditus scut. 8 in singula centum, ut assignaret sacerdoti cum onere trium hebdomadalium Missarum, et festis diebus, et exercendi officium ludimagistri, præsertim docendi doctrinam christianam in dicto castro. Ob nova censuum investimenta imminuti sunt fructus legati ad reditus scut. 30. Populus castri pro certo habet reductionem Missarum ad Missas 40 annuas, et S. C. assensa est ad decennium juxta votum Episcopi, qui juxta preces reductionem esse indulgendam, donec aliter schola provideatur, censet : *Spoletana*, *Red. Miss.* 22 *aug.* 1795.

317. Reductio Missarum, quam sodalitium S. Catharinæ Fliscæ adurnæ erectum januæ, de consensu interesse habentium decrevit sub reservatione beneplaciti apostolici ob tenues illius reditus, approbatur a S. C., favente Episcopo, nempe quod duo capellani quotidiana sacra applicent in oratorio, unum singulis dominicis, et feriis secundis pro confratribus, et sororibus vivis, et defunctis collective ; alterum reliquis anni diebus pro defunctis, qui annuam solvunt præstationem. Sacra nimirum 10 pro iis, qui annuos præstant januenses solidos 12, et jus ex constitutionibus sodalitii haberent ad sacra 15, sacra 20, loco 30, pro iis, qui solidos solvunt 24 ; et 60 loco sacrorum 100, pro solvendis libellis 4,

[282] Vide not. 197 præcedentem.

[283] Vide not. 186, verb. *Applicatio*, § I.

[284] Vide not. 130, verb. *Anniversaria.*

quod in votis erat Episcopi : *Januen.*, *Red. Miss.*, 22 *aug.* 1795, *dub.* 1.

318. Locum non esse reductioni Missarum, quas reliquit Anna Mazzei ad certum altare ecclesiæ S. Francisci de Paula ad montes adimplendas, pro quibus testatrix indefinite obligavit plurima loca montium, licet eorum aliqua demonstrative assignaverit pro simplici eleemosyna manuali ; sed augendam esse eleemosynam quatenus opus sit, pro adimplemento oneris : *Romana*, *Leg. Miss.*, 26 *sept.* 1795, *dub.* 2.

319. Missæ duæ hebdomadales præscriptæ a sacerdote Joan. Pirotio in oratorio S. Rocchi loci Cervati, quum tenuis reditus esset in scut. 36, 75, et difficultas sacerdotis capellani qui in eo residere velit alpestri, omniumque infelicissimo loco, qui insuper docere pueros saltem alphabetum tenetur, reducuntur ad dies dominicos : *Novarien.*, *Red. Miss.*, 28 *novem.* 1795, *dub.* 1.

320. Reducuntur ad tres tantum Missæ hebdomadales sex quibus gravatur sacerdos Viani possessor canonicatus instituti per sodalitium SS. Sacramenti oppidi Pellantiæ in collegiata ecclesia S. Leonardi ejusdem oppidi, ob imminutum valorem libellarum mediolanensium. Nam hoc erat in votis Episcopi : *Novarien.*, *Reduct. Miss.*, 19 *decem.* 1795.

321. Sacerdoti Antonio Antonini parocho ecclesiæ Villæmainæ terræ Sillani, qui non admodum tenuem habet reditum ex pia parochia, et de familia dives est, denegatur reductio Missarum, quibus gravatur in numero 315 præter parochialem, quarum 124 ex incertis legatis et permixtis cum bonis curæ proveniunt : *Spoletana*, *Red. Miss.*, 28 *novem.* 1795, confirmata 17 *sept.* 1796.

322. Quum canonici præbendati ecclesiæ cathedralis ad quotidianum chori servitium adstricti sint, nec non plurimis Missis graventur ; inspecta eorum præbendarum tenuitate rem certam habet Missarum reductionem ex fundatione. S. C. rescripsit, quoad præbendas canonicales, quarum annuus reditus, deductis oneribus, excedit scut. 20 negative, in reliquis affirmative juxta modum [285] : *Comaclen.*, *Red. Miss.*, 13 *junii* 1795.

323. Monasterium monialium Villæ Novæ de Gaya ab antiquissimo tempore pluribus gravatur piis legatis, quibus impares reditus effecti unam pro omnibus in propria ecclesia celebrari Missam quotidianam cum cantu, et aliquot alias minori cum eleemosyna Hispanis committere consueverunt. Sed modo cupiunt hoc auctoritate S. C. facere, et dictam reductionem omnium onerum considerata monasterii paupertate implorant. S. C. indulsit reductionem quoad Missas tantum juxta votum vicarii capitularis, et celebratis tribus Missis in die Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi : *Portucalen.*, 20 *febr.* 1796, *dub.* 1.

324. Petrus Sanctes Benvenuti canonicus ecclesiæ collegiatæ Castri Belviderii onus habet duplicis Missæ ex contractu qualibet hebdomada, præter servitium chori per hebdomadam, reditus percipit tantum annua scut. 17, 82. Hinc exorat S. C. pro reductione Missarum, sed exorat incassum, quum non esse reductioni locum S. C. resolverit : *Senogallien.*, *Red. Miss.*, 23 *april.* 1796.

325. Petita fuit reductio Missarum præ redituum tenuitate ab hæredibus Tonini legatorum, quibus gravantur ex hæreditatibus Costantii, et Tonini, quæ reddunt scut. 83, 56, 3 $\frac{4}{5}$, et onera scut. 111, 17, 2, $\frac{4}{5}$. Sed S. C. reductionem non dedit. Nam onus Missarum 400 perpetuum non est, et jam ex præscripta quadragenaria elapsi sunt 20 anni. Ex firmatio status post 20 annos legitimum non supplet inventarium : *Ariminen.*, *Red. Miss.*, 18 *junii* 1796

326. Quoad capellaniam laicalem institutam a Josepho Ciampella in ecclesia SS. Martini, et Justini Aquilæ cum onere trium hebdomadalium Missarum habetur in tabella dictæ ecclesiæ, et in codicibus SS. Visitationum nullum est illius oneris vestigium, sed tantum constat ex traditione ab initio labentis seculi quotannis hæredes celebrare fecisse ex devotione Missas 20 die festo titularis. Ob id hodierni fratres Ciampella supplicarunt continuandi in dicta celebratione, et S. C. esse celebrandas Missas ad formam fundationis *per sum. prec.* rescripsit. Modo vero exponunt tenuitatem redituum hæreditatis, et capellaniæ bonorum, et S. C. indulsit reductionem ad taxam synodalem : *Aquilana*, *Capell.*, 26 *novem.* 1796.

327. Joan. de Franchis primicerius ecclesiæ collegiatæ S. Andreæ Carrariæ gravatum se putans ob Missas 196, chori servitium, aliaque onera, annuum tantum habens reditum scut. 82, 82, impetraturum reductionem Missarum confidit, sed eam consequi non potuit, etsi ei faveret Episcopus. Nam cum descriptis fructu, et oneribus primiceriatum accepit, et omnes sui prædecessores onera cum eodem proventu expleverunt : *Lunen. Sarzanen.*, *Red. Miss.*, 21 *januar.* 1797.

328. Legata pia Missarum, quibus gravatur ecclesia parochialis S. Laurentii oppidi Liburni diversimode reperiuntur adnotata ; hinc confusio magna est quoad illorum fundos. Certum est, quod bonorum etiam sacrarii reditus annuus non excedit scut. 120 et onera sunt Missarum 34 hebdomada-

[285] Vide not. 179, verb. *Canonici*, § VI.

lium, et menstruarum 7 præter alias juxta vires bonorum, et anniversaria. Hac de causa reductio Missarum necessaria videtur, et petitam S. C. inficiatur quoad legata certum fundum habentia ; in reliquis conceditur, celebratis tot Missis, et anniversariis ad taxam manualis, quot supersunt reditus sacrarii, deductis sacrorum suppellectilium expensis : *Casalen.*, *Red. Miss.*, 21 *januar.* 1797.

329. Sodalitium erectum in ecclesia S. Vitalis Parmæ sub titulo Suffragii, ubi nonnullæ capellaniæ residentes nuncupatæ adsunt, plurimis gravatum oneribus Missarum, functionum, manutentionis ecclesiæ, ac sacrarii, et reditus haud pares oneribus habens, propendit in Missarum reductionem ad eleemosynam ob. 15 ; S. C. eam indulsit ad taxam manualis juxta votum Episcopi [286]. Nam residentium continuum servitium in ecclesia sodalitii necessarium visum fuit : *Parmen.*, *Red. Miss.*, 11 *febr.* 1797, *dub.* 1.

330. Quoad binas capellanias a Cæsareo Sen. Calvi fundatas in ecclesia S. Mariæ Montis Falchi, earum onera, ob mutata in pejus prædia censibus subrogata, reducta ab Episcopo ex Missis 7 hebdomadalibus ad annuas Missas 141, vel 112 fuerunt ; postea patronus suam exponens inopiam capellanorum nominationis suspensionem ad tempus obtinuit. Sed inde neglecta fuit nuntiatio, Missis 50 tantum celebratis. Modo proponitur a patrono reductio, vel suspensio Missarum Episcopo urgente, et favente ob ejus rei familiaris angustiam, numerosæque familiæ : sed S. C. in omnibus dedit negativum responsum : *Spoletana*, *Red. Miss.*, 11 *febr.* 1797, *dub.* 3.

331. Quum legatum pium relictum a Joseph Straopeni, inde ab hæredibus declaratum suscipere substituti vocati noluissent, nisi obtineretur reductio Missarum ; hæc modo postulatur, ut nempe eleemosyna Missarum moderaretur ob. 12 1|2, quæ minor est Ariminensi taxa synodali ob. 15, detractis oneribus collectæ, et sumptuum festivitatis S. Josephi, et mercede exactoris. S. C. juxta preces concessit reductionem ; licet per plurimos annos legatum ex fructibus ejusdem sortis fuerit adimpletum : *Ariminen.*, *Leg.*, 11 *febr.* 1797, *dub.* 2.

332. Collegium pium S. Adriani Urbis constat nunc religiosis sacerdotibus novem, et duobus laicis. Annuus reditus est in scut. 928, 95 ; ; exigibilia debitorum nomina in scut. 268, 08, exitus vero scut. 1389, 21 1|2 evehitur præter alienum æs scut. 503, 01. Gravatur onere Missarum 1987. Hæc Sacra accurate religiosi celebrarunt, dum plures erant ; sed ab anno 1796 deficere cæperunt a celebratione. Cupiunt itaque reductionem ad annua anniversaria 12 in adimplementum præteritæ, et futuræ illarum celebrationis. Favet Card. protector, et S. C. etiam annuit pro reductione celebratis quoad futurum Missis annuis 1200 ad triennium, et quoad præteritum juxta votum Card. protectoris [287] : *Romana*, *Red. Miss.*, 6 *maii* 1797.

333. Patres duodecim communitatis, seu societatis *de curaria* ecclesiæ cathedralis Missarum onus habent 1615, quarum 295 cum cantu, aliæque ad determinatum altare. Archiepiscopus asserit, hæc onera nonnulla adhuc fundos habere sufficientes pro eorum implemento, sed quia confusi omnino cum aliis, qui, vel sine reditu, vel cum eo adeo reperiuntur, ut pro tempore nequeat illis satis fieri. Refugium ponunt in Missarum reductione, et annuit S. C. arbitrio, et conscientia Archiepiscopi ad taxam manualis reductis prius Missis cum cantu in lectas : *Bracharen.*, *Red. Miss.*, 15 *julii* 1797.

334. Fratres B. Petri de Pisis per contractum acceperunt onus Missarum sex hebdomadalium, quo gravabatur hæreditas Petri Cattani, sed imminutis bonorum reditibus reductæ Missæ fuerunt ad duas hebdomadales. Inde rev. fabrica S. Petr damnavit familiam Cattani ad implementum totius oneris Missarum, et composuit cum ea pro scut. 200. Familia Cattani egit adversus dictos religiosos, qui infelici exitu certarunt, et solverunt dictam summam, et scut. 85 pro expensis litis. Hi religiosi egerunt pro contractus rescissione causa læsionis, vel pro reductione, sed nunquam auditi fuerunt. Modo apud S. C. reductionem sperant. Sed in irritum preces abierunt ; quum eis a S. C. denegata reductio fuisset : *Pisauren.*, *Red. Miss.*, 15 *julii* 1697.

335. Sacerdos Joan. Tonelli fundans oratorium S. Antonii Patavini in oppido Fornoli, ei bona donavit pro totali ejusdem manutentione, et pro celebratione Missarum 12 annuatim cum eleemosyna ob. 7, ex quibus una cum cantu. Inde postremis tabulis addidit Missas duas hebdomadales per annos 200. Mediatus fundatoris hæres modo ob redituum hæreditariorum tenuitatem, et auctam eleemosynam ad ob. 12 petiit reductionem. Episcopus refert hæreditarium assem in scut. 473 vix reditum attingere scut. 9 1|2 annua, et favet reductioni, sed

[286] Æquam censet Episcopus reductionem « Ad taxam eleemosynæ manualis pro tempore, et usu regionis currentis » quæ fortasse est obolorum 15. *Ead. causa*, 11 *febr.* 1797, § 20.

[287] Qui ait : « Ita tamen eadem reductio fieri posset, ut Missæ tam non celebratæ, quam aliæ, quæ in posterum celebrari non poterunt a sacerdotibus religiosis in eodem conventu, et collegio pro tempore degentibus, suppleantur celebratione duodecim anniversariorum in singulos annos. » *Ead. causa*, 18 *martii* 1797, § 3.

S. C. haud impertivit : *Apuana*, *Red. Miss.*, 9 *sept.* 1797.

336. Comes Joan. Nicelli onus Missæ quotidianæ celebrandæ ad altare privilegiatum ecclesiæ tumulantis hæredi imposuit, quæ celebrata fuit usque ad an. 1796. At supervenerunt rei familiaris angustiæ, et Comes Albertus Nicelli reductionem, vel suspensionem, postulare sollicitus fuit. Sed S. C. utrumque inficiata est. Nam testator totam gravavit hæreditatem, quum in casu evictionis prædii gravati supplere cum aliis bonis mandaverit ; et orator habet annuum reditum scut. 476, 85. *Placentina*, *Red.*, 9 *sept.* 1797, *dub.* 1.

337. In institutione primogenituræ per donationem facta præscripsit Stephanus Massena donatario, et primogenitis successoribus onus in Missis 25 menstruis, et manutenendi ruralem capellam cum aliis Missis 6 annuis. Licet ad componendam litem super bona donata exortam decrescerent bona, et licet summa scut. 16 in testamento designata nec eleemosynam ferret ob. 6 pro qualibet Missa ex menstruis Missis 25; legatum tamen integrum fuit impletum. Modo aucta eleemosyna ad ob. 15 eo consilia diriguntur, ut Missæ reducantur, sed frustra : *Ventimilien.*, *Red. Miss.*, 18 *novem.* 1797.

338. Joan. Baptista Ricci in ecclesia patrum oratorii Æsi celebrationem perpetuam quatuor officiorum annuatim Missarum 15 pro quolibet, et quovis sabbato unam Missam, et libras quatuor ceræ annuatim, et pro omnibus scut. 12 impensam mandavit. Legatum fuit adimpletum, modo autem patres oratorii petunt eleemosynam ob. 12 pro qualibet Missa præter utensilia; ob id hæres testatoris toto pectore incumbit pro Missarum reductione referenda, sed esse ab hærede supplendam eleemosynam jussit : *Æsina*, *Red. Miss.*, 18 *novem.* 1797.

339. Ad perpetuam capellaniam a Violante Farnesia de Comitibus in ecclesia S. M. V. Pietatis extra mœnia Poli cum onere Missæ quotidianæ, excipiendi confessiones, et pueros dictæ terræ doctrinam Christianam docendi, fundatam, obtinuit Franciscus Fedeli, pro patrimonio sacro. Imminutis itaque reditibus culpa decessorum rectorum preces exhibuit pro reductione, et preces rejectæ fuerunt an. 1791. Modo illas capellanus Lucchetti renovat, et exponit vix scut. 36 attingere ejusdem reditus; et reductionem Missarum ad taxam Concilii Romani [288] obtinet : *Tyburtina*, *Red. Miss.*, 18 *novem.* 1797.

340. Quum primicerius, et canonici cathedralis ecclesiæ ex canonicalibus præbendis, et beneficiis decenter se exhibere non posse ob eorum tenuitatem affirment, ad extremum descendunt consilium, ut habeant reductionem, aut saltem suspensionem Missarum, quibus beneficia, et præbendæ gravantur. Episcopus dignos oratores petita gratia videri ingenue fatetur ; sed S. C. distulit resolutionem dubii propositi : *Placentina*, *Red. Miss.*, 17 *decem.* 1797.

341. Onera Missarum diebus singulis festis, et feriis secunda, et sexta, alia decem Sacra in festo S. Dominici, et præstationem librarum quatuor ceræ habet beneficium simplex in ecclesia monialium S. Catharinæ Urbis Maceratæ fundatum. Ejus reditus est in scut. 21, 50, hinc beneficiatus clericus Petrus Bocaletti reductionem Missarum efflagitat, et ad manualem obtinet. Erat enim necessaria ad æquandum onus cum emolumento etiam ante acceptationem : *Maceraten.*, *Red. Miss.*, 16 *decem.* 1797.

342. Pia domus Misericordiæ urbis Taviræ Algarbiorum in Lusitania præter receptionem peregrinorum plurimis oneribus gravatur. Sed quum amissis nonnullis bonis reditus annuus ita decreverit, ut superextans summa, neque integri Piæ domus reditus sint pares legatis, idcirco crevit eorum non adimplementum ad ingentem summam scut. 12000. Nam reditus Piæ domus non excedit scut. 450, et pro oneribus requiruntur scut. 630 præter id quod in receptionem peregrinorum, utensilia ecclesiæ, aliaque impendi debet. S. C. consulta pro reductione, eam impertivit juxta votum Card. relatoris [289] : *Pharaonen.*, *Red. Oner.*, 16 *decem.* 1797, *dub.* 1.

343. Quum monasterio S. Josephi monialium Carmelitarum oppidi Vimarenensis sex per contractus incumbant Missarum onera, et pecunia pro his accepta pene consumpta sit in fabrica ecclesiæ, commodo monasterii, et monialium indigentia ; adjumentum quærit a S. C. in reductione, vel in suspensione dictarum Missarum quas hactenus implevit, sed se ære alieno gravavit : Archiepiscopus favit, quia superat annuus monasterii exitus introitum in scut. 503, et S. C. denegavit reductionem, sed suspensionem per decennium, celebratis Missis 12 quolibet anno, cum lege erogandi dotes percipiendas in, et usque ad reintegrationem bonorum, impertivit : *Bracharen.*, *Red. Miss.*, 20 *januar.* 1798.

[288] Vide not. 267 præcedentem.

[289] Qui rem totam relinquere arbitrio, et conscientiæ Episcopi censet : « Qui injuncta Piæ domui Misericordiæ civitatis Taviræ celebratione certi, et congrui numeri Missarum lectarum ad rationem eleemosynæ manualis inibi actu vigentis, eamdem Piam domum, absolvat in reliquis a transactorum onerum adimplemento. » *Ead. causa*, 16 *decem.* 1797, § 5.

344. Parochus ecclesiæ S. Hippolyti Castri Fogliani terræ Casciæ gravatus pluribus Missarum oneribus, cum tenui reditu, supplicat pro reductione Missarum determinati numeri ad taxam Concilii Romani, ut a gravi liberetur onere adnotandi prædiorum fructus legatorum, et S. C. annuit pro reductione ad manualem. Ex parochia percepit scut. 40, ex legatis scut. 25, 70, 4. *Spoletana, Red. Miss.*, 24 *martii* 1798, *dub.* 1.

§ XIII.

Missa quoad ritum.

Placidus Sonna sacerdos professus ordinis S. Basilii ritus italo-græci prior monasterii Turris provinciæ Calabriæ pro gerendis ipsius monasterii, vel propriis negotiis cogitur a monasterio abesse, et alibi se transferre, ubi, vel nulla adest sui ordinis, suique ritus ecclesia, vel deest Missale græcum, aut minister. Indiget proinde facultatis iis in locis, ac circumstantiis Missam ritu latino celebrandi, sed S. C. hoc indultum minime concessit : *Ordinis S. Basilii*, 4 *maii* 1771.

§ XIV.

Missa quoad remissionem, et deletionem oneris.

1. Unita fuit quædam capellania ecclesiæ, seu conventui S. Dominici, et Patres lib. 410 acceperunt. Syndicus vero nomine conventus prædicti pecuniam convertere in emptionem alicujus rei immobilis spopondit Missasque constitutas celebrare. Sed dein negotium tractarunt, an prævia restitutione lib. 410 liberari iidem valeant ab onere in posterum sacra faciendi ? negativum responsum tulerunt : *Bononien., Un. et Red. Miss.*, 1 *martii* 1687, *dub.* 1.

2. Ad preces Congregationis Nobilium Sanctissimi Sacramenti domus professæ Societatis Jesu, ut onus Missarum injunctum ab Alphonso Ferrari ob deperditum fundum taxative assignatum deleretur, S. C. rescripsit, ut fiant diligentiæ contra hæreditatem Alphonsi, et deinde supplicet : 29 *martii* 1710 ; iterum, ut non cogatur oratrix extra Ecclesiasticum Statum litem agere, rediit in S. C., et rescriptum prodiit, pro deletione oneris Card. vicario verificatis verificandis, cum onere tamen faciendi diligentias in futurum : 24 *maii ejusd. anni*. Hanc clausulam modo postulat auferri, sed precibus minime annuit S. C., addendo, satis provisum per Card. vicarium : *Romana, Delet. Oner.*, 18 *april.* 1711.

3. Anna Zaccona gravavit hæredem Franciscum Manuccium erectionis capellaniæ cum onere Missæ quotidianæ in ecclesia parochiali S. Salvatoris de Curte Urbis. Hæres convenit cum Dominico Mauro rectore ecclesiæ, qui scutis mille erogandis in domunculas quasdam ecclesiæ reparandas ab hærede assignatis onus Missæ una cum successoribus assumpsit. At impensis scutis bismille evenit, ut Julius Grimantes creditor pro calcis pretio domunculas sub hasta venierit, et a moderno parocho fuerunt redemptæ censu scut. 300 ejusdem ecclesiæ. Rector tum opem imploravit reductionis Missarum, et non fuit auditus, sed jussum, ut agat contra assignantem. Contra hunc ob bonorum deficientiam exequi mandatum nequit ; qua de causa iterum exorat pro deletione oneris, seu reductionis in futurum, quam pro Missis in præteritum celebratis absque congruo stipendio, et S. C. quoad deletionem, ac Missas celebratas, negative, respondit : *Romana Red. Miss.*, 30 *aug.* 1710, *dub.* 1 et 3 et confirmatum decretum, sed impertita reductio ad manualem fuit : 14 *martii* 1711.

4. Abolitio oneris Missarum, quas ordinavit Dominicus Bruno, non sustinetur. Nam conventus S. Chrysogoni PP. Carmelitarum a Card. protectore de mandato S. C. pro peragenda reductione ac abolitione complurium onerum, subreptitie, et obreptitie abolitionem præfatam eo sub prætextu, quod nullum habuerit fundum, obtinuit : *Romana, Abol. Oner. Miss.*, 27 *aug.* 1712.

5. Quum oneris Missarum, quas Matthæa Alberi archiconfraternitati Peregrinorum Urbis reliquit, pecuniæ quantitas assignata, quam in vitalitium, usque dum viveret, dedit testatrix cum fructu scutorum 6 pro quolibet centenario, et anno, in stabilibus bonis non fuisset constituta, sensim in quotidianos usus fuit erogata. At S. C. consulta, nec deleri, nec reduci præfatum onus censuit : *Romana, Oner. Miss.*, 15 *decem.* 1714, *dub.* 1.

6. Item onus Missarum ex pia dispositione Catignanæ proveniens, quod etiam in censu vitalitio fuit constitutum, non esse delendum, nec reducendum, putavit : *Ibid., dub.* 2.

7. Denique delendum nequaquam esse onus Missarum voluit, quod prædictæ archiconfraternitati Sylvia de Tanis vivens constituto censu vitalitio imposuit ut nonnullas annuas Missas celebrare post obitum curaret ; et moriens vitalitium archiconfraternitati legavit, nulla facta oneris Missarum mentione : *Ibid. dub.* 3.

8. Quum provincia monastica Aragoniæ ordinis Prædicatorum in regnis Aragoniæ, Valentiæ, principatu Cataluniæ, et insulis Balearibus exposuisset eorum monasteria ob transactum bellum tanta passa fuisse damna in legatorum fundis, qui vel perierunt, vel eorum fructus sunt diminuti, ut religiosi ad sibi

victum comparandum manualem recipere eleemosynam coacti sint; hinc exoratur, ut vel onera deleantur, vel reducantur, necnon in forma commissaria res ordinariis monasteriorum committatur: *Ordinis S. Dominici*, 27 *novem.* 1717.

9. Patres S. Francisci min. observ. Murri Vallium petierunt absolutionem ab onere Missarum, quibus Podomia Marinangeli, et Franciscus Bullius eos gravaverant; cum præter incapacitatem ordinis adsit circumstantia, quod legatorum bona distracta fuerunt, ac in usus quotidianos fratrum conversa. Absolutionem S. C. ob id impertivit, addiditque ut certiores fiant ministri fabricæ, et ad secretarium, qui insinuet Patribus, ut commemorationem aliquando in anno pro animabus defunctorum benefactorum faciant: *Firmana*, *Leg.*, 31 *maii* 1721, *dub.* 1.

10. Monaci S. Praxedis de Urbe annua scut. 72 a Bernardo Olgiato relicta cum onere quotidiano duarum Missarum receperunt, postquam a Septimio Olgiato ad scut. 100 legatum auctum fuerit. Hi modo perpenso redituum decremento bona legati dimiserunt, et institerunt pro oneris deletione vigore pacti in acceptione appositi; S. C. negativum pro nunc responsum dedit, et mandavit procuratores uti jure suo coram judice competenti, et ad Card. præfectum fabricæ juxta mentem: *Romana*, *Leg.*, 21 *nov.* 1722, *dub.* 1.

11. Joseph de Albertis census reliquit activos, ut canonici ecclesiæ collegiatæ terræ Ariciæ duos anniversarios dies, Missasque lectas in duobus illis diebus in favorem suæ animæ celebrarent. Censum, debitoribus insolvibilibus inventis, canonici immitti curarunt in quadam domus portione. Nunc fructibus diminutis, ab onere Missarum prædicto liberari desiderant; et liberandos esse præterquam pro rata parte redituum portionis domus a capitulo possessa, S. C. censuit: *Albanen.*, 10 *martii* 1742, *dub.* 2.

12. Cæsar Peretus quatuor filiis onus centum Sacrorum quotannis injunxit. Unus ex illis Andreas, qui stipendium centum Missarum pro sacro patrimonio sufficere non posse prænoverat, rudibus fratribus suasit, ut perpetuam, ac vitalitiam capellaniam fundarent. Fratres domum unicam hæreditatem paternam pro dote constituerunt, ac onus aliorum centum Sacrorum addiderunt. Sed quum duo fratres summa egestate premantur vendere domum cupiunt, et sese esse deceptos asserunt. Verum S. C. causæ definitionem protelavit, voluitque Card. Episcopo pro nova informatione scribi: *Mediolanen.*, *Fund.*, 11 *martii* 1752. Inde respondit, haud esse oneris Missarum obolitioni locum: 20 *maii ejusd. anni.*

13. Disputatum fuit, an super præbendis primæ erectionis sit tollendum onus Missarum, quum neque in literis Apostolicis Urbani VIII, Pont. Max., qui ecclesiam S. Petri civitatis Massæ in collegiatam insignem erexit, in erectionem datum illud esset? tollendum esse S. C. declaravit: *Lunen. Sarzanen.*, *Oner. Miss.*, 20 *martii* 1756.

14. Ex actibus tantum Visitationum eruitur onus Missæ heddomadalis, quo gravatur capella S. Nicolai ecclesiæ parochialis oppidi Tarani quæ dicitur etiam esse de jure patronatus familiæ de Rodulphis: insuper ex iisdem actibus habetur quod Antonius de Rodulphis illam capellam restaurans prædium quoddam pro dote donaverit; ac hæres duas hebdomadales Missas celebrari curaret. Sed in commentariis solius Visitationis legitur *onus celebrationis Missarum bis in hebdomada ex devotione;* in tabella vero Missarum onus absolutum recensetur. In posterioribus Visitationibus onus, et non origo reperitur. Quapropter Joan. Bernardinus de Rodulphis onus hujusmodi erronee fuisse suppositum prætendit, ideoque deletionis in spe ducitur. Verum de duplicis hebdomadalis Missæ in præfato sacello S. Nicolai onere constare S. C. respondit: *Sabinen. Oner. Miss.*, 8 *martii* 1760.

15. Adeo ægrotantium, expositorumque infantium numerus in hospitale S. Mariæ Pietatis Cremonæ crevit, ut onera Missarum, anniversariorum, eleemosynarumque quibus illud gravatur, impleri nequeant. Præteritorum omissorum onerum obtinuit die 16 *febr.* 1743 absolutionem et condonationem, quoad futurum suspensionem ad decennium, exceptis tamen iis per contractum acceptis, injuncta celebratione aniversarii pro omnibus benefactoribus. Adprobavit resolutionem Clemens XIII, Pont. Max., et ad aliud quinquennium gratiam prorogavit. Tertio redeunt hospitalis administratores, et sibi videntur totalem horum onerum suppressionem obsecundante Episcopo consecuturi. Sed ad aliud decennium ad formam præcedentis Indulti pro gratia prorogationis esse consulendum Sanctissimum S. C. duxit: *Cremonen. Supp. Oner.*, 18 *febr.* 1761.

16. Ecclesia parochiali oppidi Birchircaræ in collegiatam erecta, onus canonicis injunctum fuit præter onus servitii chori, ac Missæ conventualis unam, et alteram submissa voce celebrandi Missas. Quum multa esset redituum inopia, capitulum nunc instat, ut liberetur ab onere celebrationis Missæ lectæ, quæ quotidie præter Missam conventualem ex lege erectionis habenda est; sed non obtinuit: *Melevitana*, 23 *april.* 1768, *dub.* 1.

17. In collegiata ecclesia oppidi Ariciæ capellaniam instituit Sextilius Nicolimus cum onere binarum Missarum cum cantu una cum aliis oneribus, Missisque lectis. Capellaniæ onus fundator in actus erectionis assumpsit, et nullum fundum peculiarem

assignavit. Hinc accidit, ut hæredes dissipare fere omnem hæreditatem potuissent; Paulus Gramigna, et Catharina Pinci conjuges, ad quos illa hæreditas pervenit, in animo habuerunt oneris Missarum duarum deletionem, se satis ceteris oneribus facturos spondentes. S. C. vero precibus eorumdem non adæsit: *Albanen. Capell.*, 23 *april.* 1774.

18. Fundo censito evicto, quem Joan. Pancratius de Pancratiis pro Missarum celebratione assignaverat, et societati Sanctissimi Suffragii terræ Stimiliani tradiderat; hæc, quum amplius fructus exigere non valuerit, ab satisfactione oneris Missarum cessavit, et modo nullam habet spem evictionis emendationem super bonis debitoris reportandæ; hinc pro abolitione oneris exorat, et S. C. Missarum suspensionem indulsit addendo ad mentem [290]: *Sabinen.*, 19 *aug.* 1775.

19. Tenuissimos videns esse reditus parochiæ suæ Marcus Merinius parochus ecclesiæ S. Mariæ Gratiarum, et geminis gravari inter cetera exponens oneribus Missarum nempe, et officiorum; deletioni oneris Missæ die Jovis, ac officiorum generalium, quorum onerum institutor latet, esse ocum studiose cogitavit. Exhibito revera decidendo dubio, deletioni locum esse juxta Archiepiscopi votum [291] S. C. respondit: *Firmana, Delet. oner.*, 5 *julii* 1777.

20. Monasterium et moniales S. Claræ Urbis Egitaniensis præviis contractibus diversis temporibus initis Missarum plurimarum onus sibi sumpserunt. Sed quum prædictæ moniales, in quos usus erogatæ fuerint pecuniæ non inveniant nimiaque onera inspiciant, necnon et gravi premantur paupertate, in assidua cura sunt, ut deleantur sive reducantur onera Missarum; quibus S. C. respondit pro reductione juxta mentem [292]: *Egitanien., Oner. Miss.*, 14 *febr.* 1778.

21. Capitulum ecclesiæ cathedralis, quod onus habet per canonicum curatum tres quotidie celebrandi Missas pro animabus benefactorum tam viventium, quam defunctorum ejusdem capituli, Missarum deletionis assignata curato congrua, aut reductionis beneficio deonerari optat. Sed contra votum Episcopi operam, et studium inutiliter posuit: *Nicien.*, *Oner. Miss.*, 15 *januar.* 1780.

22. Nuper vacavit una ex tribus capellaniis fundatis a Maria Virginia Salviati ad totidem altaria in ecclesia cathedrali cum Missarum, ac choro interveniendi solemnioribus diebus onere. Episcopus postulavit, ut sibi facultas indulgeretur supprimendi vacantem capellaniam, reditusque dividendi inter alios duos capellanos, qui in posterum tenerentur singulis diebus interesse divinis officiis in eadem ecclesia, spectato exiguo canonicorum numero ad sacras functiones peragendas. Summus Pontifex juxta petita, firma remanente celebratione Missarum, concessit. Modo hanc providentiam satis non esse Episcopus putat ad consulendum ministrorum cathedralis indigentiæ, quia nequaquam reditus aliarum capellaniarum cumulati sunt. Denuo exorat pro Missarum oneris deletione; et S. C. rescripsit, pro gratia juxta mentem facto verbo cum Sanctissimo [293]: *Sancti Miniatis*, 8 *maii* 1784.

23. Ascanius Bologninius archiconfraternitati B. M. V. de Monte Carmelo in ecclesia S. Chrysogoni erectæ legatum reliquit scut. 250 cum onere celebrationis unius Missæ in singulas hebdomadas, et unius anniversarii. Hanc summam in censu domus investivit sodalitii camerarius; domus autem censita ad alium possessorem jam pertinere deprehensa est: hinc labore contenditur pro oneris deletione quum nulli amplius percipiantur fructus; et affirmativum prodiit rescriptum juxta nempe votum protectoris, qui deletioni consenserat: *Romana, Delet. oner.*, 6 *maii* 1786.

24. Præter Sacrum quotidianum, officium unum pro anima marchionissæ Victoriæ Julphiæ, de quo onere nulla quæstio, patres Carmelitæ Cœnibii S. Mariæ trans pontem Urbis premuntur alio onere, quod eamdem respicit marchionissam. Hoc olim putabatur diurni Sacri, reductum anno 1725 ad Missas 181. Patres carere omni fundo autumant, deleri ergo animum in spem trahunt. Nam nulla in testamento, vel in codicillis, nec de traditione fundi, aut pecuniæ mentio habetur; et in tabella anni 1704 a testamento dicitur originem habuisse, quum nihil in eo hac de re legatur. S. C. delendum onus non putavit: *Romana*, 20 *maii* 1786, *dub.* 1; confirmata 24 *martii* 1787.

25. Duplex Laurentius Bacci Ciarpi reliquit le-

[290] « Et mens est, ut doceatur, si quid, et in qua summa receptum fuerit a parocho Ragnanoni, et utrum applicaverit Missam pro populo parœciæ S. Mariæ Lauretanæ Balneoli. » *Ead. causa*, 19 *aug.* 1775.

[291] Archiepiscopi in votis erat liberare parochum ab onere adplicandi Missam pro populo feria secunda cujuslibet hebdomadæ, ut parochiæ regimen commodius sustinere valeret; secus autem censebat quoad Missarum officia, quoniam ea non ad ecclesiam parochialem pertinebant, sed ad alteram suburbanam parochiæ unitam ecclesiam, ex cujus peculiari reditu emolumentum haud modicum parochus consequitur: *Ead. causa*, 5 *julii* 1777.

[292] Vide not. 239 præcedentem.

[293] « Et mens est, ut absolvatur ab onere Missarum unica tantum jam suppressa capellania Salviati ad hoc ut fructus distribui æqualiter possint inter alios capellanos Salviati cum onere tamen deserviendi ecclesiæ juxta votum Episcopi, et cum obligatione capellanis Salviati persistentibus celebrandi Missas alternatim in tribus altaribus a fundatrice designatis. » *Ead. causa*, 8 *maii* 1784.

gatum societati sacrorum vulnerum Christi erectæ in ecclesia S. Philippi Neri ad viam Juliam primum cum onere Sacri hebdomadalis, secundum sacri menstrui, qua de causa post diuturnam litem duo loca montium communitatis anno 1657 tradita fuerunt. His extractis anno 1693, sive anno 1696, societas hasta posita alienationem novissimi in vestimenti pro peculiari ejus debito passa est. Hinc onus hebdomadale ommissum fuit, ac ex justo aliquo titulo id factum fuisse beneficio 130 annorum, asseritur, et exemptio Sacri hebdomadalis petitur; S. C. precibus tamen non annuit : *Romana, Leg.*, 19 *januar.* 1788, *dub.* 1.

26. Quinque legata Missarum ex pluribus, quæ rectori parochialis ecclesiæ S. Joannis in Campo Tiferni Tiberini incumbunt, ob defectus absque illius culpa, ac absque spe redintegrationis abolentur juxta votum Episcopi[294]; non autem conceditur reductio Missarum in reliquis; et consulendum præscribitur pauperi parœciæ remediis a sacr. Concilio Tridentino[295] ordinatis : *Civitatis Castellani, Red. oner.*, 23 *januar.* 1790, *dub.* 1.

27. De pia dispositione actum est in S. C. Dorothæ Fiaschetti, quæ tributa facultate viro Mancini alienandi dimidiam partem, ac ex altera, vel integra, quatenus non alienasset, Missarum legatum instituit. Item se gessit secunda uxor Catharina Rufini. Sed quum vir in suos usus dotalia vendita prædiola erogasset; hæres Lactantius bonorum Mancini exorat pro absolutione quoad futurum ab utroque Missarum onere, vel facultate solvendi quamdam summam ad effectum investiendi, ut hæreditaria bona Mancini ab uno, et altero solvat dotali debito. S. C. resolutionem distulit, et scribi Episcopo juxta instructionem[296] jussit : *Asculana, Capell.*, 20 *martii* 1790, *dub.* 1 et 2. Iterum causa producta protelata decisione, dictum est scribi Episcopo pro firmatione status hæreditatis Mancini : 31 *julii ejusd. anni.* Denique resolvitur non esse locum abolitioni onerum Missarum, sed reductioni quoad legatum Rufini tantum ad manualem pro rata parte fructuum sortis scut. 74 tantum, et censuit Missas esse celebrandas in ecclesia ab Episcopo designanda quoad utrumque legatum : 3 *martii* 1792, *dub.* 1.

28. Joannes aliique de Turre gravati onere hebdomadalis Missæ, illarum exponentes paupertatem, exorant abolitionem, vel reductionem, et neutrum obtinent. Nam licet ad annum 1764, nulla sit memoria celebrationis, tamen ab hoc tempore usque ad annum 1780. Familia onus implevit, et oratores possident bona quorum fructus oneri pares sunt, præsertim cum applicatione arbitrio capellani a testatore remissa : *Nullius, Nonantulæ*, 17 *decem.* 1791, *dub.* 1.

29. Institutio ab Alexio Pusterla fideicommisso, vocatos gravavit onera sacri hebdomadalis. Inde Plinius Bonini altero condito fideicommisso onus adjecit Missæ quotidianæ. Ac Petrus Franciscus tandem Pusterla primo fideicommisso bona univit cum onere Missæ quotidianæ. Modo hæc in unam familiam Bonini coaluerunt, quæ ob bona imminuta abolitioni, vel reductioni duplicis oneris quotidiani assequendæ operam dat. sed non ex sententia successit ; *Placentina, Red. Miss.*, 21 *julii* 1792.

30. Abolitio legati relicti per Valentinum Leona cum onere hebdomadalis, quod præ tenuitate societas Sanctissimæ Conceptionis S. Benigni respuit, denegatur, concessa reductione Missarum arbitrio, et conscientiæ Ordinarii : *Nullius, S. Benigni*, 24 *martii* 1792, *dub.* 1.

31. Suppressio denegatur oneris Missaram 3073, quod ecclesiæ et hospitali S. Mariæ de Misericordia Savonæ quotannis incumbit, et ob defectum respondentis fundi conceditur, suspensio ejusdem oneris ad decennium prout in Cremonensi[297] : *Savonen.. Reduct. Miss.*, 18 *aug.* 1792.

32. Sanctinus Cassinelli filiabus monialibus usumfructum reliquit suorum bonorum, dominium monasteriis Vighizzolis, et oppidi S. Romuli cum reciproca intereas substitutione, qua sequuta ac absoluta hæreditatis fructus erogari in tot Missas præcepit. Hæc evenit, et existitit adhuc sors libellarum 10000; ejusque fructus erogantur in celebrationem Missæ quotidianæ. At libellas alias 15,000 consumpserunt moniales S. Romuli in lites adversus debitores hæreditatis, in expensas transactionis, canonisationem earum fundatricis, propriamque conservationem. Nuper tandem supplicavit abbatissa monasterii Sanctissimæ Visitationis dicti oppidi pro abolitione, vel saltem reductione oneris Missarum quoad futurum inopiæ gratia quoad dictam sortem consumptam; et S. C. negativum dedit responsum, sed esse locum suspensioni Missarum ad decennium celebratis Missis decem quolibet mense, et cum lege erogandi dotes percipiendas in et usque ad redintegrationem sortis libellarum 15000; et ad secret. cum Sanctissime censuit *Albinganen.*, 20 *julii* 1793, *dub.* 1.

33. Missæ annuæ quindecim per centum fere an-

[294] Vide not. 263 præcedentem.

[295] Vide not. 1, verb. *Baptismalis fons.*

[296] « Quod referret, nempe, an Lactantii sit hæres liber Mancini et Rufini ; an redditionem rationis de bonis hæreditatis reddiderit, et an de proprio supplere debeat, et possit ; et an competat oratori detractionis legitimæ actio. » *Ead. causa*, 31 *julii* 1790.

[297] *Die* 16 *feb.* 1743, inter summaria precum relata.

nos, licet cum intermissione celebratæ ex legato Victoriæ Onofrii, de quo ex domesticis constat commentariis familiæ Barlesi minime abolitioni est locum, quoad futurum servantur. Ob gravem paupertatem Mariæ Barlesi, ejusque sex filiorum suspenditur illarum celebratio ad decennium celebrata quotannis unica Missa : *Abolit. leg. Miss. et abs.*, 25 *januar.* 1794, *dub.* 1.

34. Exponit vicarius capitularis ecclesiæ cathedralis, *trovarsi nell' antica tabella, e ne' libri annuali di Messe anteriori ad essa, Messe solenni per i benefattori del capitolo; altre per i capitulari; ed altre per i benefattori del' opera (non suspendosi che opera esser possa, se fabbrica, o tutt'altro) quali Messe casso il Vescovo nella presente riduzione,* nempe elargita a S. C. in genere omnium legatorum die 9 sept. 1786, quum de his fundatio non appareret. Ideoque quærit, non ea deletio sit sustinenda ? juxta votum Card. relatoris rescribitur : *Ecclesien.*, 16 *aug.* 1794, *dub.* 8.

35. Franciscus Faratini sacerdos rector capellaniæ fundationis Francisci Baglioni in ecclesia S. Joan. Montis Fortini factæ cum onere Missarum diebus festis, fecit transactionem super prædiola capellaniæ, et Missas ordinavit alias quinque annuas, et dé proprio solvit scut. 28. De nullitate fuit transactio imputata, hinc examinatum est, an sit locus abolitioni oneris Missarum quinque, et S. C. negative respondit : *Senogallien., Oner. Miss.*, 24 *januar.* 1795, *dub.* 1.

36. Inter plurima legata Missarum quibus sodalitium S. Nicolai Tolentinatis gravatur, quod ob ejus paupertatem suspensum fuit, concessit S. C. abolitionem legati Missarum 11, relicti a Sebastiana Luciani ob defectum fundi : *Tolentinaten., Red. oner.*, 13 *junii* 1795.

37. Pia domus Misericordiæ pro infirmis, et peregrinis erecta plurimis ab ipsa erectione gravabatur oneribus Missarum, et subsidiorum dotalium. Hæc onera an. 1736, præ redituum imminutione ad annuas Missas 338, et dotes tres reducta fuerunt. Sed ob maximum terræ motum an 1755, imminutio gravis evenit, et ab eo tempore omissa sunt sacra, et dotium collatio. Reditus domus nunc summam attingit scut. 800 ægrotantium, aliorumque piorum operum sumptus est in scut. 1100. Quare supplex ivit pro suppressione, vel suspensione oneris Missarum, et dotium, quoad futurum, et S. C. suppressionem denegavit, sed concessit suspensionem Missarum, et dotium ad decennium, celebrato anniversario infra octavam omnium fidelium defunctorum, applicando collective pro omnibus, qui onera reliquerunt : *Pharaonen., Supp. oner. et absol.*, 9 *julii* 1796, *dub.* 1.

§ XV.

Missa quando, et quomodo celebratio suspendi possit necne.

1. Quum eversa fuisset ob terræmotum anno 1685 domus professa S. Mariæ Portæ Cœli clericorum regularium infirmis ministrantium Neapolis, dicti Patres ob instaurationem impenderunt duc. 23,776 ; et opus non perfecerunt ; id autem facere cupientes, muniunt sibi aditum reductionem decennalem 20 Missarum perpetuarum, quas in dies celebrare tenentur, ad quinque dietium commode celebrandas a totidem religiosis sacerdotibus ibidem commorantibus, petentes ; S. C. vero hasce preces rejecit : *Neapolitana, Red. tempor. Miss.*, 26 *martii* 1707.

2. Victoria Blaucona Patribus Augustinianis excalceatis censum, ac cambium in summa scut. 1650 cum onere Missarum reliquit. Sed Patres exigere non valuerunt, nisi scut. 1000, 75, et de mandato S. C. visitationis positum fuit in tabella onus Missarum 247, ac si fruerentur integra sorte a testatrice relicta. Cupiunt a S. C. suspensionem Missarum excessive celebratarum; quam indulsit juxta votum Card. relatoris [299] : *Romana, Miss.*, 31 *julii* 1717, *dub.* 2.

3. Onus Missarum relictum a Bernardino Gambini Patres Carmelita conventus de Albagna cum obligatione in contractu emissa susceperunt ; et juxta mentem testatoris domum emerunt. Modo hæc domus reparationibus indiget ; S. C. adierunt suspensionem, vel reductionem petentes, quæ protelavit decretum, et interim servari mentem testatoris mandavit : *Taurinen., Red. Miss.*, 5 *junii* 1717 [300].

4. Celebrationem Missæ quotidianæ pro anima quondam Ægidii Ursini de Vivariis pii fundatoris intermittendam esse, quousque fructus locorum montium pro hujusmodi celebratione assignatorum, per eorum continuum investimentum in alia loca

[298] Qui hæc habet : « Affirmative respondendum esse censeo, adderemque ut orator defuncti Episcopi facto penitus acquiescat. » *Ead. causa*, 16 *aug.* 1794, in rel. 3, § 9.

[299] Vide not. 221, præcedentem.

[300] Qui ait totam summam exactam fuisse in scut. 1108. Hinc ducto calculo fructuum, et Missarum celebratarum demonstrat oratores præter propriam obligationem celebrasse Missas 342, et in futurum teneri ad annuas Missas 165, ideoque censet celebratis Missis centum suspendi posse celebrationem aliarum Missarum 65, donec compensetur numerus excessive celebratarum. *Ead. causa*, 31 *julii* 1717.

montium in totum ascendant ad annua scuta 60 ab eodem præscripta, S. C. edixit : *Romana, Susp. oner., et redint. eleemos. Miss.*, 21 *maii* 1718.

5. Rector cœnobii S. Egidii congregationis Canonicorum regularium S. Joan. Evangelistæ Ulissyponæ supplicavit pro suspensione sacrorum alias reductorum, donec perficeretur nova ecclesia, et conventus, quorum fabricam tum incendium, tum terræmotus anni 1755 vastaverunt. Obtinuit ille juxta votum Card. patriarchæ, qui desuper pro suo arbitrio providere, et procedere debebat. Patriarcha in sensu fuit, ut celebratio pro duodecim annis in alias Congregationis domus transferretur. Hinc sequenti anno iterum rogavit rector pro suspensione, allegata difficultate implementi in aliis Congregationis ecclesiis ob recusationem localium superiorum. S. C. rescripsit *Lectum, et gaudeat impetratis*. Alia vero deesse media ad occurrendum reparationi ecclesiæ autumat rector. Sed aliquam superesse redituum summam ad novam ecclesiam minoris amplitudinis, et ornatus, construendam referebat patriarcha ; hinc *in decisis* responsum fuit : *Lisbonen.*, 20 *sept.* 1760.

6. Adeo ægrotantium, expositorumque infantium numerus in hospitale S. Mariæ Pietatis Cremonæ crevit, ut onera Missarum, anniversariorum, eleemosynarum, quibus illud gravatur, impleri nequeant. Idcirco obtinuit suspensionem eorumdem ad decennium, exceptis tamen iis per contractum susceptis : injuncta anniversarii pro omnibus benefactoribus celebratione. Clem. XIII, Pont. Max., resolutionem probavit, et ad aliud quinquennium gratiam protendit. Modo repetita instantia S. C. ad aliud decennium ad formam præcedentis indulti gratiam concessit : *Cremonen.*, *Supp. oner.*, 28 *febr.* 1761.

7. Anno 1751, capitulum collegiatæ, et parochialis ecclesiæ Montis Fani, ad iterum ædificandam ecclesiam impetravit, ut suspenderetur insignis quantitas sacrorum 1600 quolibet anno ; et ut pretium quarumdem sterilium arborum in eamdem causam erogaretur. Anno 1763, S. C. novam prorogationem concessionis, favente Episcopo, postulatam denegavit. Quum vero fabricæ multum deesset, preces instauratæ sunt, et S. C. Episcopo scribendum existimavit juxta instructionem [301] : *Auximana*, 8 *junii* 1765. Episcopus inter cetera ait desperandum opus, nisi nova hæc concessio accedat. Novam proinde suspensionem sacrorum indulsit S. C. ad sexennium absque spe ulterioris prorogationis, et injunctis anniversariis facto verbo cum Sanctissimo, et ad Card. præfectum ad mentem : 11 *januar.* 1766.

8. Joan. Baptista Stacconius Veliternus hæredem instituit ecclesiam B. M. Consolationis de Urbe. Onus huic indixit, erigendi quinque capellanias amovibiles in totidem designatis ecclesiis, eisque assignavit scut. 40, pro qualibet cum onere unicuique injuncto quotidie celebrandi Missas. Necessaria fuit domus Veliternæ reparatio, pro cujus instauratione erogata fuere scut. 154 de propriis ecclesiæ Consolationis pecuniis. Propterea custodes instant, ut temporaria singularum Missarum nedum scilicet illarum, quæ celebrantur in præscriptis ecclesiis, sed etiam illarum, quæ celebrari debent cum reditibus superextantibus, suspensio concedatur donec archihospitale hæres fuerit de solutis sumptibus redintegratum. Verum S. C. rem protelari, et statum firmari respondit : *Romana*, *Susp. Miss.*, 17 *junii* 1775.

9. Petrus Antonius Mazzitelli duo prædia ad binas in hebdomada Missas celebrandas reliquit, filioque hæredi injunxit, ut alterum adjiceret prædium ad quatuor hebdomadales Missas complendas. Quum unum prædium deterius sua conditione factum, alterum vi fluminis Naris abrosum esset, fratres de Massarucci hæredes S. C. invocarunt pro assequenda celebrationis Missarum suspensione, donec cum fructibus impensæ ad culturam necessariæ solutæ sint, et in posterum pro reductione juxta redituum quantitatem. S. C. voluit primum, ut scriberetur Episcopo juxta instructionem : *Interamnen*, 23 *novem.* 1776. Deinde sancivit, ut firmæ remanerent duæ primæ Missæ a testatore demandatæ, in reliquis vero annuit suspensioni aliarum duarum Missarum ad quinquennium juxta mentem [302] : 19 *novem.* 1777.

10. Et sortes, et reditus capellaniæ ab Aloysio Pantalupi in ecclesia S. Petronii Castri Bononiensis fundatæ ita reperit imminutos sacerdos Paulus Naldi, ut reductionem obtinere Missarum studuerit. Nonnullas etiam sustinuit expensas pro domus ca-

[301] Ut referret, quæ de necessitate essent fabricæ, non autem ornatu, quæ bona, qui reditus ecclesiæ, mensæ capitularis canonicorum speciatim, et aliorum, qui in ecclesia beneficium obtinerent, quid ex populo haberi posset, aliaque, quæ ad causam essent. *Ead. causa*, 11 *januar.* 1766.

[302] Et mens est; « Ut celebrata quolibet mense unica Missa, sit locus suspensioni aliarum Missarum, donec ex reditibus prædii *Capo di Croce* fratres Massarucci fuerint redintegrati de expensis faciendis pro cultura dicti prædii, et ad mentem. Et mens est, ut Episcopus præfigat congruum tempus dictis fratribus de Massarucci pro faciendis meliorationibus, docto de adimplemento, ac de quantitate expensarum ab iisdem Episcopo adprobanda, et curet reintegrationem dictorum fratrum cum fructibus prædii, et meliorationum de eis anno quolibet reddita ratione coram Episcopo. » *Ead. causa*, 29 *novem.* 1777.

pellæque restauratione, et pro nova ante eamdem domum constructione viæ superiorum jussu expleta. Reductioni, diminutionique oneris favebat Episcopus, suspensioni autem repugnabat perpenso itaque dubio, responsum est, non esse locum suspensioni Missarum pro redintegratione expensarum supra narratarum : *Imolen., Red. et Susp. oner. Miss.*, 14 *febr.* 1778, *dub.* 3.

11. Capitulum ecclesiæ cathedralis obtinuit, ut ingens 66 anniversariorum numerus in binas Missas lectas singulis diebus commutaretur. Quamvis autem annuus reditus scut. 54 ob. 55 aucta eleemosyna Missarum in ob. 10 impar foret ad onus binarum Missarum quotidianarum ferendum ; capitulum tamen hoc onus ad annum usque 1775 explevit. Deinde expensam, quæ obvenit, et obventuram capitulum perpendens postulavit, ut in compensationem præteritarum expensarum suspendantur onera Missarum usque ad redintegrationem ; perpensum etiam fuit, quod pecuniæ erogatæ erant in causam piam, ex qua nulla dari repetitio solet. Proposita hinc causa nec suspensionem, nec redintegrationem S. C. concessit : *Placentina*, 16 *januar.* 1779, confirmata 15 *april.* 1780.

12. Quum patronalis ecclesia B. M. V. in Cœlum Assumptæ dicata sita in villa de Seano proximam minetur ruinam ; cum fructibus nonnullorum locorum montium, et cum suspensione Missarum in ea ecclesia celebrandarum provideri illius necessitati exponitur. Sed S. C. dixit proponi causam citato patrono : *Camerinen., Rest. eccles.*, 6 *mart.* 1779. Patrono suam probante paupertatem, prodiit affirmativa responsio juxta votum Episcopi [303] : 27 *novem. ejusd. anni.*

13. Officiales sodalitiorum Sanctissimi Sacramenti, et Beatissimæ Virginis Rosarii, quorum tenues sunt reditus, remedium suspensionis onerum Missarum, vel reductionem per lapsum viginti annorum, ut facto pecuniarum cumulo, altarium, oratoriorum, sacrarumque supellectilium necessitatibus occurreretur, implorarunt. S. C. precibus annuit, sed juxta modum [304] : *Mutinen., Susp. vel Red. oner.*, 20 *januar.* 1781.

14. Simon Rebutti e civitate Novarum testamento mandavit, ut quatuor qualibet hebdomada celebrarentur Missæ, et insuper in codicillis alias duas celebrandas injunxit. At quum hæreditas esset ære alieno gravata, capellanusque hactenus celebrasset minori eleemosyna ea, quæ præscripta fuit in ob. 15, ea ex causa, et titulo se creditorem asseruit in summa lib. 1800, hinc operam impendit, ut intermitteretur Missarum celebratio, donec ipse fuerit de dicto credito satisfactus, et donec dissolutum etiam fuerit æs alienum testatoris. Sed S. C. dilata, et scribatur Episcopo juxta mentem [305] rescripsit : *Derthonen., Susp. et Red. Miss.*, 17 *martii* 1781, *dub.* 1 et 2.

15. Quum parochialis ecclesia S. Luciæ Castri Lauri restauratione indigeret, parochus Josephum Remuli, et Fortunatum Carducci binarum capellaniarum rectores interpellavit, ut ad expensarum redintegrationem rependerent. Huic contributioni impares se esse sustinent rectores ob redituum tenuitatem. Qua de re efflagitant suspensionem onerum Missarum, quousque constituatur summa in reparandis capellis erogata. Verum S. C. eam denegando, dixit ad mentem [306] : *Firmana, Susp. oner. Miss.*, 14 *decem.* 1782.

16. Magdalena Bessoni viro suo Antonio Fumei hæredi usufructuario mandavit, ut post ejus mortem ex suæ dotis fructibus tot Missæ in loco hæredi beneviso celebrarentur. Archiconfraternitatem hæres elegit Sanctissimi Sacramenti erectam in ecclesia S. Mariæ supra Minervam, eique assignavit quasdam domunculas, alieno dominio subjectas, retento sibi onere solvendi scut. 10 loco pensionum ; et eleemosynam convenit in ob. 30 pro qualibet Missa, et convenit ulterius, ut si domus instauratione, vel nova ædificatione indigeret, celebratio Missarum suspenderetur. Archiconfraternitas possessionem nacta domorum ad compellendum hæredem pro reparatione earum litem sustinuit ;

[303] Vide not. 6, verb. *Ecclesia in genere*, § I.

[304] « Nempe quod Missæ, quæ celebrantur, atque onera, quæ proveniunt ex mera consuetudine utriusque sodalitii reducantur ad unum anniversarium pro qualibet in octava omnium fidelium defunctorum. Missæ vero, quæ proveniunt ex dispositione fundatorum suspendantur ad quinquennium, celebratis tamen duabus Missis in qualibet hebdomada ab unaquaque sodalitate pro animabus fundatorum in genere ; et qui supererunt reditus erogentur ab utraque sodalitate in comparandis suppellectibus sacris, et in refectione altarium dumtaxat, quæ sita sunt in ecclesia parochiali, non autem oratoriorum, et ad mentem ; et mens est ut Episcopus incumbat adimplemento, et curet etiam, ut parochus aliquid conferat in refectionem altarium » : *Ead. causa*, 20 *januar.* 1781.

[305] Mens fuit, ut firmetur status hæreditarius Simonis Rebutti testatoris, et Episcopus referat, an ex pensionibus domus hæreditariæ traditæ Magdalenæ Rebutti nuptæ Didaco Governo solutum fuerit ejus creditum lib. 1620 referendo quoque de quantitate eleemosynæ manualis juxta morem regionis, an adsint alia bona, quæ redire possint ad hæreditatem fundatoris, qui ea quoque obligavit : *Regist. Lit.*, lib. 34, *die* 17 *martii* 1781.

[306] « Et mens, ut præfigatur terminus patronis ad solvendum quidquid per parochum revera fuerit expensum in restaurationem capellarum coram Archiepiscopo liquidandum ; quo termino elapso, et solutione non facta idem Archiepiscopus patronos cecidisse a jurepatronatus declaret. » *Ead. causa*, 14 *decem.* 1782.

opinatur itaque reductionem habere ad quinque Missas, vel saltem suspensionem Missarum, donec de impensis reficiatur. Sed S. C. definitionem protelavit, et Card. præfecto juxta instructionem [307] rescripsit : *Romana, Red. seu Susp. oner. Miss.*, 21 *junii* 1783. Reproducta causa, affirmativum prodiit responsum juxta votum Card. protectoris [308], servata quoad Missas celebrandas ex reditibus domus ad Arcum Puritatis manuali, solutis utensilibus : 18 *junii* 1785.

17. Comperiit Episcopus in visitatione neglectum fuisse implementum Missarum capellaniæ a Bartholomæo Vitelleschi fundatæ, novitque prædia urbana restauratione in summa scut. 200 et ultra indigere ; preces proinde exhibuit pro suspensione Missarum ad tempus, ut omnes reditus, detractis aliis oneribus, et dempta aliqua subministratione titulo alimentorum capellano præstanda, erogentur in restaurationem bonorum capellaniæ. Sed S. C. primum respondit, ut scribatur Episcopo juxta mentem [309] : *Cornetana, Susp. Oner. Miss.*, 8 *maii* 1784. Deinde esse locum ulteriori suspensioni juxta votum Card. Episcopi ad triennium [310] putavit : 20 *sept.* 1788, *dub.* 2.

18. Suspensionem Missarum per annos 25 petitam a Franscisco Pararelli germano fratri patroni Capellaniæ ad effectum subministrandi dicto Francisco alimenta, ac suæ familiæ conservationem S. C. denegavit, etsi doceret de paupertate, ac alieno ære a patre contracto : *Camerinen.*, 27 *novem.* 1784.

19. Sacerdos Grisantes Armezzani in ecclesia S. Philippi Nerii in oppido Serræ S. Quirici a se constructa capellanias fundavit, additis pro dote censibus. Sacerdos Cecconius unus ex capellanis impotens prorsus ad impensas subeundas litis excitatæ super censu scut. 500 in sorte suspensionem efflagitat onerum pro tuendis suæ capellaniæ juribus ; et rescriptum habuit affirmativum ad annum præservato aliquo Missarum numero arbitrio Episcopi, et reddita ratione coram eodem de erogatione : *Camerinen.*, *Susp. oner. Miss.*, 12 *martii* 1785.

20. Clericus Aloysius Bassi, qui per renunciationem patrui capellaniam obtinuit, ab ipso patruo petitionem temporariæ Missarum reductionis exhibitam novis precibus prosequutus est, necessitate urgente domos reficiendi, et redituum ad subeundum hoc onus insufficientia. Annuit ejus precibus S. C. ad quadriennium ; sed voluit, ut celebrarentur Missæ 50 in singulis annis, et fieret per beneficiatum obligatio celebrandi Missas omissas post obitum Mariæ Bassi ex bonis hæreditatis patrui ad ipsum deferendis : *Mathelicen.*, *Susp. oner. Miss.*, 24 *novem.* 1787.

21. Duplicem hebdomadalem Missam voluit Joan. Maria Serra, et duplex fecit legatum in scut. 50 ejus hæreditate inter duos filios divisa. Implevit filius Marcus Antonius scut. 50 Carmelitis solvendo. Ulbertini vero filii partes sui officii præ eorum paupertate non obierunt. Anno 1664 compositionem Joan. Baptista Ulbertini filius a rev. fabrica S. Petri impetravit pro omissa novemdecim annorum celebratione. Triennem oneris suspensionem a S. C. obtinuit Clara ejus vidua. Ac bis eadem Carolo illorum nepoti, et oratori concessa fuit gratia. Subsequuta est tamen aliorum 26 annorum omisso, ac petita Missarum reductionis gratia. S. C. indulsit suspensionem celebrationis Missarum ad decennium cum obligatione 12 Missarum quotannis : *Casalen.*, 20 *decem.* 1788, *dub.* 1.

22. Ignatius Maria Ghedinius in exequutionem piæ Patris voluntatis instituit annuam Missarum celebrationem 200 cum eleemosyna ob. 15 pro qualibet. In codicillis vero hebdomadalem legavit Missam ex hæreditate ære alieno gravata, solvendam : Nicolaus Coghius hæreditatis administrator hebdomadalis tantum Missæ celebrationem curavit, ceteras neglexit, ut numerosam testatoris, qui etiam omiserat, familiam aleret. Spem bonam ille nutrit pro reductione utriusque legati ad annuas Missas 30 cum synodali eleemosyna ob. 12 ; imparem ad omne onus ferendum hæreditatem putans. S. C. donavit suspensionem ad quinquennium, firmo remanente onere Missæ hebdomadalis pro utroque legato : *Ferrarien.*, *Red. Miss. et Abs.*, 20 *decem.* 1788, *dub.* 1.

23. Missæ relictæ a sacerdote Francisco Vuzzini, per quinquennium æris alieni dimittendi causa suspenduntur juxta transactionem initam inter creditorem, et seminarium Melitæ hæredem, celebratis pro una vice Missis centum durante quindennio : *Milevitana*, *Trans.*, 15 *maii* 1790.

24. Suppressione silentio involuta oneris Missarum 3073 ecclesia, et hospitale S. Mariæ de Misericordia Savonæ cui quotannis onus incumbit, ob defectum respondentis fundi supplicibus verbis S. C. oravit, quæ concessit suspensionem ejusdem oneris ad decennium prout in Cremonensi : [311] *Savonen.*, *Red. Miss.*, 18 *aug.* 1792.

[307] Vide not. 251 præcedentem.

[308] Vide not. 252 præcedentem.

[309] Vide notam sequentem.

[310] Qui ait : « Æquum videtur, ut iterum suspendantur onera Missarum quousque debitum fuerit extinctum ; maxime, quia suo incommodo aucti sunt fructus beneficii » : *Ead. causa*, 20 *sept.* 1788, § 4.

[311] Vide num. 6 § præsentis.

25. Jussu Francisci Malacalza capellania erecta fuit cum onere hebdomadali Missarum 4, residendi in sua domo, in eaque recipiendi patres ordinum S. Francisci de Assisio, et S. Francisci de Paula. Modo possessor institutionis labentem domum, et neglectam prædiorum culturam inveniens, deprecatus est pro temporaria Missarum suspensione, et dispensatione a residentia et hospitio, ut domus, et prædia reparentur. Annuit S. C. in omnibus ad biennium, celebrata unica Missa quolibet mense, et docto coram Episcopo de erogatione superextantium redituum in causam expressam: *Lunen. Sarzanen.* 19 *januar.* 1793.

26. Suspensio oneris quinque Missarum hebdomadalium denegata fuit Ugolino Gualterotti possessori canonicatus fundationis Lancislai Lignani, eodem tempore, quo permittitur eidem ob passum ex obligatione fundatoris judicatum liberationis a molestiis, alienatio bonorum deteriorum canonicalis præbendæ ad evadendam melioris fundi subhastationem, quum fructus illi sufficientes supersint: *Civitatis, Castelli,* 17 *aug.* 1793, *dub.* 2.

27. Quum moniales Sanctissimæ Visitationis oppidi S. Romuli libellas 1500 consumpsissent in lites adversus debitores hæreditatis Sanctini Cassinelli fundatoris legati Missarum, in sumptus transactionis, canonizationis earum fundatricis, propriæque conservationis; S. C. negata oneris abolitione suspensionem Missarum ad decennium celebratis Missis quolibet mense 10 et cum lege erogandi dotes percipiendas in, et usque ad redintegrationem sortis libellarum 15,000 et ad secretarium cum Sanctissimo concessit: *Albinganen.*, 20 *julii* 1793, *dub.* 1.

28. Suspenduntur Missæ hebdomadales quatuor, et alia cum cantu in festo S. Nicolai de Tolentino, quibus gravatur Joan. Franciscus filius, ob gravem illius paupertatem, et suspenduntur ad decennium, imposito aliquo pio onere per modum suffragii arbitrio Episcopi, cui mandatur, ut vindicationi bonorum alienatorum incumbat: *Derthonen.*, *Commut. volunt.*, 10 *maii* 1794, *dub.* 1.

29. Adducitur in controversiam, an, et quomodo vicario generali, absente Episcopo, et vicario capitulari eo defuncto, sit concedenda facultas suspendendi Missas ratione tenuitatis redituum? respondetur juxta votum Card. relatoris [512]: *Ecclesien.*, 16 *aug.* 1794, *dub.* 8.

30. Missarum suspensio ob deficientes reditus fabricæ, tenuesque capitularium reditus conceditur capitulo S. Joannis Evangelistæ Placentiæ ad effectum iterum ædificandi illius ecclesiam juxta votum Episcopi, ad annos scilicet novem cum dimidio sub lege tamen celebrandi in perpetuum gratis anniversarium pro iis omnibus, quorum suspenduntur suffragia, additaque conditione dummodo inveniatur redemptor operis affixione edictorum: *Placentina, Susp. oner.*, 22 *novem.* 1794.

31. Quum locatio fatiscentis, et maxime post incendium passæ domus assignatæ post centum annos a condito testamento per mediatos hæredes Ludovicæ Baroni in fundum duarum capellaniarum ab ea institutarum in ecclesia S. Joan. oppidi Montis Bodi ad triennium concessa fuisset ob desponsam a conductore novam illius constructionem et ampliationem, licet impar oblata pensio sit oneri Missarum; pro rata parte minoris reditus conceditur Missarum suspensio juxta votum Card. archipresbyteri [513]: *Senogallien., Locat. et Red. Miss.*, 28 *febr.* 1795, *dub.* 2.

32. Gravatur familia Aicardi annuis legatis undecim; Hieronymus, et Joan. Baptista, quos inter divisum est patrimonium, supplicant pro Missarum suspensione, et applicatione redituum partim in manutentionem utriusque pauperrimæ, et civilis familiæ, partim in cumulum pro respectivis dotandis filiabus; quotidiana interim pro legantibus collective Missa celebrata. Favet Episcopus, sed S. C. non esse locum suspensioni pro cumulo dotium decidit: *Albinganen.*, 28 *novem.* 1795.

33. Clericus Alexander Fabroni obtinuit beneficium cum onere Missæ quotidianæ fundationis Matthiæ de Barberiis cum domo urbana, vinea, et prædio. Ad reparandas hujus beneficii rusticas ædes passivum super propriis bonis patroni imposuerunt censum in sorte scut. 500 cum conditione ut rector debeat opportunas obtinere licentias, ut census transferatur super prædio beneficii. Beneficiatus hac de causa operam contulit pro suspensione tot Missarum, quot satis essent ad extinctionem sortis, sed frustra laboravit: *Faventina, Red. Miss.*, 23 *april.* 1796.

34. Quum domus Misericordiæ pro infirmis et peregrinis erecta plurimis oneribus gravata an. 1736 ob imminutionem redituum reductionem Missarum ad annuas Missas 358; et ad dotes tres obtinuerit; gravem passa inde est pariter fructuum imminutionem ob terræmotum an. 1755 et ab eo anno omissa fuerunt sacra, et dotium collatio. Modo accurate perpendit onerum suppressionem vel su-

[512] Vide not. 281 præcedentem.

[513] Qui putat Missas suspendi posse juxta modum a fundatrice præscriptum, ut diminutis redditibus etiam Missæ diminuantur. Hinc sunt celebrandæ ex ejusdem voto ad rationem obolorum 20 pro qualibet Missa 50 a patronis pauperibus cum reditus in scut. 11 sint imminuti: *Ead. causa*, 28 *febr.* 1795, § 6.

spensionem quam a S. C. expectat, quia reditus piæ domus attingunt scut. 800, et ægrotantium, aliorumque priorum operum sumptus sunt in scut. 1100; S. C. autem suppressionem denegando, annuit pro suspensione Missarum, et dotium ad decennium, celebrato anniversario infra octavam omnium fidelium defunctorum applicando collective pro omnibus, qui onera reliquerunt : *Pharaonen., Suppr. oner et abs.*, 9 *julii* 1796, *dub.* 1.

35. Ex Missis 7 hebdomadalibus capellaniarum, quas binas fundavit Cæsareus Sen. Calvi in ecclesia S. Mariæ Montis Falchi, ad annuas Missas 111 vel 112. Episcopus ob mutata in pejus prædia censibus subrogata, reduxit. Inde exponente suam inopiam capellanorum nominationis suspensionem ad tempus patronus Calvi obtinuit, sed inde neglecta ea fuit nominatio Missis 50 tantum celebratis. Modo Episcopo urgente, et ei ob angustiam rei familiaris, numerosæque familiæ favente, a patrono postulatur reductio Missarum, vel suspensio, sed in omnibus negativum accepit responsum : *Spoletana, Red. Miss.*, 11 *febr.* 1797, *dub.* 3.

36. Onus Missæ quotidianæ implendum ad altare privilegiatum ecclesiæ tumulantis comes Joan. Nicelli hæredi imposuit; et hoc sacrum fuit celebratum usque ad an. 1796. At supervenerunt rei familiaris angustiæ et comes Albertus Nicelli in reductione, vel suspensione suum præsidium constituit. Sed S. C. utrumque denegavit. Nam testator totam gravavit hæreditatem quum in casu evictionis prædii gravati supplere cum aliis bonis mandasset, et orator anuuum reditum scut. 476, 85 habet : *Placentina, Red.*, 9 *sept.* 1797, *dub.* 2.

37. Monasterium S. Josephi monialium Carmelitarum oppidi Vimarensis sex per contractus habet Missarum onera, et pecuniam pro his acceptam pene consumpsit per fabricam ecclesiæ, commodum monasterii, et monialium indigentiam. Modo in æs alienum monasterium incidit, atque illi opus est reductionis, vel suspensionis Missarum, quas hactenus indimplevit. Archiepiscopus favet, quum expensæ acceptum monasterii in scut. 503 superarent, et S. C. suspensionem per decennium celebratis Missis 12 quolibet anno cum lege erogandi dotes percipiendas in et usque ad redintegrationem sortium, concessit : *Bracharen., Red. Miss.*, 20 *januar.* 1798.

§ XVI.

Missa quoad translationem.

1. Parochus ecclesiæ S. Clementis habet onus Missæ quotidianæ in ecclesia cathedrali ad altare S. Georgii explendum : ideo modernus parochus Joan. Baptista Auolta pro translatione dicti oneris a cathedrali ad suam parochialem operam navavit. S. C. primum postulavit decretum unionis, deinde annuit petitioni, ita tamen, ut parochus ipse per alium impleat in altari S. Georgii illis diebus, in quibus in parochia applicare pro populo devinctus est : *Cremonen., Trans. oner.*, 20 *decem.* 1692.

2. Dubia definienda subjiciuntur ad S. C., an onus Missarum a piis disponentibus injunctum regularibus, vel secularibus sacerdotibus absque ecclesiarum designatione adimpleri debeat in eorum respective ecclesiis, vel sit eis facultas aliis celebrationem committendi, vel in aliis ecclesiis ejusdem Ordinis, vel ubilibet? et quatenus affirmative quoad primam partem.

3. An, et sub quibus conditionibus sit indulgendum, stante penuria sacerdotum, in aliquibus ecclesiis Urbis tam parochialibus, quam aliis, ut Missæ celebrentur alibi?

4. An, et sub quibus conditionibus sit indulgendum in casu, quo onera Missarum sint injuncta cum designatione ecclesiarum, non autem altarium?

5. An, et sub quibus conditionibus sit indulgendum pro Missis, quarum eleemosynæ manualiter elargiuntur alicui ecclesiæ, seu capellæ? S. C. ad hæc respondit, dabitur resolutio in casibus particularibus : *Dubia, Celeb. Miss.*, 16 *martii* 1709, *dub.* 1, 2, 3 et 4 [314].

6. Translatis clericis Congregationis de Somascha ad novam domum et ecclesiam S. Nicolai

[314] De mandato S. C. pro veritate votum exaravit quoad prima duo dubia advocatus Dominicus Ursaya, quod habetur *in discept. Eccl. V*, tom. 1, part. 1, *per tot*, ubi num. 15 nonnullis antea præmissis, ait « Et ex his resultare videtur negativa resolutio primæ partis primi dubii : quia suffragium animæ pii benefactoris omnino, et eodem prorsus modo habetur ex Missa, celebrata in uno altari, quod non sit privilegiatum, ac habeatur, si illa celebretur in alio; Missarum siquidem valor, quoad opus operatum intentus a piis benefactoribus, æqualis est, juxta omnium theologorum sententiam, neque crescit, vel minuitur ex eo, quod præciso particulari privilegio, celebretur in uno, vel in alio altari, seu ab uno, vel alio sacerdote — Et num. 49 ait : — De mandato ejusdem S. C. Concilii egregie de more scripsit etiam III, et rev. D. meus Prosper de Lambertinis S. Concistorialis Aulæ advocatus, fideique promotor, vir litteris, nobilitate, ingenuitate, et probitate insignis, illiusque discursus pro veritate impressus fuit post meum *Tractatum de Livellis* in Append. a fol. 33, in quo in eadem pariter fuit opinione —et paulo post subjungit. — Ead. S. C. in eo fuit sensu, ut dubia tanquam, nimis generalia congrue definiri nequeant unica declaratione, seu responsione adaptabili diversis defunctorum dispositionibus, vel piorum benefactorum largitionibus. »

ad Cæsarinos ex domo, et ecclesia S. Blasii, ut Innocentius XII, Pont. Max., curiam magnam ædificare posset, æs alienum in conspicua summa contractum, ac diminutus numerus præsbyterorum fuit et hac de causa Missas annuas minime explere valent. Ob id exorant dicti Patres celebrandi extra Urbem facultatem per sex saltem annorum spatium per presbyteros eorum Congregationis annuas Missas mille, quibus non est certum altare designatum. Et S. C. annuit ad triennium juxta modum præscribendum ab eminentissimo Præfecto : *Romana, celeb. Miss., pro PP. Somaschis SS. Nicolai, et Blasii, ad Cæsarinos*, 13 *april.* 1709.

7. Cum Dominicus Brunaccius hæredibus ordinasset, ut fundarent, ac erigerent juspatronatus et capellam *intra Neocastri Episcopium*, cum dote ducat. 300, et cum onere trium hebdomadalium Missarum, hæredes S. C. adierunt declarantes sese ex defectu redituum non teneri ad capellæ constructionem, et ut eis permittatur, ut onus injunctum Missarum in aliis capellis expleant. At S. C. distulit responsionem, et interim non retardetur celebratio Missarum ad formam testamenti in aliqua capella cathedralis : *Neocastren., Capell.*, 1 *junii* 1709, *dub.* 2.

8. Patres Societatis Jesu commiserantes spirituales indigentias incolarum prædii ab ipsis possessi ab ecclesia parochiali dissiti, facultatem postularunt transferendi legatum pium Missæ quotidianæ ex binis relictis a Fabritio Capello iisdem Patribus, aliisque substitutis, et celebrandis in eorum ecclesia S. Fidelis Mediolani : translationem fieri vero cupiebant in sacellum existens in medio præfati prædii. Sed eorum preces non fuerunt ratæ : *Mediolanen., Celebr. Miss.*, 2 *aug.* 1710.

9. Bina oppida Montis Albani, et Ligurtiani geminas habent parochiales ecclesias. Prima in honorem S. Agathæ, altera S. Blasii dicata est. In prima accedere solet populus ad sacramenta suscipienda, ac fidei rudimenta ediscenda. Quando vero Lazarus Tosius Missæ celebrationem diebus festis in utraque ecclesia legaverat, populus terræ Ligurtiani post sacrum auditum ad catechesim in ecclesia S. Agathæ minime accedebat. Hac de causa Episcopus translationem legati Missæ ad ecclesiam S. Agathæ ordinavit, eamque, contradicentibus incolis Ligurtiani, minime firmam esse S. C. putavit : *Ariminen., Commut. Miss.*, 14 *martii* 1711, confirmata 13 *junii ejusd. anni*.

10. Marchionissa Angela Cremona Vicedomina de Mandellis jussit, ut sacra a se præscripta in oratorio S. Theresiæ Feudi *Olmeti*, ac in altero Feudi *di Menarolo* celebrarentur. Hæres marchionissæ Geltrudes Malvicina supplicat ut onera Missarum, quæ in oratorio Feudi *di Menarolo*, quod ad æs alienum dissolvendum vendidit, expleri debent, ad aliud oratorium *Olmeti* transferantur ; et S. C. rescripsit pro meliori informatione juxta instructionem [345] : *Placentina, Commut. volunt.*, 28 *julii* 1713. Deinde precibus adhæsit : 27 *januar.* 1714.

11. Quum Archiepiscopus causa litium curam animarum ab ecclesia Immaculatæ Conceptionis ordinis militaris Christi transtulisset ad novam ecclesiam a societate Sanctissimi Sacramenti constructam, sodales translationem quoque Missarum onerum petierunt, quas pii fundatores instituerant sub sodalitii administratione, et S. C. gratiam denegavit : *Ulyssiponen., Trans. Miss.*, 28 *april.* 1714. At rem remisit deinde patriarchæ, ut permitteret celebrationem Missarum in ecclesia societatis, donec aliter a S. C. provisum fuerit : 15 *januar.* 1718.

12. Petrus Antonius Stampa hæres Joannis contendebat, quod, recusante capitulo S. Nazarii Mediolani sortem lib. 8000 cum onere Missarum in dicta ecclesia celebrandarum juxta testatoris legem, celebrationem ipsam alio transferre, atque etiam in civitatem Ferentinam sibi liceret. Sed S. C. hanc facultatem ipsi non competere decrevit : *Mediolanen., seu Ferentina, Capell.*, 23 *febr.* 1715, *dub.* 1.

13. Acceperunt PP. Servorum B. M. V. onus Missarum relictum a Jacobo Ghivizzano, ut in omnem eventum assignata bona remanerent hypotecata, et obligata, ita ut liceret hæredibus transferre cum adjuncto onere ad aliam benevisam ecclesiam. Sequuta fuit reductio generalis, et Missarum onus fuit omissum. Inde S. C. hanc reductionem improbavit, et hæredes Ghivizzani institerunt, an esset locus regressui ad bona assignata patribus pro dicta celebratione, ac translationi oneris prædicti ad aliam ecclesiam hæredibus benevisam? et responsum *pronunc* prodiit negativum : *Lucana, Red. Miss.*, 26 *januar.* 1715, *dub.* 3, confirmata 24 *aug. ejusd. anni*.

14. Nobilis familia Malaspina jurepatronatus tam simplicis ruralis beneficii quam altaris in cathedrali ecclesia erecti potitur. Episcopus in visitatione a rectore beneficii exhiberi documenta commutationis, et translationis oneris Missarum ab ecclesia rurali ad altare cathedralis mandavit. Ob id dissi-

[345] « Videlicet, quonam civium numero tam locus Olmeti, quam locus Menaroli sit refertus ? An facilis eorum incolis sit accessus ad parochialem ecclesiam, ejusque distantia exprimeretur. Quatenus vero precibus indulgeretur, num oratorium, de quo agitur, absque dote destitutus remaneret, adeo ut ad profanos usus redigi deberet, vel quomodo consulendum ? » *Ead. causa*, 27 *januar.* 1714.

dium factum est in S. C., an sit facienda celebratio Missarum in dicta ecclesia cathedrali, vel in altera ecclesia rurali S. Silvestri in territorio Casturani ad formam decreti per Episcopum in sacra Visitatione lati? responsum est servetur decretum factum ab Episcopo Montio in visitatione anni 1672 : *Asculana, Jurisp.*, 6 *junii* 1716, confirmata 16 *januar.* 1717.

15. Hæredes unam qualibet hebdomada in parva ecclesia S. Valerii loci de Lu celebrandi Missam capitanus Carolus Trussia gravavit. Petrus, aliique fratres de Pavaranza hæredes supplicarunt pro facultate, hyberno præsertim tempore, Missam celebrandi in collegiata ecclesia præfati loci de Lu. Rationem addebant, ecclesiolam illam in alto, præcipitique colle nivibus, geluque obsito esse sitam, ac necessario ad celebrandum omnino destitutam. Locum propterea esse commutationi voluntatis putabat orator, sed commutationi haud esse locum S. C. rescripsit: *Casalen., Commutat. volunt.*, 24 *sept.* 1713.

16. Quum onus Missarum a Julia Cavallotti Zoboli relictum, quod in ecclesia monialium Misericordiæ implendum est, amplius cum consueta eleemosyna suscipi nollet, nisi ad rationem taxæ diœcesis eadem solvatur ; presbyteri ecclesiæ collegiatæ S. Nicolai, qui hoc onus acceperunt, translationem earumdem Missarum ab ecclesia monialium ad propriam ecclesiam petunt, et S. C. reductionem Missarum ad manualem indulgendo translationem denegavit: *Regien.*, 5 *aug.* 1719.

17. Joan. Vincentius Vitalis perpetuum legatum Missarum in altari S. Francisci de Paula reliquit in favorem PP. ordinis S. Francisci strictioris observantiæ conventus S. Rocchi terræ Liberani, et fundi constitutionem hæredi jussit, qui tamen sub obtentu incapacitatis dictorum Patrum, quam S. C. probavit, pro facultate transferendi legatum ad ecclesiam collegiatam dictæ terræ supplicavit, sed incassum : *Brundusina, Adimpl.*, 26 *aug.* 1719, *dub.* 2.

18. Congregatio antiqua presbyterorum secularium, quæ Florentiæ extat, ex benefactorum eleemosynis sponte oblatis adeo numerum officiorum, anniversariorum, et Missarum auxit, ut hodie hæ Missæ in tot diversis ecclesiis inter se longe dissitis celebrandæ grave iis afferant incommodum, quum, hi metropolitanæ, seu collegiatis ecclesiis addicti, summo mane has Missas celebrare coacti sint. Cupidi itaque sunt facultatis præfata officia, et Missas in propria eorum ecclesia, seu oratorio, quod copiosius et decenter magis est ditatum supellectilibus explendi S. C. pro gratia eis respondit, quoad officia, et Missas in ecclesiis monialium ; et in reliquis etiam pro gratia dixit, exceptis iis in quibus adsunt certæ fundationes : *Florentina*, 16 *decem.* 1730.

19. Obtinuerat marchio Carolus de Mari vigore brevis apostolici facultatem Missas capellaniarum quas fundavit Joan. Baptista de Mari in ecclesia S. Georgii, ubi sepeliri voluit, in alia quacumque ecclesia celebrandi. Contra hoc breve reclamarunt gubernatores ecclesiæ prædictæ S. Georgii, et vitio subreptionis accusarunt, nempe fundatorem sepulcrum elegisse in eadem ecclesia, ubi fuit humatus. S. C. consulta non sustineri breve, ac rescriptum, de quibus agitur, rescripsit : *Neapolitana, Capell.*, 16 *junii* 1731, confirmata 17 *novem. ejusd. anni.*

20. Translationi Missæ quotidianæ a Pompeio de Justinis demandatæ ab ecclesia S. Mariæ de Pace, ubi ipse testator tumulatus jacet, et celebrari voluit, ad ecclesiam S. Agathæ ad Montes, quam hæredem cum prædicto onere scripsit, locum non esse S. C. statuit : *Romana, Trans. oner. Miss.*, 28 *julii* 1731.

21. Quum PP. Reformati S. Francisci ex sententia S. C. non tenerentur patientiam præstare pro celebratione Missæ quotidianæ in eorum ecclesia facienda ex dispositione Balthasaris de Magistris, qui hæredes adstrinxit ad quamdam solutionem in favorem PP. pro utensilibus ; locum esse translationi dictæ Missæ ad ecclesiam aliam non arbitrio hæredis, sed ab Episcopo designandam, sancivit : *Papien., Oner. Miss.*, 12 *decem.* 1733, *dub.* 2.

22. Onera Missarum ad quæ hospitale S. Joannis Evangelistæ civitatis Tyburis tenebatur, ad ecclesiam Fratrum S. Joannis de Deo, quibus cura, et administratio hospitalis concredita est, transferenda esse, sed facto verbo cum Sanctissimo, exceptis tamen Missis celebrandis ad certum altare, vel in ecclesia in qua testatores fuerunt tumulati, S. C. respondit : *Tyburtina, Celeb. Miss.*, 24 *sept.* 1735, *dub.* 2.

23. Filii, et ab intestato hæredes Franciscæ Baldi de Franchis urgent S. C. pro translatione legati Missæ quotidianæ ab ecclesia PP. Excalceatorum ordinis S. Augustini ad proprium privatum oratorium, sive ad aliam ipsis benevisam ecclesiam sed religiosis refragantibus, nulla justa causa accedente, et testatricis præcepto sacrum faciendi in altari privilegiato dictæ ecclesiæ jubentis obluctante, gratiam postulatam S. C. denegavit : *Januen., Leg.*, 28 *sept.* 1737, *dub.* 2.

24. Inficiata est S. C. indultum translationis Missarum capellaniæ, seu beneficii ordinati ab Alexandro Josepho Guarischetti, ac in ecclesia parochiali B. M. terræ Pellizzani erecti. Nam quum testator ecclesiam designasset et, ut ait Episcopus = *adeo vix dubitari posse credam, quin certus locus ubi sacra fiant omnino sit præscriptus atque*

ejus voluntatis non leve sane argumentum videtur, quod testatoris majores in sacra illa æde sint sepulti: — Tridentina, Trans. oner. Miss., 24 *januar.* 1739, *dub.* 4, confirmata 12 *sept. ejusd. anni.*

25. Imo S. C. dispensationem alibi celebrandi tantum ad vitam Gasparis Particella capellani nominati concedere minime placuit : *Ibid.*, *dub.* 5, confirmata *ibid.*

26. Quum fratres tertii ordinis S. Francisci conventus S. Mariæ de Misericordia Panormi quotidianam binam Missam ordinatam a Carolo Naselli duce Casalis Novi, et Gelæ per annum, et tres menses reliquissent, nec altare privilegiatum habuissent ; idem fundator desiderio tenetur pro facultate substituendi aliam ecclesiam, et sacerdotes sibi benevisos in civitate Panormi ob celebrationem utriusque Missæ quotidianæ S. C. postulationi non favit, et dixit, utatur jure suo coram suis judicibus, prout de jure : *Panormitana, Trans. oner. Miss.*, 26 *sept.* 1739.

27. Marchio Ferdinandus Barbolani ex comitibus Montis Acuti Missam quotidianam in ecclesia ab eodem in suo prædio erecta fundavit : auctoritate inde apostolica exequutor voluntatis illius Antistes onus ad numerum 215 moderavit. Nepotes, ac hæredes testatoris vero existimantes rem maxime capellaniæ utilem fore, si obligationem primævi Missæ quotidianæ oneris in se, suaque bona ipsi susciperent, dummodo capellano ad manualem eleemosynam persolvendam redigeretur, iisque potestas fieret libere administrandi bona, eademque Missarum onera in quibuscumque ecclesiis, vel oratoriis etiam privatis ad suum libitum implendi, institerunt pro commutatione prædicta, et non obtinuerunt. Instaurant modo preces, et decisis standum esse fuit resolutum : *Aretina, Capell.*, 21 *julii* 1742.

28. Cupiens Anna Maria Gaballo consanguineum sacerdotem eligere, qui onera sacrorum in altari ecclesiæ PP. de Observantia persolveret; dicti patres abnuerunt. Re ad S. C. delata, Patres contrariam passi sunt resolutionem eodem tempore, quo dictarum Missarum onera non esse ad aliam ecclesiam transferenda decisum est : *Uxentina, Celeb. Miss.*, 13 *januar.* 1748, *dub.* 3, confirmata 27 *april. ejusd. anni.*

29. Translationi Missæ quotidianæ a Laurentio Galliero præscriptæ ab altari S. Vincentii ecclesiæ S. Dominici urbis Cherii ad altare in hospitali majore dictæ urbis existens, quod idem fundator hæredem instituit, locum haud esse S. C. definivit : *Taurinen.*, *Celeb. Miss. quot.*, 20 *maii* 1752, *dub.* 2.

30. Canonici ecclesiæ prioralis et parochialis SS. Stephani, et Nicolai patroni beneficii cum onere Missæ quotidianæ in ecclesia proxima sodalitii Misericordiæ celebrandæ, a Dominico Cherubini fundati, cupiunt hac lege capellanum nominare, ut diebus dominicis, aliisque festis, quibus ecclesia prioralis abundat sacris, agatur sacrificium ad altare majus ecclesiæ sodalitii ; diebus vero ferialibus, quibus ecclesia prioralis caret sacris, agatur sacrificium non a capellano sed a sacerdote aliquo ex solitis in eadem ecclesia priorali tempore sacri conventualis. Contra capitulum respondit Episcopus, et contra etiam S. C. resolvit : *Piscien.*, *Offi. Miss.*, 18 *sept.* 1756.

31. Lucretia Franceschi capellaniam fundavit ad altare S. Cajetani ecclesiæ parochialis S. Michaelis Theatinorum cum onere Missæ quotidianæ celebrandæ in eodem altari, et non alibi, vetuitque expresse commutationem. Senator Nicolaus Martelli capellaniæ patronus translationem dictæ capellaniæ ad publicum oratorium, quod ipse eleganter construxerat prope suam villam Gricigliani consequi studuit. Episcopus asserit, petitam translationem commodum allaturum esse plurimis familiis oratorio conterminis, quæ duo circiter milliaria distant a parochiali ecclesia S. Joannis Baptistæ. Verum hæc Episcopi relatio apud S. C. nequicquam petitioni Martelli profuit : *Florentina, Trans. oner. Miss.*, 3 *julii* 1762.

32. Franciscus Fridericus Giordani Archiepiscopus Mythelenensis reliquit legatum pium Missarum primo vocato clerico Francisco Moirani, ac ei imposita personali celebratione in terra Liburni, legeque data, ut possessor sit sacerdos secularis. Franciscus Congregationi S. Vincentii a Paulo nomen dedit, et inde animo pendens posse legatum prædictum assequi, exhibuit hæc dubia in S. C., an præfatum legatum spectet ad eumdem? et quatenus affirmative, an consulendus Sanctissimus sit pro facultate celebrationis Missarum in urbe? S. C. rescripsit ad 1 providebitur in secundo ; et ad 2 negativum datum est responsum : *Casalen.*, 28 *januar.* 1764, *dub.* 2.

33. Præposito ecclesiæ S. Joannis Baptistæ in oppido Domasii Missarum translationem ab oppido Surrici, quod ob aquas undique stagnantes insalubre est, ad aliam præposituræ ecclesiam exoptante, S. C. voluit, ut translatio fieret ad ecclesiam archipresbyteralem Surrici diebus festis, minime vero diebus ferialibus : *Comen.*, *Trans. Miss.*, 24 *nov.* 1764.

34. Irenes de Scimiana dotem capellaniæ Præsentationis B. M. V. penes bona sua in montibus agri Taurinensis ruri existenti constituit, ut agricolarum commodo Missa quolibet die festo celebraretur. Capellaniæ possessor Ludovicus Vallettus petiit translationem sacrorum ad ecclesiam paro-

chialem de Sano. Rationem translationis addebat, quod via, quæ difficilis erat, facilis nunc regia munificentia esset reddita, et plana, et quod in parochia unum pro populo sacrum non sufficeret. Laudat id Episcopus, et consentiunt capellæ patroni. Sed S. C. dissensit, translationem petitam rejiciendo : *Taurinen.*, 18 *maii* 1765.

35. Missarum hebdomadalium a Petro Ghezzio e Signino relictarum translationi ab ecclesia parochiali S. Andreæ Signini suæ patriæ, in qua ipse tumulatus fuit, et in qua per centum integros annos impleta fuit ipsius voluntas, ad alteram ecclesiam societetis Sanctissimi Cordis Jesu Lugani, locum minime esse S. C. existimavit : *Comen.*, *Trans.*, 11 *januar.* 1766.

36. De ecclesiis S. Jacobi. S. Mariæ Magdalenæ, et B. M. Virginis in pagis existentibus ad parochialem ecclesiam B. Mariæ oppidi de Moya translationem oneris Missarum faciendam non esse S. C. firmavit ; etiamsi fundatores eorum animarum expiationem tantum, non incolarum commodum respexissent : *Vicen.*, *Trans. oner. Miss.*, 19 *apr.* 1766.

37. Comes Ferdinandus Nogarola deperditis duobus fundis, quibus Missarum a comite Galeotto relictarum innixa erat celebratio, ære proprio eas explere sategit, earumdem vero ab ecclesia S. Laurentii ad ecclesiam parochialem oppidi Azzani jure feudi ad se pertinentis translationem petiit, et obtinuit ; facta tamen obligatione in forma juris valida assignandi, et manutenendi fundum sufficientem, facto verbo cum Sanctissimo : *Veronen.*, *Trans. Miss.*, 20 *avg.* 1768.

38. Augustina vidua Joan. Francisci de Castro Refortiatarum onus hæredibus injunxit celebrationis decem annuatim Missarum, sed nullam ecclesiam designavit. Deficientibus vero omnibus de sua familia hæreditatem deferri voluit ad parochialem ecclesiam S. Petri ubi sepulcrum elegit, addito alterius Missæ onere quolibet mense. Per diuturnum 80 circiter annorum spatium in præfata ecclesia Missæ celebratæ fuerunt. Niaolaus Riva, cujus pater jam in ecclesia fratrum Minorum de Observantia oppidi Montis Rubri celebrari fecit has Missas, pro securitate suæ conscientiæ S. C. invocat, ut declaretur, num licitum sibi sit in alia qualibet ecclesia Missarum onus adimplere, seu transferre fas, licitumque haud esse S. C. respondit : *Foro Sempronien.*, 20 *april.* 1771.

39. Card. Gallo quoddam transtulit beneficium a seminario Auximano cui onus inhæret celebrationis 104 Missarum ad seminarium Cingulanum firma manente Missarum celebratione in ecclesia societatis Mortis. Deputati seminarii Auximani avent has Missas celebrari in oratorio ejusdem seminarii, ut ibi Missam alumni habeant quotidianam ; et S. C. eorum votis indulsit : *Auximana*, *Trans. Miss.*, 8 *junii* 1771. Reproposita causa, et inspecto, quod in dicto sodalitio sepulcrum sibi elegerat testator, rescriptum fuit *prævio recessu a decisis servetur dispositio testatoris* : 14 *martii* 1772.

40. Dominicus Vincentius Padovani capellaniam erexit ad altare publici oratorii S. Joan. Baptistæ ad commodum sui, et incolarum a parochiali ecclesia distantium extructi. Sed quum hæc familia Padovani ad aliam parochiam territorii Brixichellæ domicilium transtulissent, Raphael Padovani hodiernus capellanus gratiam assecutus est a Sum. Pont. ad quinquennium pro translatione Missarum sex a dicto oratorio ad alterum intra fines dictæ parochialis erectum. Incolæ, et archipresbyter parochialis ecclesiæ de Rontana gratiam vitio obreptionis, et subreptionis redarguerunt, quod contra testatoris mentem est ; hinc minime esse sustinendam contenderunt, et eorum expostulationes suo decreto S. C. firmavit : *Faventina*, *Trans.*, 31 *aug.* 1771, confirmata 11 *januar.* 1772.

41. Quum marchio Franciscus Mossius emptionis titulo acquisivisset latifundium *di Camporello*, onus quoque assumpsit celebrationis Missæ quotidianæ in rurali ecclesia ibidem in insalubri loco extructa implendum ex dispositione Antonii Valletta : sed sacerdotes ne auctum quidem stipendium invenerunt ; idcirco supplicavit pro earumdem Missarum translatione ad aliam salubrioris aeris ecclesiam, et obtinuit pro diebus ferialibus tantum juxta votum Episcopi : *Casalen.*, *Trans. Miss.*, 25 *januar.* 1772.

42. Fundavit capellaniam cum onere residentiæ in parochiali ecclesia castri Pinnæ Bartholomæus Jannuzzi. Hanc adeptus est Laurentius Geraldini presbyter Congregationis Missionis, qui exponens residentiam non posse servare, quam nec antecessores servarunt, pro translatione Missarum ad ecclesiam PP. Minorum conventualium civitatis Amerinæ, ubi fundatorum cadavera sunt tumulata, exorat ; sed, ut scribatur Episcopo juxta instructionem rescriptum refert : *Amerina*, *Red. et Disp.*, 7 *aug.* 1773, *dub.* 1.

43. Quum non omnes unius Missæ celebrationi interesse possent in parochiali ecclesia loci Massanti, institerunt incolæ coram Episcopo pro translatione Missæ, quæ diebus sabbati celebrabatur, ad dies festos ; sed contra longam, et a seculo usque servatam consuetudinem celebrandi etiam die sabbati, translationem consequi non potuerunt : *Placentina*, *Trans.*, 28 *aug.* 1773.

44. Dominicus Sparapani nominatus ad capellaniam a Petro Paolo Feretti in ecclesia S. Josephi terræ Murri fundatam, tanquam ex descendentibus masculis patronorum sibi suadet facile consequutu-

rum facultatem transferandi onus Missarum ad quamlibet ecclesiam civitatis Camerini ab Episcopo designandam, ac etiam celebrandi per alium. Allegat enim ille distantiam ab urbe ad ecclesiam S. Josephi trium lapidum asperi itineris ac montuosi. S. C. prævia consultatione Sanctissimi implendi tantum per alium in ecclesia a testatore designata gratiam impertivit : *Camerinen.*, *Trans. oner. Miss.*, 18 *maii* 1776.

45. Joan. Baptista Ravizza gemina erexit beneficia, et utrique capellano onus indixit celebrationis Missæ quotidianæ, vel per se vel per alium in ecclesia S. Laurentii in Corregiano, in qua tumulatus ille fuit. Sacerdos Bartholomæus Ravizza beneficii possessor, quum accedere non posset ad dictam ecclesiam pro implendo per se ipsum onere sui beneficii, se recreat translatione facienda a dicta parochiali ecclesia, quæ ea non indiget, ad suam parochialem ecclesiam S. Joannis, in qua is est archipresbyter ; sed id impetrare non potuit : *Ariminen.*, *Trans. oner. Miss.*, 27 *novem.* 1779.

46. Missas, quas Nicolaus Scotarinius civitatis Pergulæ voluit celebrari ad gentilitium testatoris altare B. M. V. in ecclesia Patrum minoris Observantiæ S. Francisci dictæ civitatis, quum noluerint Patres inibi a secularibus presbyteris celebrari, ad ecclesiam parochialem S. Marci, et ad altare sub invocatione B. M. V. transferri posse statutum fuit : *Nullius, seu Nonantulana, Trans. Miss.*, 2 *dec.* 1780.

47. Ex pia voluntate Marini Francisci Vanni ecclesia ruralis B. M. V. Reginæ Angelorum extructa fuit, ac hæredes obstricti ad onus celebrationis Missæ quotidianæ in eadem ecclesia. Moniales S. Andreæ montis Georgii a Sum. Pontifice illius Missæ quotidianæ translationem ad ecclesiam monasterii, ubi unica tantum Missa celebrabatur, prævio consensu patroni obtinuerunt. At patronus consilio mutato, institit pro reportatione celebrationis prædictæ ad ecclesiam B. M. V. Reginæ Angelorum sumptibus testatoris ædificatam. Archiepiscopus eum non audivit, et S. C. rem remisit ad secretarium cum Sanctissimo juxta mentem [516] : *Firmana*, *Rep. oner. Miss.*, 22 *decem.* 1781. Causa reproducta translationem dictam non firmam sed locum reportationi ad ecclesiam parochialem S. Mariæ Angelorum esse decretum fuit : 14 *decem.* 1782. Moniales non acquieverunt, et sacrum diebus festis non audivisse nonnullas ex defectu alterius Missæ asserunt ; hinc S. C. recessit a decisis : 15 *martii* 1783. Sed inde standum esse in primo loco decisis censuit : 27 *febr.* 1784. Nova deinceps a monialibus audientia postulata, S. C. rescripsit scribendum esse Archiepiscopo pro concordia : 24 *april. ejusd. anni.* Archiepiscopus itaque partes composuit cum divisione Missarum in duabus ecclesiis explendarum ; et iterum S. C. scribi mandavit Archiepiscopo pro exequutione concordiæ ab ipso propositæ etiam ex officio : 7 *maii* 1785.

48. Cum conventus PP. S. Augustini oppidi Chiavennæ Landæ suppressus fuisset, et ecclesia ejusdem pro nova parœcia assignata, patres ejusdem ordinis Burgi S. Domnini pro Missarum legati pii Cæsaris Casati translatione ad ipsorum ecclesiam desiderium tenebat. At S. C. Missas illas quotidianas esse celebrandas in parochiali Chiavennæ per capellanum ab ipsis deputandum responsum dedit : *Placentina, Leg. Pii*, 23 *novem.* 1782, *dub.* 2.

49. Capellaniam vivens instituit Joan. Cyrus Chinozzius in ecclesia S. Philippi Nerii, et Petri de Alcantara proprio ære a fundamentis excitata, et in qua sibi sepulchrum elegit, mandavitque præterea, quod imminutis reditibus bonorum, quæ ipse assignaverat, hæredes tenerentur præstare incrementum eleemosynæ pro Missis perpetuis a taxa synodali, et a S. C. præfinitæ. Capellania vacata, neminem Pavonia gens patrona invenire asserit, qui missas ibi celebrare velit, cogitat eas in alia ecclesia explere. Sed suum consilium S. C. rejecit, jussitque, ut scriberetur Archiepiscopo juxta mentem [517] : *Firmana, Trans. oner. Miss.*, 3 *aug.* 1782, confirmata 14 *decem. ejusd. anni.*

50. Sacerdos Laurentius Aloysius Maria Bibbini ex oppido S. Petri in Balneo diœcesis Burgi S. Sepulcri titulo capellaniæ ab Octavio Sassi Brictinoriensi fundatæ ad sacros ordines promotus, habens matrem ætate gravem, nec per alium celebrare valens, quia nil ei de fructibus remanet, cupit ut S. C. sibi Missarum quotidianarum translationem ad unam ex ecclesiis sui oppidi indulgeat ; sed votorum apicem non attigit : *Brictinorien.*, *Trans. oner. Miss.*, 8 *febr.* 1783.

51. Quum Patres Cistercienses eleemosynæ accessionem, et sacrorum utensilium solutionem peterent pro Missis ab eis in ecclesia B. M. V. in agro Amerino apud Castrum Focii posita, celebrandis, et capellanus Sandri, qui nihil sibi de reditibus fundationis superesse ostendit, translationem earumdem ad ecclesiam cathedralem postu-

[516] Mens est, ut præfigatur terminus patronis ad solvendum quidquid per parochum revera fuerit expensum in restaurationem capellarum coram Archiepiscopo liquidandum, quo termino elapso, et solutione non facta, idem Archiepiscopus patronos excidisse a jurepatronatus declaret » *Lib.* 132, *Decret.*, *fol.* 645.

[517] « Et mens est : ut Missæ celebrentur in ecclesia a testatore designata soluta per Pavonios eleemosyna ad rationem taxæ perpetuæ, et quatenus non inveniatur sacerdos indigena, advocetur pro celebratione exterus. » *Ead. causa*, 3 *aug.* 1782.

laret, S. C. translationi non annuit : *Amerina, Trans. Miss.*, 30 *julii* 1785.

52. Capitulnm ecclesiæ cathedralis unam sub auroram, alteram sub meridiem singulis diebus celebrandi Missas onus habet ; ac per suos canonicos, ac beneficiatos satis utrique oneri fecit : Verum quum ipsis grave esset matutinæ, meridianæque celebrationis onus, sæpeque sive ob valetudinem, sive ob capitulares obligationes contingere animadvertissent, deesse Missam, supplicarunt, ut Missarum onus matutinum, et meridianum, in binas alias residentiales capellanias transferretur. Hoc tamen pacto, quod capitulum quinque hebdomadalibus Missis gravetur. Expenso hinc an esset capituli precibus annuendum ? responsum est, ad Card. Gerdil pro *voto auditis : Asten.*, 9 *julii* 1785. Voto a Card. Gerdil exhibito, S. C. juxta votum ejusdem facto verbo cum Sanctissimo resolvit : 1 *april.* 1786.

53. Sacerdos Angelus Moroni capellaniam obtinet in parva rurali ecclesia S. Annæ cum quotidianæ Missæ obligatione, unico excepto cujuslibet hebdomadæ die feriali. Quum præfata ecclesia a civitate Perusiæ quartum supra lapidem distet, quæsivit ille translationem ad decennium in diebus tantum ferialibus ad aliam civitatis ecclesiam. Causa hujusce postulationis fuit, quod diuturnitate servitii rure detentus, quatuor filiorum in matrimonio antea susceptorum institutioni vacare nequit S. C. ad ecclesiam Patrum S. Philippi Nerii, ubi testatoris corpus tumulatum fuerat, ut etiam censuerat Episcopus, transferendam esse celebrationem in illius, suorumque suffragium, existimavit : *Perusina, Trans. oner. Miss.*, 10 *sept.* 1785.

54. Quum in ecclesia, in qua celebranda sunt sacrificia, fundatorum cineres humo mandati non fuissent, ac monachi S. Bernardi, qui soli hac in re interesse habent, consentiant, ac oratrices aliis in locis extra civitatem Januæ cum eorum familiis morentur, translationi postulatæ Missarum in ecclesiam ab Ordinario designandam favente imo ita sentiente Archiepiscopo S. C. assensa est : *Januen., Red., et Trans. Miss.*, 16 *decem.* 1786, *dub.* 3.

55. Fratribus suis hæredibus institutis onus imposuit Joseph de Benedictis Lauretanæ Basilicæ canonicus, ut celebrationi operam darent quotannis Missarum centum in rurali ecclesia S. Mariæ in suo latifundio sita. Tres, qui modo supersunt hæredes una cum hæreditate Missarum onera inter se diviserunt. Duo Benedictus nempe, et Cosmas petunt transferri a præscripto loco ad ecclesiam Montis Albani, cujus archipresbytero prestare cupiunt scuta 240 investienda pro dote dicti legati. Sed S. C. causæ suspendit decisionem et scribendum mandavit juxta mentem [518] : *Urbin., Trans. Miss.*, 3 *martii* 1787. Archiepiscopo apprime super omnibus informante, et instruente, S. C. rescribere non hæsitavit, affirmative juxta votum prædefuncti Archiepiscopi : 15 *decem. ejusd. anni.*

56. Laicalem capellaniam instituit Thaddæus Guillelmus in ecclesia divi Blasii castri Majoleti cum onere trium Missarum in singulis hebdomadis, alteriusque sacri in diebus dominicis, et festis omnium præsertim Sanctorum. Missarum onus, tanquam Apostolicus delegatus reduxit Card. Cybo Æsinus episcopus, et ad parochialem ejusdem castri ecclesiam traduxit ; iterumque ad triennium transferri permisit S. C. ad parochialem eccl. Podii S. Marcelli, ubi Seraphinus Guillelmus domicilium habet. Vota nunc facit idem Seraphinus pro perpetua dictarum Missarum translatione ad eamdem Podii S. Marcelli ecclesiam, et pro commutatione etiam celebrationis ad dies feriales. Sed. S. C. postulatis non satisfecit : *Æsina, Trans. Miss.*, 26 *april.* 1787.

57. Suppressa societate Confalonis Vetrallæ, ejus bona unita fuerunt sodalitio Misericordiæ ejusdem civitatis cum onere celebrandi sacrum feria sexta cujuslibet hebdomadæ in adimplementum legati Bracalini. Sed quum Missa ex tenuitate redituum fuisset frequenter omissa, duo nunc sodales postulant, ut legatum implere liceat per sacrificium, quod singulis diebus festis celebrat capellanus sodalitii absque ulla obligatione ; et ut sacrificium ipsum, quod legati vi agendum esset in derelicta ecclesia S. Petri ad supressam olim societatem Confalonis spectante impleri in propria ecclesia valeat ; et utrique petitioni S. C. favit : *Viterbien., Trans. Miss.*, 19 *maii* 1787.

58. Galeatius Cima patronus veniam obtinuit demoliendi publicum oratorium Sanctissimi Crucifixi in Suburbio S. Bartholomæi civitatis Arimini a Lucretia de Bandis extructum. Modo expetens transferre Missarum onus cujusdam beneficii ad aliud oratorium S. Bartholomæi, vel potius S. Joan. Baptistæ ; ad illud S. Bartholomæi obtinuit translationem juxta votum Episcopi [519], et ad mentem [520] :

[518] « Et mens est, ut Archiepiscopus referat, utrum translationi Missarum consentiat pro sua portione tertius frater Joannes Baptista : an Missæ inserviant incolarum commodo, diebus præsertim festis necnon de loci distantia, et difficultate, ob quam non inveniantur sacerdotes ; et an oratorium sub titulo S. Mariæ situm sit intra limites parœciæ Montis Albani, ad quam transferri petitur celebratio. » *Ead. causa*, 15 *decem.* 1787.

[519] « Ait enim in oratorio S. Bartholomæi adesse imago Crucifixi, quam singulari devotione, et frequentia cives

Ariminen., Dem., et Trans. Miss., 5 *april.* 1788, *dub.* 2.

59. Raymundus Arcangeli hebdomadalem Missam in qualibet oppidi Montis Novi, ejusque suburbiorum ecclesia, assignato fundo, celebrandam præscripsit. Frater ejus germanus Franciscus Antonius binas alias hebdomadales Missas in testamento confirmavit. Divisa inter Procaccini Montis S. Viti hæreditate Archangeli, Marius, cui onus in divisione obvenit Missarum 26 annuatim, in spe est, ut traducantur illæ, ad alteram ex patriis sive urbanis, sive suburbanis, ratione tantum sui commodi; et nequit obtinere : *Senogallien., Trans. Miss.*, 17 *januar.* 1789.

60. In ecclesia Sanctissimi Crucifixi Humanæ celebrandæ sunt nonnullæ Missæ. Sed ex defectu secularium sacerdotum illas complere consueverunt PP. Minores de Observantia conventus Siroli, qui ultra quingentos passus ab Humana dissiti jacent. Prior Archangelus Trionfi cessavit, cessarunt et Patres ab officiorum celebratione. Ideo veniam petiit prior explendi in aliis ecclesiis legata. Verum S. C. Missarum translationi locum minime esse decrevit : *Anconitana, Trans. Miss.*, 14 *martii* 1789, *dub.* 1.

61. Comes Franciscus Capobianchi duas in ecclesia S. Pauli civitatis Veruli, ubi sepulchro conditum est ejus cadaver, et construendum est depositum, fundans capellanias, onus capellanis dedit 500 simplicium Missarum, in singulos annos, et unius Missæ cum cantu in anniversaria ejus obitus die. Ecclesia in collegiatam erecta, onus hoc respuerunt canonici absque mercede juliorum 15. Episcopus per modum provisionis interim demandavit Missæ celebrationem in parochiali ecclesia S. Mariæ Francorum, cujus nunc capellani perpetuam poposcerunt translationem ; et fuit ei denegata : *Verulana, Trans. Miss.*, 16 *maii* 1789.

62. Possessor hodiernus beneficii fundati a Fratribus Perrucca in ecclesia S. Joan. Baptistæ villæ Ceresiti ex oppido Donato est sacerdos Petrus Joseph Perrucca de patronorum genere. Hic ab oppido abest, nec per se ipsum explere onera potest, atque sine gravi sumptu alios sacerdotes habere nequit, qui Missas aliasque functiones peragant; idcirco translationem perpetuam ad aliam commodiorem ecclesiam rogavit. Annuit S. C. quoad translationem Missæ quotidianæ tantum ad ecclesiam ab Episcopo designandam, solutis aliis oneribus in ecclesia S. Joan. Baptistæ juxta votum ejusdem Episcopi : *Bugellen., Trans. oner.*, 19 *sept.* 1789.

63. Missa, quam diebus festis de præcepto ex fructibus sortis scut. 500 celebrari jussit Rainutius de Balleonibus in suburbano sacello parœciæ S. Angelis de Cellis, etsi adsit tenuitas eleemosynæ et sacerdotum difficultas, ad aliam non transfertur ecclesiam ad commodum populi, et additur a S. C. ut scribatur Episcopo juxta mentem : *Perusina, Trans. Miss.*, 25 *junii* 1791.

64. Missa quotidiana celebranda ex dispositione Jacobi Antonii de Vallore Pelletto in suburbano oratorio S. Josephi oppidi Galliati, transducitur per quinquennium ad parochialem dicti oppidi in gratiam clerici Taddinii hodierni beneficiati, ob difficultatem sacerdotum, qui illuc ad eam celebrandam accedant, celebrata tamen Missa in festo S. Josephi in dicto oratorio : *Novarien., Trans. Miss.*, 6 *aug.* 1791.

65. Capellaniam perpetuam fundavit Laura de Gattis, ac celebrationem Missarum exequi *all' altare di S. Biagio eretto nella chiesa parochiale della Pieve di Guastalla* mandavit. Hæreditas hujus capellaniæ gravata pervenit ad familiam Cani, quæ exorat, ut in altera civitatis ecclesia pro suo arbitrio celebrare valeat. Et S. C. translationem concessit ad vitam sacerdotis Petri Cani oratoris pro Missis capellaniæ Gatti tantum. Nam altare S. Blasii ditatum est Missis, et distat a Guastalla, in qua familia Cani moratur : *Nullius, Guastallæ*, 26 *novem.* 1791, *dub.* 2.

66. Licet facile non inveniatur sacerdos, qui pro tenui eleemosyna obol. 10, in designata capella *della Volta* Patrum Celestinorum velit celebrare Missam in diebus festis causa capellaniæ fundatæ a Ludovico Cianconi, tamen ejusdem Missæ translatio ad feriales dies denegatur marchioni Benedicto Cianconi, qui pinguem a fundatore relictam possidet primogenituram ; quamvis antiqua eleemosyna non sufficiat : *Spoletana*, 26 *novem.* 1791, *dub.* 1.

67. Quum Patres oratorii S. Mariæ in Vallicella permittere noluissent in ipsorum ecclesia capellano Arighi celebrationem Missæ quotidianæ juxta voluntatem fundatoris curam patronus ponit pro facultate eam celebrandi ubique cum obligatione reddendi rationem S. C. visitationis; at S. C. non esse locum translationi decrevit, addendo ad mentem : *Romana, Capell.*, 23 *novem.* 1793.

68. Erecta præbenda theologali in ecclesia cathedrali cum suppressione conventiculi PP. Eremitarum S. Augustini nuncupati *della Voltre* territorii, et parœciæ vallis Nucis, hodiernus theologus exorat pro demolitione ecclesiæ, ædium conventiculi

prosequuntur, ac in ecclesia S. Joannis plures quotidie Missæ celebrari solent. » *Ead. causa*, 16 *febr.* 1788, § *Ex.*

[320] « Quod cœmenta nempe cedant in favorem beneficii. » *Ead. causa*, 5 *april.* 1788.

contractione, Missarum quinque translationem ad cathedralem : quum hæc ecclesia, et conventiculum, in quo Coloni habitant, pessimo sint statu, ac difficile illuc sacerdotes ad celebrandum accedant, necnon leve haud sit manutentionis onus. Ideo S. C. annuit juxta votum Episcopi [321] apposita icone divi Augustini in altari ab eodem Episcopo designando in ecclesia cathedrali : *Brictinorien.*, 24 *novem.* 1792, *dub.* 1, confirmata 17 *junii* 1797.

69. Binæ erant in Caltiniacensi castro parochiæ, una suppressa, et bona applicata sunt congregationi Oblatorum Novariæ, hinc unica in altera est celebrata Missa ab eo tempore ob sacerdotum defectum. Ad proprium modo, et Caltiniacensium commodum solliciti sunt condomini castri de secunda Missa in altera suppressæ parochiæ ecclesia, et de consensu oblatorum translationem Missæ, quam persolvunt oratores in ecclesia oblatorum licet testator arbitrio hæredibus reliquerat, postulant, sed non sunt assequuti : *Novarien, Trans. red. Miss.*, 15 *januar.* 1794, *dub.* 1.

70. Denegata reductione Missarum capitaneo Carolo Nanni Seta, qui possidet bona obligata ex dispositione Hieronymi Seta, licet summa demonstrative præfinito impar sit oneri, etiam denegatur modo translatio illarum ab ecclesia B. M. V. de subsidio Montis Majoris ad ecclesiam collegiatam, vel alteram S. Francisci Montarii, ubi degit canonicus Ignatius Nanni Seta ad celebrationem paratus ; quum per supplementum eleemosynæ ex bonis obligatis celebrari valeant in ecclesia designata : *Fanen.*, *Red. Miss.*, 10 *maii* 1794, *dub.* 2.

71. Missæ antelucanæ translatio a sacra Baptisterii ædicula sub titulo S. Joannis Baptistæ ad altare eidem Sancto dicatum in proxima cathedrali quam obnoxiam dictæ ædiculæ auram, et populi offensiones obtinuerunt capellani beneficiati ejusdem cathedralis ad quatuor menses hiemales tantum, extenditur in favorem hodierni capellani Bossola, ejusque successorum ad reliquum anni tempus juxta Episcopi votum : *Asten.*, *Trans. Missæ*, 31 *maii* 1794.

72. Missæ menstruæ sex, legatæ per sacerdotem Franciscum de Villaggis capitulo collegiatæ Castri Arquati transferuntur renuente capitulo ecclesiæ collegiatæ dicti castri ad oratorium conservatorii pauperum puellarum quod erigere pollicetur in eodem castro sacerdos Joan. Dominicus Guarnierius Villaggi, collegiatæ archipresbyter, et ultimus possessor bonorum testatoris ; et commutatur in duas Missas lectas anniversarium ab eodem testatore præscriptum, sequuta tamen erectione conservatorii : *Placentina*, *Commut. et Trans. oner.*, 21 *junii* 1794.

73. Missæ, quas fundator capellaniæ Franciscus Baglinoni in ecclesia S. Joan. Montis Fortini celebrandas diebus festivis mandavit, ob defectum sacerdotum ad aliam traducuntur ecclesiam arbitrio Episcopi, firma remanente celebratione duarum Missarum in festo S. Joan Titularis designatæ ecclesiæ : *Senogallien.*, *Oner. Miss.*, 24 *januar.* 1795, *dub.* 2.

74. Clericus Paulus Bondi nominatus ad capellaniam fundationis Alexandri Ziani postulavit facultatem ubique celebrandi ob defectum sacerdotum in oppido Treboniani, sed non impetravit. Nam defectui occurrere potest, si congruam sacerdoti celebranti juxta vires eleemosynam subministraret ex sua pingui capellania : *Sutrina*, *Capell.*, 18 *april.* 1795, *dub.* 5.

75. Non est locus translationi Missarum, quas ordinavit Anna Mazzei ad certum altare ecclesiæ S. Francisci de Paula ad Montes explendas, ab ea ecclesia prædilecta, et ejus tumulum continente, ad ecclesiam S. Mariæ in Trivio, cujus parochus illam assumere absque reductione pollicetur, et cui vivens testatrix addicta fuerat : *Romana*, *Leg. Miss.*, 26 *sept.* 1795, *dub.* 3.

§ XVII.

Missa votiva.

Altare Sanctissimi Præsepis in ecclesia B. V. quæ in Urbe dicitur Montium, existens est omni die ex Pontificio indulto privilegiatum. Qualibet die sabbati in ea ecclesia canitur Missa cum musica, et populi concursu. Quum indecens quodammodo videretur, ratione solemnitatis, ut Missæ de Requie celebrentur in prædicta ecclesia memoratis sabbati diebus, supplicatum fuit pro facultate Missarum votivarum, et nil obtentum : *Romana*, 9 *febr.* 1726.

MISSARUM OMISSIO QUOAD ABSOLUTIONEM. Vide *Absolutio*, §§ I et III.

MOLESTIÆ QUOAD LIBERATIONEM. Vide *Liberatio a Molestiis*.

MONACI. Vide *Regulares*.

[321] Qui favet in omnibus exceptis duabus domibus ruralibus, quæ restaurari debent ad familiæ Coloniæ commoditatem : *Ead. causa*, 15 *sept.* 1792, § 3.

MONASTERIUM.

§ I.

Monasterium monialium quoad clausuram, et cancellos.

1. Ex decretis Concilii Tridentini [522] non licet ingredi sacerdotibus monasterium monialium ad sacrum Missæ faciendum : *Toletana*, 1579 *dub.* 3.

2. Ad rogatum, an vigore Concilii Trid. cap. 5, sess. 25 *de Regul.* [523] Ordinariis, quibus commissa est cura clausuræ sanctimonialium regularibus subjectarum, facultas competat licentias accessus ad ipsa monasteria concedendi, vel non, et ubi competat, an privative, vel simul cum superioribus regularibus? respondetur, si ex consuetudine competat Archiepiscopo facultas concedendi licentias, accedendi ad collocutionem cum monialibus, quæ regularibus subjectæ sunt, servandam esse hujusmodi consuetudinem etiam privative, quoad superiores regulares : *Mediolanen.*, *junii* 1587, *dub.* 1.

3. Ac Ordinarii possunt in pertinentibus ad clausuram singulas moniales examinare seu interrogare : *Ibid.*, *dub.* 2.

4. Ad easdem insuper sermonem habere tam de aliis, quam de pertinentibus ad clausuram et an sacramenta, quæ ministrabunt, et tam intra monasterii septa, quam ad cancellos : *Ibid.*, *dub.* 3.

5. Quantum attinet ad sanctimonialium monasteria, Episcopus operam det, ut tam a monialibus conversis, quam aliis clausura ad præscriptum Constit. S. Pii V editæ [524] inviolabiliter observetur : *Eugubina*, 12 *nov.* 1633, *dub.* 2.

6. Regulares absque legitima licentia ad monasteria monialium etiam regularibus subjectarum, ibique in loco colloquiis destinato cum monialibus sermonem facientes ab Episcopo diœcesano tanquam Sedis Apostolicæ delegato coerceri posse firmatur : *Derthusen.*, 27 *maii* 1634, *dub.* 6.

7. Quum in civitate Colimbriensi, in qua floret Universitas celebris, oriantur populi offensiones in cancellis monasteriorum monialium, quærit Episcopus causa suæ sollicitudinis pastoralis, an ad ipsum spectet prohiberi hujusmodi colloquia, et in monasteriis regularibus, et non ipsi Ordinario subjectis? respondetur, spectare ad Episcopum cancellos monasteriorum monialium prohibere : etiamsi monasteria sint eisdem regularibus subjecta : *Colimbrien.*, 16 *julii* 1639, *dub.* 2.

8. Firmatur Episcopum sanctimonialium monasteria etiam exemptis subjecta, quoad clausuram quamquam antiqua juris clausuræ violatæ probatio ulla, aut suspicio præcesserit, inconsultis ipsis exemptis eorumque non expectata negligentia, tanquam Apostolicæ Sedis delegatum visitare posse ;

[522] Quo decernitur : « Ingredi autem intra septa monasterii nemini liceat, cujuscumque generis, aut conditionis, sexus, vel ætatis fuerit, sine Episcopi, vel superioris licentia in scriptis obtenta, sub excommunicationis pœna, ipso facto incurrenda. Dare autem tantum Episcopus, vel superior licentiam debet in casibus necessariis ; neque alius ullo modo possit, etiam vigore cujuscumque facultatis, vel indulti hactenus concessi, vel in posterum concedendi. » Hanc conciliarem dispositionem declaravit S. Cong. Concil. decreto approbato ab Urbano VIII, 13 novem. 1620, et relato a Bened. XIV, *de Synod. diœces.*, cap. XII, num. 25, hujusmodi licentiam, quoad monasteria monialium exemptarum, et regularibus subjectarum, tam pro ingresssu in casibus necessariis, quam pro accessu ad loquendum cum ipsis. dandam esse nedum ab earum superioribus, sed etiam a locorum Ordinariis, licet Tridentinum utatur particula disjunctiva. Imo, ex altero decreto ejusd. Congr. a dicto pariter Urbano approbato 21 maii 1630, relato ut supra, sufficit tantum ipsorum Ordinariorum licentia, ubi viget consuetudo, ut ab ejusdem solummodo hæc petatur.

[523] Vide not. præcedentem.

[524] 29 *maii* 1566 (*Bull. Rom.*, tom. IV, part. 2, pag. 292), quæ incipit *Circa*, et § I, decernit. « Hanc igitur perpetuo valitura constitutione, inhærentes etiam Const. fel. rec. Bonifacii Papæ VIII, prædecessoris nostri quæ incipit : *Periculoso*, et decretis Conc. Tridentini super clausura monialium editis, auctoritate Apostolica tenore præsentium statuimus, atque perpetuo decernimus, universas, et singulas moniales, præsentes atque futuras cujuscumque religionis, ordinis, vel militarium, etiam Hierosolymit. sint, quæ, vel jam receptæ sint vel in posterum in quibusvis monasteriis, sive domibus recipientur, et tacite, vel expresse religionem professæ, etiamsi conversæ, aut quocumque alio nomine appellentur, etiamsi ex institutis, vel fundationibus earum regulæ, ad clausuram non teneantur, nec unquam in earum monasteriis, seu domibus, etiam ab immemorabili tempore ea servata non fuerit ; sub perpetua in suis monasteriis, seu domibus debere de cetero permanere clausura, juxta formam dictæ Const. fel. rec. Bonifacii Papæ VIII, prædecessoris nostri, quæ incipit : *Periculoso*, in sacro Concilio Trid. approbatam, et innovamus, in omnibus, et per omnia, ac illam distincte observari mandamus. » Hæc Constitutio declaratur ab altera sequenti Constit : *Decori*, 1 *febr.* 1670.

et hujusmodi visitationi non obedientes, aut contradictores etiam censuris ecclesiasticis coercere : *Suessionen.*, 16 *sept.* 1662, *dub.* 14.

9. Considerato, an in edicto, quo præcipitur, ut nemo ingrediatur monasteria monialium, vel cum ipsis loquatur sine licentia Archiepiscopi possint comprehendi moniales S. Claræ exemptæ a jurisdictione archiepiscopali, et, stante consuetudine, quod nullus usque adhuc concesserit licentias alloquendi prædictas moniales, ingrediendi vero monasterium solus confessarius an eædem concedendæ sint a solo Archiepiscopo vel etiam cum subscriptione ministri regularis, cui subditæ sunt prædictæ moniales ad declarationem Concil. Trid., sess. 25, cap. 5 *de Regul.* [325] ? prædictas moniales in prænarrato edicto comprehendi, et in præsenti casu tam pro ingressu, in casibus necessariis, quam pro alloquio utriusque licentiam conjunctam requiri judicium fuit : *Urbinaten., Visit. sacr. Limin.*, 10 *martii* 1663, *dub.* 16.

10. Dubium, an possit Episcopus aut Ordinarius clausuram sanctimonialium exemptarum, maxime Cisterciensium visitare, et ubi ad præscriptum Sacr. Conc. Trid. [326] non servatur, adstricte observandum obligare, et compellere? solvit ita S. C., posse ad præscriptum Const. Gregorii XV incipiens *Inscrutabili* [327] : *Olomucen., Jurisd.*, 11 *julii* 1665, *dub.* 10.

11. An liceat superioribus monialium exemptarum abbatissis, et aliis professis monialibus interdum per annum copiam facere, ut quatenus e monasterio ad bona sua temporalia œconomiam visitandi gratia egrediantur, itidemque foris de nocte remaneant? dum quæritur non licere rescribitur : *Ibid., dub.* 12.

12. Confessario monasterii monialium S. Mariæ Angelorum ordinis Eremitarum S. Augustini vigore constitutionum particularium dicti monasterii comissa custodia clausuræ fuit, ac per lapsum centenariæ independenter ab Archiepiscopo exercuit. Hodie curia Archiepiscopali opponente S. C. sancivit non licere confessario licentias ingressus in monasterium signare privative, et independenter ab Archiepiscopo : *Bononien., Indult.*, 17 *maii* 1704, *dub.* 1.

13. Ac posse tantum signare licentias prædictas pro personis approbatis ab Archiepiscopo firmatur : *Ibid., dub.* 2.

14. Nec licentias solius Archiepiscopi posse impediri, ex confessarii dissensu judicatur : *Ibid., dub.* 3.

15. Insuper Archiepiscopus potest prohibere confessario, ne signet, aut concedat licentias pro allocutione tam cum monialibus quam cum educandis ad cancellos decernitur : *Ibid., dub.* 4.

16. Et idem confessarius potest celebrare sacrum in capella Valetudinarii monasterii constituitur : *Ibid., dub.* 5.

17. In iis autem casibus in quibus potest celebrare in dicta capella, non valet uti in ministrum, seu clericum qualibet persona seculari sibi benevisa, sed tenetur adhibere clericum cum Archiepiscopi licentia approbatum, statuitur : *Ibid., dub.* 6.

18. In postrema obsidione civitatis Gerundæ quum fere omnia defecissent ad vitæ conservationem tam moniales Cistercienses, quam moniales ordinis Minimorum S. Francisci superioribus eorum ordinum regularibus subjectæ, obtenta ab Episcopo licentia, egressæ sunt a monasteriis, ac in patriis laribus, vel in aliis commodioribus cœnobiis sese receperunt. At obsidione absoluta paucis exceptis redire renuunt. Hac occasione Episcopus inter ceteras Sedis Apostolicæ occupationes hæc disceptanda dubia exhibet, an moniales prædictæ in præsenti remanentes extra propria monasteria inciderint in excommunicationem latam in Bulla S. Pii V [328], saltem postquam extrajudicialiter ab Ordinario fuerint monitæ ?

[325] Vide not. 322, præcedentem.

[326] Vide not. 322, præcedentem.

[327] 5 *februar.* 1622 (*Bull. Rom.*, tom. v, part. 5, pag. 1). Ubi § II, habetur : « In aliis vero (monasteriis exemptis) Sedis Apostolicæ auctoritate clausuram Sanctimonialium, ubi violata fuerit, diligentur restitui ; et ubi inviolata est, conservari maxime procurent ; inobedientes, atque contradictores per censuras ecclesiasticas, aliasque pœnas, quacumque appellatione postposita, compescentes. »

[328] Quæ incipit *Decori*, 1 febr. 1570 (*Bull. Rom.*, tom. IV, part. 2, pag. 96) quæ declaravit Concil. Trid., sess. 25, cap. 5, *de Regular.*, reducente causam legitimam ab Episcopo approbandam a Concil. Trid. cit. loc. expressam, absque qua non licet nemini Sanctimonialium post professionem exire a monasterio, etiam ad breve tempus, quocunque prætextu ; reduxitque ad tres tantum casus, nempe magni incendii, lepræ, et æpidemiæ, cum licentia, et approbatione prælati monasterii, si hoc sit subjectum Regularibus, et Episcopis simul; et quidem in scriptis, cum de infirmitate agitur, sub pœna excommunicationis ipso facto Papæ reservatæ, tam in aliter egredientes, quam in licentiam concedentes, comitantes, et receptantes, ac privationis ipso facto officiorum, administrationum, et inhabilitatis ad illa, et alia hujusmodi attinenda in ipsas, aliter egressas, præsidentes, et alios superiores, aliter licentiam dantes. Animadvertitur tamen ex defectu hujusmodi licentiæ exeuntes non incurrere dictas pœnas « Si res ulteriorem dilationem non pateretur, v. g. quando superveniret periculosa, et inevitabilis necessitas subitæ exustionis, incursus hostilis, aquarum inundationis, proximæ, et irreparabilis monasterii minæ, cum in his, et similibus casibus locum habere debeat vulgaris regula, quam Nicolaus III, in cap. *Exiit III*, de verb. *Signif.* in 6,

19. An incurrerint excommunicationes moniales, etiamsi commorentur in aliis monasteriis ejusdem, vel alterius ordinis ? S. C. rescripsit Episcopus cogat juris remediis ad redeundum: *Gerund.*, *Claus.*, 18 *novem.* 1713, *dub.* 1 et 2.

20. Ac moniales Regularibus subjectæ nequeunt egredi in casibus præmissis extra monasteria, absque licentia Ordinarii, etiamsi ipsam a superioribus regularibus habuerint : *Ibid.*, *dub.* 3.

21. Neque prædictis monialibus suffragatur observantia contra bullam S. Pii V. [329] et Sacr. Concilium Tridentinum quoad clausuræ legem [330] : *Ibid.*, *dub.* 4.

22. Superior regularis monasterii monialium S. Claræ civitatis Græcii ingredi nequit clausuram dicti monasterii post electionem abbatissæ ad peragendam exhortationem, et publicandam monialibus dictæ abbatissæ electionem [331] : *Salisburgen.*, *Claus.*, 10 *januar.* 1711 [332].

23. Ducissa Carlotta Columna oppidi Magdaluni occasione fundationis cujusdam monasterii in dicto oppido petente ingressum clausuræ monialium duodecies per annum cum aliarum nobilium fœminarum comitatu conceditur a S. C. facultas ingrediendi per sex vices quolibet anno, et cum comitatu sex matronarum, quoad alias in ducatu succedentes facultas impertitur adeundi ad monasterium per tres vices quolibet anno, et cum tribus tantum matronis, servata in reliquis forma aliarum clausurarum, quæ in consimilibus brevibus pro ingressu in monasterium apponi solent: *Magdalunen.*, 22 *april.* 1719.

24. Episcopus Mazaræ habens facultatem dandi benedictionem Apostolicam constitutis in articulo mortis non tenetur quoad moniales eam committere earum confessario ordinario, sed est in ejus facultate aliquando ingrediendi monasterium, ut eis det benedictionem, et addidit ad dominum secretarium cum Card. secretario brevium: *Mazarien.*, 10 *maii* 1727, *dub.* 1.

25. Ac debet pedem ponere in casu, de quo agitur, cum confessario monialium, et uno probo sacerdote per eum eligendo, *Ibid.*, *dub.* 2.

26. Et ad dubium, an Episcopus, et confessarii sive ordinarius, sive extraordinarius ingredi possint monasterium absque ulla limitatione, quando vocantur ab aliqua moniali infirma, quæ pro sua pietate confiteri exoptat? respondit S. C. *uniantur decreta* [333] : *Ibid.*, *dub.* 3. Deinde affirmativum edidit responsum servatis servandis: 5 *julii ejusd. anni.*

27. Episcopum Lyciensem visitantem clausuram sanctimonialium regularibus ordinis Prædicatorum in conventu S. Joannis de Aymo degentium, sine pluviali, sed cum stola intrare posse respondetur : *Lycien.*, *Claus.*, 22 *sept.* 1742, *dub.* 1.

28. Eidemque Episcopo clausuram cœnobiorum sanctimonialium supradictis regularibus subjectarum visitanti moniales eædem in exteriori, vel interiori ecclesia sedem cum baldachino erigere non tenentur ; verum illi stratum solummodo in utraque ecclesia parari satis esse definitur: *Ibid.*, *dub.* 2.

29. Hunc laudatum Episcopum dictorum monasteriorum clausuram lustrare volentem, eædem prædictæ moniales excipere tenentur sine supplicatione, cruce, et cantu : *Ibid. dub.* 3.

30. Et priorem provincialem ordinis Prædicatorum in Lyciensi civitate, et in conventu S. Joannis de Aymo degentium clausuram interiorem visitare septa monasteriorum monialium suæ curæ subjectarum ingrediendo absque ulla Episcopi licentia posse semel tantum in anno ad formam Const. Alex. VII [334], concluditur : *Ibid.*, *dub.* 4.

31. Prælaudatum Episcopum de die et hora talis

§ *Nec quiquam* expressit » nec jure poli in extremæ necessitatis articulo an providendum sustentatationi naturæ via omnibus extrema necessitate detentis concessa præcluditur, cum ab omni lege extrema necessitas sit exempta.

[329] Vide not. præcedentem.

[330] Sess. 25, cap. 5, *de Regul.* Hisce verbis « Nemini autem Sanctimonialium liceat post professionem exire a monasterio, etiam ad breve tempus, quocumque prætextu, nisi ex aliqua legitima causa, ab Episcopo approbanda : indultis quibuscumque, et privilegiis non obstantibus. »

[331] « Denegando quoque S. C. remissoriam petitam pro parte fratrum. Resolutio innixa præsertim fuit in clara dispositione Sacr. Concil. Trid., sess. 7, cap. 25, *de Regul.*, ubi ita habetur : *Is vero, qui electioni præest Episcopus, sive alius superior, claustra monasterii non ingrediatur, ad ante cancellorum fenestrellam vota singulorum audiat, vel recipiat, etc.*, ut prosequuntur plures doctores, solum limitatione admissa, si concurrat necessitas occurrendi scilicet gratia magno periculo subornationis vocalium, de qua re vehementer suspicetur, quæ scilicet omnino impediret electionem » Card. Petra *Comment. ad Const. XVI Martini V*, num. 3, tom. 4, pag. 258, ait de dicta resolutione.

[332] Et additum fuit, et amplius causa non proponatur, ut ait Ursaya *Discept. Eccl. X*, tom. 3, part. 2, num. 36. *Cum denegatione remissoralium ad probandum firmiter immemorabilem.* Prædictus Ursaya in hac causa in favorem regularium declamavit, ut patet *ex dict. Discept.*

[333] Secretarius univit desuper decreta; hinc doctas edidit adnotationes in ead. causa, quæ in thesaur. resol. prostant : *die* 5 *julii* 1727, *in fin.*

[334] Quæ incipit *Felici*, 10 octob. 1661 (*Bull. Rom.*, tom. VI, part. VI, pag. 34), et § 1, statuit, quod superior regularis intra septa monasteriorum, cujus cura, et regimen quovis modo ei incumbit, nullatenus ingredi liceat, nisi ex causa visitationis locali, hoc semel tantum in anno.

explendæ visitationis per clausuræ custodiam reddendum esse certiorem, statuitur : *Ibid.*, *dub.* 5.

32. Et prædictum Prædicatorum provincialem priorem pro visitatione clausuræ interioris, in convisitatorem assumere patrem vicarium earumdem monialium vel quemlibet alium fratrem sui ordinis maturæ ætatis absque licentia, et monitu posse, servata tamen forma prædictæ Alexandrinæ Const. decernitur [335] : *Ibid.*, *dub.* 6.

33. Eumdemque provincialem priorem visitationem personalem monialium monasteriorum exemptorum sui ordinis ad cancellos tantum facere posse firmatur, neque esse ab Episcopo impediendum; injungitur : *Ibid.*, *dub.* 7.

34. Quum quæsitum exinde esset, an idem prior provincialis ab Episcopo impeditus, ne talem visitationem ad cancellos faciat, eamdem facere possit ad exedram ad excipiendas confessiones, vel ad fenestrellam sanctissimæ Communionis? responsum est, provisum fuisse in proximo dub. 7. *Ibid.*, *dub.* 8.

35. Hunc priorem eamdem visitationem alibi facientem, veluti ad exedram ad recipiendas confessione, vel ad fenestrellam sanctissimæ Communionis in pœnas Const. Alex. VII [336], incidere S. C. fatetur : *Ibid.*, *dub.* 9.

36. Ad examen adductum est, an hic Episcopus directe, vel indirecte impediens priorem provincialem facere volentem visitationem personalem prædictorum monasteriorum incidat in pœnas Const. Clementinæ de statu monachorum [337]? recurrere in casibus particularibus fuit rescriptum : *Ibid.*, *dub.* 10.

37. Præfatum priorem conventus S. Joannis de Aymo ordinis Prædicatorum dictæ civitatis Lyciensis, et vicarium ordinarium dictorum monasteriorum absque licentia Episcopi, cancellos ingredi posse, ibique cum suis monialibus alloqui in casu tantum, quo ita postulat exacta administratio officii, constituitur : *Ibid.*, *dub.* 11.

38. Prænominatum P. Vicarium Prædicatorum ordinis absque Episcopi licentia penetrare in cancellos posse ad visitandas transennas, ne moniales absque debita licentia seculares, et regulares clandestine loquantur, nulla exoritur ambiguitas : *Ibid.*, *dub.* 12.

39. Tam præfatum priorem provincialem, quam ejus patrem vicarium dictorum monasteriorum, aut alium quemcumque religiosum absque licentia Episcopi, in exedra ad confessiones excipiendas extraordinaria sedere, ibique monialium confessiones excipere, easque in eadem extraordinaria, et ordinaria exhortari, et audire non posse decernitur : *Ibid.*, *dub.* 13 et 14.

40. Superiorem regularem vestibus sacris indutum associando puellam habuit ordinis initiandam, absque venia Episcopi, in atrio clausuræ, quod omnibus patet, ingredi posse, et ibi puellæ benedictionem dare, conceditur; at vero eumdem sistere in via publica ante januam clausuræ exterioris, non fuit permissum : *Ibid.*, *dub.* 15.

41. Idem superior quærens, an hoc idem agere possit in habitu ordinis in ingressu, et egressu puellæ tam educandæ, quam ancillæ? responsum habuit se agere debere, prout in 15° dubio se debet gerere : *Ibid.*, *dub.* 16.

42. Regularis superior prædictus salvo jure Episcopi una simul cum superiore regulari revidendi rationes dictorum monasteriorum, absque Episcopi licentia cancellis interesse potest tempore, quo a factore (qui procurator nuncupatur) coram monialibus deputatis mensuatim recitantur, computa in libro majori reportanda : *Ibid.*, *dub.* 17.

43. Quin etiam, superior ac regularis quibuscumque contractibus, tam activis quam passivis per notarium in cancellis rogandis (salvo jure Episcopi tribuendi licentiam pro rogatione eorumdem) absque Episcopi licentia interesse valet : *Ibid.*, *dub.* 18.

44. Et demum ut vicarius dictorum monasteriorum in absentia superioris regularis remaneat confessarius, concessum et datum est : *Ibid.*, *dub. ultim.*

45. Pro dirimenda controversia excitata inter Episcopum Conversanum, et monasterium, et sanctimoniales ordinis Carmelitarum oppidi Putignani,

[335] Quæ incipit *Felici*, 10 octob. 1664 (*Bull. Rom.*, tom. VI, part. VI, pag. 34), et § 3 decernit : « Porro si visitator generalis, possit secum habere duos socios sui ordinis, si alius a generali, unum tantum, exclusis omnibus aliis etiam ratione officii. Qui quidem socii assumantur exemplares, et maturæ ætatis, et in actu visitationis a visitatore nunquam separentur, sed eum aspicere, et ab ipso aspici semper possint. »

[336] *Felici*, 10 octob. 1664 (*Bull. Rom.*, tom. VI, part. VI, pag. 34), § 8 nempe : « Ipso facto pœnam excommunicationis, et privationis omnium officiorum, quæ obtinet ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, vel alia in posterum obtinenda, vocisque activæ, et passivæ absque alia declaratione incurrat. »

[337] Ubi cap. *Attendentes* statuitur, moniales, quæ nulli subsunt, nisi Papæ, et canonici seculares per Ordinarios, et alia exempta per suos Prælatos debent annis singulis visitari; addendo : « Si qui vero visitatores ipsos in præmissis impedire præsumpserint, seu aliquo præmissorum (nisi moniti resipiscant) ipso facto excommunicationis sententiam se noverint incursuros, privilegiis, statutis, et consuetudinibus quibuslibet in contrarium minime valituris. » Vid. Geraldi, *Expos. Jur. Pontif.*, tom. 1, pag. 374, seqq.

eo quod Episcopo, dum monasterium visitare vellet, dictæ moniales sese opposuerunt; inter cætera ad propositum dubium, an superiori seu commissario monasterii quin in censura incurrerit, licitum sit etiam cum justa, et legitima causa clausuram ingredi absque licentia Episcopi, vel ejus delegati? responsum latum fuit negativum excepto casu visitationis faciendæ semel in anno: *Conversana, Jurisd.*, 8 *maii* 1751, *dub.* 7.

46. Deinde decernitur, licentias concessas pro medicis, et aliis, qui ex necessitate in clausulam introeunt, privative dari non debent a commissario monasterii; sed cumulative etiam ab Episcopo: *Ibid., dub.* 8.

47. Et consilium optatum cum fuisset an hujusmodi licentiæ pro medicorum aliorumque ingressu absolute, ved ad limitatum tempus sint concedendæ? rescriptum est, esse concedendas ad tempus limitatum: *Ibid., dub.* 9.

48. Et ad alloquendum cum monialibus concessio licentiæ secularibus, aliisque quibuscumque privative quoad Episcopum non pertinet ad superiorem monasterii; sed cumulative ad dictum superiorem, et Episcopum, vel ejus delegatum: *Ibid., dub.* 10.

49. Episcopus sub censurarum pœna prohibere potest, ne tam prior conventus Carmelitarum prædictæ terræ quam alii quicumque religiosi ejusdem ordinis absque sui vel vicarii licentia in scriptis cum monialibus colloquia misceant: *Ibid., dub.* 11.

50. Non autem Episcopus prohibere valeat, ne dicti superior, et religiosi absque sui venia Missam in ecclesia monialium celebrent, et in casu contraventionis aliquam in eos pœnam irrogare possit: *Ibid., dub.* 12.

51. Et ad transennas ecclesiæ, seu cancellorum, aut alibi licet commissario monasterii sermonem, aut conciones habere ad moniales tantum, et clausis januis, absque licentia Episcopi: *Ibid., dub.* 13.

52. Ordines prohibentes accessum ad transennas, et cancellos monialium a solo Episcopo indicendi, et evulgandi sunt, quoad ordines publicandos per edictum: *Ibid., dub.* 14.

53. Sub censuris autem prohibere non valet Episcopus, ne portam clausuræ priorissa aperiat tam in accessu consanguineorum, et affinium in primo, et secundo gradu ad sermones conferendos cum monialibus, quam ubi, et quando res in monasterium introduci per rotam possunt: *Ibid. dub.* 15.

54. Ad Episcopum Olomuci spectat cura clauçuræ monasteriorum monialium regularibus præsertim Cisterciensibus, et Benedictinis subjectarum, eamdem clausuram demandare, servandam ad præscriptum. Sac. Concilii Tridentini [338]: *Olomucen., Jurisd.*, 7 *junii* 1755, *dub.* 7, confirmata 2 *aug. ejusd. anni.*

55. Ac eidem Episcopo competit prælatis regularibus præsertim Cisterciensibus, et Benedictinis prohibere, ne pluries in anno occasione visitationis ingrediantur septa monasterii monialium sibi subjecti sine præsentia ejusdem Episcopi, sive alterius personæ ab eo deputandæ: *Ibid., dub.* 8, confirmata *ibid.*

56. Moniales Castri Veteris a terræmotu diruto monasterio Vallis Viridis ad Castrum Vetus transmigrarunt, ibique novum construxerant monasterium. Pro conficienda monasterii clausura, demolitionis desiderio æstuant parvæ, ac depressæ ecclesiæ monasterio proximæ exhibendo pretium ecclesiæ demoliendæ patronis, vel aliæ in loco ipsis beneviso ædificandæ ecclesiæ. Impetrarunt moniales, sed pro exequutione, remissum fuit ad Card. præfectum et ad mentem: *Hieracen., Exempt.*, 6 *decem.* 1760, *dub.* 2.

§ II.

Monasterium monialium quoad deputatos, inservientes, et bona.

1. Censuit S. C. moniales Turris Speculi comprehendi in decreto hac de re edito ex mente ipsius Congregationis; ideoque expedire, ut Summus Pontifex ex sententia S. C. declaret eas non posse illius bona absque legitima licentia alienare: *Urbis.*, 9 *maii* 1626.

2. An Archiepiscopus juxta Const. Gregorii [339] possit compellere syndicos et ministros monasterii monialium S. Claræ ab Ordinarii jurisdictione exempti ad exhibendos libros expensi, et accepti dicti monasterii pro redditione rationis administrationis bonorum ejusdem, etiam sine præsentia ministri provincialis, cui subest monasterium, quatenus interpellatus recuset interesse; et an juxta dictam Const. Archiepiscopus possit compellere prædictos ad redditionem rationis administrationis bonorum ejusdem etiam sine prædicti ministri licentia, quatenus interpellatus interesse recuset? ad utrumque dubium posse S. C. respondit: *Urbinaten., Visit. sacr. Limin.*, 10 *martii* 1663, *dub.* 15.

3. Postulatur consilium ab Episcopo Maceratæ, quoad curam temporalem, ac spiritualem monasteriorum monialium suæ diœcesis quomodo sit providendum? S. C. censuit petitionem remittendam

[338] Vide not. 322, præcedentem.

[339] Vide not. 26, verb. *Abbas* § II.

esse ad S. C. Episcopor., et regular. [340]: *Maceraten., Visit. sacr. Limin.*, 26 *april.* 1664, *dub.* 1, 2, 3 et 4.

4. Ponitur quæstio, an competat Episcopo, ut ab administratoribus bonorum temporalium monasteriorum monialium etiam exemptorum annuas rationes exigat, illas adprobet, aut reprobet, officiales ad reliqua adstringat. Quum experientia doceat sæpius ab his monasteriis, et monialibus magnas fieri injurias, non sine vehementi præsumptione collusionis ipsorumque superiorum? competere ad præscriptum bullæ Gregorii XV *Inscrutabili* [341] respondetur: *Olomucen., Jurisd.*, 11 *julii* 1665, *dub.* 13.

5. Et circa dubium, an firmum, et ratum sit, ac liceat dotes monasteriorum monialium, ac bona eorum pro eisdem pie fundata absque Sedis Apostolicæ expressa facultate, ac sciente Episcopo, aut Ordinario in temporales dominos transferre, et abalienare? bona monasteriorum non posse absque Sedis Apostolicæ beneplacito alienari statutum est: *Ibid., dub.* 14.

6. Hebdomadarius, clericus, pistor, olitor, et obsonator habitantes in atrio monasterii monialium SS. Antonii, et Claræ ordinis S. Benedicti non habent requisita Sacr. Concilii Trid., cap. 11, sess. 24 [342]: *Barchinonen., Jur. paroch.*, 21 *januar.* 1713, *dub.* 1.

7. Nec sunt iidem exempti ab exercitio jurium parochialium parochi ecclesiæ S. Mariæ de Mari, intra cujus parœciæ limites situm monasterium est: *Ibid., dub.* 2.

8. Facultatem removendi officiales, et ministros quatuor monasteriorum monialium superioribus regularibus subjectorum Ferrariæ ad priorissam, et moniales spectare decernitur: et ad quæsitum, an potius ad Card. pertinere Ferrariæ Archiepiscopum? dictum est; servari debere bullam *Inscrutabili* [343], *Ferrarien.. Jurisd.*, 28 *sept.* 1754, *dub.* 7.

9. Ad Episcopum attinet rationes exigere ab administratoribus bonorum temporalium monasteriorum monialium exemptorum, et in administratores delinquentes animadvertere, illosque ad reliquum solvendum cogere, et prohibere, ne dotes alienentur sine indulto Pontificio, et Episcopi licentia: *Olomucen. Jurisd.*, 7 *junii* 1755, *dub.* 10, confirmata *ibid.*

10. Disceptatur in S. C. de electione deputati monasterii S. Catharinæ Viterbii regulæ S. Dominici, quam electionem moniales autumant vigore privilegiorum ordinis explendam esse; et Card. Episcopus contendit deputatum non esse officialem monasterii, sed potius Ordinarii subdelegatum primario ad custodiendam clausuram, licet secundario gerat honorariam, et consultoriam curam in rebus temporalibus monasterii. Illam electionem ad Episcopum, minime ad priorissam, et moniales spectare S. C. decidit, et addidit ad mentem: *Viterbien., Jurisd. et Elect.*, 7 *junii* 1760.

§ III.

Monasterium monialium quoad erectionem, et fundationem.

1. Episcopus notificare debet communitati, ut jura sua circa erectionem monasterii monialium construendi, et clausuras perficiendi, in S. C. deducat, ut deinde quid justum erit maturius decerni possit: *Civitatis Castellanæ*, 26 *aug.* 1628, *dub.* 5.

2. Multiplicum pro 20 annorum spatio suis bonis omnibus fieri mandavit Julianus de Orsuccis, ut et sorte, et fructibus tria sanctimonialium monasteria erigerentur. Unum extolli voluit Pisciæ, alterum Burgi, tertium Bugiani. Exacto multiplici tempore, et tota summa ascendente ad scut. 28,220, vix unum fundari posse monasterium putatur. Ob id de voluntatis commutatione cogitatio suscipitur, et unum Pisciæ construere monasterium, quod Piscia fuerit a testatore prædilecta, ubi ille natalem habuit diem S. C. mandavit, ut firmaretur status hæreditatis juxta instructionem [344], et interim Ordinarius incumberet constructioni monasterii, et ecclesiæ, et post transmissam redditionem rationis supplicaret pro commutatione: *Nullius, Piscien., Commut. volunt.*, 13 *julii* 1720. Deinde fuit resolutum, esse locum commutationi voluntatis, et loco trium monasteriorum esse erigendum unum monasterium Pisciæ sub titulo S. Juliani, quoad ecclesiam, et quoad monasterium sub nuncupatione Jesus, et Mariæ, et in reliquis ad secretarium juxta mentem: 21 *junii* 1721.

3. Nicolaus Joseph Lucca moriens jussit, ut suæ ædes in monasterium monialium converterentur, addita ecclesia sub titulo S. Mariæ Conceptionis. Ædes post testatoris obitum fuerunt evictæ, reditusque hæreditarii litium causa imminuti, ideo locus factus esse videtur commutationi in opus magis proximum ad deferendam videlicet hæreditatem monasterio monialium loci, vel civitatis Ennæ, in qua juxta testatoris mentem monialium monasterium

[340] Vide not. 665, verb. *Congregatio* § II.
[341] Vide not. 26, verb. *Abbas* § II.
[342] Vide not. 233, verb. *Episcopus* § IV.
[343] Vide not. 26, verb. *Abbas* § II.
[344] Vide not. 24, *ut supra*.

erat ædificandum. S. C. primum scribi novo Episcopo juxta instructionem [345] censuit : *Catanien. Commut. volunt.* 7 *junii* 1727. Deinde respondit Card. Pico, qui dignetur rem perpendere, et votum suum S. C. Concilii aperire, et interim scribatur vicario capitulari qui mandet, reddi rationem de bonis hæreditariis, ac deponi fructus, et certiorem faciat S. C. 17 *decem.* 1729. Denique juxta votum Card. Pici [346] in omnibus rescripsit : 18 *julii* 1733.

4. Andreas del Sole inter vivos agere desinens mandavit, ut omnia bona sua in constructionem, et dotationem monasterii, et ecclesiæ erogarentur. Casu vero, quo intra quadriennium a die sui obitus non inciperetur monasterii fabrica, voluit, tot erigi fundarique tot capellanias, quot fructibus bonorum responderent. Mortalitatem explevit testator die 16 octob. 1720, et exequutores testamentarii non nisi de mense octob. anni 1725, monasterii ædificium adorti sunt, et postea ab incœpto opere destiterunt. Idcirco Beatrix hæres usufructuaria instituit pro capellaniarum erectione ad formam testamenti : et re inspecta, num esset locus præfatæ monasterii erectioni affirmativa data fuit responsio : *Cajetana, Erect. monast.*, 23 *julii* 1729, *dub.* 1.

5. Cœperunt Heidelbergæ aliquot piæ mulieres amplecti institutum tertii ordinis S. Dominici quas superior cœnobii dicti ordinis ad professionem admittere solebat, etiamsi in privata domo conviverent. Deinde vicarius generalis facultatem erogandi stipem pro ædificatione novæ ecclesiæ, ac perfectione monasterii eis tribuit. Magister generalis ordinis Prædicatorum illam congregationem jurisdictioni superioris localis ordinis subjecit. Conquesta fuit curia episcopalis de hac erectione, et instituta disputatione, an de ejusdem validitate constaret? responsum est dilata, et secretario cum auditore Sanctissimi pro unione causarum. Nam coram A. C. pendebat judicium circa executionem, et observantiam privilegiorum quæ a S. Pio V, Pont. Max., ordini S. Dominici concessa fuerunt : *Wormatien., Erect., monast. et coll.*, 1 *sept.* 1731, *dub.* 1.

6. Petrus de Tedeschis ex fructibus suorum bonorum confici multiplicum suum consilium ostendit. Si vero extrui contigisset in oppido Massæ Lombardæ suæ patriæ monasterium sacrarum virginum multiplici pecuniam in id impendi voluit vetuitque cuicumque, ne quid ex sorte præfata decerpere unquam possit. Quum monasterium unquam ibi fuerit ædificatum, Episcopus obtinuit litteras Apostolicas pro applicatione scut. 7000, seminario, ut in eo duo alumni ejusdem oppidi cooptarentur. Commutationi huic reclamavit communitas, litteras illas subreptas esse probans. Siquidem monasterii erectionem sperari dicebat ex legato Bergamini, et ex hæreditate Cavinæ, necnon ex aliis pecunii sodalitiorum ejusdem oppidi, et ex subventione communitatis ipsius : ad dubium hinc num essent præfatæ litteræ executione mandandæ? responsum prodiit dilata, et ad mentem : *Imolen., Commut. volunt.*, 19 *julii* 1732.

7. Quum inde illius multiplici sors jam ad scut. 17,000 et ultra ascendisset summam, publicus loci magistratus urget, ut idem multiplicum pro erectione conservatorii puellarum seu directione piarum magistrarum erogaretur. Sed nil contra expressam voluntatem testatoris valuere, quia negative et ad secretarium S. C. respondit : *Ead. causa*, 24 *mart.* 1764.

8. Ad monasterium pro virginibus Deo sacrandis in oppido S. Laurentii in Campo ædificandum plures oppidani bona sua contulere. Benefactorum una Albina Ciuffii caducitatem, si intra sex annos non erigeretur monasterium, in animæ suæ, suorumque favorem indixit. Præstituto jamjam impendente termino, et monasterio propter redituum tenuitatem infecto, Albinæ voluntatis exequutores ad animum referunt, ut erectio fieret pii instituti sub regimine magistrarum piarum pro educatione puellarum ; et ut in hanc erigendam domum transferrentur onera, supellectilia, et cœmenta collabescentis ecclesiæ S. Mariæ de Quercuparum ab oppido distantis, cujus reparationi impar omnino est summa ducalium centum, quæ eadem Albina in eam causam reliquerat. Utrique petitioni omnes oppidani, et Card. Com-

[345] Quæ fuit, ut referret, quanta sit summa mutuata hæreditati a dicto monasterio S. Mariæ Gratiarum, quænam sint jura doctoris Medinæ, quantam bonorum partem ipse prætendere possit ex dicta hæreditate, et quæ sint conditiones, quas monasterium S. Michaelis proponit in casu applicationis hæreditatis sibi faciendæ : *Ead. causa*, 17 *decem.* 1729, § *Relata.*

[346] In quo omnia, quæ ad seriem facti spectant, et quæ juris quæstionem respicere possunt, diligentissime enucleata habentur. Summa autem ejusdem suffragii est, hæreditatem illam, adhibita Pontificis auctoritate, transferendam esse in monasterium S. Michaelis, quod in ea ipsa existit civitate Enna, ubi novum sanctimonialium cœnobium fundari optaverat testator, quodque ob inopiam maxime indiget hac vectigalium accessione. Plura etiam injungenda proponit, tum ad conservandam pii largitoris memoriam, tum ad obsecundandum ejus voluntati, quantum commode fieri possit, tum denique ad statuendum numerum sacrarum virginum, quæ deinceps in illud cœnobium sint cooptandæ. Ex diverso autem minime annuendum existimat Eminentia Sua precibus sanctimonialium alterius monasterii S. Mariæ Gratiarum, quæ contendunt sibi potius tribuendum esse commodum memoratæ hæreditatis, maxime in id quoque assentientibus, tum consanguineis ipsius testatoris, tum etiam executoribus ab eo nominatis : *Ead. causa*, 18 *julii* 1733, § *Expectationi.*

mendatarius consentiebant. Attamen voti compotes fieri non valuerunt : *Nullius, S. Laurentii in Campo,* 11 *junii* 1767, *dub.* 1 et 2.

9. Nonnulli de Forlanis conjunctim testamenti tabulas obsignarunt. Demandata in his fuit erectio canonicatus in ecclesia cathedrali, et hæres instituta Maria Francisca Forlani monialis professa in monasterio S. Mariæ Gratiarum, ad hoc ut commodius in monasterio vita communis induci posset intra decennium sub pœna devolutionis. Inde superstites de dictis Forlanis novas confecerunt tabulas, et loco canonicatus capellaniam ordinarunt, hæc hæredem instituerunt novum monasterium. Introducta auctoritate Episcopi fuit vita communis in cœnobio prædicto S. Mariæ Gratiarum, et necessarium interim deerat subsidium ad eam vitam ducendam. Inita ideo fuit de Episcopi, capitulique, et interesse habentium consensu conventio. Nunc moniales fundunt preces pro commutatione quoad novi monasterii fundationem, proque adprobatione conventionis, et rescriptum tulerunt, consulendum esse Sanctissimum pro commutatione voluntatis juxta votum Episcopi [347], et folium conventionis sub conditione tamen perseverandi in vita communi : *Civitatis Castellanæ, Commut. volunt.,* 19 *decem.* 1772.

10. Canonicus Martinus de Dominis erectionem monasterii monialium in oppido Pontiani præcepit ; sed quum hæreditas haud satis inventa fuisset ad hoc onus ferendum, S. C. commutationem voluntatis concessit, nempe ut duo canonicatus in ecclesia collegiata ab abbate commendatario erigantur, assignatis ab eo reditibus, ac bonis, ac residuum fructuum in dotes distribuendum esse : *Nullius, Terræ Pontiani, Commut. volunt.,* 30 *januar.* 1745, confirmata 12 *martii* 1796.

§ IV.

Monasterium monialium quoad exemptionem ab Ordinarii jurisdictione, ejusque visitationem.

1. Quoad monasterium monialium, respondit S. C. posse Episcopum in respicientibus clausuram visitare ; sed illas non esse a gubernio Regularium absque illarum consensu eximendas : *Bobven.,* 16 *martii* 1630, *dub.* 4.

2. De modo, et occasione explendi visitationem clausuræ monialium regularibus subjectarum interroganti Episcopo Colimbriensi S. C. sic respondit ; Episcopum Colimbriensem, uti Sedis apostolicæ delegatum, potuisse quoad clausuram, monasterium monialium conventus de Cellas ordinis Cisterciencis regularibus ejusdem ordinis subjectum, visitare, etiam assumpto secum vicario generali, et confessario ejusdem monialium, monialesque ipsas in iis, quæ ad eamdem clausuram pertinent, examini subjicere, remotis, etiam suspicione violatæ clausuræ, ac quacumque superiorum regularium negligentia, ipsisque inconsultis, et irrequisitis : *Colimbrien.,* 26 *maii* 1640.

3. Instante Archiepiscopo Florentino proposita, ac resoluta fuerunt hæc dubia. An Archiepiscopus, seu de ejus mandato vicarius generalis possit visitare sanctissimum Sacramentum, olea sacra, exedras ad confessiones excipiendas, et sepulcra in ecclesiis monialium regularibus subjectarum ? respondit S. C. negative, nisi in his, quæ respiciunt observantiam clausuræ, et quatenus non adsit legitima consuetudo in contrarium : *Florentina, Jur. visit.,* 29 *julii* 1684, *dub.* 1.

4. Ac valere easdem moniales, dummodo velint communicare definitur : *Ibid., dub.* 2.

5. Non autem posse earumdem monialium clausuram cum pluviali, et stola ingredi firmatur : *Ibid., dub.* 3.

6. Neque omnes moniales prædictæ tenentur instar supplicationis cum cruce, et cum cantico *Benedictus Dominus* obviam ire vicario ingredienti, et visitare clausuram volenti : *Ibid., dub.* 4.

7. Neque in visitatione, et ingressu clausuræ tenentur vicarii generales secum ducere priorem, et confessarium dictarum monialium : *Ibid., dub.* 5.

8. Instante procuratore generali ordinis Minorum de observantia declaravit S. C. Episcopum visitaturum clausuram monasteriorum monialium regularibus subjectarum non teneri ante accessum eisdem monialibus præfinire, horam visitationis : *Dubia, Visit. claus.,* 19 *januar.* 1686, *dub.* 1.

9. Et ad dubium, an in ecclesiis monialium non curatis visitare possit sanctissimum Eucharistiæ sacramentum, oleum infirmorum, exedras ad confessiones excipiendas, sepulcra, et reliquias inibi existentes ? dari supra allegatum decretum in causa *Florentina* [348] præcipitur : *Ibid., dub.* 2.

10. Ac occasione resistentiæ monialium Episcopus nequit, nisi in casibus spectantibus ad clausuram, fores ecclesiæ frangere, tabernaculum vio-

[347] Qui concludit : « Cum in dicto monasterio jam ante obitum Annæ Mariæ perfectissima vita communis ab omnibus nominatis testatoribus præcipue contemplata, ardentique animo concupita reperiatur inducta, ad hoc ut eadem vita commodius, et firmius futuris etiam temporibus in eodem monasterio asservari valeat, videtur mihi moniales oratricis a Sanctissimo D. N. exaudiri posse cum petita applicatione talium bonorum ad cap. Antonium spectantium in favorem monasterii, ut in precibus supplicatur : *Ead. causa,* 21 *novem.* 1772.

[348] Vide præs. §, num. 2.

lenter aperire, ecclesiam interdicere, et sanctissimum Eucharistiæ sacramentum ad aliam ecclesiam transferre : *Ibid.*, *dub.* 3.

11. Et ad quæsitum, an Episcopo monasteriorum clausuram visitare volenti dictas moniales teneantur erigere in ecclesia exteriori, vel interiori sedem cum baldachino ; vel solummodo sufficiat stratum præparare in utraque ecclesia, et responsum est, sufficere præparationem strati : *Ibid.*, *dub.* 4.

12. Et ad id, quod est ambiguum, nempe an Episcopus dictam clausuram visitaturus præter convisitatores possit pro suo libito secum deducere intus monasterium alias personas, sive ecclesiasticas, ac seculares indeterminate, vel in certo, et præfixo numero ? et rescriptum est, servandas esse Constitutiones Apostolicas, hoc est bullam 25 Gregorii XIII, *Bull.*, *tom.* 2 [349] : *Ibid.*, *dub.* 5.

13. Episcopum præfatum dictorum monasteriorum clausuram visitaturum non tenentur moniales omnes excipere instar supplicationis cum cruce, et cantico *Benedictus* : *Ibid.*, *dub.* 6.

14. Neque dictæ moniales tenentur ipsum clausuræ ingressum exorare strato ; ibique genuflectenti Episcopo monialis aliqua porrigere non debet crucem deosculandam : *Ibid.*, *dub.* 7.

15. Episcopus vero clausuram ingressus potest pro suo libito convocare dictas moniales omnes in choro interiori, aut in alio loco, et ad eas sermonem habere : *Ibid.*, *dub.* 8.

16. Non autem absolute, et indifferenter visitare potest cellas dictarum monialium etiam quoad non pertinentia ad clausuram : *Ibid.*, *dub.* 9.

17. Card. civitatis Albanensis ordinario in monasterio Conceptionis Beatissimæ Virginis dictæ urbis delegatam, et Card. protectori ordinariam jurisdictionem competere S. C. definiit, eodemque tempore jussit, ut dubia circa actus pertinentes ad jurisdictionem delegatam darentur : *Albanen.*, 8 *junii* 1720. Inde causa reproducta dilata, et ad mentem dixit : 16 *novem. ejusdem anni*.

18. Propter controversiam inter Card. Episcopum Prænestinum, et Card. protectorem factam quoad jurisdictionem in monasterio monialium dictæ civitatis gerendam, quia erectum fuerat monasterium cum explicita conditione illud subesse curæ, visitationi, correctioni, gubernio, ac potestati ipsius protectoris debere ; S. C. judicium tulit jurisdictionem ordinariam Card. protectori delegatam vero Card. Episcopo competere, et dari dubia circa actus pertinentes ad jurisdictionem delegatam : *Prænestina*, *Jurisd.*, 8 *junii* 1720. Dein ad dubium, an sit standum, vel recedendum a decisis ? rescripsit dilata, et ad mentem : 16 *novem. ejusd. anni*.

19. Episcopum Aquilæ in Vestinis accedentem ad lustranda monasteria monialium PP. Cœlestinis subjectarum, in ingressu ecclesiæ solitæ honorificentiæ, et præeminentiæ, necnon actus omnes reverentiales exigere posse, statuitur ; eumque tam in ingressu, quam in egressu ecclesiæ comitari debere a ministris officialibus ejusdem monasterii, ejusque confessario tantum, item obfirmatur : *Aquilana*, *Jurisd.*, 31 *julii* 1723, *dub.* 1.

20. Eidem Episcopo moniales dictis PP. Cœlestinis subjectæ librum regularem in actu visitationis exhibere, et tradere non tenentur ; verum ad solitas crates onus personalis visitationis, quoad clausuram spectantis, easdem subire debere, nulla difficultas : *Ibid.*, *dub.* 2.

21. Eidem etiam Episcopo, solum cum suis convisitatoribus ingredi, et visitare clausuram præfatarum monialium absque P. abbatis Cœlestinorum interventu, posse, concessum fuit : *Ibid.*, *dub.* 3.

22. Quin, et prædicto Episcopo nedum crates, et mœnia exteriora prænominatorum monasteriorum, sed etiam chorum interiorem, dormitoria, cellas, aliaque loca, pro clausuræ custodia visitare permissum fuit : *Ibid.*, *dub.* 4.

23. Prælaudatum Episcopum sacræ visitationis officio fungentem, sermonem spiritualem, præfatis monialibus tam intra, quam extra monasterii septa facere, et habere non denegatur : *Ibid.*, *dub.* 5.

24. Verum sæpecitato Aquilano Episcopo nedum visitare altaria, et capellas ecclesiarum prænominatorum monasteriorum, in quibus beneficia, aliaque onera Missarum insunt, sed nec etiam tabernaculum cum altari majori permittitur : *Ibid.*, *dub.* 6.

25. Episcopum Parpiensem a monialibus monasteriorum SS. Mariæ, et Aureliani, et S. Mariæ Theodotæ, quæ abbati ordinis S. Benedicti sub-

[349] Quæ incipit, *Dub.*, 23 *decem.* 1581, *Guerra Epit.*, *Bull.*, tom. IV, pag. 253, declaratoria Const. *Ubi gratiæ*, 13 junii 1575 (*Bull. Rom.*, tom. IV, part. 3, pag. 298), ejusd. Pont., et § I et II, pro ingressu monasteriorum monialium servandum esse mandatur, ut scilicet prælati tam seculares (sive Episcopi, sive Cardinales sint), quam regulares ingrediantur comitati paucis personis, iisque senioribus, et religiosis, sub pœna in Episcopos contrafacientes interdicti eo ipso ab ingressu ecclesiæ pro prima vice, pro secunda suspensionis a pontificalibus, et a divinis, pro tertia, et ulterioribus, excommunicationis, privationis cujuscumque officii, et ministerii. Inde fuit emanata : Const. *Alex. VII*, *Felici*, 10 novem. 1664 (*Bull. Rom.*, tom. VI, part. VI, pag. 34), quoad prælatos regulares, qui visitare exoptant monasteria sibi subjecta ; cui etiam accessit Const. *Salutare*, 3 januar. 1742 (*Bul. ejusd.*, tom. I, pag. 47), § 3, Bened. XIV.

jecta sunt, rationem redditionis exquirere posse suspicata S. C. non est : *Papien.*, 16 *martii* 1743, *dub.* 9.

26. Occupatus fuit episcopatus Misnæ ab hæreticorum perfidia ; illiusque administratio, ac ecclesiastica jurisdictio in catholicos, qui in utraque Lusatia supererant, tributa fuit capitulo Budissino, qui vice-Episcopum elegit. At abbatissa sive præfecta monasterio Stellensi exemptionem, atque immunitatem contendens ab Episcopi jurisdictione, sacerdotem regularem ordinis Cisterciensis præfecit capellæ, quæ est in pago Rosenthali, ut in ea, quæ patronalis dicitur, sacramenta omnia ministraret. Quærelæ proinde factæ fuerunt apud nuntios apostolicos, et inde proposita nonnulla fuerunt dubia, quæ S. C. ad S. C. de Propaganda fide [350] remisit : *Misnen.*, *Jurisd.*, 16 *januar.* 1745.

27. Episcopo Arimini non obstante asserto brevi Innoc. VIII, Pont. Max., competit jus visitandi monasterium et moniales S. Sebastiani civitatis Arimini instituti canonicorum regularium Lateranensium, et alia, de quibus in Const. *Inscrutabilis* [351] Gregorii XV cautum est : *Ariminen.*, 27 *januar.* 1748, *dub.* 1.

28. Eumdemque Episcopum visitaturum clausuram monialium monasterii prædicti canonicis regularibus subjecti, ipsas cogere posse ad subeundum onus visitationis personalis ad cancellos collocutorii circa ea, quæ ad clausulam pertinent, resolutum est : *Ibid.*, *dub.* 2.

29. Præfatum Episcopum in spectantibus clausuræ custodiam non solum crates, et mœnia exteriora monasterii prædictarum monialium, sed etiam chorum interiorem, dormitoria, cellas omnes inferiores, et superiores, aliaque loca visitare posse stabilitum fuit : *Ibid.*, *dub.* 3.

30. Monialesque dicti monasterii, aliique resistentes visitationi clausuræ custodiam respicienti, aut eam impedientes, puniendis sunt congruis juris remediis : *Ibid.*, *dub.* 4.

31. Nuncupatum Episcopum ejusdem monasterii clausuram visitaturum, stola indutum ingredi posse, responsum prodiit : *Ibid.*, *dub.* 5.

32. Episcopo visitanti stratum cum pulvinari parare in ecclesia interiori, et exteriori, eædem moniales tenentur : *Ibid.*, *dub.* 6.

33. Ac eidem Episcopo accedenti pro eadem visitatione, tam in ingressu, quam in egressu ab ecclesia debentur honorificentiæ, et præeminentiæ actus reverentiales, et comitari etiam debet, quoad confessarios officiales, et alios ministros monasterii : *Ibid.*, *dub.* 7.

34. Quam etiam visitationem perficere potest solus cum suis convisitatoribus absque interventu P. abbatis, et confessarii earumdem, sive aliorum ejusdem ordinis regularium : *Ibid.*, *dub.* 8.

35. Dum Episcopus Conversanus visitare monasterium sanctimonialium Carmelitarum oppidi Putignani intendens repulsam passus est ; controversia exarsit, et præter cetera dubium fuit in S. C. propositum, an Episcopus sub censuris prohibere valeat superiori regulari dicti monasterii, atque confessario ordinario, et extraordinario, ne extra propria respective munera cum monialibus alloquantur ? rescribitur ut darentur decreta [352] : *Conversana*, *Jurisd.*, 8 *maii* 1751, *dub.* 5.

36. Inde decisum fuit Episcopum pro clausuræ custodia presbyterum secularem deputare, qui claves monasterii retineat, nequisse, sed illas per confessarium regularem servandas esse : *Ibid.*, *dub.* 6.

37. Et ad dubium, an absolutio monialium a censuris pro violata clausura, aut pro *Can. Si quis suadente* ad P. Commissarium monasterii pertineret, sive ad Episcopum ? respondit S. C., quoad primam partem spectare ad Episcopum in casibus non reservatis S. Sedi ; quo vero ad secundam per-

[350] Ad quam Congregationem spectabat decisio.

[351] 5 Febr. 1642.

[352] Quod clausuram omnes moniales subjiciantur indifferenter Episcopis, etiam illæ, quæ a regularibus regantur, prout Concil. Trid., sess. 25 *de Regul., et Monial.* « Verum jurisdictio circa clausuram (ait Mattheuc. *Offic. Cur. eccl.*, cap. 11, num. 1), monasteriorum regularibus subjectorum competit Episcopo cumulative cum superiori regulari, non autem privative adeo ut, et circa eam is possit opportuna statuere, ex decreto S. C. Concil. 1608, *ut in* lib. 11, *Decr. fol.* 31, et ex mox referenda Const. Alex. VII (*quæ incipit Felici*), sed juxta terminos a Sancta Sede eidem præfixos, et non aliter ; quia est certum, quoad hoc regularium jurisdictionem per decreta Apostolica esse restrictam, et limitatam, modumque superiori in locali monasteriorum, et monialium personali visitatione observandum, præfinitum, prout ex dicta Const. *Alex.* 156, *Bull.* tom. 5. « Deinde S. C. Concili sub *die* 11 *maii* 1669, approbante Clemente IX, Pont. Max., definivit. » Regulares cujuscumque ordinis, militiæ, societatis, congregationis, instituti, etiam de quibus specialis mentio foret habenda, qui ad monasteria monialium, quam ab Ordinarii jurisdictione quomodolibet exempta, ac etiam ipsis regularibus subjecta vel alias speciali mentione digna absque legitima facultate accedunt, colloquendo etiam per quodcumque temporis spatium, cum monialibus, aut aliis intra clausuram degentibus, peccare mortaliter, eosque sub excommunicationis, privationis vocis activæ, et passivæ, aliisque contra regulares, accedentes sine licentia ad monasteria monialium, statutis pœnis posse ab Ordinario tamquam Sedis Apostolicæ delegato coerceri rel. a Monacell. *Formul. Leg. pract. for. Eccl. de Append.*, part. prim.

tinere ad Episcopum in percussionibus gravibus tantum : *Ibid.*, *dub.* 16.

38. Sententiam insuper rogata S. C., an provincialis Carmelitarum clausuram visitans juxta Alexandrinam Constitutionem teneantur præventive Episcopum certiorem facere de die, et hora explendæ visitationis, et quomodo ille fieri certior debeat? rescribitur affirmative juxta decretum in Lycien.[353] : *Ibid.*, *dub.* 17.

39. Deinde firmatur, Episcopo licere in visitanda clausura stolam deferre, eique moniales parare stratum teneri, omnesque in ingressu obviam ire : *Ibid.*, *dub.* 18.

40. Episcopus toties, quoties expedire putaverit, potest, onerata conscientia ipsius, etiam inconsultis superioribus regularibus tam clausuram, quam cellas monialium in respicientibus eamdam clausuram visitare adhuc præcisive, tam a suspicione, quod violata illa fuerit, quam a quacumque superiorum regularium negligentia : *Ibid.*, *dub.* 19.

41. Dies et hora explendæ visitationis præfatæ clausuræ ab Episcopo monialibus significare ante accessum non debet : *Ibid. dub.* 20.

42. Et ejusdem clausuræ lustratio sine superiorum regularium, seu alicujus religiosi interventu fieri valeat ab Episcopo : *Ibid.*, *dub.* 21.

43. Ac præter inspectionem localem licitum est Episcopo visitationem personalem cujusvis monialis explere, illamque interrogare de attinentibus ad clausuram tam materialem, quam formalem : *Ibid.*, *dub.* 23.

44. Ac revisio rationum administrationis dicti monasterii facienda est ab Episcopo una cum superiore regulari, dum bona, et reditus per religiosum Carmelitam curantur : *Ibid. dub.* 23.

45. Et acta necessaria pro receptione puellarum tam pro educatione, quam pro earum ingressu, et professione facienda sunt in cancellaria Episcopi a quo copia danda est; ac ad eumdem spectat exploratio voluntatis earumdem puellarum : *Ibid.*, *dub.* 24.

46. Denique ab Episcopo est præstandus assensus alienationi bonorum monasterii, quæ fit vigore *Can.*, *Terrulas* [354] : *Ibid.*, *dub.* 26.

47. Episcopum Basileensem moniales, et monasterium Olsberg, quod abbati, et monasterio Luciscellæ olim, nunc monasterio Salemitano ordinis Cisterciensis est subjectum ad formam Constitutionum Apostolicarum, et præsertim Gregorii XV, et Clementis X, Pont. Max., visitare posse statuitur : *Basileen.*, 9 *febr.* 1754 *dub.* 12.

48. Episcopus Olomucii potest inhibere regularibus præsertim Cisterciensibus, et Benedictinis, quominus sine examine Ordinarii puellas ad habitum, et professionem in monasteriis eis subjectis admittant; et præcise, ne ad electionem abbatissarum exemptarum deveniatur, non significata Ordinario die electionis, qui Episcopus vel per se, vel per alium interesse, et præsidere tenetur : *Olomucen.*, *Jurisd.*, 7 *junii* 1755, *dub.* 9, confirmata 2 *aug. ejusd. anni.*

49. Necnon et ad eumdem Episcopum spectat rationes exigere ab administratoribus bonorum temporalium dictorum monasteriorum exemptorum monialium, et in administratores delinquentes animadvertere, illosque ad reliquatum solvendum cogere, et prohibere, ne dotes alienentur sine Indulto Pontificio, et Episcopi licentia : *Ibid.*, *dub.* 10, confirmata *ibid.*

50. Semper in monasterio sacrarum virginum nuncupato S. Mariæ de Valleviridi Episcopo præservata fuit juridictio tantum delegata, quæ de jure competit Episcopis in monasteriis exemptis, superiori regulari subjectis; inde ingentem passum est monasterium terræmotum; ita ut moniales novum in civitate Castri Veteris construere coactæ fuerint, quo transmigrarunt animo perseverandi in eadem regula, et instituto, ac retinendi antiqua privilegia, et exemptiones, non obstante mutatione situs necessitatis causa facta. Negat modo Episcopus exemptas unquam fuisse a jurisdictione Ordinarii moniales Castri Veteris, et in eas jurisdictionem ullam habuisse priorissam Messanensem, præterquam in levioribus instar abbatissæ localis. Sed S. C. exemptionem, qua jam monasterium gaudebat, vindicavit : *Hieracen.*, *Exempt.*, 6 *decem.* 1760, *dub.* 1.

§ V.

Monasterium monialium quoad puellarum receptionem, earumque dotem.

1. Interrogata S. C. an possint Cistercienses absque soluto examine Ordinarii puellas induere, et pariter ad professionem faciendam admittere? respondit negative : *Olomucen.*, *Jurisd.*, 11 *julii* 1665, *dub.* 11.

2. Dubio disceptate, an forma præscripta in Concilio provinciali primo Mediolanensi [355] circa examen puellarum, quæ religionem ingredi volunt,

[353] Vide num. 31, § 1, *Clausuræ*, 22 *sept.* 1742, *dub.* 5.

[354] Vide not. 227, verb. *Archipresbyter*, § V.

[355] Quod, S. Pio V, Pontifice, S. Carolus Borromeus Archiepiscopus habuit anno 1565. Hoc de puellis ad religionem admittendis verba faciens statuit, ne admittenda sit puella ad suscipiendam religionem, priusquam libero loco ab Episcopo, aut ab eo cui ipse id munus dele-

observari debeat privilegiis regularium non obstantibus? voluit S. C. observari debere, dummodo examen non differatur absque legitima causa cum superiore regulari communicanda : *Mediolanen.*, *junii* 1587, *dub.* 4.

3. Postulatur, *nel monasterio di qùesta terra sono solite allevarsi le figliuole di qualunque eta, si domanda se ancorche non escano mai se non una volta per sempre dal monastero possano nondimeno starvi quelle di piccola eta?* respondit S. C., posse in monasterio educationis etiam degere puellas, quæ minores sint novem annis, et majores 25, dummodo licentiam a Congregatione Concilii habeant : *Triventina, febr.* 1588, *dub.* 3.

4. Episcopus in monasteriis sibi subjectis per se ipsum, in his vero, quæ regularibus subsunt una cum eorum superioribus regularibus numerum constituat juxta decretum Concilii sess. 25, cap. 3, *de Regul.* [356], et S. Pii V, et Gregorii XIII Const. [357] : *Terraconen., febr.* 1590, *dub.* 7.

5. Intelligendum breve Gregorii, ut omnimoda receptio, etiam earum, quæ clausuram servare velint, prohibita censeatur : *Ibid.*, *dub.* 8.

6. Existimavit S. C. moniales ab Episcopo dumtaxat monendas esse, ne dotem ante professionem novitiæ accipiant, cum anathematis pœna id a Concilio prohibitum sit, cap. 16, sess. 25, *de Regul.* [358], et si nihilominus acceperint, contra eos procedat : *Mileten., febr.* 1590, *dub.* 4.

7. Puellæ in monasterio monialium professionis gratia receptæ, expleto probationis tempore debentur, si habiles fuerint ad profitendum admitti, vel de monasterio ejici : *Aquilana*, 5 *febr.* 1604, *dub.* 4.

8. Circa monialium numerum, vitam communem, et tenuitatem dotium, S. C. declarationem remisit ad S. C. negotiis Episcopor., et Regul. præpositam [359] : *Eugubina*, 12 *novemb.* 1533, *dub.* 2.

9. Ad dubium, an oblationes factæ novitiis ab earum consanguineis, et similibus occasione ingressus ad monasterium, si ante professionem emissam redierint ad seculum vel obierint, spectent ad monasteria, an ad ipsas novitias, vel earum hæredes? S. C. respondit spectare ad ipsas novitias, vel ad earum hæredes, deducto tamen victu, et vestitu, quatenus non fuerint monasterio soluti : *Perusina, Episcop.*, 2 *april.* 1630, *dub.* 3.

10. Episcopus exponens ex antiquissimo usu in monasterio monialium Cappucinarum eleemosynas dotales non restitui, vel noluerint professionem emittere, seu intra annum probationis obierint, supplicat pro sua instructione morem majorum sequens aperte significari, an id permittere possit, ex dicto antiquissimo usu? S. C. non posse, etiamsi adsit etiam immemorabilis consuetudo, declaravit : *Eugubina*, 26 *novem.* 1650.

11. Respondit S. C. ad Episcopum pertinere voluntatem virginum ad regularem habitum, aut ad professionem etiam in monasteriis exemptis admittendarum explorare : *Suessionen.*, 16 *sept.* 1662, *dub.* 12.

12. Excusso dubio, an in præscribendo monasteriis numero monialium juxta facultates cujuscumque monasterii sint computandæ omnes moniales existentes in monasteriis de tempore præfixionis numeri, et donec supersint moniales, quæ impleant præfixum numerum, non possint recipi aliæ moniales cum dote ordinaria, sed cum dote supernumeraria? remittitur ad S. C. Episcop. et regul. : *Urbinaten.*, *Visit. sacr. Limin.*, 10 *martii* 1663, *dub.* 14.

13. Posita recusatione monialium B. Mariæ Virginum Urbis exequutioni Brevis obtenti a Joanna Francisca de Musottis locus est, pro præstatione

gavit, puella secreto examinata, ac probata, facultatem suscipiendi in eo monasterio religionem scripto consequuta fuerit, consentiente etiam illius monasterii superiore. » *Acta Eccles. Mediolan.*, part. 1, *Concil. Prov.* 1, pag. 46, edit. *Bergomi*, anni 1737.

[356] In quo præcipitur, ut in monasteriis tam virorum, quam mulierum tot tantum recipiantur, quot aliunde sustentari possint ex reditibus propriis, vel ex consuetis eleemosynis. Quoad monasteria monialium accessit Constit. *S. Pii V, Circa*, 29 maii 1566 (*Bull. Rom.*, tom. IV, part. 2, pag. 292). Decernentis, idem servandum esse respectu monialium, etiam regularibus subjectarum. Illarum autem numerus ex Const. Greg. XIII *Deo sacris*, 30 decem. 1572 (*Bull. Rom.*, tom. IV, part. 3, pag. 244). Taxari debet ab Episcopo una cum superiore regulari ubi : « Quem (monialium nempe numerum) per se ipsos locorum Ordinarios etiam in monasteriis ab eorum cura, et regimine quomodocunque exemptis, cum illorum superiorum interventu stabiliri, et ordinari, neque supra illum numerum alias recipi posse, etiam de consensu superiorum suorum, volumus, et mandamus. »

[357] Vide notam præcedentem.

[358] Quo statuitur : « Sed neque ante professionem, excepto victu, et vestitu novitii, vel novitiæ illius temporis, quo in probatione est, quocumque prætextu a parentibus, vel propinquis, aut curatoribus ejus monasterio aliquid ex bonis ejusdem tribuatur; ne hac occasione discedere nequeat, quod totam, vel majorem partem substantiæ suæ monasterium possideat; nec facile, si discesserit, id recuperare possit : quin potius præcipit sancta Synodus sub anathematis pœna dantibus, et recipientibus, nec hoc ullo modo fiat; et ut abeuntibus ante professionem omnia restituantur, quæ sua erant. Quod ut recte fiat, Episcopus etiam per censuras ecclesiasticas, si opus fuerit, compellat. »

[359] Huic S. Congr. curæ est hujusmodi negotiis prospicere.

legati dotis relicti a Francisco Sirtolo, et ad effectum etiam suscipiendi habitum religiosum in alio monasterio, *dummodo suscipiat habitum in monasterio Virginum* : Nam dictus testator suis reditibus excipi in monasterio virginum Urbis puellam voluit, et moniales præfatam puellam inopem testatori consanguineam rejecerunt : *Romana*, *Subs. dot.*, 14 *januar.* 1708, confirmata 3 *martii ejusd. anni.*

14. Exequi non potuit pia dispositio Tiburtii Miliani, qui erectionem in urbe Asculi monasterii, ubi duodecim moniales gratuito recipi, relicta consanguineis nominatione, curare præcepit. Idcirco bona illius unita fuerunt monasterio S. Mariæ Virginis ejusdem civitatis, ut decem moniales reciperentur. Et hac de causa initam concordiam S. C. confirmavit. Modo vero consanguinei testatoris, et compatroni exorant, num locus sit in eodem monasterio numeri duodenarii receptioni ? S. C. factis prius investimentis esse locum respondit: *Asculana, Confir. concor.*, 7 *julii* 1708.

15. Ex hæreditariis reditibus legati Ivonis Cattoli, qui monasterii S. Quatuor moniales, ad hoc ut puellas Castri Nemoris reciperent, instituerat hæredes, scut. 50, prout statutum monasterii prædicti in aliarum puellarum admissionibus disponit, pro supellectilli cujuscumque puellæ suscipiendæ, detrahi debere statuitur : *Romana, Subs. dot.*, 27 *april.* 1709, *dub.* 2.

16. Maria Renson recepta fuit ad tirocinium in monasterio monialium Veteris Vineti ordinis Cisterciensis, et inde obtinuit nominationem ab Episcopo, et principe Leodii, qui ab immemorabili consuetudine jus habet nominandi occasione sui primi adventus ad gubernium diœcesis, et principatus puellam, quæ sine dote recipitur ; sed deficientibus diebus decem pro complemento anni probationis fuit eadem Maria a monasterio ejecta. Dissidium factum est hac de causa tam circa ejusdem ejectionis validitatem, quam circa ejus admissionem absque renovatione anni probationis, et absque solutione dotis ad professionem in monasterio supradicto ; S. C. protelavit decisionem, mandavitque, ut exquiratur ab Ordinario an factum fuerit scrutinium, et ad mentem [360] : *Leodien.*, *Eject. novit.*, 18 *martii* 1719, *dub.* 1 et 2.

17. Maria Urania Landi de Astancollis relicto hærede proprietario monasterio S. Mariæ Majoris Tuderti voluit, ut in eo puella nobilis, et pauper ejusdem urbis a filia nominanda susciperetur. Clara filia nulla facta valida nominatione oculos in mortem clausit ; et controversia de nominatione, fuit instituta. Episcopus refert Claram ante obitum unam ex filiabus Marci Antonii Leoni nobilis Tuderti se nominare declarasse ; sed dubiis examinatis, an legatum Mariæ Uraniæ deberetur Paulæ Leoni, seu jus nominandi ad id legatum spectaret ad monasterium S. Mariæ Majoris, vel ad ipsum Tuderti Episcopum ? Et quatenus debeatur Paulae Leoni, an ista emittere possit professionem in alio monasterio civitatis Tuderti, ubi æqualis, vel minor dos exigatur ? S. C. respondit, jus nominandi pertinere ad monasterium ; et monasterium deveniat ad electionem puellæ ad formam testamenti : *Tudertina Monacat.*, 17 *decem.* 1729. *dub.* 1 et 2.

18. Abbatibus Sanctissimi Salvatoris, et S. Spiritus, Galli ordinis Cassinensis puellas a monasterio monialium SS. Mariæ et Aureliani, et S. Mariæ Theodotæ capitulo admittere curare pro acceptione ad habitum antequam Episcopo illarum voluntas exploretur non licere decernitur : *Papien.*, 16 *martii* 1743, *dub.* 1.

19. Quumque expensum insuper fuisset, an prædicti abbates easdem puellas in præfatis monasteriis recipere possint, ad finem habitus assumptionis, et ut in eis morentur in habitu seculari per mensem, vel ad illud tempus etiam pro probanda illarum vera vocatione, vel pro quacumque alia causa absque licentia Sedis apostolicæ ? rescriptum fuit, quoad admissionem causa educationis non posse absque licentia Sedis apostolicæ ; quoad reliquos vero casus non posse absque licentia Episcopi : *Ibid.*, *dub.* 2,

20. Lælius Piissimus monasterio S. Catharinæ civitatis Maceratæ nonnulla bona sua legavit cum onere recipiendi tot nobiles quidem, sed pauperes puellas, quot essent scut. mille legata. Repudiavit hoc onerosum legatum dictum monasterium, sed recepit monasterium S. Claræ, hinc ab exequutore monialium recipiendarum numerus septem statutus est. Verum diminutis tam sorte, quam reditibus, moniales istæ supplicarunt, minui septenarium illum numerum, et obtinuerunt, addendo S. C. ad mentem [361] *Maceraten.*, 27 *junii* 1744.

21. Archiconfraternitas Sanctissimæ Annuntiatæ donavit archiconfraternitati catechumenorum domum in regione Campitelli, ut in ea erecto monasterio neophytarum tres puellæ a donatrice nominandæ reciperentur. Inde auctoritate Apostolica translato monasterio ad regionum montium, in ecclesia S. Blasii sub titulo Sanctissimæ Annunciatæ ;

[360] S. C. scire cupit, an pro admittenda dicta puella ad professionem factum fuerit scrutinium, et quatenus affirmative censuit esse transmittendum, quatenus factum non fuerit, faciendum ser. serv., et ad eamdem S. C. transmittendum : *Regit. Lit.*, lib. 25, *die* 18 *martii* 1719.

[361] Quæ fuit, ut Card. præfectus audito Episcopo statuat numerum monialium : *Ead. causa*, 27 *junii* 1744.

moniales die procedente præmisso scrutinio Margaritam Gubbiesi a dicta archiconfraternitate nominatam admittere abnuerunt; ob id S. C. consulta, rem ad Card. præfectum juxta mentem [362] remisit : *Romana, Juris nomin., et accept. puellas,* 28 *febr.* 1761. Postmodum frustra concordia proposita partes iterum S. C. petierunt, et dubio : An puellæ electæ ab archiconfraternitate enunciata ad formam instrumenti, et constitutionis debeant a prædictis monialibus suscipi absque ulteriori scrutinio capitulariter ab ipsis expleri solito in admittendis ceteris puellis ad habitum religiosum? Rescriptum fuit esse admittendas quoad receptionem ad habitum tantum : 29 *aug. ejusd. anni, dub.* 1, confirmata 30 *januar.* 1762.

22. Ad alterum quæsitum, an monasterium, et moniales supradictæ teneantur recipere puellam Margaritam Gubbiesi? respondit S. C., affirmative, et ad Card. præfectum juxta mentem [363] : *Ibid., dub.* 2, confirmata *ibid.*

23. Quamquam admissio puellarum Claræ et Constantiæ Barvich inter moniales S. Claræ civitatis Maceratæ nuncupatas Piissimas denegetur; quum præferendæ essent filiæ, et descendentes Petri Mariæ Piissimi quibus extraneas substituit juxta testamenti verba; tamen prædictæ, ut instent suis loco, et tempore S. C. edixit : *Maceraten.,* 29 *novem.* 1766.

24. Franciscus Fusconius monasterium S. Cosimatis Urbis in bonis substituit, ut duas pauperes puellas ad regularem professionem absque ulla dotis solutione reciperet. Pluribus gravata censibus reperta fuit hæreditas, et ære etiam gravata alieno. Hinc moniales istæ supplicarunt, ut suspensio oneris recipiendi, admittendique ad habitum duas pauperes puellas demanderetur, donec omnia hæreditatis debita dimitterentur, et monasterium expensarum omnium, quas ære proprio in lites erogavit, redintegrationem fuerit assequutum. Sed ad biennium tantum arbitrio Card. protectoris S. C. assensa est : *Romana,* 29 *aug.* 1772.

25. Marcus Antonius Freguglia Ferrariæ a descendentibus suis scriptis hæredibus dotes pauperibus, honestisque ejusdem civitatis puellis reliquit distribuendas. Pro cumulo una cum aliis consanguineis deprecata est Elisabeth Freguglia quinto sanguinis gradu a testatore dissita; et responsum tulit, ut suis tempore, et loco supplicaret. Iteravit preces suas pro cumulo, et obtinuit post tamen expletum cumulum aliarum dotium præcedenter promissarum. Modo ad ætatem religiosum habitum induendi pervenit, exoptavit proinde dispensationem dotem post annum solvendi. Monasterii divitiis, et choralium necessitate id suadentibus, S. C. indulsit : *Ferrarien., Subsid. dot.,* 15 *sept.* 1787, *dub.* 2.

26. Postulavitque quoque, quomodonam providendum sit quoad annuum livellum, sed æqualem non habuit exitum postulatio : *Ibid., dub.* 3.

Monasterium regularem. Vide *Regularium monasterium.*

Moniales quoad abbatissam. Vide *Abbatissa.*

MONIALES.

§ I.

Moniales quoad judicem conservatorem.

Excitata acris fuit lis jurisdictionalis inter moniales benedictinas SS. Antonii et Claræ, et promotorem fiscalem curiæ episcopalis ad instantiam parochi S. Mariæ de Mari, quia monialium capellanus non dubitavit ministrare sacramenta, assistere Franciscum Rocca pistorem, qui atrium muris circumdatum monasterii incolebat, ac ejusdem cadaver in ecclesia earum monialium inferri, quod sepulcro conditum fuit; qua de causa elegerunt dictæ moniales judicem conservatorem. At S. C. censuit non fuisse legitime in casu de quo agitur, expletam electionem prædicti judicis : *Barchinonen., Jur. par.,* 21 *januar.* 1713, *dub.* 4.

Moniales quoad beneficium restitutionis in integrum. Vide *Beneficium,* § II.

Moniales quoad professionem. Vide *Professio religiosa.*

[362] Et mens est, ut cum moniales recipere noluerint ad habitum recipere dictam Margaritam, deberent per easdem subministrari alimenta Margaritæ Gubbiesi correspondentia statuti ejusdem Margaritæ, et monasterio citato ad hoc ut ingredi possit in aliud monasterium : inhibitione interim facta archiconfraternitati instanti, ne deveniat ad nominationem tertiæ puellæ loco Margaritæ Gubbiesi ad ejus vitam : *Ead. causa, 4 decem.* 1762, § *Quibus.*

[363] Vide notam præcedentem.

§ II.

Moniales quoad regularium subjectionem.

1. Non curatores, seu protectores monasterii, et monialium S. Rategundæ civitatis Mediolani ordinis Cassinensis S. Benedicti intervenire valent, et præstare assensum et stipulatione cujuscumque contractus, sive instrumenti faciendi a dictis monialibus cumulative cum P. abbate monasterii S. Simpliciani illarum superiore; sed ipse P. abbas, vel ipsius delegati absque protectorum licentia privative intervenire stipulationi contractuum, consensumque præstare valent : *Mediolanen.*, 2 *junii* 1736, *dub.* 1.

2. Superioribus regularibus in spiritualibus, et temporalibus super monasteriis SS. Catharinæ martyris, et Senensis, necnon SS. Monicæ, et Rocchi, et signanter in procuranda recta administratione bonorum, et redituum monialium dictorum monasteriorum sibi subjectorum jurisdictionem competere non denegatur; ac propterea in casibus particularibus consuetudinem minime servandam esse, pariter additur : *Ferrarien.*, *Jurisd.*, 28 *septem.* 1754, *dub.* 1.

3. Vicarios præfatorum monasteriorum institutos per provincialem Lombardiæ, et respective per vicarium generalem Congregationis S. Sabinæ, et his impeditis, seu absentibus, eorumdem monasteriorum confessarios, intervenire posse quibuscumque contractibus eorumdem monasteriorum monialium nomine ineundis, hæsitatum minime fuit : *Ibid.*, *dub.* 2.

4. Eosdemque vicarios, et his, vel impeditis, vel absentibus, confessarios redditioni rationum, seu computorum recognitioni de trimestri in trimestre faciendæ assistere posse, et debere, firmatum est : *Ibid.*, *dub.* 21.

5. Provincialem utriusque Lombardiæ cui S. Catharinæ martyris, et S. Catharinæ Senensis monasteria subjecta sunt, et P. vicarium generalem S. Sabinæ, cui alia duo, nempe S. Rocchi, et S. Monicæ, quæ Ferrariæ extant monasteria subjecta sunt, posse, et debere visitare dicta monasteria circa administrationem bonorum, et redituum, et sic pariter revidere libros accepti, et expensi, ac rationum redditionem a ministris syndicis, aliisque eorumdem monasteriorum officialibus exigere quoque posse sancitum est : *Ibid.*, *dub.* 4.

6. Et Card. Archiepiscopus inconsulto superiore regulari, exigere, et recipere rationum redditionem a dictis ministris, et officialibus nequit : *Ibid.*, *dub.* 5.

7. Electionem cujuscumque novi ministri, et syndici in casu obitus, dimissionis officii, vel amotionis ad priorissam, et moniales Ferrarienses superioribus regularibus subjectas, cum interventu superioris regularis spectare ; ad Archiepiscopum vero expeditionem litterarum patentium, juxta solitum pertinere affirmatum, decisumque fuit : *Ibid.*, *dub.* 5.

8. Priorissam, et moniales monastoriorum Ferrariæ novo ministro, sive syndico in mandato procuræ facultates sibi benevisas tribuere, ac etiam alios procuratores ad certa nogotia constituere posse firmatur, sed cum interventu talem superioris regularis : *Ibid.*, *dub.* 10.

9. Quæcumque instrumenta stipulari debent coram priorissa, et monialibus capitulariter congregatis cum dicti superioris interventu : *Ibid.*, *dub.* 11.

10. In quibuslibet demum instrumentis, et scripturis ad dictam priorissam, et moniales pertimentibus, quibus interveniunt superior regularis et syndicus; non syndicus, sed superior ipse regularis prius prænominari, et subscribere debet : *Ibib.*, *dub.* 12.

§ III.

Moniales quoad renunciationem, et ultimam voluntatem.

1. S. C. negative respondit ad petitionem cujusdam monialis S. Claræ, quæ post demandatum in suo testamento, quod in seculo condiderat capellaniæ fundationem post suum obitum erigendæ, et ad quam suos vocaverat consanguineos, postulabat facultatem de iisdem bonis disponendi in favorem sui monasterii, sed in ea causa, oratrix ad mutationem dispositionis procedebat non tam ex amore erga suum monasterium quam ex odio concepto adversus consanguineos : *Toletana*, 7 *julii* 1668.

2. Concessit S. C. cuidam moniali, ut de certa quantitate disponeret, cujus dispositionem sibi reservaverat in testamento, quod fecerat ante professionem : *Limana*, *Facult. nomin.*, 27 *junii* 1699.

3. Renunciationes faciendæ a puellis novitiis in monasterio S. Catharinæ ordinis S. Benedicti terræ S. Victoriæ quod ex voto Rotæ jure delegato Archiepiscopus postest visitare quoad ea, quæ attinent ad conservationem, et restitutionem clausuræ, faciendæ sunt cum licentia Archiepiscopi Firmani, non autem abbatis Farfensis [564] : *Romana, seu Nullius Farfen.*, *Jurisd.*, 23 *julii* 1707.

[564] « Quia agebatur quidem de monasterio exempto, et subjecto Card. Abbati Farnesi, qui habet qualitatem vere

4. Moniali Mariæ Theresiæ Lopez Majo professæ in monasterio Commendatricium Calatravæ ordinis S. Benedicti civitatis Matriti impertita fuit facultas mutandi suam dispositionem factam, dum erat in tirocinio. Nam instituerat tres capellanias, ac jus nominandi reservaverat sibi, nonnullis consanguineis, et postea P. rectori collegii Societatis Jesu, modo optat jus nominandi deferre ad dicti monasterii abbatissam. Qua de causa S. C. addidit decreto verba *prævia renunciatione facienda per P. præpositum generalem : Tolentana*, 7 *maii* 1718.

5. Margarita Victoria Purarelli ingressa monasterium monialium ordinis Prædicatorum S. Catharinæ a Senis civitatis Camerini, et inter novitias admissa fuit. Ante ultimi bimestris tirocinii lapsum inter Urbanum patrem, et filiam Margaritam excitata quæstio fuit super reservatione livelli. Post dictos vero duos menses Urbanus autumavit factum fuisse locum tacitæ renunciationi idcirco ad examen posito dubio : an illa esset admittenda ad renunciandum? S. C. respondit, affirmative : *Camerinen., Renun.*, 2 *aug.* 1721.

§ IV.

Moniales quoad sacramenti Eucharistiæ sumptionem.

Praxis invaluit in monasteriis monialium civitatis Januæ tam subjectarum Ordinario, quam regularibus, ut nulla monialis sacramentum Eucharistiæ sumere valeat extra dies, quibus juxta Constitutiones moniales omnes corpus Christi sument, nisi accedat consensus capituli monasterii proindeque petenti frequentiorem cœlestem panem clausa est via. S. C. huic errori occurit decreto, nempe sacram Eucharistiam recipere de licencia confessarii ordinarii, et non directorum, certiore facto prius Prælato ordinario moniales debere, quæ sumere volunt præter dies statutos a constitutionibus, vel a consuetudine monasterii, ut in illis omnes moniales cibum celestem sumant : *Januen.*, 14 *april.* 1725, *dub.* 1.

§ V.

Moniales quoad translationem.

1. In summitate Montis Villæ de Alguayre jacet insigne monasterium monialium B. M. religioni Hierosolymitanæ subjectum. Causa repentinæ nonnullarum ædium partis depressionis, ruinam totum monasterium minatur. Sede episcopali vacante Fr. Felicianus Sayol ordinis dicti magni prioris Cathaluniæ, locumtenens easdem moniales absque ulla Ordinarii licentia, aut magni magistri, ad civitatem Barchinonis transtulit in domibus prioralibus, donec quassatum monasterium repararetur. Obloquentibus capitulo, et civitate Ilerdæ S. C. sancivit, translationem fuisse nullam, et scribi Nuntio apostolico pro deputatione Episcopi vicinioris, qui conficiat processum juxta instructionem [365], et interim moniales collocentur in uno, vel pluribus monasteriis Barchinonis, Episcopo benevisis, arbitrio S. C., et quoad censuras in quas incurrerunt, extrahentes consulant conscientiis suis : *Ilerden., Trans. monial.*, 20 *aug.* 1701, confirmata 3 *octob.* 1705, *dub.* 1.

2. Easdemque moniales restituendas esse ad antiquum monasterium, postquam fuerit reparatum, et Ordinarios Ilerdæ incumbat sollicite ejusdem reparatio cum præfixione congrui termini, necnon scribatur Episcopo Barchinonis, ut interim inhibeat, ne aliqua admittatur ad habitum, seu professionem in urbe Barchinonis : *Ibid., dub.* 2. Cumque ob temporum calamitates ædes B. M. V. *del Merli* refici nequivissent, moniales exorarunt. ut ad Urbem Ilerdæ ab Episcopo reciperentur. Moniales exauditæ fuerunt. Verum Episcopo Ilerdæ probante, nec antiquum monasterium reparari posse et consilium a se alias datum de reducendis ad clausuram ædibus *del Merli* executionem non pati, et moniales instare pro permanentia in urbe Barchinonæ, et pro facultate novas admittendi ad habitum. Quomodo sit providendum? quæsito, responsum est, ad Episcopum Barbastrensem pro informatione cum instructione [366] : 22 *junii* 1720. Reproposita causa,

nullius ; tamen quia tale monasterium erat in diœcesi Firmana, et in illud tantum exemptionem simplicem habebat dictus abbas, ut præventive fuit declaratum a Rota *in Firmana, Jurisd.*, 10 maii 1700, § 17, et seq. ,et 15 april. 1701, num. 5, coram D. Molines ; ideo non sufficit, quod habeat quis jurisdictionem episcopalem, nisi habeat eam in territorio, in quo monasterium extat. « Card. Petra : *Comment ad Const. I, Clem. IV*, sect. 11, num. 41, tom. 3, pag. 210.

[365] Nuntio igitur Apostolico in regno Hispaniarum degenti per litteras successive datas injunctum fuit, ut aliquem deputaret ex Episcopis vicinioribus, qui de statu monasterii tam circa necessitatem, facilitatemque receptationis, quam circa assertam aeris intemperiem, et aquæ carentiam diligenter inquireret ; et deputato ad id etiam de partium consensu Episcopo Barbastrensi, ipse duplicis generis peritos elegit, alios nimirum in arte medica, qui super aeris qualitate judicium suum interponerent, alios vero fabros murarios, et architectos, qui an monasterium esset habitabile, an reparatione indigeret, et demum an commode, et quo sumptu restaurari posset, distincte referrent. *Ead. causa*, 3 *octob.* 1705.

[366] Et instructio fuit redacta ad capita, quæ sequuntur. 1° Ut informaret, an moniales modo Barchinone degentes

et omnibus memoratæ instructionis capitibus, Episcopo satisfaciente, censuit S. C. scribendum Episcopis Barchinonis, et Ilerdæ, juxta instructionem, et interim pro facultate admittendi ad professionem quatuor novitias jam receptas, prævia tamen declaratione a dictis novitiis emittenda parendi mandatis S. C. quoad translationem : 2 *maii* 1722.

MONS FRUMENTARIUS.

1. S. C. scripsit Episcopo, quod pii montis frumentarii officiales præter mutuatam frumenti quantitatem nihil ulterius repetere possunt, nisi parvum aliquid, quod administratorum stipendiis, ceterisque ipsius Montis sumptibus juxta sacri Lateranensis Concilii decreta necessarium sit : *Sancti Angeli Lombardorum, seu Biscaciarum*, 1 *sept.* 1663.

2. In disceptationem fuerant antea vocata hæc dubia quoad montes frumentarios diœcesis Montis Falisci videlicet, an exactio dimidii starii pro quolibet rubro frumenti sit excessiva? et quatenus affirmative, an et ad quam quantitatem sit reducenda? et resoluta haud sunt; sed sub *die* 19 *julii* 1698 demandatum, ut firmetur status montis coram Card. Francisco Barberino auditis interesse habentibus. Hodie vero disquiritur an sit standum, vel recedendum a decisis circa exactionem usurarum pro monte frumentario ad formam bullæ Leonis X, Pont. Max. [367] ?

3. An salmæ tercentum, et ultra tritici existentis in monte frumentario Valentani proveniant ex usuris? et quatenus affirmative, quid circa illud statuendum? S. C. respondit ut concordetur factum coram Card. Barberino : *Montis Falisci, Montis frumen.*, 6 *octob.* 1703, *dub.* 1 et 2. Deinde ad 1^um^ rescripsit *in decisis*, ad 2^um^ pro erectione novi montis frumentarii in salmis 300 circiter sub administratione Card. Episcopi [368] : 1 *martii* 1704.

4. Card. Joannes Baptista de Luca ducatos mille reliquit erogari emptionem frumenti distribuendi in mutuum gratuitum agricolis pro semine. De hac partitione Episcopus decreta edidit; hinc et ad truinam posito, an et in qua parte decretum Episcopi super monte frumentario sit exequendum? rescripsit S. C.

commodam habeant habitationem, et decentem ecclesiam, et an utraque saltem sit reaptabilis ad formam veri monasterii, et ecclesiæ. 2° An practicabilis sit modus alius propositus ab Episcopo Ilerdensi transferendi moniales ad ædes *del Merlí*. 3° An, et cum qua impensa antiquum monasterium valeat restaurari, et an restaurationi regii obstent ministri. 4° Quot sint de præsenti moniales, et an aliquæ post S. C. prohibitionem fuerint admissæ ad professionem, et an major, vel minor pars sit illa, quæ exoptat permanentiam in civitate Barchinonensi. 5o An in hypotesi, in qua monialibus permitteretur permanentia in civitate Barchinonensi, posset recte adimpleri administratio bonorum ad monasterium pertinentium, et in diœcesi Ilerdensi existentium. 6° Demum, et ultimo, an magis expediat pro bono monasterii, et instituti regularis, quod moniales permaneant in civitate Barchinonensi, vel quod transferantur ad ædes *del Merli*, seu potius quod antiquum monasterium restauretur : *Ibid., sub. die* 2 *maii* 1722, § *Putabatur*.

[367] Quæ incipit *Inter multiplices*, 4 maii 1515, *Bull. Rom. Cherubini Const.* 11, cujus vigore Sum. Pontifex in Concilio generali Lateranensi V definivit, licitum esse aliquid supra sortem mutuatam pecuniam egenis institutis, hac tamen lege : « Sacro approbante Concilio declaramus, et definimus, montes pietatis antedictos per respublicas institutos, et auctoritate Sedis Apostolicæ hactenus probatos, et confirmatos, in quibus pro eorum impensis, et indemnitate, aliquid moderatum ad solas ministrorum impensas, et aliarum rerum ad illorum conservationem, ut præferetur, pertinentium, pro eorum indemnitate dumtaxat ultra sortem, absque lucro eorumdem montium, recipitur, neque speciem mali præferre, nec peccandi incentivum præstare neque ullo pacto improbari, quinimo meritorium esse, ac laudari, et probari debere tale mutuum, et minime usurarium putari, licereque illorum pietatem, et misericordiam populis prædicare, etiam cum indulgentiis a Sancta Sede apostolica eam ob causam concessis. Ac deinceps alios etiam similes montes cum Apostolicæ Sedis, approbatione exigi posse. Multo tamen perfectius, multoque sanctius fore, si omnino tales Montes gratuiti constituerentur, hoc est, si illos erigentes, aliquos census assignarent, quibus si non omni, saltem vel media ex parte hujusmodi montium ministrorum solverentur impensæ, ut ad leviorem æris solvendi portionem, medio hoc, pauperes gravari contingat, ad quos cum hujusmodi census assignatione, pro impensarum supportatione erigendos, Christifideles majoribus indulgentiis invitandos esse, decernimus. »

[368] « Ex qua resolutione percipitur, quod S. Congr. sequuta est opinionem comituli *Respons. moral.*, lib. 3, quæst. 35, ubi tenet, quod ex frumento montis accreto ab usuris, possit exigi novus mons in beneficium pauperum, ubi non constat, et incertum est cui si facienda restitutio prout erat in casu : nam tunc cum intret regula de restitutione incertorum, ut in terminis usurarum montium docet Bonac. *de Contract.*, disput. 3, quæst. 3, punct. 12, num. 7, pauperibus distribuendum erat, *ut dixi supra ad form.* 18, § *Et receptas restituerit.* » Monacell. *Formul. legal. pract. for. Eccl.*, part. 3, tit. for. 25, num. 9, seq.

servandam esse Bullam Leonis X, Pont. Max. [369]: *Venusina, Leg.*, 16 *novem.* 1704, *dub.* 5.

5. Sodales societatis Mortis Lanciani absque Archiepiscopi licentia montem frumentarium erigere, et de illo ad libitum disponere nequeunt: *Lancianen., Confrat.*, 20 *sept.* 1710, *dub.* 8.

6. Ne caritas annonæ ex incultis agris originem duceret, neve ii, quibus res domi esset angusta, fame perirent, sodalitium Sanctissimi Sacramenti in ecclesia collegiata S. Michaelis Archangeli existens statuit, horreum ædemque cerealem certis legibus constituere. Horreum absque pensione et rubra frumenti tria dedit sodalitium; pro ceteris suam contribuere partem. Placuit ei vero e numero dispensatorum frumenti excludere, qui nil frumenti contulissent. Triginta septem familiæ contulerunt, et his omnibus jus coeundi, suffragia ferendi, munera exercendi datum est. Leges probavit Card. Barberinus abbatiæ Farfensis commendatarius abbas, et inter has leges reperitur, etiam adjectum, ut prior præfatæ congregationis possit, debeatque, si legitime impeditus non fuerit, in numerum congregationemve intervenire. Quum vero deliberandum esset, an certa frumenti quantitas præstanda esset, ut turris ædificari posset in ecclesia S. Michaelis, quæstio facta fuit de numerariis, qui suffragium ferre debeant. Congruo hinc prolato dubio resolutum primum fuit, quod prior societatis Sanctissimi Sacramenti advocari, et intervenire debeat in Congregationes omnes interesse montis frumentarii a societate ipsa erecti respicientes: *Nullius, seu Farfen., Mont. frum.*, 19 *sept.* 1744, *dub.* 1.

7. Declaratum deinde est ut quolibet anno eligendus sit cancellarius præfati montis, salva tamen facultate eumdem confirmandi; et quod ad tale officium exercendum arbitrio numerariorum, et per secreta suffragia eligendum sit alter ex dictæ Congregationis confratribus: *Ibid. dub.* 2.

8. Statutum vero fuit ut in locum familiarum extinctarum, quæ inter numerantes ejusdem montis adscriptæ reperiebantur, subrogari minime totidem ex Congregationis prædictæ confratribus: *Ibid., dub.* 3.

9. Necnon Constitutiones ab initio peractas pro bono regimine dicti montis recte factas fuisse, ita ut observandæ quoque sint, decisum fuit: *Ibid., dub.* 4.

10. Quæsita demum definitio, in quas pœnas earumdem Constitutionum transgressores incident? remissa vero fuit ad Card. Ordinarium juxta constitutiones: *Ibid., dub.* 5.

11. Paulus Parca terræ Jovii instituta hærede Archiconfraternitate XII Apostolorum Urbis jussit, ut ex suis reditibus empto frumento mons frumentarius in sua patria erigeretur, voluitque etiam, ut in illius incrementum hæres rubrum unum quotannis emeret. A duce Mattei Feudi Jovii Dominus obtenta fuit a Summo Pontifice facultas, ut summa, quæ debebatur monti, quæque supererat ultra 28, rubrorum sortem, erogaretur pro nova construenda parochiali ecclesia, quæ erat angusta nimis, et fatiscebat; ex hoc dissidium ortum est, an rubrum illud ab hærede singulis annis post erectionem emptum dici debeat sors? id firmat hæres, negat dux Jovii. Verum S. C. utrumque concordans resolvit, sortem seu capitale montis frumentarii Parca consistere debere in rubris 28, emptis in ejus erectione, et quo vero ad frumentum ab hærede datum, et mutuatum non esse in sorte computandum usque ad tempus obtentæ gratiæ: *Amerina*, 28 *januar.* 1747.

12. Card. Tanarius montem Urbini frumentarium instituit, auxitque Clem. XI, Pont. Max., et jussit, ut ea comparati frumenti quantitas nunquam decresceret, neque ex naturali restitutionis incremento cresceret; sed id annonæ beneficio esset addendum. Frumentum paulatim lolio, avena, paleis, ac zizania magno, et colonorum, et boni publici detrimento intermixtum repertum est; ideoque Præses decrevit, ut administrator nonnisi cribratum a debitoribus reciperet, licet immundum illi tradidissent, ita tamen ut deinceps nonnisi expurgatum mutuo daretur, et tale etiam mutuatarii redderent. Archiepiscopus vero in visitatione decrevit, ut lucrum pauperum mutuatariorum injuria a monte ipso perceptum peritorum judicio taxandum iisdem eorumve hæredibus restitueretur. Quid ageret incertus administrator, duobus his inter se pugnantibus decretis, oraculum audiri resolvit S. C. quæ dixit ad mentem: *Urbinaten.*, 2 *decem.* 1752, *dub.* 1 et 2.

MONS PIETATIS.

1 Approbandum esse montem pietatis S. C. deliberavit hisce mutationibus. Primo ubi dicitur solvendas esse pensiones pecuniarum, ut solvantur ad rationem trium pro quolibet centenario pro conservatione ministrorum dicti loci. Secundo in dispositione, ubi dicitur, quod qui pignora post mensem

[369] Vide not. 367, præcedentem.

recuperare nollent, omnes fructus mensis inchoacti solvere teneantur, etiamsi duo, vel tres tantum dies effluxerint, ita aptetur, ut qui post mensem recuperant, fructus pro rata temporis solvere teneantur. Tertio, ubi decernitur, ut oppignorantes res quæ usu consumentur, seu menses tantum habeant ad eas recuperandas, aptetur, ut habeant spatium unius anni. Quarto, ubi cavetur, ut qui pignus rei subhastate dederit, illud intra octo dies recuperet alioquin ad montem pertineat, possitque vendi, absque eo quod pecunia pretium debitum excedens restituatur; ita immutanda esse, ut pignus vendi possit, retenta quantitate monti debita, reliquum domino pignoris restituatur. Quinto, ubi dicitur, ut eo die, quo montis pignora hasta posita vendantur nullus alius bona mobilia vendere possit, sublato verbo vendere, reponatur sub hasta vendere : *Avenionen.*, 26 *maii* 1612.

2. S. C. censuit Episcopum posse pro bono regimine montis pietatis decreta ipsius confirmare, reformare, et augere non tam in visitatione, quam extra, et sibi reservare facultatem hujusmodi decreta reformandi, moderandi, et augendi, prout sibi videbitur, et placuerit : *Ravennaten.*, *montis Piet.*, 2 *decem.* 1617.

3. S. C. permisit interesse ad tria pro quolibet centenario, dummodo non excedant expensas necessarias dicti montis erigendi. In reliquis servet decretum alias factum : *Tridentina*, 17 *aug.* 1626.

4. Censuit gratiam esse concedendam ad rationem trium pro quolibet centenario, si hujusmodi quantitas sit necessaria pro ministrorum salario, et aliis expensis subeundis, nisi aliter Sanctissimo Domino Nostro placuerit : *Theatina*, 5 *junii* 1627.

5. Existimavit S. C. Episcopo curæ esse debere, ne fœnus, quod præter sortem recipietur, rationem pro ministrorum salario, pignorum custodia ceterisque montis expensis subeundis vere necessariam, seu ex privilegio Sedis apostolicæ in erectione ipsius montis concesso forsam permissam ullo modo excedat, super quo privilegio, quatenus adsit S. C. edocere debere : *Eugubina*, 12 *novem.* 1633, *dub.* 6.

6. Archiepiscopo Neapolitano S. C. scripsit loca pia, et sacras ædes, quæ deposita retinent, dum mutuant indigentibus pecunias, accepto pignore, non posse quidquam a mutuariis, nisi ex Sedis apostolicæ dispensatione, accipere : *Neapolitana*, 7 *febr.* 1637, *dub.* 2.

7. Episcopus commonere debet ministros montis pietatis Rodigii existentis non posse absque usurariæ pravitatis latæ nota pro pecuniis depositatis, seu pignoribus præter sortem aliquid sine Sedis apostolicæ dispensatione solvere, aut percipere, et ideo eos in publicum peccatum incidisse : *Adrien.*, 14 *martii* 1637, *dub.* 4.

8. Constituitur, non posse permitti ultra tria pro centenario, et nisi cum clausula, si dicta summa sit necessaria pro ministrorum salario, et aliis expensis montis subeundis : *Mutinen.*, *de Finali*, 22 *aug.* 1637.

9. S. C. quoad præfiniendam quantitatem fœnoris, et habendam rationem de impensis ministrorum, et montis respondit de directo obstare bullam Leonis X, Pont. Max., in Concilio Lateranensi [370], a qua recedendum non videtur : *Luceorien.*, *Mont. piet.*, 27 *maii* 1645.

10. Ordines emanati inspecta præsidentium negligentia a vicario generali Fori Cornelii super observantia capitulorum 19, 24, 25 et 28 [371]. Sacri montis pietatis terræ Lugi sunt servandi quoad eleemosynas faciendas ex usuris; et in reliquis dilata : *Imolen.*, 20 *decem.* 1704, *dub.* 1.

11. Præceptumque pœnale evulgatum contra præsidentem assistentem pro convocatione Congregationis ejusdem montis ad effectum recognoscendi, et moderandi distributionem eleemosynarum, est exequendum : *Ibid.*, *dub.* 2.

12. Quum vero nonnulla quoad eleemosynas ex residuali pretio pignorum et ex fructibus bonorum ipsius montis faciendas, ac quoad rationem factoris ruralis toti montis congregationi reddendam indecisa remansissent; hinc ad dubia, an ordines dati a prædicto vicario generali, et præceptum ab eo transmissum præsidenti assistenti montis pietatis sint servandi, et respective servandi etiam quoad eleemosynas faciendas ex pretio residuali pignorum, et ex fructibus bonorum dicti montis.

13. An dicti Ordines sint servandi quoad Congregationem convocandam quoties opus fuerit, et quoad redditionem rationis faciendam a factore rurali? Ad 1[um] non esse erogandum in eleemosynam

[370] Vide not. 367, præcedentem.

Mons pauperum, *Mons pietatis.*

[371] Per easdem Constitutiones inter cetera in cap. 19, 20 et 28 disponitur, quod quidquid titulo usuræ pro pignorum custodia eidem monti tradi solet, et quidquid ex pretio ipsorum pignorum venditorum intra certum tempus a dominis non exactum superest, detractis ministrorum salariis, aliisque necessariis expensis pro eleemosyna pauperibus distribuatur, quodque hujusmodi distributio in die mercurii majoris hebdomadæ, et in pervigilio Sanctissimæ Nativitatis Domini Nostri fieri debeat juxta modum, et formam, quæ a prædicta Congregatione magis proficua judicabitur, sicuti etiam in cap. 24 præscribitur, ut ubicumque opus fuerit, congregatio in ædibus montis convocetur, et in cap. 25, ut rationes factoris ruralis in eadem Congregatione revideantur, et approbentur : » *Ibid.*, *sub die* 20 *decem.* 1704.

pretium residuale pignorum ; sed remanere debere in creditum dominorum, sicuti etiam fructus bonorum, qui debeant investiri, respondit ; et ad 2 affirmative : *Imolen.*, *Præcept.*, 28 *martii* 1705, *dub.* 1 et 2.

14. Honuphrius Petrus Blasius donavit omnia sua bona societati Sanctissimi Sacramenti oppidi Stronconi, ut in eodem loco mons pecuniarius in favorem pauperum erigeretur. Hæc erectio peracta fuit. Episcopus pro recto ejusdem gubernio statutis conditis, ac in omnibus præservata S. C. fuit auctoritas ; hinc expositum fuit, an montis pecuniarii erectio sustineatur ?

15. An destinatio sortis tam pro dote, quam pro mercede ministrorum utriusque montis aliisque necessariis expensis sustineatur ?

16. An, et quæ statuta sint approbanda, et quomodo ? S. C. respondit in omnibus juxta votum Card. Pici [372] : *Narnien.*, *Erect. montis*, 26 *januar.* 1715, *dub.* 1, 2 et 3.

17. Ad sublevandas pauperum indigentias, quibus diœcesis scatet, administri sacri montis pietatis supplicarunt pro facultate accipiendi summam duplarum 6000 ad rationem inter usurii trium pro centenario, et exigendi a pignorantibus ad rationem quinque, cujusmodi indultum relatum fuit a S. C. anno 1692 in scut. 3000 jam restitutis. S. C. annuit pro scut. 3000 ad formam prioris indulti, veris existentibus narratis, præsertim quoad restituta scut. 3000 alias accepta. Modo instaurant preces pro ampliatione gratiæ in summa duplarum 6000, et S. C. esse annuendum pro scut. 6000 tantum : *Casalen.*, *Montis pietat.*, 7 *julii* 1708. At hæ facultates non fuerunt sufficientes, ut pauperum indigentia occurreretur, hinc exorant pro licentia accipiendi duplas decem mille ad rationem trium pro centenario, et quinque exigendi a pignorantibus ; S. C. annuit pro aliis scutis 6000 cum iisdem cautellis, et conditionibus appositis in præcedentibus concessionibus, et ad mentem [373] : 12 *martii* 1718.

18. Pro bono montis pietatis Bononiensis regimine conditum jam reperitur statutum, cujus vigore uno eodemque tempore inter duodecim præsidentes seu administratores admitti non possunt duo ejusdem familiæ, atque cognominis ; et a ministeriis subalternis exclusi sunt debitores præfati montis. Anno demum 1702 additum fuit, ut nimirum a præsidentia remanerent exclusi consanguinei, et affines debitorum in infinitum. Inde occasione exclusionis a præsidentia marchionis Joan. Pauli de Populis, quia marchio de Albergatis, qui est montis debitor, filiam suam habet in uxorem, disputatum fuit illud statutum, an esset reformandum, seu observandum ? S. C. observandum est juxta modum : *Bononien.*, 1 *sept.* 1725.

19. Pietatis montem Camerini erexit Franciscus Scacchi, proque illius fundo valorem 2500 scut. assignavit. Legem fecit, ne pauperes illum solverent pro pignorum interesse. Illius voluntatis exequutores exposuerunt duos adesse Camerini montes congrua sorte provisos, qui tamen ex quolibet pignore pro ministrorum stipendio detrahere solent obolos duos in singula scuta ; ac proinde proponebat satius fore, si dicta scuta 2500 investirentur, sub lege, quod annuus eorum fructus assignaretur pro ministrorum erectorum montium stipendio, sed necessaria commutatio voluntatis erat. S. C. non dubitavit respondere, consulendum esse Sanctissimum pro petita applicatione montibus jam erectis, ita tamen, ut exemptio a solutione duorum obolorum pro quolibet scuto tantum pro pignoribus non excedentibus scuta 10 : *Camerinen. et Fabrianen.*, *Commut. volunt.*, 24 *sept.* 1735, *dub.* 1.

20. Marchio Julius Gonzaga montem pietatis Mantuæ substituit hæredibus, ut illius administratores hæreditatis fructus erogarent in honestis Deo, seculoque nubendis puellis, in celebratione Missarum, ædificandis ecclesiis et monasteriis, et in aliis peragendis piis operibus. Facto substitutioni loco, præsides montis exposuerunt, eumdem incuria et mala antecessorum administratione esse ære alieno gravatum illiusque manutentioni aliter provideri non posse, quam si medietas delatæ hæreditatis in æris alieni extinctionem erogetur ; idcirco aucupati sunt facultatem id peragendi. S. C. consulendum esse Sanctissimum pro hac voluntatis commutatione juxta votum Card. relatoris [374] : *Mantuana*, 12 *maii* 1736.

21. Denegata a S. C. applicatione pro fabrica

[372] « Proindeque tam dicti montis erectionem, quam dotis assignationem censuit sustineri, ac præinserta statuta per dictum Card. Picum subinde revisa, et reformata benigne approbavit, et respective confirmavit. » *Lib.* 65 *Decret.*, fol. 31.

[373] « Proindeque inspecta relatione Episcopi Casalen., eisdem benigne commisit, ut veris facultatem supradictam recipiendi alia scuta sexmille ad rationem interusurii scutorum trium pro quolibet centenario, et anno et exigendi a pignorantibus ad rationem quinque pro suo arbitrio, etc. oratoribus gratis impertiatur. Ita tamen, ut eadem summa recipienda intra sexennium a die receptionis decurrendum restituatur : » *Lib. Decret.* 68, fol. 86.

[374] In quo ita concludit : « Hæc sunt quæ rectissimo EE. VV. judicio expendenda credidi, dum determinationem illam, an sit commutanda testatoris voluntas, hujus sacræ Congregationis declarationi relinquo. Hoc solum addito, quod quatenus putent EE. VV. locum esse voluntatis commutationi quoad petitam facultatem alienandi medietatem hæreditatis supradictæ ad effectum erogandi pecunias re-

novæ cathedralis bonorum, et multiplici canonici Ulissis, qui novum montem pietatis Maceratæ erigi mandaverat, spectata indigentia, qua pauperes civitatis prædictæ premuntur, obtinendi montem pietatis ad necessitatibus occurrendum, quod ab altero monte tenuissimæ dotis, sperare pauperes non valent; S. C. mandavit novi montis pietatis erectionem : *Maceraten., Applicat.*, 20 *decem.* 1760.

22. In civitate Arimini sacer adest mons pietatis, qui duodecim vivorum a communitate selectorum præest congregatio. Hujus moderatores rectorem confirmabant ad libitum, unde non modica loco pio evenere damna. S. C. Card. de Via tunc Episcopo mandavit, ut sub pœna nullitatis rectoris confirmationem ultra triennium interdiceret. Prætendit nunc Congregatio sibi benemerentem licere confirmare rectorem, neque ei obstare debere decretum Card. de Via. Sed hoc obstare decretum S. C. censuit, neque propterea ad confirmationem rectoris post triennium procedere decemviralem congregationem posse : *Ariminen.*, *Montis piet. sup. confir. rect.*, 20 *aug.* 1768.

23. Ad ultimam inopiam devenit mons pietatis Consolini Perusiæ civitatis, ita ut indultum temporarium obtentum fuit Apostolicum exigendi scut. tria pro quolibet centenario, sed indulto expirato, et ejusdem prorogatio perpetua fuit quæsita, et S. C. rescripsit dilata, et prævia firmatione status, ac redituum montis, Episcopus cogat ministros ad reddi-tionem rationis, non retardata interim per modum provisionis exactione ad rationem scut. trium pro centenario et ad secret. juxta mentem [375] : *Perusina, Montis piet.*, 20 *april.* 1771. Deinde annuit pro indulto ad decennium facto verbo cum Sanctissimo, et Episcopus incumbat investimento faciendo : 11 *januar.* 1772. Decennio transacto ex usuris oppignorantium aucta non fuit sors usque ad summam, quam mons in actu erectionis habebat, inde alia prorogatio postulata est, et S. C. concessit ad aliud decennium, et ut scribatur Episcopo quod anno quolibet investiatur summa, quæ annuatim supererit, necnon referat de annuo reditu alterius montis pietatis : 14 *decem.* 1782. Denique eisdem semper stantibus causis ejusdem montis rectoribus prorogatur indultum, usque dum redintegrata fuerit primæva dos montis in summa scut. 14000, et Episcopus invigilet pro omnimoda exequutione qua sequuta S. C. certiorem faciat : 11 *maii* 1793.

24. Pro meliori Beneventani montis regimine Card. Archiepiscopus charitate motus pauperum erga regulas edidit viginti duobus capitibus comprehensas. Has modo cupit, apostolica auctoritate firmari; et huic S. C. adprobandis, et disquirendis regulis delegatis, resolutio non exiit, nisi quoad usuras ad rationem quatuor pro centenario, et fuit negativa, in reliquis particulariter videri : *Beneventana*, 8 *april.* 1786.

MOZZETTA.

1. Quæstione præter alias, quoad usum mozzettæ protopapæ, seu primi presbyteri oppidi S. Christianæ facta S. C. voluit, ut coadjuventur probationes, præfixo termino sex mensium, et interim in dicto usu nulla ei molestia exhibeatur : *die* 17 *novem.* 1723. Deinde non competere eidem usum Mozzettæ decidit : *Oppiden.*, 23 *sept.* 1747, *dub.* 1.

2. Dignitatibus collegiatæ ecclesiæ terræ Galatonæ B. M. V. in Cœlum Assumptæ dicatæ violaceas deferre mozzettas, neque portionariis subobscuras non licere decernitur. Asserebatur enim sine indulto detulisse illos, qui tuebantur immemorabilem consuetudinem, quam sufficere innuebant : *Neritonen, Plur.*, 7 *junii* 1760, *dub.* 14.

Mulier quoad matrimonium. Vide *Matrimonium; Sponsalia.*

Mulcta. Vide *Pœna*, § III.

Multiplicum. Vide *Bona ecclesiastica*, § VII; *Fructus*, § II.

Munera. Munia. Vide *Capitulum ecclesiasticum*, § VI; *Regulares*, § IV.

trahendas in satisfactionem creditorum montis, id primo fiat cum pecuniis exigendis a debitoribus hæreditatis cum pretio retrahendo ex argentis, et mobilibus omnibus ac solum pro eo, quod deficit ad constituendam medietatem hæreditatis, alienentur stabilia, seu credita fructifera; secundo, quod pecuniæ erogentur in satisfactionem creditorum montis ad formam imperialis rescripti, hoc est illorum creditorum, qui sunt pauperes, et indigentes cum cessione jurium in favorem dictæ hæreditatis : ac tertio, quod ex pecuniis, et creditis per montem exigendis primo loco reintegrari debeat hæreditas prædicta, ut innuit quoque Ordinarius. » *Sub die* 12 *maii* 1736, § *Rogatus.*

[375] « Mens est, ut nomine S. C. injungatur Episcopo sollicita demandati muneris executio, ne res tam gravis diutius in ancipiti versaretur » *Ead. causa*, 14 *dec.* 1771, § *Preces.*

MUSICA.

1. Joan. Andreas Castellanus Domui Lauretanæ nationis Picenæ in Urbe omnia sua bona donavit, jussitque Missarum celebrationem, dotium distributionem, ac alumnorum manutentionem ; atque ex dictæ hæreditatis fructibus impendi etiam scut. 75, pro cantu in die festivitatis Translationis Domus mos fuit. Hoc onus delere modo ecclesiæ student deputati, necnon aliorum onerum reductionem, ob hæreditatis impares reditus consequi. S. C. respondit delendas esse omnes musicas, et in reliquis ad Card. præfectum juxta mentem : *Romana, Red. oner.*, 3 *dec.* 1729. Eo sublato onere ecclesiæ gubernatores reditus adhuc impares esse exponunt, iterumque de reliquis oneribus liberari postulant, sed satis provisum S. C. rescripsit : 28 *febr.* 1733.

2. Franciscus Ubaldus Trombetti donavit prædium ecclesiæ, et patribus Oratorii S. Philippi Nerii, ea lege, ut musicum eligerent ad eorum nutum amovibilem, qui annuos fructus prædii ab eodem administrati perciperet, ac in oratorio canere deberet. Petrus Peruginus musicus electus mortuo donatario prædium neglexit ; ita ut fructus pro medietate imminuti fuerint. Patres Oratorii illum amovere curarunt ; et S. C. consulta censuit esse locum remotioni Petri Perugini ab officio canendi, necnon a prædicti prædii administratione : *Eugubina*, 30 *julii* 1735, *dub.* 1.

3. Ac etiam statuit esse consulendum Sanctissimum pro commutatione voluntatis : *Ibid., dub.* 2.

4. Ita ut in posterum administratio prædicti prædii penes ecclesiam, et patres dicti Oratorii, esse debeat : *Ibid., dub.* 3.

5. Patres prædicti erogare cupiebant fructus prædii illius in stipendium alterius musici conventa mercede, et si fructus præter statutam mercedem superessent, eos erogare in beneficium ecclesiæ musico consentiente. S. C. jussit, omnes reditus expendendos esse pro musica ecclesiæ, et oratorii : *Ibid., dub.* 4.

6. Xaverius Felci vicarius perpetuus curatus in ecclesia cathedrali musicos faciebat modos, quin ullum parochi munus detrimentum caperet. Sed inter eum, et novum mansionarium Nicolaum Vignola musicam artem callentem de præferentia lis orta est. Episcopus mandavit, ut Xaverius in numero musicorum admitteretur, exerceretque in cathedrali musicam, et ei præcepit, ut se abstineret musicam in aliis ecclesiis agere. Hoc displicuit vicario Felci, et proponi conatus est, ut definiretur, num sibi musicam organicam in eadem ecclesia cathedrali exercere posset? sed non posse, et ad mentem S. C. respondit : *Asculana, Vicar. perp., et Exer. mus.*, 24 *august.* 1748, *dub.* 1.

7. Jacobus Antonius Paltrius canonicus, et cantor ecclesiæ cathedralis scut. 3450 in extruendo organo ejusdem ecclesiæ erogavit, inde testamento legavit annuos numeros argenteos philippos biscentum pro salario electorum musicorum ; quin imo nonnullos census assignavit pro musica, et onus supplendi hæreditati adjecit, si illi deficerent. Majori hodie mercede conducendi sunt musici, ac propterea capitulum postulat incrementum in summa 300 philipporum, et obtinuit durante indigentia arbitrio Episcopi : *Casalen.*, 11 *martii* 1752.

8. Canonicus collegiatæ ecclesiæ S. Agathæ terræ Proxeudi Joan. Baptista Petacci munus organistæ cum stipendio scut. 25 a communitate, et a societatibus oppidi præstandum exercebat. Ceteri collegæ satagerunt, ut illi prohibeatur absentia chori pulsandi organum causa, ne ecclesiæ ministri defecerint. Meruerunt voti compotes fieri canonici, quum canonicus organista ad interveniendum choro fuerit a S. C. adstrictus ; neque ei tempore divinorum officiorum permittendam esse pro servitio ecclesiæ præsentiam in organo : *Ferentina*, 7 *junii* 1760, *dub.* 1.

9. Joannes Andreas Mellini perpetuam in ecclesia cathedrali fundavit capellaniam. Onus capellano injunxit pulsandi organum, quoties opus esset. Defuncto fundatore capitulum supplicavit, ut commutata istius voluntate capellæ musicorum præfatæ capellaniæ dos adplicaretur. S. C. vero juxta Episcopi votum [376] respondit. *Asten.*, 14 *maii* 1763.

10. Ad augendum Deiparæ cultum marchio Hugo de Pepolis reditus sodalibus Sanctissimi Rosarii as-

[376] Qui favet applicationi petitæ in favorem capellæ musicorum ; quoniam « ex reditibus (inquit) præfatæ dotis redigi potest stipendium competens, quo sacerdos aliquis mansionarius in arte pulsandi organum peritus ad nutum capituli amovibilis mancipetur, ac servitio altaris, et chori, necnon dicti officii musicorum statis temporibus addicatur, ceterasque obligationes in relato instrumento præscriptas adimpleat ; dummodo quidquid ex prædictis reditibus supererit in beneficium prædicti officii musicorum impendatur. » *Ead. causa*, 14 *maii* 1763, § 3.

signavit 40 scut., ut harmonicus litaniarum cantus singulis sabbatis, pervigiliis, festisque eidem dicatis, haberetur, voluitque, ut hæredes in perpetuum supplerent. In eadem causa alii pii testatores pecuniam legarunt. Intermissæ fuerunt litaniæ, ut argenteam crucem a pignore sodales redimerent, qui prorogationem suspensionis deinde obtinuerunt. Nuper vero preces fundunt pro absolutione quoad præteritum, et pro commutatione voluntatum quoad futurum, ut permissio cantus Gregoriani perpetua fieret, et detracto cantorum stipendio, reditus in dotem erogarentur; S. C. rem non definivit, sed demandavit, ut præfigeretur a Cardin. Archiepiscopo terminus hæredibus Hugonis ad deducenda jura sua in S. C.: *Bononien., Commut. volunt.*, 26 *april.* 1788, *dub.* 1 et 2. Deinde commutatio fuit denegata ad dub. 1, et quoad dub. 2 mandatum fuit, ut quoad illarum voluntatum exequutionem provideri debeat, hæredesque Pepoli teneri tantum ad redintegrationem usque ad summam scut. 39 : 15 *maii* 1790.

Mutuum. Vide *Contractus*, § ix.

Natalium illegitimas quoad dispensationem. Vide *Dispensatio*, § v.

Nominatio. Vide *Beneficia ecclesiastica*, § vii; *Capellania*, § vi; *Concionator*, § iii; *Confessarius*, § ii; *Subsidium dotale*, § vii.

Notarius. Vide *Cancellarius*.

Novæ erectionis canonici. Vide *Canonici*, § v.

Novalia. Vide *Decima*, etc.

Novitiatus. Vide *Possessio religiosa*, § i.

Novitius. Vide *Regulares*, § v.

Nullitas. Vide *Acta*, § ii; *Alienatio*, § iii; *Applicatio*, § v; *Census*, § i; *Concursus*, § vii; *Contractus*, § i; *Dispositio testamentaria*, § ii; *Donatio*, § iii; *Emphyteusis*, § iv; *Legatum pium*, § xv; *Professio religiosa*, § v; *Sacramentum Baptismi*, § ii; *Sacramentum Ordinis; Sacramentum Pœnitentiæ*, etc.; *Sponsalia*, § ii; *Transactio*, § iii.

Nullius qualitas. Vide *Abbas*, *Abbatia*.

Numerus. Vide *Capitulum ecclesiasticum*, § xi; *Missa*, § xi; *Presbyteri*, § v.

NUNTIUS APOSTOLICUS.

1. Manifestum est facultatem Nuntii, quoad beneficia conferenda non extendi, nisi ad beneficia 24 ducat. annui reditus : *Tarraconen., febr.* 1590, *dub.* 3.

2. Quum dandas esse litteras Nuntio, ut absolvat eos, qui abbatum regularium liceat non subditi regulares, vel et cum falsis dimissoriis ordinati sunt, S. C. decrevisset; eidem injunxit, ut minime facile se ad id præbeat; utpote facultatem se promoveri faciendi a quocumque nonnisi magna cum circumspectione iis dumtaxat, quos vere idoneos noverit, concedat. Quod tamen si persuasum habeat S. C. id Nuntium efficere, nihilominus eum commonefaciendum putavit, quod ea de re nonnulli Episcopi non mediocriter conquerantur: *Ibid., dub.* 5.

3. Cum conquereretur Episcopus Comensis de prætenso usu excessivo facultatum, quas fertur exercere in sua diœcesi commissarius Nuntiaturæ Lucernæ, S. C. propositis nonnullis dubiis rescripsit *Dilata, ad secundam omnino etiam unica ac etiam concordatis dubiis, et exhibeantur prætensa indulta per Nuntium, et interim idem Nuntius se abstineat quoad ea, quæ respiciunt confessiones, et accessum ad moniales in Comen., Jurisd.*, 20 *nov.* 1706. Deinde sub die 26 *febr.* 1707 decrevit, reverendissimum Nuntium Apostolicum apud Helvetios non posse concedere facultatem audiendi confessiones personarum sæcularium, vel etiam regularium, imo, et monialium in diœcesi Comen. sine licentia, et approbatione Ordinarii loci : *Ibid., dub.* 1 [1].

4. Eumdem Nuntium sacerdotibus non approbatis ab Ordinario ad audiendas confessiones concedere minime posse facultatem absolvendi in foro interno ab hæresi, censuris, etc. *Ibid., dub.* 2,

5. Nec posse concedere facultatem generalem absolvendi a casibus Ordinario reservatis : *Ibid., dub.* 3.

6. Nec posse concedere suis commissariis subditis diœcesis Comen. facultatem eligendi sibi confessa-

[1] Pro hac causa contendit advocatus Dominicus Ursaya, qui sua jura in favorem Episcopi exaravit : *Discept.*

rium, etiam non approbatum ab Ordinario : *Ibid.*, *dub.* 5.

7. Et ad dubium an possit concedere licentiam retinendi, ac legendi libros hæreticorum, seu alios quomodolibet prohibitos ? rescripsit : *Ad S. Cong. S. Offic.*, *Ibid.*, *dub.* 6.

8. Item commissarios Nunciaturæ accedere non posse ad monasteria monialium, easque alloqui etiam citra necessitatem officii, absque licentia Ordinarii : *Ibid.*, *dub.* 7.

9. Nec eosdem commissarios concedere posse aliis ad eos recurrentibus, licentiam alloquendi moniales sine licentia Ordinarii : *Ibid.*, *dub.* 8.

10. Dictosque commissarios obligatos ad residentiam ratione canonicatus, vel alterius beneficii, non posse ab illa abesse pro negotiis commissariatus et nihilominus lucrari distributiones, aliaque omnia emolumenta tanquam si essent præsentes : *Ibid.*, *dub.* 9.

11. Eumdem Nuntium concedere non posse dictis commissariis licentiam retinendi famulas, quamvis non annosas cum derogatione quarumcumque ordinationum per Ordinarios locorum, quomodolibet factarum : *Ibid.*, *dub.* 10.

12. Nec posse concedere facultatem exorcizandi independenter ab Ordinario : *Ibid.*, *dub.* 11.

13. Nec posse concedere eosdem commissarios licentiam laborandi in diebus festis : *Ibid.*, *dub.* 12.

14. Eosdemque demum definiit commissarios punire minime posse etiam in prima instantia, festorum violatores, blasphematores, aliosque contra Dei, et sanctæ Matris Ecclesiæ præcepta temere agentes : *Ibid.*, *dub.* 13.

15. Episcopus Legionensis in relatione suæ ecclesiæ status quærit declarari, an Nuntius apostolicus Hispaniarum sede aliqua episcopali vacante, imposterum litteras facultativas vicariis capitularibus, ut intra annum a die vacationis alicui dimissorias concedere valeant; aut tantummodo arctatis ratione beneficii acquisiti, vel proxime acquirendi, vel absolute et simpliciter, et absque prædictæ limitatione, expedire possit ? S. C. quoad Nuntium cum Sanctissimo juxta mentem : *Legionen.*, *Visit. sacr. Limin.*, 15 *decem.* 1725.

Nuptiæ. Vide *Matrimonium*.

Oblati. Vide *Regulares*, § v.

Oblationes. Vide *Eleemosynæ ; Emphyteuses*, § ii ; *Parochus*, § vi.

Obsequia Matrimonialia. Vide *Matrimonium*, § xvii.

Observantia dierum festorum. Vide *Festorum dierum observantia*.

Obventiones, seu Emolumenta. Vide *Emolumenta ; Parochus*, § vi.

Œconomus seu Administratob. Vide *Administrator*.

ŒCONOMUS.

§ I.

Œconomus curatus quoad congruum, distributiones, et emolumenta.

1. Œconomo mensæ archipresbyteralis illis horis, in quibus extra ecclesiam collegiatam oppidi Terlicci ad audiendas confessiones occupatur, et choro non adest, distributiones, necnon funerum, supplicationum emolumenta percipiendi non datur facultas : *Juvenacen.*, *seu Nullius Terlicii*, *Distrib.*, 13 *aug.* 1707, *dub.* 1 et 2.

2. Archiepiscopus Amalphitanus tempore visitationis præcepit, ut ecclesia collegiata, et curata S. Mariæ ad Mare oppidi majoris Missam quotidie conventualem celebraret, atque applicaret, ac alia chori, curæque exercitium respicientia perageret. Capitulum reclamavit apud S. C., quæ die 9 junii 1714, quum interrogata esset etiam, cui onus curæ incumbat, mandavit, ut Archiepiscopus sine præjudicio jurium partium deputaret œcononum curatum cum congrua solvenda a quo de jure. Modo quæritur, a quo ei debetur, et in qua summa ? S. C. decrevit deberi a præposito, cui adjudicatur cura animarum in summa taxanda ab Archiepiscopo : *Amalphina*, *Oner. Miss. et Curæ anim.*, 13 *april.* 1715, *dub.* 2.

3. In casu absentiæ parochi Januarii Olivieri

ecclesiæ in Casali cellularum existentis cum debita licentia debetur œconomo provisio in summa inter ipsos parochum, et œconomum concordanda, prævia tamen approbatione Episcopi quoad personam œconomi : *Suessana, Resid. et cens.*, 15 *martii* 1738, *dub.* 4.

4. Ab œconomo ecclesiæ parochialis S. Bartholomæi pagi Fucis ab Episcopo nulliter ab altera parochiali S. Andreæ sejunctæ fructus omnes perceptos esse restituendos, detractis expensis, et mercede œconomi S. C. decernit : *Montis Alti, Diss. unionis eccles.*, 5 *decem.* 1744, *dub.* 3.

§ II.

Œconomus curatus quoad electionem et deputationem.

1. Ad vacantem archipresbyteratum ecclesiæ collegiatæ S. Victoris Plebis Balernæ canonici capitulariter congregati duos deputarunt canonicos pro exercitio animarum curæ ; inde prævio concursu magis idoneus fuit renunciatus Jacobus Turrianus. Hic causa cujusdam impedimenti quum litteras expedire apostolicas non valuisset, Episcopus eum pro œconomo deputavit. Ratum id non habuerunt canonici, et causa fuerunt, ut S. C. electionem œconomi, seu vicarii in ecclesia prædicta destituta rectore spectare ad Episcopum, non ad capitulum decideret : *Comen., Deput. œcon.*, 18 *novem.* 1702.

2. Electionemque vero Jacobi Turiani in œconomum factam ab Episcopo in casu tantum, de quo agitur, sustineri statutum est : *Ibid., dub.* 2.

3. Censuit S. C. deputationem œconomi pro exercitio curæ animarum ecclesiæ parochialis vacantis S. Eugeniæ de Relat. quæ cum suis pertinentiis in dominium monasterii Rivipulli ordinis S. Benedicti transivit, ad Episcopum spectare : *Vicen., Jurisd.*, 18 *novem.* 1702, *dub.* 2.

4. Occasione, qua Franciscus Antonius Florentinus parochus oppidi Alti accusatus fuit de nonnullis luxuriæ criminibus, Episcopus processu inchoato putavit, ut ille suam ecclesiam cum quadam capellania permutaret, quod factum est; at permutationem illam inde S. C. improbavit ; ob id eadem S. C. quoad petitum regressum ad parochiam, voluit, ut Florentinus ad carcerem redeat, et œconomus apponatur : *Novarien., Permut. par.*, 6 *oct.* 1703, *dub.* 2.

5. Quum sacerdos secularis vicarius perpetuus pro exercitio curæ animarum parochialis in Atthenausen. ecclesia, ex illis, quæ incorporatæ sunt monasterio loci Ottoburæ ordinis S. Benedicti cujus abbas jure presentandi ad illam gaudet, libere suum munus dimisisset, Episcopus deputavit in œconomum semestralem alium sacerdotem secularem ; e contra abbas P. Henricum Reincard professum dicti monasterii, quem Episcopus suspendit, elegit. Hinc quæstione in S. C. relata, rescriptum est, ut exquiratur Votum Rotæ [1] : *Augustana, Juris dep. œcon.*, 2 *julii* 1707.

6. Decernit S. C. emanatum decretum ab Episcopo super deputatione œconomi pro exercitio curæ animarum propter absentiam Matthæi Angeli Scalfati moderni rectoris ecclesiæ S. Felicis Universitatis Paganorum qui Neapolis, quum haberet quatuor concuratos, assiduus fere incola erat, validum esse, addens, et procedat ad formam concilii [2] : *Nucerina Paganorum, Resid.*, 19 *maii* 1708, *dub.* 2.

7. Electio œconomorum tam in casu vacationis ecclesiarum parochialium abbatiæ S. Laurentii in Dogliolo, quam causa inhabilium ad curæ exercitium earum parochorum privative ad Episcopum spectat : *Nullius, seu S. Severini, Jurisd.*, 4 *febr.* 1719, *dub.* 2, confirmata 17 *junii ejusd. anni.*

8. Quum nomine populi villæ Fassinelli porrectus fuisset Archiepiscopo supplex libellus, quo recensitis pluribus defectibus Jacobi Antonii Mutii parochi ejusdem loci, postulabatur, ut opportunum remedium adhiberetur, Archiepiscopus ei præcepit, ne ab Urbe Januæ, ubi moram tunc trahebat, sub pœna suspensionis a divinis discederet, mandavitque præposito terræ Crucis processus confectionem, et ob nimiam populi adversionem deputatus fuit œconomus. De sua sententia S. C. interrogata est, an illa deputatio, præceptumque de non accedendo ad propriam parœciam sustineantur? S. C. dilata, respondit, et interim nomine in S. C. deputetur œconomus a parocho nominandus, et ab Archiepiscopo approbandus, assignata eidem congrua lib. 18 in singulos menses. Reliqui vero reditus parochiæ, necnon decimæ, quæ manent titulo depositi penes præpositum terræ Crucis, libere et integre consignentur parocho : *Januen.*, 10 *sept.* 1735,

[1] Deputatio vicarii temporalis, seu œconomi clerici secularis in casu vacationis parochiæ vel per obitum, vel per resignationem spectat ad Episcopum, in cujus diœcesi parochia vacans sita est, seu ad eum, qui potest instituere concursum. Sic decisum fuisse a S. C. refert Barbosa, lib. 3, cap. 6, num. 56, *et in summa Apost. decis.* verb. *Vicarius amovibilis*, num 4. Unde prælati inferiores, qui non habent jurisdictionem quasi episcopalem cum facultate congregandi synodum, et instituendi concursum, non possunt in tali casu vicarium temporalem deputare. Ita Garcias *de Benef.* part. 9, cap. 2, num. 8, et alii plurimi.

[2] Vide not. 359, verb. *Capellanus curatus* § IV.

dub. 4. Inde iterum dilata, et ad mentem S. C. rescripsit : 9 *febr.* 1737.

9. Electio in œconomum facta ab Episcopo occasione qua evenit inhabilis canonicus Marinelli, cui incumbebat exercitum curæ animarum, quæ habitualiter, residet penes capitulum ecclesiæ collegiatæ, et parochialis SS. Faustini, et Jovitæ in favorem canonici contestabili, firma non est; idemque invitus cogendus est ad prosequendum in eodem onere : *Viterbien.*, 28 *sept.* 1737, *dub.* 2.

10. Inter Episcopum Vicensem, et Joannem Franciscum Copons priorem monasterii S. Mariæ de Rivipullo ordinis S. Benedicti vicarium capitularem, et vacantis abbatiæ Rivipullensis administratorem acre adeo exarsit jurgium super deputatione œconomi ad ecclesiam parochialem S. Eulaliæ de Villadonia, quam unitam dicto monasterio prior esse prætendit, ut Episcopus declaraverit antedictum priorem incurrisse in censuras a bulla Cœnæ Domini cap. 16 17 et a Trident. cap. 11, sess. 22, *de Reform.* [3] latas, et prior Episcopum excommunicatum vitandum denunciaverit. Uterque itaque apud S. C. quæstionem postulavit, quæ spectare hujusmodi deputationem ad Episcopum decidit : *Vicen.*, *seu Rivipullen.*, *Jurisd.*, 23 *aug.* 1738, *dub.* 1.

11. Deputatio œconomi per modum provisionis ad parochiales ecclesias locorum Rodii, et S. Mauri, qui pertinent ad Bajulivum S. Euphemiæ sacri ordinis Hierosolymitani, ad Episcopum spectat : *Caputaquen.*, 2 *aug.* 1760, *dub.* 3, confirmata 17 *januar.* 1761.

12. Post mortem prioris collegiatæ ecclesiæ S. Michaelis archangeli oppidi S. Angeli, cui animarum cura commissa est, locum esse debere œconomi deputationi decernitur; neque vero in exercitio curæ animarum usque ad electionem novi prioris succedere debet canonicus senior ad confessiones adprobatus : *Pisauren.*, 25 *januar.* 1772, *dub.* 3.

13. Quum autem quæreretur, an hic œconomus deputandus debeat esse de gremio capituli? responsum est, arbitrio Episcopi et ad mentem [4] : *Ibid.*, *dub.* 4.

14. Deputatio per modum provisionis facta œconomi in ecclesiis parochialibus nuncupatis S. Benedicti veteris S. Crucis de Morena, et S. Petri de Salia, quæ suppresso monasterio S. Benedicti de Monte Polio unitæ fuerunt ecclesiæ S. Agnetis in platea Agonali de Urbe ad Episcopum, non ad Card. protectorem spectat, licet deputatio vicariorum curatorum ad Card. protectorem pertineat : *Eugubina*, *Jurisd.*, 28 *januar.* 1773, *dub.* 5.

15. Atque quum Card. protector œconomos deputaverit, in dubium cadit, an removeri, vel manuteneri debeat? rescriptum prodiit ad mentem : *Ibid.*, *dub.* 7.

16. Quum deficicientibus probationibus necessariis et absque trina admonitione parochus Lætti ecclesiæ S. Annæ castri Frontalis de inhonesta vita accusatus expulsus a parochia fuisset deputatio statim œconomi facta est. At petita a parocho redintegratione, et S. C. monita quoad œconomi deputationis validitatem, haud sustineri hanc censuit redintegratione concessa; reservato tamen jure promotori fiscali agendi contra prædictum parochum ad formam Concilii Trid. [5] : *Sancti Severin.*, 19 *sept.* 1778.

17. Œconomum Joanni Boccalini parocho villæ S. Michaelis diœcesis Fabiano propter illius vitæ pravitatem, et bonorum stabilium ad parochiæ pertinentium alienationem malamque ejusdem administrationem a vicario capitulari cum S. C. oraculo adpositum, firmum remanere debere judicium fuit: *Camerinen.*, *seu Fabrianen.*, 8 *maii* 1784, *dub.* 2.

§ III.

Œconomus curatus quoad potestatem et jura.

1. Œconomo pro tempore ecclesiæ parochialis S. Mariæ Esther commendæ S. Joannis Hierosolymitani oppidi Aquævivæ collis de Cruce, non licet conjungere in matrimonium incolas dictæ ecclesiæ absque probatione status liberi facienda coram Episcopo Guardiensi, et sine illius licentia : *Guardien. Stat. lib.*, 12 *april.* 1710, confirmata 3, *martii* 1736. Deinde causa reproducta, et dubio disputato, an et quæ jurisdictio competat Episcopo? responsum est quoad populum, et clerum, exceptis habentibus tria requisita, competere Episcopo jurisdictionem ordinariam, quoad ecclesiam vero competere delegatam tantum : 25 *febr.* 1741.

2. Œconomus archipresbyteratus terræ Campo-

[3] Vide not. 6, verb. *Decimæ*.

[4] Deputatio œconomi in eventum obitus prioris ecclesiæ collegiatæ oppidi S. Angeli arbitrio Episcopi commissa, si hoc eveniente casu aliquis ex ipsius capituli gremio erit, qui ad onera subeunda atque ad exercitium curæ animarum idoneus habeatur, dignisque commendetur prærogativis, et meritis ad servandam ipsius capituli dignitatem, et succidendas, si quæ imposterum suboriri poterunt controversias, hunc ceteris paribus extraneo præferendum S. C. ex ejus mente Episcopo significat. » *Regist. Lit.*, lib. 33, *die* 25 *januar.* 1762.

[5] Sess. 21, cap. 6, *de Reform.* ubi cautum est : « Eos vero, qui turpiter, et scandalose vivunt, postquam præmoniti fuerint, coerceant ac castigent; et si adhuc incorrigibiles in sua nequitia perseverent, eos beneficiis, juxta sacrorum canonum constitutiones, exemptione, et appellatione quacumque remota, privandi facultatem habeant. »

bassi, impedimento detento archipresbytero, diebus solemnibus, ac supplicationum occasione celebrare non debet, sed canonico antiquiori cum assistentia aliorum canonicorum jus celebrandi tribuitur : *Bojanen. Jur. par. et præem.*, 24 *maii* 1732, *dub.* 16.

3. Œconomus in ecclesia collegiata, et parochiali S. Michaelis Archangeli oppidi S. Angeli post mortem prioris cui concredita erat cura animarum, illas tantum in præfata ecclesia functiones peragere potest, quæ ad parochialia munia pertinent : *Pisauren.*, 25 *januar.* 1772, *dub.* 5.

§ IV.

Œconomus curatus quoad remotionem.

Episcopus vexavit Antonium Mari parochum SS. Blasii, et Leonis Castriveteris quæsita rixa cum clerico, eumque a divinis suspensum declaravit. Ecclesiæque, ejusque bonis œconomum præposuit ; S. C. autem, cui adiit parochus injustitiam gestorum ab Episcopo ex testibus comprobans, œconomi præfati remotionem decrevit : *Hieracen.*, *Cens.*, 13 *januar.* 1748, *dub.* 2.

OFFICIALIS.

1. Contra officiales principum secularium jurisdictionem episcopalem, et immunitatem ecclesiasticam lædentes, Episcopum jure sibi competenti uti debere, ac prudenti zelo juris remediis servatis servandis jurisdictionem, et immunitatem ecclesiaticam tueri S. C. præcepit : *Civitatis Castellanæ*, 25 *aug.* 1628, *dub.* 3.

2. Officiales vicarii capitularis in collatione beneficiorum, et in dispensationibus sibi commissis quicquam recipere etiam ratione sigilli nequeunt : *Elnen.*, 28 *martii* 1748, *dub.* 5.

3. Item officialis vicarii capitularis non potest quicquam recipere pro decretis in visitatione, seu judicatura exequutionis testamentorum piarum voluntatum, et piorum legatorum, sed omnia gratis, et sine stipendio exequi : *Ibid.*, *dub.* 8.

4. An saltem officiales camerales in foro conscientiæ sint ecclesiastico tribunali obnoxii? S. C. ad hoc dubium solvendum mandavit declarationes[6] dari : *Maceraten.*, *Visit. sacr. Limin.*, 26 *aug*, 1664, *dub.* 33.

5. Officiales pro bono regimine ecclesiæ parochialis S. Mariæ Virginis civitatis Mataronæ non ab Episcopo, sed a rectore dictæ ecclesiæ, et ad ejus arbitrium eligendi sunt, nec illa debet eligere solos beneficiatos, et perpetuo residentes, seu etiam amovibiles dictæ ecclesiæ : *Barchinonen.*, *Erect. comm.*, 9 *sept.* 1702, *dub.* 2.

6. Dubiis exhibitis, an præsidi, aliisque officialibus cameræ Apostolicæ Carpenctoratensis competat exemptio a jurisdictione episcopali in causis non respicientibus eorum officium in quibus ex dispositione Concilii Tridentini [7] jurisdictio est reservata Episcopo? et quatenus affirmative.

7. An exemptio extendatur ad camerales clericos? S. C. respondit protelando resolutionem, ut audiantur ministri R. C. A. in Urbe : *Carpenctoraten.*, *Jurisd.*, 9 *junii* 1708, *dub.* 1 et 2. Postmodum ex deductis negativum ad primum dubium dedit responsum : 26 *januar.* 1709.

Officium, officia in genere. Vide *Abbas*, § iv ; *Archidiaconus*, § ii ; *Archipresbyter*, § vii ; *Capitulum ecclesiasticum*, § vi ; *Episcopus*, § xviii ; *Parochus*, § vii ; *Regulares*, § iv.

Officium canonistæ. Vide *Canonistæ officium*.

Officium cantoratus. Vide *Cantoratus officium*.

Officium divinum, seu Breviarium. Vide *Breviarium*.

Oleum sanctum [8]. Vide *Sacramentum Olei Sancti ; Administrator*, § iv.

[6] Inter resolutiones S. Congr. nullum super hac re decretum inventum est.

[7] Vide not. 247, verb. *Episcopus* § VII.

[8] Inter responsa data a Papa Pio VI, de consilio selectæ Cardinalium Congregationis die 15 dec. 1794, hæc habentur.

Quæstio 13. Postulata interdum fuit a Sanctissimo Domino Nostro pro aliquo ex vicariis generalibus diœcesium regni Galliarum et pro aliis simplicibus sacerdotibus facultas consecrandi oleum infirmorum, oleum catechumenorum, et sanctum Chrisma extra tempora, eo quod deerat triplex oleum commemoratum, et deerat pariter Episcopus consecrator, tum in diœcesi carente triplici oleo supradicto, tum in vicinis diœcesibus legitimo pastore orbatis ?

Huic petitioni satisfactum est sequente in modo : Non expedire videlicet facultatem tribui simplicibus sacerdotibus consecrandi triplex oleum præmemoratum, cum deprehensum fuerit insuetum esse in ecclesia latina hujusmodi potestate simplices presbyteros ab Apostolica Sede insigniri : a quo quidem regula eo minus recedi non debere judicatum est, quod impossibile non sit triplex oleum a catholico Episcopo benedictum, si non est proximis, ex remotis saltem diœcesibus habere. Ne autem propter deficientiam sancti Chrismatis, et olei infirmorum carere cogantur fideles sacramentis tum Confirmationis, tum Extremæ Unctionis, opportunum visum est monere vicarium generalem proponentem hujusmodi petitionem muneris sui esse luctuosissimis hisce temporibus curare, ut vel ex proximis, vel saltem ex remotis regionibus in diœcesim, in qua ipse fungebatur munere vicarii generalis, transferretur citius ac fieri posset oleum infirmorum, et sanctum Chrisma : quod professo deprehensum fuit non esse diffi-

Onera in genere. Vide *Abbas*, § vii; *Archidiaconus*, § v; *Archipresbyter*, § vii; *Beneficiati*, § iv; *Canonici*, § vi; *Capellanus curatus*, § iv; *Capellanus sodalitii*, § iii; *Capitulum ecclesiasticum*, § vii; *Clerici*, § ii; *Clerus*, § iii; *Communitas laicalis*, § ii; *Concionator*, § iv; *Dignitates ecclesiasticæ*, § v; *Episcopus*, § xii; *Hæres*, § ii; *Mansionarius*, § iv; *Parochus*, § vii; *Patronus*, § ii; *Præpositus*, § v; *Presbyteri*, § vi; *Prior*, § iv; *Rector*, § i; *Regulares*, § vi; *Sodalitium*, § viii; *Vicarius curatus*, § v.

Onera missarum. Vide *Capellanus*, § iii, v et viii; *Missa per tot.*

Onerum piorum omissio quoad absolutionem. Vide *Absolutio*, § iii.

Onus perpetuum vel temporaneum. Vide *Capellania*, § viii; *Legatum pium*, § xi.

Opera pia. Vide *Legatum pium.*

Oratio panegyrica. Vide *Concio*, etc.

Oratorium seu capella. Vide *Capella.*

ORATORIUM.

§ I.

Oratorium quomodo probetur an publicum vel privatum sit

1. Censuit S. C. committendum esse Ordinario, ut quando orator publico instrumento se obligaverit semitam, qua itur ad capellam cuicumque liberam in perpetuum servare, atque illius situs dominio, ac juri efficaciter renunciaverit, declaret, capellam ipsam non comprehendi in decreto a Congregatione edito de privatis oratoriis, petitamque celebrandi licentiam pro suo arbitrio concedat ita tamen prius dictam capellam visitaverit, ac divino cultui peragendo aptam ac decentem esse comperierit, atque ita ut nullum hinc præjudicium inferatur juribus parochialis ecclesiæ: *Nullius*, 13 *junii* 1626.

2. Item putavit S. C. committendum esse Archiepiscopo Florentino, ut quando oratrix publico instrumento se obligaverit semitam quæ ducit ad capellam, cuicumque liberam in perpetuum servare, atque illius situs dominio et juri efficaciter renunciaverit, declaret, capellam ipsam non comprehendi in decreto a Congregatione edito de privatis oratoriis, petitamque celebrandi licentiam suo arbitrio concedat; ita tamen prius dictam capellam visitaverit, ac divino cultui peragendo aptam ac decentem esse compererit, atque ita nullum præjudicium inferatur juribus parochialis ecclesiæ: *Florentina*, 2 *decem.* 1628.

3. Parum apertum est an oratoria domibus privatorum civium contigua, et ab eisdem domibus non penitus sejuncta, et ad quæ patet aditus per viam publicam comprehendantur sub prohibitione de privatis oratoriis? Aperit S. C. hujusmodi oratoria non esse comprehensa sub prohibitione, si habeat oratorium publicum aditum perpetuum etiam in via publica, nullusque ex privatis domibus prospectus aut exitus pateat: *Perusina, Episcop.*, 2 *april.* 1650, *dub.* 5.

4. Episcopus Vercellarum ecclesiasticæ disciplinæ sollicitus occasione visitationis sac. Liminum ad Sedem Romanam, ad quam omnes ecclesias oportet convenire, refert inter cetera moleste ferre unum esse in castro Castellengi oratorium, quod licet cunctorum rusticorum pietati pateat, tamen intra mœnia ipsius castri soli dominorum familiæ inservit, ubi festis solemnioribus celebratur renuente parocho. Comites dicti castri moniti ab eo fuerunt, ut se abstinerent in hujusmodi festis solemnioribus ad præscriptum consuetæ concessionis, sed nulla obedientia, hinc opus est declarari quomodo petunt comites castri, dictum oratorium publicum, et licere in eo celebrare etiam in festis solemnibus juxta solitum, quum esset antiquissimum sacra supellectili instructum, et ab immemorabili nocte Nativitatis Domini celebrata fuit Missa solemnis. Et revera S. C. publicum esse censuit: *Vercellen.*, 3 *aug.* 1675.

5. Oratorium cohærens capellæ Sanctissimi Sacramenti cathedralis ecclesiæ est publicum, non autem privatum, ita ut non est claudenda janua exterior versus viam; et aperienda seu construenda interior, quæ ducat ad dictam capellam, sodales enim oratorium hoc cum cœmeterio cujus janua cuicumque in via publica patet, construi curarunt, et in

cile, si debita cum cautione oleorum transportatio peragereturus. Iis autem habitis ne in posterum deficerent, insinuatum ei fuit, ut præ oculis haberet regulam, quæ in Rituali romano præscribitur, tit. 2, cap. 1, § 23: Si deficere videantur vetera olea, et chrisma, aut oleum benedictum haberi non possit, aliud oleum de olivis non benedictum adjiciatur, sed in minori quantitate: neque pretermissum fuit eumdem certiorem reddere, posse oleo benedicto ad jungerenon benedictum pluribus vicibus, ita ut oleum adjunctum consideratum separatim, et in unaquaque admixtione, sit in minori quantitate quam oleum benedictum, quamvis consideratis omnibus additionibus simul, fiat quantitas major non benedicti, quemadmodum resolutum fuit a Sacra Congr. Concilii *die* 23 *sept.* anno 1682.

eo sacra ex piis fidelium relictis peragi cœperunt, et pro sodalium animabus altare adest privilegiatum : *Sernen., Confrat.*, 11 *junii* 1712, *dub.* 4.

6. Ad disquisitionem S. C. vocat, an ædes sacra S. Mariæ de Areneto sit publica ecclesia vel oratorium privatum? Rescriptum est primum, dilata et fiat planta judicialis, et addatur dubium juxta mentem : *Savonen.*, 28 *julii* 1724. Deinde compertum fuit ex antiquo statu, ex unctione Chrismatis in muris, ubi cruces existunt, ex sacra turri cum tintinnabulo, et ex quatuor existentibus inibi altaribus esse publicum oratorium sive ecclesiam; etiamsi clausa fuerit antiqua janua, per quem patebat aditus ad publicum, et aperta reperiatur in atrio palatii senatoris muris circumdato. S. C. tamen decernit esse ecclesiam publicam, facta per senatorem imperialem in publico instrumento declaratione se nullum jus habere in area sita ante ecclesiam, necnon quod claves tam ecclesiæ, quam dictæ areæ retineantur a capellano, et ad secretarium cum Sanctissimo pro declaratione, quod area non gaudeat immunitate: 9 *sept. ejusd. anni.*

7. Comes Joseph Illeshazy intra aulam sui palatii in oppido Dubnieza habet oratorium, quod fuit ab Episcopo benedictum, inde consecratum. At parocho dicti oppidi refragante, quod in prædicto oratorio functiones peragerentur, ac tintinnabula pulsarentur; quæstio orta est de qualitate ejusdem oratorii, et S. C. publicum judicavit, imposita tamen obligatione comiti Josepho restituendi apertas fores atrii de die, et construendi capellam congrue dotatam. Episcopus enim referebat, instructum esse supellectili sacra, duobus altaribus, sacrario cathedra, subsellis, organo, sed januam in palatii atrio habet: *Nitrien.*, 12 *febr.* 1735, *dub.* 2.

8. Intra fines parochialis ecclesiæ S. Jacobi, quæ subest abbatiæ S. Silvestri in oppido Nonantulæ, quæque exiguum habet territorium quatuordecim rusticorum prædiorum latifundium et possessiones possidet nobilis familia Bevilaqua, quæ ut rusticationis tempore sacrum commodius audire posset juxta atrium amplissimarum ædium, oratorium extruxit, impetrata venia rectoris parœciæ, *accio possa servire unicamente per comodo di tal cavaliere, e sua famiglia di udire la Messa in tempo di villegiatura.* Hoc S. C. quæsita publicum non privatum oratorium putavit: *Nullius seu Nonantulana, Jur. par.*, 27 *junii* 1744, *dub.* 1, confirmata 8 *maii* 1745.

9. Abbas S. Benedicti de Salute civitatis Lisbonæ non potuit ecclesiam ruralem ædificare inscio Episcopo Elvensi, ac illam benedicere, qua de causa interdictum latum ab eodem Episcopo validum est. Insuper locus factus est dubitandi, an ei licuerit illam ecclesiam, quam publicam ædificavit reddere privatam novo muro circumdato post promulgationem interdicti, quum murus exterior habeat januam ecclesiæ respondentem? Sed non licuisse rescriptum a S. C. emanavit : *Elven.*, 9 *febr.* 1754, *dub.* 3.

10. Franciscus Lotharius Liber baro de Mairofen duas tenet arces Aulebacensem scilicet et Clingenbergensem, et in utraque sacellum adest domesticum, in quo sexaginta ab hinc annis licite sacra fieri cœperunt. Utriusque arcis incolæ in his oratoriis ratione viæ facilioris sacra audierunt: ipsique parochi ut parochiarum incolarum commoditati prospicerent consensum facile præstiterunt, ut diebus omnibus festis sacra fierent, conciones haberentur, sacramenta Pœnitentiæ et Eucharistiæ omnibus indistincte ministrarentur in oratoriis iis, quæ licet publica non essent, præcepto tamen satisfaciendi apta sine scrupulo censuerunt. Hinc dictus baro indultum postulavit, quo eodem oratoria publica fierent, et obtinuit arbitrio tamen Card. Archiepiscopi juxta formam supplicis libelli salvis juribus parochialibus: *Maguntina, Ind.*, 12 *julii* 1755.

11. Oratorium divi Bernardini oppidi Galliati, quod fratres Minores Reformati ordinis S. Francisci habent adnexum hospitio, ad tertium ab urbe Novariæ lapidem positum, publicum est, privatum, prout Episcopo arridebat, fieri non posse S. C. consultum fuit : *Novarien., Jurisd.*, 15 *decem.* 1764, *dub.* 2.

12. Nosocomium jamdiu in civitate Grossetti sub titulo Annuntiationis B. V. reperitur erectum, suam cum turri sacra habet capellam, et ex pontificio indulto pro sacro ægrotantium subsidio sanctissimum Sacramentum Eucharistiæ retinet. Inter cetera dubitatum fuit, num illud oratorium sit publicum, ita ut omnibus in eo Pœnitentiæ, et Sanctissimæ Eucharistiæ sacramenta Missæ tempore ministrari valeret. Et S. C. nulla edita resolutione, mandavit scribi Episcopo, qui transmittet particulam synodi diœcesanæ, necnon integrum exemplar indulti; deinde ut audirentur parochus et officiales hospitalis, qui jura sua in S. C. deducerent : *Grossetana*, 30 *maii* 1778, *dub.* 1.

§ II.

Oratorium privatum, seu domesticum.

1. Quoad licentias restingendas erigendi oratoria, ac capellas domesticas censuit S. C. Episcopos non posse, si hujusmodi licentiæ concessæ sint a Sede apostolica, sed debere earum formam observare. Visitando tamen hæc oratoria, si decenti in loco, ornatoque esse, ac licentias ab Episcopis concessas fuisse, repererit, posse eas restringere,

prout convenire videbitur : *Regien. anni* 1573 *dub.* 2.

2. Consulta S. C. an sub prohibitione decreti Pauli V super oratoriis privatis, et litterarum S. C. comprehendatur capella existens in aula publici palatii civitatis, ita ut magistratus teneatur a Sede apostolica licentiam impetrare? respondit, comprehendi sub prohibitione decreti super oratoriis editi die 10 januar. 1615 [9] : *Calaritana*, 14 *novem.* 1648, *dub.* 1.

3. Item an sub eadem prohibitione comprehendatur capella carcerum publicorum, et petenda sit eadem licentia a Sede apostolica, vel sufficiat licentia Ordinarii, si hujusmodi capella sit in loco decenti ornata? rescripsit non comprehendi capellam carcerum publicorum : *Ibid.*, *dub.* 2.

4. Ad rogatum, an privilegium bullæ Cruciatæ [10] pro hujusmodi oratoriis, ac Missarum celebratione possit suffragari? respondit privilegium bullæ Cruciatæ suffragari non posse : *Ibid.*, *dub.* 4.

5. Denique utrum quatenus dictæ capellæ sub decreto S. Concilii, necnon dicto decreto Pauli V et litterarum S. C. prohibitione comprehendantur, et bulla Cruciata non suffragetur, liceat Archiepiscopo contra sacerdotes tam seculares, quam regulares in eisdem capellis celebrare volentes post edictum Archiepiscopi publicatum, seu denunciatum procedere, et quibus pœnis illos punire? rescripsit licere Archiepiscopo contra sacerdotes tam seculares, quam regulares in eisdem capellis celebrare volentes post edictum Archiepiscopi publicatum procedere etiam ad pœnas censurarum : *Ibid.*, *dub.* 5.

6. Requiritur an in oratorio privato Francisci Fortezza abbatis S. Vincentii vicarii generalis Card. Archiepiscopi Toletani, per Ordinarium visitato, et ad formam indulti approbato quilibet sacerdos secularis, seu de superiorum suorum licentia regularis (qui gaudet ex auctoritate Apostolica privilegio, quod possit in ecclesiis, in quibus alias diurna officia interdicto durante quomodolibet celebrare permissum fuit, vel in privato oratorio ad divinum cultum tantum deputato ab Ordinario visitando, et designando etiam tempore interdicti, cui ipse causam non dederit, etc. Missam celebrare) possit celebrare in casu, quo Ordinarius prædictæ licentiæ, ejus arbitrio remissæ declaravit dissentire, eamque proinde revocavit? negativum datur responsum : *Toletana*, 4 *junii* 1672, *dub.* 1.

7 Item decernitur sacerdotem prædictum sive secularem, sive regularem, et prædicto Apostolico privilegio gaudens celebrare non posse in oratorio prædicto in casu, quo in illa die jam fuit in eodem oratorio celebrata altera Missa, ac teneri propterea super hoc se informare : *Ibid.*, *dub.* 2.

8. Sacerdotumque prædictum, sive secularem, sive regularem, et prædicto Apostolico privilegio gaudentem celebrare non posse in dicto oratorio in diebus Paschatis, Pentecostes, et Nativitatis D. N. Jesu Christi, aliis selemnioribus anni festis statuitur : *Ibid.*, *dub.* 3.

9. Declaratur etiam sacerdotem præfatum, sive secularem, sive regularem, et supradicto Apostolico privilegio gaudentem celebrare non valere in memorato oratorio, in casu, quo in dicta domo non continuet habitare persona illa, in cujus favorem fuit concessum indultum dicti oratorii : *Ibid.*, *dub.* 4.

10. Ad dubium, an familiares prædictæ personæ, cui oratorii indultum concessum fuit, qui illius servitiis tempore dictæ Missæ actu necessariis non sunt, et ex tenore dicti indulti non liberantur ab obligatione audiendi Missam in ecclesia diebus festis de præcepto, satisfaciant præcepto ecclesiæ audiendo ibi sacrum ex eo quia vigore auctoritatis etiam Apostolicæ gaudeant privilegio, quod possint in ecclesiis, in quibus alias divina officia interdicto durante, quomodolibet celebrare permissum fuit, vel in privato oratorio ad divinum cultum tantum deputato ab Ordinario visitando, et designando etiam tempore interdicti, qui ipsi causam non dederint, Missam audire, et per alios ce-

[9] Quum, post varios sermones in Sacro Concilio Tridentino hac de re habitos in sess. 22, *in Decreto de Observ., et evitand. in celeb. Missæ*, sequenti modo statutum, et ordinatum fuerit : *Neve patiantur* de Episcopis sermo est, *privatis in domibus, atque omnino extra ecclesiam, et ad divinum tantum cultum dedicata oratoria ab eisdem Ordinariis designanda, et visitanda, sanctum hoc sacrificium a secularibus, aut regularibus quibuscumque peragi* cum adjecta derogatione cuilibet privilegio, exemptioni, appellationibus, ut consuetudini, *non obstantibus privilegiis exemptionibus, appellationibus, ac consuetudinibus quibuscumque :* Ex quo factum est, ut non amplius Episcopis facultas sit concedendi usum oratorii privati in domibus laicorum, et prædictum jus ad Sanctam Sedem devolutum est. Et hujusmodi conciliaris textus intelligentiam tradidit S. Congr. Concilii; ac approbavit Paulus V, in Epistola encyclica anno 1615, ad omnes Episcopos expedita, quæ videtur impressa in opere Bened. XIV, de Sacrificio Missæ, sect. 2, § 42, in qua ita concluditur : « Facultatem hujusmodi licentias dandi, ipsius Concilii decreto, unicuique ademptam esse, solique beatissimo Romano Pontifici esse reservatam. » De hac materia sese loquitur laudatus Benedictus XIV, Conf. Magno, 2 junii 1751 (*Bull. ejusd.*, tom. 3, pag. 377), edita de tollendis abusibus ab oratoriis privatis, quæ sunt in domibus laicorum.

[10] Vide not. 120, verb. *Altare*.

lebrare facere? negativum prodiit responsum : *Ibid., dub.* 5.

11. Denique statutum est quemlibet alium secularem, aut clericum licet non familiarem prædicti domini, qui dicto Apostolico privilegio gaudeat, supradicto præcepto paschali non satisfacere in prædicto oratorio, vel casu præsens, vel consulto accedens Missam audierit : *Ibid., dub.* 6.

12. Nolente Archiepiscopo exequutioni demandare breve obtentum a duce, et duchissa sanctæ Severinæ super celebratione Missarum diebus solemnioribus in eorum oratoriis privatis inspecto non adimplemento rubricarum quum expleto evangelio, missale ad osculandum per famulum tradatur conjugibus, et aliis ; quæ regibus tantum permittuntur, hinc petierunt a S. C. exequutionem committendam Episcopo viciniori et S. C. sub *die* 23 *januar.* 1706, *inter sum. prec.* denegavit, modo rescripsit Episcopo viciniori pro informatione : *Sancta e Severinæ, Ind.,* 13 *martii* 1706.

13. Marchio Rodolphus Coloredo Sylvestri et marchionissa Delia ejus uxor obtinuerunt breve pro oratorio privato hac cum clausula : = *Volumus autem, ut familiares servitiis vestris tempore dictæ Missæ, actu non necessariis ibidem Missæ hujusmodi interessentes ab obligatione audiendi Missam in ecclesia diebus festis de præcepto minime liberi censeantur.* Facto hinc dubio, an in vim dicti brevis, satisfaciant præcepto Missæ in diebus festis omnes famuli commensales vel quinam? S. C. dilata juxta mentem rescripsit : *Dubium, Orat.,* 31 *julii* 1706.

14. Innocentius XI, Pont. Max., principi Tirioli, ac ejus uxori concessit indultum in privatis domorum oratoriis celebrandi Missam. Desuper S. C. consulta de exorto dubio decidit, in vim indulti, de quo agitur, posse retineri duo oratoria pro celebratione sacri in eadem domo ; ita ut modo in uno, modo in altero celebrari possit, dummodo unica tantum Missa in die celebratur in eadem domo, ac addidit juxta modum [11] : *Neocastren., Orat.,* 4 *maii* 1715.

15. Presbyteri doctrinæ christianæ terræ Roncilionis habent in ea collegium, in quo ipsi habitant una cum convictoribus, et alii accedunt discipuli, quos erudiunt. Supplicant hi pro facultate habendi in dicto collegio oratorium, ut celebrare valeant Missas, sacramenta administrare convictoribus domesticis, et discipulis, et S. C. annuit pro gratia oratorii privati, et ulterius decernit licere presbyteris plures Missas quolibet die, et etiam festis solemnioribus in dicto oratorio celebrare, et sacramenta in eo convictoribus, discipulis, et domesticis, hoc est illis, qui actu degunt in collegio, et illi inserviunt, administrare, excepta communione paschali : *Sutrina, Orat.,* 11 *junii* 1718.

16. In disquisitione posita est controversia, an in oratoriis privatis, in quibus ex Apostolico Indulto infirmitatis causa concesso non solum nulli excipiuntur dies, in quibus celebrari inibi non possit, verum etiam expresse permittitur, ut iisdem diebus aliter exceptis, ac præsertim die Nativitatis D. N. J. Christi celebrari possit sacrum, dicta solemnitate recurrente una tantum, vel tres Missæ peragi valeant, quum in secretaria brevium nullum super hoc monumentum existeret? S. C. declaravit, non unicum tantum, sed tria sacrificia esse immolanda : *Dubium, Orat. priv.,* 13 *januar.* 1725.

17. Non obstante decretum S. C. a Gregorio XV, Pont. Max., approbatum permittens Patribus Carthusianis in capellis seu oratoriis existentibus in domibus, ac membris seu granciis monasterium sui ordinis Missas celebrare *postea tamen, quam locorum Ordinarii ejusmodi capellas semel visitaverint, ac fabrica, atque ornatu, sacraque supellectili compererint pro dignitate nitere.* Monaci Carthusiæ de Trisulto tamen contendunt licitum esse, nulla præcedente Episcopi visitatione, immo eo irrequisito oratorium in grancia Turricis retinere, ac sacrum pro exteris etiam celebrare. Nam aiunt fuisse illud decretum revocatum a Constitutione posteriori Gregorii XV, Pont. Max., in qua generatim communicantur eorum ordini omnia privilegia patrum societatis Jesu. S. C. autem decrevit, licere eisdem retinere oratorium in dicto loco prævia tamen visitatione Episcopi ad formam indulti Gregorii XV : *Verulana, Orat.,* 30 *julii* 1735, *dub.* 1.

18. Ac exteri audientes Missam in eodem oratorio celebratam diebus festis satisfaciunt præcepto, quoad existentes tantum intra oratorium, et ad mentem : *Ibid., dub.* 2.

19. Pervenit ad aures Episcopi Missam in oratorio privato domus baronis Cæsaris Lentini in terra Brientiæ existentis, absente eodem barone una cum conjuge celebrari coram ejus nepotibus in

[11] « Nempe pro tempore, quo celebratur in novo oratorio Episcopus prohibeat in alio ; factaque relatione Sanctissimo per secret., die 15 maii, Sanctitas Sua mandavit non tradi resolutionem cum fuerit in sensu non posse in vim brevis retineri plura oratoria, et si in uno tantum in die celebretur, verum mandavit per S. C. scribi vic. capitulari, ut tolleret, quod tempore Adventus, et Quadragesimæ celebretur in alio oratorio, dummodo pro dicto tempore remaneat suspensum aliud oratorium : idque durante vita, et habitatione principissæ. » *Lib. Decret.* 65, fol. 195.

eadem domo jugiter habitantibus, id prævia suspensione oratorii prohibuit. Verba indulti sunt hujusmodi : *In vestra, ac natorum consanguineorum, et affinium in eadem domo vobiscum insimul habitantium, familiæque præsentia celebrari facere, et licite possitis et valeatis, ac vestrum quilibet possit et valeat.* Examen idcirco apud S. C. factum est, quæ non posse in dicto oratorio celebrare Missæ sacrificium in absentia Domini, et præsente sola familia judicium tulit : *Marsicen., Orat.*, 3 *decem.* 1740, *dub.* 1.

20. Ac validam esse suspensionem oratorii ab Episcopo latam firmavit : *Ibid., dub.* 2.

21. Non constare S. C. decrevit de legitimis causis denegandi benedictionem novi oratorii, et licentiam celebrandi in eo recenter extructo, et subrogato in locum alterius sub eodem tecto, et indulto apostolico jam existentis in favorem Paschalis Galeani civis Albintimiliensis, sed injungendum esse Ordinario, ut visitationem, et benedictionem expleat, ac licentiam celebrandi concedat. Nam Episcopus offenderat familiæ Galeaniæ et Fenogliæ ex causa acta in S. C. Rituum ob translationem, quam ipse facere voluerat die festi S. Secundi civitatis patroni : *Albintimilien., Orat.*, 20 *maii* 1747.

22. Item accidit familiæ Fenogliæ ejusdem civitatis, qui etiam obtinuerat Oratorii privati privilegium, et vicarius generalis illud visitavit, ac declaravit decore ornatum esse, sacraque supellectili instructum. Nam ob causam allatam Episcopus repente præceptum valvis ecclesiæ cathedralis affigi jussit, quo : *dignis de causis, de quibus rationem reddere Deo et Sanctæ Sedi apostolicæ injungebatur Cajetano Fenoglio, ne sub excommunitationis latæ sententiæ pœna deinceps Missam celebrare faciat in oratorio domus suæ, et infra sex horas sub eadem pœna consignent vicario generali petram sacratam, catenam, calicem, aliasque sacras supellectiles.* » Quod præceptum ratum non habuit S. C.: *Albintimilien., Suspens. orat., et cens.*, 20 *maii* 1747, *dub.* 1.

23. Carolus Bernardinus Nannius, et Isabella Mareotti conjuges privilegium oratorii privati impetrarunt a Summo Pontifice cum clausula consueta, *quod ipsi, ut asserunt, de nobili genere procreati existant.* Exequutionem brevis apostolici denegavit Episcopus, ex quo de conjugum nobilitate non constare putaverit. Probavit vero familia Nanniæ tum ex propria linea, tum ex linea fœminina in propriam per matrimonium adscita inter nobiles familias Urbini, Maceratæ, et Mondavii adscriptum esse, et S. C. brevis exequutionem præcepit : *Fanen., Orat.*, 14, *maii* 1746.

24. Monachis montis Sion ordinis S. Bernardi extra muros civitatis Toletanæ non licet habere oratorium privatum in domo rurali existente in prædio quod in territorio Villæ del Valdepenas positum est; et si exhibeant indultum Apostolicum Alex. VI, Pont. Max., quod videtur non esse intelligendum de domibus ruralibus ædificatis pro utilitate agrorum vel causa recreationis : *Toletana, Visit. orat.*, 29 *aug.* 1761, *dub.* 1, confirmata 8 *maii* 1762.

25. Neque eisdem monachis licet in eodem oratorio audire sacramentales confessiones secularium servitio monasterii addictorum, aliarumque personarum ad prædictum oratorium accedentium, eisque alia sacramenta ministrare : *Ibid., dub.* 2, confirmata *ibid.*

26. Plura in diœcesi Alborensi extant privata oratoria in secularium domibus auctoritate Sedis apostolicæ erecta. Horum indulta hisce concepta verbis leguntur : *Volumus, ut familiares servitiis tuis non necessarii præter supradictos ibidem Missæ interessentes ab obligatione audiendi Missam in ecclesiis, diebus festis de præcepto minime liberi censeantur.* In dubium quippe venit, quis nomine familiarium sit intelligendus, et S. C. ut exhiberetur breve demandavit : *Arboren.*, 23 *febr.* 1771.

27. Sacerdos Joseph de Mazas canonicus pœnitentiarius ecclesiæ cathedralis exposuit sæpe fuisse consultum super dubio, an clausulæ quoad oratoria privata adjecta in bulla Cruciatæ præseferant extensionem, et ampliationem facultatum, quæ in consuetis brevibus oratorii privati transcriptæ leguntur. In spem ingreditur fore, ut explanetur, an et quomodo servandæ sint conditiones in prædictis brevibus appositæ? sed nulla data est definitio, et demandatum ut audiretur Episcopus, et ad mentem : *Giennen., Orat.*, 14 *maii* 1774.

§ III.

Oratorium publicum quoad benedictionem, et consecrationem.

1. Intra aulam palatii sui in oppido Dubnieza oratorium habet comes Joseph Illeshazy. Hoc prævia Episcopi licencia, aliquot ante annos fuit benedictum, deindeque ab Episcopo Dorensi suffraganeo Archiepiscopi Strigoniensis juxta facultatem sibi ab hodierno Nitriensi Episcopo tributam ecclesiastico ritu consecratum. Contendebat parochus, Missam solemnioribus festis in eo celebrari non posse, nec pulsari tintinnabula in turri palatii existentia, nisi pro congrua capellani a se dependentis constitueretur fundus, et nisi turris ab ea distincta supra oratorium erigeretur. Disceptata est validitas consecrationis ; et de valida consecratione oratorii

constare fuit definitum : *Nitrien.*, 13 *febr.* 1735, *dub.* 1.

2. Postulatum quum fuisset, an Episcopus Campaniæ sine præjudicio jurium parochialium teneatur concedere facultatem benedicendi oratorium ; quod a solo extructum fuit a Gherardo Copeto juxta proprias ædes in eadem civitate, quod minuitur populi in aliis ecclesiis frequentia, S. C. rescripsit, ut supplicet Episcopo, addendo ad mentem : *Campanien.*, 16 *decem.* 1747, *dub.* 1.

3. Hospitale cum adnexo oratorio in terra Castri Novi inferioris cum tribus altaribus belli vi dirutum reædificare curavit sodalium B. M. V. de Misericordia, piorumque hominum, charitas. Apertum inde fuit hospitale, et unum deerat, ut ab Episcopo Parmensi benediceretur oratorium. Contradictorem se præbuit parochialis ecclesiæ archipresbyter. Sed discusso apud S. C. dubio responsum prodiit prætensæ hospitalis, ejusque oratorii redintegrationi, ut ab Episcopo sit benedicendum, locum esse : *Parmen.*, *Hospitalis*, 2 *aug.* 1755, *dub.* 1.

4. Fratres de Fabiis incolæ loci Calamello publicum ære suo ædificarunt oratorium, ut ruriculis, advenisque hyberno præsertim tempore ad sacrum diebus festis audiendum Tarugo flumine inter ipsos, et parochiam, ducentum supra mille passibus distantem labente, consuleretur. Exorantur hactenus Episcopum, ut sacro ritu benedicatur, sed frustra. Contra legem Synodi, et ad refugium facinorosorum extructum dicit ille. Rationibus hinc a S. C. ponderatis, rescripsit, concedendam esse benedicendi facultatem, salvis tamen juribus parochialibus, et adposito lapide : *Forosempronien.*, *Bened. orat.*, 24 *sept.* 1763.

§ IV.

Oratorium publicum quoad constructionem, et refectionem.

1. Domus miraculis clara in civitate Posnaniensi sita, ubi olim a nonnullis Judæis anno 1399 tres divinissimi Sacramenti hostiæ cultrorum ictibus perfossæ fuerunt, e quibus sanguis sacratissimus profluit copiose, possidetur a Patribus Carmelitis strictioris Observantiæ, qui modo cupientes ædificare inibi oratorium cum sacello pro celebratione Missarum ad promovendam Dominicæ passionis devotionem, aperitione januæ ad viam publicam, ac turris sacræ appositione, licet refragantibus regularibus nonnullis sub prætextu, quod e conspectu ecclesiæ parochialis sit domus, a S. C. decretum reportarunt favorabile Episcopo in forma commissaria directum : *Posnanien*, *Aperit. orator.*, 16 *febr.* 1704 ; confirmata ex speciali gratia : 19 *april. ejusdem anni.*

2. Oratorium situm in pago Jeysei, et B. M. V. dicatum ampliari, et in formam publicæ ecclesiæ redigi posse ab universitate dicti pagi, et procuratore piorum operum ab eadem constructorum cum oblationibus a fidelibus exteris, et non incolis parochiæ dicto oratorio relictis, parocho etiam dissentiente S. C. rescripsit, addiditque modum : *Tarentasien.*, 22 *april.* 1719, *dub.* 2.

3. Carolus Bonfilius exoptat, ut ecclesiola ædificetur in sua villa S. Pancratii prope viam publicam, ubi sacrum quotidianum, et festum S. Annæ celebretur. Annuit S. C. parocho contradicente, cum celebratione tamen Missa diebus ferialibus, et festis de præcepto in ecclesia parochiali. Ab hoc decreto executores testamentarii reclamarunt, et in decisis responsum est. Deinde causa reproducta confirmatur decretum excepta festivitate S. Annæ : *Lucana*, *Capell.*, 19 *sept.* 1722. Denique S. C. recessit a decisis, et indulsit gratiam juxta modum ab Ordinario præscribendum [12] : nam iidem exequutores præjudicium inferre juribus parochialibus minime intendebat : 9 *febr.* 1726.

4. Reliquerat Nicolaus Soprani legatum Missarum, ac inde substitutis vocatis monachis Benedictinis S. Sixti mandavit oratorii constructionem, ubi Missarum onus adimpleretur. Hi substituti modo desiderant quod remisso onere oratorium ædificandi Missæ celebrari possint in eorum ecclesia Placentiæ; et S. C. rescripsit primum dilata, et scribatur Episcopo juxta instructionem [13] : *Placentina*, *Commut. volunt.*, 6 *decem.* 1760. Deinde ead. S. C. commutavit voluntatem juxta votum Episcopi [14] facta in favorem capellani assignatione fundi ad formam testamenti : 8 *aug.* 1761.

5. Omnia jam a Josepho parata erant pro constructione novi oratorii in villa Schiazzani duobus fere miliariis a parochiali ecclesia Castri Ceulæ, ad quam difficilis, et aspera est accessio, dissita ; quum zelatores dicti castri exposuerint ædificationem illam peragi, ut Josephus facilioris victualium lucrum aucto populi concursu faciat. Ideo in consultationem venit, an esset publici hujus oratorii constructioni locus? responsum exiit affimativum juxta votum Episcopi, assignata dote arbitrio Episcopi pro manutentione oratorii, et ut scribatur juxta mentem · *Sarsinaten.*, *Erect. orat.*, 23 *januar.* 1773.

[12] « Juxta tamen modum ab eodem Episcopo præscribendum pro suo arbitrio, et conscientia gratis (gratiam) impertiatur. » *Lib.* 76, *Decret.*, fol. 67.

[13] Vide not. 43, lit. L., præcedentem.

[14] Vide not. 44, lit. L., præcedentem.

6. Tum oratorium, tum sacrarium ecclesiæ sodalitii S. Mariæ *del Gaudio* minatur ruinam, et impares sunt reditus societatis pro explenda instauratione. Postularunt idcirco sodales facultatem impendendi pro oratorii, et sacrarii reædificatione cumulum conflatum ex fructibus in restaurandis ruralibus domibus convertendis legati Francisci Ghirardelli, qui hæreditatis medietatem in ecclesiæ sodalitii ædificatione, et alteram medietatem in celebratione Missarum erogari jusserat. Proposito hinc ab oratoribus definiendo dubio; responsum prodiit pro medietate summæ depositæ: *Bononien*, 21 *junii* 1783. Quum nonnihil etiam post fabrorum muratiorum opus faciendum restaret in oratorio, rogatum item fuit pro altera medietate. Sed suspensa definitione, ut scriberetur Archiepiscopo juxta instructionem responsum est: 6 *maii* 1786.

§ V.

Oratorium publicum, quoad demolitionem, ac profanationem.

1. Archiepiscopus Compsanus præcepit demolitionem oratorii existentis in aula palatii baronis Castri Novi, ac interdicto supposuit, quia contra decretum vicarii generalis in visitatione emanati pene dirutum reædificatum fuit, ac sacrum ibi celebratum. Hanc demolitionem demandatam per Archiepiscopum ratam non habuit S. C. Habebat enim plura signa erectionis publici oratorii: *Compsana, Cens.*, 31 *maii* 1704, *dub.* 2.

2. Expositis per Episcopum Tudensem hisce dubiis an oratorium publicum propter solam deficientiam ornamentorum possit profanari per eumdem?

3. An sit in arbitrio Episcopi, dote non existente congrua, neque ab eo approbata, capellam, ecclesiam, seu publicum oratorium, vel fundatorem ad supplendum cogere vel illam demoliri curare, maxime deficientibus ejusdem fundatoris bonis? S. C. respondit ut recurrat in casibus particularibus: *Tuden., Capel.*, 7 *maii* 1707, *dub* 3 et 4.

4. Quum humiditate scateat atque fœtida squallidaque maneat ædicula quædam S. Antonii abbatis in civitate Firmi, quæ pertinet ad Patres Minores Conventuales; isti exoraruut ut sibi facultas indulgeatur claudendi et in usus profanos non sordidos eam convertendi ac transferendi simul in ipsarum ecclesia ad altare ejusdem Sancti onera trium Missarum in hebdomada, quæ in præfata ædicula a religiosis celebrantur. Hisce precibus a S. C. rescripsit affirmative cum onere augendi Missas juxta votum Vicarii[15]: *Firmana, Ædiculæ*, 12 *decem.* 1761. Postea recessit a decisis addendo ad mentem prævio recursu civium, qui se exhibebant in casu quo patres nollent illam parare ac instaurare: 27 *martii* 1762.

5. Cum cellam seu ædiculam nuncupatam *di Gambettola* in agro Ariminensi sitam, ubi imago B. M. V. reperitur, demoliri Patres Minores conventuales contra testaroris mentem, et onera in propria ecclesia expiere proponentes, quæsivissent; negativum tulerunt responsum, etiamsi alias hujusmodi in dicto agro existentes antecessores Episcopi demoliendi potestatem fecerint: *Ariminen., Commut. volunt.*, 2 *decem.* 1775.

6. Demoliendum haud esse sacellum rurale extans intra fines parœciæ S. Crucis urbis Ravennæ, licet ex decreto Episcopi cautum est, ne parochus S. Crucis, ad quem sacellum spectat, domunculam eidem sacello adnexam in posterum cuiquam locaret, non leve ipsi parocho incommodum obveniret, ob quæ implementum onerum, quæ ibi perageban-tur, S. C. præcepit: *Ravennaten.*, 29 *julii* 1775, *dub.* 1.

7. Demolitionem templi siti in fine suburbii castri Montis Cerotti B. M. V. de Populo dicati, in quo plura sunt Missarum onera, et respective translationem ejus cœmentorum, necnon fundationum utensilium et onerum in eo existentium ad ecclesiam parochialem ejusdem castri denegat S. C., et si illud perditorum hominum devenerit receptaculum: *Æsina, Demolit.*, 26 *aug.* 1780, *dub.* 1.

8. Ad evitandas insuper populi offensiones, vel ad expensas in fabricam jam inceptam ecclesiæ erogandas S. C. mandat, ut Episcopus provideat omnibus juris remediis, contra quos de jure: *Ibid.*, *dub.* 2.

9. Rogantibus monialibus S. Leonis ordinis S. Claræ terræ Petræ Sanctæ facultatem demoliendi ædem sacram S. Vincentio dicatam ac relictam a pia muliere Thomasia Piombini e terra prædicta iisdem monialibus, eo quod ruinam ob vetustatem minatur, necnon postulantibus translationem Missarum onerum. S. C. affirmativum præbuit responsum, facta per moniales obligatione in forma juris valida celebrationis Missæ in ecclesia monasterii in omnibus sabbatis, et satisfactionis aliorum onerum ad formam testamenti, servatis cautelis a sacro Concilio præscriptis[16] in demolitione et aliis

[15] « Et mens est, ut Ordinarius mandet exequi decreta visitationis (quæ præcipiunt restaurationem) interdicta PP. Conventualibus locatione superioris mansionis, et exterioris situs ad usus indecentes. » *In Thesaur.*, tom. 30, pag. 58.

[16] Sess. 21, cap. 7, *de Reform.* Vide not. 10, verb. *Ecclesia in genere* § II.

solitis et consuetis : *Lucana, Demolit. et Trans. oner. Miss.*, 18 *aug.* 1781.

10. Publicum oratorium sanctissimi Crucifixi jamdiu a Lucretia de Bandis ædificatum in suburbio S. Bartholomæi civitatis Arimini, adeo fuit a terræ violenti motu concussum, ut ejus restauratio sumptum exæquet novæ ædificationis. Hinc patronus Galeatinus Cima veniam petit demoliendi ruinosum illud ædificium, et impetravit : *Ariminen., Demolit. et trans. Miss.*, 5 *april* 1788, *dub.* 1.

11. Antonius Semproni oratorium publicum juxta suam voluptatis domum in territorio Flumicini ædificavit, assignavitque fundum pro perpetua manutentione, et trium Missarum annuatim in festivitate ejusdem dedicationis. Filius vero post obitum patris supplicavit pro ejus demolitione, et Missarum translatione, et S. C. non audivit ; iterum modo exorat, et responsum refert *in decisis, et preces amplius non recipiantur ; nec non vicarius capitularis incumbat instaurationi oratorii : Cæsenaten., Demolit. orat.*, 28 *febr.* 1795.

12. In oratorio rurali S. Blasii parum distanti ab ecclesia parochiali Castri Novi inferioris beneficium simplex reditus scut. 50 annui fundatum est, cujus rector unam ex consuetudine in festo titularis celebrare tenetur Missam cum cantu. Episcopus hoc oratorium ruinam minari, et constitutum esse in loco aquoso testatur, hinc S. C. exorat, ut demoliri possit, et transferri beneficium ad ecclesiam parochialem. At S. C. demolitioni dicti oratorii non locum esse censuit : *Parmen., Demolit. orat., et trans. benef.*, 17 *sept.* 1796, *dub.* 1.

§ VI.

Oratorium publicum quoad Missam ceterasque functiones inibi peragendas.

1. Gregorius XV, Pont. Max., ex S. C. Concilii sententia benigne indulsit, ut deinceps in capellis, seu oratoriis existentibus in domibus, ac membris, seu granciis monasteriorum ordinis Carthusianensium, postea tamen, quam locorum Ordinarii ejusmodi capellas semel visitaverint, ac fabrica, atque ornatu, sacraque supellectili compererint pro dignitate nitere, sacrosanctum Missæ sacrificium per regulares, sive ejusdem, sive alterius religionis, quam seculares presbyteros tuto celebrari valeat, Missamque inibi audientes diebus festis, præcepto ecclesiæ hac de re edito, satisfacere intelligantur, absque tamen ullo jurium parochialium ecclesiarum præjudicio : *Carthusiensium*, 24 *sept.* 1622.

2. Ponderato accurate dubio, an parochus prohibere possit, ne in capella ruris per laicum ædificata in solo publico celebrari possit, antequam Missa celebretur in ecclesia parochiali matrice ? sequens prodiit resolutio ; supposita facultate legitima celebrandi in dicta capella, de rigore juris non posse prohiberi, sed Episcopum pro prudentia curare posse, ut in diebus festis prius celebretur Missa in ecclesia parochiali : *Nullius*, 28 *januar.* 1640 [17].

3. Quæritur, an liceat in ecclesiis, et oratoriis intra limites parochiæ existentibus Missas canere, nempe feria quinta in Cœna Domini, sabbato sancto Nativitatis Dominicæ, et aliis solemnibus anni diebus ? responsum est, affirmative præterquam quoad Missam cantandam feria quinta, et sabbato majoris hebdomadæ : *Nullius, seu Nonantulana, Jur. par.*, 13 *januar.* 1685, *dub.* 4.

4. Idem fuit resolutum in *Brictinorien.*, 21 *junii* 1687, *dub.* 4.

5. Cæsar Maria Baretta civis in quodam suo prædio in Villa Franca posito, et per unum milliare cum dimidio a parochiali ecclesia S. Mariæ in Lampio distante, e fundamentis oratorium publicum erexit, inde efflagitavit, an sit concedenda licentia celebrandi Missam in prædicto oratorio ? affirmativum sine præjudicio jurium parochialium datum est responsum : *Foro Livien., Erect. eccles.*, 16 *januar.* 1694.

6. Super dubio, an liceat parocho S. Nicolai

[17] Bened. XIV, *de Synod. diœces.*, lib. XII, cap. 7, num. 7, pag. 458, edit. Rom. 1755, hac de re ait : « Opus est adnotare, aliqua interdum a Sacris Urbis Congregationibus edi responsa, quæ licet juri communi sint conformia, non tamen labefactant contraria synodorum statuta, quæ alicubi justis de causis vigeant, neque ab istis in posterum servandis quempiam excusant. Ita quamvis a Sacra Congregatione Concilii sæpius decisum fuerit, *de rigore juris, non posse a parocho prohiberi, ne in publicis oratoriis, sitis intra suæ parochiæ fines, Missæ celebrentur ante Missam parochialem* ; quod totidem verbis legitur lib. 16 *Decret.*, pag. 331, et 543. Nihilominus, si Episcopus in Synodo, aut etiam extra synodum, contrarium jusserit, ne populus retrahatur a Missa parochiali, et concione in ea per parochum haberi solita, Episcopi præceptum prævalebit, eique erit obtemperandum etiam ex ejusdem Sacræ Congregationis sententia, quæ *die* 25 *maii* 1652, respondit : *Constitutiones synodales disponentes, ut diebus festis Missæ celebrari non debeant in aliis ecclesiis, nisi celebrata Missa in ecclesia parochiali esse observandas* : uti habetur lib. 19, *Decret.* 191, et videri potest *in nostra Instit.* 44. Similiter a Sacra Rituum Congregatione anno 1703, plura emanarunt decreta ad dirimendas contentiones inter parochos, et capellanos Confraternitatum intra parœciæ ambitum existentium excitari consuetas : sed in iisdem decretis expresse cautum est, ea locum non habere, ubi aliud ab Episcopo in suis synodalibus constitutionibus statutum fuerit ; quod a nobis pariter uberius explicatum est : *Inst.* 105.

villæ Belforis prohibere celebrationem Missarum diebus festivis in oratorio publico S. Mariæ ejusdem villæ ? prætendente parocho celebrationem Missæ in dicto oratorio permitti non posse diebus festivis in præjudicium, et diminutionem concursus suæ ecclesiæ parochialis; rescriptum negativum est traditum salvis juribus parochialibus addendo ad mentem : *Fulginaten., Orat.*, 7 *julii* 1696.

7. Sub die 22 martii 1681, incolis loci de Newilers impertita est facultas audiendi sacrum dominicis, et festis diebus in quadam ecclesia inibi sita, inspecta distantia ab ecclesia parochiali S. Petri de Chevigni, absque tamen præjudicio jurium parochialium, committendo exequutionem vicario generali Leodii, qui audito parocho speciale edidit decretum ; sed parocho reclamante facultatem limitavit quoad partem incolarum. Inde locum factum est rationum momenta examinandi in S. C., an sententia lata anno 1681, a vicario generali Leodii sit simpliciter confirmanda, et observanda, vel moderanda, et quomodo ? S. C. censuit audiendum esse parochum, sublata suspensione exequutionis decreti S. C., et sententiæ desuper latæ : *Leodien., Jur. par.*, 19 *april.* 1701.

8. In ecclesia, seu publico oratorio nuncupato Trium Magorum existenti intra limites parochiæ S. Mariæ loci Rezzonici de jurepatronatus familiæ Tricanæ licet parocho dictæ parœciæ exercere omnes, et singulos actus parochiales propria auctoritate : *Comen., Par.*, 21 *aug.* 1706, *dub.* 2.

9. Ac ad dubios, an etiam ibi valeat benedicere, distribuere candelas, cineres, et palmas ?

10. An ibi possit facere benedictiones mulierum post partum, fontis baptismalis, ignis, seminis ovorum, et similia ?

11. Num omnes quoque functiones hebdomadæ sanctæ ?

12. Et utrum dicto parocho competat celebratio Missæ solemnis feria quinta in Cœna Domini, et aliarum per annum, sive pro vivis, sive pro defunctis in dicta ecclesia ?

13. An itidem expositio Quadraginta Horarum, et reliquiarum, et sacrarum imaginum, et benedictio, quæ cum eis fit super populo ?

14. An etiam omnes, et singulas supplicationes per annum ? S. C. respondit, ad S. C. Rituum [18] : *Ibid., dub.* 3, *usque ad* 8.

15. Expositis per Episcopum Tudensem sequentibus dubiis ; an in ecclesia, capella seu oratorio publico noviter erecto Missa celebrari possit, antequam per Episcopum ordinarium loci visitetur per se, vel per alium ?

16. An recusante Episcopo in novo oratorio publico, capella, seu ecclesia licentiam celebrandi Missam concedere, possit talis licentia per judicem appellationis concedi, dicta visitatione non precedente ? S. C. rescripsit, ut recurrat in casibus particularibus : *Tuden., Cap.*, 7 *maii* 1707, *dub.* 1 et 2.

17. Ecclesia, sive oratorium publicum S. Joan. Baptistæ situm in terra Mastennæ de jurepatronatus fratrum de Trincanis dependentiam, sive subjectionem in functionibus parochialibus, non autem quoad non parochiales ab ecclesia parochiali Rezzonici habet : *Comen., Jur. paroch.*, 9 *junii* 1714, *dub.* 1.

18. Nec licet parocho dictæ ecclesiæ Rezzonici independenter a patronis functiones parochiales in dicto oratorio ad sui libitum, iis invitis, explere : *Ibid., dub.* 2.

19. In burgo seu vico nuncupato *Ponte di Ronca* duodecim domunculis ad usum rusticorum composito publicum reperitur oratorium satis pro celebratione sacrificii sacris utensilibus instructum. Modernus curatus abbas SS. Nicolai et Agathæ institit pro suspensione, et interdicto ab ulteriori celebratione Missarum, hinc re in S. C. deducta, hæc arbitrio Card. Archiepiscopi rem commendavit : *Bononien., Orat.*, 13 *aug.* 1729.

20. Oratorium extructum a nobili familia Bevilaqua in suo latifundio penes oppidum Nonantulæ publicum declaratum est. Inde S. C. decrevit in eodem licere celebrare sacrum per ejus capellanum, vel alios sacerdotes, exceptis tantum tribus diebus ultimis majoris hebdomadæ : *Nullius, seu Nonantulana, Jur. par.*, 27 *junii* 1744, *dub.* 2, confirmata 8 *maii* 1745.

21. Ac in solemnioribus festivitatibus B. M. V., et aliis diebus festis Missa parochialis celebrari debeat hora determinanda a Card. abbate, et post eam possint Missæ in dicto oratorio celebrari : *Ibid., dub.* 3.

22. Non autem retinere licet exedras ad confessiones excipiendas in dicto oratorio, nisi de licentia Card. abbatis : *Ibid., dub.* 6. Inde receditur a decisis responditque S. C. affirmative de licentia Card. prædicti abbatis : *Ibid.*

23. Neque retinere licet tabernaculum in altari pro asservando Sanctissimæ Eucharistiæ sacramento, nec dumtaxat de mane, et post Missarum celebrationes tabernaculum apertum et vacuum retinere : *Ibid., dub.* 8.

24. Auctoritate Episcopi oratorium publicum Loveni extructum fuit de jurepatronatus comitum Bolza patriciorum Comensium, in quo etsi peractæ fuerint illæ functiones, quæ jura parochialia non

[18] Vide not. 691, verb. *Congregatio*, § V.

tangunt ; attamen nonnulla dubia declaranda veniunt instante parocho ; videlicet, in festo titulari oratorii, de quo agitur aliisque festis Missæ decantari non valent absque parochi voluntate : *Comen., Funct.*, 17 *maii* 1749, *dub.* 1, confirmata 14 *martii* 1750.

25. At Sanctissimum Sacramentum exponi potest in dicta ecclesia, seu oratorio, sola impetrata licentia Episcopi, et sine parochi arbitrio : *Ibid., dub.* 2, confirmata *ibid.*

26. Ac in dicto oratorio per sacerdotes ab Ordinario approbatos excipi non valent quocumque tempore sacramentales confessiones fidelium quin ex parochi potestate penderent : *Ibid., dub.* 3, confirmata *ibid.*

27. Sub potestate pariter parochi extra tempus paschale administrari potest in eadem ecclesia, seu oratorio sanctissimum Eucharistiæ sacramentum, præterquam in actu celebrationis Missarum : *Ibid., dub.* 4, confirmata *ibid.*

28. Sed citra parochi voluntatem, et de licentia Episcopi haberi possunt panegyricæ conciones : *Ibid., dub.* 5, confirmata *ibid.*

29. Necnon anniversaria, et officia pro defunctis ad libitum peragere inconsulto parocho in eodem oratorio valent : *Ibid.*, dub. 6, confirmata *ibid.*

30. Sed jus peragendi exequias, et officium funebre super cadaveribus, quæ tumulantur in sepulcro oratorii prædicti competit parocho : *Ibid., dub.* 7, confirmata *ibid.*

31. In ecclesia, seu capella publica sodalitii B. M. V. Septem Dolorum civitatis Maratheæ licet retineri exedras ad confessiones excipiendas sodalium de licentia tamen Episcopi, exceptis mulieribus : *Cassanen.*, 12 *aug.* 1747, *dub.* 3.

32. Dubioque agitato, an in eadem ecclesia de sola licentia Episcopi, et per tempora ab ipso præfinita liceat publicæ venerationi exponere Sanctissimum Sacramentum, illudque tamdiu in tabernaculo retinere? S. C. affirmativum dedit responsum, addendo; ut Episcopus prudenter concordat. Nam parochus intra cujus parœciæ limites ecclesia sodalitii constructa manet, detrectat : *Ibid., dub.* 4.

33. Sodales S. Spiritus oratorium habent intra fines parochiæ S. Martini, magni populi novitate ducti frequentia, egerunt functiones majoris hebdomadæ occasione, qua ecclesia parochialis, quæ in Arce est, reparabatur. Inde fuit ecclesia parochialis restituta, et preces obtulit, ut indultum concedatur easdem deinceps funciones peragendi, et S. C. opponente parocho gratiam arbitrio Episcopi remisit : *Syracusana, Ind.*, 13 *januar.* 1753.

34. Benedictione oratorii hospitalis terræ Castri Novi inferioris demandata a S. C. deinde definivit, in eodem non sanctissimum Eucharistiæ sacramentum pro servitio infirmorum, neque eorum cadavera in sepulcris ejusdem hospitalis tumulari, sed tintinnabula reponi, celebrationemque unius sacri tantum pro eorumdem infirmorum servitio fieri : *Parmen., Hospit.*, 2 *aug.* 1755, *dub.* 2.

35. Capellanum inde præfati hospitalis seu oratorii absque parochi arbitrio sacramenta infirmis ibi ministrare, eorumque cadavera in prædictis condere sepulcris non valere statutum fuit : *Ibid., dub.* 3.

36. Exposcenti nobili viro Francisco Betti, ut liceret in solemnioribus etiam anni festis Missam celebrare in publico oratorio vulgo *delle Camatte* erecto a Nicolao Maria de Betto in districtu ecclesiæ parochialis villæ Libollæ; licet hyemali tempore iter ad ecclesiam admodum non sit difficile, sed opportuniori via ad eam accessus scateat, S. C. affirmativum præbuit responsum addendo ad mentem [19] : *Comaden.*, 17 *junii* 1769.

37. Et an Ordinarius declarare posset quod extranei solemnioribus anni festivitatibus in eodem Missam audientes, præceptum non implerent? Nulla data est definitio, sed demandatum ut scriberetur Episcopo, qui transmitteret particulam synodi diœcesanæ necnon integrum exemplar brevis Benedicti XIV, Pont. Max., deinde ut audirentur parochus et officiales hospitalis, qui sua jura in S. C. deducerent : *Grossetana*, 30 *maii* 1778, *dub.* 2 *et* 3.

39. In ecclesia seu oratorio sodalitii Sanctissimi Sacramenti terræ Bondeni arbitrio Card Archiepiscopi celebrandæ Missæ audiendæ confessiones ac tintinnabula pulsanda sunt : *Ferrarien., Confrat.*, 14 *sept.* 1782, *dub.* 10.

Reliqua. Vide *Missa*, § IV.

Ordinandorum qualitas. Vide *Sacramentum Ordinis*, § VII.

Ordinandus. Vide *Sacramentum Ordinis per tot.*

Ordinaria Jurisdictio. Vide *Episcopus*, § VII, VIII et IX.

Ordinarius. Vide *Abbas*, *Episcopus*.

Ordinatio. Vide *Sacramentum Ordinis.*

Ordinationis titulum. Vide *Patrimonium clericorum*, *Sacramentum Ordinis*, § X.

Ordines regulares. Vide *Regulares*.

[19] « Eorum mentem (EE. PP.) per præsentes Episcopo significari voluerunt, ut capellano insinuet, ut post lectum S. Evangelium sermonem brevem habeat, auditorumque capacitati aptum, vitia, quæ declinare, et virtutes, quæ sectari oportet populo enunciet, eidemque catechesim explicet, docens ea, quæ necessaria sunt ad salutem. » *Regist. Lit.*, lib. 55, *die* 17 *junii* 1769.

Ordines sacri. Vide *Canonici*, § ix ; *Sacramentum Ordinis*.

Ordinum collatio. Vide *Abbas*, § ii ; *Episcopus*, § v ; *Sacramentum Ordinis*.

Ordo militaris. Vide *Religio militaris*, etc.

Ordo sacer. Vide *Matrimonium*, § xxiii ; *Sacramentum Ordinis per tot*.

ORGANUM.

1. S. C. ita sensit canonicum non debere ullum etiam minimum chori servitium prætermittere causa pulsandi organum pneumaticum, et si omiserit præter fructuum ac distributionum jacturam, aliis etiam pœnis esse coercendum : *Brixien.*, 26 *nov.* 1611.

2. Receptis duabus societatibus altera Sanctissimi Sacramenti, altera Sanctissimi Rosarii in ecclesia collegiata S. Stephani controversiæ impenderunt ; et inter cetera definitum est de licentia archipresbyteri societatem Sanctissimi Rosarii pulsari facere organa dictæ ecclesiæ non valere, sed consensum insuper canonicorum requiri : *Regien.*, 5 *aug.* 1719, *dub.* 8.

3. Dubio proposito in S. C., an abbas ecclesiæ collegiatæ S. Mariæ nuncupatæ *la Greca* possit punctos delere tanquam absentibus sacerdotibus illis, qui tempore divinorum officiorum organum pneumaticum pulsant? S. C. respondit pulsantes organum absque stipendio distributiones non amittere : *Nullius, Putignani*, 6 *maii* 1741, *dub.* 4.

4. Joan Baptista Petaccius canonicus ecclesiæ collegiatæ oppidi Proxendi cum stipendio scut. 25 a communitate et societatibus præstando, munus organistæ exercens, quotidianas distributiones dum organum pneumaticum pulsabat, percipere prætendebat, sed S. C. illum ad interveniendum choro teneri, neque permittendum illi esse tempore divinorum interventum in organo pro ecclesiæ servitio declaravit : *Ferentina*, 7 *junii* 1760, *dub.* 1.

5. Et cogendum insuper esse aliis pecuniariis pœnis arbitrio Ordinarii eadem S. C. voluit. *Ibid.*, *dub.* 2, confirmata 2 *aug. ejusd. anni*.

Oris aperitio. Vide *Aperitio oris*.

Ovorum benedictio. Vide *Benedictiones*, etc

FINIS TOMI SECUNDI.

INDEX

CAPITUM DECLARATIONUM SACRÆ CONGREGATIONIS CONCILII,

QUÆ IN HOC HUJUSCE EDITIONIS SECUNDO VOLUMINE CONTINENTUR.

D.

DAMNUM et Interesse quoad refectionem, 1.
DATARIA apostolica, 3.
DECANATUS dignitas ecclesiastica quoad electionem, ac onera, 5.
DECANUS canonicus. Vide *Canonicus*, § II.
DECIMÆ quibus, et de quibus debeantur, 7. — quoad quartam. Vide *Episcopus*, § XX.
DECRETA. Vide *Synodus*, § II.
DECRETUM, rescriptum, 13.
DEFECTUS ætatis. V. *Dispensatio*, § III; *Matrimonium*, § VIII, — animi. V. *Irregularitas*, § I, — corporis, V. *Irregularitas*, § II.
DEFUNCTORUM cadavera. Vide *Cadaveris sepultura*, — voluntas. Vide *Dispositio testamentaria*, *Legatum pium*, *Missa*, *Moniales*, § II; *Spolium ecclesiasticum*, *Subsidium dotale*.
DELATIO. Vide *Hæreditas, etc.*, *Sacramentum Eucharistiæ*, § III.
DELEGATA jurisdictio. V. *Episcopus*, § XXV.
DELEGATUS. V. *Matrimonium*, § XIX.
DELETIO. Vide *Legatum pium*, § VI; *Missa*, § XIII; *Subsidium dotale*, § VIII.
DELIBERATIO. Vide *Contractus*, § VII.
DELIBERATIONES capitulares. V. *Capitulum ecclesiasticum*, § XI.
DEMOLITIO. V. *Ecclesia in genere*, § II; *Oratorium*, § IV.
DENUNCIATIONES matrimoniales. Vide *Matrimonium*, § VI.
DEPOSITARIUS, 14.
DEPOSITUM, 15.
DEPUTATIO. Vide *Administrator*, § II; *Capellanus curatus*, § II; *Vicarius capitularis*, § I; *Vicarius curatus*, § II.
DEPUTATUS. V. *Monasterium*, § II; *Seminarium*, § III.
DEROGATIO. V. *Fideicommissum*.
DEVOLUTIVA appellatio. Vide *Appellatio*, § I.
DIACONATUS ordo. V. *Sacramentum Ordnis*.
DICTIONES. Vide *Clausulæ*.
DIERUM festorum observantia. Vide *Festorum dierum observantia*.
DIES. Vide *Missa*, § IX.
DIGNIOR canonicus. V. *Canonicus*, § II.
DIGNITATES ecclesiasticæ in genere quoad electionem, provisionem et collationem, 15, — quoad fructus, ac distributiones quotidianas, 16, — quoad jura, potestatem, et stallum in choro, 17, — quoad Missam solemnem, conventualem, et pro populo, 18, — quoad onera, *ibid.* — quoad servitium chori, vacationes, et sacros ordines, 19, — in specie : Vide *Abbas*, *Archidiaconatus*, *Archipresbyteratus*, *Cantoratus*, *Decanatus*, *Episcopalis dignitas*, *Præpositura*, *Primiceratus*, *Prioratus*, *Scholastria*.
DIMISSIO. Vide *Administrator*, § VI; *Beneficia ecclesiastica*, § X; *Bona ecclesiastica*, § II; *Capellania*, § VII.
DIMISSORIALES litteræ. Vide *Abbas*, § V; *Episcopus*, § V; *Sacramentum Ordinis*, §§ II et III.
DIŒCESANA synodus. Vide *Synodus*.
DIŒCESIS nullius. V. *Abbas*, *Abbatia*.
DISMEMBRATIO. Vide *Beneficia ecclesiastica*, § IV; *Bona ecclesiastica*, § III; *Canonicatus*, § II; *Capellania*, § II; *Ecclesia parochialis*, § IV.
DISPARITAS cultus. V. *Matrimonium*, § XII.
DISPENSANDI potestas. V. *Episcopus*, § XVII.
DISPENSATIO, seu indultum absentandi a choro, 20, — seu indultum absentandi a residentia, 24, — super defectu ætatis, 28, — seu indultum assequendi, et retinendi beneficium seu capellaniam, 33, — ab illegitimate natalium, 37, — ab incompatibilitate, seu pluralitate beneficiorum, 40, — ab irregularitate orta ex defectu animi, *ibid.*, — ab irregularitate orta ex defectu corporis, 42, — ab irregularitate ex crimine orta, 43, — matrimonialis ab impedimentis, 63, — matrimonialis in radice a connubio putativo, 69, — a matrimonio rato, et non consummato, 70, — a professione religiosa, 75, — a voto continentiæ, *ibid.*

DISPOSITIO testamentaria quoad exequutionem, 78, — quoad validitatem, vel nullitatem, 79.
DISPOSITIONES piæ. Vide *Episcopus*, § XIV.
DISSOLUTIO. V. *Ecclesia parochialis*, § VII; *Matrimonium*, § XV; *Sponsalia*, § I.
DISTINCTIO. Vide *Beneficia ecclesiastica*, § IV; *Ecclesia parochialis*, § II.
DISTRIBUTIO. Vide *Bona ecclesiastica*, § III; *Candelarum distributio, eleemosynæ*, § II; *Subsidium dotale*, § VI.
DISTRIBUTIONES quotidianæ. V. *Abbas*, § VI; *Archidiaconus*, § III; *Archipresbyter*, § IV; *Beneficiati*, § I; *Canonici*, § III; *Capitulum ecclesiasticum*, § IV; *Dignitates ecclesiasticæ*, § II; *Mansionarius*, § I; *Œconomus curatus*, § I; *Presbyteri*, § III; *Vicarius capitularis*, § II.
DIVINUM officium seu breviarium. Vide *Breviarium*.
DIVISIO. Vide *Beneficia ecclesiastica*, § IV; *Bona ecclesiastica*, § III; *Candelarum divisio*.
DIVORTIUM. V. *Matrimonium*, § XXVII,
DOCTORATUS, doctores, 81.
DOCTRINA christiana, 82.
DOMESTICUM oratorium. Vide *Oratorium*, § I.
DOMICILII parochus. V. *Matrimonium*, § XVI.
DOMICILIUM, 84.
DOMINIUM. Vide *Bona ecclesiastica*, § IV; *Legatum pium*, § VII; *Sepultura*, § I.
DOMUS. Vide *Ædis, Ædes*.
DONATIO quoad acceptionem, et exequutionem, 84, — quoad revocationem et rescissionem, 85, — quoad validitatem et nullitatem, *ibid.*
DOS seu dotatio. Vide *Beneficia ecclesiastica*, § III; *Canonicatus*, § III; *Capellania*, § III; *Legatum*, § VIII.
DOTALE subsidium. V. *Monasterium*, § V; *Subsidium dotale*.
DRAGHETTO vulgo. V. *Contractus*, § IV.
DUBIUM, dubia, 87.

E.

ECCLESIA in genere quoad materialem ædificationem et reparationem, 87, — quoad alienationem, materialem demolitionem, et profanationem, 91, — quoad concessionem, et unionem. 92, — quoad pollutionem, 93, — quoad materialem situationem, et subjectionem, *ibid*, — quoad statum et qualitatem, 94, — archipresbyteralis quoad erectionem, 97, — cathedralis quoad materialem ædificationem et reparationem, *ibid.*, — quoad jus tumulandi: Vide *Cadaver*, § III; *Capitulum ecclesiasticum*, § III, — quoad translationem, 98, — collegiata quoad materialem ædificationem, et reparationem, 99, — quoad erectionem et fundationem, 100, — quoad jus tumulandi: Vide *Cadaver*, §§ II et III; *Capitulum ecclesiasticum*, § III, — quoad unionem, translationem, 105, — matrix, superior quoad probationem, et præeminentias, 106, — parochialis quoad materialem ædificationem, et reparationem, 109, — quoad collationem in titulum, seu provisionem, 116, — quoad distinctionem, et territorium, 125, — quoad erectionem, et dismembrationem, 126, — quoad redintegrationem et subrogationem, 138, — quoad translationem, *ibid.*, — quoad unionem, et unionis dissolutionem, 141, — plebana quoad erectionem, 151.
ECCLESIÆ concathedrales. Vide *Episcopus*, § VI, — bonorum alienatio: Vide *Alienatio bonorum ecclesiæ*, — dignitas: Vide *Dignitates ecclesiasticæ in specie*,
ECCLESIASTICA emphyteusis. V. *Emphyteusis*, — pensio: Vide *Pensio ecclesiastica*.
ECCLESIASTICÆ causæ. Vide *Causa judicialis*, — dignitates: Vide *Dignitates ecclesiasticæ*, — functiones: V. *Functiones ecclesiasticæ*, — personæ: Vide *Clerici*, — pœnæ: Vide *Pœna*, § II.
ECCLESIASTICI. Vide *Clerici*.
ECCLESIASTICUM capitulum. V. *Capitulum ecclesiasticum*, — spolium: Vide *Spolium ecclesiasticum*.
ECCLESIASTICUS judex. Vide *Judex*.
EDICTUM. Vide *Concursus*, § III.
EGRESSIO. Vide *Regulares*, § I.
EJECTIO. Vide *Monasterium monialium*, § V; *Regulares*, § I.
ELECTIO. V. *Abatissa*, § II; *Canonicatus*, § I; *Capellania*, § VI; *Capellanus curatus*, § II; *Capellanus sodalitii*, § II; *Concionator*, § III; *Confessarius*, § II; *Decanatus dignitas, mansionaria*, § I; *Œconomus*, § II; *Prior*, § I; *Sepultura*, § II; *Subsidium dotale*, § VII; *Vicarius capitularis*, § I; *Vicarius curatus*, § II.
ELEEMOSYNÆ. Vide *Concionator*, § II, — Missarum: Vide *Capellanus*, § VI; *Missa*, § VII, — seu oblationes quomodo, et a quibus colligi, administrari, et custodiri valeant, 151, — seu oblationes quoad pertinentiam, erogationem, et distributionem, 154.
EMISSIO. Vide *Professio religiosa*, § III.
EMOLUMENTA in genere, 157, — funerea quomodo, et a quibus solvere, aut restituere teneantur, 158, — quoad quartam. V. *Quarta funerum*.
EMPHYTEUSIS ecclesiastica quoad investituram, laudemium, et canonem, 165, — quoad prælationem, concessionem, et beneplacitum apostolicum, 168, — quoad perpetuitatem, et affrancationem, 173, — quoad validitatem, nullitatem, et sanationem contractus, 174.
EMPTIO, et venditio. V. *Contractus*, §§ V, VI, VII et VIII.
EPISCOPALIS dignitas, 176.
EPISCOPUS quoad beneficia et capellanias, 177, — quoad capitulum et canonicos, 178, — quoad cathedraticum vel synodaticum, a quibus, in qua summa, et quo tempore debeatur, necne, 180, — quoad causarum etiam capitularium cognitionem, 185, — quoad collationem sacrorum ordinum, ac litterarum dimissorialium, ac testimonialium concessionem, 187, — quoad duas ecclesias concathedrales, 188, — quoad jurisdictionem ordinariam, vel delegatam in genere, vel quoad exemptionem ab ea, 189, — quoad jurisdictionem in ecclesias suæ diœcesis, 197, — quoad jurisdictionem in regulares, moniales, earumque ecclesias, et monasteria 198, — quoad jus conferendi beneficia suæ diœceseos, 204, — quoad jus ferendi censuras, *ibid.*, — quoad onera in genere, 206, — quoad parochias, earumque rectores, 207, — quoad piarum dispositionum exequutionem, 211, — quoad sacras pontificales functiones, earumque cæremonias, 212, — quoad portionem canonicam, seu quartam funerum, 215, — quoad potestatem absolvendi, et dispensandi, 216, — quoad potestatem, officium, et præeminentias, 218, — quoad procurationem seu quomodo, a quibus, et in qua summa debeatur, necne, 225, — quoad quartam decimarum, 233, — quoad residentiam vel absentiam, *ibid.* — quood sacramentum Confirmationis, 235, — quoad strenam, seu xenia, ac alia emolumenta, *ibid.*, — quoad subsidium charitativum, 240, — quando visitationem per-

agere jure ordinario, vel jure delegato valeat, necne, 240, — quoad jura, ac potestatem tempore visitationis, 252, — quomodo indicere, et quomodo et ubi incipere visitationem debeat, 253, — quando per alium, et cui visitationem delegare possit, 254, — quoad tempus, modum, et comitatum visitationis, 255, — quando visitare, et procedere cum adjunctis debeat, necne, *ibid.*

EQUITES hierosolymitani. Vide *Religio militaris ordinis hierosolymitani*, § v.

ERECTIO. Vide *Archidiaconatus dignitas, beneficia ecclesiastica*, § v; *Canonicatus*, §§ iv et vii; *Capellania*, § iv; *Clericatus, Ecclesia collegiata*, § ii; *Ecclesia archipresbyteralis, Ecclesia parochialis*, § iv; *Baptismalis fons, hebdomadariatus erectio, hospitale*, § i; *Hospitium, mansionaria, mansionarius*, § ii; *Monasterium monialium*, § ii; *Seminarium*, § iv; *Sodalitium*, § v; *Vicaria perpetua*, § i.

EREMITA, eremus, 258.

EROGATIO. Vide *Eleemosynæ*, § ii; *Fructus*, § ii; *Pecunia.*

ERRORIS impedimentum. Vide *Matrimonium*, § xiii.

EUCHARISTIA. V. *Sacramentum Eucharistiæ.*

EVICTIO. Vide *Bona ecclesiastica*, § v.

EXAMEN, 259.

EXAMINATORES synodales, 260.

EXCESSUS, 262.

EXCOMMUNICATIONIS censura, 262, — quoad absolutionem : Vide *Absolutio*, § iv.

EXEMPTIO, exempti a jurisdictione Ordinarii. Vide *Abbatia, clerici*, § i; *Episcopus*, §§ vii, viii et ix; *Hospitale*, § ii; *Monasterium monialium*, § iv; *Quarta funerea*, § i; *Regularium monasterium*, § iii; *Seminarium*, § vii.

EXEQUUTIO, 272, — litterarum dispensationum matrimonialium : V. *Dispensatio*, §§ x, xi et xii.

EXEQUUTOR apostolicus, 272.

EXERCITIUM. Vide *Administratio*, § ii; *Ars aromataria*, — curæ animarum : Vide *Canonici*, § i; *Capellanus curatus*, — ordinum : Vide *Sacramentum Ordinis.*

EXERCITUS vicarius. Vide *Capellanus seu Exercitus*, etc.

EXHUMATIO. Vide *Cadaver*, § ii.

EXPENSÆ in genere, 273, — litis judiciales, seu extrajudiciales, 276, — funerum : V. *Emolumenta*, § ii; *Quarta funerum*, — in matrimonio : V. *Matrimonium*, § i.

EXPERIMENTUM cohabitationis triennalis. Vide *Matrimonium*, § xv.

EXPOSITIO. Vide *Sacramentum Eucharistiæ*, § iii.

EXPOSITUS. Vide *Hospitale*, § iii.

EXPULSIO. Vide *Sodalitium*, § ix.

EXTENSIO. Vide *Applicatio*, § iii.

EXTINCTIO. Vide *Census*, § i; *Pensio ecclesiastica*, § i.

EXTRAJUDICIALES expensæ. V. *Expensæ*, § ii.

EXTREMA unctio. Vide *Sacramentum Olei sancti.*

F.

FABRICA. Vide *Seminarium*, § v, — basilicæ S. Petri, 283.

FACULTAS. Vide *Jus, Jura, Potestas*, — alienandi : Vide *Alienatio*, § i, — concedendi litteras dimissoriales, et testimoniales : Vide *Abbas*, § v; *Episcopus*, § v, — exercendi curam animarum : Vide *Abbas*, § iii; *Canonici*, § i : *Capitulum ecclesiasticum*, § ii; *Cura animarum, etc.*, — testandi : Vide *Moniales*, § ii.

FALCIDIA, 287.

FALSUM, falsificans, *ibid.*

FENESTRA, fenestræ, 287.

FESTORUM dierum observantia, 289.

FESTUM, festivitas, *ibid.*

FEUDUM. Vide *Emphyteusis*, § i.

FIDEICOMMISSUM quoad derogationem, 291.

FIDEI professio. Vide *Professio fidei.*

FIDES seu testimonia, 291.

FILIORUM familias matrimonia. Vide *Matrimonium*, § vii.

FILIUS, filii quoad legitimitatem. Vide *Matrimonium*, § xxv.

FINES seu confinia. Vide *Ecclesia in genere*, § v; *Ecclesia parochialis*, § iii.

FIRMATIO status *hæreditarii*, 292.

FONS baptismalis. Vide *Baptismalis fons.*

FORANEUS, vicarius. Vide *Vicarius foraneus.*

FORI privilegium. Vide *Clerici*, § iii.

FORMA. Vide *Concursus*, § iii.

FORUM, 298.

FRIGIDITAS viri ad copulam. Vide *Matrimonium*, § xv.

FRUCTUS quoad applicationem. Vide *Applicatio*, — quoad condonationem, 298, — quoad erogationem, investimentum, ac multiplicum, 299, — cui, et a quo tempore debeantur, et sint restituendi, 300.

FRUMENTARIUS mons. Vide *Mons*, § i.

FUNCTIONES ecclesiasticæ, 304, — parochiales : Vide *Archiprespyter*, § ix; *Capellanus curatus*, § i; *Parochus*, § iv, — pontificales : Vide *Episcopus*, § xv.

FUNDATIO, fundationes, 289*.

FUNDUS. Vide *Legatum pium*, § viii; *Missa*, § viii; *Subsidium dotale*, § xiii.

FUNERANDI jus. Vide *Cadaver*, § iii; *Parochus*, § iv.

FUNEREA emolumenta. Vide *Emolumenta*, § ii; *Parochus*, § vi, — emolumenta quoad quartam : Vide *Episcopus*, § xvi; *Parochus*, § vi; *Quarta funerea.*

FUNUS. Vide *Cadaver*, § iii.

FURTIVE ordinatus. Vide *Sacramentum Ordinis*, § vi.

G.

GENERALIS vicarius. Vide *Matrimonium*, § xx; *Vicarius generalis.*

GENERATIONES. Vide *Emphyteusis*, § i.

GENTILITIUM stemma. Vide *Stemma gentilitium.*

GRADUS. Vide *Matrimonium*, § x.

GRATIA perinde valere. Vide *Sanatoria.*

GRAVAMEN, gravamina, 290*.

GRAVATORIA. Vide *Pœna.*

GUBERNATOR, sive administrator. Vide *Administrator.*

GREGORIANUS cantus. Vide *Cantus Gregorianus.*

H.

HABITATIO. Vide *Domicilium.*

HABITUS. Vide *Clerici*, § v.

HÆREDITARIUS status quoad firmationem. Vide *Firmatio status hæreditarii.*

HÆREDITAS quoad delationem, transmissionem, et amissionem, 291*.

HÆRES quoad jura et potestatem, 292*, — quoad onera, 293*.

HEBDOMADARIATUS erectio, 295*.

HEBDOMADARIUS, hebdomadarii. Vide *Canonicus*, § iii; *Presbyteri*, § i.

HIEROSOLYMITANA religio. Vide *Religio militaris ordinis Hierosolymitani.*
HOMICIDA, homicidium. Vide *Irregularitas,* § III.
HONESTAS publica. Vide *Matrimonium,* § XIV.
HONORARIUM, 296*.
HONORARIUS canonicus. Vide *Canonicus,* § IV.
HORA. Vide *Missa,* § VI.
HORÆ canonicæ. Vide *Breviarium seu Officium divinum.*
HOSPITALE quoad erectionem, 296*,—quoad exemptionem, visitationem, redituum, administrationem et officiales, 297*, — quoad infirmos, invalidos, et expositos, 299*,—quoad jura et privilegia, 300*,— quoad rectores, ac inservientes, 301*.
HOSPITIUM quoad erectionem, 302*.
HYPOTHESIS. Vide *Bona ecclesiastica,* § VI.

I.

IGNIS benedictio. Vide *Benedictiones, etc.*
ILLEGITIMITAS prolis. Vide *Matrimonium,* § XXV,— —quoad dispensationem : Vide *Dispensatio,* § V.
IMMEMORABILIS consuetudo. Vide *Consuetudo.*
IMMUNITAS ecclesiastica, 303*.
IMPEDIMENTA matrimonialia dirimentia. Vide *Matrimonium, de* § VIII *usque ad* § XXIII, — Impedientia : Vide *Matrimonium,* § XXIV, — quoad dispensationem : Vide *Dispensatio,* § X.
IMPENSA. Vide *Expensæ.*
IMPETRATIO. Vide *Beneficia ecclesiastica,* § II ; *Concursus,* § II ; *Vicaria perpetua,* § I.
IMPLEMENTUM. Vide *Legatum pium,* § II.
IMPOSITIO. Vide *Census,* § I.
IMPOTENTIA. Vide *Matrimonium,* § XXVI.
IMPROBATIO. Vide *Consuetudo,* § IV.
IMPUBERES. Vide *Matrimonium,* § VII; *Professio religiosa,* § III.
INCISIO arborum. Vide *Arborum incisio.*
INCOMPATIBITAS. Vide *Beneficia ecclesiastica,* § VI; *Canonicatus,* § V ; *Capellania,* § V, — quoad dispensationem : Vide *Dispensatio,* § VI.
INCORPORATIO. Vide *Applicatio. Unio.*
INDEBITI repetitio. Vide *Repetitio indebiti.*
INDULGENTIA plenaria et partialis, 305.
INDULTUM absentiæ a choro. Vide *Dispensatio,* § I, — residentiæ : Vide *Dispensatio,* § II, — assequendi beneficium : Vide *Dispensatio,* § IV, — jubilationis quando, et quomodo concedi debeat, necnon, 307, — retinendi beneficium : Vide *Dispensatio,* § IV, — retinendi capellaniam : Vide *Dispensatio,* § IV.
INFAMIA, 313.
INFERIOR prælatus, Vide *Abbas, Archipresbyter, Præpositus.*
INFIRMUS. Vide *Hospitale,* § III.
INHABILITAS. Vide *Beneficium ecclesiasticum,* § I; *Capellania,* § V ; *Legatum pium,* § XV ; *Pensio ecclesiastica,* § II.
INHIBITIONES. Vide *Appellatio.*
INNOCENTIANA taxa. Vide *Taxa, etc.*
INQUISITIO universalis. Vide *Congregatio,* § VI.
INSCRIPTIO, 313.
INSERVIENTES. Vide *Clerici,* § IV ; *Hospitale,* § V ; *Monasterium monialium,* § II ; *Religio militaris ordinis Hierosolymitani,* § V.
INSIGNIA familiæ. Vide *Stemma gentilitium.*
INSTITUTIO. Vide *Beneficia ecclesiastica,* § VII ; *Canonicus,* § I ; *Capellania,* § VI.
INSTRUMENTUM, 314.
INTERDICTI censura, 315, — quoad absolutionem : Vide *Absolutio,* § V.
INTERPOSITIO. Vide *Appellatio,* § III ; *Concursus,* § II.
INTERESSE. Vide *Damnum, etc.*
INTERPRETATIO. Vide *Applicatio,* § III.
INTERSTITIA. Vide *Sacramentum Ordinis,* § IX.
INVALIDUS. Vide *Hospitale,* § III.
INVENTARIUM, 319.
INVESTIMENTUM. Vide *Bona ecclesiastica,* § VII; *Fructus,* § II ; *Legatum pium,* § IX ; *Pecunia, etc.*
INVESTITURA. Vide *Emphyteusis,* § I.
IRRATIONABILITAS electionis. Vide *Concursus,* §§ II et V.
IRREGULARITAS ex defectu animi orta, quando incurratur necne, 320, — ex defectu corporis, quando incurratur necne, 321, — ex crimine quando incurratur, necne, *ibid.*, — quoad dispensationem : Vide *Dispensatio,* §§ VII, VIII et IX ; *Episcopus,* § VIII.
ITERATIO. Vide *Concursus,* § V ; *Examen.*

J.

JANUA, 302*.
JUBILATIONIS indultum. Vide *Indultum jubilationis.*
JUBILATUS. Vide *Beneficiatus, etc.; Canonicus,* § V.
JUDEX, 332.
JUDEX appellationis. Vide *Appellatio,* § III ; *Concursus,* § V.
JUDEX conservator privilegiorum. Vide *Moniales,* § I ; *Regulares,* § II ; *Religio militaris ordinis Hierosolymitani,* § V, — synodalis : Vide *Causa judicialis.*
JUDICIALIS actio. Vide *Actio judicialis,* — causa : Vide *Causa judicialis,* — expensæ : Vide *Expensæ,* § II ; *Matrimonium,* § I.
JUDICIUM Episcopi. Vide *Concursus,* § V.
JURA. Vide *Administrator,* § III ; *Archipresbyter,* § IX ; *Beneficiati,* § II ; *Canonici,* § II ; *Capellanus curatus,* § I ; *Capellanus sodalitii,* § I ; *Capellanus seu Vicarius exercitus, Clerus,* § II ; *Confessarius,* § III ; *Dignitates ecclesiasticæ,* § III ; *Hæres,* § I ; *Hospitale,* § IV ; *Mansionarius,* § II ; *Œconomus curatus,* § III ; *Præpositus,* § III ; *Presbyteri,* § IV ; *Prior,* § III ; *Regulares,* § III ; *Sodalitium,* § VII ; *Vicarius curatus,* § III,—parochialia : Vide *Archipresbyter,* § IX ; *Capellanus curatus,* § I ; *Parochus,* § IV.
JURAMENTI absolutio. Vide *Absolutio,* § VI.
JURAMENTUM, 335.
JURISDICTIO. Vide *Abbas,* § IV ; *Archidiaconus,* § II ; *Archiepiscopus, Metropolitanus,* § I ; *Archipresbyter,* § III ; *Capitulum ecclesiasticum,* § III ; *Episcopus,* §§ VII, VIII et IX ; *Parochus,* § IV.
JUS alimentorum. Vide *Alimenta, matrimonium,* § I, — conferendi beneficium : Vide *Episcopus,* § X, — convocandi synodum : Vide *Archimandrita,* etc.,— eligendi : Vide *Subsidium dotale,* § IX, — ferendi censuras : Vide *Episcopus,* § XI,—suffragium : Vide *Regulares,* § IX ; *Sodalitium,* § II, — nominandi : Vide *Patronus,* § I ; *Subsidium dotale,* § II,— quæstuandi : Vide *Eleemosynæ,*—sepeliendi : Vide *Cadaver,* § IV, — visitandi : Vide *Archiepiscopus, seu Metropolitanus,* § I ; *Episcopus, de* § XXV *usque ad* § XXX ; *Hospitale,* § II ; *Seminarium,* § VII ; *Vicarius capitularis,* § III.
JUSPATRONATUS quoad amissionem, privationem,

et caducitatem, 336,— quoad fundationem, reservationem, et concessionem, *ibid.*,— quoad probationem, ac vocationem, 338,— quoad reservationes Apostolicas, 340. — quoad suspensionem, *ibid.* — quomodo transeat cum donatione, cessione, et venditione, 341.

L.

LÆSIO, 342.
LAPIS. Vide *Stemma gentilitium.*
LATERANENSIS basilicæ Urbis vicarius. Vide *Vicarius, etc.*
LAUDEMIUM. Vide *Emphyteusis,* § I.
LAUDUM, 343.
LAUREA doctoralis. Vide *Doctoratus, Doctores, Primiceratus dignitas ecclesiastica.*
LECTOR, 344, — Sacræ Scripturæ. Vide *Canonicus,* § IX.
LECTORATUS ordo. Vide *Sacramentum Ordinis.*
LEGALIS cognatio. Vide *Matrimonium,* § X.
LEGATUM pium, seu opera pia quoad acceptionem, agnitionem, et renunciationem, 344, — quoad adimplementum, 345, — quoad applicationem, et unionem, 351, — quoad caducitatem, et substitutionem, 355, — quoad commutationem, 356, — quoad deletionem, ac remissionem, 367, — quoad dominium, admissionem, et vocationem, 367, — quoad dotem, ac fundum, 370, — quoad fructus, eorumque investimentum, 372, — quoad incompatibilitatem, ac retentionem, 373.
LEGATUM pium Missarum. Vide *Capellania, Missa,* — quoad qualitatem, 374, — quoad reductionem, 376, — subsidiorum dotalium : Vide *Subsidiorum dotale,* — quoad suspensionem, 382, — quoad translationem, 383, — quoad validitatem, vel nullitatem, et capacitatem illud assequendi, 384.
LEGATUS a latere, 386.
LEGITIMA ætas. Vide *Professio religiosa,* § III.
LEGITIMATIO prolis. Vide *Matrimonium,* § XV.
LIBER, libri, scripturæ, 386.
LIBERTAS. Vide *Matrimonium,* § XXVI.
LIBERATIO a molestiis, 388.
LIGAMEN. Vide *Matrimonium,* § XVI.
LIS judicialis. Vide *Causæ : Episcopus,* § IV,— quoad expensas : Vide *Expensæ,* § II.
LITTERÆ S. Congr. Concilii compulsoriales, et remissoriales, 388, — dimissoriales, ac testimoniales : Vide *Abbas,* § V ; *Episcopus,* § V ; *Sacramentum Ordinis,* § II, III et IV, — apostolicæ quoad executionem : Vide *Executor apostolicus, Beneficia ecclesiastica,* §§ II, VII ; *Canonicatus,* § I ; *Capellania,* § VI.
LOCATIO. Vide *Bona ecclesiastica,* § VIII.
LOCUS. Vide *Missa,* § IV ; *Sacramentum Ordinis,* § IV.
LUDI magister, 391.

M.

MAGISTER. Vide *Ludi-magister, Seminarium,* § III, — sacrarum cæremoniarum, 592.
MAGISTRÆ piæ, *ibid.*
MAGISTRATUS, 593.
MAGNUS magister, magni priores. Vide *Religio militaris ordinis hierosolymitani,* § VI.
MANSIONARIA quoad electionem, ac admissionem, 394,— quoad fundationem, et erectionem, *ibid.*,— quoad incompatibilitatem, et privationem, 395.
MANSIONARIUS quoad distributiones quotidianas, et emolumenta, 396, — quoad jura, vocem in capitulo, et stallum in choro, 396, — novæ et primæ erectionis, 397, — quoad onera in genere, 398, — quoad servitium chori, et Missam conventualem, 399, — quoad vacationes, 400.
MARITUS quoad divortium. Vide *Matrimonium,* § XXVII, — quoad religionis ingressum. Vide *Matrimonium,* § V, — quoad separationem thori. Vide *Matrimonium,* § XXVII.
MASSA fructuum ac distributionum. Vide *Capitulum ecclesiasticum,* § IV.
MATERIA. Vide *Sacramentum ordinis,* § V.
MATRIMONIALES dispensationes. Vide *Dispensatio,* §§ X, XI et XII.
MATRIMONIUM quoad alimenta, et sumptus litis, 400, — celebratum per verba de futuro. Vide *Sponsalia,* — sub conditione contractum, 403, — quoad consensum, ejusdemque renovationem, 404, — contrahendum quando quis adstringi debeat, 406, — quoad conversionem conjugatorum, *ibid.*, — quoad denunciationes, 408, — filiorum familias, seu invitis parentibus contractum, 409, — quoad impedimentum dirimens ætatis, 410, — quoad impedimentum affinitatis, 411, — quoad impedimentum cognationis legalis, spiritualis et carnalis, 414, — quoad impedimentum criminis, 416, — quoad impedimentum cultus disparitatis, 417, — quoad impedimentum erroris, 419,— quoad impedimentum honestatis, 420, — quoad impedimentum impotentiæ coeundi, seu quando est locus triennali cohabitationi, et ratum dissolvitur, 422, — quoad impedimentum ligaminis, seu cum duobus contractum, 428, — quoad impedimentum, seu quoad presentiam proprii parochi, ac testium, seu clandestinum, 431, — initum coram parocho acatholico, 446, — quoad delegatos, capellanos exercitus, et vice parochum, 447, — coram vicario generali Episcopi initum, 449, — quoad impedimentum raptus, 450, — quoad impedimentum vis, et metus, *ibid.*, — quoad impedimentum voti solemnis, 457, — quoad impedimentum impediens voti simplicis, *ibid.*, — impuberum. Vide *Matrimonium,* § VII, — quoad legitimitatem prolis, 457,— quoad libertatem, 459, — quoad obsequia matrimonialia, separationem thori, et divortium, 459, — quoad pœnam inhabilitatis ad contrahendum, 461, — per procuratorem initum, 462, — putativum, 463, — ratum, et non consummatum, *ibid.*, — secretum seu conscientiæ, 463.
MATRIX ecclesia. Vide *Ecclesia matrix.*
MEDIA annata quibus, et a quibus solvenda sit, 464.
MEDICA ars. Vide *Ars medica.*
MEDICINA. Vide *Ars medica.*
MEDICUS, 467.
MELIORATIONES, *ibid.*
MEDICANTES. Vide *Regulares.*
MENSA episcopalis. Vide *Episcopus,* §§ III, XIX, XX, XXIII et XXIV.
METROPOLITANUS. Vide *Archiepiscopus seu Metropolitanus.*
METUS. Vide *Matrimonium* § XXII; *Professio religiosa,* § VI ; *Sacramentum ordinis,* § XI.
MILITARIS. ordo. Vide *Religio militaris.*
MILITIÆ capellanus. Vide *Capellanus seu Vicarius,* etc.
MINISTER, ministri, 468.
MISSA seu sacrificium Missæ quando applicari de-

beat, necne, 468, — an et quomodo adimpleri, celebratio debeat, 472, — cum cantu, seu solemnis. Vide *Dignitates ecclesiasticæ*, § IV, — quando quis a celebratione vacare possit, 480, — quoad celebrationis locum, 481, — a quibus celebratio possit, ac debeat expleri, 485, — quoad celebrationis diem, et horam, 487, — quoad celebrationem per se ipsum. Vide *Capellanus*, § VIII, — quoad celebrationis moralem, vel physicam, potentiam, 488, — conventualis. Vide *Archidiaconus*, § V; *Archipresbyter*, § VI; *Beneficiati*, § III; *Canonici*, § IV; *Capitulum ecclesiasticum*, § V; *Dignitates ecclesiasticæ*, § IV; *Mansionarius*, § V; *Præpositus*, § IV; *Presbyteri*, § IX, — quoad eleemosynam seu in qua summa taxari debeat, 489, — quoad fundum, 494, quando bis in diem celebrare liceat, necne, 495, — quoad numerum ex piis legatis adimplendum, 497, — parochialis. Vide *Archipresbyter*, § VI; *Capellanus curatus*, § III; *Dignitates ecclesiasticæ*, § IV; *Parochus*, § V; *Præpositus*, § VI; *Vicarius curatus*, § V, — quoad reductionem, 501, — quoad ritum, 540, — quoad remissionem et deletionem oneris, *ibid*, — quando et quomodo celebratio suspendi possit, necne, 544, — quoad translationem, 549, — votiva, 557.

MISSARUM omissio quoad absolutionem. Vide *Absolutio*, §§ I et III.

MOLESTIÆ quoad liberationem. Vide *Liberatio a molestiis*.

MONACI. Vide *Regulares*.

MONASTERIUM monialium quoad clausuram et cancellos, 558, — quoad deputatos, inservientes, et bona, 562, — quoad erectionem, et fundationem, 563, — quoad exemptionem ab jurisdictione Ordinarii, ejusque visitationem, 565, — quoad puellarum receptionem, ejectionem, earumque dotem, 569, — regularium. Vide *Regularium monasterium*.

MONIALES quoad abbatissam. Vide *Abbatissa*, — quoad judicem conservatorem, 571, — quoad beneficium restitutionis in integrum. Vide *Beneficium*, § II, — quoad professionem religiosam. Vide *Professio religiosa*, — quoad regularium subjectionem, 572, — quoad renunciationem, et ultimam voluntatem, *ibid*, — quoad sacramenti Eucharistiæ sumptionem, 573, — quoad translationem, *ibid*.

MONS frumentarius, 574, — pietatis, 575.

MOZZETTA, 577.

MULIER quoad matrimonium. Vide *Matrimonium*, *Sponsalia*.

MULCTA. Vide *Pœna*, § III.

MULTIPLICUM. Vide *Bona ecclesiastica*, § VII; *Fructus*, § I.

MUNERA, munia. Vide *Capitulum ecclesiasticum*, § VI; *Regulares*, § IV.

MUSICA, 578.

MUTUUM. Vide *Contractus*, § IX.

N.

NATALIUM illegitimitas quoad dispensationem. Vide *Dispensatio*, § V.

NOMINATIO. Vide *Beneficia ecclesiastica*, § VII; *Capellania*, § VI; *Concionator*, § III; *Confessarius*, §§ II; *Subsidium dotale*, § VII.

NOTARIUS. Vide *Cancellarius*.

NOTÆ erectionis canonici. Vide *Canonici*, § V.

NOTALIA. Vide *Decimæ*, etc.

NOTITIATUS. Vide *Professio religiosa*, § I.

NOTITIUS. Vide *Regulares*, § V.

NULLITAS. Vide *Acta*, § II; *Alienatio*, § III; *Applicatio*, § V; *Baptismi sacramentum*, § II; *Census*, § I; *Concursus*, § VII; *Dispositio testamentaria*, § II; *Donatio*, § III; *Emphyteusis*, § IV; *Legatum pium*, § XV; *Professio religiosa*, § V; *Sacramentum Ordinis*, *Sacramentum Pœnitentiæ*, *Sponsalia*, § II; *Transactio*, § III.

NULLIUS qualitas. Vide *Abbas*, *Abbatia*.

NUMERUS. Vide *Capitulum ecclesiasticum*, § XI; *Missa*, § XI; *Presbyteri*, § V.

NUNTIUS apostolicus, 580.

NUPTIÆ. Vide *Matrimonium*.

O.

OBLATI. Vide *Regulares*, § V.

OBLATIONES. Vide *Eleemosynæ*, *Emphyteusis*, § II; *Parochus*, § VI.

OBSEQUIA matrimonialia. Vide *Matrimonium*, § XXVII.

OBSERVANTIA dierum festorum. Vide *Festorum dierum observantia*.

OBTENTIONES, seu emolumenta. Vide *Emolumenta*, *Parochus*, § VI.

ŒCONOMUS, seu administrator. Vide *Administrator*, — curatus quoad congruam, distributiones quotidianas, et emolumenta, 581, — curatus quoad electionem, et deputationem, 582, — curatus quoad potestatem, et jura, 583, — curatus quoad remotionem, 584.

OFFICIALIS, *ibid*.

OFFICIALES. Vide *Capitulum ecclesiasticum*, § VI; *Hospitale*, § V; *Seminarium*, § III; *Sodalitium*, § VI.

OFFICIUM, officia in genere. Vide *Abbas*, § IV; *Archidiaconus*, § II; *Archipresbyter*, § VII; *Capitulum ecclesiasticum*, § VI; *Episcopus*, § XVIII; *Parochus*, § VII; *Regulares*, § IV, — canonistæ. Vide *Canonistæ officium*, — cantoratus. Vide *Cantoratus officium*, — divinum seu breviarium. Vide *Breviarium*.

OLEUM sanctum. Vide *Sacramentum Olei sancti*.

ONERA in genere. Vide *Abbas*, § VII; *Administrator*, § IV; *Archidiaconus*, § V; *Archipresbyter*, § VII; *Beneficiati*, § XIV; *Canonici*, § VI; *Capellanus*, § IV; *Capellanus sodalitii*, § III; *Capitulum ecclesiasticum*, § VII; *Clerici*, § II; *Clerus*, § III; *Communitas laiculis*, § II; *Concionator*, § IV; *Dignitates ecclesiasticæ*, § V; *Episcopus*, § XII; *Hæres*, § II; *Mansionarius*, § IV; *Parochus*, § VII; *Patronus*, § II; *Præpositus*, § V; *Presbyteri*, § VI; *Prior*, § IV; *Rector*, § I; *Regulares*, § VI; *Sodalitium*, § VIII; *Vicarius curatus*, § V, — Missarum. Vide *Capellanus*, §§ III, V et VIII. *Missa per totum*, — quoad reductionem. Vide *Legatum pium*, § XII; *Missa*, § XII.

ONERUM piorum omissio quoad absolutionem. Vide *Absolutio*, § III.

ONUS perpetuum, vel temporaneum. Vide *Capellania*, § VIII; *Legatum pium*, § XI.

OPERA pia. Vide *Legatum pium*.

ORATIO panegyrica. Vide *Concio*, etc.

ORATORIUM seu capella. Vide *Capella*, — quomodo prohibetur an publicum, vel privatum sit, 585, — privatum, seu domesticum, 586, — publicum quoad benedictionem, et consecrationem, 589, — quoad constructionem, et refectionem, 590, — quoad demolitionem et profanationem, 591, — quoad Missam, ceterasque functiones inibi peragendas, 592.

ORDINANDORUM qualitas. Vide *Sacramentum Ordinis*, § VII.

ORDINANDUS. Vide *Sacramentum ordinis per totum.*
ORDINARIA jurisdictio. Vide *Episcopus,* §§ VII, VIII et IX.
ORDINARIUS. Vide *Abbas, Episcopus.*
ORDINARIO. Vide *Sacramentum Ordinis.*
ORDINATIONIS titulum. Vide *Patrimonium clericorum, Sacramentum Ordinis,* § X.
ORDINES regulares. Vide *Regulares,* — sacri. Vide *Canonici,* § IX; *Sacramentum Ordinis.*
ORDINUM collatio. Vide *Abbas,* § II; *Episcopus,* § V; *Sacramentum Ordinis.*
ORDO militaris. Vide *Religio militaris,* etc., — sacer. Vide *Matrimonium,* § XXIII; *Sacramentum Ordinis per totum.*
ORGANUS, 595.
ORIS aperitio. Vide *Aperitio oris.*
OVORUM benedictio. Vide *Benedictiones,* etc.

Atrebati. — Ex typis ROUSSEAU-LEROY, via vulgo dicta Saint-Maurice, 26.

949